Digitized by Google

2.2.79
I

RONCAGLIA
MORALIS
THEOLOGIA
UNIVERSA.

Digitized by Google

258

Digitized by Google

UNIVERSA MORALIS THEOLOGIA,

Qua non ſolum Principia Speculativa ſed etiam Regulæ Practicæ

AD USUM

CONFESSARIORUM

EXPLICANTUR.

AUTHORE

CONSTANTINO RONCAGLIA

CONGREGATIONIS MATRIS DEI.

Acceſſit in fine Liber Conſiliorum Moralium, eodem Authore.

TOMUS PRIMUS.



VENETIIS, MDCCLX.

TYPIS FRANCISCI PITTERI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

DUO maxime deſideranda in quocumque, qui Moralis Theologiæ Studio addictus, ſaltem idoneus Sacramenti Pænitentiæ Miniſter evadere exoptat. Primum eſt, ne ſatis ſe ſcire poſſe arbitretur, dum modo unum, modo alterum Moralis Theologiæ caſum lectitando, ſibi ſufficientem ſcientiam comparare præſumit. Hac ſtudendi, veluti per ſaltum, ſi ita liceat effari, methodo, numquam ſatis principia, a quibus tamquam a fontibus, hæc ſcientia haurienda eſt, addiſcuntur, quibus ignoratis, nemo non ſcit unumquemque Theologi Moralis nomen falſo ſibi tribuere. Certe rideremus Architectum, qui nil de fundamento conſtruendo cogitans, totus eſſet in ædificii mole erigenda, eumque propriis conſepeliendum ruinis quantocyus diceremus. Eamdem profecto agendi rationem ſectantur, qui penes Authores quid agendum in quibuſdam conſcientiæ caſibus explorantes, omittunt ſtudere principiis, ex quibus ducuntur; unde fit ut ſi in quibusdam particularibus reſolutionibus veluti Magiſtri punctum attigerunt, in aliis pene rudes ſe oſtendant. Hoc autem fortaſſe non raro contingit, quia Moralis Theologiæ Tyrones adeo prolixam ſibi materiam in non paucis Voluminibus exhibitam vident, ut animos omnino deſpondeant; cum ſatis nec virium, nec ingenii, & fortaſſe nec temporis, nec voluntatis poſſe habere ſe autument ad longiores vel legendos Tractatus, quorum ſinguli aliquando integrum conſtant volumen. Cum autem nec Authores nimis brevitati conſulentes, quæ neceſſario Confeſſarium ſcire oportet, ſufficienter explicent, hinc non paucos videmus Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtros, quos non ſatis ſcire in re tam neceſſaria lugendum eſt. Ut igitur nec Tractatuum prolixa explicatione territi, a vera ſtudendi methodo diſcedant, nec nimia brevitate, dum aliquorum ignaviæ conſulitur, tam ſublimis facultas diminute exponatur, Moralis Theologiæ Curſum nec ita prolixum, ut tædium legentibus ingerat; nec ita breve, ut iiſdem, quæ ſcitu digna ſunt, ſubtrahat, ſub ipſorum oculos exponere operæ pretium duxi. Fateor etiam in hanc qualemcumque molem paulatim, & præter opinionem excreviſſe, nam dum juxta hanc mthodum Moralem Theologiam exarare a me cœptum eſt, id ſolum animo deſtinaveram, ut aliquos Tractatus ejuſdem Auditoribus proponerem; quamquam & quam hujuſce mei laboris partem aliqui ſcripto exaratam habent, in aliquibus auctam, & quandoque in opinionibus diverſam modo videbunt, cum novarum rationum pondere aliter ſentire ſim coactus.

Alterum quod in Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtro ſummopere deſiderandum venit, eſt, ut quæ vera ſtudendi methodo didicit, ad praxim rite applicare ſatagat. Non ejus naturæ eſt Moralis Theologia, ut ſolummodo ingenio ſpeculandi materiem ſubminiſtret, atque in veritatis contemplatione ſiſtat, fruaturque. Ideo docet, ut ad ſuas regulas hominum mores componantur; ſed quia illas ad praxim applicare non facile omnibus datur, ideo ad praxim bene dirigendam quamplures regulas pro ingenii mei tenuitate Addiſcentibus expoſui, ut ita ſuorum laborum fructum colligere facilius valeant; neque enim difficile eſt adinvenire, qui, etſi forte ſatis ſciunt, nihilominus quæ ſciunt ad praxim applicare ignorent. Accedit, quod ad ita, ut par eſt, agendum; non raro Prudentiæ ſcientiam famulari neceſſe eſt; atque hac tam excellenti, tam neceſſaria Cardinali Virtute non omnes, immo pauci præditi adinveniuntur. In his igitur regulis practicis exponendis non exiguam muneris mei partem eſſe putavi; ac ſperare licet ſaltem ex hac ratione, poſt tot Moralis Theologiæ conſcripta Volumina, etiam meos Tractatus ipſi aliquam novam utilitatem allaturos.

AD LECTOREM.

In ea autem componenda illam mihi propoſui S. Bonaventuræ regulam, quam legere eſt lib. 2. Compend. Theol. Verit. cap. 52. Cavenda eſt, *ait*, conſcientia nimis larga, & nimis ſtricta; nam prima generat præſumptionem, ſecunda deſperationem: item prima ſæpe dicit malum bonum, ſecunda e contra bonum malum: ita prima ſæpe ſalvat damnandum, ſecunda e contra damnat ſalvandum: *Et quidem non ſolum ex nimio rigore, vel ex nimia indulgentia non raro in Morali Theologia errores irrepſerunt, ſed etiam ex utraque, velut ex impuro fonte, permultæ hæreſes dimanarunt: ac difficile æſtimatu fuerit, an plus nocumenti irrationabilis Indulgentia, quam nimius rigor tum Eccleſiæ, cum Saluti Animarum attulerint. Nec, quæſo, aliquis mihi vitio vertat, me Caſuiſtarum veſtigia perlegiſſe, hac maxime noſtra ætate, qua non ſolum quidam, qui ob alicujus doctrinæ, vel eruditionis famam ſaltem non indocti reputantur, ſed etiam qui nec a limine vel regidiorem, vel magis benignam ſalutarunt Moralem Theologiam, ut ſibi nomen apud Vulgum indoctum faciant, Caſuiſtas veluti per irriſionem in aliquibus ſuis libellis nominant, & quaſi Moralis Theologiæ Deſtructores traducunt. Hac unica ſaltem ratione Caſuiſtas conſulendos, nemo ſanæ mentis dubitabit; quia nempe nimis præſumptuoſum eſt in tanto particularium caſuum conſcientiæ numero, qui omnes in praxi eveniunt, ſeipſum Ducis, & Doctoris loco habere, cumque illos juxta tot, & diverſas circumſtantias ad examen non revocaſſe SS. PP. omnino compertum ſit, vel oportet tumidum Caſuiſtarum Irriſorem in iis decidendis ſeipſum omnibus Caſuiſtis referre, & quid arrogantius? vel fateatur oportet omnino ignorare quid a ſe præſtandum ſit: atque ita Caſuiſtarum Traductor ſolemniter errare cogitur, ut multoties eveniſſe ſcio. Hinc non inutile futurum Eccleſiæ putarunt SS. Thomas, Antoninus, Raymundus &c. ſuis Summis quamplures particulares Caſus elucidare, ne ignorarent Conſcientiarum Directores, quid ſibi præſtandum foret: ſed cum non omnia ii potuerint attingere, temporum ſucceſſu alii eamdem Provinciam ſuſceperunt, ut nullus foret conſcientiæ caſus, quem Moralis Theologus ignorat. An vero mihi datum ſit æque nimis arctos tramites, ac latiores vias vitare, alii judicent, mihi ſatis eſt hanc mihi propoſuiſſe regulam; quapropter in præſentiarum diſceſſi a quibuſdam opinionibus, quas in meis Quæſitis Dogmaticis, & Moralibus de SS. Eccleſiæ Sacramentis ſectatus ſum; eas etenim nimium ad rigorem flectere putavi, quod adverſatur iis, quæ habentur* cap. nlt. de tranſact. *ubi hæc leguntur*: In iis vero, ſuper quibus jus non invenitur expreſſum, procedas æquitate ſervata, ſemper in humaniorem partem declinando, ſecundum quod perſonas, & cauſas, loca, & tempora videris poſtulare. *Quamquam autem Scribarum, & Phariſæorum more onera gravia, & importabilia in humeros hominum non ſint imponenda, ſed potius quam in ore, & in aliorum directione, in propriis moribus rigorem præſeferre conveniat; nihilominus non ſunt conſuendi pulvilli ſub omni cubito, nec facienda cervicalia ſub capite univerſæ terræ, ut conqueritur Dominus apud* Ezecch. cap. 13. *non ſunt nempe permittenda vitioſis hominibus placentia, nec illis in propriis erroribus acquieſcendum, ne qui debent eſſe Magiſtri veritatis, cæci fiant, & duces cæcorum, ac tamdem ſimul in æternam foveam cadant.*

Monitum te tamdem volo, benevole Lector, in calce Tractatus VIII., in Appendice de Adjuratione, quæſito decimo ſexto, me innuiſſe, exorciſmos, quoad liberanda loca Spectris infeſta, haberi penes Rituale Romanum ſub titulo Exorciſmus Domus a Dæmonio vexatæ. *Vere tunc non animadverti, hunc titulum proprie ad Romanum Rituale non ſpectare; immo poſtea audivi, illum libellum, qui præfato Rituali adnexus legebatur, decreto S. Indicis Congregationis fuiſſe proſcriptum.*

C Æ-

CÆSAR TRENTA
CONGREGATIONIS MATRIS DEI
RECTOR GENERALIS.

CUM Librum, cui Titulus *Univerſa Moralis Theologia &c.* a P. Conſtantino Roncaglia noſtræ Congregationis Sacerdote compoſitum duo ex noſtris Theologis, quibus id commiſimus, recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi ita videbitur &c.

Ex noſtro Collegio S. Mariæ in Capitello.

Cæſar Trenta Rector Generalis.

Quintinus Roncaglia Secret.

De Mandato &c.

Vidit JO: DOMINICUS MANSI &c

IMPRIMATUR.

OCTAVIUS ARCHIDIACONUS SARDI Vic. Gen.

NICOLAUS PARENSI Illuſtriſſimi Magiſtratus ſuper Juriſd. Præpoſit.

NOI RIFFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

COncedemmo Licenza a *Franceſco Pitteri* Stampatore di *Venezia* di poter riſtampare il Libro intitolato *Roncagliæ (Coſtantini) Univerſa Moralis Theologia &c. acceſſit in fine Liber Conſiliorum Moralium &c.* oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe , e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia , e di Padova.

Dat. li 27. Febbraro 1752. M. V.

(
(*Barbon Moroſini Kav. Proc. Rifform.*
(*Alviſe Mocenigo 4.° Kav. Proc. Rifform.*

Regiſtrato in Libro a Carte 50. al Num. 431.

Gio: Girolamo Zuccato Segretario.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS PRIMUS.

DE ACTIBUS HUMANIS.

COgnitio Actuum Humanorum baſis, & fundamentum eſt univerſæ Moralis Theologiæ, adeoque in iis perſcrutandis neceſſe eſt eamdem Theologiam addiſcentem ſummopere incumbere. At quia, quæ ſit honeſtas, vel malitia actus humani ionoteſcere haud poteſt, niſi regulæ motalitatis ad examen revocentur, ideo in præſenti Tractatu de Cooſcientia, de Voluotario, & Involuntario, ſicut & de Natura actus Humani agendum eſt.

QUÆSTIO I.

De Conſcientia.

CAPUT I.

Quid ſit Conſcientia, & quotuplex, & qualem inducat obligationem.

Q. I. QUID ſit Conſcientia.

R. Alia eſt Syuteresis, alia Conſcientia, *S. T. 1. p. q. 79. a. 12. & qq. diſp. q. 16. a. 2.* Synreſis, ſive Syndereſis eſt habitus primorum principiorum practicorum, quæ ſunt quaſi quædam lumina incommutabilia virtutum. Hinc Syndereſis dictat bonum honeſtum eſſe amplectendum; quodcumque peccatum eſſe fugiendum; unicuique ſuum tradendum eſſe; nullum injuria afficiendum &c. Cum ergo Syndereſis verſetur circa univerſaliſſima principia agendorum, quæ per ſe nota ſunt, nulli ſubjacet errori. Si deinde his principiis univerſalibus intellectus inferat, & proponat voluntati quid hic, & nunc in particulari ſit operandom, conſurgit illud judicium, quod dicitur Conſcientia: *D. Th. 1. p. q. 79. a. 213. & 1. 2. q. 19. a. 5. S. Anton. p. p. t. 3. c. 9. &* 10. Ea proiude ita commooiter definitur. *Judicium, ſeu dictamen rationis practicum, quo judicamus aliquid hic & nunc vel ſequendum eſſe ut bonum, vel fugiendum ut malum.*

Conſcieotiæ tres actus tribuuntur. Primus reſpicit præterita, quo recognoſcimus aliquid feciſſe, vel non feciſſe, quo ſenſu dicitur etiam teſtificari, juxta illud Apoſtoli *ad Rom. 9. Teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea a Spiritu Sancto.* Secundus item reſpicit præterita, & dicitur remorſus, quatenus accuſat male facta; ſicuti dicitur excoſare, ſeu commendare, ſi vel reſpiciat mala non commiſſa, vel bona, quæ facta ſunt. Tertius reſpiciat opera præſeotia, ſeu futura, quatenus dictat hic & nunc in particulari bonum proſequendum vel malum ſugiendum.

Q. II. Quotuplex ſit conſcientia.

R. Conſcientia primo dividitur ex parte objecti in rectam, & erroneam. Recta eſt, quando ex veris principiis practicis verum judicium formatur de aliquo faciendo, vel omittendo, ut ſi ex hoc principio, quod ſervanda ſint divina præcepta, inferam nollatenus eſſe meotiendum. Erronea eſt quando ex falſo priocipio practico infero falſam couclofionem: ut ſi ex eo, quod credam mentiri poſſe pro proximo adjovando, inferam hic, & nunc licere mentiri pro eo liberando a periculo mortis. Si formetur tale judiciom, qoia oulla occurrat cogitatio, vel dobium legis oppoſitæ, ſeu quia, facta morali diligentia, deponi non poſſit, dicitur erronea invincibiliter. Secundo dividitur in certam, probabilem, dubiam, & ſcrupuloſam. Certa eſt, quando ſine formidine dictat aliquid eſſe faciendum, vel omittendum, probabilis eſt, quando ex motivis probabilibus, ſeu veriſimilibus adhæremus uni parti, ſed cum formidine de oppoſita, ita ut cognoſcamus noſtro judicio ſubeſſe poſſe falſitatem. Tertio dicitur *dubia*, & proprie tunc eſt, quando judicium intellectus fluctuat, & remanet perplexus inter utramque partem; vel ſi in onam partem inclinat, oon illi determinate aſſentitur, quod tamen melius dicitur *ſuſpicio*, quam dubium. Quarto dicitur *ſcrupuloſa*, & ea datur, quando quis ex levibus rationibus, ſeu conjecturis judicat aliquod eſſe malum. De conſcientia probabili, dubia & ſcrupuloſa agemus ſeqoentibus Capitibus.

Q. III. Quanta ſit obligatio Conſcientiæ.

R. I. Operari contra conſcientiam rectam præcipientem, vel prohibentem, ſemper eſt peccatum. Ratio eſt, quia talis conſcientia nil aliud eſt, quam judiciom practicum intellectus dictans hic, & nunc, nobis aliquid præcipi, vel prohiberi ab aliqua lege: ſemper cum ergo contra tale dictamen, ſeu conſcientiam operamur, aliquam legem tranſgredimur, & conſequenter peccamus. Dixi cootra conſcientiam rectam *præcipientem, vel prohibentem*, item ſi aliqoid proponatur conſulendo, ſive ſuadendo, ut magis cooveniens, tunc non peccatur, cum illud non proponator tamquam cadens ſub obligatione.

R. II. Tenemur etiam conformari conſcientiæ invincibiliter erroneæ. Ad hoc probandom affertur illud Apoſtoli ad *Rom. 14. Omne, quod eſt ex fide, peccatum eſt.* Quibus verbis ſignificare voluit Apoſtolus peccare manducantem cibos quos putat vetitos, quamvis revera vetiti non ſint, quia non operatur *ex fide*, hoc eſt, quia non ſe conformat dictamini ſuæ conſcientiæ. Conſtat etiam ratione, qoia voluotas non fertur in objectum ſecundum ſe, ſed prout proponitur ab intellectu; ſi ergo intellectus certo, & indubitanter ei proponat e.g. eſſe mentiendum propter ſalotem hominis, jam hoc, quod alias in ſe malum eſt, illi proponitur ut lex, cui omnino parere debet, & conſequenter non parendo peccat. Idem etiam probatur, quia qui non ſe conformat conſcientiæ erroneæ, indubitanter dictanti adeſſe præceptum vel faciendi aliquod bonum; vel ſugiendi aliquod malum, ſaltem taliter eſt diſpoſitus, ut etiamſi illud vere a parte rei boum eſſet, adhuc ab eo non fieret, vel etiamſi a parte rei malum eſſet adhuc non vitaretur: hæc autem animi diſpoſitio abſqoe dubio peccatum eſt.

R. III. Si conſcieotia ſit erronea vincibiliter, non poſſumus contra eam agere: quia uſque dum non deponatur, dictat aliquid nobis præcipi, vel prohiberi, ac proinde contra eam agendo, fieret contra id, ad quod teneri crederemus. Item non poſſumus facere juxta eam, quia cum error vinci poſſit, convinceremur voluiſſe malum ſub ſpecie boni ex non adhibita diligentia ad errorem expellendum. Remanet ergo quod ſit obligatio eam deponendi, com unuſquiſque teneatur expellere errorem, quem, facta morali diligentia, poteſt cognoſcere; atque ita expellendo errorem, habens conſcientiam erroneam eximit ſe a quacumque neceſſitate peccandi.

Q. IV. Quale ſit peccatum agere contra conſcientiam erroneam.

R. Cum conſcientia in tantum obliget, in quantum proponit aliquam legem obligantem; ſequitur facere contra conſcientiam erroneam eſſe peccatum grava, ſi lex, quæ proponitur, cenſeatur ſub gravi obligare, vel leve, ſi ſub levi. Ita ſi conſcientia erronea dictet mentiendum eſſe, quia charitas ita obligat ſub gravi, ut ſi mendacium neceſſarium reputetur pro liberando innocente a gravi malo, dum non deponatur talis conſcientia erronea, non mentiri erit peccatum grave: *D. Th. 1. 2. qu. 19. art. 1. ad 3. Sanch. l. 1. Moral. c. 11. n. 5.* Poteſt autem aliquando perſona rudis ita ſibi formare conſcientiam erroneam, ut quodcumque agat, reputet peccatum: Exemplum ſit in eo, qui habens domi infirmum, putet peccare, ſi die feſto erat ad Eccleſiam ob Miſſam audiendam, pariterque peccare, ſi Miſſam non audiat. Et quidem ratio tunc deberet dictare inter duo illa mala unius eſſe eligendum. Quod ſi incapax ſit judicandi quale ſit minus malum, tunc non peccat, quidquid egerit, quia nemo neceſſitate peccat, *Laym. l. 1. tract. 1. cap. 4.*

Solet autem hic etiam expoſci quale peccatum committatur, dum ſit aliquod malum, quod quidem cognoſcitur ut malum, ſed conſcientia non diſtinguit an grave ſit, vel leve. Et reſpondendum eſt, quod ſi quis id agat dubitando, an illud malum grave ſit, vel leve, utique peccat mortaliter; cum ſe exponat periculo graviter peccandi. Si vero ſolummodo in genere cognoſcat illud eſſe malum, ſed non conſurgat dubium quod poſſit eſſe grave, tunc judicandum eſt non eſſe commiſſum peccatum grave, nam non potuit eſſe volita malitia gravis, niſi fuerit præcognita, vel ſaltem non dubitatum fuerit de ea: *Boſſ. p. p. Var. moral. r. 1. §. 15. n. 79.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quandoque Confeſſarius dum audit Pœnitentem ſe accuſare de aliqua re, quæ non eſt mala, nihil curat de ea, & ut ultra progrediatur ſollicitat. Sed in hoc multoties non bene ſe gerit; examinare etenim debet an illud fecerit ex conſcientia erronea, cum potuerit gravius, & levius peccare juxta dictamen talis conſcientiæ.

II. Item ne Confeſſarius, vel nimis rigidus, vel nimis laxus ſit in judicando, maxime dum excipit confeſſiones ruſticorum, idiotarum, mulierum &c. ſi aliquod malum feciſſe auſcultet, videat, an ſaltem dubitaverint graviter poſſe peccare, in quo caſu judicet commiſiſſe peccatum mortale. At multoties in quibuſdam peccatis, ut dum per Deum jurant, creaturas execrantur, imprecantur mala filiis, laborarunt in die feſto, & ſimilibus, accidit habuiſſe quidem cognitionem ſe male agere, at neutiquam conſideraſſe, an graviter, vel leviter; neque de gravi malitia ullum habuiſſe dubium, Hinc bene judicare poteſt leviter tantum peccaſſe, neque deſunt Theologi qui putent tuto omitti poſſe eam interrogationem, an crediderint ſe peccaſſe mortaliter, vel venialiter; quia tales pœnitentes neſciunt ſe in hac interrogatione explicare; & de facto id multoties mihi evenit, & audivi eos reſpondere, agnoviſſe quidem ſe peccare, ſed nihil cogitaſſe de peccato gravi, vel levi,

CAPUT II.

De Conſcientia opinativa, ſive de Opinione probabili.

Q. I. **Q**Uid ſit Conſcientia opinativa, ſeu Opinio probabilis, & quotuplex.

R. I. Conſcientia opinativa, ſeu opinio probabilis, eſt judicium, quo aſſentimur alicui rei cum formidine de oppoſito. Cum igitur opinio non innitatur motivo certo, ſed incerto, hinc eſt, quod dum intellectus ex tali motivo aſſentitur, formidare poteſt falſo aſſentiri. Hæc autem probabilitas provenire poteſt ab intrinſeco, & ab extrinſeco. Tunc provenit ab intrinſeco, quando derivatur ex aliqua ratione, quæ nobis ſuadet aliquam rem eſſe probabilem, ſeu poſſe eſſe veram. Tunc vero provenit ab extrinſeco, quando judicamus poſſe eſſe veram propter extrinſecam authoritatem Doctorum ita aſſerentium. Hic tamen adnotare oportet propoſitionem 27. damnatam ab Alexandro VII. quæ ita ſe habebat: *Si liber ſit alicujus Junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dummodo non conſtet rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.* Non ergo, generaliter loquendo, opinio cenſeri debet probabilis, eo, quod eam doceat unus Author, cum facile unus Doctor potuerit errare, vel nimio rigori, vel nimiæ laxitati favendo. Quod ſi hic Author afferat validam rationem ab aliis non conſideratam, & ſolvat rationes aliorum, tunc ipſius opinio non deſinet eſſe probabilis, & quandoque etiam poterit apparere probabilior juxta vim rationis, quam affert *Carden. d. 11. n. 254. d. 55. n. 4. d. 57. cap. 2. Viva in prop. 27. ab Alex. VII.*

R. II. Opinio alia eſt ſpeculative probabilis, alia practice probabilis. Relictis variis explicationibus, illam dicam ſpeculative probabilem, quæ procedit ſecundum principia univerſalia, non conſideratis omnibus iis, quæ hic & nunc concurrunt in aliqua operatione. E contra dum conſiderantur omnes circumſtantiæ, quæ in caſu particulari occurrunt, tunc opinio, ex qua quis operatur, ſi innitatur fundamento digno viro prudente, dicitur practice probabilis. Hinc ſecundum principia univerſalia poteſt eſſe ſpeculative probabile, licitum eſſe pingere die feſto, non vero practice, dum ſcilicet nulla eſſet neceſſitas pingendi, & pingendo hic, & nunc fieri non poſſet ſine gravi ſcandalo. Quod ſi hic, & nunc nullum eſſet ſcandalum, neque aliquod grave inconveniens, tunc eadem opinio non ſolum eſſet ſpeculative probabilis, ſed etiam practice poteſt talis apparere. Sed de hac re ſuo loco. Item alia eſt opinio certo probabilis, alia probabiliter, alia tenuiter, alia dubie probabilis. Opinio certo probabilis eſt ea, quæ habet pro ſe rationem gravem, cui patet prudenter poſſe aſſenſum dari. Hinc ſi aliqui Theologi ſcientia vere præſtantes aliquam opinionem omnino dicant probabilem, certo probabilis cenſenda eſt, cum dubitandum non ſit non habuiſſe rationem gravem ad ita affirmandum. Item certo probabilis dicenda eſt illa opinio, quæ communiter aſſeritur probabilis, quamvis unus, aut alter diſſentiat, communis enim ſenſus Authorum dat fundamentum ad judicandum pro ea eſſe gravem rationem. Opinio probabiliter probabilis ea dici poteſt, de cujus probabilitate merito diſputatur, vel quia non habet rationem ita gravem, vel quia lis eſt inter Authores, an ſit probabilis, nec ne. Opinio tenuiter probabilis eſt ea, quæ habet motivum leve, ita ut vir prudens nullatenus debeat illi aſſentiri. Hinc ſententia oppoſita tali opinioni ſolet eſſe certa, vel ſere certa, nam quantum levis eſt ratio talis opinionis, eo fortior eſt ratio pro opinione contraria. Opinio dubie probabilis, valde affinis eſt opinioni probabiliter probabili, Ea ergo dicetur opinio dubie probabilis, quando dubito, an motivum, cui innititur, ſit grave, vel leve, vel ſi dubitem de ſufficienti authoritate DD. illam docentium: nec aliquando ad excludendum dubium ſatis eſt, ſi multi eam doceant, quia multoties unus cæco modo alium ſequitur. Denique alia eſt opinio minus probabilis, quæ ſcilicet habet pro ſe rationes minus validas, alia probabilior, & habet pro ſe rationes validiores.

Q. II. An in operando liceat ſequi opinionem probabilem.

R. I. Non licet ſequi opinionem tenuiter probabilem quia ut ex dictis conſtat, non habet motivum dignum viro prudente. Hinc Innoc. XI. ſub n. 3. hanc damnavit propoſitionem: *Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.*

R. II. Non licet operari ex opinione, vel probabiliter probabili, vel dubie probabili. Ratio eſt quia non ſum certus illas inniti motivo digno viro prudente, ut conſtat ex earum explicatione; ac proinde cum rationabiliter timeam carere tali motivo, juxta eas operando, me nimis exponerem periculo errandi, adeoque & peccandi. Id etiam confirmari poteſt, quia, licet dum agitur de opinione probabiliter probabili, vel dubie probabili, poſſim habere prudens fundamentum, illam opinionem eſſe probabilem, cum non deſint, qui id aſſerant, ſimulque conentur probare, non tamen poſſum habere fundamentum prudenter judicandi, quamvis cum formidine, illam opinionem eſſe veram. Ratio eſt, quia cum non certo conſtet, eam opinionem eſſe probabilem, neque certo conſtabit eſſe veriſimilem. Quo ergo fundamento ſatis firmo, judicare poſſum eam opinionem eſſe veram, & dignam Viro prudente?

R. III. Generaliter loquendo ſequi licet opinionem certo probabilem. Id conſtat ex ipſis juribus, nam in rebus non definitis, permulta relinquunt arbitrio ipſius Judicis, ut propriam ſequatur opinionem, dum ſit probabilis: *Cap. de Cauſis §. Illis etiam de offic. Deleg. & l. 1. §. 1. ff. de jur. delibr.* Ratio autem eſt, quia cum in moralibus, ut plurimum verſemur in incertis, velle amovere opinionem probabilem a regula rectæ operationis, eſſet velle ſere ſemper nos perplexos, & in ſuſpenſo ab operando: *D. Th. 1. 2. q. 57. a. 4. ad. 2.* Quia ergo ita eſſe non poteſt, prudentia verſatur etiam circa opinabilia, & quæ aliter ſe poſſunt habere, & dictat eum prudenter agere, qui in incertis movetur ex gravi motivo ad operandum.

Cum

Cum nihilominus ultimum judicium de honeſtate operationis debeat eſſe certum, ut excludatur omnis formido de rectitudine operationis, ideo, illud judicium non fundatur in tali motivo probabili, quod excludere non poteſt talem formidinem; eo etenim ipſo quod ſit tantum probabile, res aliter poteſt ſe habere, ſed fundatur in motivo reflexo. Operans igitur ex tali motivo probabili dicit e. g. intra ſe, quod dum verſamur in incerti, prudentia dictat poſſe quemcumque operari ex motivo gravi, & rationabili; aliunde autem certam eſſe honeſtatem operationis, ſemper cum agimus juxta dictamen prudentiæ.

Q. I I. An liceat ſequi opinionem minus probabilem in conſpectu probabilioris.

R. Affirmativam ſententiam credo ſequendam eſſe. Ratio mihi eſt quia opinio minus probabilis, quæ aliunde erat certo probabilis, non deſinit habere motivum ſufficiens ad aſſenſum prudentem. Ut autem hoc probetur, obſervandum eſt aliquando unum motivum elidi propter alterum oppoſitum, aliquando non. Tunc igitur eliditur motivum minus a motivo majori, quando ſunt ejuſdem rationis, & directe opponuntur, nam tunc propter mutuam contrarietatem, unum excludit aliud, ſicut nigrum excludit album. Hinc ſi unus dicat vidiſſe Cajum hora 20. mortuum, & tres fide digniores vidiſſe vivum eadem hora, motivum horum trium cum ſit ejuſdem rationis (& ipſi etenim teſtificantur de Cajo) & omnino oppoſitum motivo unius aſſerentis de morte Caji, elidit omnino teſtimonium primi, quia comparatum ad teſtimonium trium fidem digniorum, non amplius conſervat vim movendi ad prudentem aſſenſum. Tum vero motiva ſe ad invicem non elidunt, quando, ſunt diſparata, & diſſimilia; quia ſcilicet unum dictat aliquid propter unam rationem, aliud propter diverſam; nam tunc unumquodque conſervat ſuam vim movendi ſpecie diverſam, adeoque diſparatam, non vero directe contrariam. Hinc habens diverſa motiva bene, vel male judicandi de proximo, experitur ab utriſque poſſe moveri ſi accedat imperium voluntatis. Audiens diverſas prudentes rationes, quibus ex una parte ſuadetur Petrum non eſſe Romæ, & ex aliis ibi eſſe, percipit ab utriuſque moveri, neque vel negantes, vel affirmantes judicat poſſe parvipendi. Aſſidue etiam id experimur in moralibus; nam conſiderantes validas rationes pro affirmativa, & pro negativa, non percipimus unas reddi nullius momenti, tamquam ab alteris eliſas, ſed utraſque ex diverſis fundamentis vim facere noſtro intellectui. Et ratio ab intrinſeco ulterius eſt, quia, ſi rationes pro utraque parte videantur æquales, una non vincit alteram, & ſic utraque remanet in ſuo robore. Si vero pro una parte rationes ſint validiores, dum ſumus in incertis, non omnino ſuperant minus validas, ſed tantum ſecundum quid; unde quamvis hæ aliquantulum minus moveant, cum tamen non deſtruantur, non deſinunt eſſe rationes validæ. Ad eum modum, quo, ſi aliquod album contraponatur rei magis albæ, quamvis minus album appareat habere minorem albedinem, non tamen deſinit eſſe album. His poſitis.

Cum magis probabile non deſtruat probabilitatem minus probabilis, quia illud abſolute non ſuperat, ſed tantum ſecundum quid adhuc in parte minus probabili apparet motivum grave, adeoque dignum Viro prudente, & per conſequens licitum eſt juxta illud agere. Nec refert motivum majoris ponderis apparere in parte oppoſita; nam non teneor ſequi quod perfectius eſt ſemper, cum aliunde rationes habeo ad prudenter operandum.

Dices quod ſicut quando ponuntur in bilance duo pondera, neceſſe eſt bilancem inclinari in eam partem, qua pondus eſt gravius, ita & intellectus, cum ſit potentia neceſſaria, inclinabit in eam partem, ubi motiva ſunt probabiliora. Sed contra eſt; quia prædicta pondera ſunt ejuſdem rationis, & homogenea, adeoque pondus majus impedit effectum ponderis minoris; ſicuti dixi ſupra, motiva fortiora elidere minus fortia ejuſdem rationis. At nos loquimur in caſu, quo motivum opinionis minus probabilis ſit diſparatum, adeoque non elidatur a motivo probabiliori. Cum igitur tunc intellectus veriſimilitudinem videat etiam in parte minus probabili, non amittente probabilitatem in conſpectu probabilioris, poterit in eam inclinari ex prudenti motivo & rationabili, cui innititur; maxime ſi ulterius conſideret non eſſe hominibus imponendam obligationem nimis moleſtam, vel hic & nunc expedire proximorum ſaluti benigniorem partem ſequi; vel pro licita ſequela minus probabilis citari plus quam ducentos Theologos, ut videre eſt apud Tyrſ. p. 2.

part. 2. tract. 1. cap. 1. princ. 17. & cap. 2. Terill. hic quæſt. 22. Bordon. de op n. probab. cap. 6. nu. 14. adeoque omnino credendum hanc ſententiam ratione vere digna viro prudente inniti.

Altera ratio, cui innititur noſtra ſententia eſt, quia lex prohibens ſequi ſententiam minus, ſed certo probabilem, non eſt ſufficienter promulgata, ſive, nobis non ſatis innoteſcit per dictamen rationis, cum tot Theologi rationibus contrariam affirment; lex autem non ſufficienter promulgata, vel quæ non ſatis innoteſcit, non obligat.

Inferendum ex his, multo minus nos teneri ad ſequendam partem tutiorem ſemper cum contraria ſit certo probabilis. Ratio patet, quia pars tutior multoties poteſt etiam eſſe minus probabilis, vel etiam tenuiter probabilis. Sic tutius eſt in die jejunii, etiam abſtinere a potione vini, at ſententia aſſerens per vini potionem frangi jejunium, vel omnino falſa eſt, vel tenuiter probabilis.

Q. IV. An aliquando ſit obligatio ſequendi opinionem probabiliorem.

R. Affirmative reſpondendum eſt, tunc ſcilicet quando quæſtio eſt de validitate, natura, ſeu conditione actus. Quando igitur verſamur circa materiam juris, nempe dum ſolum agitur de honeſtate actionis, an e. g. die feſto liceat pingere, bene ut dixi, ſequi poſſumus opinionem minus probabilem; etenim honeſtas actionis pendet a prudenti judicio operantis, ac proinde poteſt eſſe honeſta actio facta ex opinione minus probabili, quia fit ex motivo gravi, & prudenti. At valor, & conditio actus non pendet ex noſtro judicio quamvis prudenti, ſed tantum ſubſiſtit, ſi habeat, quæ ad ipſius eſſentiam, ſeu naturam exquiruntur. Non poteſt e. g. Baptiſmus eſſe validus ex eo quod ex motivo probabili judicaverim eſſe validum, ſi conferatur in aqua roſacea, ſed quia habet quæ pro illius eſſentia inſtituta ſunt a Chriſto Domino. Si ergo in his non amplectamur ſententiam probabiliorem, & tutiorem, ultra periculum, cui nos exponimus faciendi actum nullum, non evitamus ſufficienter periculum inferendi damnum proximo, quando ex nullitate talis actus damnificaretur. Hinc prohibuit Innoc. XI. ſub *nu.* 1. propoſitionem, quæ aſſerebat, *non eſſe illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramentis, relicta tutiori &c.* Cum igitur valor Sacramenti non pendeat ex noſtro judicio, ſed ex inſtitutione Chriſti Domini ſi in iis conferendis relinqueretur opinio probabilior, & tutior, exponeretur periculo nullitatis, & ita fieret contra reverentiam ipſi debitam; & ulterius non evitaretur ſatis periculum damnificandi proximum, ſi fortaſſe illi Sacramentum nullum adminiſtraretur. Quod ſi adhuc communius ſuſtinetur ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ bene poſſe eligi in praxi ſententiam de ſufficientia ſupernaturalis attritionis, quæ eſt minus tuta, hoc ideo Theologi aſſerunt, quia illam moraliter certam judicant, & in præfata opinione ſolum damnatur licitum eſſe ſequi opinionem probabilem relicta tutiori. In caſu autem neceſſitatis licite miniſtraretur ſub conditione Sacramentum juxta opinionem mere probabilem, ut dicam in Tractatu de Sacramentis.

Ex ratione ſupra ſtabilita neque Medico licet adhibere medicamentum, quod probabiliter tantum credat profuturum, ſi habeat medicamentum certum. Et quidem eo quod ipſe opinatur illud proficere poſſe, nihil id confert ad hoc, quod proficere poſſit in firmo, ſi vere talis non ſit naturæ, unde relinquendo medicamentum certum, non cavet ſatis periculum nocendi infirmo. Præterea eo quod aſſumat curam ægroti, vel ex charitate, vel etiam ex juſtitia, ſi ſumat ſtipendium, tacite obligatur eidem ægroto exercere ſuum officium meliori modo, quo poteſt.

Si vero non detur remedium certum, tunc obſervandum eſt, an ſalus ægroti ſit deſperata, nec ne. Si ſit deſperata, licitum eſt dare illi medicamentum dubium, quod ſcilicet creditur poſſe eſſe & proficuum, & nocivum; nam in caſu deſperatæ ſalutis periculum nocendi eſt modicum: ad ſummum etenim mortem aliquantulum accelerabit, unde præponderare videtur ſpes recuperandæ ſalutis, ſi res feliciter contigerit. In caſu autem ſalutis non deſperatæ, non approbarem dare medicamentum, de quo dubium ſit an nociturum, vel profuturum ſit, nam tunc tutius videtur relinquere infirmum operationi ipſius naturæ, quæ ſemper conatur morbum expellere: *Sanch. in ſumm. l. 1. cap. 9. num. 39.*

Quid dicendum ſit de Judice, & Advocato explicabo agendo de octavo Decalogi Præcepto.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Primo animadvertat Confeſſarius neceſſarium ſibi valde eſſe ſtudere; nam, experientia teſte, Confeſſarii indocti, vel nimis laxi ſunt, vel nimis inclinant in opiniones rigidiores, cum magno animarum diſpendio, & ſibi falſo perſuadent, ita agendo; a periculo errandi recedere. Iſti Confeſſarii non ſolum probabilioriſtæ, ſed etiam ex ignorantia tutiora prætendentes, illaqueant propriam conſcientiam ex nimio rigore, & ſæpe injuſte pœnitenti diſpoſito abſolutionem negant. E contra alii indocti, maxime ſi & ipſi vitam, non ut Eccleſiaſticum decet, agant, facile opiniones laxas, & tenuiter probabiles amplectuntur, atque ita cæci cæcos in foveam ducunt. Iterum ergo dico: Studeant, ſtudeant, Confeſſarii.

II. Secundo. Confeſſarius poſtquam diligenter Morali ſtuduit Theologiæ, me Authore, non anxius ſit circa illam tam agitatam quæſtionem, an licitum ſit ſequi minus probabile in conſpectu probabilioris. Probabiliora, ſequenda docui me meus Præceptor, & pariter ego pluribus ab hinc annis eamdem docui ſententiam. At experimento vidi nihil ad praxim deſervire; qui etenim vel ſtudendo, & præcipue dum audit Confeſſiones, poteſt omnia momenta utriuſque partis librare, & inde definiri, hoc eſt minus probabile, hoc eſt probabilius? Hoc eſſet onus intolerabile. Satis mihi fuit in praxi ſequi ſententtias, quas, rationabili fundamento innixas putavi, & ita credidi ſatisfeciſſe meæ conſcientiæ abſque eo quod Judicem me conſtituerem inter minus probabilem, & magis probabilem.

III. Tertio, Confeſſarius moneat ſuum Pœnitentem, ne in dubiis ſuæ Conſcientiæ ſemper acquieſcat dictis unius, cum damnatum ſit dictum unius Authoris reddere opinionem probabilem. Scio indoctum poſſe acquieſcere conſilio viri, quam habet certa fundamenta credendi doctum eſſe; nam vir doctus non amplectitur opiniones ſingulares carentes rationabili fundsmento. At Confeſſarius ſerio moneat Pœnitentem multoties ſequendo quamdam communem opinionem, qua aliquis pleno ore a multis dicitur doctus, vere indoctum adinvenire, quamvis iſte propriam ignorantiam abſcondere conetur. Ita aveniſſe, & aliquando evenire certum eſt, atque ita Doctor non exiguus quandoque habetur, qui ſi audiatur etiam a mediocriter docto, dignus ſui ſub Ludi Magiſtri ferula iterum conſtituatur, judicabitur.

IV. Si Pœnitens ſequatur ſententiam vere probabilem, etſi Confeſſario contraria arrideat, non debet iſte illum cogere propriam deſerere opinionem, & ſi non deſerat, ſine abſolutione dimittere. Dum ipſe pœnitentis vicem gerit, ægre ferret in ſuo Confeſſario tantum rigorem. Si ergo opinio pœnitentis eſt vere probabilis, cum tum pœnitens credat prudenter operari, ipſum, ſi aliud non deſit, rite diſpoſitum poterit judicare, & ita ipſi impertiri abſolutionem.

CAPUT III.

De Conſcientia Dubia.

Q. I. QUid ſit Conſcientia dubia, & quotuplex.

R. I. Conſcientia dubia eſt, quando intellectus manet ſuſpenſus inter utramque partem contradictionis, neutri adhærendo, ſive quia, penſatis utriuſque partis rationibus, judicat actu reflexo pro neutra adeſſe motiva ſufficientia ad aſſentiendum, ſive qui ſine ullo actu reflexo, conſideratis rationibus utriuſque partis, in neutram inclinat: *Sanch. in Summ. cap. 10. nu. 3. Palaus tract. 1. diſp. 3. p. 1. num. 1*

R. II. Conſcientia dubia alia eſt circa jus, alia circa factum. Tunc datur dubium juris, quando dubitatur an exiſtat aliqua lex; an aliqua actio ſit licita, nec ne. Dubium facti ſupponit adeſſe legem, ſeu certum eſſe aliquid licitum eſſe, vel illicitum, ſed dubitatur an accideiit factum licitum, vel illicitum, ut ſi quis dubitet an Clericum percuſſerit: an contraxerit matrimonium validum, an emiſerit votum &c. Secundo aliud eſt dubium ſpeculativum, aliud practicum. Dubium ſpeculativum non reſpicit praxim, ſeu actionem hic & nunc ponendam, adeoque abſtrahit ab illius circumſtantiis. Datur ergo dubium ſpeculativum, quando abſolute, & in abſtracto dubitatur e. g. an liceat aliquam rem poſſidere, an ſit obligatio audiendi Miſſam &c. Dubium vero practicum reſpicit praxim, actionem nempe hic, & nunc ponendam; adeoque etiam examinatis circumſtantiis particularibus actionis, conſcientia remanet ſuſpenſa, ut ſi quis, poſtquam conſideravit modum, quo acquiſivit aliquod prædium, & incommoda, quæ hic & nunc ſubire deberet in eo reſtituendo, adhuc remaneat ſuſpenſus, nec ſciat judicare prædium illud eſſe ſuum, vel non ſuum, ſeu poſſe juſte aut injuſte retineri. Tertio alii dividunt conſcientiam dubiam in eam, quæ eſt poſitive, & in eam, quæ eſt negative talis. Tunc dicunt conſcientiam poſitive dubiam, quando pro utraque parte ſunt rationes æquales ad judicandum aliquando eſſe licitum vel illicitum. Si vero non ſint rationes judicandi aliquid vel licitum, vel illicitum, dicunt negative dubiam. At meo videri, tunc non datur dubium, ſed ignorantia, ſeu neſcientia; atque ita ſi interroger, an ſtellæ pares ſint, vel impares, non reſpondeo, ſubito, ſed neſcio, quia nullam habeo rationem vel pares, vel impares credendi.

Q. II. An liceat operari cum conſcientia dubia.

R. Non eſt licitum operari cum conſcientia practica dubia. Ratio eſt, quia regula licitæ operationis eſt conſcientia hic, & nunc dictans aliquid eſſe honeſtum; at quouſque verſatur in dubio practico, anceps eſt, nec dictat determinate aliquod eſſe licitum: ergo operatio in tali dubio facta, utpote non ſecundum conſcientiam, non poteſt eſſe licita. Id ulterius confirmatur, quia operando quouſque conſcientia dubia eſt, nec ſe determinavit in judicando aliquid eſſe licitum, vel illicitum, exponitur quis periculo peccandi, qui autem ſe exponit periculo peccandi, convincitur amare peccatum, adeoque peccat: juxta illud *Eccleſ. 3. Qui amat periculum, peribit in illo*. Iſtud autem peccatum penſandum eſt pro qualitate dubii, & juxta ſpeciem, in qua quis dubitat, Qui ergo operatus eſt cum dubio practico de peccato veniali in materia furti, peccat venialiter in tali ſpecie, ſicut peccaret mortaliter ſi dubium fuiſſet de peccato gravi.

Dixi non eſſe licitum operari cum conſcientia practice dubia; nam cum conſcientia ſpeculative dubia licitum eſt operari, quoties ſuperveniat circumſtantia, quæ faciat determinare operationem eſſe licitam. Si dubitem e. g. an licite hic, & nunc poſſim aliquid facere, accedente præcepto Superioris, licite faciam, quia præſumitur honeſta imperare, & teneor illi obedire quoadusque non ſim certus eum injuſte imperare.

Q. III. Quomodo deponenda ſit conſcientia practice dubia.

R. Conſcientia practice dubia deponenda eſt, non pro libito operantis, nam tunc temere deponeretur, & ita non vitaretur periculum peccandi, ſed cum rationabili, & prudenti fundsmento. Qui igitur dubius eſt propter rationes utriuſque partis, ſi reflectat e. g. pro una, vel altera parte eſſe rationem gravem, adeoque dignam viro prudente, quamvis non certam, poterit ex tali judicio reflexo dubiam conſcientiam deponere, & ita operari. Aliud principium deponendi conſcientiam dubiam eſt illa regula: *melior eſt conditio poſſidentis*. Hanc regulam omnino attendi poſſe in materia juſtitiæ concordant omnes, cum poſſeſſio præſumere faciat poſſidentem jure poſſidere; & cum ulterius nemo ſpoliari debeat poſſeſſione alicujus rei propter jus incertum alterius. Dubitans proinde an aliqua res ſua ſit, quia, facta morali diligentia, non potuit de hoc certiorari, ſi reflectat ſe bona fide poſſidere, deponere poteſt dubium, ac eamdem rem poſſidere. At non ſine fundamento inſignes Theologi eamdem regulam ad omnes alias materias extendunt, itaut judicandum ſemper ſit pro ea parte, pro qua ſtat poſſeſſio: *Suar. t. de Relig. l. 4. c. 6. n. 7. & de Cenſ. diſp. 4. ſect. 5. n. 5. Sanch. de Matr. l. 2. diſp. 41. n. 32. In ſumm. l. 1. c. 10. nu. 11.* Ad id autem judicandum, animadvertendum, eſt, an obligatio ſit certa, vel incerta, ſeu dubia, Quando obligatio eſt certa, & incerta ipſius ſatisfactio, poſſeſſio ſtat pro obligatione, cui ſatisfactione incerta non poteſt dici ſatisfactum. Si obligatio vero ſit incerta, poſſeſſio ſtabit pro libertate, qua expoliandi non ſumus propter incertam obligationem.

Ex his regulis multa inferunt DD. Si e. g. tibi conſtet votum contraxiſſe, vel debitum, & ſis incertus, an utrique ſatisfeceris, debes ſatisfacere, quia obligatio certa eſt in poſſeſſione. Si certo conſtet de præcepto Superioris, & dubites an rem illicitam imperet, teneris pariter obedire, quia obligatio obediendi legitimo Superiori eſt certa, qua non eſt privandus, eo quod dubites an tenearis obedire. E contra ſi non conſtet de voto, de debito, de præcepto Superioris, poterit quis ſtare pro ſua libertate, nam

Digitized by Google

cum obligatio ſit incerta, non tenetur expoliari libertate, quam certo poſſidet. Neque hæc doctrina, ut dicunt Adverſarii, contraria eſt S. Canonibus. Dicunt ex *cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti, de homic.* dubitantem de homicidio gerere ſe debere ut irregularem, quod male deciſum, videtur, ſi in dubio ſtandum eſſet pro poſſeſſione libertatis. Sed contra eſt, quia hoc ſpecialiter ſancitum eſt de homicidio, & in dubio de eo voluerunt Sacri Canones tutiorem partem eſſe eligendam; ne ſi poſtea Sacerdos comprehenderetur vere commiſiſſe homicidium, cum ſcandalo populi Sacrum viſus eſſet celebrare: *Boſſ. part. 1. var. mor. n. 1186.* Addunt *cap. Juvenis de ſponſal.* Pontificem voluiſſe ſeparari quemdam juvenem propter impedimentum publicæ honeſtatis, a conſobrina puellæ, cum qua nondum ſeptenni celebraverat ſponſalia. Cum puella nondum eſſet ſeptennis, dubium erat de valore ſponſalium, & nihilominus deciditur non pro libertate juvenis, ſed pro exiſtentia impedimenti. Item *cap. illud de Cleric. excom.* deciditur dubitantem de ſua excommunicatione eſſe deponendum, ſi ante abſolutionem celebraverit, quia *in dubio tutior via eſt eligenda*; iterum proinde patet in dubio Sacros Canones non favere libertati, ſed legi, ſeu præcepto. Reſpondendum nihilominus eſt in caſu, de quo *cap. Juvenis*, Pontificem judicaſſe pro impedimento publicæ honeſtatis, quia ex circumſtantiis moraliter certum erat in puella malitiam ætatem ſuppleviſſe, quia etiam copula fuerat attentata. Neque refert, quod videatur ibi Pontifex loqui de illo caſu, quaſi fuiſſet dubius valor ſponſalium: nam ibi dicitur interveniſſe dubium in lata ſignificatione, quia ſcilicet, non aderat omnimoda certitudo; *Boſſ. n. 1211.* Pariter eodem modo aſſeritur interveniſſe dubium in caſu, de quo *cap. illud &c.* nam quamvis Epiſcopus non eſſet omnino certus ſe eſſe excommunicatum, adhuc tamen de excommunicatione erat moraliter certus ex fama, & aliis conjecturis; & in his autem dubiis tam late ſumptis utique *tutior via eligenda eſt*. Præterea punitus fuit tanquam temerarius, quia nullam fecit diligentiam pro aſſequenda veritate excommunicationis, quam diligentiam unuſquiſque in dubio facere tenetur.

Regula in praxi obſervanda.

I. Advertat Confeſſarius aliquando Pœnitentes ſe accuſare operatos eſſe cum dubio, quia cum non haberent rationes directas certas & evidentes, operati ſunt cum aliqua perplexitate, & anxietate. Si Confeſſarius ſtatim judicet hunc operatum eſſe in dubio, adeoque peccaſſe, facile errabit; nam ſi pœnitens timoratæ ſit conſcientiæ, adinveniet non operatum fuiſſe ſine aliqua prudenti ratione, quæ ſufficit, ut dicatur operationem non factam fuiſſe in dubio, quamvis non ſine aliqua perplexitate. Ne tamen forte ſuus Pœnitens ex conſcientia erronea peccet, inſtruat illum tunc non operari cum dubio, quando licet non certus ſit ex ratione evidenti directa, ex quo oriuntur illæ perplexitates; nihilominus reflectit habere rationem gravem, ex qua moveatur ad operandum, vel ſe operari innixum authoritate Viri vere docti, quem conſuluit.

II. Moneat ulterius Confeſſarius ſuum Pœnitentem, quod quamvis neceſſe ſit adhibere convenientem diligentiam pro deponenda conſcientia dubia, & eo majorem, quo negotium eſt gravius; nihilominus ſi urgeat neceſſitas operandi, adhibere ſufficit eam diligentiam, quam tempus, & locus permittunt. Hac adhibita, videat ſi poteſt ex aliquo rationabili motivo ſuum dubium deponere, & tunc ſine anxietate operetur; nam in illis circumſtantiis, quamvis erraret, ignorantia veritatis illi eſſet involuntaria.

CAPUT IV.

De Conſcientia ſcrupuloſa.

Q. I. Quid ſit conſcientia ſcrupuloſa? quæ ipſius ſigna, & cauſæ.

R. I. Scrupulus, ſeu Conſcientia ſcrupuloſa ita ſolet definiri. *Levis ſuſpicio, ſeu æſtimatio innixa levibus rationibus, qua quis putat eſſe peccatum, quod revera non eſt.* Dicitur ſcrupulus, quia moleſtat, & cruciat conſcientiam, ad inſtar exigui lapilli, qui in calceo poſitus pedem vexat.

R. II. Signa Conſcientiæ ſcrupuloſæ reduci poſſunt ad ſequentia: timere ubi alii viri etiam probi nihil timent: non credere Confeſſario, vel alteri viro docto aſſerenti aliquod non eſſe peccatum: in rebus etiam claris, & aliis, in quibus alias interrogavit, iterum iterumque interrogare ad majorem ſecuritatem: evidentiam ſemper quærere, & non fidere doctrinæ Theologorum; anxie precari, ſæpe ſubſiſtere ad repetendam intentionem, & ſæpe eaſdem preces repetere, maxime ſi cadunt ſub præcepto; ut ſunt horæ canonicæ, & pœnitentia ſacramentalis; circa confeſſionem peccatorum, hæſitanter, & dubie confiteri, eadem peccata ſæpe repetere, modo hunc numerum, modo alium, modo unam circumſtantiam, modo aliam explicando, & nunquam eſſe ſatisfactum. Ad hæc reduci poſſunt ſigna hominis ſcrupuloſi.

R. III. Prima cauſa eſt ipſa natura, ut ſi quis ſit nimis apprehenſivus, vel debilis judicii, unde neſciat diſcernere quid vere malum ſit; ſi ſit melancholicus, vel naturæ ſatis frigidæ, ac proinde nimis propendat ad timorem, eique imprudenter cedat, victus paſillanimitate, & animi dejectione: ſi ingenium habeat acutum, ita ut adinvenire valeat multas rationes dubitandi, quas tamen deinde neſciat ſolvere. Secunda cauſa eſt Dæmon, qui ad turbandam pacem conſcientiæ, vel ut lex Chriſti intolerabilis reputetur, curat conſcientias ſcrupulis agitare. Quos autem ita inquietat, conatur deinde reddere proprio judicio valde addictos, quod oritur ex occulta quadam ipſorum ſuperbia. Signum etiam eſt ſcrupulos a Dæmone oriri, quando quis in una materia eſt valde ſcrupuloſus, in aliis vero laxus. Tertia cauſa ſcrupulorum Deus eſt, qui immittit ſcrupulos, vel ad punienda peccata præterita, vel ad edomandam ſuperbiam; videt enim ſcrupuloſus quam miſer ſit; vel ut propria experientia diſcat poſtea compati afflictis hoc malo; vel ad majus meritum in iis tolerandis; vel ut ita anima ſegnitiem in Dei famulatu amoveat. Tales ſcrupuloſi conantur pro viribus obedire Confeſſario, & non ſolent eſſe laxi in iis materiis, in quibus ſcrupulis non agitantur.

Q. II. An liceat operari contra conſcientiam ſcrupuloſam.

R. Licite contra conſcientiam ſcrupuloſam operamur; & ratio eſt, quia cum conſcientia ſcrupuloſa ſit vana apprehenſio de malo, innixa frivolis, & inanibus conjecturis, poteſt omnino contemni, & contra eam prudenter quis operatur. Oportet tamen ſcrupuloſum, parti oppoſitæ adhærentem, cognoſcere illius honeſtatem, vel per aliquam rationem, vel propter authoritatem Confeſſarii, vel alterius viri docti; ſi etenim talem honeſtatem non cognoſceret, operaretur ſine judicio practico de honeſtate actionis, quod nunquam eſt licitum. Immo ſine tali judicio ipſius conſcientia tranſiret in erroneam, contra quam nunquam licet operari, niſi deponatur. Stante vero tali judicio bene ſe geret ſcrupuloſus, ſi operetur ſcrupulos contemnendo, omnemque anxietatem ex illis ortam.

Q. III. Quæ ſint remedia contra ſcrupulos.

R. Si ſcrupuli oriantur a debilitate naturæ, juvanda eſt etiam naturalibus remediis, quibus minuatur melancholia. Ad vitandam nimiam ſolitudinem, præſcribenda conveniens converſatio cum aliis, maxime cum viris probis, quorum vita poteſt eſſe regula vivendi. Curandum etiam, ut ſcrupuloſus labori, ſeu negotiis inſiſtat, ne ſappetat tempus ſcrupulis vacandi. Hæc duo ultima remedia conveniunt ſcrupulis cujuſque ſpeciei. Si ſcrupuli ſint Dæmoniaci, exercendus eſt ſcrupuloſus maxime in exercitio humilitatis, & obedientiæ, ſicut enim Dæmon talibus ſcrupulis contra has virtutes inſurgit, ita ipſarum exercitio viliſcit, & recedit. Uſque dum hæc non obtineat Confeſſarius, fruſtra in ipſius curatione laborabit; ſicut fruſtraneus eſt labor in curandis ſcrupulis, qui oriuntur ex defectu judicii. Quod ſi partim aliquis ſit ſcrupuloſus, & partim laxus, pro ea parte, qua laxus eſt, non nimis illi blandiendum eſt, ſed frequentia Confeſſionis adigendus ad relinquendam ſuam laxitatem. Si ſcrupuli demum ſint a Deo, faciliimam remedium in humilitate, & obedientia adinvenient, niſi ipſe Deus velit aliquem diutius hoc modo purgare.

Præter præfata remedia, communiter conſulunt DD. ne ſcrupuloſus credat peccaſſe, niſi id certo ſciat, vel etiam aliquando niſi jurare poſſit ſe peccaſſe. Quod aſſueſcat, juxta monita Confeſſarii, ſcrupulos contemnere, abſque eo quod velit de omni ſcrupulo, & dubio Doctores conſulere. Quod ſibi perſuadeat ſatisfeciſſe propriæ conſcientiæ, ſi acquieſcat dictis docti Confeſſarii, abſque eo quod alios conſulat. Quod conſideret præcepta poſitiva, præcipue humana, & affirmativa benignam, maxime pro ſcrupuloſis, pati interpretationem: v. g. præcepta de jejunando, de horis canonicis, de cenſuris &c. Oportet demum ſcrupuloſum ſentire de Domino in bonitate, neque ipſum credere tam durum legiſlatorem, ut velit ipſum pro omni re, de qua anxius eſt,

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Primo animadvertat Confeſſarius neceſſarium ſibi valde eſſe ſtudere; nam, experientia teſte, Confeſſarii indocti, vel nimis laxi ſunt, vel nimis inclinant in opiniones rigidiores, cum magno animarum diſpendio, & ſibi falſo perſuadent, ita agendo; a periculo errandi recedere. Iſti Confeſſarii non ſolum probabilioriſtæ, ſed etiam ex ignorantia tutiora prætendentes, illaqueant propriam conſcientiam ex nimio rigore, & ſæpe injuſte pœnitenti diſpoſito abſolutionem negant. E contra alii in docti, maxime ſi & ipſi vitam, non ut Eccleſiaſticum decet, agant, facile opiniones laxas, & tenuiter probabiles amplectuntur, atque ita cæci cæcos in ſoveam ducunt. Iterum ergo dico: Studeant, ſtudeant, Confeſſarii.

II. Secundo. Confeſſarius poſtquam diligenter Morali ſtudut Theologiæ, me Authore, non anxius ſit circa illam tam agitatam quæſtionem, an licitum ſit ſequi minus probabile in conſpectu probabilioris. Probabiliora, ſequenda docui me meus Præceptor, & pariter ego pluribus ab hinc annis eamdem docui ſententiam. At experimento vidi nihil ad praxim deſervire; qui etenim vel ſtudendo, & præcipue dum audit Confeſſiones, poteſt omnia momenta utriuſque partis librare, & inde definiri, hoc eſt minus probabile, hoc eſt probabilius? Hoc eſſet onus intolerabile. Satis mihi fuit in praxi ſequi ſententias, quas, rationabili fundamento innixas putavi, & ita credidi ſatisfeciſſe meæ conſcientiæ abſque eo quod Judicem me conſtituerem inter minus probabilem, & magis probabilem.

III. Tertio, Confeſſarius moneat ſuum Pœnitentem, ne in dubiis ſuæ Conſcientiæ ſemper acquieſcat dictis unius, cum damnatum ſit dictum unius Authoris reddere opinionem probabilem. Scio indoctum poſſe acquieſcere conſilio viri, quam habet certa fundamenta credendi doctum eſſe; nam vir doctus non amplectitur opiniones ſingulares carentes rationabili fundamento. At Confeſſarius ſerio moneat Pœnitentem multoties ſequendo quamdam communem opinionem, qua aliquis pleno ore a multis dicitur doctus, vere indoctum adinvenire, quamvis iſte propriam ignorantiam abſcondere conetur. Ita eveniſſe, & aliquando evenire certum eſt, atque ita Doctor non exiguus quandoque habetur, qui ſi audiatur etiam a mediocriter docto, dignus ſui ſub Ludi Magiſtri ferula iterum conſtituatur, judicabitur.

IV. Si Pœnitens ſequatur ſententiam vere probabilem, etſi Confeſſario contraria arrideat, non debet iſte illum cogere propriam deſerere opinionem, & ſi non deſerat, ſine abſolutione dimittere. Dum ipſe pœnitentia vicem gerit, ægre ferret in ſuo Confeſſario tantum rigorem. Si ergo opinio pœnitentis eſt vere probabilis, cum tum pœnitens credat prudenter operari, ipſum, ſi aliud non deſit, rite diſpoſitum poterit judicare, & ita ipſi impertiri abſolutionem.

CAPUT III.

De Conſcientia Dubia.

Q. I. QUid ſit Conſcientia dubia, & quotuplex.

R. I. Conſcientia dubia eſt, quando intellectus manet ſuſpenſus inter utramque partem contradictionis, neutri adhærendo, ſive quia, penſatis utriuſque partis rationibus, judicat actu reflexo pro neutra adeſſe motiva ſufficientia ad aſſentiendum, ſive qui ſine ullo actu reflexo, conſideratis rationibus utriuſque partis, in neutram inclinat: *Sanch. in Summ. cap. 10. nu. 3. Palaus tract. 1. diſp. 3. p. 1. num. 1*

R. II. Conſcientia dubia alia eſt circa jus, alia circa factum. Tunc datur dubium juris, quando dubitatur an exiſtat aliqua lex; an aliqua actio ſit licita, nec ne. Dubium facti ſupponit adeſſe legem, ſeu certum eſſe aliquid licitum eſſe, vel illicitum, ſed dubitatur an acciderit factum licitum, vel illicitum, ut ſi quis dubitet an Clericum percuſſerit: an contraxerit matrimonium validum, an emiſerit votum &c. Secundo aliud eſt dubium ſpeculativum, aliud practicum. Dubium ſpeculativum non reſpicit praxim, ſeu actionem hic & nunc ponendam, adeo que abſtrahit ab illius circumſtantiis. Datur ergo dubium ſpeculativum, quando abſolute, & in abſtracto dubitatur e. g. an liceat aliquam rem poſſidere, an ſit obligatio audiendi Miſſam &c. Dubium vero practicum reſpicit praxim, actionem nempe hic, & nunc ponendam; adeoque etiam examinatis circumſtantiis particularibus actionis, conſcientia remanet ſuſpenſa, ut ſi quis, poſtquam conſideravit modum, quo acquiſivit aliquod prædium, & incommoda, quæ hic & nunc ſubire deberet in eo reſtituendo, adhuc remaneat ſuſpenſus, nec ſciat judicare prædium illud eſſe ſuum, vel non ſuum, ſeu poſſe juſte aut injuſte retineri. Tertio alii dividunt conſcientiam dubiam in eam, quæ eſt poſitive, & in eam, quæ eſt negative talis. Tunc dicunt conſcientiam poſitive dubiam, quando pro utraque parte ſunt rationes æquales ad judicandum aliquando eſſe licitum vel illicitum. Si vero non ſint rationes judicandi aliquid vel licitum, vel illicitum, dicunt negative dubiam. At meo videri, tunc non datur dubium, ſed ignorantia, ſeu neſcientia; atque ita ſi interroger, an ſtellæ pares ſint, vel impares, non reſpondeo, ſubito, ſed neſcio, quia nullam habeo rationem vel pares, vel impares credendi.

Q. II. An liceat operari cum conſcientia dubia.

R. Non eſt licitum operari cum conſcientia practice dubia. Ratio eſt, quia regula licitæ operationis eſt conſcientia hic, & nunc dictans aliquid eſſe honeſtum; at quouſque verſatur in dubio practico, anceps eſt, nec dictat determinate aliquod eſſe licitum: ergo operatio in tali dubio facta, utpote non ſecundum conſcientiam, non poteſt eſſe licita. Id ulterius confirmatur, quia operando quouſque conſcientia dubia eſt, nec ſe determinavit in judicando aliquid eſſe licitum, vel illicitum, exponitur quis periculo peccandi, qui autem ſe exponit periculo peccandi, convincitur amare peccatum, adeoque peccat: juxta illud *Eccleſ. 3. Qui amat periculum, peribit in illo*. Iſtud autem peccatum penſandum eſt pro qualitate dubii, & juxta ſpeciem, in qua quis dubitat, Qui ergo operatus eſt cum dubio practico de peccato veniali in materia furti, peccat venialiter in tali ſpecie, ſicut peccaret mortaliter ſi dubium fuiſſet de peccato gravi.

Dixi non eſſe licitum operari cum conſcientia practice dubia; nam cum conſcientia ſpeculative dubia licitum eſt operari, quoties ſuperveniat circumſtantia, quæ faciat determinare operationem eſſe licitam. Si dubitem e. g. an licite hic, & nunc poſſim aliquid facere, accedente præcepto Superioris, licite faciam, quia præſumitur honeſta imperare, & teneor illi obedire quoadusque non ſim certus eum injuſte imperare.

Q. III. Quomodo deponenda ſit conſcientia practice dubia.

R. Conſcientia practice dubia deponenda eſt, non prolibito operantis, nam tunc temere deponeretur, & ita non vitaretur periculum peccandi, ſed cum rationabili, & prudenti fundamento. Qui igitur dubius eſt propter rationes utriuſque partis, ſi reflectat e. g. pro una, vel altera parte eſſe rationem gravem, adeoque dignam viro prudente, quamvis non certam, poterit ex tali judicio reflexo dubiam conſcientiam deponere, & ita operari. Aliud principium deponendi conſcientiam dubiam eſt illa regula: *melior eſt conditio poſſidentis*. Hanc regulam omnino attendi poſſe in materia juſtitiæ concurdant omnes, cum poſſeſſio præſumere faciat poſſidentem jure poſſidere; & cum ulterius nemo ſpoliari debeat poſſeſſione alicujus rei propter jus incertum alterius. Dubitans proinde an aliqua res ſua ſit, quia, facta morali diligentia, non potuit de hoc certiorari, ſi reflectat ſe bona fide poſſidere, deponere poteſt dubium, ac eamdem rem poſſidere. At non ſine fundamento inſignes Theologi eamdem regulam ad omnes alias materias extendunt, ita ut judicandum ſemper ſit pro ea parte, pro qua ſtat poſſeſſio: *Suar. t. de Relig. l. 4. c. 6. n. 7. & de Cenſ. diſp. 4. ſect. 5. n. 5. Sanch. de Matr. l. 2. diſp. 41. n. 32. In ſumm. l. 1. c. 10. nu. 11.* Ad id autem judicandum, animadvertendum, eſt, an obligatio ſit certa, vel incerta, ſeu dubia, Quando obligatio eſt certa, & incerta ipſius ſatisfactio, poſſeſſio ſtat pro obligatione, cui ſatisfactione incerta non poteſt dici ſatisfactum. Si obligatio vero ſit incerta, poſſeſſio ſtabit pro libertate, qua expoliandi non ſumus propter incertam obligationem.

Ex his regulis multa inferunt DD. Si e. g. tibi conſtet votum contraxiſſe, vel debitum, & ſis incertus, an utrique ſatisfeceris, debes ſatisfacere, quia obligatio certa eſt in poſſeſſione. Si certo conſtet de præcepto Superioris, & dubites an rem illicitam imperet, teneris pariter obedire, quia obligatio obediendi legitimo Superiori eſt certa, qua non eſt privandus, eo quod dubites an tenearis obedire. E contra ſi non conſtet de voto, de debito, de præcepto Superioris, poterit qui ſtare pro ſua libertate, nam

cum

Digitized by Google

eum obligatio ſit incerta, non tenetur expoliari libertate, quam certo poſſidet. Neque hæc doctrina, ut dicunt Adverſarii, contraria eſt S. Canonibus. Dicunt ex *cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti, de homic.* dubitantem de homicidio gerere ſe debere ut irregularem, quod male deciſum, videtur, ſi in dubio ſtandum eſſet pro poſſeſſione libertatis. Sed contra eſt, quia hoc ſpecialiter ſancitum eſt de homicidio, & in dubio de eo voluerunt Sacri Canones tutiorem partem eſſe eligendam; ne ſi poſtea Sacerdos comprehenderetur vere commiſiſſe homicidium, cum ſcandalo populi Sacrum viſus eſſet celebrare: *Boſſ. part. 1. var. mor. n. 1186.* Addunt *cap. Juvenis de ſponſal.* Pontificem voluiſſe ſeparari quemdam juvenem propter impedimentum publicæ honeſtatis, a conſobrina puellæ, cum qua nondum ſeptenni celebraverat ſponſalia. Cum puella nondum eſſet ſeptennis, dubium erat de valore ſponſalium, & nihilominus deciditur non pro libertate juvenis, ſed pro exiſtentia impedimenti. Item *cap. illud de Cleric. excom.* deciditur dubitantem de ſua excommunicatione eſſe deponendum, ſi ante abſolutionem celebraverit, quia *in dubio tutior via eſt eligenda*; iterum proinde patet in dubio Sacros Canones non favere libertati, ſed legi, ſeu præcepto. Reſpondendum nihilominus eſt in caſu, de quo *cap. Juvenis*, Pontificem judicaſſe pro impedimento publicæ honeſtatis, quia ex circumſtantiis moraliter certum erat in puella malitiam ætatem ſuppleviſſe, quia etiam copula fuerat attentata. Neque refert, quod videatur ibi Pontifex loqui de illo caſu, quaſi fuiſſet dubius valor ſponſalium: nam ibi dicitur interveniſſe dubium in lata ſignificatione, quia ſcilicet, non aderat omnimoda certitudo; *Boſſ. n. 1211.* Pariter eodem modo aſſeritur interveniſſe dubium in caſu, de quo *cap. illud &c.* nam quamvis Epiſcopus non eſſet omnino certus ſe eſſe excommunicatum, adhuc tamen de excommunicatione erat moraliter certus ex fama, & aliis conjecturis; & in his autem dubiis tam late ſumptis utique *tutior via eligenda eſt*. Præterea punitus fuit tanquam temerarius, quia nullam fecit diligentiam pro aſſequanda veritate excommunicationis, quam diligentiam unuſquiſque in dubio facere tenetur.

Regula in praxi obſervanda.

I. Advertat Confeſſarius aliquando Pœnitentes ſe accuſare operatos eſſe cum dubio, quia cum non haberent rationes directas certas & evidentes, operati ſunt cum aliqua perplexitate, & anxietate. Si Confeſſarius ſtatim judicet hunc operatum eſſe in dubio, adeoque peccaſſe, facile errabit; nam ſi pœnitens timoratæ ſit conſcientiæ, adinveniet non operatum fuiſſe ſine aliqua prudenti ratione, quæ ſufficit, ut dicatur operationem non factam fuiſſe in dubio, quamvis non ſine aliqua perplexitate. Ne tamen forte ſuus Pœnitens ex conſcientia erronea peccet, inſtruat illum tunc non operari cum dubio, quando licet non certus ſit ex ratione evidenti directa, ex quo oriuntur illæ perplexitates; nihilominus reflectit habere rationem gravem, ex qua moveatur ad operandum, vel ſe operari innixum authoritate Viri vere docti, quem conſuluit.

II. Moneat ulterius Confeſſarius ſuum Pœnitentem, quod quamvis neceſſe ſit adhibere convenientem diligentiam pro deponenda conſcientia dubia, & eo majorem, quo negotium eſt gravius; nihilominus ſi urgeat neceſſitas operandi, adhibere ſufficit eam diligentiam, quam tempus, & locus permittunt. Hac adhibita, videat ſi poteſt ex aliquo rationabili motivo ſuum dubium deponere, & tunc ſine anxietate operetur; nam in illis circumſtantiis, quamvis erraret, ignorantia veritatis illi eſſet involuntaria.

CAPUT IV.

De Conſcientia ſcrupuloſa.

Q. I. QUid ſit conſcientia ſcrupuloſa: quæ ipſius ſigna, & cauſæ.

R. I. Scrupulus, ſeu Conſcientia ſcrupuloſa ita ſolet definiri. *Levis ſuſpicio, ſeu æſtimatio innixa levibus rationibus, qua quis putat eſſe peccatum, quod revera non eſt.* Dicitur ſcrupulus, quia moleſtat, & cruciat conſcientiam, ad inſtar exigui lapilli, qui in calceo poſitus pedem vexat.

R. II. Signa Conſcientiæ ſcrupuloſæ reduci poſſunt ad ſequentia: timere ubi alii viri etiam probi nihil timent; non credere Confeſſario, vel alteri viro docto afferenti aliquod non eſſe peccatum: in rebus etiam claris, vel in iis, in quibus alias interrogavit, iterum iterumque interrogare ad majorem ſecuritatem: evidentiam ſemper quærere, & non fidere doctrinæ Theologorum; anxie precari, ſæpe ſubſiſtere ad repetendam intentionem, & ſæpe eaſdem preces repetere, maxime ſi cadunt ſub præcepto; ut ſunt horæ canonicæ, & pœnitentia ſacramentalis; circa confeſſionem peccatorum, hæſitanter, & dubie confiteri, eadem peccata ſæpe repetere, modo hunc numerum, modo alium, modo unam circumſtantiam, modo aliam explicando, & nunquam eſſe ſatisfactum. Ad hæc reduci poſſunt ſigna hominis ſcrupuloſi.

R. III. Prima cauſa eſt ipſa natura, ut ſi quis ſit nimis apprehenſivus, vel debilis judicii, unde neſciat diſcernere quid vere malum ſit; ſi ſit melancholicus, vel naturæ ſatis frigidæ, ac proinde nimis propendeat ad timorem, eique imprudenter cedat, victus puſillanimitate, & animi dejectione: ſi ingenium habeat acutum, ita ut adinvenire valeat multas rationes dubitandi, quas tamen deinde neſciat ſolvere. Secunda cauſa eſt Dæmon, qui ad turbandam pacem conſcientiæ, vel ut lex Chriſti intolerabilis reputetur, curat conſcientias ſcrupulis agitare. Quos autem ita inquietat, conatur deinde reddere proprio judicio valde addictos, quod oritur ex occulta quadam ipſorum ſuperbia. Signum etiam eſt ſcrupulos a Dæmone oriri, quando quis in una materia eſt valde ſcrupuloſus, in aliis vero laxus. Tertia cauſa ſcrupulorum Deus eſt, qui immittit ſcrupulos, vel ad punienda peccata præterita, vel ad edomandam ſuperbiam; videt enim ſcrupuloſus quam miſer ſit; vel ut propria experientia diſcat poſtea compati afflictis hoc malo; vel ad majus meritum in iis tolerandis; vel ut ita anima ſegnitiem in Dei famulatu amoveat. Tales ſcrupuloſi conantur pro viribus obedire Confeſſario, & non ſolent eſſe laxi in iis materiis, in quibus ſcrupulis non agitantur.

Q. II. An liceat operari contra conſcientiam ſcrupuloſam.

R. Licite contra conſcientiam ſcrupuloſam operamur; & ratio eſt, quia cum conſcientia ſcrupuloſa ſit vana apprehenſio de malo, innixa frivolis, & inanibus conjecturis, poteſt omnino contemni, & contra eam prudenter quis operatur. Oportet tamen ſcrupuloſum, parti oppoſitæ adhærentem, cognoſcere illius honeſtatem, vel per aliquam rationem, vel propter authoritatem Confeſſarii, vel alterius viri docti; ſi etenim talem honeſtatem non cognoſceret, operaretur ſine judicio practico de honeſtate actionis, quod nunquam eſt licitum. Immo ſine tali judicio ipſius conſcientia tranſiret in erroneam, contra quam nunquam licet operari, niſi deponatur. Stante vero tali judicio bene ſe geret ſcrupuloſus, ſi operetur ſcrupulos contemnendo, omnemque anxietatem ex illis ortam.

Q. III. Quæ ſint remedia contra ſcrupulos.

R. Si ſcrupuli oriantur a debilitate naturæ, juvanda eſt etiam naturalibus remediis, quibus minuatur melancholia. Ad vitandam nimiam ſolitudinem, præſcribenda conveniens converſatio cum aliis, maxime cum viris probis, quorum vita poteſt eſſe regula vivendi. Curandum etiam, ut ſcrupuloſus labori, ſeu negotiis inſiſtat, ne ſuppetat tempus ſcrupulis vacandi. Hæc duo ultima remedia conveniunt ſcrupulis cujuſque ſpeciei. Si ſcrupuli ſint Dæmoniaci, exercendus eſt ſcrupuloſus maxime in exercitio humilitatis, & obedientiæ, ſicut enim Dæmon talibus ſcrupulis contra has virtutes inſurgit, ita ipſarum exercitio viteſcit, & recedit. Uſque dum hæc non obtineat Confeſſarius, fruſtra in ipſius curatione laborabit; ſicut fruſtraneus eſt labor in curandis ſcrupulis, qui oriuntur ex defectu judicii. Quod ſi partim aliquis ſit ſcrupuloſus, & partim laxus, pro ea parte, qua laxus eſt, non nimis illi blandiendum eſt, ſed frequentia Confeſſionis adigendus ad relinquendam ſuam laxitatem. Si ſcrupuli demum ſint a Deo, facillimum remedium in humilitate, & obedientia adinvenient, niſi ipſe Deus velit aliquem diutius hoc modo purgare.

Præter præfata remedia, communiter conſulunt DD. ne ſcrupuloſus credat peccaſſe, niſi id certo ſciat, vel etiam aliquando niſi jurare poſſit ſe peccaſſe. Quod aſſueſcat, juxta monita Confeſſarii, ſcrupulos contemnere, abſque eo quod velit de omni ſcrupulo, & dubio Doctores conſulere. Quod ſibi perſuadeat ſatisfeciſſe propriæ conſcientiæ, ſi acquieſcat dictis docti Confeſſarii, abſque eo quod alios conſulat. Quod conſideret præcepta poſitiva, præcipue humana, & affirmativa benignam, maxime pro ſcrupuloſis, pati interpretationem: v. g. præcepta de jejunando, de horis canonicis, de cenſuris &c. Oportet demum ſcrupuloſum ſentire de Domino in bonitate, neque ipſum credere tam durum legislatorem, ut velit ipſum pro omni re, de qua anxius eſt,

damnare: neque pariter ipſum Deum, vel Eccleſiam ſuis præceptis voluiſſe redigere hominem ad ſtultitiam, quod facile contingit ſcrupuloſo, ſi nimis ſuis ſcrupulis indulgat: *S. Antoni. p.p. tit.3. cap.10. §.10.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Bene animadvertat confeſſarius ſcrupuloſi probe ſcire, quæ ipſum docet; nam ſi fortuito adinveniat ipſum aliqua in re erraſſe, deſperata erit cura ſcrupuloſi, cum præcipuum ipſius remedium ſit Confeſſario cæco modo credere.

II. Dum illi aliqua imponit, nullam reddat rationem proprii dicti, ſeu facti, nam ſolent ſcrupuloſi rationes illis allatas examinare, & varias difficultates circa eas adinvenire. Cogat ergo illos ad obedientiam cæco modo exequendam, ipſiuſque authoritati fidere.

III. Dum non temere Confeſſarius putat ſe ſufficienter ſcire, non facile permittat ſcrupuloſu varios conſulere; nam ſi aliquam in opinionibus diverſitatem adinveniat, ſtatim ſe deceptum credet, & ex ea diverſitate in maxima ponetur perplexitate, unde valde difficilior ipſius cura reddetur. Hinc omnes dicunt ſatis eſſe, ſi Srupuloſus unum virum doctum conſulat.

IV. Non permittat illis confeſſiones generales ſine neceſſitate. Si vero talis confeſſio ſit neceſſaria, ut evenit iis, qui poſt vitam multis maculis inquinatam, variis ſcrupulis agitantur, & volunt omni meliori modo propriæ ſatisfacere conſcientiæ, tunc cum eis patienter agat, ipſoſque adjuvet, ut diligentem faciant confeſſionem; animadvertendo etiam ut antea ſufficienter diſponantur, ne poſtea angantur circa dolorem, & propoſitum. Ea peracta, adhuc quater, vel ſexies, prout prudentia dictaverit, audiat circa præterita, quæ ſcrupuloſus putat ſe oblitum fuiſſe. Poſtquam vero Confeſſarius prudenter judicat ſufficienter propriam conſcientiam exoneraſſe, imponat illi ſilentium; tum quia non meminiſſe de aliquibus ſe accuſaſſe, non eſt ſufficiens ratio credendi vere ea non aperuiſſe in confeſſione, maxime ſi ſint ex gravioribus; tum quia non deſunt Authores, qui doceant periculum ſemper hærendi in continua anxietate quoad præterita, eſſe cauſam ſufficientem excuſandi Scrupuloſum a materiali integritate.

V. Non putet Confeſſarius conſenſum præſtaſſe peccato illum, qui de eodem anxius eſt, ſi ſerium habuerit animum potius moriendi, quam peccandi, ſi de conſenſu dubitantem adinveniat poſt factum, nam plenus conſenſus in peccatum grave, non poteſt tam facile non animadverti, dum actu committitur: ſi dum clare animadvertit gravem malitiam, terreatur, eamque repellat; nam non tam facile ſtatim ad Deum rediret, dum ab ipſo plena ſaltem advertentia fuiſſet averſus: ſi recordetur malitiam ab ipſo cognitam fuiſſe poſt factum: ſi trepide proceſſerit, nam hoc eſt imperfecti conſenſus ſignum: ſi neſciat an fuerit in ſomno, vel vigilia, nam dum quis advertenter, & plene conſentit, ſcire ſolet in quo ſtatu præbuerit conſenſum: ſi demum habuit occaſionem peccandi, & tamen abſtinuit, nam ſignum eſt abhorruiſſe a peccato. Hæc ſunt ſigna, quæ congerunt Theologi ad dignoſcendum defectum conſenſus, maxime in viro timoratæ conſcientiæ.

VI. Videat etiam Confeſſarius, an expediat dicere ſcrupuloſo ipſum in conſcientia teneri ad ſcrupulos contemnendos, cum unuſquiſque teneatur a ſe abjicere, quod graviter officit corpori, & animæ, ut re vera faciunt ſcrupuli. Caute tamen hæc, alias vera, doctrina eſt illi ſuggerenda, ne in novas prolabatur anxietates; & eo maxime quia, cum ſcrupulorum impetus ſoleat rationem obnubilare, & libertatem adimere, raro peccabit ſcrupuloſus in ſcrupulis non abigendis.

VII. Demum Confeſſarius lumen a Luminum Patre aſſidue expoſcat, ne dum animam pœnitentis a ſcrupulis liberare conatur, iſte paulatim laxitatibus aſſueſcat, & in extremum oppoſitum declinet, manifeſta præcepta transgrediendo ſub prætextu ſcrupulos contemnendi.

QUÆSTIO II.

De Voluntario, & Involuntario.

CUm noſtræ operationes bonæ, vel malæ ſint quatenus in eis conſentit, vel ab eis diſſentit noſtra voluntas, haud poteſt natura actus humani cognoſci, niſi videamus quando, & quomodo tales actus ſit nobis voluntarii.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit Voluntarium, & quando effectus pravus cenſeatur nobis voluntarius, ſeu imputabilis.

Q.I. QUid ſit Voluntarium, & quotuplex.

Voluntarium bene definitur illud eſſe, *quod eſt a principio intrinſeco ſingula cognoſcente*. Ut ergo actio nobis dicatur voluntaria, primo oportet a principio intrinſecu derivare, nempe a voluntate, ad contradiſtinctionem actionis violentæ, quæ a principio extrinſeco procedit ut ſi, me nolente, & reluctante, quis vi meam manum moveat ad aliquem percutiendum. Præterea actioni debet præcedere cognitio ſingulorum ſpectantium ad eamdem actionem. Quamvis proinde nutritio procedat a principio intrinſeco, nihilominus non dicitur voluntaria, quia non regulatur a cognitione. Hæc denique cognitio, neceſſaria ad actionem voluntariam, debet eſſe intellectualis; & ita quamvis bruta ex quadam cognitione agant, non dicuntur voluntarie agere; ſed potius ſpontanee.

R. II. Multiplex eſt diviſio voluntarii. Primo dividitur in voluntarium in ſe, & in voluntarium in ſua cauſa. Voluntarium in ſe eſt illud, in quod immediate fertur ipſa voluntas, & per ſe intenditur. Ita mihi in ſe voluntarium eſt ſtudium moralis Theologiæ. Voluntarium in cauſa eſt illud, in quod non fertur immediate ipſa voluntas, ſed primo eſt intra cauſa illius. Ita dicitur volita in cauſa ebrietas, quia eſt volitus nimius potus, ex quo derivatur, quamvis quis directe non bibat ad ſe inebriandum. Secundo dividitur in voluntarium *directum, & indirectum*. Alii dicunt voluntarium directum eſſe omne illud, quod voluntas primo intendit, atque ita, ſi primo, & ſimul intendat nimium potum & ebrietatem, utrumque dicunt eſſe directe voluntarium. Quod vero primario non intenditur, dicunt eſſe indirecte voluntarium, ut in exemplo ſupra allato de eo, qui intendit quidem nimium potum, ſed non bibit ad ſe inebriandum, ebrietas prævíſa diceretur indirecte volita. Alii vero diverſimode hæc explicant. Pro voluntario directo intelligunt quod per ſe, & poſitive procedit a voluntate agente, uti ſunt omnes ipſius actus eliciti, & imperati. Pro voluntario indirecto intelligunt effectum ſequutum ex ommiſſione actus ipſius voluntatis, ita dicitur voluntaria gubernatori ſubmerſio navis, ſi periit, quia deſtitit a gubernaculo. Tertio dividitur in voluntarium explicitum, & implicitum. Explicitum datur, quando formali actu voluntatis expreſſe aliquid volumus. Implicitum, ſeu interpretativum eſt quando vel adeſſe cenſetur voluntas alicujus, & ita qui tacet in favorabilibus, cenſetur actu conſentire, juxta regulam 47. juris in 6. vel judicatur aliquid eſſe juxta mentem Superioris, ſeu Legislatoris, ut quando per epichejam interpretamur, quod ſi aliquas circumſtantias prævidiſſet, legem diſpenſaret, ſeu mutaret voluntatem. Iſtud voluntarium interpretativum aliqui confundunt cum voluntario indirecto, & in cauſa. Quarto dividitur in voluntarium liberum, & neceſſarium. Primum illud eſt, quod ita proſequitur voluntas, præſuppoſita ſufficienti cognitione, quod poſſet non proſequi, ſeu poſſet velle, & nolle, & de hoc voluntario agitur in præſenti. Voluntarium neceſſarium tunc datur, quando voluntas non poteſt non elicere talem actum, qualis eſt amor beatificus, ſuppoſita etenim viſione intuitiva Dei, voluntas non poteſt non amare illud ſummum bonum. Demum voluntarium dividi poteſt in actuale, virtuale, & habituale. Datur voluntarium actuale, dum quis actu vult. Virtuale tunc datur, quando licet actus voluntatis phyſice tranſierit, virtualiter perſeverat in aliquo opere, vel effectu. Sic poſtquam actu deliberavi aliquid emere in platea, & ideo verſus illam progredior, quamvis non amplius cogitem de illa re emenda, dicor adhuc virtualiter id velle, quia prima voluntas dicitur virtute perſeverare in ea progreſſione ad talem effectum ſuſcepta. Iſtud voluntarium virtuale perſeverare poteſt, eſto fuerit interruptum. Ita intelligitur virtualiter velle ire Romam, quia ea intentione iter aggreſſus eſt, quamvis illam per ſomnum interruperit, nec curaverit repetere, dum poſt ſomnum iterum iter ſuſcepit. Voluntarium habituale nec perſeverat in ſe, nec in aliquo effectu, ſed dicitur habitualiter perſeverare, quia nunquam fuit retractatus actus voluntatis, quo aliquid volui.

Q. II. Quando ſit imputabilis effectus malus ex aliqua cauſa proveniens.

R. Pri-

Google

R. Primo neceſſe eſt, quod prævideatur ex eadem cauſa ſequuturis, nam quod non prævidetur, non poteſt eſſe voluntarium, adeoque nec imputabile. Ita qui ſummo mane diei feſti ſe inebriavit, non prævidens ex eo ſequuturam Miſſæ omiſſionem, non peccat in eadem omiſſione. Secundo advertendum eſt, an apponatur ſine neceſſitate, vel utilitate cauſa inducens talem effectum, vel potius cauſa honeſta illum de ſua natura non inducens. Si apponatur cauſa de ſua natura inducens talem effectum, in caſu quo non reddatur ex aliqua circumſtantia licita, vel intendatur, vel non intendatur talis effectus, ſemper eſt imputabilis. Et quidem, ſi intendatur, nullum dubium eſt. Si vero non intendatur eſt imputabilis, dum ſaltem illius periculo proximo præviſo, adhuc quis vellet ipſius caſum; nam tunc daretur proteſtatio contra factum. Quis enim crederet proteſtanti ſe nolle inhoneſtam complacentiam, ſeu etiam pollutionem, dum interim vellet actus impudicos exercere, ſeu videre pudenda alterius ſexus? Si vero talis cauſa reddatur ex aliqua circumſtantia neceſſitatis, vel utilitatis licita, effectus malus etſi præviſus, non eſt imputabilis, ſi non fuit intentus. Sic non imputatur Chirurgo pollutio, quam prævidit ſibi ſequuturam ex tactu neceſſario mulieris in partibus verendis, dummodo eam non intenderit: nec ſtudenti ob propriam, & aliorum utilitatem materias ſexti præcepti, ſi & ipſe talem effectum non intenderit, dummodo tamen, dum acto ſequitur, non habeat complacentiam in his fœditatibus: *Sanch. l. 9. de Matr. d. 45. n. 4. & communiter*. Ratio autem eſt quia, dum quis ex cauſa utili, vel neceſſaria licite proſequitur jus ſuum, non dicitur cauſa effectus non intenti, & per accidens ſequuti, cum potius tunc verificetur pati talem effectum, quam agere. Multo magis id verum eſt, ſi effectus pravus ſequatur ex cauſa alias honeſta, & licita, ut ſi pollutio oriatur ex equitatione, vel ex cibo, & potu moderato. Non eſt ergo neceſſe deſiſtere ab his cauſis, quia tunc pravus effectus non eſt imputabilis, ſi quis illum non intendat, vel actu ſibi in eo non complaceat, dum accidit. Sed videnda omnino ſunt quæ dicam in explicatione Sexti Decalogi præcepti. *c. 7. qu. ult.*

Q. III. Quando ſit imputabilis effectus pravus, qui ſequitur ex omiſſione.

R. Non eſt hic ſermo de eo, quod eſt tantum voluntarium objective, ſeu mere volitum, ſed de eo quod eſt voluntarium cauſaliter, & effective, adeoque imputabile voluntati omittendi aliquid facere, quæ omiſſio reputetur cauſa talis effectus pravi. Ita mihi poteſt eſſe volita ægritudo Petri, ſed non imputabilis, ſi nullo modo fui cauſa illius. Dico ergo effectum ſequutum ex omiſſione eſſe imputabilem ſolum, dum quis poſſit, & teneatur impedire, & non impediat: *S. Th. 1. 2. q. 6. a. 3.* Debet primo poſſe impedire, nam ſi non poteſt, non peccat, cum nemo ad impoſſibile teneatur. Si vero potuit, debuit habere obligationem impediendi, & ita non imputantur Deo peccata hominum, quia licet poſſit, non tenetur impedire. Ita ſubmerſio navis imputatur Navarco, qui abfuit ab ipſius directione, quia ad eam tenebatur, non aliis exiſtentibus in navi, ſi aberant a directione gubernaculi, quia non tenebantur. Ratio autem a priori eſt, quia dum effectus ſequitur ex omiſſione alicujus actionis, non eſt imputabilis non operanti quaſi illum phyſice, & poſitive cauſaverit, cum nihil egerit, ſolum ergo eſt imputabilis ſecundum hominum æſtimationem. Homines vero non judicant aliquem reum effectus pravi ſequuti ex omiſſione operationis, ſi non tenebatur illam non omittere, & ita, ut dixi, exiſtentes in Navi non dicuntur culpabiles ſi aberant ab ipſius gubernio, dum fecit naufragium: quia ad id Navarcus, non ipſi tenebantur: Suppoſito vero quod quis poſſet, & teneretur impedire, & non impedivit pravum effectum, peccat contra eam virtutem, ex qua oriebatur obligatio impediendi. Ita Navarcus peccat contra juſtitiam, non impediendo, dum poſſet, naufragium navis, quia ad id ex ſuo officio tenebatur: alii, ſi aderant gubernaculo, & omiſerunt gubernationem, peccant contra Charitatem, quia ſolum ex motivo talis virtutis impedire tenebantur.

Q. IV. Quo tempore imputetur effectus volitus in cauſa, vel culpabiliter proveniens ex aliqua omiſſione.

R. Talis effectus imputatur tunc, quando apponitur cauſa illius, non vero quando ſequitur, ſi tunc adſit impotentia illum impediendi. Ratio eſt, quia, ſive effectus ſequatur ex cauſa poſitiva, ſive ex omiſſione culpabili, quando ſequitur poteſt eſſe voluntarius, adeoque pro tunc non imputabilis. Exemplum ſit in eo, qui ſe inebriavit, prævidens in ebrietate ſe aliquem occiſurum; quia dum homicidium committit, caret uſu rationis, non poteſt illi dici voluntarium ſicut neque poteſt dici actualiter peccare. Item exemplum ſit in eo, qui aſcendens navem voluntarie omiſit Bræviarium, prævidens reddi impotentem ad recitandum Horas Canonicas. Dum poſtea ſingulis diebus illas omiſit, quia fortaſſe vere pœnituit omiſſionis Breviarii, tunc non voluntarie omittit Horas Canonicas, & ita neque actu peccat. Addendum ſupponi in præſenti non poſſe impedire pravum effectum, adeoque neque ex hoc capite eſt illi voluntarius, cum nemo teneatur ad id quod non poteſt. Quod ſi poſſet impedire, quia tunc ad id teneretur, utique ipſi eſſet imputabilis, ut diximus in ſuperiori quæſito. Ita qui propinavit alteri venenum, non ſolum peccavit in eo propinando; ſed etiam dum poſtea ſequitur mors, ſi poterit illud removere, ne ſumeretur.

Ex dictis autem paulo ante, quamvis effectus pravus non ſit actu voluntarius dum ſequitur, nihilominus eſt in confeſſione aperiendus: nec ſufficit ſi aliquis ſe accuſet cauſam voluiſſe, nam cum ipſe effectus ſit præviſus & volitus in ſua cauſa, eſt imputabilis illi, qui eamdem cauſam voluit, adeoque tenetur de eo ſe accuſare in confeſſione.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Solent aliquando Confeſſarii anxii eſſe propter effectum pravum, quem putant derivare ex aliqua operatione ſui Pœnitentis, ac exinde illum obligant ad illam omittendam. Si e.g. audiant Pœnitentes pati nocturnas pollutiones, eaſque derivari credant ex ſerotina comeſtione, illos inquietare incipiunt quoad cibum, & potum, vel illas culpabiles judicant. Videant ergo Confeſſarii, quod ſemper cum cauſa eſt honeſta, non eſt obligatio illam deſerendi, quamvis effectus pravus, cui alias non præbent conſenſum, per accidens ſequatur. Potius ſatagant, ut Pœnitentes abſtineant ab omni voluntaria complacentia, ſed non imponant eis obligationem, ad quam non tenetur, ut eveniret, ſi cogerent abſtinere a cibo, & potu non excedentibus eorum neceſſitatem. Quod ſi velint conſulere chriſtianam mortificationem, ac Pœnitentes promptos adinveniant, optimum quidem erit, ſed caveant adſtruere obligationem, ubi non eſt.

II. Dum Pœnitentes ſe accuſant pejeraſſe, blaſphemaſſe, vel verba obſcœna protuliſſe, & addunt in ſui defenſionem, ſe tunc ex ira, ex ebrietate non advertiſſe, ſed potius protuliſſe ex habitu, quam advertenter non ſtatim credat illos immunes a talibus peccatis. Interroget ergo, an ſciverit ex aliorum teſtimonio ſolitos eſſe in ebrietate verba valde obſcœna proferre? an ex pravo habitu, vel ira ſciverint ſolitos eſſe pejerare, blaſphemare &c. Si reſpondeant ſe id ſcire, iterum interroget, an fecerint diligentiam, ut caverent ab ebrietate, & ad extirpandum pravum habitum, & conſuetudinem pejerandi, blaſphemandi &c. ſe Deo commendando, Sacramentorum frequentia, vel etiam, ſi opus ſit, aliquibus pœnitentiis &c. Adhibitis iſtis diligentiis, ſi poſtea ex prava conſuetudine inadvertenter blaſphement, illis blaſphemia non imputabitur, utpote quia cauſa, ſeu prava conſuetudo non eſt amplius illis voluntaria. Secus ſi illas non adhibeant, nam cum illis cauſa adhuc voluntaria ſit, ac præviderint quæ mala ex ea ſequantur, iſta cenſentur illis voluntaria in eadem cauſa. Quod ſi Confeſſarius habeat præ manibus pœnitentem tam rudem, ut non adverterit ſe obligatum eſſe ad adhibendam diligentiam pro extirpanda conſuetudine, & malo habitu, tunc excuſari poſſet, ſi pejeravit &c. ſine ſufficienti advertentia. At pertinebit ad pium confeſſarium ipſum commonefacere de ſua obligatione.

III. Quamvis prædicta, dum cauſa non ſit retractata, imputentur ad culpam, quatenus ſunt voluntaria in eadem cauſa, nihilominus advertat Confeſſarius, quod ſi agatur de aliquo peccato, cui annexa ſit cenſura, vel reſervatio, quale eſt in noſtra Diœceſi Blaſphemia, tunc peccatum ſolummodo voluntarium in cauſa, non vero quando committitur, immune eſt a reſervatione. Ratio eſt, quia cum cenſura, & reſervatio odioſa cenſeantur, intelligendum eſt afficere peccata formaliter talia, hoc eſt, quæ talia ſunt, dum committuntur: dum vero quis e.g. inadvertenter blaſphemat, non dicitur pronunciare formaliter blaſphemiam ex defectu advertentiæ, quamvis reus ſit malitiæ blaſphemiæ in ſua cauſa, quam non curat removere: *Graff. in Prax. l. 1. cap. 10. n. 52. Manſ. Tr. de Caſ. Reſerv. p. 1. q. 2. caſ. 1. a. 22.*

CAPUT II.

De Vi, Concupiſcentia, & Metu, quatenus opponuntur Voluntario.

Q.I. AN violentia tollat volantarium.

R. Cam Violentum ſit illud, quod procedit a principio extrinſeco, repugnante eo, qui patitur violentiam, ſequitur omnino opponi voluntario quod procedit a principio intrinſeco, prævia cognaione; atque ita dieitur violentia ſimplicitei cauſare involuniariam. Et de facto quis non dicat me iuvoluntarie agere, ſi aliquis, me repugnante, ſumat meam manum, & ſaperiori vi cogitat percutere Petrom?

Q. II. Quid ſit Concupiſcentia, & an minuat voluntarium.

R. I. Pro Concupiſcentia ſumitur in preſenti motus appetitus ſenſitivi tendentis in bonum delectabile.

R. II. Concopiſcentia antecedens minuit voluntarium liberum, adeoque peccatum, non vero concupiſcentia couſequens: *S.Th.1.2.q.77.a.6.& 7.* Ratio primæ partis eſt, quia concupiſrentia antecedens illa eſt, quæ ex impetu appetitus ſenſitivi impellit voluntatem in aliquod objectum, ut dum ex æſtu iracundiæ excitatur voluntas ad vindictam, vel ex ardoie luxuriæ impellitur in bonum delectabile. Id autem facit perturbando rationem, ita ut non plene advertantur motiva in contrarium; & inclinando voluntatem in rem concupitam, quę omnia adverſantur perfectæ libertati, quæ exigit cognitionem perfectam objecti, & indifferentiam voluntatis erga illud. Quod ſi tanta eſſet concupiſcentia, vel paſſio, ot omnino tationem perturbaret, tanc penitus tolleretur voluntarium liberum. Concapiſcentia vero conſequens non minnit libertatam: nam hæc excitatut in nobis ab eadem voluntate, ſicuti dum quis aliquid optat, excirat in appetitu ſenſitivo deſiderium, ſeu inclinatiouem in illad, ut ita promptius feratur in objectum volitum. Ad eum modum, quo, dum quis vult vindictam, excitat etiam in appetitu ſenſitivo æſtum iracondiæ. Cum igitur hæc concnpiſcentia conſequens ſit volita ab eadem voluotate, non poteſt dici minuere libertatem.

Dixi in reſponſione concapiſcentiam antecedentem minuere voluntarium liberum: nam ſi ſumatur voluntarium pro majori, vel minori inclinatione voluntatis, utique non minuitot, cum voluutas quo magis impellitur, eo majori conatu feratur iu objectum, ut patet in eo, qui ex eſtu iracundiæ ad vindictam movetur.

Q. III. An metus tollat voluntariam.

R. Ea, quæ fiunt ex metu, ſunt voluntaria ſimpliciter, & involuntaria ſecundum quid; *D.Th.1.2.q.6.a.6.* Sint volimtaria ſimpliciter, nam prævia ſufficienti cognitione, voluntas ea efficaciter vult, & eligit, quia, ſuppoſita aliqua conditione, conſiderantur ut bona. Sic quia inſtante pericolo nauſiagii, projectio merciam conſideratur ut bona ad vitam conſervandam, ideo efficaciter eligitur a voluptate. Ex alia vero parte, quatenus ſcilicet conſideratur ut damnoſa Mercatori, quia illam reſpueret voluntas, ideo dicitur involuntaria ſecundum quid. Hinc metus non tollit voluntarium, neque excuſat a peccato, niſi omnino perturbet rationem, vel niſi ſimus in caſu, in quo opeiari ex metu mali majoris excuſet a peccato. Porro in præceptis negativis naturalibus metus aliquando cohoneſtare poteſt operationem, aliquando non. Tunc non valet cohoneſtare actionem, quando ita eſt ex objecto, & eſſentialiter mala, ut non mutetur ejus natura per quamcumque circumſtantiam, & fiuem extrinſecum. Ita ſe habet malitia mendacii, blaſphemiæ, Idolatriæ, &c. Si veto objectum valeat mutari per aliquam circumſtantiam, ſeu finem, tunc actio poteſt eſſe licita, ſi fiat ex metu; ut dum quis ne amittat propriam vitam, occidit ſuum invaſorem, vel abſcindit ſibi manum, ne pereat. Hic videris ex metu mali imminentis cohoneſtari id, quod alias præcepto negativo vetatur, & ex adventu oovæ circumſtantiæ reddi licitum, quod alias prohibetur. Præcepta vero affirmativa, ſive ſint naturalia, ſive poſitiva, regulariter non obligant; interveniente gravi metu, niſi obſervantia legis exigat de ſua natuta periculum vitæ, tunc etenim præſumi non poteſt de contraria intentione Legislatoris. Tunc autem habeat annexum periculum vitæ, vel quando ita exigit officium, quod quis præſtat, ut conſtat in Milite, & in Parocho, qui tenetur non deſerere ſuas oves tempore peſtis &c. vel ſi ita exigat bonum in commune.

Ceterum in caſibus, in quibus gravis metus non excuſat a peccato, bene poteſt excuſare a pœnis Eccleſiaſticis illi annexis; ſi etenim valet excuſare a tranſgreſſione legi humanæ, & excuſare poterit a pœnis eodem jure impoſitis quales ſunt cenſuræ, & reſervatio: *Suarez de Cenſ. d.6. ſect.3. Bonacc. de Legib. d.2. q.8. p.2. nu.3. Mazzchel diſp.1. c.4. n. 66. &c.* Quod ſi prohibeatur aliquid ſub cenſura multum conferente ad bonum commune, & ad ſcandalum vitandum, tunc ſi actio fiat ex metu non injuſto, non erit immunis a talibus pœnis, quia cenſetur Legislatorem voluiſſe obligare etiam cum periculo gravis damni. Hinc non immunis eſſet a reſervatione homicida, qui lictores occideret, ut ſe ſubduceret morti juſte ſibi inferendæ. Secus eſſet, ſi metus gravis injuſte incuteretur, ut ſi aliquis propinaret venenum ad alterum occidendum, ne ipſe occideretur a Potentiore expoſcente tale venenum. In talibus caſibus, cum pene inviti homines peccent, præſumitur Legislatorem nolle in eos ſuis pœnis animadvertere. Varias diviſiones metus do in Tractato de Contractibus *qu.1.c.1.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

Poteſt aliquando accidere, ut Confeſſarius judicare debeat immunem a reſervatione illum, qui alias commiſiſſet peccatum reſervatione innodatum. Demus *e.g.* Patrem conſentire in peccatum filiæ, & Maritam in peccatum uxori, quia alias ille, qui peccare vult, ſubtrahet ab ipſis omne lucrum, & ipſi aliunde non habebunt unde poſſint ſe ſubſtentare. Peccabunt utique, ſed immunes erunt a reſervatione. Demus ſponſam conſentire ia copulam cum ſponſo; qaia alias rationabiliter timet ab eo eſſe deſerendam cum ſua gravi infamia, quia jam ſimul peccarunt, & concepit. Demus aliquem ferre ſalſum teſtimonium in judicio in alterius grave damnum, quia alias imminebat illi grave nocumentum ab eo, qui voluit ita in judicio reſpondendum. Hæc omnia utique in praxi accidere poſſunt, & ignoranter ſe geret Confeſſarius, ſi eo quod Pœnitens peccaverit, illum credat obnoxium reſervationi, vel cenſuræ. Ex his gradum faciat ad alia exempla.

CAPUT III.

De Ignorantia, & quatenus opponatur Voluntario.

Q.I. QUid ſit ignorantia, & quotuplex.

R. Ignorantia in præſenti ſumitur pro privatione ſcientiæ, quam quis poſſet habere. Inter res autem, quas poſſumus ſcire, aliæ ſunt, quas poſſumus, ſed non tenemur ſcire, ut ſunt e.g. demonſtrationes Mathematicæ &c. aliæ ſunt, quas poſſumus, & tenemur ſcire, ut ſunt e.g. articuli Fidei.

R. II. Ignorantia primo dividi poteſt in ignorantiam juris, & facti. Ignorantia juris datur, dum quis ignorat aliquid eſſe præceptam, vel prohibitum; ut dum quis neſciret die Veneris prohibitam eſſe carnis comeſtionem. Ignorantia facti intervenit, quando, non ignorata lege, ignorat quis facere, quod lege prohibetur, ut dum quis occideret hominem, putando eſſe feram. Secundo dividitur in antecedentem, concomitantem, & conſequentem. Antecedens eſt ea, quæ non explicite, nec implicite eſt volita, adeoque nullo modo voluntaria, & dicitur cauſa actus, quatenus, ſi non adeſſet talis ignorantia, non fieret. Exemplum ſit in eo, qui exploderet ſclopetum in aliquem locum, & occideret amicum, fortaſſe tunc inde pertranſeuntem. Hic nullatenus voluit ignorantiam de tranſito amici, ut ſuppono, & aliunde talis ignorantia fuit cauſa actus, ſi enim ſciviſſet amicum fore tranſiturum, ſclopetum non explodiſſet. Ignorantia concomitans ea eſt, quæ comitatur actum, taliter ut habeatur ignorantia de eo, quod agitur, ut ſi quis putans occidere feram, occidat hoſtem: nihilominus, qui habet talem ignorantiam, eſt ita affectus, ut ageret, etſi non ignoraret. Sic in caſu expoſito qui occidit hoſtem, putans occidere feram, poteſt eſſe ita diſpoſitus, ut libentius etiam occidiſſet hoſtem, ſi sciviſſet. Ignorantia conſequens conſequitur actum voluntatis: unde dicitur volita ab eadem voluntate. Si eſt directe, & expreſſe volita, dicitur *affectata*, ut dum quis vult ignorare præceptum, ad liberius peccandam. Si eſt indirecte volita, ut dum quia tædio, vel negligentia omittit debitam diligentiam ad eam expellendam, dicitur craſſa, vel ſupina. Item dividitur ignorantia in vincibilem, & invincibilem. Hæc illa eſt, quæ morali diligentia ſuperari poteſt, eo quod nunquam in mentem venerit cogitare, ſeu dubitare de oppoſito; vel ſi in mentem venit, attamen ſuperari non potuit ignoran-

tia,

Digitized by Google

tia, adhibita debita diligentia. Iſta ignorantia eadem eſt ac antecedens. Vincibilis, quæ eadem eſt ac conſequens, poterat, & debebat ſuperari, adhibita morali diligentia.

Q. II. An Ignorantia cauſet involuntarium.

R. I. Ignorantia antecedens, ſive invincibilis cauſat ſimpliciter involuntarium, cum non ſit ullo modo volita; quinimmo nec opus fieret, ſi ignorantia non adeſſet. Ita qui fortuito occidit amicum retranſeuntem, nullo modo occidiſſet, ſi ſciviſſet.

R. II. Ignorantia concomitans non cauſat poſitive involuntarium, quia quod fit ex tali ignorantia non diſplicet voluntati, ut dum quis occidit inimicum, putans eſſe feram, cum tamen eſſet ita affectus, ut libentius occidiſſet inimicum, ſi ſciviſſet. Neque cauſat voluntarium, etenim non poteſt dici ab eo volita mors inimici, cum id ignoravit, & putaverit occidere feram. Remanet ergo, ut factum ex ignorantia concomitante dicatur non voluntariam.

R. III. Ignorantia conſequens, ſeu vincibilis cauſat voluntarium; nam hæc ignorantia, ut patet ex ipſius explicatione, vel directe vel indirecte eſt volita, unde quod ſequitur ex ea, ſaltem erit voluntarium in ſua cauſa, nempe in ipſa ignorantia, quam quis poſſet, & teneretur expellere. Quæ dicta ſunt de ignorantia, applicanda ſunt oblivioni, & inadvertentiæ, quæ excuſant, quando ſunt invincibiles, non vero quando vinci poſſunt, & debentur.

Q. III. An ignorantia excuſet a culpa, & a pœna.

R. I. Ignorantia invincibilis vel juris, vel facti excuſat a culpa, & pæna. A culpa quidem, quia, cum tollat voluntarium, tollit peccatum, cum nullum ſit peccatum, niſi ſit voluntarium. Hinc Alexander VIII, *ſub n.* 2. damnavit propoſitionem aſſerentem ignorantiam invincibilem juris naturæ non excuſare a peccato. Item excuſat a pœna, quia hæc correſpondet culpæ, adeoque juxta quantitatem culpæ eſt infligenda: *cap. felicis de pœn. in 6. & cap. 2. de his, quæ fiunt a majori parte capit.* Nec refert aliquam actionem eſſe peccaminoſam, quoties ignoratur lex inducens aliquam pœnam; ut ſi quis peccaret occidendo hominem, ignoraret tamen huic peccato adjunctam eſſe pœnam excommunicationis: *Navar. lap. 27. ſum. n. 16. & 274. Suar. de Cenſ. diſp. 4. ſect. 8. n. 5.* Nam cauſa talis pœnæ eſt delinquere in legem inducentem talem pœnam; licet autem alias actio ſit peccaminoſa, non tamen dici poteſt formaliter tranſgreſſiva legis imponentis pœnam, ſi invincibiliter ignoretur. Hinc *cap. at Animarum, de conſtit. in 6.* dicuntur non ligari ſententiis Ordinariorum, qui eas ignorant, dummodo ignorantia non ſit craſſa, vel ſupina.

R. II. Ignorantia invincibilis etiam ſolius pœnæ excuſat ab ea incurrenda, ſi pœna conſiſtat in aliqua cenſura, vel ſi pœna ſit exorbitans, & extraordinaria: *Suar. cit. n. 9. Sanch. l. 9. de Matr. diſp. 32. n. 13. Azor. l. 1. Inſtit. mor. c. 15. q. 3.* Ratio eſt quia citato *cap. at Animarum*, ex ſola ignorantia craſſa, & ſupina inducuntur cenſuræ; & cum ibi ſermo ſit generaliter de ignorantia in favorem animarum, dictum caput interpretandum eſt etiam de ignorantia ipſius pœnæ. Ulterius cenſuræ non inducuntur ſine aliqua monitione de tali pœna *cap. ſacro de ſent. excomm.* nullatenus autem poteſt monitus dici, qui cenſuram invincibiliter ignorat. Quod dicitur de cenſuris, applicari ſolet Irregularitati, quæ provenit ex puro delicto, ut melius explicabitur ſuo loco.

Addendum non incurrere cenſuram etiam qui ejuſdem habet ignorantiam craſſam; vel ſupinam, ſi lata ſit in eum, qui aliquid *ſcienter* fecerit, vel aliquod facere *præſumpſerit*; immo aliqui addunt etſi ignorantia fuerit affectata: *Salmant. tr. 10. cap. 1. n. 198.* Sed hæc ſufficiat hic brevi calamo attigiſſe, melius ſuo loco examinanda.

Dixi in reſponſione, vel ſi pœna ſit exorbitans, & extraordinaria, quamvis enim incurratur pœna ordinaria correſpondens delicto, etiamſi ignoretur, ſicuti pœna mortis plectuntur etiam ii, qui neſciunt eſſe alicui delicto annexam; nihilominus non eſt reus pœnæ exorbitantis, & extraordinariæ, qui non conſenſit in delictum prout ignoratur inducere talem pœnam: *Navarr. in Sum. c. 3. n. 37. & cap. 27. n. 274.* Ratio poteſt eſſe, quia, cum pœna ſit exorbitans, videtur ex æquitate expoſci, ut delinquens violaverit legem ut inducentem talem pœnam, tunc etenim cum plene peccet in legem, bene debetur ipſi etiam pœna exorbitans, & extraordinaria. Illa ergo ignorata, puniendus eſt pœna mitiori.

Regulæ in praxi obſervandæ.

1. Non ſtatim ac Confeſſarius audit aliquem commiſiſſe peccatum, ſub cenſura reſervatum, dimittat pœnitentem, quaſi non poſſit illum abſolvere. *Primo* interroget an ſciverit fuiſſe ſub cenſura reſervatum, & ſi reſpondeat negative, ſi nihil aliud obſtet, cum tunc non innodetur cenſura, poterit abſolvi. Si vero dicat non ſibi ignotam fuiſſe cenſuram, iterum interroget, an de eadem cogitaverit, dum commiſit peccatum, dum e.g. in judicio interrogatus, falſum teſtificatus eſt in grave damnum tertii. Si de eadem nullatenus cogitavit, ſicuti ignorantia inculpabilis excuſat a cenſura, ita & inculpabilis inadvertentia. Idem dicas ſi quis magno iræ æſtu erreptus, dum percuſſit Clericum nihil cogitavit de excommunicatione &c.

11. Eadem doctrina utatur Confeſſarius in aliis caſibus. Vovit e.g. quis non fornicari ſub pena ſolvendi 10. aureos, & interim dum incidit in fornicationem, immemor fuit voti, excuſare ipſum debet confeſſarius a pena ſolvenda. Quin immo ſi pena fuit exorbitans, ut peregrinari Romam &c. poterit ab ea excuſari, ſi memor voti, immemor fuit ſuiſſe pœnæ, nam hæc pena videtur exorbitans & ita ex dictis poterit ab ea excuſari, qui peccavit immemor ipſius.

QUÆSTIO III.

De Bonitate, & Malitia actus Humani.

ALii ſunt actus hominis, quos habet communes cum Beſtiis, ut nutritio, viſio &c. & de his non eſt ſermo in præſenti. Alii ſunt proprii hominis ſed qui poſſunt fieri ſine advertentia rationis, ut locutio, nam etiam pueri, & amentes loquuntur. Alii denique, qui fiunt cum advertentia, & deliberatione, & de his ſermo eſt in præſenti quæſtione.

CAPUT I.

Quid ſit actus Humanus, quæ ejus Bonitas, & Malitia, & unde deſumenda.

Q. I. QUid ſit Actus Humanus, & quæ ejus moralitas.

R. I. Illæ dicuntur actiones humanæ, quarum homo dominus eſt, & cum non ſit Dominus niſi actuum, qui procedunt per voluntatem, & liberum arbitrium, conſequens eſt, proprie illas actiones dici humanas, quæ procedunt a libero arbitrio: *D. Th. 1. 2. qu. 1. art. 1.* Aliæ actiones, quæ non ſunt ex deliberatione, & libero arbitrio, dici poſſunt hominis, non humanæ.

R. II. Moralitas actus deſumitur ex hoc, quod actus proveniens a libero arbitrio reguletur a ratione practice dictante aliquod eſſe bonum, adeoque proſequendum, vel malum, adeoque fugiendum: *D. Th. 2. 2. q. 18. a. 1.* Hinc ex moralitate actus denominamur boni, ſi amplectamur quod ratio dictat eſſe bonum, ſeu mali, ſi non fugiamus, quod ratio dictat eſſe fugiendum.

Q. II. Quid ſint Bonitas, vel Malitia moralis.

R. Sicuti in rebus naturalibus bonum dici ſolet, quod alicui convenit, uti eſt ſanitas corpori, & malum, quod diſconvenit, uti ægritudo, ita bonum moralem dicendum eſt quod convenit naturæ rationali operanti ex ratione, & malum quod ei diſconvenit: *D. Th. 1. 2. q. 18. a. 4. & 5.* Hæc autem convenientia, vel diſconvenientia innoteſcit ex quibuſdam principiis univerſalibus, e. gr. quod tibi non vis fieri alteri ne feceris, & ex aliis vel evidenter ex iſtis illatis, vel tantum probabiliter. Non explicatur ergo bonitas, & malitia actus humani tanquam a priori per convenientiam, aut diſconvenientiam ad dictamen rationis, ſed ſolum a poſteriori. Et de facto ideo ratio dictat bonum eſſe amare proximum, quia id de ſe decet liberam naturam rationalem, & malum eſſe mentiri, quia mendacium eamdem dedecet.

Q. III. Unde actus humani deſumant ſuam bonitatem, vel malitiam.

R. I. Si objectum ſit bonum, vel malum, actus humani deſumunt ab eo ſuam bonitatem, vel malitiam eſſentialem, ſi nil aliud obeſſet, ut ſtatim videbimus: *S. Th. 1. 2. q. 18. a. 2. &c.* Ratio eſt, quia ſicut in naturalibus forma e. g. anima rationalis dat rei primum eſſe, ſive eſſentiale, & ſpecificum; ita cum actus primo in objectum feratur, ab eo pariter deſumet ſuum eſſe eſſentiale. Si proinde objectum ſit indecens, quia dicit deformitatem ab liberam naturam rationalem, quale e. gr. eſt furtum, ex eo conſurget malitia eſſentialis actus; ſicuti e contra bonitas eſſentialis, ſi objectum deceat liberam naturam rationalem, ut eſt amare Deum,

R. II. Si objectum ſit bonum, ſed finis operantis ſit malus,

Digitized by Google

ſus, actus humanus deſumit ſuam eſſentialem malitiam a fine operantis: *S.Th.q.18.art.6.ad 2. & q.19.a.9.ad* 2. Ratio eſt quia talis actus eſt ſimpliciter malus, improbat enim recta ratio, ut eligatur bonum ob finem pravum, ut ſi quis faceret eleemoſinam ob vanam gloriam. Quia ergo talis actus ſimpliciter malus non poteſt malitiam deſumere ab objecto, quod alias deceret naturam rationalem, remanet ut illam deſumat a fine.

R. III. Si objectum ſit indifferens, & habeat operans finem bonum, vel malum, tunc actus deſumit eſſentialem bonitatem, vel malitiam ab eodem fine. Ratio eſt, quia, ſi habeat finem bonum totus actus eſt bonus, eſt etenim ſecundum rationem uti etiam rebus indifferentibus propter bonum finem; ut ſi quis iter aggrediatur ob inviſendam Imaginem Beatiſſimæ Virginis. Eo autem ipſo quod actus eſt bonus, talem bonitatem non poteſt deſumere niſi a fine, cum objectum, quod habet, ſupponatur indifferens. E contra, cum actus ſit ſimpliciter malus, ſi operans referat objectum indifferens ad finem malum, ut eſt iter agere ad ſe ulciſcendum, ex eadem ratione non poterit deſumere ſuam malitiam, niſi ex fine: *D.Th. q.* 18. *a.* 5. *ad* 4.

Propter doctrinam immediate allatam, quæ nullam paritur difficultatem, putavi perperam Cenſoris munus aſſumpſiſſe illos, qui Patrem Manſium objurgarunt, dum in ſuo Tractatu de caſibus reſervatis *p.* 1. *q.* a. *caſ.* 8. numeraverit inter actus obſcœnos reſervationi obnoxios, non ſolum tactus mammillarum, ſed oſcula etiam Parochi &c. cum Parochiana. Dicebant iſti actum non dicendum obſcœnum, niſi ad objectum obſcœnum referatur, quale dici non debet vultus Parochianæ. At ſtudeant, quæſo, antequam iſti decidant. Ex dictis, dum actus habet objectum indifferens, non deſumit ſuam bonitatem, vel malitiam, adeoque nec denominationem ex objecto, ſed ab ulteriori fine Operantis; alias dicendum eſſet oſculum habitum a Parocho cum Parochiana fuiſſe actum indifferentem; ita etenim ſe habet oſculum mulieris generaliter ſumptum. Cum igitur talis actus denominandus ſit ex fine, qui vel erit inhoneſta complacentia, vel mulierem ad turpia inducere &c. & iſte finis ſit obſcœnus, cur & oſculum non dicendum eſt obſcænum? Ita quamvis vultus mulieris ſit objectum honeſtum, nihilominus oſcula peccaminoſa ipſius dici poſſunt libidinoſa, turpia &c. & talia denominantur ab Authoribus, quia non deſumunt denominationem a vultu, ſed a fine operantis, aliiſque circumſtantiis ad luxuriam pertinentibus.

R. IV. Si actus habeat ſuam eſſentialam bonitatem, vel malitiam ab objecto, poteſt habere alteram bonitatem, vel malitiam accidentalem a circumſtantiis, & præcipue a fine. Ratio eſt, quia nil repugnat objectum primo propter ſuam honeſtatem conſiderari, & deinde eligi ut medium ad aſſequendum aliquem finem bonum. Ita ſi quis det eleemoſinam pauperi puellæ, ut eam removeat a periculo amittendæ pudicitiæ, poteſt primo amare eleemoſinam quatenus bonum eſt pauperis miſereri, & deinde aſſumere eam ut medium ad præſervandam puellam a lapſu. Dum autem primo intendit objectum propter ſuam honeſtatem, dat actui ſpeciem bonitatis in qua ipſum eſt, & ſic qui dat eleemoſinam puellæ pauperi exercet actum miſericordiæ. Dum vero aſſumitur ut medium ad exercendam aliam virtutem, talis finis, ſi ſit in diverſa ſpecie ab objecto, dat actui novam honeſtatem; & ita qui dat præfatam eleemoſinam, ut etiam præſervet puellam, ſimul exercet opus eximiæ charitatis, adeoque talis actus habet honeſtatem virtutis miſericordiæ, & Charitatis. Idem dicendum de eo, qui fertur in objectum pravum propter finem malum, ut qui furatur, ut fornicetur; talis actus non ſolum eſt malus in ſpecie injuſtitiæ ſed etiam in ſpecie impudicitiæ.

Dixi bonitatem, & malitiam moralem provenientem a circumſtantiis, præcipue provenire a fine operantis; nam finis operantis eſt præcipuum motivum voluntatis, ut patet in eo, qui furatur ob adulterandum; movetur etenim ad faciendum malum ab adulterio magis, quam deſiderio furti; & ita magis dicitur adulter, quam fur; *S. Th.* 1.2. *qu.* 7. *a.* 4. & *qu.* 58. *art.* 6. Nihilominus talis malitia dicitur accidentalis, quia ſupervenit actui jam conſtituto in ſuo eſſe in genere moris; quæ autem ſuperveniunt alicui habenti omnia pertinentia ad ſuam eſſentiam, dicuntur accidentalia.

Q. IV. Quæ ſint circumſtantiæ, a quibus actus moralis habere poteſt aliam bonitatem; vel malitiam.

R. Iſtæ circumſtantiæ illo verſiculo continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis ſignificat circumſtantiam Perſonæ quæ ſæpe addit novam ſpeciem malitiæ, ut ſi conjugatus, vel obſtrictus voto caſtitatis fornicetur. E contra addere poteſt novam ſpeciem bonitatis, ut ſi ex voto quis continentiam ſervet; neque enim tunc ſolum facit opus caſtitatis, ſed etiam Religionis aliquando ſolum auget malitiam intra eamdem ſpeciem, ut ſi vir, donatus a Deo ſingularibus beneficiis determinate peccet. Dixi *determinate*; nam peccata ex fragilitate, & ſurreptione in viris probis, qui adhibent diligentiam ad ea præcavenda, potius ſunt minora, quia facta cum minori advertentia: *S.Th.* 1.2.*q.*73.*art.ult.*

Quid ſignificat qualitatem, ſeu conditionem materiæ, ſeu objecti, circa quod verſatur actus. Addere poteſt novam ſpeciem malitiæ, ut patet ſi percutiantur parentes, vel quis furaretur rem ſacram, vel augere malitiam intra eamdem ſpeciem, ut ſi percutiatur vir valde probus. E contra addere poteſt in genere bonitatis novam ſpeciem, ut ſi Clerico pauperi detur eleemoſina non ſolum ad exercendam miſericordiam, ſed etiam ob faciendum actum religionis; vel denique tantum augere eamdem bonitatem, ut ſi quis det eleemoſinam valde egenti.

Ubi ſignificat locum, in quo committitur peccatum, quæ circumſtantia ut plurimum addit novam ſpeciem peccati, ut patet in actibus obſcœnis, ſeu furto commiſſo in loco ſacro; vel in peccato commiſſo in loco publico, quod addere ſolet malitiam ſcandali. Aliquando poteſt tantum augere eamdem malitiam, ut ſi alicui coram pluribus detrahatur. Difficiliter circumſtantia loci addet novam ſpeciem bonitatis; eam nihilominus poteſt addere, ut ſi quis in loco publico aliquid boni operetur ad alios movendos ad idem bonum patrandum, nam tunc non ſolum exercebit opus virtutis in ea ſpecie, in qua eſt illud opus, ſed etiam Charitatis. Augere autem poteſt ſolum eamdem bonitatem, ut ſi quis in loco publico cum majori ſuo rubore exerceat aliquem pœnitentiæ actum.

Quibus auxiliis. Hæc circumſtantia ſignificat inſtrumenta, quibus homo uſus eſt ad peccandum. Poteſt addere novam ſpeciem malitiæ, ſcandali v.g. ſi inducantur alii homines, qui adjuvent ad peccandum; vel tantum eamdem malitiam augere, ut ſi quis inſtrumento crudeliori aliquem vulneret, ad ſe ulciſcendum.

Propter quid ſignificat finem, quem aliquis intendit in operando. Unde in præſenti non eſt ſermo de fine operis, ſcilicet de ea re, quæ ex ſua natura reſultat ex eodem opere, ſicuti eleemoſina cauſat ſublevare pauperem ſed de fine operantis, de eo ſcilicet, quem aliquis intendit in ſua operatione. Hinc ſi diverſus ſpecie ſit a fine operis; poteſt addere novam ſpeciem malitiæ, ſeu bonitatis. Exemplum ſit in eo, qui furatur, ut fornicetur, nam finis fornicandi addit novam ſpeciem malitiæ; & in eo, qui dat eleemoſinam ut peccatis ſatisfaciat: tunc etenim non ſolum exercet actum miſericordiæ, ſed etiam pœnitentiæ. Addere tantum poteſt novam malitiam ejuſdem ſpeciei, ſi pravitas finis ſit in eadem ſpecie cum pravitate operis, ut dum quis ſurriperet aliquod inſtrumentum ad furandum, nam tunc committeret duo peccata contra juſtitiam. De fine operantis plura dicta ſunt in ſuperiori quæſito.

Quomodo ſignificat modum, quo facta eſt actio; & addere poteſt novam ſpeciem malitiæ, ut patet in eo, qui, præſente Domino, rem furatur, vel ſolum addere, ut dum peccatur ex *perfecta* ſcientia, & deliberatione; ſeu etiam minuere, ut ſi peccetur ex ignorantia, metu, importunis precibus &c. E contra augebit bonitatem operis ſi majori fervore fiat, & minuet, ſi fiat remiſſe &c.

Quando ſignificat tempus, quo facta eſt actio. Si peccatum e. g. fieret die feſto expreſſa intentione inhonorandi ſactum diem, tum hæc circumſtantia addaret novam ſpeciem malitiæ contra Religionem. Ordinarie mora temporis ſolum auget malitiam, vel bonitatem, ut dum quis majorem moram traheret in peccando, vel in operando bene.

Q. V. An ſemper cum actus habet circumſtantiam, ſeu finem malum, totus actus malus ſit.

R. Jam tertio quæſito explicavi actionem ex objecto bonam ſed directam in malum finem, eſſe ſimpliciter malam; at ex hac doctrina non licet univerſaliter inferre, non dari ſimul aliquando actum ex parte bonum, & ex parte malum. Obſervandum igitur eſt aliquando objectum bonum ſolum aſſumi, ut medium ad aſſequendum finem malum, ut dum quis dat eleemoſinam non illectus a motivo ſublevandi miſeriam proximi, ſed quatenus ſperat, ea mediante, inducere mulierem ad inhoneſta perpetranda. In hoc caſu, cum nullatenus ametur honeſtas eleemoſinæ,

Google

næ, utique nil boni poteſt in actu conſiderari. Aliquando vero aſſumitur objectum, quatenus placet, & allicit ipſius honeſtas; quamvis poſtea conſiderandu poſſe etiam ad malum finem deſervire, hac etiam intentione ut finis intermedius eligitur: ut ſi faciam eleemoſinam quatenus mihi valde placet pauperem ſublevare, nihilominus poſtea illam etiam eligam ad conciliandam mihi æſtimationem. Cum igitur in hac ſecunda ſuppoſitione objectum in ſe quatenus honeſtum diligatur, & intendatur, habebit dare actui bonitatem; licet poſtea quatenus aſſumitur ut medium ad captandam vanam gloriam, non excuſet a malitia hujus finis ulterioris intenti: *S. Th.* 1. 2. *q* 18. *a.* 4. *ad* 3. Si tamen bene hæc conſiderentur, facile erit hic intervenire duos actus, unum bonum, quo voluntas intendit per ſe objectum bonum, illudque amat propter ſuam honeſtatem; alterum malum, quo non amplius amatur bonitas objecti, ſed ſolum eligitur quatenus poteſt eſſe medium conducens ad finem pravum.

Q. VI. An detur actus in individuo, qui nec ſit bonus, nec malus, ſeu an detur actus indifferens.

R. Puto non dari in individuo actum indifferentem. Ratio eſt, quia cum omnis deliberate agens agat propter aliquem finem, jam neceſſe erit voluntatem habere pro objecto vel bonum jucundum, vel bonum honeſtum; nam bonum utile, reduplicative ut utile, non appetitur propter ſe, ſed in ordine ad aliud, ut, ſi e. g. deſideretur pecunia ad laute vivendum: quapropter bonum utile non poteſt habere rationem finis, qui intenditur propter ſe. Remanet ergo quod deliberate operans vel intendat pro fine bonum honeſtum, vel jucundum. Si bonum honeſtum, jam actus bonus eſt, & de ſua natura in Deum tendit. Si intendat pro fine bonum jucundum, ſeu delectabile, actus malus eſt, cum talis finis non ſit proportionatus voluntati, quæ utpote appetitus rationalis debet intendere bonum ſibi competens, nempe honeſtum, ſeu rationale. Addendum quod ſi verbum otioſum, ut dicitur *Matth.* 12. eſt peccatum, idem etiam erit dicendum de actu, qui in finem honeſtum non referatur. Ratio eſt, quia verbum otioſum illud eſt apud S. PP. quod dicitur ſine utilitate loquentis, vel audientis; unde & eſſet otioſus actus, qui nec in bonum, nec in malum referretur, utpote quia careret omni utilitate, adeoque peccaminoſus. Eſto ergo dentur actus facti ſine advertentia, & deliberatione, qui ſint indifferentes, ut fricare barbam, levare feſtucam, quia habent objectum indifferens, nihilominus ſi fiant ex plena advertentia, & non referantur in aliquem finem honeſtum, tunc utpote carentes fine correſpondente homini ex ratione operanti, & facti ſine ulla rationabili utilitate, erunt ſaltem leviter peccaminoſi. Hinc, qui vere vult bene operari, mane omnes diei actiones in Deum refert, nec deſinit eamdem intentionem aliquando in die repetere. Quod ſi ita faciat, cum perſeveret talis intentio ſaltem virtualiter dummodo non retractetur, virtute ipſius omnes actiones deliberatæ & non pravæ, vel in bonum honeſtum, vel in ipſum Deum referuntur.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum actus deſumat ſuam bonitatem, & malitiam ab objecto, aliiſque circumſtantiis, & ab his omnibus in tantum derivetur in actum bonitas, vel malitia, quatenus cognoſcuntur; hinc animadvertere debet Confeſſarius, alio modo procedendum cum homine rudi, & indocto, alio vero cum homine non rudi. Primum non eſt neceſſe, ordinarie loquendo, defatigare multis interrogationibus, ſed tantum iis, quæ aptari poſſunt ſuæ capacitati; nam homo rudis non ſolet cognoſcere bonitatem, vel malitiam niſi rudi modo. Demus e. g. aliquem rem alienam ab alio furatam inſimul cum eo diſtraxiſſe, non ex m facile animadvertet malitiam, cum ipſe non fuerit furatus. Si peccaverit cum conſanguinea, vel affine, non eam ſibi proxima, forte ignoravit malitiam inceſtus. Si ſe expoſuit gravi periculo peccandi, dum poſtea non peccaverit, non tam facile cognoſcet ſe peccaviſſe ex hoc ſolum, quod ſe expoſuerit tali periculo. Plura dabit praxis ſolerti Confeſſario, quæ videbit non conſiderari a rudibus, quando in aliis ſunt manifeſta peccata.

II. Conſideret Confeſſarius multoties neceſſe eſſe interrogare pœnitentem de fine intento propter novam malitiam, quæ actui peccaminoſo ſuperadditur. Accuſabit ſe fortaſſe aliquis juvenis ſurripuiſſe domi, vel ab exteris materiam notabilem, & nihil addet. Sed ſi Confeſſarius interroget quem finem habuerit, fortaſſe adinveniet furatum eſſe, ut habeat pecuniam, qua poſſit cum mulieribus peccare &c. & en nova ſpecies malitiæ. Dicet aliquis ſe de proximo detraxiſſe, & ita credit propriæ conſcientiæ ſatisfeciſſe. At Confeſſarius ulterius interrogando, adinveniet vel detraxiſſe, ut aliquem impediat a lucro, ſeu dignitate conſequenda, vel ne aliqua ſponſalia compleatur &c.: & en iterum nova malitia.

III. Quia ſicut finis malus addit novam malitiam actui habenti objectum malum, ita finis bonus addit novam bonitatem; hinc eſt, Confeſſarium cupidum ut animæ ſuæ curæ commiſſæ in via Domini proficiant, debere eas edocere, ut quamplurimos addant fines bonos ſuis operationibus. Si e.g. jejunent, non ſolum jejunent ob honeſtatem virtutis temperantię, ſed etiam ob virtutem Pęnitentiæ, jejunando in ſatisfactionem peccatorum; ob virtutem religionis, jejunando ut Deum colant; ob virtutem Charitatis, jejunando ex motivo placendi Deo ſummo Bono &c. Ex hoc exemplo alia Confeſſarius addiſcat. Id autem præcipue animadvertendum eſt in actibus ex objecto indifferentibus, qui nullatenus poſſunt eſſe Deo grati, ſi non participent bonitatem ab aliquo fine extrinſeco operantis. Sic e.g. comedere, dormire, ſtudere &c. ſi ab operante non referantur in aliquem finem honeſtum, nullatenus proſunt animæ; unde Confeſſarius diligens debet de iis pœnitentem monere, & inſtruere qua ratione reddere debeat Deo gratas omnes ſuas operationes.

CAPUT II.

De Bonitate, & Malitia Actus externi.

Q. I. AN actus externus addat aliquam bonitatem, vel malitiam actui interno.

R. I. Actus externus per ſe non auget bonitatem, aut malitiam actus interni. Ratio eſt, quia ſola potentia libera eſt capax moralitatis, ſive bonitatis, & malitiæ, nam hæc ſola ſubjicitur regulis morum, cum ergo potentiæ executivæ, a quibus dimanat actus exterior, proprie non ſint liberæ, ſed dicantur libere, ſeu bene, & male operari, quatenus moventur a voluntate, ſequitur non habere ex ſe peculiarem bonitatem, vel malitiam, quas ſuperaddant actui interno; *D.Th.* 1. 2. *q.* 20. *a.* 4. Neque refert diverſis præceptis prohiberi actum internum; & externum, ut patet ex illis præceptis *non mœchaberis, & non concupiſces*; nam ſemper cum diſtincta præcepta habeant idem motivum, non arguitur ex eis diverſa malitia. Conveniens autem fuit, ut concupiſcentia cordis, & executio operis pravi diſtinctis præceptis prohiberentur, ne homines carnales crederent ſufficienter Deo obediſſe, dumtaxat ſe abſtinendo ab externis facinoribus, non vero ex pravis deſideriis. Contra hos videtur loquutus Chriſtus, dum *Matth.* 5. ait: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt corde ſuo.* Ex hoc etiam conſtat veritas allatæ reſponſioni, nam ſi ex ſolo deſiderio mœchandi jam coram Deo aliquis reputatur quaſi fuerit mœchatus; patet actum externum non addere ex ſe malitiam ſupra internum. Neque pariter obſtat aperiendum in confeſſione non ſolum actum internum, ſed etiam externum; nam præceptum Divinum aperiendi in Confeſſione peccata, ex jugi traditione comprehendit quidquid dicitur peccatum mortale, ſive hoc habeat actus a forma ſibi intrinſece inhærente, ut in actibus internis, ſive ex denominatione ab altero derivata, ſicut actus externi boni, vel mali nominantur a bonitate, vel malitia actus interni. Præterea explicandi ſunt actus externi, quia ex illis magis innoteſcit inclinatio, & propenſio pœnitentis, & ita facilius Confeſſarius occurret ipſius indigentiæ.

Obiter autem hic venit adnotanda propoſitio 25. damnata ab Alexanpro VII., quæ ita ſe habebat, *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit præcepto confeſſionis dicens: Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.* Ex condemnatioone hujus propoſitionis quidam inferunt actum externum importare malitiam diverſam ab interno; alias non eſſet, inquiunt, neceſſe copulam explicare, ſi illa talem diverſam malitiam non importaret. Contra tamen eſt, quia non ex allata ratione condemnata fuit talis propoſitio; ſed quia praxis Eccleſiæ, uſus Fidelium, & communis DD. conſenſus vult explicandos eſſe diverſos actus, quando diverſimode participant eamdem ſpeciem peccati. Cum igitur in morali æſtimatione diverſimode participet ſpeciem luxuriæ ſimplex tactus, ac ipſa culpa, ideo iſta venit in Confeſſione ſpecialiter aperienda; & ita fit, ut plene explicetur peccatum ſecundum ſuam individuationem, cum explicetur modus ſpecialiter participandi malitiam. *Vid. in prop.* 25. *damn. ab Alex. VII.*

R. II.

R. II. Ut plurimum actus externus per accidens auget malitiam, vel bonitatem actus interni. Ratio eſt, quia occaſione actus externi, actus internus ſolet fieri diuturnior, & intenſior, ſicut etiam ſolet multiplicari; quæ omnia ſunt occaſiones bonitatem, vel malitiam augendi. Præterea cum in executione actus externi, ordinarie loquendo, ſoleant occurrere novæ difficultates, ipſas vincere importat novos conatus voluntatis, adeoque & ex hoc capite bonitas, vel malitia augentur.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Obſervet Confeſſarius doctrinam præcedenti capite allatam poſſe ſolatio afficere eos, qui vel ex ſupervenienti impedimento non poſſunt bonam voluntatem executioni mandare, vel a paupertate impediuntur plura bona opera exercere. Moneat ergo eos, bonam ipſorum voluntatem, dummodo quantum ex ipſis erat, fuerit efficax, itaut ſi non ſupervenisset inſuperabile impedimentum mandata fuiſſet executioni, moneat, inquam, eamdem mercedem habituram, ac ſi vere operati fuiſſent. Idem dicet pauperibus, & infirmis &c., qui ex talibus impedimentis a pluribus bonis operibus debent abſtinere. Non utique nego ut plurimum perfectionem eſſe actum internum abſolutum, quo quis potens ſuccurrere proximo ſtatuit efficaciter illi opitulari, quam talis actus conditionatus, ut dum pauper dicit, ſi poſſem, libenter illi opitularer. Ideo autem ſolet primus actus eſſe perfectior, quia dum operans conſiderat rem aliquam, ut ſibi poſſibilem, ſolet majori conatu, & inclinatione in illam tendere, quam ille, qui videt ſibi impoſſibile eſſe aliquid facere, & ſolum feciſſet, ſi potuiſſet. Nihilominus ſi pauper non minori fervore, & deſiderio optet ſuccurrere indigenti, quam dives, qui id poteſt, non minus utique merebitur; ſicut & merebitur plus ſi, quia maxima charitate proſequitur proximos, optaret, dum ipſi poſſibile foret, magis illis dare, quam dives.

TRACTATUS II.

DE PECCATIS.

IN hoc Tractatu illam ſpeciem moralitatis ad examen revocabimus, quæ in malitia conſiſtit. Cum igitur præcipuum Confeſſarii munus ſit cognoſcere quænam ſint peccata, quæ non, qualis illorum ſpecies, & numerus, nullatenus ignorare debet, quæ docent Theologi in hoc Tractatu; alias nunquam ſatis Judicis, & Spiritualis Medici officium bene poterit adimplere.

QUÆSTIO I.

De Peccatis in communi.

CAPUT I.

Quid ſit Peccatum, & quotuplex.

Q. I. QUID ſit Peccatum.

R. Peccatum actuale, de quo in præſenti, ex D. Auguſtino ita definitur a D. Th. 1.2. q. 71. a. 6. *Dictum, factum vel concupitum contra legem Dei æternam.* Cum igitur in tantum actus dicatus rectus, & bonus, in quantum correſpondet ſuæ regulæ, ſeu menſuræ, ideo contra dicetur malus, ſive peccatum, in quantum a ſua regula, vel menſura aberrat; licet autem regula proxima noſtræ voluntatis ſit ratio, nihilominus ultima, & præcipua eſt mens, & voluntas Dei, quæ eſt lex æterna, unde explicatur peccatum per hoc, quod non correſpondeat eidem legi, dicendo, quod ſit *dictum &c. contra legem Dei.* Ubi etiam advertere eſt, eſſe contra Dei legem, etiam quæ ſolum mala ſunt, quia prohibita, ut laborare die feſto; nam cum Deus velit obediendum eſſe legitimis Superioribus, jam non obſervando legem ipſorum, facio etiam contra Dei legem. Nec dicatur allatam definitionem competere tantum peccato commiſſionis, quo aliquid male dicitur, fit, vel cogitatur, non peccato ommiſſionis, quo ſolum ommittitur, quod faciendum erat; nam, ut bene obſervat *D. Th. loc. cit. ad* 1. affirmatio, & negatio ad idem genus reducuntur; unde in allata definitione per dictum intelligitur etiam non dictum, per factum etiam non factum &c. Ommittere igitur, dictum, factum &c., cum ex legis præſcripto faciendum eſt, erit peccatum ommiſſionis contra legem æternam, utpote cui non conformatur, qui ommittit operari, quando operandum erat. Solet etiam peccatum ita definiri: *Averſio a ſummo bono, & converſio ad creaturam;* qui enim peccat mortaliter, ſeparatur a Deo, cui per gratiam, & charitatem jungebatur, & cum ſaltem facto ipſo præferat Deo aliquid creatum, convincitur converti ad creaturam, & in ea ponere rationem ultimi finis.

Q. II. Quotuplex ſit peccatum.

R. I. Peccatum dividitur in Originale, & Perſonale. Originale commiſſum fuit aliena voluntate, quatenus ſcilicet Adam conſtitutus fuit caput omnium hominum, adeo ut interpretative imputaretur etiam ipſis obſervantia, vel inobſervantia præcepti, quo illi vetitum fuit comedere quemdam fructum. In hoc igitur conſiſtit originale peccatum, quod omnes ipſius deſcendentes, excepta Beatiſſima Virgine, quodammodo reputantur culpabiles tranſgreſſionis factæ a capite, & ita naſcuntur ſine juſtitia originali. Perſonale eſt illud, quod committitur propria voluntate.

R. II. Peccatum perſonale ſecundum differentias accidentales multipliciter dividitur. Primo igitur dividitur in actuale, & habituale. Actuale eſt peccatum, quod actu committitur, ut dum quis actu mentitur. Habituale eſt malitia peccati actualis, quæ intelligitur moraliter perſeverare, uſque dum non retractetur per condignam ſatisfactionem Deo exhibitam, & deleatur per Dei condonationem; & quia intelligitur moraliter perſeverare, reddit hominem Deo exoſum. Secundo dividitur in peccatum ommiſſionis, & peccatum commiſſionis. Peccatum commiſſionis eſt tranſgreſſio præcepti negativi, ommiſſionis vero eſt tranſgreſſio præcepti poſitivi. Præceptum negativum eſt, quod directe, & primario prohibet aliquid; obligat autem ſemper, & pro ſemper, uti præceptum non furandi obligat ne unquam, & quocumque tempore alienum ſurripiatur. Præceptum affirmativum vero primario, & per ſe præcipit aliquid fieri, hoc autem obligat ſemper, & non per ſemper, ſic licet teneamur ſemper audire Miſſam die feſto, non tamen tenemur aliis diebus non feſtis.

Tertio dividitur in peccatum, cordis, oris, & operis. Hæc diviſio aliquando ſignificat tres gradus ejuſdem peccati, ut dum Luxurioſus intendit fornicationem, ex qua intentione movetur ad loquendum turpiter cum muliere, ac denique committit fornicationem. Aliquando ſignificat tres ſpecies peccatorum, ſed imperfectas & inchoatas; ut ſi quis ſolum intendat delectari in cogitatione fornicationis, nolens tamen de ea loqui, eamque committere. Hæc eſt prima ſpecies imperfecta. Secunda evenit, ſi alter intendat ſolum ſe delectare in loquendo de fornicatione, nullatenus volens opus exequi. Tertia ſi ſolum in fornicationis opere velit quis delectari. Demum allata diviſio ſignificat tres ſpecies peccatorum conſummatas, & diſparatas. Ita odium Dei, hæreſis &c. ſunt ſpecies peccatorum, quæ conſummantur in corde, ſeu voluntaria cogitatione. Perjurium, & detractio ſunt aliæ ſpecies peccatorum, quæ ore conſummantur. Homicidium, furtum &c. ſunt ſpecies peccatorum, quæ complentur opere. Quarto alia ſunt peccata ſpiritualia, alia carnalia. Hæc complentur in delectatione carnis, ut luxuria, & gula: illa in delectatione ſpirituali, ſeu mentis, & ita ſuperbia, & invidia perficiuntur in ſola apprenſione alicujus objecti deſiderati. Quinto dividitur in illud,

quod,

quod eſt contra Deum, contra Proximum, contra ſeipſum. Quamvis omnia peccata ſint contra Deum, in præſenti ea peccata dicuntur eſſe contra Deum, quæ ſunt contra virtutes, cujus ipſe eſt objectum. Tales ſunt virtutes Theologales, & Religio. Ea dicuntur peccata contra proximum, quæ ſunt contra virtutes ad ipſum pertinentes, talia ſunt peccata immiſericordiæ, injuſtitiæ, &c. Ea demum dicuntur peccata contra ipſum peccatorem, quæ nempe violant virtutes, per quas propriæ paſſiones ſunt moderandæ, ut peccata intemperantiæ.

Sexto ex parte cauſæ peccatum dividi poteſt in illud quod eſt ex infirmitate, ſive paſſione: in illud, quod eſt ex malitia voluntatis, & in illud, quod eſt ex ignorantia. Ita *S. Th.* 1.2. *q.* 76. 77. & 78. Qualiter committatur peccatum ex infirmitate conſtat ex dictis de Concupiſcentia in ſuperiori Tract. *q.* 2. *c.* 2. Si proinde paſſio ſit antecedens, & talis ſit, ut omnino tollat advertentiam, nullum erit peccatum; ſi vero aliquando tollat advertentiam, ſed non taliter, ut agens non ſatis advertat ad peccatum, tunc minuit quidem peccatum, ſed non tollit. Si vero ſit conſequens, potius peccatum adauget, ut patet ex dictis ibid. Illud vero dicitur peccatum ex malitia, quod oritur ex certa, & deliberata malitia voluntatis ad malum inclinatæ, abſque eo quod ab infirmitate, ſeu paſſionibus appetitus ſenſitivi impellatur; & ſi impellitur, multo magis eſt cauſa peccati malitia voluntatia, quam ipſarum paſſionum impulſus. Hinc recte docet S. Th. 1.2. *q.* 78. *a.* 4. hoc peccatum eſſe gravius eo quod oritur ex infirmitate, utpote quia provenit ex majori advertentia, & libertate voluntatis pravæ.

Denique ad diſcernendum quando peccatum oriatur ex ignorantia, recolenda ſunt, quæ dixi in ſuperiori Tractatu *q.* 2. *c.* 3. Si ergo actio oriatur ex ignorantia invincibili, quia hæc omnino removet voluntarium, etiam non habet locum peccatum. Ubi advertendum, quod ad hoc ut ignorantia dicatur invincibilis, ſat eſt, ſi quis adhibuerit ordinariam, & communem diligentiam pro negotii gravitate, & adhuc non potuerit ignorantiam ſuperare: *Az. l.* 1. *Inſtit. c.* 16. *qu.* 6. *Laym. l.* 1. *tr.* 2. *c.* 4. *Palaus tr.* 2. *diſ.* 1. *p.* 15. *n.* 5. Advertendum etiam reputari invincibiliter ignoraſſe, qui inculpabiliter non advertit malitiam actionis, quam fecit. Si vero actio mala oriatur ex ignorantia vincibili, tunc advertendum eſt, quod ſi ſit venialiter vincibilis, actio, quæ ex ea ſequitur non poteſt eſſe niſi venialiter mala, cum enim illa ignorantia ſit dumtaxat venialiter peccaminoſa, non poteſt majorem malitiam transfundere in actionem, cujus eſt cauſa. Ita qui fecit diligentiam ad ſe certiorandum, an aliqua die jejunandum eſſet, & ſolum omiſit aliquam levem diligentiam, quam inſuper facere debebat, dicitur habere ignorantiam venialiter culpabilem, ex qua certe, ſi violet jejunium, non peccabit graviter *Bonac. de Pecc. d.* 2. *q.* 8. *p.* 3. a. 21. *Laym. l.* 2. *tr.* 2. *c.* 4. a. 9.

Si vero ignorantia ſit mortaliter vincibilis, ſeu culpabilis, puto non poſſe excuſare a gravi culpa, etiam in tranſgeſſione præceptorum humanorum, quamvis hæc ignorantia non eſſet craſſa, & ſupina. Non nego igitur, quod dum agitur de ignorantia juris naturæ, & divini, non ſit neceſſaria major diligentia ad eam expellendam, quia talia præcepta graviora ſunt, & præſtantiora, adeoque magis diligentes debent eſſe homines, ut poſſint ea obſervare. At ſuppoſito ex ignorantia mortaliter culpabili tranſgredi in re gravi præceptum poſitivum, non video quomodo hoc excuſari poſſit a gravi culpa: ſi etenim cauſa eſt graviter peccaminoſa, conſequens eſt, & talem debere eſſe ipſius effectum: *Palaus tr.* 2. *diſ.* 2. *p.* 16. *n.* 1. & alii contra aliquos, quos ſequitur *Sanch. in Sum. l.* 1. *c.* 17. a. 20. & 21. Demum advertendum ignorantiam graviter culpabilem non eſſe peccatum per ſe diſtinctum a pravo opere, quod ex ea ſequitur; niſi talis ignorantia ſit per ſe prohibita, non vero ratione operis exequendi. Si quis e. g. die feſto omittat ſacrum ex ignorantia vincibili feſtam eſſe illam diem, illius ignorantia non eſt peccatum diſtinctum ab omiſſione Sacri, quia non eſt prohibita per ſe, ſed ne Sacrum omittatur. Si quis ignoret vero articulos Fidei; ſi Confeſſarius & quicumque alius quæ pertinent ad ſuum munus, talis ignorantia eſt peccatum independenter a quocumque effectu pravo; unicuique enim per ſe prohibita eſt ignorantia eorum, quæ neceſſaria ſunt ad exercendum ſuum munus, vel ad proprium ſtatum: *Azor. l.* 1. *c.* 12. *q.* 5. & 6. Addendum quod qui ex ignorantia eorum, quæ pertinent ad ſuum munus prævidet eſſe in periculo proximo multoties errandi, tot peccata committet, quot prævidet moraliter eſſe ſecutura ex ſua ignorantia: *Salman. tr.* 20. *c.* 14. *p.* 5. *a. n.* 41. Videat ergo Confeſſarius indoctus quibus, & quot ſuam illaqueet conſcientiam peccatis, ſi tot committit, quot poteſt prævidere ſecutura ex ſua ignorantia.

Ultimo peccatum perſonale dividitur in mortale, & veniale. Mortale illud eſt, quod affert animæ mortem, quatenus illam privat gratia ſanctificante, quæ eſt vita ſpiritualis animæ. Hinc peccatum mortale dicitur eſſe contra legem ſimpliciter talem, quia eſt contra legem, ut ſimpliciter neceſſariam ad ultimum finem conſequendum; dicitur eſſe contra Gratiam, & Charitatem; dicitur deordinare voluntatem quoad ultimum finem, adeoque & mereri pœnam æternam. Peccatum veniale non privat animam Gratia ſanctificante, & dicitur veniale quia leviter offendit, dignumque eſt ut facilius dimittatur. Hinc non dicitur eſſe ſimpliciter contra legem, ſed ſecundum quid, quatenus ſcilicet non deſtruit ſubſtantiam legis, ſed ſolummodo modum, & perfectionem illius, in hoc ſenſu dixit *S. Thomas q.* 7. *de malo. art.* 1. *ad* 1. peccatum veniale eſſe præter legem. Eadem ratione non dicitur peccatum veniale eſſe contra Gratiam, & Charitatem, ſed contra fervorem Charitatis; non contra finem, ſed contra ea, quæ ſunt ad finem, ac proinde nec meretur pœnam æternam. Ad dignoſcendum vero quæ ſint gravia, quæ levia peccata, primo recurrendum eſt ad Sacram Scripturam, nam quæ ibi dicuntur digna morte, excludere a Regno &c. utique erunt peccata mortalia. Secundo recurrendum eſt ad traditionem, quæ innoreſcere poteſt ex communi DD. conſenſu, & ita quæ communiter reputantur gravia, talia judicari poſſunt ex communi Eccleſiæ traditione. Tertio, quæ ratio dictat graviter averſari Charitati Dei, vel Proximi, abſque dubio gravia ſunt reputanda: & ita ſtatim judicamus gravia peccata hæreſim, blaſphemiam, odium Dei, perjurium, homicidium, furtum &c. Eadem ratio multoties manifeſtat eſſe gravia, quæ alias levia eſſent, ſi multum conducant ad finem intentum a Legiſlatore. Ita reſpectu Superioris Religioſi non eſt leve permittere, ut aliqua regula paſſim tranſgrediatur; etenim paucas adinvenire eſt regulas, quæ non multum conducat ad finem intentum a Legiſlatore: atque ita graviter peccat Superior, qui permittit invaleſcere tranſgreſſionem alicujus regulæ, quando alias ſubditus non tenetur eam neque ſub levi obſervare.

Q. II. An id, quod eſt ex genere ſuo mortale, fieri poſſit veniale.

R. I. Id, quod eſt ex genere ſuo mortale, ut perjurium, blaſphemia &c. poteſt eſſe veniale ex defectu plenæ, & perfectæ advertentiæ, vel etiam ex defectu conſenſus. Pro quo primum advertendum eſt actus noſtros, ſive motus appetitus ſenſitivi tripliciter poſſe conſiderari. Primo ita ut objectum alias malum repræſentetur voluntati ſub ratione utilis, vel delectabilis nullo vero modo ut inhoneſtum, & malum. In hac hypotheſi, quicumque ſequatur ſubitus motus, quem multoties non eſt in noſtra poteſtate omnino cohibere, juxta illud Apoſtoli *ad Rom.* 7. *Non quod volo bonum, id ago, ſed quod nolo malum, id facio,* nullatenus eſt peccatum; neque enim peccatum dari poteſt, niſi ſit voluntarium, & voluntarium eſſe non poteſt, niſi præcognoſcatur objectum malum, ſub ratione inhoneſti, & peccaminoſi. Tales, & qui tunc dantur motus appetitus ſenſitivi, quia naturaliter excitantur, & præveniunt omnem cognitionem de bonitate, vel malitia objecti, dicuntur *primo primi*. Secundo, motus appetitus taliter excitari poſſunt, ut antecedant quidem perfectam cognitionem malitiæ, adeoque & perfectam deliberationem voluntatis circa objectum malum, non vero antecedant imperfectam cognitionem malitiæ, & ſemiplenam deliberationem voluntatis. Ita evenire poteſt in ſemiebriis, & ſemidormientibus, vel etiam vigilantibus, qui tamen vel alienis cogitationibus, vel aliqua paſſione iræ &c. habeant animum ita turbatum, ut nonniſi imperfecte advertant ad gravem malitiam actionis, vel ejus periculum. In his actibus, qui dicuntur *ſecundo primi*; nonniſi leviter peccamus, etſi adſit conſenſus, cum etenim imperfecte advertatur ad malitiam gravem actionis, neque etiam poteſt eſſe perfectus conſenſus voluntatis in ea, quatenus gravis eſt; ac proinde actus voluntatis reputatur tantummodo venialiter culpabilis. Quod ſi voluntas pleno conſenſu feratur in objectum graviter peccaminoſum, poſtquam præceſſit plena advertentia de eo, non ſolum ut utili, & delectabili, ſed etiam ut graviter culpabili; tunc nullatenus excuſari poteſt a gravi culpa, & talis motus dicitur *ſecundo ſecundus*. Expli-

cat

cat hæc *S. Thom. q. 7. de malo a. 6. & in 2. d. 24. q. 2. a. 2.*

Ut autem cognoſcatur; quando ex defectu conſenſus, quod eſſet mortale, fieri poſſit veniale, ſequentia ſunt obſervanda. Vel igitur intellectus, dum plene advertit malitiam alicujus objecti, graviter culpabilis, vel motum appetitus ſenſitivi in objectum moralitet prohibitum, efficaciter diſſentit, & curat poſitive reſiſtere, & tunc nullum committit peccatum; ſi vero neque conſentit, neque diſſentit, aut negative ſe habendo non reprimit talem motum, tunc non peccabit mortaliter; nam inordinatio appetitus ſenſitivi ſemper cum non eſt voluntaria, intelligi non poteſt graviter peccaminoſa, & voluntaria non eſt ſemper, cum voluntas, licet non diſſentiat nihilominus non intelligitur conſentire: *D. Thom. 1. 2. qu. 74. a. 4.* Quia tamen ſemper eſt cum aliqua deordinatione, & imperfectu conſenſu non cohibere aliquo modo motus appetitus ſenſitivi in objectum graviter culpabile, ideo ſemper adeſt aliquod peccatum veniale. Quæ tamen dicta ſunt, verificantur ſolum in caſu, quo non adſit grave periculum conſenſus, eo quod voluntas velit negative ſe habere, hoc eſt, neque conſentire, neque diſſentire. Hinc ſi aliquis ſentiat in ſe conſurgere motus iraſcibilis, & ſciat ſe exponere gravi periculo blaſphemandi &c, tenetur, quantum poteſt, illos cohibere. Si pariter conſurgant magnæ commotiones carnis, aut libidinis, tenebitur unuſquiſque eas cohibere, & non ſolum negative ſe habere; rarus enim eſt ille homo, qui non ſe exponat periculo conſenſus, hujuſmodi non cohibendo. Notum autem eſt quod eadem obligatione, qua tenemur vitare peccatum, tenemur etiam vitare grave periculum illius: *Sanch. l. 1. Sum. cap. 2. a num. 13. & de Matrim. l. 9. d. 44. num. 26.*

R. II. Peccatum ex genere ſuo mortale fieri poteſt veniale ex parvitate materiæ, ſi hæc parvitas in eo genere reperiatur. Ubi advertas aliqua eſſe, quæ talem parvitatem non admittunt, ut notant Theologi, dum in particulari de illis agunt. Non datur e. g. parvitas materiæ in odio Dei; neque etenim concipi poteſt levis injuria, quocumque modo illa infinita Bonitas odio habeatur: non datur in infidelitate, quia ſemper cum non credatur Infinitæ Veracitati, levis offenſa eſſe non poteſt. Hac ratione non datur parvitas materiæ in perjurio aſſertorio, quomodo enim poteſt adſtrui levis injuria, dum ſumme Verax in teſtem falſitatis invocatur? Alia vero admittunt materiæ parvitatem, ut e. g. in levi furto, cum etenim penſetur gravitas offenſæ, vel a quantitate materiæ vel a damno illato, & hæc poſſint eſſe levia, ſequitur quod id, quod alias ex genere ſuo eſſet mortale, poſſit ex parvitate materiæ fieri veniale. Ubi iterum advertas gravitatem, vel levitatem materiæ non eſſe aliquando æſtimandas, conſiderando præciſe ipſam materiam, ſed præcipue finem intentum a Legislatore: *Boſſ. p. 3. Mor. tit. 1. n. 21. 24. Palaus tom. 1. tr. 2. d. 2. p. 7.* Judicaret fortaſſe aliquis quid leve ſemel omittere ſacrum die feſto, nihilominus ita judicando erraret, quia finis intentus a legislatore, nempe cultus Dei, non leviter violatur per omiſſionem unius ſacri. Idem dicas, ſi levi materia grave damnum inferatur. Ex huc uſque dictis conſtat peccatum veniale eſſe in triplici differentia. Aliud tale eſt ex genere ſuo, quia habet objectum ex genere ſuo leve, ut patet in mendacio jocoſo, verbo otioſo &c. Aliud tale eſt ex indeliberatione, ſeu imperfectione actus, & conſenſus. Aliud denique ex parvitate materiæ.

Q. III. An peccatum ex genere ſuo veniale fieri poſſit mortale.

R. Quamvis peccatum ex genere ſuo veniale per ſe fieri non poſſit mortale, tale fieri poteſt adventu alicujus extrinſecæ circumſtantiæ, & id pluribus modis. Primo ratione conſcientiæ erroneæ, ut ſi quis leviter mentiendo putaret mortaliter peccare, & nihilominus mentiretur. Secundo, ratione finis adjuncti, ut ſi quis leviter mentiretur, ut gravis inimicitia inter aliquos oriretur; & in hoc caſu in confeſſione dicendum eſſet: habui intentionem inter aliquos gravem inimicitiam ponendi, nam mendacium de ſe non habet niſi malitiam venialem. Tertio peccatum veniale fieri poteſt mortale ratione ultimi finis in eo poſiti; quando ſcilicet quis paratus eſſet iſtud veniale committere, niſi eſſet mortale: *S. Th. 2. 2. q. 152. a. 3.* Quarto ratione ſcandali, ut ſi quis committeret peccatum veniale, prævidendo ex eo aliquem occaſionem ſumpturum ſpiritualis ruinæ. Quinto peccatum veniale fieri poteſt mortale, ſi committatur ex formali contemptu Legislatoris, ipſiuſque legitimæ poteſtatis. Sicut igitur obedientia, quamvis ſit generalis conditio quæ includitur in obſervantia cujuſcumque præcepti, nihilominus ſit ſpecialis virtus, dum quis adimplet præceptum ex formali intentione, & motivo obediendi, ita licet inobedientia in omni tranſgreſſione generalitet includatur, nihilominus committitur ſpeciale peccatum inobedientiæ, dum tranſgreditur præceptum ex formali contemptu præcepti, ſeu authoritatis Superioris: *S. Th. 2. 2. q. 105. art. 1.*

Ut autem id melius intelligatur, obſervandum eſt poſſe dari comtemptum non præcepti ut tale eſt, ſed materiæ ipſius præcepti, quia videtur exigui momenti, & hic contemptus, cum non reſpiciat poteſtatem legislativam, ſed exiguitatem materiæ, videtur non excedere peccatum veniale; *Leſſ. l. 2. cap. 46. dub. 6. Sanch. l. 1. Moral. c. 5. n. 11.* Id tamen non admittunt alii in præceptis Divinis; videtur enim gravis irreverentia erga Deum, contemnere materiam præcepti Divini, quia non reputatur gravis: *Palaus diſp. 2. p. 9. n. 2.* Item contemni poteſt Superior non quia talis, ſed quatenus eſt particularis homo, imprudens, indoctus &c. & pariter in hoc caſu, niſi graviter offendatur, intervenire poteſt ſolum culpa venialis, quamvis ſemper periculoſe Superior quocumque modo contemnatur: *Leſſ. l. cit. n. 45.* Denique poteſt quis peccare ex formali contemptu legis, ſeu Legislatoris, quatenus non tantum tranſgreditur legem ex malitia, vel infirmitate, ſed præcipue quia non vult Superiori, ſeu legi ſubjici; & hic contemptus ſemper eſt peccatum mortale. Ratio eſt quia talis contemptus directe tendit in legitimam poteſtatem, quæ cum a Deo ſit, etiamſi ſit humana, non eſt ſine contemptu etiam ipſius Dei. Idem dicas de formali contemptu conſiliorum, quia redundaret in Deum ipſorum Authorem: *Navar. in man. c. 23. n. 42.* & de formali contemptu legis, ſive regulæ Regularium nonniſi ad pœnam obligantis: *S. Th. 2. 2. qu. 186. a. 9. ad 2.*

Q. IV. Quando ex repetitis peccatis venialibus conſurgat peccatum mortale.

R. Quantumvis multiplicentur peccata venialia, non valent per ſe efficere unum peccatum mortale: *D. Th. 1. 2. q. 88. a. 24.* Ratio eſt quia, cum actus quantumvis multiplicentur, non mutent ſuam ſpeciem, conſequens eſt quod cum peccatum veniale ex ſua ſpecie non dicat oppoſitionem cum Gratia, & Charitate, neque eamdem oppoſitionem importent multiplicata venialia peccata, & ita non valent efficere peccatum mortale. Nihilominus ab extrinſeco poteſt conſurgere peccatum mortale ex repetitis peccatis venialibus. Primo id ſequi poteſt ratione damni illati, ſi ipſorum materia, vel effectus continuentur. Hac ratione, qui per modica furta pertingit ad materiam gravem, ultimo actu committit peccatum mortale; nam verificatur eo furto damnum grave inferre. Secundo, ſi materia ipſorum continuetur ratione temporis, quo durat aliqua obligatio. Ita qui parum quid pluries comedit in die jejunii extra prandium, & ſerotinam collationem, peccat graviter, dum ultima comeſtione pertingit ad notabilem quantitatem; nam verificatur notabiliter violaſſe temperantiam, quod ea die vetitum erat. Hic tamen advertas non dici continuari, & conſtituere unum quid grave, ratione temporis, plura peccata venialia eadem die commiſſa ſi ſint diverſæ rationis, ut ſi quis eadem die leviter peccet in recitatione officii, in auditione ſacri, & ſimilibus aliis modis: *Palaus diſp. 2. p. 9. ſ. 4. n. 10.* Ratio eſt, quia quamvis hæc peccata venialia eſſent contra Virtutem Religionis, nihilominus diverſo modo eam offenduut, unde ad invicem non coaleſcunt. Tertio ex repetitis peccatis venialibus conſurgere poteſt mortale, ſi ipſorum materia continuetur, quia una obligatio non deſinit cum tempore, ſed cum alia continuatur. Hinc ſi quis vovit ſingulis diebus dare obulum in eleemoſynam, & tot diebus id non adimpleat, quot ſatis eſt, ut faciant materiem gravem, poteſt graviter peccare. Ad id autem dignoſcendum, obſervare eſt an obligatio ſit alligata diei, ita ut eo tranſacto terminet, vel potius dies, ſeu tempus ſit aſſignatum pro commodiori adimpletione obligationis, non vero ad eam finiendam. Et quidem primo ſtandum eſt intentioni illius, qui ſe obligavit. Si de ea non conſtet, obſervandum eſt an obligatio ſit realis, vel perſonalis. Si realis, facilius ſupponi poteſt tempus non fuiſſe aſſignatum ad finiendam obligationem, ſed ad facilius eam adimplendam, & ne ultra differatur: ſicuti tranſacto tempore præfixo ſolutioni debiti, non extinguitur obligatio. Et quidem cum hujuſmodi obligationibus ſo-

leat

leat quis habere in intentione occurrere neceſſitati proximi; quæ adhuc durat, & ſuppleri poteſt tranſacto tempore, non eſt cur intelligatur voluiſſe apponere diem ad finiendam obligationem: *Boſſ. p. 3. moral. tit. 4 num.* 2126. *Sanch. c. 4. n. 9. &c.* Si vero ſit perſonalis, ut recitare ſingulis diebus ſalutationem Angelicam &c. tunc non debet præſumi voluiſſe obligationem prorogari in diem craſtinum, cum mos ſit, ut operationes perſonales, quæ præſcribuntur perſolvendæ ſingulis diebus, non ſoleant in diem ſequentem prorogari, ut conſtat in omittente recitare officium, vel audire ſacrum &c.

Q. V. An propoſitum non abſtinendi ab ullo peccato veniali ſit ſolum peccatum veniale, vel mortale.

R. Non eſt hic ſermo de re venialiter mala, quæ alicui eſſet occaſio proxima peccandi mortaliter, ut ſi quis vellet ludere, dum ſcit ludum illi eſſe occaſionem proximam, ſeu periculum proximum peccandi. Certum eſt in hoc caſu propoſitum non vitandi venialia eſſe ſemper peccatum mortale; nam idem præceptum, quod ſub gravi obligat ad vitandum mortale, obligat pariter ad vitandam ipſius occaſionem proximam, & periculum: *Sanch. l. 1. Sum. c. 8. n. 5.* Hinc qui ſe exponit proximo periculo peccandi, debet explicare circumſtantiam peccati, cujus periculo ſe expoſuit, quia contrahit ipſius malitiam; cum eodem præcepto, & eodem motivo prohibeatur e.g. peccare cum fœmina, ac ſe exponere periculo peccandi cum illa. Quæſtio ergo procedit de propoſito ut ſic nullum vitandi veniale, & abſtinendi ab omni peccato mortali. In hac autem quæſtione contra multos Theologos, in praxi credo tale propoſitum ſemper eſſe cum gravi periculo peccandi mortaliter, adeoque non poſſe excuſari a peccato mortali. Ratio mihi eſt, quia periculum grave peccandi mortaliter oritur, tum ex imminutione fervoris Charitatis, tum ex eo, quod timor Dei ſenſim recedat, tum ex eo, quod denegentur a Deo Gratiæ uberiores, ac tandem Gratia efficax, ſine qua nunquam perſeverabimus. Conſtat autem quod prava illa voluntas a nullo veniali abſtinendi extinguit fervorem Charitatis, aſſueſcit quam plurimum animum ad inobſervantiam divinæ Legis, & exinde etiam movetur Deus ad retrahenda Gratiæ auxilia juxta illud *Apoc. 2. Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*, Addatur experientia, qua cognoſcimus illos, qui a nullo veniali curant abſtinere, etiamſi fiant ex malitia, & perfecta advertentia, cito prolabi in peccata mortalia, unde & ex hoc conſtat de ſupradicto gravi periculo: *Sanch. l. 1. Sum. cap. 5. nu. 4. Boſſ. tit. 1. moral. p. 3. num.* 2241. Non nego tamen difficile eſſe adinvenire aliquem, qui ex propoſito non vitandi venialia advertat conſurgere poſſe grave periculum committendi mortalia, & ex defectu talis advertentiæ excuſari poterit a gravi culpa, quamvis habuerit tale propoſitum.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Ubi clarum non eſt aliquod eſſe peccatum mortale, non præceps ſit confeſſarius in judicando aliquam tranſgreſſionem gravem eſſe, & talis peccati Reum ſuum Pœnitentem pronunciare. Hoc valde, ipſo Angelico Doctore atteſtante, *Quodlib. 9. art.* 15. periculoſum eſt & hac ratione, gravi Animarum diſpendio inducuntur aliquando quamplurima peccata mortalia; ac proinde hujuſmodi imprudentes Zelatores non diminuunt, ſed augent offenſas.

II. Cum peccatum ex genere ſuo mortale fieri poſſit veniale defectu plenæ advertentiæ, & indeliberationis, prudens Confeſſarius debet ſcire qua ratione poſſit detegere ſtatum ſui Pœnitentis. Si igitur iſte ſe accuſet e.g. de aliqua prava cogitatione, eamque aliquo tempore ipſius menti inſediſſe, primo interroget: an cognoverit illam eſſe peccatum, & ſi tunc reſpondeat ſtatim deteſtatam fuiſſe, ac cognovit turpem eſſe, poteſt judicare in ea nullatenus peccaſſe. Si vero reſpondeat habuiſſe per aliquod tempus aliquam confuſam cognitionem malitiæ, eique adhæſiſſe, ſed non plene advertendo ad ipſius gravitatem, tunc facile nonniſi peccatum veniale interceſſit. Quod ſi neſciat ſe expedire ab his interrogationibus, cum revera non facile ſit cognoſcere quomodo ſe geſſerit voluntas, dum variis tentationibus animus perturbatur, tunc ſi pœnitens ſit timoratæ conſcientiæ poteſt præſumere, vel defuiſſe plenam advertentiam, vel conſenſum, maxime ſi adſint aliqua ex iis ſignis, quæ adnotavi agendo de conſcientia ſcrupuloſa, Regula quinta.

III. Multoties Pœnitens ſe accuſat de tranſgreſſione alicujus legis vel civilis, vel eccleſiaſticæ, & putat ita ſatisfeciſſe ſuæ conſcientiæ. Si Confeſſarius ergo ex qualitate pœnitentis judicet neceſſarium, interroget an tranſgreſſio orta fuerit ex contemptu ſui Principis, vel Epiſcopi, ſi ſit lex Synodalis, vel Superioris Regularis, ſi pœnitens ſit Religioſus. Certum eſt non deeſſe caſus, ex quibus ſubditi ex parvipendentia ſui Legiſlatoris, flocci faciant ipſius leges, & tunc ſi contemptus tranſeat in Superiorem, ut Legiſlator eſt, conſurget grave ſpeciale peccatum inobedientiæ, ut patet ex ſupradictis.

IV. Cum, experientia teſte, Pœnitens, qui non curat de vitandis peccatis venialibus etſi non habeat propoſitum omnia committendi, cito prolabatur in peccata mortalia, non plene ſatisfaciunt ſuo muneri illi Confeſſarii, qui nihil curant de removendis iis peccatis, maxime ſi plena advertentia committantur. Inſtruant igitur ſuos pœnitentes, quod ſi non caveant a peccatis venialibus, maxime commiſſis ex malitia, & plena advertentia, quam primum gravibus culpis ſuam animam inquinabunt, ac deinde, dum hujuſmodi peccatis venialibus, maxime frequenter commiſſis, ad Confeſſionem accedunt, non deſinant eos objurgare, & certificari de ſtabili propoſito ab eis abſtinendi.

CAPUT II.

De diſtinctione ſpecifica, & numerica Peccatorum.

Q. I. Unde deſumenda ſit moralis ſpecifica diſtinctio peccatorum.

R. I. In peccatis omiſſionis, ipſorum mortalis ſpecifica diſtinctio dignoſcitur ex actibus, quibus privant. Ratio eſt, quia tota bonitas, & malitia omiſſionis pendet ab actu, qui omittitur, unde ſi omittitur actus malus, omiſſio bona eſt, mala autem, ſi omittatur actus bonus. Pari ergo ratione, ſi omittantur actus boni, qui ſunt in ſpecie moraliter diverſa, etiam omiſſiones ſpecifice diſtinguentur. Ita erunt omiſſiones ſpecie diverſæ, omittere Sacrum die feſto, & omittere jejunium, quia auditio Sacri, & jejunium ſunt in diverſa ſpecie. E contra ſi omittatur Sacrum vel die dominico, vel die feſto, non ſunt omiſſiones diverſæ ſpeciei, quia auditio Miſſæ, vel die dominico, vel die feſto eſt ejuſdem rationis.

R. II. Peccatum commiſſionis primo diſtinguitur ſpecie per oppoſitionem ad diverſam virtutem: ita ſpecie differunt odium Dei, & Infidelitas, quia odium opponitur Charitati, & Infidelitas Fidei. Ratio autem eſt, quia cum ex dictis *tract. 1. qu. 3. c. 1.* actus conſtituantur in eſſe morali, prout dicunt convenientiam, vel diſconvenientiam cum natura rationali, ſequitur, quod ubi eſt diverſa diſconvenientia, ſeu oppoſitio cum natura rationali, ſit etiam moralitas ſpecie diverſa. Hæc autem diverſa diſconvenientia neceſſario intercedit, ubi actus ſunt oppoſiti diverſis virtutibus; nam alio modo diſconvenit rectæ rationi e.g. odio habere infinitam Dei Bonitatem, alio modo non credere Primæ veritati: *D. Th. 1. 2. qu. 72. art.* 1.

R. III. Peccata commiſſionis etiam differunt ſpecie, ſi opponantur eidem virtuti, ſed ſub diverſa ratione, & diverſa repugnantia cum natura rationali. Conſtat id ex dictis, nam ſi opponantur ſub diverſa ratione, & diverſa repugnantia, ſtatim oritur diverſa diſconvenientia, & moralitas in actu. Hinc quamvis avaritia, & prodigalitas eidem opponantur virtuti nempe Liberalitati, ſunt peccata ſpecie diverſa, quia illi diverſa ratione opponuntur; prodigalitas nempe, quatenus Liberalitas dictat pecunias non eſſe ſine neceſſitate prodigendas, avaritia vero quatenus liberalitas dictat exponendas eſſe, quando oportet. Eidem pariter virtuti, nempe caſtitati, opponuntur fornicatio, & mollities; & tamen ſunt peccata ſpecie diverſa, quia diverſa ratione eidem contrariantur: dictat nempe Caſtitas non eſſe fornicandum propter damnum prolis, vitandam vero eſſe mollitiem, ne alio uſu, quam ad generationem a natura intentam, ſemen diſperdatur.

Inferendum ex his, quod ſi præcepta ſint ſolum materialiter diverſa, quando nempe non habent diverſum motivum, aliquid præcipiendi, vel prohibendi, non inducunt diverſitatem ſpecificam in peccatis, quia tunc, quantumvis multiplicentur præcepta, læditur eadem virtus, & eodem modo: *D. Th. 1. 2. qu. 72. art. 6.* Exemplum ſit in furto, quod lege divina, & humana prohibetur, & tamen fur unum committit peccatum, quia illæ Leges, habent unum, & idem motivum intrinſecum, nempe

con-

conſetvare bonum proximi, & vitare damnum illius, & ita illas non obſervans, eamdem Juſtitiam violat, & eodem modo. E contra, ſi præcepta ſint formaliter diverſa quia habeant diverſum motivum in aliqua re præcipienda, eorum tranſgreſſio non erit ſine pluribus peccatis ſpecie diverſis, quia læditur diverſa virtus, vel eadem ſub diverſa ratione. Exemplum pono in eo, qui teneretur ad jejunandum ex præcepto Eccleſiæ, voto, & juramento. Jam quatenus tranſgrederetur præceptum Eccleſiæ, violaret Temperantiam; ex ipſius enim motivo Eccleſia imperat jejunium. Quatenus vero non obſervaret votum, & juramentum, violaret quidem eamdem virtutem, nempe Religionem, ſed ſub diverſa ratione; quatenus enim frangeret votum, offenderet religionem dictantem fidem Deo eſſe ſervandam; & quatenus frangeret juramentum, violaret Religionem dictantem Deum ſummam veritatem non eſſe invocandum ut falſum teſtem.

Q. II. Unde deſumenda ſit diſtinctio numerica peccatorum.

R. I. Tot ſunt numero peccata, quot ſunt actus peccaminoſi, moraliter diverſi. Ratio eſt, quia, cum peccatum ab ipſa voluntate committatur, conſequens eſt toties voluntatem peccare, quoties repetit actus peccaminoſos moraliter diverſos. Verum tota difficultas eſt in determinando, quando hi actus moraliter diverſi ſint judicandi. Primo igitur intelligitur ſecundus actus moraliter ab antecedenti diverſus, quando prior omnino, & efficaciter revocatur: tunc etenim nemo non videt, quin intelligatur moraliter diverſus a primo, cum propter interruptionem, & revocationem nullatenus primus perſeveret. Conſequens ergo eſt, quod ſi quis pœnitens factæ revocationis redeat ad eumdem actum voluntatis peccaminoſum, iſte novus actus nullo pacto idem dici poſſit cum antecedente. Secundo, ſi quis tædio, vel alia ratione libere ceſſet ab actu voluntatis pravo, ſine propoſito ulterius progrediendi, ſi iterum redeat ad talem actum, novus actus erit moraliter diverſus a primo, & per conſequens novum peccatum. Ratio eſt, quia primus actus non perſeverat in ſe, quia peccans ab eo libere ceſſavit, neque virtualiter perſeverat in aliquo effectu, cum quis non habuerit propoſitum iterum redeundi ad eumdem actum, ergo cum nullatenus perſeveret actus antecedens, ſubſequens non poterit dici illius continuatio, ac proinde erit peccatum diverſum ab illo. Si vero aliquis non ceſſet libere, & voluntarie a prava voluntate, ſed tantum per ſomnum, ſeu inadvertentiam, tunc videndum eſt, an ea prava voluntas perſeveret in aliquo effectu, ſicut voluntas non reſtituendi perſeverat in retentione rei alienæ. Si ita ſit, ſemper continuatur idem unicum peccatum, nec per tractum temporis multiplicatur, quia idem peccatum ſemper in illo effectu perſeverat: *Lugo de Pœnit. diſp.16. ſect.14 n. 548.* & alii. Quod ſi quis nec libere ceſſaret ab ea voluntate, nec perſeveret in aliquo effectu, tunc ad dignoſcendum numerum peccatorum, obſervandum eſt, an ea ſit interruptio inter unum actum pravum voluntatis, & alium, ut intelligantur moraliter diſcontinuati. Si v.g. diſcontinuetur prava voluntas furandi &c. per ſomnum, inadvertentiam &c. per communes interruptiones, bene dici poteſt non eſſe moraliter diſcontinuatos actus voluntatis pravos, & ita non multiplicabuntur peccata. Si vero inter hos actus interruptio ſit extraordinaria, *v.g.* per duos dies, tunc intelligi non poterit continuatio moralis, & ita multiplicabantur peccata. In aliis e contra actibus interruptio unius horæ ſat eſt, ut judicentur actus moraliter diſcontinuati. Hinc ſi quis die jejunii poſt horam a prandio iterum comedat, maxime ſi non fuerit juſta cauſa talis interruptionis, non cenſebitur continuare primam comeſtionem, adeoque ſecunda erit peccaminoſa. Non poteſt ergo aſſignari regula determinata, ſed pro diverſis actibus major, vel minor interruptio faciet moralem diſcontinuationem. Tertio in actibus internis, ſeu peccatis, quæ ſolo animo perficiuntur, ut ſunt hæreſis, odium Dei, vel proximi, delectatio moroſa &c. multiplicantur peccata, quoties interrumpuntur, etiam per involuntariam, & naturalem ceſſationem, per diſtractionem e. g. ad alia per ſomnum &c. Ratio eadem eſt, ac ſuperius adducta, nam actus e.g. odii Dei ſtatim completur, & ſtatim deſinit eſſe, remanente ſolum peccato habituali; unde ſubſequens non poteſt dici idem cum antecedente, ac proinde erit novum peccatum.

R. II. Si peccata perficiantur opere externo, tot ſunt peccata, quot ſunt actus exteriores completi, conſummantes idem peccatum. Ratio eſt quia quoties unus eſt in ſe completus, & conſummatus, nullam connexionem habet cum altero; adeoque unuſquiſque ex ſe ſufficit ad conſtituendum diſtinctum peccatum. Id patet, dum quis ſucceſſive plures homines occidit, dum pluries fornicatur, quamvis hæc exiguo temporis intervallo perpetrentur. Secus, ſi actus exteriores ſint incompleti, & non conſummantes peccatum, quales ſunt e. g. omnes actus turpes præcedentes, vel concomitantes fornicationem; ſeu omnes actus præcedentes homicidium, quales ſunt arma arripere, vocare ſocios jam paratos ad occidendum, ad locum inſidiarum proficiſci &c. Ratio eſt, quia eadem prava voluntas intelligitur ſemper perſeverare, & continuari in illis actibus præcedentibus, ſicuti & poſtea conſummari in complemento peccati. Cum ergo, licet dentur actus phyſice diverſi, nihilominus non intelligantur moraliter repetiti actus voluntatis, inde eſt neque multiplicari numero peccata. Hinc in confeſſione ſatis eſt explicare ipſum opus conſummatum, cum quo cæteri actus unum quid moraliter efficiunt. Item ſemel tantum peccat, qui eodem impetu aliquem pluries percutit, repetitis contumeliis injuria afficit; omnes enim illi actus ſunt veluti media ad exequendam illam perverſam voluntatem vel verberandi, vel injuriandi, & ſic in eadem moraliter uniuntur. Aliud eſſet; ſi notabile temporis intervallum adeſſet inter unam, & aliam verberationem, vel inter unam, & aliam contumeliam.

Solet hic non levis eſſe difficultas in determinando, an dum quis eodem actu offendit plura objecta totalia, tot committat peccata, quot ſunt eadem objecta: ut dum quis eodem ictu ſclopeti plures curat occidere, vel ſimul detrahit de pluribus: ſi e.g. de aliqua familia, vel Religioſa Communitate obmurmuret. Non deſunt qui credant tot eſſe peccata, quot ſunt Perſonæ, quæ offenduntur, cum verificetur tot injurias, vel offenſas fuiſſe commiſſas, quot ſunt Perſonæ. Verum commode ſuſtineri poteſt unum tantum committi peccatum. Ratio eſt, quia peccatum commenſurandum eſt juxta intentionem peccantis, cum proinde Peccator conſiderare poſſit vel omnes illos homines, in quos explodit ſclopetum, vel illam familiam, de qua detrahit, per modum unius, unicum peccatum poterit committere, eo tamen gravius, quo numeroſiores ſunt perſonæ offenſæ. Quod ſi offendendo, vel detrahendo intenderet unamquamque illarum perſonarum ſigillatim offendere, tunc tot numero eſſent peccata, quod perſonæ, cum quot eſſent perſonæ, tot intellexiſſet injurias inferre.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum juxta Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 5. & can. 7.* aperiendæ ſint in Confeſſione ſpecies peccatorum, & circumſtantiæ mutantes ſpeciem, debet Confeſſarius probe ſcire, unde deſumenda ſit ſpecies peccatorum, & exinde judicare quot ſunt malitiæ ſpecies diverſæ in peccato; quod explicat ſuus Pœnitens. At in hoc quamplures non parum agnovi minus peritos. Si accedat e. g. aliquis, qui dicat eum Conſanguinea peccaſſe, multi concipiunt quidem gravius commiſiſſe peccatum, quam ſi ſimpliciter fornicatus fuiſſet; at neſciunt diſtinguere duo peccata ſpecie diverſa; inceſtus nempe, quatenus pietatem violavit, & fornicationis, quatenus offendit temperantiam. Demus uxoratum ſe accuſare cum altera uxorata peccaſſe, non multi ſunt Confeſſarii, qui ſtatim ſciant diſtinguere tria peccata ſpecie diverſa, contra temperantiam nempe, & contra juſtitiam, quatenus violavit jus ſuæ conjugis; & iterum contra Juſtitiam, quatenus violavit jus mariti illius, cum qua peccavit. Idem dicas de habente votum Caſtitatis, quia cum uxorata peccavit, adeoque tria commiſit peccata ſpecie diverſa, nempe contra Temperantiam, contra Religionem, contra Juſtitiam. Quod ſi hæc non probe calleant Confeſſarii, quomodo Judicis officium, ut par eſt, valebunt exercere? quam ante Tribunal Divini judicis excuſationem habebunt? Fatendum nihilominus eſt, quod ſi Pœnitens ſit homo rudis, nec valeat ſaltem in confuſo apprehendere diverſas malitias ſui peccati, tunc non judicandus eſt reus, niſi illius pravitatis, quam apprehendit.

II. Neque poteſt Confeſſarius rite fungi officio Judicis, ſi neſciat bene judicare de numero peccatorum, quem explicandum eſſe in Confeſſione docet Tridentinum loco ſupra citato. Si igitur ſuus Pœnitens ſe accuſat de aliquo pravo animo, ſive inhoneſta perpetrandi, ſive ſe ulciſcendi, ſtatim interroget, an ex corde talem animum aliquando retractaverit, & iterum reſumpſerit eumdem pravum affectum. Et tunc judicet toties peccaſſe, quoties reſumpſit eumdem pravum animum. Si dicat nun-

quam retractaſſe pravam voluntatem; tunc iterum interroget, an inter unicum actum internum pravum, & alium interceſſerit ea diſtantia temporis, qua non poſſint dici moraliter continuaſſe, & tunc erunt tot peccata, quot fuerunt actus voluntatis. Item tot erunt peccata, quot actus voluntatis, quando quis libere ceſſavit a prima prava voluntate, & iterum ad eam rediit. Quod ſi prava voluntas ſit de peccatis, quæ perfecte conſummantur in corde; ut odium Dei, proximi, hæreſis, delectatio moroſa &c. tunc ſemper peccata multiplicantur, prout multiplicantur actus voluntatis; nam eo ipſo quod ſtatim perficiantur, ſecundus actus pravus dici non poteſt continuatio præcedentis. Hæc autem moralis continuatio poteſt adinveniri in prava voluntate circa peccata oris, & operis, at ſupra dictum eſt. At quia, ſi pravus animus fuit diuturnus, difficillimum eſt adinvenire, quoties prava voluntas fuerit moraliter repetita, ideo multoties ſat erit, ſi Confeſſarius interroget de tempore, quo aliquis in pravo perſeveravit.

Quod ſi Pœnitens ſe accuſet de opere externo conſummato, tunc non opus eſt Confeſſarium illum interrogare de actibus illum præcedentibus, cum omnes conſtituant unicum morale peccatum cum eodem opere conſummato. Id autem quam maxime attendat Confeſſarius, dum Pœnitens ſe accuſat de aliquo opere conſummato in genere luxuriæ; imprudentiſſime enim ſe gereret, ſi interrogaret de actibus antecedentibus, vel concomitantibus, quod facile non eveniret ſine proprio, vel Pœnitentis periculo. Utrum vero interrogare debeat de ſubſequentibus, dicam alibi.

CAPUT III.

De delectatione Moroſa.

Q. I. Quid ſit Delectatio Moroſa.

R. I. Ad explicandam moroſam delectationem obſervandum eſt aliquando affectum voluntatis verſari circa conſequutionem objecti, quod delectat, & hujuſmodi voluntas dicitur efficax. Aliquando vero affectus voluntatis caret deſiderio executionis, ſed eſt ſimplex complacentia objecti, & hæc dicitur delectatio moroſa, unde ſolet ita definiri, *ſimplex complacentia objecti pravi cogitati ſine intentione efficaci illud conſequendi.* Non eſt autem illa moroſa delectatio ſolummodo in voluntate, ſed & poteſt etiam eſſe in appetitu ſenſitivo. Duo tamen hic ſunt adverrenda. Primum eſt delectationem non dici moroſam a mora temporis, ſed ex eo quod voluntas deliberate immoretur in objecto pravo; unde *S. Thomas* 1. 2. *qu.* 74. *n.* 6. *ad* 3. ait: *Delectatio dicitur moroſa, non ex mora temporis, ſed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, tenens, & volvens libenter, quæ ſtatim ut attigerunt animum, reſpui debuerunt.* Si ergo delectatio duret, ſed voluntas reſiſtat, non dicitur moroſa, ſicut e contra moroſa erit, ſi ſtatim ac voluntas advertit delectationem, plene in eam conſentiat. Porro hæc delectatio moroſa intelligi ſolet de objecto pravo, quamvis, & de objecto honeſto eſſe poſſit; & tunc eſſet laudabilis.

Secundo advertendum eſt delectationem moroſam aliquando eſſe poſſe non de objecto pravo, ſed de cogitatione ipſius objecti; & tunc, ſi non ſit vana, & cum periculo conſenſus, bona eſſe poteſt, ut dum quis reflectit ſupra cogitationem, quam habet de re prava, cauſa conſultationis, audiendi confeſſiones, ſcribendi libros &c. *D. Th.* 1. 2. *q.* 74. *n.* 8. *Leſſ. l.* 4. *de Virt. cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 109. *Sanch. l.* 1. *Sum. cap.* 2. *n.* 1. Quamvis autem non tam facile ſit dignuſcere, an delectatio ſit de cogitatione, vel objecto pravo, nihilominus poteſt id ex his duobus ſignis prudenter judicari. Si igitur qui moratur in conſideratione turpi, objectum ipſius alias abominatur, non incongrue judicari poteſt ipſius moram fuiſſe circa cogitationem, non circa objectum. Secus, ſi non abhorreat ab objecto; unde qui libenter de rebus turpibus loquuntur, immorantur facillime non in cogitatione, ſed in objecto turpi. Inſuper, ſi moroſa delectatio oriatur ratione ſtudii, componendi libros &c. datur præſumptio judicandi eſſe de cogitatione. Quod ſi oriatur a peccato, ut ſi quis delectetur de fornicatione, quia rem habuit cum muliere, non de cogitatione, ſed de objecto erit delectatio.

Q. II. An delectatio moroſa de objecto mortali ſit peccatum mortale, & an ſumat ſpeciem etiam a circumſtantia objecti.

R. I. Nemo dubitare poteſt delectationem moroſam de objecto mortali eſſe peccatum mortale, tum quia actus humanus habet ſuam ſpeciem ab objecto, in quod tendit, unde ſi mortale eſt, & mortalis erit delectatio de illo, tum quia non ſtat moroſe delectari in objecto mortali ſine affectu erga illud, non ſtat autem affectus erga objectum graviter peccaminoſum, quin ipſe ſit lethaliter malus: *D. Th.* 1. 2. *q.* 74. *art.* 1.

R. II. Quamvis, nullo dubitante delectatio moroſa ſumat etiam ſuam ſpeciem a circumſtantia objecti, quoties illa circumſtantia movet ad delectationem, nihilominus diſſidium eſt inter Doctores, an ex ea ſumat malitiam, quoties non moveat ad delectationem, ut in caſu, quo quis delectaretur moroſe cogitando de conjugata, nullatenus motus ad talem delectationem a circumſtantia conjugii. Verior tamen ea videtur opinio, tunc delectationem etiam malitiam ſumere a prava circumſtantia, nam ſemper cum affectus tendit in aliquod objectum cognitum cum tali prava circumſtantia, terminat ad ipſum etiam quatenus eam habet annexam; unde non ſolum ab objecto, ſed etiam a circumſtantia ſumit moralitatem, cum actus humanus ſpecificetur ab objecto, a quo terminatur, ut perpetuo docet S. Thomas. Præterea ut circumſtantia objecti det malitiam actui, non eſt neceſſe, quod ex ea quis moveatur ad delectationem. Et quidem ſi circumſtantia ſe teneat ex parte ſubjecti, nullum dubium eſt; ita religioſus tenetur fateri circumſtantiam ſui ſtatus; quamvis hæc potius illum retraxiſſet a ſe delectando in cogitatione actus venerei. Pariter ergo idem dicendum, ſi ſe teneat ex parte objecti; nam quoties in eo aliqua circumſtantia prava cognoſcitur, & non movetur quis etiam propter eam ad reſpuendum objectum delectationis, convincitur neque reſpuere illam pravam circumſtantiam, ſi etenim vere reſpueret, & reſpueret objectum, in quo eſt, cum non ſolum ſit in ſe fugienda, ſed reddat objectum, quod movet ad delectationem, dignum fuga: *Sanch. l.* 1. *Sum. c.* 2. *n.* 11. *Leſſ. l.* 4. *c.* 3. *dub.* 15. *n.* 123. *Anton. a Sp. S. in direct. tr.* 5. *d.* 8. *ſect.* 2. *n.* 527.

Q. III. An delectatio moroſa de objecto graviter malo ſit peccatum mortale, ſi per intellectum a tali objecto malitia præſcindatur.

R. I. Nunquam licet delectari de iis, quæ prohibentur jure naturali, adeoque ſunt intrinſece, & de natura ſua mala. Ratio eſt, quia, cum in his ſubſtantia operis ſit intrinſece, & de natura ſua mala, non poteſt ab ea præſcindi malitia moralis; ſed neceſſario ſemper corripienda eſt, ut moraliter mala. Ita apprehendi non poteſt furtum, ſive odium Dei, quin ſimul, & ſemel ut mala concipiantur. Si ergo quis de his delectetur, convincitur delectari de eo, quod non poteſt ut malum non concipere, proindeque ejus delectatio non poteſt non eſſe mala. Hinc videtur excuſari non poſſe a peccato, qui delectaretur de furto, ſi per impoſſibile eſſet licitum, & ita de aliis: ſecus eſſet, ſi quis in iis non delectaretur de ſubſtantia operis, ſed de modo, qui in ſe non eſſet malus, ut ſi quis delectetur de bello, non propter homicidia, ſed propter virtutem, & artem pugnantium. Idem dicas, ſi quis e. g. non delectetur de furto; ſed de artificio, & modo, quo aliquis fuit furatus: *Sanch. l.* 1. *Sum. c.* 2. *n.* 5. *Azor. tom.* 1. *l.* 4. *c.* 6. *q.* 1. *Anton. in Direct. tr.* 5. *d.* 8. *ſeſſ.* 2. *n.* 519.

R. II. Poteſt quis delectari de iis, quæ ſolum jure poſitivo prohibentur, & ſolum ſunt mala, quia prohibita, ſi ab iis prohibitio præſcindatur. Ratio eſt, quia, cum in iis ſubſtantia operis ſit bona, vel indifferens, jam ſi delectationem capiam de eſſentia operis, delectatio non verſatur circa aliquod malum. Aliunde cum tota malitia proveniat ab extrinſeca prohibitione, quid prohibet quin ab ea poſſit intellectus præſcindere? Hinc immunis erit a culpa, ſi quis die Veneris delectetur de eſu carnis, ut ſibi ſalutari, caſu, quo non fuiſſet ab Eccleſia prohibitus. Religioſus pariter poterit delectari de pecuniæ ſumma a ſe pauperibus eroganda, caſu, quo non prohiberetur a voto paupertatis: *Sanch. l.* 1. *Sum. c.* 2. *n.* 10. *Lugo de Pœnit. diſp.* 16. *ſeſſ.* 6. *n.* 336.

Q. IV. An liceat delectari de malo proximi ob finem honeſtum, vel de peccato ratione boni effectus exinde ſequuti.

R. I. Licitum eſt delectari de malo minori proximi, ob bonum majus exinde ſequutum. Ratio eſt, quia, ſi delecter de malo minori ob bonum majus, vere diligo proximum, cum illi exoptem, quod vere ipſius bonum eſt. Quis enim non videat me diligere proximum, ſi complaceo de ſua infirmitate, quia ita deſiſtet a pecca-

Digitized by Google

tis: vel etiam de morte, ſi videns ſemper magis in peccata præcipitem ruere, conſidero quod mors illum eximit a gravioribus pœnis in Inferno luendis; *Reginald. l. 17. cap. 116. Bonac. de Char. diſp. 4. qu. 4. p. ult.* Item licebit delectari de malo temporali hominis mali, quia exinde oritur bonum ſpirituale aliorum, vult enim Charitas anteponendum bonum ſpirituale innocentis malo temporali hominis impii. Hinc licitum eſſet gaudere de morte hæretici, dum timetur poſſe alios inficere. Sicut & licitum eſt delectari de morte hominis mali, qui aliis ſuis perditis moribus erat occaſio ſpiritualis ruinæ; *S. Th. in 2. diſt. 30. q. 1. a. 1. ad 4.*

Licebit demum delectari de malo temporali perſonæ particularis ob bonum commune temporale; cum ordo Charitatis expoſcat ut bonum commune particulari bono anteponatur: *S. Th. cit. Leſſ. l. 3. de Juſt. c. 47. dub. 4. n. 21.* Poterit quis proinde delectari de publico ſupplicio alicujus malefactoris, quatenus exinde reſultat hoc publicum bonum, ut homines pravi a malo committendo abſterreantur. In hac fortaſſe doctrina fundatur ea opinio, qua dicitur licere Patenti optare mortem filii pravi, dum prudenter timet ex ejus flagitiis inhoneſtandam eſſe familiam. At nequiquam approbarem optare mortem filii, vel filiæ ob nimiam familiæ mendicitatem, ſive eamdem mortem ſibi, ob evadendam aliquam temporalem moleſtiam, licet gravem: nam juxta rectam rationem bonum vitæ anteponendum eſt temporalibus malis: *Navar. in Man. cap. 15. num. 15.* Oportet hic etiam adnotare aliquas propoſitiones damnatas ab Innocentio XI. Sub n. 13. hæc damnatur. *Si cum debita moderatione facias, potes ſine peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Sub *n. 14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris: ſed ut bonum cupientis, quia nimirum obventura eſt pinguis hæreditas.* Quam juſte damnatæ fuerint hæ propoſitiones ex eo conſtat, quod ordo Charitatis expoſcit, ut vita proximi emolumento proprio temporali præferatur; unde ad eam conſervandam ſuccurrere tenemur proximo in aliquibus caſibus, etiam de bonis neceſſariis ſtatui. Contra rationem ergo eſt optare, vel ſibi complacere de morte proximi, ob emolumentum temporale exinde ſequuturum. Non poteſt nihilominus dici peccaſſe eum, qui ſuppoſita morte alicujus, gaudet de temporali emolumento, quod ipſi provenit, nam id non eſt de morte proximi gaudere, ſed dumtaxat de temporali emolumento exinde proveniente, quod de ſe nullum eſt peccatum.

R. II. Illicita eſt delectatio de peccato formaliter tali ob bonum effectum inde ſequutum. Ratio hujus reſponſionis jam ſupra adducta eſt, quia ſcilicet hujuſmodi complacentia terminat ad objectum formaliter peccaminoſum, eſto quis ad eam moveatur ob bonum finem exinde ſequutum; actio autem in ea eſt mortalitatis ſpecie, in qua eſt objectum, ad quod terminat. Præterea ſicut non licet intendere, & velle aſſequi finem bonum mediante peccato, ita nec licebit delectari de peccato formaliter tali ob bonum effectum exinde ſequutum. Hinc contra nonnullos Theologos illicitum erit delectari de injuſto homicidio, eo quod occiſus fuerit vir pravus, a quo pluribus mala proveniebant; nec licebit gaudere de fornicatione, quia ex ea optimi filii fuerint procreati.

Q. V. An licitum ſit gaudere de actione prava, ſi ob aliquam cauſam non fuit formaliter peccaminoſa, puta quia commiſſa fuit inadvertenter, vel ex ignorantia &c.

R. Ea mihi videtur amplectenda ſententia, quæ aſſerit hujuſmodi delectationem ſemper eſſe peccaminoſam. Ratio eſt quia, licet illa actio non fuerit peccaminoſa operanti, quia e. g. commiſſa fuit inadvertenter, nihilominus eſt in ſe objective mala, ut furari, occidere &c., libere ergo de eadem delectari non licet, quia delectatur de eo, quod in ſe objective malum eſt. Hinc puto *Innoc. XI. ſub num.* 15. hanc damnaſſe propoſitionem. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis a ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias, inde ex hæreditate conſequutas.* Solum ergo licebit gaudere de eo, quod alias eſſet malum, quia prohibitum, ſi propter aliquod impedimentum ceſſet obligatio legis poſitivæ, qua redditur malum, nam tunc objective malum eſt. Licebit ergo Juveni delectari de ommiſſione jejunii, quia nondum ipſius lege diſtringitur, vel etiam infirmo de omiſſione ſacri die feſto, quia cum infirmitas illum extrahat a legis obligatione, ommiſſio ſacri reſpectu illius, nec objective mala eſt. Non licebit autem delectari de ommiſſione ſacri ei, qui non audivit ſacrum ex oblivione, quia cum oblivio non extrahat ab obligatione Legis, ſed dumtaxat per accidens excuſet a peccato, ommiſſio ſacri tunc remanet objective mala, adeoque non licite quis de ea delectaretur: *Azor. t. 1. Inſtit. Moral. l. 4. c. 6. n. 9. Sanchez l. 1. Sum. c. 2. n. 16.* Prædictis non obſtat ea D. Thomæ doctrina, *in 4 diſtinct. 9. q. 1. a. 4. q. 1. ad 5.* qua dicitur licitum eſſe complacere ſibi de nocturna pollutione, ut naturæ eſt exoneratio, vel alleviatio. Non, inquam, obſtat hæc doctrina jam dictis, nam S. Thomas intelligendus eſt de pollutione pure naturali, quæ ſcilicet oritur a natura ad ſe exonerandum, ſicut naturaliter ſe exonerat ſudor, & urina: & cum talis pollutio non ſit in ſe objective mala, licebit de ea ſe complacere dummodo ex ea delectatione, nulla prævideatur ſequutura corporis, & ſpirituum vitalium commotio; nec periculum ſit ut præfata delectatio influat aliquo modo in novam pollutionem. E contra non licebit delectari de pollutione nocturna, quæ evenerit ex tactu proprio, vel alieno, ſeu ex turpi ſomnio, nam cum talis pollutio non ſit naturalis, ſed venerea, erit objective mala, adeoque illicitum de ea delectari: *Sanch. cit. n. 18.*

Q. V. Quid dicendum de delectatione moroſa copulæ in conjuge, vidua, vel Sponſo.

R. I. Quid ſentiam de delectatione moroſa copulæ reſpectu perſonæ conjugatæ, explicabo in Tractatu de Sexto Decalogi Præcepto *c.* 1. Hic ſolum animadvertam, quod ſi aliquod impedimentum reddat ab intrinſeco illicitam copulam alicui ex Conjugibus, tunc illicite de eadem delectaretur. Si e. gr. alicui conjugi reddatur ab intrinſeco illicita copula, quia dubius eſt de valore matrimonii, tunc illicita & illi erit quæcumque delectatio moroſa de eadem copula, nam hæc delectatio cohoneſtari non poteſt ex valore matrimonii; ſi proinde dubius ſit hujuſmodi valor, neque licita erit præfata delectatio. Quod ſi alter Conjux petat, tunc poterit delectari in cogitatione copulæ, nam, ſuppoſita petitione conjugis, non dubitantis de valore ſui matrimonii, ſtatim redditur licita copula futura, atque ita licitum erit de ea delectari. Si pariter reddita ſit alicui conjugi illicita copula ratione Voti Caſtitatis, neque licet ei de eadem moroſe delectari; nam ratione Voti redditur illicita non ſolum copula, ſed etiam quidquid eſt contra Caſtitatem.

R. II. Non licet Sponſis, & Viduis moroſe delectari in appetitu ſenſitivo de copula vel habita, vel habenda. Ratio eſt, quia in ipſis objectum talis delectationis eſt copula præſens, non vero, ut ſupponunt Contrarii, copula præterita, vel futura; copula autem præſens in illis illicita, eſt adeoque & delectatio, quæ in eam tendit. Quod vero in Viduis, & Sponſis delectatio ſenſitiva ſit de copula ut præſenti, conſtat, quia appetitus ſenſitivus excitatur ab imaginatione fantaſiæ, quæ non ſibi imaginat præteritum, & futurum, ſed ſolum tendit in id, quod eſt præſens, & ita tendit in delectationem copulæ ut præſentis, quæ certe illicita eſt Sponſis, & Viduis. Neque dicas, quod ſi his licet copulam habitam, vel habendam approbare, licebit pariter de eadem delectari: nam ad ſummum id probaret licitam eſſe complacentiam voluntatis, quæ ſequitur apprehenſionem intellectus, adeoque poſſet eſſe de copula, ut futura, vel præterita, non tamen id verificari poteſt de complacentia ſenſitiva, quæ ſemper eſt de re præſenti, ut dictum eſt, *Sanch. de Matr. l. 9. cit. diſp. 47.*

Cæterum, ſi loquamur de iis, quæ intrinſece mala ſunt, puto, quod nec licita delectatio voluntatis, etiamſi apponatur conditio, qua videantur reddi licita; ut ſi ſponſus in voluntate ſibi complaceat de copula ut futura, vel aliquis ſe delectet cogitando de copula cum fœmina, ſub conditione quod ejus eſſet Uxor. Ad hoc igitur probandum obſervare eſt, quod licet intellectus poſſit proponere voluntati objectum ſub conditione, & ut a malitia præciſum, nihilominus delectatio voluntatis non poteſt eſſe de eo, quatenus ſub tali conditione proponitur. Ratio autem eſt, quia, cum complacentia de ſua natura non ſit, niſi quies in eo, quod delectat, oportet objectum, in quo voluntas ſibi complacet, eſſe ſaltem intentionaliter præſens, unde non eſt amplius complacentia de re turpi quatenus poſſet eſſe futura ſub conditione illam cohoneſtante, ſed delectatio rei turpis, ut actualiter præſentis, adeoque illicita eſt: *Navar. in Sum. c. 16. n. 9.* Ad ſummum talibus conditionibus reddi poſſent liciti conſenſus, & voluntatis deſiderium, nam cum non expoſcant objectum præſens, poſſunt in illud ferri ſub conditione, qua proponuntur ab intellectu,

Re-

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Dum Confeſſarius audit Pœnitentem ſe accuſantem de turpi ſermone, multoties præcipiti judicio, ſi non adſuit ſcandalum, judicat dumtaxat venialiter peccaſſe. Verum animadvertere debet facillime ſub his ſermonibus latere moroſam delectationem circa res turpes, de quibus loquitur. Quomodo etenim in praxi reputari poteſt immunis ab hujuſmodi complacentia ille, qui frequens eſt in his ſermonibus, & qui facillime verba caſu dicta ad turpia deflectit? In aliqua re certe ſibi turpiter complacet; quæ alia autem poteſt eſſe in his ſermonibus, niſi illa turpido, de qua tam libenter, tam incompoſito riſu pertractat? De eadem moroſa delectatione debet ſuſpicari Confeſſarius, reſpectu illorum, qui libenter hujuſmodi turpia auſcultant. Non tam facile credat delectari de modo heu nimis ingenioſo, quo ab aliquibus hujuſmodi obſcœna narrantur. Certe, ſi ſermo habeatur de rebus licitis, & forte etiam magis ingenioſe, minorem percipiunt, vel nullam delectationem, ſignum proinde eſt in ſermonibus turpibus, & de ipſis turpibus, delectari. Idem eſto judicium de illis, qui avide turpes, & inhoneſtos libros lectitant.

II. Advertat item Confeſſarius, quandoque exoptari ea, a quibus nunquam removeri poteſt materia, etiam poſita conditione, ſi licita eſſent. Ut dum quis dicit, ſi non eſſet peccatum ulciſcerer, fornicarer cum tali muliere &c. Animadvertere debet, an his locutionibus explicetur propenſio, & inclinatio, vel potius ea voluntas afficiatur circa talia objecta. Si hoc eſſet, utique daretur peccatum, nam actualiter eſſet effectus circa rem, quæ non poteſt non apprehendi mala. Si vero talibus loquutionibus dumtaxat explicentur mala, quæ alias eſſent in nobis, propenſio, quam tamen intendit quis refrænare ne peccet, tunc utique non eſſet peccatum.

III. Quamvis non ſit peccatum delectari de temporali emolumento, quod ſuppoſita e. g. morte alicujus obvenit, nihilominus noſcat Confeſſarius caute in his procedendum; non raro etenim hujuſmodi delectationes ex mortis alienæ gaudio oriuntur. Id non temere præſumet Confeſſarius, ſi antea pœnitens exoptaverit mortem alicujus, ut exinde ſibi temporalia emolumenta provenirent. Idem timere poteſt de eo, qui dicit gaudere de bono ſpirituali proximi, ſed quod provenit ex hujus infortunio, ex gravi e. g. infirmitate, jactura rerum temporalium &c. Poteſt, inquam timere potius gaudere de malo proximi, quam de bono effectu inde ſequuto, ſi antea inimicitiam cum illo gerebat, vel non ita amicabiliter erga eum ſe habebat. In re ergo plena periculi, introſpiciat Confeſſarius quantum poteſt animum pœnitentis.

IV. Notet inſuper Confeſſarius quædam affirmari a Theologis, quæ utique ſpeculative vera ſunt, at removendi omnino ſunt Pœnitentes a praxi. Adinveniet e. g. Confeſſarius non ſolum licitum eſſe delectari de naturali pollutione in ſomnis ſequuta, ſed etiam de ea, etſi accidat in vigilia, immo & illi conſenſum præbere, dummodo conſenſus nil in ipſam influat. At quis non videt, in praxi difficilimum eſſe hujuſmodi delectationem, & multo magis conſenſum nil in ipſam influere, vel ſaltem ita ſe delectantem non raro ſe exponere gravi periculo in eam influendi? Adinveniet pariter, communiter affirmare Theologos licere viduis ſibi in voluntate complacere de copula habita, & ſponſis de copula, prout eſt in determinationem cauſarum, ſi abſit commotio libidinoſa; at quis non videt, quam raro hujuſmodi accidant ſine turpi commotione &c.? Multo magis id pertimeſcere debet Confeſſarius, ſi admittatur ea opinio, quæ præfatis concedit licitam eſſe delectationem in appetitu ſenſitivo, volentes tamen eam immunem a commotione libidinoſa. Videat ergo Confeſſarius ſemper removere ſuos Pœnitentes ab his delectationibus, nam difficillime erunt innoxiæ.

V. Quamvis a pluribus ſuſtineatur ut immunis a gravi culpa in perſonis conjugatis copulæ habitæ, vel habendæ delectatio, ſi ſit ſine periculo pollutionis; nihilominus pius Confeſſarius eas removere debet ab hujuſmodi cogitationibus, utpote quæ valde dedecent animas ob eterna gaudia procreatas. Audiat quomodo hujuſmodi cogitationes, & delectationes objurget S. Franciſcus Saleſius ſub allegoria guloſi in Introductione ad Vitam Devotam *p. 3. cap. 39. num. 7. Certo ſegno di uno ſpirito goloſo, villano, abbietto, ed infame, è il penſare a cibi, ed al mangiar avanti il tempo della refezione, ed ancò quando dopo di eſſe uno ſi trattiene a penſar al guſto, che ha preſo nel mangiare, fermandoviſi con parole, o penſieri, ed infangando il ſuo ſpirito nella ricordanza del piacere avuto nell' inghiottire i bocconi come fanno coloro, che avanti di pranzare hanno l' animo nello ſpiedo, e dopo pranzo ne' piatti; gente degna di eſſer guatteri di cucina, che fanno, come dice S. Paolo, un Dio del ſuo ventre.* Proſequitur deinde aliis motivis ſuadere conjugatis, ut abſtineant a cogitatione, & delectatione percipienda ante, vel poſt opus conjugale.

VI. Non facilis ſit Confeſſarius in admittendu ea aliquorum doctrina, qua admittitur ut licita moroſa complacentia in voluntate, reſpectu ejus objecti, quod intellectus conſiderat ſub conditione illud quaſi licitum conſtituente. Jam hanc doctrinam refutavi; ſed ulterius conſideret pro praxi Confeſſarius, quam facile omnia libidinibus replerentur. Poſſet e. g. qui paſſim delectari de copula cogitata cum fœmina, ſub conditione, ſi ſibi eſſet uxor, poſſet religioſus voluntate ſibi complacere de copula cum Berta, caſu quo non eſſet religioſus, ſed ipſius maritus &c. En quam facile, & quanto cum periculo voluntas his conditionalibus delectationibus frequenter poſſet occupari &c.

QUÆSTIO II.

De Vitiis Capitalibus.

HÆc vitia ſeptem enumerantur: Superbia, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia, Acedia. Capitalia ideo dicuntur quia ab ipſis fere omnia peccata originem ducunt; & ſicut caput influit in membra, ita illa inter cætera peccata: *S. Th. 2. 2. q. 16. a. 8.*

CAPUT I.

De ſuperbia, ejuſque Filiabus.

Q. I. QUid ſit Superbia, & quale peccatum.

R. I. Superbia eſt *appetitus inordinatus propriæ excellentiæ*. Dupliciter autem poteſt eſſe inordinatus. Primo ex parte rei, cujus ratione excellere cupit; ut ſi quis jactet ſe de peccatis, quæ non ſunt honore digna; vel de rebus, quas non habet, ut ſi divitem ſe faciat, cum ſit pauper. Secundo poteſt eſſe inordinatus in ordine ad alios, quibus irrationabiliter cupit præeſſe, & ſuper illos excellere; & id proprie ſignificare videtur ſuperbia, nam ſuperbire idem videtur eſſe, ac ſuper alios ire. D. Thomas hos quatuor modos ſuperbiendi recenſet. Primo, quando quis bonum, quod habet, non a Deo, ſed a ſe habere exiſtimaret. Secundo, ſi quis exiſtimet illud ex ſuis meritis accepiſſe. Tertio, quando ſe jactat habere bonum, quod non habet, vel majora, quam habeat. Quarto, dum alios contemnit, nec cuiquam ſubjici vult.

R. II. Superbia conſummata eſt peccatum mortale, quando quis ſcilicet nolit Deo, Superioribus, eorumque legibus ſubjici, vel propter excellentiam aſſequendam paratus ſit præcepta etiam gravia tranſgredi. Hac ratione ſuperbia *Eccl.* 10. dicitur: *Initium omnis peccati*, nam eo quod quis renuat ſubjici legibus divinis, & Superiorum, vel paratus ſit quæcumque tranſgredi præcepta, ut aliis, præſit, latiſſima aperitur via omnibus peccatis. Quamvis autem ſuperbia ſit ex genere ſuo mortale peccatum, veniale eſſe poteſt, dum non ſit perfecta, ut quando quis non renuit ſe ſubjicere iis, quibus habet, nihilominus in ſuo affectu ſe ſe magnificat plus quam par eſt. *D. Th. 2. 2. q. 132. a. 3.*

Q. II. Quæ ſint Filiæ Superbiæ.

R. Hæ plures ſunt, ut ſtatim conſtabit. Prima Superbiæ filia eſt *Vana Gloria*, nam ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ, in quo conſiſtit ſuperbia, oritur inordinate appetere manifeſtationem propriæ excellentiæ, ſive veræ, ſive fictę cum laude indebita, in quo conſiſtit Vana Gloria. Ideo autem dicitur vana, quia ut plurimum quæritur ex rebus inutilibus, & vanis, ut ex pulchritudine, divitiis, &c. Vana Gloria ex genere ſuo eſt tantum peccatum veniale: *S. Th. 2. 2. q. 132. a. 3.* eo quod appetere laudari de propria excellentia non infert gravem injuriam Deo, vel Proximo; quamvis ſit peccatum veniale, vel propter immoderatum appetitum laudis, vel quia hanc quis vult captare ex rebus vanis, ut dictum eſt.

Poteſt autem per accidens eſſe peccatum mortale, ut ſi gloriatio fiat de re graviter mala, quia approbatio mali operis eumdem eum eo ſpeciem habet; vel ſi fiat ad malum finem, ad committendum ſcilicet grave peccatum; ut ſi quis glorietur de divitiis ad inducendam mulierem ad fornicandum; vel ſi propria gloriatio redundet in grave damnum proximi. Demum appetitus gloriæ poteſt etiam eſſe actus bonus, ut ſi gloriam captetur de bono eadem digno, puta de virtutis actione, ſed non major, quam ipſa actio mereatur, eaque gloria dirigatur ad bonum finem, ad gloriam ſcilicet Dei, proximi utilitatem, vel etiam ad proprium profectum: *S. Th. cit. art. 1.*

Quod ſi quis faceret opera virtutum, principaliter propter vanam Gloriam, non facile condemnandus eſſet gravis culpæ; nam quamvis actu principaliter intenderet vanam gloriam, non tamen habitu, cum non ſit ita diſpoſitus, ut nollet hujuſmodi in Dei Gloriam referri: non eſt tanta inordinatio in ejus opere, ut videatur graviter peccare: *Sanch. l. 5. Sum. cap. 3. nu. 1. Palaus tractat. 2. p. 11. num. 9.*

Secunda Superbiæ Filia eſt *Ambitio*. Sicut autem vana gloria optat manifeſtationem propriæ excellentiæ laudibus indebitis: ita Ambitio appetit dignitatem, & honorem non debitum, ut ita aliorum obſequiis, & reverentia propria extollatur excellentia. Ut dixi de Vana Gloria eſt de genere ſuo peccatum veniale: nihilominus poteſt per accidens eſſe mortale, ut ſi quis velit honorem de peccato mortali, quia e. g. Superiori ſuo in rebus gravibus contradicat; vel ſi paratus ſit adhibere medium graviter malum ad honorem conſequendum, aut cum gravi damno proximi. Cæterum moderate appetere honorem ob finem honeſtum eſt actus Magnanimitatis.

Tertia Superbiæ Filia eſt *Præſumptio*. Hæc intendit manifeſtationem propriæ excellentiæ, aſſumendo media, quæ excedunt noſtra merita, & vires, ut dum quis vellet magni æſtimari, offerendo ſe ad faciendum opus, cui impar eſſet. Præſumptio ex genere ſuo, dici poteſt peccatum veniale: *S. Thom. 2. 2. q. 130. art. 2. Nuvar. in Sum. c. 23. nu. 14.* at fieri poteſt mortale, ſi conjuncta ſit cum gravi damno Proximi; ut ſi quis aſſumeret officium Confeſſarii, Medici, Advocati &c. ſine ſufficienti cognitione; vel adgrederetur aliquod artefactum ſine ſufficienti peritia artis, unde proximus gravibus expenſis inutiliter exponeretur. Idem dicendum, ſi quis ſine juſta cauſa ſe exponat probabili periculo peccandi, nimis ſuis viribus fidens: *D. Anton. 2. p. tit. 3. cap. 6. §. 4. Tolet. l. 8. cap. 22.*

Quarta Superbiæ Filia eſt *Jactantia*. Ea autem eſt ſe verbis extollere, ut magnificat ab Auditoribus. Venialis eſt ſi aliquis in ſui laudem verum dicat ob deſiderium inanis gloriæ: *D. Thom. 2. 2. q. 112. a. 2.* mortalis vero, ſi adverſetur graviter Charitati Dei, vel proximi; ut ſi quis ſe jactaret ſibi tribuendo, quod Dei eſt; vel ſe laudaret de lethali crimine exultans in rebus peſſimis; vel ſi ſe laudando, indirecte graviter detraheret de proximo: vel denique ſi ex ſui jactantia poſſit inferri proximo grave damnum, ut ſi quis jactet ſe pro magno Advocato, Medico inſigni, cum vere quamplurima laboret ignorantia: *D. Anton. p. 2. tit. 4. §. 3. Tolet. l. 8. cap. 8.* Poteſt etiam aliquando quis meritorie ſe laudare, ut dum recenſet bona, & gratias acceptas, ut Deus glorificetur; vel ſuæ præſtantiæ meminit ob Charitatem erga proximum, quod e. g. evenerit, dum quis modeſte ſuam doctrinam, aliaque benefacta narraret, ut ita ſibi exiſtimatione conciliata, facilius poſſet in proximo virtutes promovere. At caute procedendum eſt, ne vana gloria ſuis locum obtineat.

Quinta Superbiæ filia eſt *Hypocriſis*; quæ eſt ſimulatio virtutis, quam quis non habet, unde induit ſpeciem mendacii. Ea non eſt, niſi peccatum veniale, dum quis oſtentat virtutem ob aliquam inanem gloriam, ſine gravi injuria Dei, vel proximi; ſicuti non eſt niſi veniale mentiri ad captandam æſtimationem. Poteſt eſſe peccatum mortale ratione finis, ut ſi quis ſe ſimulet bonum ad diſſeminandam falſam doctrinam; vel ad irrogandam gravem injuriam proximo; vel ad obtinendum id, quo eſt indignus: at ſi ſimulet bonitatem; doctrinam ad obtinendum Beneficium, maxime curatum: *D. Anton. p. 2. tit. 4. c. 7. Tolet. l. 8. c. 9.* Non deſunt etiam, qui dicant eſſe hypocriſim graviter culpabilem gravia crimina uni confiteri, ſolum vero levia Confeſſario Ordinario, ut pœnitens apud ipſum bonus videatur; videtur enim gravis irreverentia aſſumere Sacramentum ut medium ad inducendam falſitatem, mendacium: *Suar. tom. 4. diſp. 22. Sect. 1. n. 12. Regin. l. 6. n. 149. Coninck. diſp. 6. d. 4.* Nulla autem eſt vitioſa hypocriſis, ſi Eccleſiaſticus bonum faciat, & devotionem oſtendat coram ſæcularibus, ad ipſorum ædificationem, hoc etenim potius eſt propriæ ſatisfacere obligationi, proximi ædificationem procurando: *S. Anton. p. 2. tit. 4. c. 7.*

Sexta Superbiæ Filia eſt *Diſcordia*, & *Contentio*. Diſcordia eſt diſſenſio voluntatis a voluntate proximi, & oriri ſolet ex ſuperbia, qua quis renuit alteri adhærere. Si diſſenſio ſit de rebus nullam inferentibus injuriam Deo, vel proximo, ut ſi duo diſſentirent circa magnitudinem ſyderum, nullum erit peccatum. Si autem cedat in magnam Dei irreverentiam, vel grave proximi detrimentum, eſſet grave peccatum, ſecus ſi in leve: *S. Th. 2. 2. q. 37. art. 1. Navar. cap. 23. n. 17.* Contentio diſſidet a diſcordia, quia in ea verbis alterius veritas impugnatur. Poteſt eſſe grave peccatum, ſi alterius veritas impugnetur cum gravi Dei injuria, vel proximi; ut ſi quis ſcandaloſe impugnaret aliquam Fidei veritatem, quamvis eam corde retineret; vel Cauſidicus impugnaret veritatem alterius cum gravi ipſius detrimento.

Septima Filia Superbiæ eſt *Pertinacia*. Ea autem eſt nimia adhæſio in propria ſententia. Clare autem patet oriri ex ſuperbia; ideo enim pertinax propriæ adhæret ſententiæ, pluſquam mereantur rationes illius, ne alteri cedat: *D. Th. 2. 2. q. 138. art. 2.* Eſt grave peccatum, dum divino honori repugnat, & ita abſque dubio graviſſime delinquit, qui ex animi pertinacia non vult relinquere falſam doctrinam in materia Fidei, & morum. Grave pariter peccatum eſt, ſi cedat in grave damnum proximi; ut ſi Judex pertinax ſit in propria ſententia, valde officiat proximo in judicando.

Octava Filia ſuperbiæ eſt *Curioſitas*, ut dum quis vult ſcire, ut ſciatur. Ex curioſitate multa oriuntur peccata; aut dum quis ſenſuum curioſitati nimis indulget, dando e. g. oculis impropriam libertatem, quæcumque etiam indecentia aſpiciendi fœminas procaci obtutu conſiderandi; turpes libros legendi &c. *D. Anton. 2. p. tit. 3. c. 4. §. 4. Tolet. l. 8. c. 11.* Quod ſi curioſitas ſit intellectus, plurima etiam ex ea oriri poſſunt peccata; ut dum quis ſtuderet ad malum finem, ad alterum e. g. decipiendum; dum vellet altiora ſe inquirere cum gravi periculo errandi: ut ſi vellet humanis rationibus myſteria Fidei nimis inveſtigare; dum curioſitate ductus indulgeret ſtudio vel inutili, vel minus utili, poſthabito ſtudio neceſſario: ut ſi Confeſſarius aliis ſtudiis indulgens, moralem Theologiam negligeret. Pluribus aliis modis poſſet etiam quis curioſitate intellectiva peccare, ut ſi legeret libros prohibitos, ſi Aſtrologiæ Judiciariæ ſtuderet &c. ſi vellet ſcire modum plurima ſuperſtitioſa patrandi, cum periculo eadem poſtea ad praxim reducendi.

Nona Superbiæ Filia eſt *Inobedientia* legitimis Superioribus. Ut autem notavi in ſuperiore quæſtione *cap. 1.* Inobedientia generaliter ſumpta includitur in omni tranſgreſſione, at non eſt ſpeciale peccatum, quia actus non aliam induit malitiam, quam illam, quæ obſtat motivo, ratione cujus aliquid præcipitur; & ita dum quis non facit eleemoſynam, quando de ea urget præceptum, peccat ſolum contra Miſericordiam; quia ex motivo talis virtutis præcipitur eleemoſyna. Tunc ergo, ut ibi notavi, inobedientia eſt ſpeciale peccatum, quando quis ex contemptu renuit obedire Superiori, & tunc ex natura ſua eſt peccatum mortale. *D. Th. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 3. Sanch. l. 1. Sum. c. 1. n. 8.* Erit tamen peccatam veniale, ſi quis renuat obedire non ex contemptu Superioris, & præcepti; ſed quia parvi facit rem levem ſibi præceptam; ſicuti etiam ſi negligat obedire non ex contemptu, ſed quia non vult Superiorem lætificari, dum videret ſubditos ſibi obſequentes.

Ultimo recenſeri poteſt inter filias Superbiæ *Vanus Ornatus*. Iſte autem importat ſuperfluitatem ornamentorum, ut ita augeatur naturalis pulchritudo ob finem inanis gloriæ: *D. Th. 2. 2. q. 169. art. 2.* Ornare ergo ſe poteſt eſſe ſine peccato, ut ſi quis ſe ornet juxta conditionem ſui ſtatus, & conſuetudinem Patriæ, vel etiam ſi mulier ſe ornet, ut placeat Viro ſuo, illumque avertat ab aliis mulieribus. Si ſit exceſſus in ornamento, vel ſe ornans habeat pro fine inanem gloriam, erit peccatum veniale. Mortale vero eſſet, ſi ornamentum eſſet valde indecens, ut dum mulier valde pectus detegeret, ſi fieret eo fine, ut quis ad illicitum amorem alliceretur, ſi propter expenſas in ornamentis gravaretur quis ære alieno, cui non eſſet ſolvendo, vel familiæ neceſſaria non præberet &c.

Re-

Regula in praxi obſervanda.

Si Confeſſarius, uti convenit, optat ſpiritualem profectum in ſuis pœnitentibus, curet quantum poteſt, ut a Superbia ejuſque Filiabus ipſorum anima recedat. Nimia conſtat eos, qui hoc vitio laborant, quamvis ad grave peccatum non pertingant, non ſolum non proficere, ſed paulatim in peccata prolabi. utpote quia Deus Superbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Demonſtret ergo ſuis pœnitentibus, quam exoſi fuerint Chriſto Domino Superbi, & quam ipſi grata humilitas, cujus exempla totu vitæ curſu nobis exhibuit. Ipſis repræſentet non ſolum miſerrimam noſtram originem, ſed etiam ita infelicem eſſe, ut de noſtro non habeamus niſi mendacium, & peccatum. Agnoſcant Deum in juſtam pœnam permittere, ut Superbi in cœno vitiorum quam maxime volutentur, & ſpecialiter Luxuriæ, ut paſſim docent Sancti, & experientia. Videant quam injurioſi ſint erga Deum, ſi de virtutibus, ſcientia, aliiſque bonis naturalibus ſeſe inflent; nam ita iiſdem rebus, quæ ſunt Dei dona, utuntur ad ipſum offendendum.

Doceat ipſos in omnibus rebus, antequam eas aggrediantur, ſibi rectum finem, & Dei Gloriam proponere. Præcipiat abſtinere ab iis, quæ ipſis famam, vel laudes poſſunt conciliare; unde non ſinat proprias laudes, vel ſcientiam oſtentare, niſi ad id aliquis finis rectus cogat. Non permittat nimis adhærere propriæ opinioni, eamque pertinaciter ſuſtinere, quando non eſſet neceſſe ad demonſtrandum contrariam eſſe erroneam, periculoſam &c. Mulieres, quantum patitur ipſarum conditio, a vano ornatu abſterreat; ac ipſis in memoriam revocet vilioribus indumentis in ſepulchrum projiciendas. Non defatigetur hæc, vel alia ſimilia ſuis Pœnitentibus repetere, nam ſuperbiæ morbus ex una parte valde nobis adhæret, & ex alia Dei gratiis, heu! nimis obſiſtit; atque ita ſit Animas ſuperbia laborantes aſſidue de peccato in peccatum cadere.

CAPUT II.

De Avaritia, & Luxuria, ejuſque Filiabus.

Q. I. QUid ſit Avaritia, & quale peccatum.

R. I. Avaritia eſt appetitus inordinatus divitiarum. Si ergo divitiæ ordinate amentur, & maxime ex fine honeſto, certe nullum eſt peccatum, immo poteſt eſſe meritorium. Vitium igitur Avaritiæ, liberalitati oppoſitum, in eo conſiſtit quod immoderate divitiæ appetantur: *D. Th.* 2. 2. *q.* 118. *art.* 1. *&* 2.

R. II. Avaritia de ſe non eſt peccatum mortale, nam inordinatus amor divitiarum non eſt contra amorem Dei, & proximi. Tunc autem eſſet grave peccatum, quando quis ob divitias acquirendas promptus eſſet violare præceptum obligans ſub gravi: *D. Th. l. c.*

Q. II. Quæ ſint Avaritiæ Filiæ.

R. Ex Avaritia ſex peſſimæ Filiæ oriuntur, ut ex D. Gregorio obſervat *S. Thomas art.* 8. Prima eſt *Duritia cordis, ſeu Immiſericordia*: Avari etenim vel ex deſiderio ſemper magis ditefcendi, vel ex timore ne ſibi neceſſaria deficiant, immiſericordes ſunt erga pauperes, eiſque eleemoſynam denegant, etiam quando tenentur ex præcepto. Secunda eſt *nimia mentis ſollicitudo*; nam avarus nimis ſollicitus eſt de divitiis acquirendis, eaque ſollicitudo ipſam aſſidue inquietat, ipſiuſque animam pungit. Tertia eſt *violentia*; avari etenim aliquid authoritatis, ſive potentiæ habentes, ut ſemper magis diteſcant, ſolent injuſte plura extorquere. Quarta eſt *Perfidia*; inducit enim Avaritia ad violandam fidem in promiſſis, pactis, rebus creditis &c. Quinta eſt *Perjurium*, quia avari juramento mentiuntur in commerciis &c. ut diteſcant. Sexta eſt *Fraus*, *& Dolus*, quæ intercedunt in negotiis contrahendis, dum res eſt cum avaro.

Q. III. Quid ſit Luxuria, & quale peccatum.

R. I. Luxuria eſt immoderatus amor rerum venerearum: *D. Th.* 2. 2. *q.* 153. *art.* 4. *&* 5. Sicut argo poteſt quis licite vacare rebus venereis, ſtante matrimonio, ita ſi vel extra matrimonium, vel in matrimonio, pluſquam debet, quærat venereas voluptates, dicitur immoderate amare res venereas. Verum proprie ſumitur pro inordinato appetitu rerum venerearum extra legitimum matrimonium.

R. II. Luxuria eſt ex genere ſuo peccatum mortale unde ab Apoſtolo *ad Galat.* 5. ponitur inter crimina; quæ excludunt a Regno Dei. Ratione etiam probatur, quia velle venereas voluptates extra matrimonium, eſt pο-

nere perverſum exceſſum in humana generatione, adeoque in re gravi valde conducente ad bonum commune. Cæterum de ſpeciebus Luxuriæ agemus, in explicatione ſexti præcepti Decalogi.

Q. IV. quæ ſint Filiæ Luxuriæ.

R. Octo internæ Luxuriæ Filiæ recenſentur a *D. Th.* 2. 2. *q.* 153. *a.* 5. Prima eſt *mentis cæcitas*: nam ex eo quod Luxurioſus frequenter habeat animum intentum ad carnis voluptates, reddit ſuam mentem ineptam, & veluti cæcam ad cognoſcendas res ſpirituales. Secunda eſt *inconſideratio*; qui etenim luxurioſe vivit, non videt quæ ſibi immineant mala, neque attendit ſuum dedecus, unde iſti in familiæ, & proprij ſtatus præjudicium ducunt concubinas, vel viles mulieres. Videndus *Maſcardus vol.* 1. *de prob. concl.* 61. Tertia eſt *præcipitatio*, nam luxurioſus alio diſtractus non ſatis advertit ad eligenda media recte vivendi, & præcipitanter judicat de viis ad ſalutem conducentibus. Ita impatiens eſt in bene ponderando ea, quæ neceſſaria ſunt ad bene dirigenda alia negotia temporalia. Quarta *Inconſtantia*; experientia enim videmus luxurioſos facillime a propoſito emendationis recedere. & ad veteres libidines redire, Quinta, & ſexta *amor ſui*, *& odium Dei*. Qui igitur carnis voluptatibus immodice eſt addictus, nil aliud curat niſi ſibi indulgere, ſuiſque brutalibus voluptatibus ſatisfacere. Hinc videmus hujuſmodi homines libidinoſos, neque de propria uxore, filiiſque curare. Cum tamen a Dei lege iſta prohiberi videat, oritur aliquando in ipſius corde odium Dei, & quia hujuſmodi prohibuit & quia ipſum conſiderat ſuæ impuritatis ultorem. Septima, & octava *amor præſentis vitæ*, *& horror futuri ſæculi*; qui etenim tanquam ſus libidini cæno volutatur, nunquam vellet ſeneſcere, nunquam mori, ne a ſuis voluptatibus ſepararetur. At quia noſcit ſe moriturum, & poſt mortem manere judicium, hinc horrorem concipit futuri ſæculi, & ex hoc quandoque oritur deſperatio.

Præfatis octo internis luxuriæ filiabus, aliæ quatuor externæ adduntur: *Turpiloquium*, *ſcurrilitas*, *ſermo lubricus & ſtultiloquium*. Cum igitur ex abundantia cordis os loquatur, addictus venereis, nimis ſibi complacet de iis loqui verbiſque obſcænis, ac ſpurciſſimis æquivocis ſolet effari. At quia vitioſa lætitia plenus eſt valde delectatur etiam verbis ſcurrilibus, quæ non tam proxime venerea exprimunt; ſicuti etiam jocoſis, & inanibus, cum non quærat niſi in hoc mundo delectari. Denique quia libido aciem mentis perturbat, obnubilat, obcæcat, ideo ſermones hominis libidinoſi ſolent eſſe imprudentes, temerarii, nec longe a ſermonibus ſtultorum.

Regula in praxi obſervanda.

I. Si Confeſſarius videat ſuum Pœnitentem in avaritiam propendere, primo ob oculos ponat quam Deus hoc vitium odio habeat, ipſumque veluti omnium hominum ſceleſtiſſimum habere, cum *Eccl.* 10. dicatur: *Avaro nihil eſt ſceleſtius*. Et quidem odio non poteſt non habere eum, qui videtur divitias anteponere Paradiſo, quem nobis ſanguine ſuo aperuit. Secundo ſerio moneat cito in plurimas injuſtitias, avaritia impellente, veluti neceſſario præcipitaturum: ac in praxi dignoſci, Avaros ordinarie ſibi blandiri, quaſi in ſuis negotiis juſtitiam non violaverint; & ita protrahunt uſque ad mortem, abſque eo quod cogitent de reſtituendo, quod injuſte poſſident. Tertio hujuſmodi Pœnitentes moneat, ut ſibi momentum mortis, a quo pendet æternitas, non raro proponant, momentum, inquam, illud, in quo omnes partas divitias cogentur deſerere, ſimulque pro inſano ſtudio eas acquirendi beatitudinem amittere. Quarto in ſacramentalem ſatisfactionem imponat. ut crebro aliquid in eleemoſynam elargiantur. Ubi autem advertat non expedire ſemel, vel bis cogere ad multum elargiendum, nam fortaſſe, vel non parebunt, vel cito tranſibit remedium adverſus ipſorum avaritiam. Satius eſt, ſi imponat illis, dum poſſint, crebro parum aliquid pauperibus diſtribuere.

Quod ſi hujuſmodi Pœnitens avaritiæ addictus, erit Eccleſiaſticus, turpius eſt in illo hoc vitium, & nunquam ſatis redarguendum. Crebro intonet, ipſum, qui Eccleſiaſticum, pauperum patrem a Deo eſſe conſtitutum; ipſius bona, ſi beneficia poſſideat, pauperum eſſe patrimonia; ab ipſo perſonas ſeculares expectare exempla unde dignoſcant miſerabilibus ſuccurrendum, & non hæc terrenas, ſed cœleſtes divitias ſummo eſſe labore acquirendas. Commonefaciat denique, quod ſi ſuos conſanguineos.

neos, ſi alias, ſibi convenientia habeant, ditabit, Juſto Dei judicio miſerabiliores evadent,

II. Dum Confeſſario ſeſe luxurioſus præſentat, ſciat infirmum quaſi morbo inſanabili laborantem ad ſuos pedes habere. Nihilominus quiã nullius deſperanda eſt correctio, ideo videat huic tam intimo morbo remedia convenientia applicare. Primo removeat iſtum Pœnitentem a nimio cibo, & potu; non tamen jejunia, graveſque alias pœnalitates, ſtatim imponat, nam tunc fortaſſe perterrefactus hujuſmodi reſpuet remedia. Oculorum libertatem reſtrænet, tam erga mulieres, quam erga laſcivas picturas. Proſcribat libros etiam non laſcive de profanis amoribus tractantes. Quam maxime demum ſtudeat illum removere ab iis occaſionibus, quæ ipſi cauſæ ſunt labendi. Poſtquam vero hujuſmodi cœpit obtinere, poteſt deinde moderatas aliquas pœnitentias illi injungere, ſicuti & quandoque aliquod jejunium. Secundo conetur quantum poteſt hujuſmodi pœnitentem ita diſponere, ut poſſit cum aliqua frequentia ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta accedere, nil etenim ipſis efficacius ad libidinem e corde evellendam. Tertio illi efficaciter commendet erga puriſſimam Dei Matrem intimum cordis affectum; uno etenim ore Sancti Patres ad carnis tentationes ſuperandas, efficaciſſimum eſſe remedium affirmant. Hinc poterit pœnitenti præſcribere inter alia piæ devotionis erga tantam Matrem officia, ut non raro repetat: *Mater puriſſima, Mater caſtiſſima ora pro me*, & maxime dum ante aliquam ipſius Imaginem pertranſit.

Duo alia remedia ſuadent vitæ criſtianæ Magiſtri. Unum, ut Luxurioſus, ubicumque ſe celet, cogitet a Divinis oculis intueri. Aliud, quod ſæpe cogitet ſeſe veluti in extremis agentem, ſeu exanimem, fœtidam, ac vermibus corroſam illam, cujus amorem tantum delinquit.

CAPUT III.

De Ira, ejuſque Filiabus.

Q. I. QUid ſit Ira, & quale peccatum.
R. Ira in præſenti definitur: *Vitium animæ inclinans ad appetitum vindictæ.*

Ea autem poteſt eſſe ſine peccato, & cum peccato. Tunc ex genere ſuo eſt peccatum mortale, quando appetitur injuſta vindicta, nam eſt contra Proximi Charitatem, & contra Juſtitiam. Quod ſi motus iræ ita præveniat rationem, ut impediat advertentiam, poterit eſſe ſine peccato, vel ſolum peccatum veniale propter imperfectionem deliberationis. Pariter non erit peccatum mortale, ſi modica vindicta appetatur. Ita ſolet ira eſſe ſolum peccatum veniale, ſi ſolum ſit ex parte modi peccaminoſa, non vero ex parte objecti: ut ſi quis appetat juſtam vindictam, ſed nihilominus interne nimis exardeſcat, vel nimis eam externe patefaciat. Poſſet etiam eſſe peccatum mortale vel ratione ſcandali, ut ſi homo, maxime in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus, immoderata iræ ſigna exhiberet; vel ratione præparationis animi, ut ſi quis ita ebulliret, ut paratus eſſet etiam committere grave peccatum: *Leſſ. de Juſt. l. 4. cap. 4. d. 24. n. 24.*

Quod ſi non appetatur injuxta vindicta, ſed ſolum juſta punitio, itemque non ſit exceſſus in modo iraſcendi, ira nullum eſt peccatum, unde dicitur in Pſalmis, *Iraſcimini, & nolite peccare*. Immo poteſt quis meritorie iraſci, ut dum Pater intra terminos rationis iraſcitur in defectus Filii, Magiſter in malum Diſcipulum, Superior in parvum Subditum &c. E contra peccare poſſunt omnes præfati, ſi, ut vitent turbationem, vel ut dicantur mites, benevoli &c., nimis ſint indulgentes erga culpas aliorum: *D. Thom. 2. 2. q. 158. art. 1.*

Q. II. Quæ ſint Iræ Filiæ.

R. Ideo Ira inter vitia capitalia annumeratur, quia ex ea plurima alia oriuntur. Prima ergo Iræ Filia eſt *Rixa*, quæ eſt contradictio in factis, dum ſcilicet aliqui ex ira, privata authoritate ſe percutiunt.

Secunda eſt *Indignatio*, cum nempe contemnitur ille, cui iraſcimur, conſiderando eum tamquam indignum, a quo tale quid patiamur. Facile pertingit ad peccatum mortale, vel quia ipſe contemptus proximis ſit gravis; vel quia propter talem contemptum cum ſcandalo ab ipſius amicitia recedimus; vel quia ipſum contemnendo non ſalutamus; vel quia ratione talis contemptus noluimus proximo exhibere, quæ illi ex Juſtitia, vel Charitate ſunt debita.

Tertia Iræ Filia eſt *Tumor mentis*. Iſtud vitium valde affine eſt præcedenti, dicitur enim tumorem mentis habere, qui cum iraſcitur, ſe ipſum extollit, & alteri præfert. Facile pertrahit ad peccatum mortale, nam ſolet replere animum amaris cogitationibus, quibus diverſæ viæ ſeſe ulciſcendi examinantur.

Quarta eſt *Clamor*, ſolet etenim iratus vocem nimis extollere, & plura inordinate, & confuſe jactare. Poterit id eſſe grave peccatum, ſi grave ſcandalum ſequeretur; vel etiam nullum, puta ſi clamor fiat ex præſcripto rationis, quia e. g. neceſſarius reputatur ad correctionem.

Altera Filia Iræ eſt *Contumelia*; nam homo iratus ſolet in proximos multas pronunciare contumelias. De contumelia agemus, dum ſermo erit de detractione. Modo ſufficiat adnotare Contumeliam adverſari honori, & tunc intervenit, quando quis in proximum profert verba injurioſa. Si illi objiciantur mala culpæ dicitur contumelia, ut ſi aliquis fur appelletur. Si defectus pœnæ, quibus quis a natura, vel alia ex cauſa laboret, dicitur convitium, ut dum quis claudus, vel luſcus appellatur. Si objiciantur beneficia collata, dicitur improperium. Si objiciantur cachinnando mala culpæ, vel pœnæ ad aliquem parvipendendum, & ut rubore ſuffundantur, dicitur irriſio; Quidquid tamen ſit, diſcrimen eſt ſolum in nomine. Illud advertendum, quod cum contumelia lædat honorem, qui eſt maximum hominum bonum, de ſe eſt peccatum mortale. Fieri poteſt vel veniale, vel nullum, ſi a Superiore in ſubditum aliquæ proferantur contumeliæ, quia neceſſarium putat ad ipſius correctionem. Erit veniale, ſi leviter honor lædatur, ſi pronuncientur contumeliæ in mulierculas, & homunciones non curantes honorem; ſi item pronuncientur ſine plena advertentia, ut multoties facere ſolent fœminæ rixantes, nam una adverſus alteram, quidquid in buccam venit, evomit.

Altera Iræ Filia eſt *Maledictum*, quod eſt imprecatio, & exoptatio mali in aliquem projecta ſub ratione mali. Unde imprecatio, ſeu maledictum non eſt alicui malum imprecari, ut illi inde bonum obveniat. Sed de hoc, dum agemus de Charitate.

Ultima perniciosiſſima Iræ Filia eſt *Blaſphemia*, quæ importat convitium in Deum, vel in Sanctos, & de hoc peccato diſſeremus, explicando primum Decalogi præceptum,

Regulæ in praxi obſervandæ.

Confeſſarius negligere non debet remedia pro curando homine bilioſo, & in iram facile prorumpente, ob maxima mala, quæ ex ira ſolent provenire. Primo ergo commendet illi orationis exercitium, ut eo mediante auxilia obtineat neceſſaria ad compeſcendam hanc inobedientem paſſionem. Secundo proponat ei exempla J. Chriſti, qui mitis erat, & humilis corde; ac proinde manſuetiſſime cum ipſis ſuis inimicis agebat, contumeliis ſilentio reſpondebat, ac cum omnibus humaniter tractabat. Repræſentet tertio, qua tolerantia Deus ipſius peccata compaſſus fuerit, dum poterat juſtiſſima ira multoties illum in infernum protrudere. Quarto, ſi ſuus Pœnitens ex levibus conjecturis judicet alios multa dicere, vel facere in ipſius contemptum, demonſtret faciillime, temerarie judicando, poſſe peccare; adeoque illum removeat a talibus ſuſpicionibus, quæ ſolent eſſe iræ, & rixarum fontes. Demum admoneat animum ira præoccupatum, multa temere, & inconſiderate decernere, adeoque ſuſpendendam eſſe rerum executionem, quouſque ira omnino deferveſcat. Quod ſi in aliis, multo magis in publicis perſonis neceſſaria eſt manſuetudo, ut animo pacato audiant, & ita juſta decernant. Inter publicas autem perſonas maxime Manſuetudine præfulgere debent Eccleſiaſtici, utpote quia in ipſis ira majoris eſt ſcandali occaſio. Cum autem plura ſe offerant in excipiendis confeſſionibus, iram omnino a ſe removeant Confeſſarii, fortiter quidem ſatisfaciendo ſuo muneri, ſed ſuaviter, exemplo J. Chriſti, qui tam patienter ſe gerebat cum peccatoribus, ac miſericordia, & manſuetudine illos ad pœnitentiam revocabat.

CAPUT IV.

De Gula, ejuſque Filiabus, & Ebrietate.

Q. I. QUid ſit vitium Gulæ, & quale peccatum.
R. I. Gula eſt inordinata concupiſcentia edendi. Hæc autem inordinatio ex *D. Th. 2. 2. qu. 180. a. 4.* explicatur ſequenti verſiculo.

Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe.

Si-

Si iſta inordinata edendi concupiſcentia attendatur in ordine ad ipſum cibum, primo intervenit, ſi comedatur *laute*, cibus nempe nimis pretioſus; ſecundo ſi ſtudioſe, ut ſi quis velit cibos valde accurate præparatos; tertio ſi *nimis*, in quantitate excedendo. Si vero inordinatio concupiſcentiæ conſideretur reſpectu modi edendi, intervenit, ſi præveniatur tempus edendi, & *præpropere* comedatur, vel ſi nimis *ardenter*, ſeu voraciter.

R. II. Vitium Gulæ de ſe non eſt niſi peccatum veniale, cum de ſua natura non importet gravem deordinationem: *S. Th.* 1.2. *q.* 148. *a.* 4. Nihilominus poteſt fieri mortale ratione perverſæ intentionis, ut ſi quis adeo addictus ſit delectationi ciborum, ut propter eam paratus ſit legem Dei tranſgredi. Item poteſt fieri mortale ratione gravis incommodi, ut ſi aliquis vel quantitate, vel qualitate ciborum graviter officeret ſuæ valetudini. Tale autem peccatum, ordinarie loquendo, non reputatur, ita comedere, ut ſequatur vomitus. Tertio mortale peccatum eſt carnibus humanis veſci, ut communiter docent DD. cum S. Th. 2. 2. *q.* 142. *a.* 4. *ad* 3. Ratio eſt, quia a tali comeſtione valde abhorret natura rationalis, cum ordo naturæ poſtulet, ut aliquis veſcatur alimento ſe ſe viliore & indigniore, & quod decerpere, & occidere poſſit in ſui ſubſtentationem. In eſtrema autem neceſſitate probabilius eſt licitum eſſe veſci carnibus humanis, quod enim abſolute conſideratum eſt contra naturam, multoties non eſt ab ea alienum in aliquibus circumſtantiis. Ita licet ſit a natura alienum ſibi brachium amputare, non tamen eſt a natura alienum, dum eſt neceſſarium propter conſervationem totius. Pari ergo ratione, quamvis humana natura abhorreat a comeſtione carnis humanæ, non tamen videtur irrationabile veſci carnibus hominis mortui ad vitam conſervandam: *Navar. in man. c.* 22. *n.* 122. *Tolet. in Sum. c.* 60. *Sanch. l.* 1. *Moral. c.* 58. *n.* 12.

Q. II. An ſit peccatum comedere, & bibere ad ſolam voluptatem.

R. In hac materia adeſt propoſitio damnata ab Innocentio XI. *ſub n.* 8. quæ ita ſe habet: *Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* Et quidem ſi attendantur illa verba damnatæ propoſitionis *uſque ad ſatietatem*: ſtatim apparet in tali comeſtione aliqua deordinatio, ex qua conſurgat veniale peccatum. Unde *S. T. q.* 14. *de malo art.* 1. ait: *Regula rationis huic eſt, ut homo ſumat cibum ſecundum quod convenit ſuſtentationi naturæ, & bonæ habitudini hominis.* Videmus eadem bruta a cibo immoderato abſtinere; & comedere ſolum quantum expoſcit ſuſtentatio.

Nihilominus negandum non eſt intervenire peccatum veniale, quamvis aliquis moderate commedat, ſed ad captandam voluptatem. Ratio eſt, quia homo debet operari ob finem ſuæ naturæ conformem, qualis non eſt voluptas, quæ communis eſt etiam Beſtiis. Ulterius comeſtio a natura non ordinatur ad voluptatem, ſed ad individui conſervationem; unde appoſuit delectationem in comedendo ſolum, ut eſſet medium, quod nos alliceret ad ipſam comeſtionem. Comedere ergo ob ſolam voluptatem ſemper eſt invertere ordinem rationis, & a natura intentum, adeoque ſemper erit peccatum. Videatur *S. Th.* 4. *cont. Gent. c.* 87. *n.* 7. Non per hoc tamen nego intendi a natura aliquam delectationem in deambulatione, in ludo moderato, in venatu, in audiendo Muſicam &c. ut docet etiam S. Th. *in* 4. *d.* 49. *q.* 3. *art.* 4. *q.* 3. At inter has delectationes, & ſuperiorem, lata patet diſparitas; nam illæ intentæ ſunt a natura ad animum honeſte relaxandum, & recreandum; unde vel ex parte operis, vel ex parte operantis tendere poſſunt in bonum finem. At natura in comeſtione, & potu non intendit delectationem, ſed ſolum eam appoſuit ut medium, ut ad comeſtionem alliceremur.

Q. III. Quid ſit ebrietas, quale peccatum, & an aliquando ſit licita.

R. I. Ebrietas eſt talis exceſſus in potu cauſa voluptatis, ut omnino uſus rationis auferatur. Cognoſcitur autem completa ebrietas, ſi ebrius poſtridie non meminerit, quæ dixerit, fecerit, quomodo domum venerit, a quo deductus fuerit, quando ad cubitum ierit. Item plene ebrius reputatur, ſi quis poſtquam inordinate bibit, fecit, vel dixit ſibi inſolita: ut ſi præter morem familiam, & uxorem nimis turbavit, effatus eſt turpia, blaſphemavit &c. cum alias hujuſmodi non ſoleat ipſe proferre &c. Quod ſi aliquis nequeat recte incedere, & domus ei verti videatur, & nihilominus diſcernat inter bonum, & malum, licitum, & illicitum, non poteſt dici perfecte ebrius, quia non plene caret uſu rationis, quamvis illam habeat aliquatenus perturbatam. Idem dicatur, ſi aliquis adhuc poſſit ſolita officia exequi, quamvis cum difficultate, ſeu vertigine. Videatur *Maſcard. concl.* 378.

R. II. Perfecta ebrietas eſt peccatum mortale. Ita DD. communiter cum S. Th. 2. 2. *q.* 150. *a.* 2. Ratio eſt, quia cenſetur magna deformitas, & magnum malum, voluptatis cauſa a ſe adimere uſum rationis, quo nihil eſt in homine præſtantius, & ſe reducere ad ſtoliditatem brutorum. Nec refert dicere etiam per ſomnum hominem uſu rationis privari, nam ſomnus intenditur a natura, utpote neceſſarius ad reparandas vires, natura vero abhorret ab ebrietate, quæ non ſolum rationem admittit, ſed & ipſas vires ſenſitivas debilitat. Quod ſi ebrietas ex ſe eſt peccatum mortale, mortaliter quoque peccabit, qui alium juſſu, aut conſilio inducit ad ebrietatem; adeoque, & mortaliter peccant, qui ſe mutuo provocant ad bibendum, prævidentes in ſe, vel in altero ſequuturam ebrietatem. Cæterum relinquere aliquem in libertate, ut uſque ad ebrietatem bibat, abſque eo quod ad ita bibendum ullo pacto inducatur, poterit excuſari a gravi culpa, ſi fiat ex juſta cauſa; nam relinquere libertatem bibendi de ſua natura eſt actio indifferens, & remote conducens ad ebrietatem, quæ proinde poterit ex juſta cauſa cohoneſtari. Secus ſi talis cauſa non adſit, nam tunc ſaltem ex charitate tenemur alterius peccatum prævîſum impedire.

R. III. Licitum eſt ſe inebriare, ſi ita neceſſarium ſit ad recuperandam ſanitatem, nam tunc intenderetur a natura; & ita tunc datur etiam ſomniferum privans uſu rationis. *Tolet. in Sum. c.* 61. *Leſſ. Lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 4. Secundo docet Leſſius licitum eſſe ſe inebriare mortis vitandæ cauſa, ut ſi aliquis velit me occidere, niſi æqualibus cyathis reſpondeam, uſque dum me inebriem. Ratio ipſius eſt, quia ſi non eſt illicitum ſe privare aliquo membro ad ſalvandam vitam, ita nec videtur illicitum ſe eodem fine aliquo tempore privare uſu rationis: ſicut enim utrumque eſt per ſe illicitum, & nihilominus bene intendit natura abſciſſionem brachii, ut vita præſervetur, ita & privationem uſus rationis ad breve tempus propter eumdem finem. Contrarium magis communiter docent Theologi: *Azor. Inſtit. Moral.* 1. 1. *l.* 7. *c.* 33. *q.* 5. *Cajet.* 2. 2. *qu.* 150. *art.* 2. *Fagnan. in cap. a crapula, de vit., & honeſt. Cler. n.* 37.

Item Leſſius dicit licitum eſſe inducere, & invitare ad ebrietatem aliquem meditantem graviſſimum malum e. g. proditionem, ut ita a tali malo avertatur. Ipſius autem ratio eſt, quia licet minus malum ſuadere, ut majus avertatur. Verum hæc ratio non ſatis convincit, nam licitum utique eſt ſuadere, minus malum contentum in majori, quod aliquis facere decreverat, & ita volenti Petro furari centum, licitum eſt ſuadere, ut ſolummodo furetur decem; nam tunc non eſt ſuadere malum, ſed tantum, ut aliquis ommittat partem mali, quod facere decreverat. At non videtur licitum ſuadere minus malum, quod aliquis non intenderat; nam tunc eſt vera inductio ad malum, & perpetratur ſolummodo ex alterius ſuaſione, cum alter neque formaliter, neque virtualiter illud facere decreviſſet. In tali igitur caſu licitum eſſet offerre vinum valens faciliter inebriare, quod ille non cognoſceret; ſicut etenim ille tunc in bibendo non peccaret, ita nec eſſet formaliter inducere ad malum, illud vinum offerendo: atque ita videtur licitum, dum neceſſarium ſit ad magnum malum impediendum: *Laym. l.* 3. *ſect.* 4. *n.* 6.

Q. IV. Quæ ſint Filiæ Gulæ.

R. Sequentes Filias Gulæ recenſet D. Th. 2. 2. *q.* 142. *a.* 6. Prima eſt *inepta lætitia*. Hæc autem tunc intervenit, quando quis delectatur in re, quæ, attenta recta ratione, nullam deberet afferre delectationem. Vel ſi apta ſit rationabiliter delectare, nihilominus in ea capienda delectatione aliquis nimis effunditur. Multo magis eſſet inepta lætitia, ſi quis poſt ingurgitatum cibum, & potum, promoveret ludos turpibus verbis, vel factis, vel cum nocumento proximi, in quibus intervenire poſſet peccatum mortale advertit *S. Th. l. cit. art.* 3. Ad eamdem ineptam lætitiam pertinent diſſolutæ choreæ, tripudia, motus laſcivi, & indecori &c.

Secunda gulæ Filia eſt *Scurrilitas*, immoderatio nempe in jocis & facetiis, aut ſtudio alios ad riſum commovendi. Quod ſi joci, & facetiæ non redundent in gra-

vem Dei, Sanctorum?, & Religionis injuriam, ut eveniret, ſi quis abutatetur incidenter ad ſcurilia verbis S. Scripturæ, cæremoniis, aliiſque ritibus Eccleſiæ, ſcurrilitas non erit peccatum mortale, dummodo tamen etiam removeatur gravis injuria proximi, vel gravis provocatio ad libidinem.

Tertia Gulæ Filia eſt *Immunditia*. Hæc ſignificat omnem impuritatem, ſeu verborum, ſeu factorum, quæ oriri ſolet ex nimio cibo, & potu; ſicut obſcænitatem vomitus, & nocturnæ pollutionis, quæ contaminare ſolet animas helluonum, & potatorum.

Quarta eſt *multiloquium*, effrænis nempe garrulitas. Fieri poreſt peccatum mortale, ſi, ut evenite ſolet, poſt nimium cibum, & potum, gravia arcana revelentur; de abſentibus graviter detrahatur, de rebus ſacris, & divinis temere quis loquatur; vel ſi præſentes gravibus contumeliis afficiantur &c.

Quinta Filia gulæ eſt *bebetudo meatis*. Ex crapula igitur, & ebrietate, quamvis penitus rationis uſus non adimatur; homo reddi ſolet ineptus ad contemplationem veritatis, & ad omnia, quæ indigent luce rationis, & moderamine prudentiæ. Erit peccatum lethale, ſi quis ſe reddat impotentem ad conſideranda ſpiritualia, dum ad id tenetur; ut ſi non poſſet diſcutere ſuam conſcientiam, quando ad id teneretur. Item eſſet peccatum lethale, ſi quis nimio cibo, & potu ſe ad ſua officia peragenda ineptum redderet, ut evenire poteſt in Medico, Advocato, Curato, Confeſſario &c.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Primo Confeſſarius quam maxime redarguat Eccleſiaſticos, nimio cibo, vel potu addictos; nam ſi id valde turpe eſt in ſæcularibus, multo magis in Eccleſiaſticis, *qui mente devota debeat Spiritualibus Officiis inſiſtere*, ut docet S. Tb. 2.2. *q*.139. *art*.4. Hinc S. Canones crapulam, & ebrietatem omnino a Clericis intendunt removere; utpote quæ illos reddunt nimis deſpicabiles, ad ſuum officium peragendum ineptos, & quæ in cauſa ſunt, ut Eccleſiaſticæ functiones, & ſolemnitates irreverenter, & cum ſcandalo populi peragantur. Criminantur etiam provocationes, quas dum in diebus Feſtis ſimul manducant, ſolent facere Eccleſiaſtici parum morigerati ad bibendum; unde evenit videre aliquos aliorum ſollicitatione ingurgitatos, & ebrios. Videatur *Can. ante omnia diſt.* 35. *Can. nullus diſt.* 44, *& Can. quanda eadem diſt.* Demum audiatur Innoc. III. *cap. a crapula Extr. de vit., & honeſt. Cler.* ubi ſic ait; *A crapula, & Ebrietate, omnes Clerici diligenter abſtineant, unde vinum ſibi temperent, & ſe vino. Nec ad bibendum quiſpiam incitetur, cum ebrietas, & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abuſum penitus decernimus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales ſuo modo ſe obligant potatores: & illo judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem ſuper his ſe culpabilem exhibuerit, niſi a ſuperiore commonitus ſatisfecerit, ab officio, vel beneficio ſuſpendatur.*

II. Non facilis ſit Confeſſarius in abſolvendis iis, qui ſolent ſe inebriare: Experientia docet non facile cavere ab hoc crimine, & promiſſa de abſtinendo in poſterum a nimio potu, facillime non ſervari, unde ſemper remanet locus dubitandi de ſinceritate propoſiti hoc grave peccatum præcavendi.

III. Sollicitus ſit Confeſſarius in curando hoc morbo alias difficilis curationis. Repræſentet primo quam contemptibilis reddatur ille homo, qui nimio vino addictus, ab omnibus conſideratur, ut ratione expoliatus, cui nemo fidat, & nullum ipſi committatur negotium: cum etenim de aliquo dici poteſt eſſe vino addictum, ſignificatur virum eſſe, quem omnes ſubſannent, & ut nunquam ſatis compotem ſui vilipendant. Moneat etiam ſe ingurgitando, & per exceſſum bibendo, ſibi mortem accelerare &c. At efficacius ab hoc vitio Pœnitentem removebit, ſi ipſum inducere poterit ad meditanda exempla Chriſti & SS., qui & verbis, & factis abſtinentiam commendaverunt. Vitam Chriſtianam oppoſitam eſſe debere vitæ Paganorum, qui continuo in deliciis vivere volebant: tam laute corpus tractando, ipſum corpus ad æternos cruciatos, deſtinare, utpote quia difficillime ſine peccato moritur: meminiſſe debere mortis, dum cibum ſumere volt, ſicut & fellis J. Chriſto oblati, cum eſt bibiturus. Æternam Damnatorum ſitim pariter mente reſolvete aſſueſcat, & Divitem illum, qui epulabatur quotidie ſplendide, non potuiſſe in Inferno unicam aquæ guttam ad fauces refrigerandas obtinere.

CAPUT ULTIMUM.

De Invidia, & Acedia.

Q. I. QUid ſit invidia, quale peccatum, & quotuplex.

R. I. Invidia, ex *S. Tb.* 2.2.*q*.36.*a*.1. ita poteſt definiri: *Triſtitia, qua quis dolet de bono alicujus non quatenus bonum ipſius eſt, ſed quatenus videtur diminuere propriam excellentiam.*

Advertendum ergo eſt primo poſſe aliquem triſtari de bono alterius, quatenus ex eo ſibi timet aliquod malum inferendum; & hæc triſtitia non eſt invidia, ſed timor, ſeu effectus timoris. Quod ſi timeatur ex levi ſuſpicione malum injuſte inferendum, eſt peccatum, & quidem poteſt eſſe mortale, ſi conſurgat judicium temerarium in re gravi. Nullum autem erit peccatum triſtari de bono alterius, ex quo rationabiliter quis timet grave malum ſibi injuſte inferendum, ut ſi quis in talibus circumſtantiis triſtetur de authoritate alteri collata. Sicuti enim poſſet quis tunc talem authoritatem illi auferre, ita & de ea licite triſtatur. Bene vero peccat ſi triſtetur de bono alterius, dum ſibi timet malum juſte inferendum; ſicuti ſi quis triſtaretur de authoritate collata homini recto, a quo timeret propria vitia punienda.

Secundo poteſt quis triſtari de bono alterius, non quia in eo ſit, ſed quatenus eo caret, & hæc triſtitia dicitur æmulatio. Quod ſi iſta æmulatio ut de bonis ſpiritaalibus, ſit dum quis triſtatur non habere bona ſpiritualia, quæ in aliis videt, utique ſancta eſt, unde dicitur 1. *ad Cor.* 12. *Æmulamini chriſmata meliora.* Si ſit æmulatio de bonis temporalibus, ſed ſibi proportionatis, & neceſſariis, certo non eſt mala, & ita licite quis triſtatur non habere neceſſaria ad ſui ſuſtentationem, quæ videt alios habere. Non ſine peccato autem veniali deſiderantur bona temporalia nobis non proportionata, ut ſi quis triſtaretur, quia non eſt Rex, Peccaret vero graviter, ſi ea deſideraret ob finem graviter malum, vel ſi ex hoc motivo de ipſorum carentia triſtaretur.

Tertio poteſt quis triſtari de bonis alterius, quatenus ea videt in homine indigno, & hæc dicitur *indignatio*. Quod ſi ſolum doleat præciſe quia ſunt in homine indigno, & non ab alium honeſtum finem, eſt triſtitia ſaltem venialiter mala, quia dolet de aliquo, quod non eſt malum culpæ, nec pœnæ, & ulterius videtur quodam modo arguere Deum, quaſi Indigno non deberet bona temporalia tribuere. Quod ſi quis triſtetur videndo bona tribui indignis, quia violatur Juſtitia, vel quia iis bonis in malum abutuntur, utique talis triſtitia bona eſt, cum procedat ex amore Juſtitiæ, vel Charitatis. Ita poſſum etiam conſiderare malum temporale peccatori, ut reſipiſcat, ſicut etiam ipſius mortem, ſi video alios malo exemplo, vel prava Doctrina inficere.

Quarto poteſt quis triſtari de bono alterius, quia malum illi vult, & hoc eſt odium.

Si demum quis triſtetur de bono alterius, ut eſt diminutivum propriæ excellentiæ, conſurgit peccatum Invidiæ. Hinc dici ſolet, Invidiam eſſe inter æquales, æqualis enim non pati poſſe videtur, alterum ex boni alicujus conſequutione, evadere majorem, & ipſum minoris habendum eſſe.

R. II. Invidia ex genere ſuo eſt peccatum mortale oppoſitum Charitati, nam triſtatur de bono proximi, de quo gaudet charitas. Poteſt fieri veniale, ſi deſit perfectus voluntatis conſenſus, ut ſi homo triſtetur de bono æqualis, ex quodam motu fere ſubito, ita ut non detur perfecta advertentia, & perfectus conſenſus. Item erit veniale, ſi triſtitia ſit de re levi; & ita ſolent pueri in rebus levibus ſuis ſociis invidere: *Navar.c.*23.*n.*118.

R. III. Invidia duplex eſt: alia humana, de qua jam dictum eſt, alia *fraternæ Gratiæ*. Invidia fraternæ gratiæ eſt triſtitia de bonis ſupernaturalibus proximi, & id non ſolum quatenus ſunt bona proximi, ſed etiam quatenus inferunt augmentum Gratiæ, & ſic non eſt ſine injuria Spiritus Sancti, qui in ſuis operibus gloriatur. Hinc hujuſmodi peccatum, de quo agit *S.Th.*2.2.*q*.34.*a*.2. dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, & differt ſpecie

ab Invidia humana. Hujuſmodi invidia nunquam eſt peccatum leve, quia non poteſt dari triſtitia, quod Creaturis bona divina communicentur, ſine gravi Dei injuria. Solummodo levis eſſe poſſet ex defectu pleni conſenſus.

Q. II. Quæ ſint Filiæ Invidiæ.

R. Invidus primo ſolet quærere diminutionem gloriæ alterius, & ſi illam minuere conetur in occulto, ex invidia oritur *ſuſſuratio*; ſi vero manifeſte *Detractio*. Poſt has filias aliæ duæ naſcuntur, nempe *exultatio in adverſis proximi*, ſi potuit illius gloriam minuere; ſeu *afflictio in proſperis*, ſi proximi bona, ſeu gloriam imminuere non potuit: & ita non ſolum triſtatur de bono proximi, quatenus eſt propriæ excellentiæ diminutivum, in quo proprie conſiſtit invidia, ſed etiam quatenus nollet in proximo bonum eſſe. Ex his demum conſurgit *odium*, ſicut enim ex bono, quod delectat, oritur amor, ita ex triſtitia boni alterius *odium*. Videatur *S. Th. 2.2. q. 36. a. 4. ad 3.*

Q. III. Quæ ſit Acedia, & quale peccatum.

R. I. Acedia ex *S. Th. 2.2. q. 35 a. 3.* ita definiri poteſt: *Triſtitia de bono divino, ſeu ſpirituali, in quantum ad hominem attinet*. Si quis ergo triſtetur de bono divino quatenus in Deo eſt, vel quatenus ipſius attributa manifeſtantur, non peccat peccato Acediæ, ſed odii Dei; ſi etenim diligeret Deum, gauderet de bonis ipſius & de divinæ Gloriæ manifeſtatione. Si vero quis triſtetur de bono divino, ſeu ſpirituali quatenus eſt in proximo, oritur aliud peccatum oppoſitum charitati, quod dicitur Invidia fraternæ gratiæ, de qua ſupra dictum eſt. Denique ſi quis triſtetur de bono ſpirituali, & divino, quatenus ad ipſum pertinet, quaſi nollet eſſe capacem talis boni, conſurgit peccatum Acediæ. Ita hac culpa peccaret, qui triſtaretur de beatitudine, de Sacramentis, divinis præceptis, aliiſque bonis ſpiritualibus, quaſi nollet ad ipſum pertinere. Eſt vero notandum ex *S. Th. art. 3.* hujuſmodi acediam eſſe de bonis ſpiritualibus, quæ tenemur nobis comparare; unde non peccaret hoc peccato, qui triſtaretur in adimplendo opera virtutis, ad quæ alias non tenetur.

Hujuſmodi Acedia oriri ſolet ex nimio affectu ad res temporales, & delectationes hujus mundi ſicuti ex terrore laborum, quibus ſpiritualia ſunt comparanda, qui terror naſcitur eo quod amittatur guſtus rerum ſpiritualium, eo enim deperdito, ſtatim omnis res fit laborioſa.

R. II. Acedia ex genere ſuo eſt peccatum mortale, utpote oppoſita Charitati, qua unuſquiſque tenetur ſe propter Deum diligere, adeoque gaudere de bono ſpirituali, quod ad ſe pertinet, cum per illud ad Deum ordinetur. Poteſt eſſe peccatum veniale; ſi triſtitia ſit in parte ſenſitiva, vel in voluntate, ſed taliter, ut non adfuerit plenus conſenſus, ſeu advertentia. Ita eſſe poterit peccatum veniale, ſi non contriſter de bono ſpirituali, ſed de aliqua ipſius circumſtantia; ut quod jejunandum ſit tali die, orandum tali hora &c.

Q. Quæ ſint Filiæ Acediæ.

R. Prima Acediæ filia eſt *Malitia*. Hæc importat quodam odium, ſeu deteſtationem honorum ſpiritualium, vel quia aliquis vellet ea non eſſe: vel quia pœnitet bene feciſſe; vel quia contemnit Dei beneficia, dolens fuiſſe natum, cognoviſſe Chriſtum &c. Hinc homines acedioſi non ſolum ſolent irridere homines pios, ſed ipſa opera pietatis, virtutum exercitia &c.

Secunda Filia eſt *Rancor*, indignatio nempe in homines, qui exhortationibus, increpationibus &c. nituntur nos impellere ad bene agendum, & ad ſalutem conſequendam. Poteſt eſſe peccatum veniale, niſi conjungatur cum odio, quo grave malum illis deſideretur.

Tertia eſt *Puſillanimitas*: hæc autem tunc datur quando quis ex animi abjectione, & diffidentia ſuarum virium aggredi non vult exequutionem divinorum conſiliorum, & quæ perfectionis ſunt. Hæc eſt ex ſe peccatum veniale.

Quarto *Deſperatio*. Tunc autem intervenit, quando aliquis ultimum finem ſe conſequuturum deſperat. Ex hoc autem ſequitur abjicere omnem curam ſuæ ſalutis, vel perterritum Dei Judicantis ſeveritate; vel ex arcano Divinæ prædeſtinationis; vel gravitate ſuorum delictorum. De ſua natura eſt peccatum mortale.

Quinta eſt *Torpor*, quædam nempe dejectio animi, qua negligitur præceptorum obſervantia, vel ſolummodo perfunctorie adimpletur. De ſe eſt peccatum mortale.

Ultima Acediæ Filia eſt *Evagatio mentis*. Caret proinde Acedioſus ea attentione, quæ adhibenda eſt in exercendis rebus ſpiritualibus, & ſi eveniat in iis, quæ recitanda ſunt de præcepto, erit peccatum grave. Intervenit etiam in Acedioſo *Evagatio mentis* propter motus animi inquieti, nihil quieſcentis in rebus ſpiritualibus, unde in externis quærit delectationem; at quia ibi eam ſatis reperire non poteſt, nequit in uno loco conſiſtere, vel in aliqua re quieſcere.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum Invidia ſit Superbiæ fœtus, ex nimio etenim amore propriæ excellentiæ oritur triſtitia alienæ felicitatis, quas nos minui timemus: hinc Confeſſarius ſi invidiæ radices velit expellere removeat a ſuo Pœnitente ſuperbiam. Hoc etiam facere poteſt demonſtrando ab invidia plus dejici, quam a quibuſcumque aliorum bonis, cum pudeat nobilem, & excelſum animum hoc viliſſimo vitio inquinari. Deſcendat deinde ad invidiæ crimen explicandum. Demonſtret, ipſum proprium Diaboli eſſe, nam e Paradiſo hominem exturbavit, quia ferre non poterat hominem eſſe ad infinitam dignitatem promovendum; quapropter ait Sapiens: *Invidia Diaboli mors intravit in orbem Terrarum. Sap. 2.* Conſiderare faciat, invidum quaſi dolere de Divina Bonitate, cum videatur nolle omnes reſpicere, ſed ſolummodo ſeipſum: item videtur optare deſtructionem illius ſocietatis, quam habent fideles inter ſeipſos, quatenus ſunt unius Dei Patris, & unius Matris Eccleſiæ Filii. Si enim omnes, ut ex eodem Patre, ac eadem Matre veluti primogeniti conſiderarentur, nullatenus diſpliceret quæcumque ipſorum felicitas. Oſtendere etiam poteſt, bona temporalia aliis non eſſe invidenda, utpote quæ non poſſint hominem facere felicem, immo occaſio eſſe poſſunt æternæ damnationis: a Chriſtiano ſolummodo æterna exoptanda, & quærenda.

Dicat demum, virtutes, quæ in aliis videntur, eſſe nobis debere incitamenta ad eas aſſequendas, non invidiæ irritamentum. Prorſus gaudendum eſſe, quia ſi non poſſumus habere temporalia, quæ videmus in proximis, divina favente Gratia, poſſumus acquirere Spiritualia, quæ in ipſis conſpicimus; atque ita aliquando cum ipſis eſſe Cives Sanctorum, & Dei Domeſtici.

II. Debet conari quantum poteſt Confeſſarius, ut Acedioſus aſſueſcat Meditationi bonorum ſpiritualium, & lectioni Sacrorum librorum; ut enim obſervat *S. Th. 2.2. q. 35. a. 1. ad 4.* quanto magis de iis cogitatur, tanto magis gratioſa redduntur, & ex hoc ceſſat Acedia. Suadeat illi orationis exercitium, ac mente revolvere Myſteria vitæ, & mortis Chriſti; ſi etenim aliquantiſper agnoverit quanto amore, & ſtudio Salvator noſtram ſalutem quæſierit; pudebit utique ſuæ oſcitantiæ, & negligentiæ in acquirendis bonis ſpiritualibus. Animadvertere item faciat Acedioſo *non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, ut ait Apoſtolus *ad Roman. 8.* potuiſſe Deum velle, ut per inexplicabilia tormenta Beatitudinem aſſequeremur, in quo etiam caſu nonniſi ſumme Miſericordem, & Benignum ſeſe oſtendiſſet; at nihilominus tam erga nos bonum eſſe, ut facile poſſimus eſſe Beatos, ſi excuſſa ſocordia aliquid laboris pati voluerimus pro eodem Deo aſſequendo. In memoriam demum revocet, quantum doloris experiatur in puncto mortis Acedioſus, dum conſiderat, quod tempus non erit amplius; & interim propter tanti temporis abuſum; ſolum ſibi ſupereſſe ſuppliciorum æternitatem: *Ardendum ergo modo igne Charitatis, ne ardeamus igne, quo arſuri ſunt Dæmones*, ait S. Auguſt. *Serm. 234 de Diverſ.*

TRACTATUS III.

DE LEGIBUS.

HOMO qoidem, ut recte ſuam Vitam inſtituat, primo conſiderare debet internam ſuarum operationum regulam, id eſt, Conſcientiam. At quia Reſpublica nullateous ſuſtineri poterat, niſi Legibus, quæ agenda, quæ vitanda, omnibus præſcriptum ſuiſſet, hinc eſt, neceſſariam etiam fuiſſe hanc exteroam regulam, quæ in Legibus conſiſtit, & quam attendentes homines, partes booi Civis poſſent adimplere. Legum proinde finis ſuit effrenatam cupiditatem, ſui prodigam, pacis æmulam, matrem litium, materiam jurgiorum reprimere, ut dicitur in Prooemio Decretalium, vel hominem informare ut honeſte vivat; alterum non lædat, jus ſuum unicuique tribuat, ut ibidem etiam aſſeritur, & notatur §. *Juri Inſtitut. de juſt, & Jur.* Omia igitur, quæ ad Leges ſpectant in præſenti explicare, quantum ſatis erit, conabor.

QUÆSTIO I.

De Lege in communi.

CAPUT I.

Quid ſit Lex, & quæ ipſius Conditiones.

Q. I. QUID ſit Lex.

R. Lex, vel ita dicta eſt a delectu, quia eſt lecta norma vivendi: *Aut qq. Nov. Teſt. apud S. Aug. q.* 15. vel a ligando, quia ligat, & obligat Subditos ad ſui obſervantiam: *S. Th.* 1. 2. *q.* 90. *a.* 1. vel a legendo, quia lex ſcribi ſolet, & publice proponi ut legatur: *Iſidor. l.* 5. *Etym. c.* 3. Ea autem poteſt ex Doctrina *D. Th.* 1. 2. *q.* 90. *a.* 4. ita definiri. *Recta ratio agendorum, a publica poteſtate propoſita Communitati, cum voluntate illam perpetuo obligandi*. Dicitur *recta ratio agendorum*, nam cum lex dirigat actiones humanas, vel ad bene agendum, vel ad retrahendum a malo, utique eſſe non poſſet in iis regula, niſi procederet a recta ratione, Oportet autem a *publica poteſtate* proponi, alias, cum non eſſet ab habente juriſdictionem, non haberet vim obligandi. Item reſpicere debet *Communitatem*, alias non ordinaretur ad bonum commone, quod intendere debet Lex, cum non pro particularibus, ſed pro omnibus promulgetur. Debet denique Legislator habere animum obligandi, alias non eſſet Lex, ſed Conſilium, vel Beneplacitum Principis, Inſuper intentio obligandi debet eſſe perpetua, hoc eſt, quod duret lex uſquedum ſuperveniat juſta cauſa illam revocandi; cum etenim reſpiciat bonum commone, conveniens eſt ſemper perſeverare.

Hic etiam obſervare eſt, qood aliquando lex vocatur *Jus*, quatenus decernit quod juſtum eſt; aliquando vocatur *Conſtitutio*, quia procedit ex conſilio plurium, aliquid ſtatuentium, aliquando verum *Statutum*, ob ſolidam deliberationem, qua ſancitur, & hoc nomen proprie convenit illis legibus, quæ non ſunt a Principe ſupremo, ut ſunt ſtatuta Oppidorom.

Q. II. Quas conditiones Lex debeat habere.

R. I. Conditiones neceſſariæ ad valorem legis ſunt ſeqoentes. Prima eſt ut ſit *honeſta & juſta*. Dicitur *honeſta*, quia congruere debet Religioni; *juſta* vero, quatenus reſpicere debet, ut jus proximi illæſum ſervetur. Hinc juſtitia legis expoſcit, ot omoes obliget, niſi pro aliquo militet ratio particularis, qua a legis obligatione ſit excipiendus. Item expoſcit ut ſervetur æqualitas proportionis, imponendo e. g. onera juxta cujuſcumque vires, & facultates; neque enim juſta eſſet lex, quæ æque, in ſolvendo tributa, gravaret divites, & pauperes.

Alia legis conditio eſt, ut ſit *poſſibilis*; impoſſibilium etenim nolla obligatio: *Reg.* 6. *jur. in* 6. Et quia debet eſſe accommodata hominum viribus, debet eſſe etiam moraliter poſſibilis, hoc eſt, non debet eſſe nimium difficilis. Hinc *can.* 2. *diſt.* 4. ubi ex S. Iſidoro recenſentur conditiones legis, requiritur etiam ut lex ſit *ſecundum naturam*; nempe ſecundum quod dictat naturalis ratio ſe accomodans modo humano operandi; ſicuti etiam *ſecundum Patriæ conſuetudinem*, nam Patriæ conſuetudo reddit Legis obſervantiam faciliorem. Non per hoc tamen negatur, oon debere legibus pravas conſuetudines eliminari; id enim expoſcit recta ratio agendorum, in qua lex conſiſtit; ſed ſolum innuitur, leges debere cum rationalibus conſuetudinibus concordare; tum quia ita facilior redditur illarum obſervantia; tum quia & ipſæ poſſuot vim legis obtinere: *leg. de quibus ff. de legib.* Ad reddeodam faciliorem legum obſervantiam vult Iſidorus, accomodandas etiam eſſe loco, & tempori, ut præſcribitur pariter *can. regulæ, & can. neceſſe eſt diſt.* 29. Et quidem quod alicubi videtur impoſſibile, noo ita alio in loco apparet; ſicut etiam juxta diverſitatem temporum, legum obſervantia facilior redditur, vel difficilior.

Altera legis conditio eſt, quod ſit *neceſſaria, & utilis*. Tunc eſt neceſſaria, quando convenit novam legem ferre ad remotionem malorum, quæ frequenter accidunt: nam quæ raro ſatis accidunt, contemnuntur a Legislatoribus: *leg. nam ad ea ff. de legib.* & de facto nimis grave eſſet Communitati, ac nimis leges multiplicarentur, ſi pro quocumque malo, quod accideret, nova lex promulgaretur. Tunc vero lex dicitur *utilis*, quando ex ea notabile bonum derivatur.

Deoique lex pro *nullo privato commodo, ſed pro communium civium utilitate debet eſſe conſcripta*. Hæc conditio patet etiam ex ipſa definitione legis; nam lex Communitatem reſpicit: *leg.* 1. & 2. *ff. de leg.* adeoque & commune bonum per ſe reſpicere debet, Ex hoc tamen ſecundario, & conſecutive bene poteſt reſultare privatum commodum civium. Quando Conſtitutio reſpicit privatum commodum alicujus, non lex, ſed privilegium eſſe cenſetor: *can. privilegia diſt.* 3. Sine præfatis conditioobus vera lex non datur.

R. II. Altera conditio legum, ſed non neceſſaria ad ipſarum valorem, affertur ex *S. Iſidoro cit. can.* 2. *diſt.* 4. ot ſcilicet ſit *manifeſta, ne per obſcuritatem captionem contineat*, quod etiam dicitur *cap. Abbate de v. ſignif.* Et certe, ſi lex ſit obſcura, poteſt captioſe, & male interpretari; & ita oocumentum ex lege poſſet provenire. Cæterum quamvis lex noo ſit ita maoifeſta, non caret robore, & valore.

Q. III. In quo lex differat a Præcepto.

R. Plura dantur diſcrimina inter legem, & præceptum. Primum eſt, quod lex immediate afficit locum, ſeu territorium Legislatoris, & inde tranſit in ſubditos ibidem exiſtentes. Præceptum vero immediate afficit perſonas, eiſque adhæret: *Suar. t.* 1. *de Cenſ. diſp.* 5. *ſect.* 5. *n.* 14. *Laym. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 1. *n.* 2. Hinc lex non obligat Cives abſentes: *cap. ult. de Conſtit in* 6. Præceptum vero ubique obligat ſubditos, ut patet in præceptis Superiorum. Secuodo præceptum reſpicit perſooas ſingulares, & cum eis ſolet extingui; lex vero, cum imponatur toti Communitati propter publicum ipſius bonum, non extinguitur, ſed traoſit ad futuros. Non nego tamen, quod ſi Legislator præciperet generaliter aliquid ad dies vitæ ſoæ, non tranſiret etiam ad alios, quouſque iſte Legislator viveret. Tertio præceptum expirat morte præcipientis vel ceſſaute ipſius officio; nam tunc ceſſat ipſius juriſdictio, a qua præceptum vim obtinet. Lex vero, ut dictum eſt ſupra, nunquam expirat niſi revocetor, vel abrogetur: *Sanch. l.* 8. *de Matr. d.* 28. *n.* 47.

Hic tamen non deſinam adnotare, alio modo loquendum eſſe de mandato, quo a Superiore confertur juriſdictio alicui inferiori; alio modo de mandato ab homine, ſeu ſimplici præcepto de aliqua re facienda, vel mittenda. Primum mandatum, quamvis expiret morte Mandantis, re integra: *cap. licet 30. de Offic. Deleg.* non tamen re non integra: *cap. velatum 19. & cap. gratum 20. de Offic. Deleg.* Hinc Judex, qui jam incœpit de aliqua cauſa cognoſcere, poteſt proſequi, quamvis moriatur Superior, a quo habuit Juriſdictionem. Secundo vero mandatum expirat morte præcipientis, etiam re non integra: nam tunc extincta illius juriſdictione, non poteſt obligare ad aliquid faciendum, vel ommittendum: *Sanch. cit.*

Q. IV. Qui ſint actus Legis.

R. Primus actus legis eſt præcipere, nam lex provenit ab habente publicam poteſtatem in ſubditos, & illius effectus eſt obligare: actus autem, qui præcipiuntur, debent eſſe boni. Secundus actus eſt prohibere actus malos. Tertius autem actus legis eſt permittere actiones indifferentes. Ut autem lex eſt permiſſiva reſpectu alicujus, poteſt eſſe obligatoria. Sic lex permittit læſo ultra dimidium, ut poſſit agere ad reſciſſionem contractus, quæ tamen lex reſpectu Iudicis eſt obligatoria. Alter actus legis eſt punire, ut retrahat homines ab actibus malis. Porro leges his actibus intendunt facere homines bonos, proportionate ad ipſas leges. Lex proinde Evangelica intendit facere homines filios Dei adoptivos, adeoque etiam interne bonos. Lex naturalis vult, ut homo acquirat virtutes morales, naturæ humanæ commenſuratas, & ut bonus ſit etiam in ordine ad alios. Lex Eccleſiaſtica intendit facere homines bonos Eccleſiæ Miniſtros. Lex Civilis bonos Cives, præſtando, quæ ordinata ſunt ad pacem Reipublicæ.

Regula in praxi obſervanda.

I. Ex ea conditione Legis, quod ſit *juſta*, poteſt aliquando Confeſſarius aliquem deobligare a legum obſervantia; quamvis enim præſumi non poſſit intentionem Legiſlatorum fuiſſe legem injuſtam promulgare; id tamen poteſt accidere maxime ex aliquo errore facti. Si e. g. taxent pretium rerum, unde ſubditi nullum, vel fere nullum lucrum reportent ad vitam ſuſtentandam pro ſua conditione, talis lex, utpote injuſta, in foro conſcientiæ non eſt attendenda. Demus etiam adeſſe legem, qua prohibeantur ab exercitio alicujus artis omnes pro illius exercitio publice non approbati: certe non teneretur ab illo exercitio ceſſare, qui non eſſet approbatus, ſi non haberet modum approbationem obtinendi; & aliunde exercitium artis eſſet omnino illi neceſſarium ad ſe, ſuoſque ſuſtentandos. In tali caſu ſaltem ex epikeja judicandum erat reſpectu illius legem locum non habere.

Quod dictum eſt de lege, quando univerſaliter judicatur juſta, vel in aliquo caſu particulari, idem dicendum eſt, quando non eſſet moraliter poſſibilis; eo maxime, quod ſi non ſit moraliter poſſibilis, neque etiam eſt juſta.

CAPUT II.

De Multiplici Diviſione Legis.

Q. I. Quotuplex ſit Lex.

Lex, ſeu Jus primo dividitur in æternum, naturale, & poſitivum: *S. Th. 1. 2. q. 91. art. 1.* Lex poſitiva ſubdividitur in Legem Divinam, & Humanam. Divina dividitur in legem veterem, & novam. Humana in Jus gentium, Eccleſiaſticum, & Civile.

Q. II. Quid ſit Lex Æterna.

R. I. Lex æterna primo ſumitur pro ea ratione Divinæ Sapientiæ, qua omnes Creaturas dirigit in ſuum finem: *S. Th. 1. 2. q. 93. art. 1.* Hoc modo ſumpta, competere poteſt etiam Creaturis irrationalibus, unde *Pſal. 148.* generaliter dicitur: *Præceptum poſuit, & non præteribit.* Poteſt propterea dici lex æterna, reſpectu earumdem Creaturarum ea Divinæ Sapientiæ ratio, quæ ipſis præſcribit modum naturalem, & neceſſarium agendi, ſecundum quod diſpoſuit æternus Legiſlator pro recto ordine univerſi; atque ipſæ Creaturæ, ita agendo, in lata quadam ſignificatione, dicuntur obedire ſuo Conditori.

R. II. Lex æterna ſtricte ſumpta, prout nempe reſpicit creaturas rationales, poteſt ita definiri: *Actus divinæ Mentis, quo Deus concipit quaſdam regulas neceſſarias, & practicas, cum voluntate obligandi Creaturas rationales ad illarum obſervantiam.* Hæc definitio primo continet actus intellectus, nam in eo ordinante, & diſponente conſiſtit ratio generica legis. Inſuper additur; voluntas obligandi creaturas rationales, cum proprium ſit legis præſcribere ejus obſervantiam; & per hoc lex æterna diſtinguitur a Providentia; nam quamvis ipſa etiam ordinet, & diſponat res in ſuum finem, nihilominus non inducit obligationem rebus in finem ordinatis. Regulæ autem divinæ Mentis, quibus intendit rationalem Creaturam obligare, ſunt penitus immutabiles; ut Deum eſſe colendum: Parentes honorandos: Superioribus obediendum: nulli injuriam irrogandam, & ſimiles. Lex æterna ita accepta, non ſolum talis dicitur, quia ab æterno exiſtit in mente divina, ſed etiam quia tales regulæ, & veritates practicæ ſunt invariabiles, & æternæ veritatis.

Ab hac lege æterna cæteræ derivantur: ideo enim e. g. lex naturalis nobis ingenita dictat Deum eſſe colendum, Superioribus obediendum &c. quia eſt quædam participatio Divini Luminis, ſeu Legis Æternæ quæ præeminet in mente divina. Ut autem tales veritates ſe tenent ex parte Divini Intellectus, dicuntur *Lex Æterna*, prout vero dictantur nobis lumine naturali, dicuntur *Lex naturalis*. Leges Poſitivæ Divinæ circa Dei cultum, & obſequium, quæ continebantur in Veteri, & modo habentur in nova lege quoad Fidem, Sacrificium, Sacramenta &c. omnes originem trahunt ab illa Lege Æterna: *Deus eſt colendus, Deo eſt obediendum.* Tot leges divinæ & humanæ reſpicientes juſtitiam, & bonum Reipublicæ regimen &c. ab illa derivantur regula Legis æternæ: *nullus injuria eſt afficiendus.* Quotquot demum fuerunt, & extituræ ſunt leges juſtæ poſitivæ, omnes ſunt effectus illius æternæ regulæ: *Superioribus eſt obediendum.*

Q. III. Quid ſit Lex naturalis.

R. Jus, ſive Lex naturalis non conſtituta fuit ab alicujus Legiſlatoris voluntate, ſed eſt lumen rationis manifeſtativum Legis æternæ, aliquid boni præcipientis, vel mali prohibentis. Cum igitur homo nequeat ſibi ipſi legem imponere, in tantum lege naturali obligatur, in quantum eſt manifeſtatio Legis æternæ, quæ cum ſit manifeſtativa boni faciendi, & mali vitandi, ſimulque præceptiva, habet iiſdem conditionibus de jure naturali participare: *D. Th. 1. 2. qu. 91. art. 2. Suar. l. 2. de Leg. c. 5. & 6.* Hanc Legem naturalem exprimunt ea verba *Pſal. 4. Quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Ad ea etiam indicandam Apoſtolus *ad Rom. 2.* ait: *Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis ſunt, faciunt, oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.*

Porro jus naturale dupliciter poteſt conſiderari, & prout reſpicit hominem ordinatum in finem ſupernaturalem, & prout reſpicit hominem in ſtatu puræ naturæ. Juxta hanc conſiderationem non ſe extendit ad opera ſupernaturalia; nam hoc modo habet pro ſua regula ſolum lumen rationis naturalis, quæ reſpicit objecta mere naturalia. Ut vero reſpicit hominem ordinatum in finem ſupernaturalem, extenditur etiam ad objecta ſupernaturalia; prout enim homo conſideratur in tali ſtatu, habet connaturale lumen Fidei, quod cognoſcit plura opera ſupernaturalia convenientia tali ſtatui, a Deo, ut Authore ſupernaturali impoſita.

Eadem autem lex naturalis non ſolum continet principia univerſaliſſima practica, lumine naturæ nota, ut *Bonum eſſe faciendum: Malum eſſe vitandum: Deum eſſe colendum: Parentes honorandos: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c.* ſed etiam omnia ea, quæ habent evidenter honeſtatem moralem, ſive quæ per evidentem, & neceſſariam conſequentiam ab iiſdem univerſaliſſimis principiis inferuntur. Cum etenim hæc omnia contineant neceſſariam, & immutabilem veritatem, neceſſe eſt pertinere ad jus naturale in ſe neceſſarium, & immutabile. Hinc pertinent ad legem naturalem omnia præcepta Decalogi; nam poſitis univerſaliſſimis principiis, ſtatim conſtat facienda eſſe ea, quæ præcipiunt, & ommittenda quæ prohibent. Præcepto autem naturali colendi Deum, additum eſt tempus, & modus de jure poſitivo, ut nempe colatur die feſto, & præcipue auditione Sacri.

Quod ſi quæratur an Jus naturale poſſit invincibiliter ignorari, diſtinguendum eſt. Prima univerſaliſſima principia ſtatim tam clare patent, ut nec brevi tempore poſſint ignorari; ſicut conſtabit ea conſideranti. Ea, quæ proxime & facile ex iiſdem deducuntur, ad ſummum per breve tempus ignorari poterunt ab aliquo valde rudi: & ita difficile eſt quod ex illo univerſaliſſimo principio, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, non ſtatim unuſquiſque inferat, nulli eſſe nocendum. Ea vero, quæ non

ita proxime, & diſcurſu non ita facili ex iiſdem principiis deducuntur, bene poſſunt a pluribus invincibiliter ignorari. Exemplificat id S. Thomas 1.2. *quæſt.94. art.4.* in eo, qui habet alterius depoſitum; quamvis enim ex illo principio *non eſſe furandum*, ſtatim quis cognoſcat eſſe reddendum; nihilominus bene poteſt ignorare, an ſit reddendum in hac, vel in illa circumſtantia, e. g. ſi redditio futura ſit domino damnoſa, ſi ipſi reſtituenti, &c.

Q. IV. Quid ſit Jus poſitivum.

R. Jus mere poſitivum eſt illud, quod imponitur ex libera voluntate Dei, vel hominis, adeoque non exigit intrinſece objectum, quod præcipiendum, vel prohibendum ſit, ſed hoc eſt ex pura voluntate Legiſlatoris præcipientis, vel prohibentis, quæ a jure naturali nec ſunt præcepta, nec prohibita. Hinc quæ jure mere poſitivo prohibentur, non ſunt mala per ſe, ſed mala, quia prohibita, ut conſtat de prohibitione edendi pomum in Paradiſo, vel carnes in Quadrageſima. Hac ratione jus mere poſitivum differt a jure naturali, quod cum prohibeat aliquid juxta exigentiam objecti, ſi aliquid prohibet, ideo prohibet, quia malum eſt. Ex quo aliud oritur diſcrimen inter jus naturale, & poſitivum; quod ſcilicet jus naturale eſt invariabile; nam cum præcipiat, & prohibeat juxta exigentiam objecti, non poteſt non ſemper præcipere bonum, quod non eſt de puro conſilio, ſicut non poteſt non ſemper prohibere id, quod malum eſt. Jus vero poſitivum, cum deſcendat ex libera Legiſlatoris voluntate, juxta diverſitatem temporum, locorum, perſonarum, & exigentiam aliarum circumſtantiarum; *can. ſciendum, & ſeqq. diſt. 29.* ſæpe varietati ſubeſt. Advertendum tamen hic eſt, quod dum dixi jus naturale eſſe invariabile, intellexi de jure naturali præceptivo, & prohibitivo, non vero de iis, quæ permittebantur jure naturali, & poſtea variata ſunt. Ita jus naturale permittebat omnia eſſe communia, quod tamen jure gentium deinde fuit variatum.

Advertendum etiam, quod in reſponſione loquutus ſum *de jure mere poſitivo*, dum dixi pendere a libera Legiſlatoris voluntate, & verſari circa ea, quæ ex jure naturali non cadunt nec ſub præcepto, nec ſub prohibitione. Nil igitur obſtat, quod etiam id; quod jure naturali præcipitur, vel prohibetur, non ſit etiam jure poſitivo prohibitum, ut conſtat de furto. Verum hujuſmodi leges non ſunt mere poſitivæ,

Q. V. Quid ſit Lex Divina Vetus.

R. Cum ſupra dixerimus legem poſitivam dividi in Divinam, & Humanam, & illam in Veterem, & Novam, convenit hic ſingulas explicare.

Lex vetus igitur, quæ habuit Deum Authorem, Angelorum miniſterio tradita fuit Moyſi, & ab ipſo promulgata medio fere tempore inter creationem Mundi, & Chriſti Incarnationem. Continebat præcepta in triplici differentia. Prima erant moralia, ad honeſtatem ſcilicet morum inducendam, & quidem non ſolum naturalem, ſed etiam ſupernaturalem; ad eam etenim conveniebat homines inſtruere, ſuppoſita ipſorum elevatione ad ordinem ſupernaturalem. Hæc præcepta fuerunt decem, unde derivatum eſt nomen Decalogi; & cum fuerint in duabus tabulis lapideis deſcripta, bene poſſumus credere tria prima præcepta ad Deum ſpectantia in prima tabula fuiſſe deſcripta, cætera vero, ad proximum pertinentia, in ſecunda. Quamvis autem hæc præcepta ſpectent ad jus naturæ, congruum fuit etiam lege poſitiva divina promulgari; nam facile ex hominum depravatione plures errores in jus naturæ derivaſſent, niſi ipſius præcepta etiam poſitiva lege ſub oculos habuiſſent.

Alia præcepta erant cæremonialia, quæ primo reſpiciebant ſacrificia, quomodo ſcilicet erant facienda; ſecundo reſpiciebant Sacramenta, quibus continebatur modus conſecrandi Miniſtros in Dei cultum; tertio reſpiciebant ſacra, quæ nempe deſervire debebant ad Divinum cultum, ut Tabernaculum, vaſa &c. quarto reſpiciebant obſervantiam, inſtitutiones nempe perſonales illius populi in cibis, veſtibus, corporali munditia &c. *D. Th.* 1. 2. *qu.* 101 *a. 4.*

Alia demum præcepta erant judicialia, quibus præſcribebatur certus modus juſtitiæ; vel Principis ad Subditos, & e contra; vel Subditorum inter ſe; vel Subditorum in ordine ad exteros, & alienigenas; vel denique inter Familias, ut inter Virum, & Uxorem; Parentes, & Filios; Dominos & Servos: *S. Th. q.* 104 *art. 4.*

Hæc Lex Vetus, quæ tantum fuit Hebræis promulgata, adeoque quæ ipſos tantum obligavit, abrogata fuit Chriſti morte, nam tunc ceſſarunt omnes figuræ, quæ continebantur in veteri Lege; & proinde dicendum eſt ſucceſſiſſe Novam, quæ continet earum adimpletionem in Paſſione, Morte, Sacerdotio, & Reſurrectione Chriſti. Quamvis tamen tunc dici debuerit mortua, non tamen ſtatim evaſit mortifera; hoc eſt, peccaminoſa illius obſervantia; & de facto ipſi Apoſtoli plura legalia obſervarunt, ut conſtat legenti S. Scripturam. Cum ergo, ut obſervat S. Auguſtinus, debuerit eam honore ſepeliri, utpote quæ a Deo erat, mortifera evaſit poſt ſufficientem Evangelii promulgationem, quæ ad ſummum prorogari poteſt uſque ad excidium Templi Hieroſolymitani: *D. Th. 1. 2. q. 98. art. 4.*

Q. VI. Quid ſit Lex Nova.

R. Lex Nova, ſive Lex Gratiæ ea eſt, quam inſtituit Chriſtus Dominus, ac habemus in Evangelio. Dicitur Lex Gratiæ; quia in ea præcipue conſiſtit, & ad eam conferendam inſtituta ſunt Sacramenta a Chriſto Domino. Ita ex vi ipſius Legis habemus Gratiam, quam non habebant homines ex vi veteris Legis, ſed ex fide in J. Chriſtum futurum &c.

Et ipſa continet præcepta in triplici differentia; moralia ſcilicet, & ſunt eadem ac in Veteri Lege, ſiquidem ſunt ex jure naturali; latius tamen in Evangelio exprimuntur quoad actus internos, & vindicantur a corruptelis Phariſæorum. Secundo continet præcepta cæremonialia, ſive Sacramentorum, qualia ſunt ea: *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* Tertio continet præcepta judicialia, quatenus tamen dumtaxat generaliter imponit, ut audiatur Eccleſia tanquam Mater, & Judex, illis verbis: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Præter memorata præcepta naturalia, Sacramentorum, & quædam pertinentia ad Fidem, cum plurima ipſius præcepta magis fuerint explicata, ut patet de Miſteriis Trinitatis, Incarnationis, Paſſionis Chriſti, Reſurrectionis, Aſcenſionis &c. nulla alia præcepta extant in Evangelio jure divino obligantia, Si quæ ergo data ſunt præcepta ab Apoſtolis, ut de abſtinentia a Sanguine, & ſuffocato, de bigamis non ordinandis, & forte de jejunio etiam Quadrageſimali, illa dederunt tanquam Rectores Eccleſiarum, & ita ſpectant ad jus humanum Eccleſiaſticum: *S. Th.* 1. 2. *q.* 108. *a.* 1.

Principaliter differt a Lege Veteri, quia, ut dixi, Lex Nova ex ſe confert Gratiam. Item in Lege Veteri homines præcipue inducebantur ad obſervantiam præceptorum promiſſione temporalium, & per timorem, quamvis Viri perfecti per Charitatem præcipue operarentur. In Lege vero nova præcipue alliciuntur homines promiſſione bonorum ſpiritualium, & per amorem impelluntur; quamvis qui non attingunt perfectionem Legis Novæ moveantur etiam timore pœnarum, & promiſſione temporalium: *S. Th.* 1. 2. *qu.* 107. *art.* 1. *ad* 2. Demum, ſi Lex Vetus ſolum particularem populum obſtringebat, Lex Evangelica, utpote lata a Chriſto omnium Redemptore, adeoque & Legiſlatore, omnes homines ad ſui obligationem adſtringit. Alia diſcrimina inter utramque Legem videnda apud Authores.

Sicut autem cœpit obligare ſtatim ac fuit publicata, ita & tenentur Populi ad ipſius obſervantiam ſtatim ac per Evangelicos Miniſtros illis innoteſcit.

Q. VI. Quid ſit Jus Gentium.

R. Primum Jus, quod ortum fuit ex humana authoritate a Deo accepta, dicitur *Jus Gentium*. Multoties uſurpatur pro jure naturali, & tunc dici ſolet jus gentium primarium *§. Jus autem Inſtit. de jure nat. Gent., & civili*, *juncta §. Singulorum Inſtit. de rer. diviſ.* Verum in præſenti pro Jure Gentium intelligitur illud jus, quod omnes, vel fere omnes Gentes ſtatuerunt tanquam neceſſarium, vel valde utile ad conſervandam inter homines communem vitæ ſocietatem. Hoc autem jus non continet ea, quæ ſtatim ex jure naturæ ſunt nota, nobiſque cognita, ſed conſiſtit in quibuſdam veluti concluſionibus, quæ ex principiis practicis, jure naturæ cognitis, per diſcurſum deducuntur, & quas tanquam neceſſarias, & valde utiles, omnes Gentes mutuo conſenſu, & uſu, veluti jus ſtatuerunt. Plurima Juris Gentium exempla referuntur *Can. jus Gentium diſt.* 1. his verbis. *Jus Gentium eſt ſedium occupatio, ædificatio, munitio, bella captivitates, ſervitutes, poſtliminia, fœdera, paces, induciæ, Legatorum non violandorum religio, conjugia inter alienigenas prohibita, hoc inde jus Gentium appellatur, quia eo jure omnes fere Gentes utuntur.*

Q. VIII. Quid ſit Jus Eccleſiaſticum, ſeu Canonicum, & cujus ſit authoritatis.

R. I.

R. I. Jus Canonicum, quod dicitur etiam Divinum *cap. cum diverſis 2. de privil. in 6.* poteſt ita definiri: *Jus poſitivum conſtans ex ſacris Canonibus, conſtitutum ad dirigendos homines in viam ſalutis, & ad aſſequutionem æternæ Beatitudinis.* Dicitur *Jus poſitivum*, nam immediata ipſius cauſa fuit Poteſtas Eccleſiaſtica, cum & ea, quæ continet, tanquam ab Apoſtolis derivata, ab ipſis originem habuerint, ut Paſtores erant, & Rectores Eccleſiarum. Dicitur conſtare *ex ſacris Canonibus*, ex regulis nempe Eccleſiaſticis; Græca etenim vox *Canon*, regula interpretatur. Cætera verba deſignant finem Eccleſiaſtici Legislatoris, ut homines ſcilicet puritate fidei, & præceptorum obſervantia Vitam æternam aſſequantur.

Hoc autem jus Canonicum primo, continet quinque libros Decretalium. qui in titulos diſtribuuntur; & tituli in capitula. Hi quinque Libri continent varias Conſtitutiones, & Decretales ſummorum Pontificum, quas collegit S. Raymundus de Pennafort, juſſu Gregorii XI. His idem Pontifex adjecit multas ſuas Conſtitutiones, & Epiſtolas Decretales. Secundo, continet ſextum Decretalium, & ita dictus fuit, quia compilatus authoritate Bonifacii VIII. adjectus fuit quinque præfatis Libris. Ceterum, & ipſe in quinque libros dividitur, & libri in titulos, iſti vero in Capitula. Tertio, continet Clementinas, ita dictas, quia editæ fuerunt a Clemente V, quæ pariter dividuntur in quinque Libros; qui in titulos, & tituli in capita. Quarto continet Extravagantes Joan. XXII. viginti nempe Conſtitutiones hujus Pontificis, in quatuordecim titulos diſtributas. Dicuntur *Extravagantes*, quia vagantur extra Libros Decretalium, qua ratione etiam Clementinæ quandoque *Extravagantes* dicuntur. Quinto, continet *Extravagantes communes*, diviſas in quinque libros, qui in titulos, & hi in capita dividuntur. Unumquodque Caput continet particularem Conſtitutionem, ſive Extravagantem diverſorum Pontificum Romanorum.

Magnam partem juris Canonici conſtituit denique Decretum Gratiani Monachi S. Felicis Bononienſis, Ordinis S. Benedicti. Iſte congeſſit varias S. Scripturæ ſententias, Decreta Conciliorum, Conſtitutiones Romanorum Pontificum, leges Imperatorias, & ſelectiſſimas Patrum ſententias, atque hæc omnia in unum volumen redegit. Illud autem diviſit in tres partes, quarum prima continet ſex diſtinctiones diviſas in Canones, ſeu Capita; atque in iis tractatur de jure divino, & humano, deque iis, quæ pertinent ad componendos mores, & diſciplinam Eccleſiaſticam. Secunda pars continet cauſas triginta ſex, quæ dividuntur in quæſtiones, & quæſtiones in Canones. Tertia pars agit de conſecratione Eccleſiarum, de celebratione Miſſarum, de Euchariſtia, Baptiſmo, Confirmatione, Feſtis Eccleſiaſticis, Cæremoniis, & Jejuniis. Plures Pontifices illius emendationem demandarunt; ac tandem Gregorius XIII. jam emendatum commendavit, & juſſit retineri, abſque eo quod in eo aliquid adderetur, mutaretur, aut imminueretur.

R. II. Omnia, quæ continentur in corpore juris Canonici, excepto Decreto, habent vim obligandi ad ſui obſervantiam. Ratio eſt, quia omnia dimanarunt a Summis Pontificibus, quibus non defuit nec poteſtas, nec voluntas condendi Leges Eccleſiaſticas. Ut authenticæ pariter habentur Rubricæ Decretalium, Clementinarum atque Extravagantium, quia fuerunt Pontificia authoritate additæ, & approbatæ cum tota compilatione. Per hoc tamen non negatur, quod a Rubrica generaliter loquente, excipi non poſſint in Nigro quidam caſus ſpeciales, cum poſteriora, & ultima derogent prioribus: *cap. 1. de Conſtit. in 6. & leg. pacta noviſſima C. de pactis.* Per Rubricas autem intelliguntur illæ ſuperſcriptiones, quibus prænotantur tituli Librorum, Diſtinctionum, Legum, ſeu Statutorum &c. & ita dictæ ſunt, quia antiquitus rubro caractere ſcribebantur. Per Nigrum autem intelliguntur textus Librorum, Legum. &c.

Quoad Decretum Gratiani, communior eſt ſententia, ex ſe non habere vim obligandi; quamvis enim Gregorius XIII. ipſius emendationem approbaverit, injungens, ut omnia retinerentur, nihil addendo, mutando vel imminuendo: nihilominus per hoc non intellexit, niſi approbare emendationem, non vero tribuere illi authoritatem Legis univerſaliter obligantis. Hanc approbationem inducentem obligationem in fronte habent Decretales Gregorii IX. Sextus Decretalium; & ipſæ Clementinæ. Cæteræ ſunt Conſtitutiones Pontificiæ, quæ ex uſu, & ſenſu Eccleſiæ Univerſalis, jam a pluribus ſæculis habentur pro ſufficienter promulgatis, & authenticis.

Canones igitur, & alia contenta in Decreto Gratiani, revocanda ſunt ad ſuam primævam authoritatem, ad eam ſcilicet, quam habuerunt a ſuis Authoribus: *Rota apud Pennam decif. 480. Suar. l. 4. de legib. cap. 5. n. 6. Sanch. l. 9. de matr. diſp. 12. n. 5. Laym. l. 1. tr. 4. cap. 6. §. 3.* Cum igitur Gratianus, utpote privatus Monachus, authoritatem non habuerit Leges condendi, neque ſufficienter probetur ullo unquam tempore, ea, quæ collegit ſummos Pontifices ſibi veluti adoptaſſe, & authoritate, qua pollent voluiſſe, vim legis habere, per hoc quod ſint in Decreto Gratiani; nullatenus adſtruenda eſt talis obligatio: *arg. l. Arianus ff. de Actibus, & obl.* Eam ergo habent authoritatem, quam acceperunt a ſuis Conditoribus; unde ſi conſtet aliqua eſſe deprompta ex Decretis Romanorum Pontificum, vel Conciliorum Generalium, habebunt vim Legis univerſalis. Dicta, quæ in eo habentur, SS. PP. non habent vim Legis, quia dicti Sancti carebant poteſtate Legislativa. Nihilominus magni facienda ſunt propter ſcientiam ſuorum Authorum, & quia divino lumine illuſtrati, veritati ſuper omnes alios adhærebant: *can. de libellis diſt. 20.* Unde tanquam doctrinalia, & magiſtralia nervoſe allegantur in Tribunalibus.

Q. IX. Quid ſit jus Civile, & cujus authoritatis.

R. I. Jus Civile taliter dictum, quia Cives afficit, ita poteſt definiri. *Jus authoritate conſtitutum ſæculari, ad tranquillam gubernationem Reipublicæ, & communem Civium ſalutem.* Dicitur conſtitutum *authoritate ſæculari*, neque enim poteſtate Eccleſiaſtica ſancitum eſt, ſed a Republica, vel Imperatoribus, ea authoritate, quam ipſis Deus contulit ad regendos Populos &c. Et quia ſæculares Gubernatores non attendere ſolent bonum ſpirituale animarum, *cap. exiit §. Nec quiquam de verb. ſig. in 6.* ſed externam politiam, & populorum pacem, & tranquillitatem; ideo jus civile dicitur latum ad tranquillam Reipublicæ gubernationem, & communem ſalutem Civium. In præſenti autem, dum loquimur de jure Civili, non de eo loquimur, quod *municipale* dicitur, quia ſcilicet afficit tantum ſubditos determinatæ Civitatis, ſeu Territorii; ſed de jure Civili communi, quia commune eſt omnibus provinciis, & incolis ſubjectis Romano Imperio, aliiſque Civitatibus, in quibus viget ejus obſervantia.

Hoc Jus Civile continet ſequentia, quæ recenſeo juxta ordinem temporum, quibus vulgata fuerunt. Primo igitur authoritate Juſtiniani Imperatoris in lucem editi ſunt quinquaginta *Libri Digeſtorum, ſeu Pandectarum*, qui continent totam rationem juris Civilis, e veteri jure enucleati, & in novum ordinem redacti. Hoc Digeſtum dividitur in Digeſtum vetus, Digeſtum novum, & Digeſtum Infortiatum. Prope idem tempus evulgati fuerunt quatuor Libri *Inſtitutionum*, continentes prima principia, & elementa Juris, neceſſaria ad Tyrones inſtituendos. Tertio loco vulgatus fuit *Codex*, alio antiquiore ſuppreſſo. Poſtremo Juſtinianus edidit *Novellas Conſtitutiones* ſive *Librum Authenticorum*. Hæc eſt pars præſtantiſſima Juris, & hæ Novellæ, utpote poſteriores, non ſolum addunt authoritatem ſingulis partibus, ſed etiam aliis detrahunt, ſi cum ipſis non concordent. Quinimmo ſi aliquando in Codice inſertæ reperiantur, uti obſervat *Sperell. decif. 33. For. Eccl. num. 8.* faciunt fidem, in quantum concordant cum Novellis, ex quibus deſumptæ fuerunt. Non ſine conſilio ſeriem temporum notavi, quibus prodierant partes Juris Civilis, nam lex præcedens determinatur per ſequentem, *leg. non eſt novum, & ſeqq. ff. de leg.* immo hæc penitus tollit legem priorem contrariam, quamvis de ea nulla fiat mentio, *cap. 1. de Conſtit. in 6.*

Inter partes juris Civilis numerantur etiam *Conſuetudines Feudorum*, quæ vocabantur *Jura militaria*. Hæ non fuerunt editæ authoritate Juſtiniani, ſed introductæ mera conſuetudine, ut melius mandarentur memoriæ, duobus libris adnotatæ fuerunt.

R. II. Jus Civile, ubi receptum eſt, habet authoritatem deciſivam in foro ſæculari, nam pro eo principaliter latum eſt; adeoque in ipſo plenam habet authoritatem. Inſuper ſi jus Civile non contradicat ſacris Canonibus retinetur etiam in Foro Eccleſiaſtico: *cap. Paſtoralis de Fid. Inſtrum. can. ſi in adjutor. diſtinc. 30. &c.* unde bene ſimul Canones, & Leges citantur. Quinimmo ſicuti dum exiſtit caſus dubius in jure Civili, attenditur in utroque foro jus Canonicum, ſi in illo ſit clare deci-

ſus

Google

ſus; ita econtra ſi ſit caſus dubius, & obſcurus in jure Canonico, etiam in foro Eccleſiaſtico attenditur deciſio clara juris Civilis, maxime ſi non agatur de re ſpirituali. *cap. 1. de novi operis nunciat & ſeqq. juncta Gloſſ. v. adjuvantur. Abbas in dictum c. 1. de nov. Fagnanus in c. cum eſſes n. 18. de teſtam.*, ac proinde bene dicitur, quod *Legiſta ſine Canonibus parum valet, Canoniſta ſine Legibus nihil. Fagn. in cap. ſuper ſpecula n. 30.*

JusCivile etiam optime citatur in deciſione caſuum pro foro conſcientiæ, nam quamvis ex ſui inſtitutione reſpiciat finem temporalem, & politicam Reipublicæ gubernationem, nihilominus cum leges ſundentur in jure naturali, conſtat, attendendas eſſe etiam in foro conſcientiæ. Præterea cum ex non obſervatis legibus reſultent injuſtitiæ in contractibus, & generaliter in humano commercio, jam illæ in foro conſcientiæ attendendæ ſunt ad vitandas injuſtitias, & ad judicandum de damno irrogato &c. poſtquam fuerunt violatæ.

Q. ult. Quid agendum, dum Leges videntur inter ſe diſcordare.

R. I. Cum leges latæ ſint pro communi utilitate, adeoque juſtæ, & honeſtæ habitæ ſint, ſequitur earumdem correctionem odioſam eſſe: *can. erit autem lex diſt. 4.* adeoque quantum fieri poteſt vitandum. Hinc jura juribus, quantum fieri poteſt, ſunt concordanda: *cap. cum expedias 29. de elect. in 5. leg. unic. de inoffic. dotib.*, & ad evitandam correctionem jurium, leges priores explicandæ ſunt per poſteriores, & contra *leg. non eſt novum 25. & ſeqq. ff. de leg.* Item Legum contrarietas removeri debet per congruam interpretationem, ſalva tamen proprietate verborum; neque etenim ab ea eſt ſine neceſſitate recedendum; *arg. cap. ad audientiam 12. cap. ult. de verbo. ſig. l. Ille, aut ille ff. de legat. 3.* niſi tamen aliud ſuadeat mens Legislatoris; tunc etenim attendenda eſt etiam contra proprium ſignificatum verborum: *arg. leg. cum pater §. Dulciſſimis ff. de Legatis 2.* ſiquidem verba intentioni deſerviunt: *cap. ſecundo requiris 41. de appellat. & cap. intelligentia 6 de verb. ſig.*

R. II. Si inter diviſas partes juris canonici manifeſta apparet contradictio, tunc ſtandum eſt poſteriori deciſioni, vel Conſtitutioni. Ratio eſt quia, bene poteſt judicare Legislator expedire bono communi priorem abrogare legem, & novam condere illi contrariam; hinc, ut etiam ſupra notavi, per poſteriorem legem contrariam prior revocatur, etſi de hac nulla ſit mentio: *cap. licet Romanus de Conſtit. in 6 leg. ſed & poſteriores ff. de leg.* Et quidem non poteſt Legislator velle utramque eſſe obſervandam, ſemper cum inter ſe manifeſte contrarientur.

R. III. Si detur contrarietas manifeſta inter jus Civile, & Canonicum, tunc quodlibet jus in ſuo Foro eſt obſervandum, Canonicum nempe in Foro Eccleſiaſtico, & ditione Summi Pontificis, Civile vero in Terris Imperii. Ita Gloſſa *in cap poſſeſſor v. ſed utrum de reg. juris in 6. Fagnan. in cap. cum eſſes n. 98. teſt. Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 8. n. 8.* Ratio inſinuatur *can. quoniam diſt. 10. & can. cum ad verum diſt. 96.* quia ſcilicet nec Imperator uſurpare intendit jura Pontificatus, nec Pontifex jura Imperatoria.

Sunt nihilominus quædam materiæ, in quibus judicandis omnino attendendum eſt Jus canonicum, ſi illi Jus civile adverſetur. Primo igitur Jus canonicum attendendum eſt in foro conſcientiæ, ſeu ubi verſatur periculum Animarum; nam tunc leges Civiles, illi adverſantes, cenſentur correctæ a jure canonico, & lex correcta non eſt amplius lex: *Fagn. cap cum eſſes n. 167. de Teſt.* Qua propter in materia præſcriptionis cum mala fide in uſuris, & ſimilibus, Jus canonicum omnino eſt attendendum. Secundo Jus canonicum omnino attendendum eſt dum agitur de rebus ſpiritualibus, ut de juramento, contractu matrimoniali, & ſimilibus, & cum agitur de rebus, & Perſonis Eccleſiaſticis, ſimulque delictis puniendis ab Eccleſia; nam circa hæc Leges Civiles, niſi fuerint ab Eccleſia approbatæ, nullam inducunt obligationem: *cap. quæ in Eccleſiarum & cap. Eccleſia S. Mariæ 10. de Conſtit.* Tertio cum defenſio miſerabilium Perſonarum ſpectet ad Eccleſiam: *cap. ex parte 15. de for. compet.*, in ipſorum cauſis attendendum eſt Jus canonicum, ſi illi adverſetur Jus civile: *Fag. in cap. licet n. 27. de Cenſib.* Denique cum æquitas ſcripta rigori ſcripto præferatur: *leg. placuit C. de Judic. juncto cap. Abbate 3. §. final. de ſent. & re judic.*, ſi agatur de naturali æquitate, & vitando nimio rigore, relicto jure civili, adhærendum eſt Juri canonico: *arg. cap. licet 4. de Cenſib. Fagnan. ubi ſupra n. 26.* Sicuti & contra etiam in foro Eccleſiaſtico ſtandum eſt Juri civili, quando ſtatet pro æquitate, & Jus canonicum pro rigore: *Marcant. p. 3. ſpecul. n. 76.*

Quomodo Legenda ſint Citationes Juris.

Quia multoties modus, quo citatur Jus Canonicum, vel Civile non facile intelligitur a Tyronibus, ideo hic adnotare optimum duxi, quomodo legendæ ſint tales citationes. Prima ergo Pars Decreti continens centum & unam diſtinctiones, ita ſolet citari: *diſt. 16. placuit*, *ſeu C. placuit diſt. 16.* nempe canone, qui incipit *placuit diſtinctione 16.*

Secunda pars Decreti continens cauſa triginta ſex, quarum quælibet habet plures quæſtiones, & quæſtio plures canones: ita ſolet citari *9. q. 3. can. conqueſtus*, nempe cauſa nona, quæſtione tertia, canone qui incipit *conqueſtus*. Seu *cap. conqueſtus 9. qu. 3.* id eſt canone qui incipit *conqueſtus*, cauſa nona, quæſtione tertia. Si vero citetur textus ex tractatu de Pœnitentia, qui inſeritur cauſa trigeſima tertia, quæſtione tertia; & continet in ſe ſeptem diſtinctiones, ita ſolet citari; *De Pænit. diſt. 3. can. in tantum*, nempe de Pœnitentia diſtinctione tertia, canone, qui incipit *in tantum*. Seu *de Pænit. diſt. 3. can. 33.* nempe de Pœnitentia, diſtinctione tertia, canone trigeſimo tertio.

Tertia pars Decreti, cujus titulus de conſecratione, & quæ dividitur in quinque diſtinctiones; atque hæ rurſus in Canones, ita citatur: *de conſecr. diſt. 1. c. nocte ſancta*, hoc eſt de conſecratione, diſtinctione prima; canone qui incipit *nocte ſancta*: multoties etiam prius ponitur initium canonis *nocte ſancta de Conſ. d. 1.*

Decretales Gregorii IX. quæ dividuntur in quinque libros, qui dividuntur in titulos, & tituli in capitula, ita e. g. citantur: *c. damnamus de Summa Trinitate*, hoc eſt capite quod incipit *Damnamus de ſumma Trinitate*, ſeu: *De ſumma Trinitate c. damnamus*. Aliquando citationibus horum quinque librorum additur particula *extra*, ad ſignificandum ea, quæ citantur eſſe extra Gratiani Decretum, ſed in quinque Libris Decretalium.

Sicuti quæ habentur in quinque Libris Decretalium citantur, nulla facta mentione Libri. per titulos, ac initium Capitulorum, ita & ſextus Liber Decretalium, quamvis dividatur in quinque Libros partiales: additur ſolummodo *ly, in 6. e. g. c. 1. cum quis de ſepulturis in 6.* nempe capite quod incipit *cum quis*, titulo *de ſepulturis*, libro ſexto Decretalium.

Clementinæ. quæ itidem in quinque libros dividuntur, ſolent, ut ſequitur, citari: *c. plures Clem. de jure patr.* hoc eſt *cap. plures in Clementinis* titulo *de Jure Patronatus*: ſeu: *Clem. quamvis rigor de appellat.* nempe; *Clementina*, quæ incipit *quamvis rigor tit. de appellat.* Item *Clem. unic. de rer. permutatione*, nempe, *Clementina unica, tit. de rer. permut.* Dicitur unica; quia ille titulus unicum habet capitulum. Item aliquando citantur nulla facta mentione tituli; *v. g. Clem. exivi &c.* nempe *Clementina*, quæ incipit *Exivi &c.* Demum cum Clementinæ etiam Extravagantes appellentur; quia vagantur extra libros Decretalium, ſolent etiam ita citari *Extrav. Exivi &c.* hoc eſt: *In Extravaganti*, quæ incipit *Exivi*.

Extravagantes Joan. XXII. quæ continent viginti Conſtitutiones, diſtributas in quatuordecim titulos ita e. g. citantur: *Extr. Execrabilis Joan. XXII* Nempe in *Extravaganti Joan. XXII* quæ incipit *Execrabilis*. Ita etiam citari ſolent, ut inquit *Joan. XXII. Extrav. Execrabilis*.

Extravagantes communes diviſæ in quinque libros, & libri in titulos, & tituli in Capitula, quorum ſingula continent Particularem Conſtitutionem, ſive extravagantem, citantur mentionem faciendo tituli, & ponendo initium Capituli. Dicitur e. g. *Extr. unigenitus de Pænit. & Remiſſ.*, hoc eſt: *in Extravaganti*, quæ incipit *Unigenitus*, titulo *de pænitentiis, & remiſſionibus*. Venio modo ad citationes Juris Civilis.

Digeſtum, ſeu Libri Pandectarum ita e. g. citantur: *l. ſi quis vi §. Differentia ff. de acquir. poſſeſſ.*, hoc eſt, *lege*, quæ incipit *ſi quis vi*, paragrapho; qui incipit *differentia in Digeſtis, titulo de acquirenda poſſeſſione*. Quandoque ad ſignificandum digeſtum, loco duplicis ff. Ponitur D. Reperies etiam citatum Digeſtum, primo loco ponendo ff. deinde titulum, ac tandem legem, e. gr. *ff. de acquir. poſſ. leg. Si quis vi §. Differentia.*

Eo modo quo citantur Leges Digeſtorum, & citari ſolent leges Codicis, loco ff. ponendo C. e. g. *l. in teſtam. C. de Teſtam.*, id eſt: *lege in Teſtamento*, Codice titulo de

Te-

Digitized by Google

Teſtamentis. Quod ſi fiat citatio: *leg. unic. §. &c. & C. &c.* ſignificatur titulum, qui ditatur non habere niſi unicam legem. Item ſi dicatur *leg. fin. C. &c.*, ſignificatur lex finalis, ſeu ultima tituli; acidem ſignificatur per ſequentem citationem; *e. ult. leg. ult.* Multoties *l. fin.* opponitur ad deſignandum ultimum paragraphum legis, ut ſi poſt citationem legis addatur *§. fin.* Quod ſi addatur nuoierus libri, deſignatur liber decimus, vel nndecimus, vel duodecimus Codicis, nam ſeparatim collocantur a uovem prioribus libris, in quibus quærenda eſt citatio, ſemper cum apponitur numerus libri.

Navellæ, ſubinrellige, Conſtitutiones, & quæ alio tomine dicuntur Authenticæ, ſolent e.g. ita citari: *c. ſed tamen Novell. 129. de Sam. col. 9.* nempe capite, quod incipit, *ſed tamen*, *Novella* 129. tituln *de Samaritis*, *collatione aona*. Ubi vides primo citari capitulum, deinde numerum Novellæ, tertio ipſius titulum, quarto tiumerum collationis; nam Novellæ, ſive Authenticæ cnnſtant nnvem authenticis collationibus, quibus ultimo decima addita eſt. Quandoque pro *Novella* ſcribitur *Authentica*, & tunc ſolet ita citari. *Authent. Ut facta novæ conſtit. §. Sancimus*, nempe: *in Authentica* eujus titulus *Ut factæ aovæ Conſtitutiones &c.* paragrapho incipiente *Sancimus*. Ad inquirendam hujuſmodi citationem in Indice libri Authenticorum, inquirendum eſt: *ut factæ novæ Conſtitutiones &c.*

Libri Feudorum, ſive Conſtitutiones Feudorum ita citantur: *In Lib. Feud. de prob. feud. alien. per Frid. §. Callidis inſuper*: nempe *in Libris Feudorum*, titulo *de probibita feudi alienatione per Fridericum*, paragrapho incipiente; *Callidis inſuper*. Quandoque primo loco ponitur paragraphus.

Inſtitutiones demum Juſtiniani ita ſolent citari: *§. Feræ Inſtit. de rer. divif.* nempe paragrapho incipiente; *Feræ in Inſtitutionibus*, tituln *de rerum diviſione*.

CAPUT III.

De Poteſtate Legislativa.

Q. I. **Q**Uam poteſtatem habeat Summns Pontifex; & an extendatur ad diſponendum de rebus temporalibus omnium Chriſtianorum.

R. I. Poteſt Papa ferre leges Eccleſiaſticas, obligantes totum Orbem. Ratio eſt, quia poteſtas data a Chriſto Domino in perſona Petri omnibus ſuis ſucceſſoribus, maxime innoteſcit ex illo textu *Matth. 16. Tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis &c.* & ex illo textu *Jo. 21. Paſce oves meas*. Ut obſervat autem Innocentius relatus *in cap. ſolitæ 6. de Majorit. & obed.*, in primo textu conceditur poteſtas ligandi quodcumque, adeoque nulla lex, maxime Eccleſiaſtica, excipitur a ſua Legislativa poteſtate; & in ſecundo Chriſtus illi poteſtatem concedit ſuper omnes ſuas oves; ergo ſicuti nulla res excipitur a ſua poteſtate legislativa, ita nec ullus Chriſtianus eximitur ab eadem poteſtate.

R. II. Papæ competit poteſtas ſaltem indirecte etiam quoad temporalia Principum, quando id exigit bonum Eccleſiæ gubernium, & ſalus Animarum. Ita colligitur *ex cap. per venerabilem §. Rationibus qui filii ſint leg. ex cap. novit. 13. de Judic. ex Clem. Paſtoralis 2. de ſent. & re judicat. ex cap. ad Apoſtolicæ eod. tit. in 6., ex can. alius 25. qu. 6.* Ratio autem ea eſt, quia omnino credendum Chriſtum Dominum poteſtate tradita Summis Pontificibus ſufficienter providiſſe recto Eccleſiæ gubernio, & ſaluti Animarum; quando ergo imminet periculum Fidei, vel ſere totalis corruptela morum, ſi non ſubtrahantur aliquibus temporalia, cenſendum eſt tunc Papam habere talem poteſtatem; alias Chriſtus non videretur ſufficienter providiſſe ſuæ Eccleſiæ. Et de facto dum vel ex infidelitate Principum, vel ex eorum perditis moribus gravis ruina Fidei, vel bonis moribus imminebat, Summi Pontifices a pluribus ipſorum temporalem ditionem ſubtraxerunt, & Subditos a juramento fidelitatis ſolutos voluere. Verum hæc materia prolixius expoſceret examen, ut videre eſt apud plures modernos ſcribentes contra quaſdam Gallorum propoſitiones.

Q. II. Quæ poteſtas Legislativa ſit penes Concilium.

R. I. Si Concilium ſit Generale, habet poteſtatem legislativam in totam Eccleſiam. Ratio eſt, quia, Epiſcopi illud conſtituentes ſunt Judices competentes ſuper rebus Fidei, ac morum; & ulterius, cum habeant poteſtatem Legislativam univerſalem, quoties Concilium ſit Generale totam Eccleſiam repræſentans, hinc eſt poſſe condere leges obligantes totam Eccleſiam, Oportet tamen hujuſmodi Concilia Summi Pontificis authoritate convocari: *Can. regula, & can. multis diſt. 17.* ſicut & ab eodem confirmari: *cap. ſignificaſti 4. de elect.* Id autem probatur, quia, licet Epiſcopi ſint Judices competentes in materia Fidei, & morum, ſunt tamen Judices non ſupremi, ſed dependentes a Supremo Chriſti Vicario, adeoque ab eo debent convocari, & ab ipſo ſuorum Decretorum confirmationem accipere. Et de facto aliqua Concilia Generalia, etiam authoritate Pontificis congregata, poſtmodum in quoſdam errores inciderunt, ut patet ex Concilio Epheſino II. a Leone I. indicto, quod tamen admiſit errores Dioſcori, & Eutychetis.

Quamvis autem Statuta Conciliorum Generalium non recipiant plenam firmitatem niſi ex approbatione Summi Pontificis, nihilominus non ſunt ſuperflua: etenim valde conducere poſſunt ad ſuavius gubernium Eccleſiæ, cum particularia Regna libentius videantur amplecti, quod etiam a propriis Paſtoribus ſancitum fuit. Alias utilitates Conciliorum Generalium afferunt Controverſiſtæ, ad quos meos Lectores remitto.

R. II. Concilia Provincialia, & Nationalia habent authoritatem condendi Leges Eccleſiaſticas pro eadem Provincia, vel Natione, ſicut, & Concilium ſeu Synodus Diœceſana pro particulari Diœceſi: *can. quod dicitis, & can. ult. d. 16. can. ſi quis Epiſcopus per manus diſt. 92.* & colligitur etiam ex *cap. ſicut olim 25. de accuſ.* Ratio pariter ſuffragatur, quia in Concilio Provinciali adſunt Judices competentes pro eadem Provincia, & in Diœceſana Judex competens pro illa Diœceſi: nil ergo deeſſe poteſt authoritatis ad leges ferendas pro illa Provincia, vel Diœceſi.

Quamvis autem tales Leges extra Provinciam, vel Diœceſim non obligent, nihilominus aliquando obtinuerunt vim legis univerſalis, ſed id ex approbatione Summi Pontificis: *Can. de Libellis diſt. 20.* Quapropter *leg. 1. §. Sed neque C. de Veter. jur enuclean & can. ſi Apoſtolicæ de præben. in 6.* dicitur: *Omnia noſtra facimus, quibus authoritatem impertimur*. Hac ratione lex Civilis inſerta Canonibus, ut Canon reputatur: *Fag. cap. inter alias n. 6. de Immun. Eccleſ.*

Q. III. Quæ poteſtas Legislativa ſit penes Epiſcopum.

R. I. Ex dictis competit Epiſcopo poteſtas ſtatuendi in Synodo Diœceſana quæcumque opportuna judicaverit pro ſalute animarum ſibi commiſſarum: *can. annis ſingulis diſt. 18. can. 1. de conſec. d. 3. &c.* Et quidem cum ipſi competat Paſtorale officium, competere etiam neceſſe eſt poteſtatem ſtatuendi Leges pro bene regendo ſuas oves.

R. II. Quandoque Epiſcopus ex ſe ſolo non poteſt leges ferre, non conſentiente Capitulo. Id autem verificatur, quando agitur de rebus, quæ ſimul ſpectant ad Epiſcopum, & Capitulum; vel quando ageretur de re, quæ eſſet in præjudicium Capituli, ut ſi facienda eſſet Conſtitutio contra privilegium Capituli, vel contra conſuetudinem legitime præſcriptam. Ratio eſt, quia, cum juxta regulas juris, quod omnes tangit, debeat ab omnibus approbari. *reg. 29. Jur. in 6.*, in prædictis Capitulum conſtituit unum Corpus cum Epiſcopo; unde ſi major pars diſſentiat, nova Conſtitutio nulla erit, cum in re communi potior ſit conditio prohibentis *reg. 55. juris in 6. Abbas cap. cum conſuetudinis n. 25. de conſuet. Suar. l. 4. de Leg. cap. 5.* Idem dicendum quando agetur de decernendis rebus valde arduis per ea, quæ notant Canoniſtæ *in tit. de his, quæ fiunt a Prælat.*

R. III. Epiſcopus etiam extra Synodum, & etiam ſine conſenſu Capituli poteſt novas leges decernere; ſtatim ac etenim electus eſt, & confirmatus, habet Juriſdictionem, adeoque officium paſtorale, quod multoties rite exerceri non poſſet, ſi non haberet facultatem novas leges conſtituendi. Id conſtat etiam ex S. Canonibus: *cap. ſi quis venerit de Majorat. & obed. cap veſtra juncta Gloſſ. v. ſtatuto de locato*, & quod ſtatuta pœnalia: *cap. at Animarum de Conſt. in 6.* Hujuſmodi autem ſtatuta in iis, quæ concernunt bonum ſpirituale, & res Eccleſiaſticas, ligant omnes laicos etiam in dignitate conſtitutos, nam quoad ea ſunt Subditi. ut obſervat Gloſſa *in cit. cap. at Animarum, v. ſtatuta Epiſcopi, Ugolin. de poteſt. Epiſc. c. 4. §. 1. a. 1.*

Dixi hanc poteſtatem competere Epiſcopo electo, & confirmato, ut habetur ex *cap. ſi quis venerit. 2. de majorat. & obed. & ex cap. at Animarum de Conſtit. in 6.* Et re vera cum poteſtas legislativa unice derivetur a poteſtate juriſdictionis, quam habet Epiſcopus ex electio-

ne

ne; & confirmatione, quamvis nondum ſit conſecratus ſequitur etiam ſine poteſtate Ordinis, in Epiſcopo electo, & confirmato eſſe Legislativam Poteſtatem: *Palaus p. 1. Mor. diſp. 1. punct. 23. n. 7.*

Lis autem eſt inter Canoniſtas, an ſtatutum ſeu lex facta ab Epiſcopo extra Synodum Diœceſanam, terminet morte ipſius Epiſcopi. Omnes utique conveniunt Leges in Synodo ab Epiſcopo latas non expirare, donec revocentur, cum id ex dictis *cap.* 1. expoſcat natura legis; latas vero extra Synodum mortem ipſius Epiſcopi dicunt expirare: *Barboſ. p. 3. de Offic. & pot. Epiſc. alleg. 93. n. 23. Sperell. deciſ. 14. for. Eccleſ. n. 21. Ricc. deciſ. 149. n. 2. p. 1.* Verum contrarium omnino probari ex jure videtur, nam ex eo conſtat Epiſcopum etiam extra Synodum leges ferre poſſe pro ſuo Epiſcopatu, lex autem, ut dixi, de natura ſua expoſcit perpetuitatem. Item Epiſcopus in ſua Diœceſi quoad res ſpirituales, & Eccleſiaſticas eſt Princeps: *can. miramur. §. Principatus diſt. 61., can. principatus 1. q. 1.* plenam ergo habebit poteſtatem ex ſe leges decernendi. Idem convincitur, ſi conſideretur, Papam eligendo, & confirmando Epiſcopum, non tradere illi poteſtatem dependentem a Synodo, ſed vocare ipſum in partem ſollicitudinis: *can. Decreto 2. q. 6. juncto cap. ſi quis venerit 2. de Majorit. & obed.* Hinc non immerito ita ſentiunt quam plures DD. infra citandi, qui eandem poteſtatem faciendi leges non expirantes per electionem Epiſcopi, concedunt Capitulo, Sede vacante.

Duo tamen neceſſaria ſunt, ut leges latæ a ſolo Epiſcopo extra Synodum Diœceſanam habent firmitatem. Primum eſt quod ubi eſt neceſſarium, requiſierit conſenſum Capituli, quamvis, eodem ſine cauſa rationabili diſſentiente, valeat ſtatutum, ut colligitur ex textu *in c. novit. 4. & c. quanto 5. de his, quæ fiunt a prælat. Abbas in c. cum conſuetudinis n. 5. de conſuetud. &c.* Ubi autem requiratur conſenſus Capituli dictum eſt ſupra. Secundum eſt quod Archiepiſcopi, Epiſcopi, & multo magis inferiores Prælati non ſtatuant aliquid contra jus commune Canonicum, aut alias Conſtitutiones Apoſtolicas, cum id eis expreſſe prohibeatur; *can. inferior. diſt. 21. c. cum inferior, 16. de Majorit. & obed. Clem. ne Romani §. 1. de elect.* Neque refert poſſe quemlibet Populum &c. per Statuta municipalia derogare Juri communi Cæſareo, ut cum communi obſervat Fagnanus *in cap. quæ in Eccleſiarum n. 3. & ſeq. de Conſtit.*; nam cum leges civiles reſpiciant temporalem tranquillitatem, bene conceſſum eſt per jura municipalia derogari juri communi; cum ea propter diverſos hominum mores, magis conducere poſſint ad eamdem temporalem tranquillitatem, quam Jus commune. Verum cum Leges Canonicæ principaliter ſancitæ fuerint propter bonum animarum, & dirigendos homines in Deum, non ſine periculo errandi relicta fuiſſet Epiſcopis poteſtas Jus Canonicum, cæteraſque Apoſtolicas Conſtitutiones abrogandi. Ita communiter obſervat Canoniſtæ cum Panormitano, in *cap. ult n. 9. de conſuet.*

Poſſunt tamen Epiſcopi per adjectionem pœnæ complere ad obſervantiam juris canonici, hoc etenim non eſt legem Superioris tollere, ſed ejus obſervantiam promovere: *arg. cap. ult. de conſt. in 6., juncta Gloſſa: in Clement. ne Romani V. tolli, Menoch. lib. 2. de Arbitrar. caſ. 398. n. 46. Sanch. l. 3. de Matr. diſp. 47. n. 12.*

Q. III. Quæ poteſtas ſit ferendi leges penes Capitulum Cathedralium, vel aliarum Eccleſiarum.

R. I. Capitulum Cathedralis, vivente Epiſcopo, non poteſt abſque illius conſenſu facere leges tangentes ſtatum Epiſcopatus, ejuſque jura, conſuetudine approbata &c. nam id expreſſe prohibetur *cap. cum conſuetudinis 6. de Conſuet.*; neque enim æquum eſt Canonicos, qui ſunt membra, recedere a ſuo Capite, nempe ab Epiſcopo: *cap. cum non liceat 12. de præſcrip.* Item, ſi non poteſt Epiſcopus, ut dictum eſt quia inferior, aliquid ſtatuere contra Jus commune, multo magis ex eodem jure facere non poterit Capitulum. Videatur *Barboſa de Canonicis, & dignitatib. cap. 42. & Formoſu. de poteſt. Capituli tr. 3. q. 4. &c.*

Remanet ergo quod, vivente Epiſcopo, poſſit facere decreta in ordine ad particularia negotia ipſius Capituli, quæ ſunt valida abſque alio expreſſo conſenſu Epiſcopi. Et de facto multa exempla talium ſtatutorum videre eſt *cap. cum acceſſiſſent 8. de Conſt., & c. ſignificatum de prabend.*, & conſtat ex Gloſſa *in cap. Conſtitutionem v. ſtatutum de v. ſig. in 6. Barboſ. de Canon. cap. 42. num. 16.* Quinimmo hujuſmodi poteſtas adeſt in quacumque etiam inferiori Univerſitate: *cap. ex liter. 11. de Conſt. juncta l. 1. §. 2. ff. quod cujuſcumque Univerſit. nomin. & leg. ult. C. de Juriſd. omn. Judic.* Servandæ tamen ſunt ſequentes conditiones. Prima quod Capitulares capitulariter congregati conſentiant in ſtatutum in loco deſtinato ad celebrandum Capitulum. Secunda, quod adſint ſaltem duæ partes Capitularium, *leg. 3. & 4. ff. quod cujuſcumque Univerſit. nom.* Tertia, ut omnes vocentur, ſi etenim vel unus omittatur, poteſt factum irritare, niſi malit conſentire ob bonum pacis. Quarta, ut conſentiat Statuto major, & ſenior pars illorum, qui adſunt. Videatur *Barboſ. de Canonicis c. 38. n. 16. & c. 42. n. 18.*

R. II. Capitulum Cathedralis, Sede vacante, poteſt ferre leges obligantes totam Diœceſim. Ratio eſt, quia, licet *cap. 1. ne ſede vacante aliquid innovetur*, prohibeatur innovatio in pertinentibus ad Eccleſiam, ſeu dignitatem Epiſcopalem, nihilominus eo tempore Capitulum habet Epiſcopi Juriſdictionem *cap. cum olim 14. de Majorit., & obedien. & cap. unic. eod. tit. in 6. cum Gloſſa in Clemen. unic. de rer. permutat.*, ſicut ſuccedit Epiſcopo in adminiſtratione rerum temporalium, & ſpiritualium totius Diœceſis; *cap. ſi Epiſ. 3. de ſupplen. neglig. Prælat.* Sicut ergo Epiſcopus ex viſuæ juriſdictionis, & ob poteſtatem adminiſtrandi tum temporalia, tum Spiritualia, poteſt ferre leges obligantes totam Diœceſim, ita & Capitulum.

Hujuſmodi autem leges perſeverabunt, donec revocentur, cum lex expoſcat de ſua natura eſſe perpetua: *cap. factum legitime de reg. jur. in 6.* Præterea non obſtat poteſtati ferendi Leges, quod aliquis exerceat juriſdictionem ſolum ad tempus, nam & ita exercet juriſdictionem Legatus, & tamen poteſt ferre leges duraturas, donec revocentur; *cap. ult. de offic. Legat.* Nec id eſt juriſdictionem exercere in tempus Succeſſoris, cum iſte poſſit tales revocare, ſi ita judicaverit expedire: *Fagnan. in cap: cum olim 14. de Majorit., & obed. Palaus p. 1. tr. 3. d. 1. punct. 23. n. 22.*

R. III. Capitula inferiorum Eccleſiarum poſſunt facere ſtatuta in ordine ad negocia particularia ipſius Capituli, & ſervitium Eccleſiæ. Ita ſumitur *ex c. Literis 11. de Conſt.* & multo magis ex recepta praxi, & conſuetudine hujuſmodi Eccleſiarum; quinimmo aliarum Communitatum, ſive Univerſitatum, quæ omnes ſolent facere ordinationes, ſeu leges pro bono ſuo ſtatu. Hinc non puto hujuſmodi ordinationes dumtaxat valere ex vi juramenti, ſeu pacti a ſingulis Communitatis præſtiti ſuper earum obſervantia, ut dixerunt *Suar l. 4. de leg. c. 6. n. 19. Bonac. de leg. diſp. 1. qu. 1. p. 2. a. 31. Palaus p. 1. tr. 3. diſp. 1. p. 25.* nam conſuetudo dat juriſdictionem; unde tales leges habere poſſunt vim obligandi utpote emanatæ ab habentibus juriſdictionem. De jure autem in negociis gravioribus requiritur conſenſus Epiſcopi, cujus providentia, utpote Sponſi totius Diœceſis, quævis Eccleſia eſt gubernanda: *Can. regenda 10. qu. 1. & in ſimili text. leg. ult. C. de juriſd. omn. Judic.*, ac ita communiter ſentiunt Canoniſtæ.

Q. IV. An decreta S. Congregationis, & Deciſiones Rotæ Romanæ habeant vim legis.

R. I. Sermo hic eſt de Declarationibus Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, quas non habere vim legis plures affirmant, ſed ſolummodo ut probabiles, & doctrinales habendas eſſe: *Bonac. diſp. 1. de Leg. Pontius l. 5. de Matr.* & plures alii apud Barboſam *l. 1. Jus. Eccl. univ. c. 4. n. 82.* Verum ratio videtur convincere contrarium; nam dictæ declarationes, & interpretationes non ſunt jus novum, ſed ſolum in obſcuris manifeſtatio juris jam conſtituti per Tridentinum, quæ interpretatio retrotrahitur ad tempus conditæ legis, ut clare conſtat *ex Auth. de rapt. mulier. §. fin. collat. 9. & leg. ita fidei 40. ff. de jur. Fiſc.*; & proinde juxta tales interpretationes lex ſemper eſt intelligenda, juxta *Gloſſ. in cap. ſicut nobis v. reſpondemus de v. ſign.* Sicut ergo, ſi ab initio Tridentinum emanaſſet ſuas leges cum talibus declarationibus, hæ haberent vim legis, ita etiam quamvis poſtea factæ ſint. Accedit tales declarationes fieri authoritate ipſis tradita a ſummis Pontificibus, ut conſtat præcipue ex Conſtitutione Sixti V., quæ incipit *Immenſa &c.* ergo habendæ ſunt veluti factæ a ſummo Pontifice, ut in ſimile habetur *cap. cum olim abbatibus 4. de reſcr. in 6. & cap. ſi Apoſtolicæ 22. de preb. in 6.* unde & reſponſa Juriſconſultorum, qui habebant ab Imperatore jus reſpondendi, & interpretandi, vim legis habebant: *§. Reſponſa prudentum Inſtit. de jur. natur. Gent. civil.* & concordat illud Imperatoris effatum: *Omnia merito noſtra facimus, quia ex nobis omnis eis impertitur*

au-

Digitized by Google

authoritas. Statſtē ēigā quod tales interpretationes debeant conſiderari tanquam factæ a Pontifice apoſtolica authoritate, non eſt cur non habeant omnem legis authoritatem: *Barboſ. loc. cit.*, & plures apud ipſum, & fuſiſſime *Fagn. n cap. quoniam in 6. & ſeqq. de Conſt.* Hac ratione præferuntur Rotæ Deciſionibus: *Barb. Fag. cit. & Card. de Luc. diſc. 6. de Paroch.*

Nihilominus, ut habeant vim legis, oeceſſe eſt afferri in forma authentica ex declaratione S. Congregationis, juſſu Urbani VIII, apud Barboſ. *lib. 1. jur. Eccleſ. cap. 1. numer. 83. Card. de Luc. in annot. ad Trident. diſc. 1. nu. 17.* & legendus Fagnanus *tom. 1. in monit. ad Lector.*: quamvis ſi non ſit prudens ratio dubitandi in contrarium, & afferantur a probatis Authoribus, non videantur poſſe rejici ſine temeritate: *Fag. in cit. cap. quoniam de Conſtit. num. 59.* Secuodo obſervare eſt Declarationes Cardinalium fundari in ſpeciali qualitate, & circumſtantiis alicujus caſu, & tunc non ſunt applicabiles caſui habenti diverſas circumſtantias: *Card. de Luc. in annot. ad Concil Tridrnt d. 1. n. 11.* Solum ergo habent vim legis generalis, quando vel ſunt generales, vel earum ratio eſt applicabilis omnibus caſibus *Fagn. cit. num. 66.* Ultimo ut tales declarationes habeant vim legis oportet fuiſſe factas, conſulto Romano Pontifice, ut dicitur *in Bull. Sixt. V. cit.*

R. II. Deciſiones Rotæ Romanæ non habent vim legis, quam nullibi reperitur conceſſa illi Tribunali authoritas condendi leges: *Card. de Luc. in relat. Rom. Curia diſc. 32. num. 66. Fag. in cap. cum venissent n. 31. de Judiciis.* Non poteſt tamen negari non habere magnum pondus authoritatis; utpote quia editæ a tanto Tribunali ſumma cum maturitate. Nihilominus ſicuti eas non tenentur neceſſario ſequi Judices in judicando, ita nec facile adhærerem aſſerentibus prævalere communi opinioni; *Fag. cit. num. 32.* Et de facto non raro contigit, & ipſum Rotam mutaſſe opinionem, ut inter alios obſervat *Card. de Luc. loc. cit. num.* 102.

Q. V. Quæ Poteſtas condendi Leges ſit penes Regulares.

R. Quæcumque Religio approbata a Sede Apoſtolica, ut docet *D. T. 2. 2. q. 104. a. 5. & q. 186. a. 9.* habet poteſtatem condendi ſtatuta conformis Ordini, & Regulæ: ſicut etiam ſtatuta, quæ non expreſſe in regula comprehenduntur, ſi neceſſaria ſint ad conſervationem Ordinis; & Regulæ, vel ad reformationem. Quamvis autem Prælati Regulares exempti habeant in ſuos Subditos juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, nihilominus poteſtas ferendi leges regulanda eſt juxta Ordinis cujuſcumque conſuetudinem; cum ordinarie reſideat penes Generalem, ſeu Capitulum Generale, ſeu Provinciale.

Q. VI. Apud quos ſit poteſtas condendi Leges Civiles.

R. I. In Regimina Monarchico poteſtas ferendi Leges eſt apud Monarcham: *leg. 1. ff. de Conſt. Princip.* Quamvis autem talis poteſtas mediate ſit a Deo juxta Apoſtolum *ad Rom. 13. Non eſt poteſtas niſi a Deo*, nihilominus immediate provenit ab hominibus; ideo enim Monarcha poteſtatem habet condendi leges, quia Populus tranſtulit in Regem, ſeu Imperatorem omnem ſuam poteſtatem: *Leg. 1. ff. de Conſtit. Princip.*

R. II. In Regimine Democratico, qualis eſt Principatus Populi, poteſtas faciendi leges eſt penes ipſum Populum. *§. Lex eſt Inſtit. de jur. nat. gent. civ. & can. 1. diſt. 2.*

R. III. in Regimine Ariſtocratico, qualis eſt Principatus Optimatum, jus ferendi leges eſt penes eoſdem Optimates, cum in eoſdem translata ſit ſuprema juriſdictio; *can. 3. d. 2. & §. Senatus Conſultum Inſtit. eadem.*

CAPUT IV.

De Promulgatione, & Acceptione Legum.

Q. I. AN ut lex obliget, neceſſaria ſit ipſius promulgatio.

R. I. Ratio manifeſte ſuadet non habere leges vim obligandi, uſquedum promulgentur Communitati: quomodo etenim hæc poſſet dici teneri lege, quam ignoraret; Hinc *can. 3. diſt 4.* dicitur: *Leges inſtituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur.* Quod ſi ferantur leges etiam de rebus præteritis diſponentes, ut *ex cap. ult. de Conſt.* non exinde probatur eas habuiſſe robur ante ſuam promulgationem; nam illæ leges, prout agunt de rebus geſtis ante illas, obligare haud poſſunt neque ad culpam neque ad pœnam, ut habetur *ex cap. cognoſcentes 2. de Conſti.* ſed ſolum annullant actum præteritum, vel qui talis erat ex ſoa natura, ut quando Sixtus V. Conſtitutione, quæ incipit *Cum frequenter &c.* annullavit conjugia Spadonum, & Eunuchorum; vel qoia expedit bono publico, ut nulli declarentur, ſeu irritentur.

Q. II. Quæ promulgatio neceſſaria ſit ut Leges obligent.

R. I. Generaliter loquendo, cum Lex pro Communitate feratur, ſufficit talis promulgatio, ut poſſit dici intimata Communitati, quamvis aliqui ex ea illam ignorent: *cap. 2. de poſt Prælat.* Quia tamen, poſtquam ſufficienter intimata eſt communitati, difficile eſt non pervenire ad notitiam ſingulorum, ita non facile creditur allegantì ipſius ignorantiam, ut dicitur *cap. 1. cit. & cap. quoſdam 7. & cap. quando §. De præſumpt.*

R. II. Leges Imperiales incipiunt obligare poſt duos menſes, poſtquam promulgatæ ſunt io Metropoli cujuſlibet Provinciæ: *Authen. ut factæ novæ Conſtitutiones, junct. Gloſſ. v. hujuſmodi lex collat. 5.* Cum autem id ſpecialiter ſancitum fuerit de Legibus Imperialibus, leges emanatæ ab ioferiore Principe ſtatim obligare incipiunt præſentes ab ipſarum publicatione, nam poſt hanc ſufficienter intelliguntur intimatæ præſentibus. Abſentibus vero intelliguntur intimari ſtatim ac præſumitur legem ad ipſorum notitiam perveniſſe: *arg. cap. 1. §. Nec obſtant. de conceſſ. præb. in 6. Suar l. 3. de leg. cap. 16. n. 7. Palaus tr. 3. diſp. 1. p. 11. n. 2.* Obſervare tamen eſt aliquando a Legiſlatore concedi dilationem certi temporis, quo incipiant obligare.

Q. III. Quæ promulgatio neceſſaria ſit, ut obligent Pontificiæ Conſtitutiones.

R. Communior ſententia aſſerit habere vim obligaodi totum Mundum, ſtatim ac Romæ ſolemniter promulgantur. Id autem videtur probari *cap. 1. de poſtul. Prælat.* ubi ad obſervandam Conſtitutionem Pontificis, nil aliud videtur requiri niſi notitia ipſius publicæ promulgationis. Idem affirmari videtur *cap. 1. §. Nec obſtaret de conceſſ. præbend. in 6.* cum maxime in jure æquiparentur ſcire, & ſcire debere: *arg. leg. quod te. §. Si certum petatur*, nec qui certus eſt, amplius ſit certiorandus: *ex reg. 31. Jur. in 6.* Hinc conſuetudo, & ſtylus Curiæ Romanæ eſt, quod Judices ibidem judicent ſecundum Conſtitutiones Romæ promulgatas etiam contra illos, in quorum Provinciis non fuerunt promulgatæ: conſuetudo autem eſt optima legum interpres. *cap. cum dilectus 8. De conſuet. & leg. ſi de interp. ff. de legib.* ſicut etiam ipſe ſtylus Curiæ habet vim legis *arg. cap. quam grav. 6. de crim. falſ.* Hanc ſententiam ut certam, & tenendam, pluribus citatis, docet inter alios *Palaus tr. 3. d. 1. p. 11. n. 2. Card. de Luc. de Benef. diſ. 76. num. 7.*

Nihilominus fatendum eſt non carere fundamento contrariam ſententiam, qua dicitur Conſtitutiones Pontificias non obligare in Civitatibus, vel Provinciis, ubi non fuerunt promulgatæ; cum etenim jure Canonico nil cautum ſi circa earum promulgationem, videtur ſtandum juri civili juxta *cap. 1 & 2. de nov. oper nunciat.*; hoc autem jure ut leges vim habeant obligandi, requiritur promulgatio in ſingulis provinciis: *Auth. ut factæ nov. Conſt: &c. collat. 5.* Hac ratione *cap. 1. de poteſt. Prælat. & can propoſuiſti diſt. 82. & can quod dicitis diſt.* 16. allegari videtur publicatio Conſtitutionis in Provincia ad oſtendendam ejurdem obligationem. Hinc corruunt ea ratiocinia quod ſcire, & debere ſcire æquiparentur &c. qoia ea omnia vera ſunt, quando non deeſt aliquid a jure requiſitum ad inducendam obligationem; & juxta hanc ſententiam deeſſet publicatio. Ad illud, quod dicitur da conſuetudine, & ſtylo Curiæ, reſpondent valere de foro externo. Videantur *Sotus lib. 1. de Juſtit. q. 1. a. 4. Leſſ. l. 2. de juſt. c. 22. dub. 13. n. 98. Laym. l. 1. tr. 4. c. 3. n. 6* aliique.

Si tamen Pootifex in ſuis Conſtitutionibus, ut nonraro accidere ſolet, dicat, facta Romæ ſolemni publicatione, velle eaſdem unumquemque arctare, ac ſi perſonaliter fuiſſent intimatæ, certum eſt tunc, abſque alia publicatione obligare; ita enim velle poteſt Papa, & recedere a Jure civili. Verum ex iis verbis firmum adduci poteſt argumentum pro ſecunda ſententia; cum etenim nil ſuperfluum in legibus ſit admittendum, ut infra videbimus, ea verba ſuperflue omnino apponerentur, ſi de jure Conſtitutio Pontificia Romæ publicata, abſque alia publicatione in aliis locis haberet vim obligandi. Inſuper ſi alicubi adſit conſuetudo, ut Legem

Pontificiæ Romæ publicatæ abſque alia promulgatione, & ut recipiantur, tunc ſtandum eſſet tali conſuetudini; hac etenim potuit Juri contrario derogare: *cap. ult. de conſuet.*

Q. IV. An ad obligationem Legis neceſſaria ſit Popul- acceptatio, & an peccet non acceptando.

R. I. Ante acceptationem populi Leges juſtæ vim habent obligandi. Ratio eſt, quia ſi loquamur de Legibus Pontificiis, eæ dimanant ab ea poteſtate, quam Chriſtus Dominus in Perſona D. Petri dedit ſuis Vicariis; unde poteſtas ferendi tales leges, adeoque & obligandi, nullatenus pendet a populi acceptatione. Leges etiam Civiles dimanant a poteſtate a Populo non dependente: nam populi illam in Principem abſolute transtulerunt, abſque conditione quod leges obligarent dumtaxat, ſi accederet ipſorum conſenſus. Non poteſt tamen negari leges ex acceptatione Populi, ut ait Fagnanus in *cap. Treguas n. 48. de Tregua*, accipere firmitatem ſtabilitatis; nam tunc non facile abrogantur per contrariam legem, aut conſuetudinem. In hoc ſenſu intelligendum eſt illud Gratiani *can. 3. d. 4.* quod leges *firmantur*, cum *moribus utentium approbantur.*

R. II. Peccat Populus abſque juſta cauſa non recipiendo legem a Principe promulgatam. Contrariam ſententiam damnavit Alexander VII. ſub. *n.* 28. Ratio illius condemnationis conſtat ex ſupradictis; cum etenim Pontifex, & Civiles Legislatores habeant abſolutam poteſtatem leges ferendi, eiſque obligandi, correſpondet in populo obligatio obediendi, adeoque, ſi non obediat, peccat. Latius id probat Viva ſcribens in præfatam damnatam propoſitionem. In foro autem conſcientiæ, ſi adſit rationabilis cauſa, non acceptare legem, non erit peccatum, cum, rationabiliter poſſit præſumi, neque ipſum Legislatorem velle tunc ſuam legem obligare. *Suar. l. 3. de leg. cap.* 19. *num.* 12. *Palaus d. 3: p.* 15. Immo ex iiſdem DD. ſi lex ſit valde dura, præſumi poteſt ſapientem Legislatorem noluiſſe per ea ſtatim obligare, ſed potius explorare ſenſum populi, ut deinde decernat leges accommodata, naturæ populorum, & Patriæ conſuetudini juxta *can. 4. diſt.* 2.

Cæterum obſervare eſt, quod etiam quando lex eſt juſta, & rite promulgata, ſi non ſervetur, nec accipietur a majori parte Communitatis, excuſantur ab ejus obſervantia etiam cæteri, qui alias parati eſſent obſervare: Probant id Theologi, quia lex reſpicit Communitatem, unde dicitur Comune præceptum: *leg. 1. ff. de leg.* Si ergo communitas, vel major illius pars eam reſpuat, non eſt credendum Legislatorem curare, ut cæteri illam obſervent: *Navar. conſ. 1. num. 24. de Conſt. Suar. cit. nu. 13. Layman. l: 1. tr. 4. cap. 4. nu. 3.*

CAPUT V.

De materia Legis Humanæ, & quomodo adimplendum ſit quod præcipit.

Q. I. AN materia legis humanæ ſint res alias imperatę, vel prohibitę, ſicuti omnes virtutes, & vitia.

R. I. Nil prohibet Humanum Legislatorem res alias imperatas, vel prohibitas, iterum imperare, vel prohibere. Ita prohibentur furta, homicidia &c. etiam lege naturali, & divina prohibita. Nec id eſt ſuperfluum; nam adjuncta ab Humano Legislatore pœna, qua impii ſolent magis coerceri, coadjuvatur ipſarum legum obſervantia.

R. II. Omnes virtutes, & vitia poſſunt eſſe materia Legis Humanæ, ſed non collective. Ratio, quam innuit *S. Th. 2. 2. q. 69. a. 3.* eſt, quia cum Leges reſpiciant communem felicitatem, eaque inducatur vitia proſcribendo, & virtutum actus exercendo, bene quodcumque vitium eſſe poteſt materia legis prohibentis, & quæcumque virtus materia Legis præcipientis. Dixi tamen, *ſed non collective*; cum etenim ex ſæpe dictis, materia legis humanæ debeat eſſe moraliter poſſibilis & accommodata naturæ hominum, ac major par iſtorum fragilis ſit, ideo non eſſet eis accomodata lex, vel præcipiens actus omnium virtutum, vel prohibens omnia vitia. Obſervat Proinde *S. Th. art.* 2. legibus humanis nonniſi peccata graviora prohiberi, & præſertim quę aliis nocent, & valde officiunt humanę ſcietati.

Q. II. An actus interni præcipi poſſint, aut prohiberi lege humana.

R. I. Actus mere interni non poſſunt lege humana præcipi, vel prohiberi. Id primo probatur ex jure, quia *cap. tua nos de Simon.* dicitur Eccleſiæ datum eſſe de *manifeſtis ſolummodo judicare, & cap. ſicut eod. tit.* dicitur: *Eccleſiam non judicare de occultis*, hoc eſt de internis; nam hæc occulta ſunt, ſed externa ſubſunt legibus Eccleſiæ; & ita prohibet ſub excommunicatione hæreſim occultam, ſi externa ſit. Ratio eſt, quia tales actus ſunt occulti per accidens, defectu nempe teſtium: cæterum cum ſint externi, & per conſequens ſecundum ſuam naturam ſubjecti legi humanæ, non poſſunt exthrai ab efficacia ipſius legis per aliquem modum extrinſecum, & accidentalem, quem habeant. Actus mere internos non ſubdi legi humanæ conſtat item ex *can.* 1. 15. *q. 6.* nam ibi etiam dicitur non poſſe *humano judicari examine, quem Dominus ſuo reſervavit judicio.* Id autem probat S. Thomas 1. 2. *q. 91. a. 4. & q. 100. a. 9. & 2. 2. q. 104. a.* 5. duplici ratione. Prima eſt, quia ejuſdem poteſtatis eſſe debet leges ferre, & ſecundum leges judicare: ſi etenim Legislator non poſſet eſſe vindex ſuarum legum, fruſtranea ut plurimum eſſet poteſtas Legislativa, cum proinde non poſſit eſſe Judex de actibus mere internis, cui de ſua natura ipſi latent; ſolus enim Deus intuetur cor: *1. Regum 16.* hinc eſt ad actus mere internos non extendi poteſtatem legislativam humanam. Secunda ratio eſt, quia cum poteſtas legislativa humana reſpiciat humanam ſocietatem, & hæc ſit ſenſibilis, & materialis, conveniens videtur, ut non feratur niſi in id, quod eſt ſenſibile, & materiale, adeoque non in actus mere internos.

R. II. Si actus interni ſint neceſſarii ad moralem ſubſtantiam actuum externorum, lege humana præcipi poſſunt, vel prohiberi: *Suarez. l. 3. de leg. capit. 13. num. 2. Sanch. l. 1. Moral. cap. 13. num. 6. &c.* Obſervandum igitur eſt dupliciter actus internos poſſe ſe habere ad actus externos. Primo modo per accidens, ita ut etiam ſine hoc, vel illo actu interno detur completus actus, qui cadit ſub præcepto. Ita Eccleſia præcipit jejunium, quod habet totum ſuum eſſe, ſive fiat hac, vel iſta intentione; cum tota ipſius eſſentia conſiſtat in abſtinentia a quibuſdam cibis, & in unica comeſtione. Dum igitur actus externus habet ſuum eſſe abſque interno, hic non cadit ſub lege humana, neque enim per ſe præcipi, aut prohiberi poteſt, ut dictum eſt ſupra: aliunde autem neque prohiberi, aut pręcipi poteſt Indirecte, dum non eſt neceſſarius ad actum externum. Hoc tamen non officit, quin humanus Legislator poſſit aliquam pœnam ſtatuere ſub conditione alicujus actus interni, id etenim eſt reſtringere pœnam in favorem tranſgreſſorum, dum non vult eos affici aliqua pœna, niſi & habuerint aliquem actum malum internum; & bene poteſt ſuos favores Legislator cuicumque condictioni illigare Hinc *Clem. 1. §. verum de hæret.* excommunicantur, qui ommittunt procedere contra aliquem in materia Fidei ex odio, gratia, vel avaritia.

Secundo actus internus ita ſe habere poteſt ad externum, ut ſine illo non exiſtat in eſſe mortis. Ita non ſubſiſtit oratio ſine interna attentione; non ſubſiſtit Sacramentum Pœnitentiæ ſine interno dolore &c. Quando actus internus eſt ita neceſſarius ad externum, bene poteſt ſaltem indirecte pręcipi ab humano Legislatore: ad quid enim e.g. poteſtas pręcipiendi orationem, ſi ſaltem indirecte non eſſet ſimul poteſtas pręcipiendi id, ſine quo ſubſiſtere non poteſt eadem oratio? *Suar. tom. 2. de relig. l. 4. cap. 16. Azor. tom. 1. l. 10. cap. 8. q. 7. & cap. 12. q. 9.*

Q. III. Qua intentione ſatisfaciendum ſit legi, ſeu præcepto.

R. I. Quęſitum non procedit de pręceptis negativis non furandi &c., cum etenim bis pręceptis prohibeatur executio operis, & hoc fiat etiam nil cogitando de talibus pręceptis, hinc eſt nullam poſitivam requiri intentionem pro ſatisfaciendo iiſdem. Loquendo ergo de adimplendis pręceptis poſitivis, dicendum eſt, neceſſariam eſſe intentionem faciendi opus pręceptum. Ratio eſt, quia lex percipit opus implendum humano modo, proprium autem eſt agentis rationalis libere velle operari, ſeu velle facere id quod illi pręcipitur. Non eſt tamen negandum aliquando pręſumi poſſe Legislatorem ſolum curare de opere externo, non vero quod fiat animo illud adimplendi; ut ſi pręcipiat ſolutionem decimarum, vel ſatisfactionem ęris alieni &c. In his, ſimilibus, ubi pręſumi poteſt Legislatorem non curare de concurſu voluntatis, etiam coacte ſatisfit pręcepto. Idem dicas, ſi prohibeatur opus ſub cenſura, quam non incurrit, qui etiam invitus ab eo abſtineat. Secus dicendum de pręcepto audien-

dien-

Digitized by Google

ciendi Miſſam, & ſimilibus, nam præſumi non poteſt Legislatorem non curare de concurſu voluntatis in executione operis: *Sanch.l.1. Mor.cap.13.n.6.Suar. &c.*

R.II. Non eſt neceſſaria voluntas adimplendi præceptum *Suar. tom.2. de relig.l.4.c.16. Leſſ.l.2.c.7.d.10.Sanch. l.1. Moral.c.13.n.9. & 12.* Ratio eſt, quia lex obligat quidem ad adimplendum opus, quod præcipitur, & ad habendam præſtandi illud intentionem, alias non fieret humano modo; at non præcipit ut quis intendat ſatisfacere præcepto. Hinc etiam habens poſitivam intentionem non ſatisfaciendi præcepto, dum habeat intentionem faciendi opus præceptum, vere ſatisfacit: *Palaus diſp. 1. p. 17. n.12. &c.* Neque obſtat actus non operari ultra intentionem agentis: *leg. non omnes §. Si certum petat., & leg. in agris ff. de acquir. Domin.* adeoque videri non ſatisfacere, qui poſitivam habet intentionem non ſatisfaciendi. Non, inquam, hoc obſtat; quia id valet, quando intentio non ſatisfaciendi eſt efficax, impediens ſcilicet quod neceſſarium eſt ad ſatisfaciendum. Id autem non verificatur in caſu noſtro: nam ſatisfactio adimpletur per hoc ſolum, quod quis ponere velit opus, quod præcipitur; unde eo poſito, mera contraria intentio impedire non poteſt ſatisfactionem. Is tamen, qui haberet hujuſmodi voluntatem non ſatisfaciendi, peccaret ex ea prava intentione, qua in præparatione animi nollet ſatisfacere præcepto.

Hic tamen eſt advertendum, quod licet quis ſatisfacere poſſit legi, ſeu præcepto Superioris, abſque intentione illis ſatisfaciendi; non poteſt tamen ſatisfacere obligatione, ſibi a ſemetipſo impoſitæ, voto, v.g. promiſſioni &c. ſi habeat intentionem tali obligationi non ſatisfaciendi. Ratio diſcriminis eſt, quia intentio Legislatoris, ſeu præcipientis, ut dictum eſt, non obligat niſi ad adimplendum opus, unde eo adimpleto, reſpectu legis extinguitur omnis obligatio. Qui vero arbitratu ſuo aſſumpſit aliquam obligationem, quia poteſt in ea perſeverare, ita intelligitur velle perſeverare, uſque dum non habeat intentionem ſe ab ea eximendi; unde ſi alias ponendo opus, quod vovit, intendat non ſatisfacere voto, adhuc ſe velle ſuam obligationem declarat; ac proinde non eximeretur ab eadem obligatione.

R.III. Ob ſatisfaciendum præcepto non eſt opus intendere finem Legislatoris: *S.Th. 1. 2. qu. 100. a. 9.* unde invaluit illud effatum: *finis præcepti non cadit ſub præcepto*. Ratio eſt, quia ſine intentione talis finis poteſt adimpleri opus a lege impoſitum; ita bene poteſt quis jejunare, quamvis ita exquiſite comedat, ut gula non frænetur, qui eſt finis intentus a Legislatore. Audire pariter poteſt quis Miſſam attente, unde & ponet opus præceptum, ſed ob finem vanæ gloriæ e. g. & ita non aſſequetur finem Legislatoris. Accedit finem agendi ex motivo alicujus virtutis a Legislatore intentæ, eſſe omnino internum, & ita ex hoc capite etiam non poteſt cadere ſub lege humana. Cæterum ſi quis non ponat opus præceptum a Legislatore ſub motivo alicujus virtutis, peccabit contra eam virtutem, cujus intuitu lex lata eſt. Ita qui die feſto audit Miſſam ob vanam gloriam captandam, peccat contra religionem ex cujus motivo præcipitur auditio Miſſæ.

Q.IV. Cui obligationi ſatisfaciat qui facit opus, quod præſtare tenetur pluribus titulis.

R.I. Si voluit ſatisfacere alicui determinatæ obligationi, pro ea dicendum eſt ſatisfeciſſe. Ratio eſt, quia qui habet obligationem ex pluribus titulis, ut ſi v g. teneatur audire Miſſam ex præcepto Eccleſiæ, ex pœnitentia, & ex voto, habet in ſua libera poteſtate velle cui mavult ſatisfacere, ſicuti, ſi habeat diverſa debita, poteſt velle ſolvere unum præ alio; poſito ergo quod habuerit intentionem uni obligationi ſatisfaciendi, intelligetur illi ſatisfeciſſe.

R.II. Si intellexit omnibus obligationibus, quas habet, ſatisfacere, tunc obſervandum eſt, an opus, quod ponit ſit diviſibile, nec ne. Si ſit diviſibile, ut ſi teneatur erogare decem aureos ex voto, & ex pœnitentia, tunc dicendum eſt ſatisfacere utrique obligationi pro rata; cum etenim neutri, ut habet in intentione, poſſit totaliter ſatisfacere, dicendum eſt ipſius actum valere eo modo, quo poteſt; *cap. unic. §. Idem quoque de ſponſ. impub. in 6.*, adeoque & ſatisfacere pro rata, hoc etenim modo poteſt ſatisfacere. Si vero opus ſit indiviſibile uti ſe habet Miſſa, tunc dicendum eſt ſatisfeciſſe graviori obligationi, ita enim ipſius actus valet eo meliori modo, quo fieri poteſt. Cæterum major eſt obligatio quæ oritur ex præcepto Eccleſiæ, quam quæ ex voto, & major, quæ ex voto, quam quæ ex præcepto Confeſſarii: *Bonac. de leg. q.1.p.10.n.14. &c.*

R.III. Si pariter ponatur opus non determinando cui obligationi velit quis ſatisfacere, ſi obligationes ſint æquales, & opus diviſibile, ſatisfit omnibus pro rata: ſi vero una ſit altera gravior, ſatisfit graviori: *leg. cum ex plurib. ff. de ſolut.*, & ita implicite intelligitur velle qui ponit opus.

Q.V. An eodem actu poſſit quis pluribus legibus ſatisfacere; ſeu pluribus actibus eodem tempore factis, poſſit diverſis ſatisfacere obligationibus.

R. I. In materia Juſtitiæ non poteſt quis uno actu ſatisfacere pluribus obligationibus. Ratio eſt, quia, qui e. g. debet quinquaginta ex duplici titulo, ut ex contractu oneroſo, & ex furto, re vera debet centum; unde ſi ſemel tantum det quinquaginta, non ponit æqualitatem inter rem, & rem, ſive inter creditum, & debitum, ut expoſcit Juſtitia.

R.II. In aliis materiis, quando non conſtat de mente Legislatoris, tunc ad judicandum an ponendi ſint diverſi actus ad ſatisfaciendum pluribus præceptis, obſervandum eſt an mandantes habuerint diverſum motivum aliquid præcipiendi, nam tunc communiter ſolent novum onus imponere, adeoque petunt diverſos actus. Si e.g. Confeſſarius imponat die feſto pro Sacramentali pœnitentia auditionem Sacri, intelligitur velle Sacrum diverſum ab eo, quod audiendum eſt die feſto, cum habeat diverſum motivum imponendi talem auditionem. Idem dicas, ſi imponeret jejunium, cui non ſatisfaceret Pœnitens jejunando ea die, qua alias præcipitur ab Eccleſia, *Sanch.l.1.c.14.n.5.Palaus tr.3 d 1.p.9.*

R.III. Eodem tempore poteſt quis facere plures actus, quibus ſatisfaciat pluribus præceptis. Id patet in eo, qui dum Miſſam audit, recitat Horas Canonicas; nam audit Miſſam, cum ſit illi præſens, & oret, & ſimul etiam præſtat quod neceſſarium eſt ad recitandas Horas Canonicas. Secus eſſet, quando illi diverſi actus ita eſſent incompoſſibiles, ut non poſſent eodem tempore præſtari eo modo, quo præcipiuntur. *Sanch.cit.n.11.*

Q.VI. An ſatisfaciat ſuæ obligationi, qui ponit opus abſque intentione ſatisfaciendi, quia immemor omnino eſt ſuæ obligationis.

R. Obſervandum, an ponat opus ſub motivo excludente ſatisfactionem ſuæ obligationis, nec ne. Si habeat motivum non excludens talem ſatisfactionem, cenſetur ſatisfacere, cum unuſquiſque implicite ſemper velit ſatisfacere ſuis obligationibus. Secus ſi habeat motivum incompoſſibile cum ſatisfactione ſuæ obligationis. Exemplum ſit in eo, qui debet decem ex titulo oneroſo, e.g. ex empto, & immemor obligationis, dat creditori decem ex pura liberalitate, hic non videtur ſolutus a debito, nam dare ex pura liberalitate eſt motivum excludens motivum juſtitiæ, quo alias teneretur ſolvere: *Sanch.l.1.Moral.c.13.n.11.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Confeſſarius habere deberet præ manibus eam doctrinam, qua dicitur Eccleſiam non judicare de internis, nam ex ea ſtatim cognoſcet quæcumque peccata interna etiam graviſſima, & innodata excommunicatione reſervata, qualis eſt hæreſis formalis, poſſe ab eo abſolvi, dummodo pœnitens ſit diſpoſitus. Sed videat ne erret, confundendo peccata interna cum peccatis occultis.

Poteſt etiam quæcumque peccata reſervata, ſemper cum ſolum ſunt interna, abſolvere; & hoc non quia Eccleſia in ordine ad abſolutionem non judicet de internis, ſed quia, ut obſervant omnes Theologi, non ſolet reſervatione punire niſi culpam gravem, & externam.

II. Ex doctrina, qua dicitur, non eſſe neceſſariam intentionem ſatisfaciendi præcepto, ut præceptum de aliqua re adimpleatur, Confeſſarius poterit ſæpe occurrere conſcientiæ ſcrupuloſorum. Recitant e. g. iſti Horas Canonicas, vel pœnitentiam ſacramentalem, & cum non videatur ipſis hujuſmodi recitare, ut par eſt, non habent intentionem ea ratione ſatisfaciendi, ſed intendunt eam repetere. Poterit ergo Confeſſarius illis interdicere novam recitationem, neque enim erat neceſſaria intentio ea recitatione ſatisfaciendi; immo ſatisfecerunt etiam habendo intentionem non ſatisfaciendi, ſed iterum repetendi, dummodo recitaverint virtuali ſaltem attentione. Idem dicatur de illo, qui audit Miſſam die feſto; ſed cum non videatur ipſi audire, ut optaret intendit novam Miſſam audire.

III. Videat etiam Confeſſarius, ne redigat in anguſtiam conſcientiam pœnitentis, quoties poſuit opus, ad quod tenebatur, quamvis non recordaretur ſuæ obligationis. Tenebatur e. g. ex voto recitare Roſarium, idemque recitavit immemor ſuæ obligationis. Tenebatur ex voto, vel ſacramentali ſatisfactione, vel ex incerta reſtitutione facere aliquam eleemoſynam, eamdemqne præſtitit immemor pariter ſuæ obligationis: non eſt, ex dictis, adigendus ad novam ſatisfactionem, & ita de cæteris.

QUÆSTIO II.

De Obligatione Legis Humanæ.

CAPUT I.

Quam Obligationem inducat Lex humana.

Q. I. AN lex humana obligare poſſit in conſcientia.
R. Lex humana tam Eccleſiaſtica, quam Civilis obligare poteſt in conſcientia. Ad hoc probandum obſervare eſt cum S. Thoma *1. 2. q. 96. a. 4.* quod quamvis obligatio legis humanæ videatur proxime deſumi ab eadem Lege, nihilominus fundatur. & derivatur a Lege æterna, & divina; cum Deus mandaverit obedire cuicumqne Suprriori legitime præcipienti. Quapropter Apoſtolus *ad Rom. 13.* ait. *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit ..... Subditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*: non ſolum nempe metu pœnarum, ſed etiam ne fiat peccatum. Cum igitur etiam Civilis Legiſlator jubeat authoritate ſibi a Deo tributa, juxta illud Apoſtoli eodem in loco: *Non eſt poteſtas niſi a Deo*, & Deus ipſe mandet obedire cuicumque Legiſlatori legitime præcipienti, non eſt cur etiam leges civiles non poſſint obligare in conſcientia. Hinc etiam patet cur ex tranſgreſſione legis humanæ poſſit quis fieri reus pœnæ æternæ; nam in ipſius traſgreſſione includitur etiam tranſgreſſio Divini præcepti, ac proinde concludit Apoſtolus: *Qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.*

Q. II. Quando lex humana intelligatur præcipere ſub culpa.

R. I. Non præcipit ſub culpa, dum eſt pure pœnalis, de qua infra.

R. II. Non præcipit ſub culpa, quando lex eſt mere conſilii, ſive adhortatoria, nam tunc Legiſlator non intendit obligare, *can. quiſquis 14. q. 1.* Id tamen non eſt intelligendum, ſi lex contineat conſilium reverentiæ. Tunc autem datur conſilium reverentiæ, quando lex ex ſe continet materiam neceſſariam, ſed quia alloquitur Perſonas valde conſpicuas, ut Principes, utitur verbis conſultivis, & non præceptivis, cujus rei exemplum habemus *Clem. 1. de teſt.* Cum igitur in hujuſmodi caſu Legiſlator intendat obligare, & ſolum ob reverentiam conſulat, & hortetur, non eſt cur talis lex in conſcientia non obliget: *Fag. in cap. Canonum ſtatuta n. 97. de Conſt.*

R. III. Dum leges abſolute aliquid præcipiunt, vel prohibent, regulariter obligant in conſcientia. Ratio eſt quia, dum Legiſlator imperat, intelligitur velle obligare, & cum aliunde ex dictis poſſit obligare etiam pro foro conſcientiæ, dicendum eſt imponere obligationem etiam pro eodem foro. Dixi *regulariter* obligant in conſcientia, quia per verba præceptiva ſolet manifeſtari voluntas obligandi; nihilominus ſi Legiſlator præcipiendo, exprimat ſe nolle obligare peo foro animæ, cum id ex juſta cauſa poſſit facere, illius lex ad culpam non obligabit ut bene obſervat S. Thomas *2. 2. q. 189. a. 9. ad 1.* Verumtamen hæ leges non ſunt rigoroſe tales, quia lex juſta, rigoroſe ſumpta, continet præceptum Superioris, & tali præcepto correſpondet obligatio obediendi etiam in foro conſcientiæ: *Sanc. l. Moral. cap. 4. n. 12.*

Q. III. Quando Legiſlator intelligatur obligare ſub gravi, vel ſub levi culpa.

R. I. Si materia ſit gravis, inducetur a lege gravis obligatio, dummodo Legiſlator non intendat obligare ſub levi. Ex gravitate igitur materiæ bene arguitur gravis obligatio, etiam ſi Legiſlator non exprimat ſe intendere graviter obligare; etenim niſi diverſimode ſe explicet, credendum eſt velle obligationem materiæ correſpondere, adeoque materiæ gravi obligationem gravem.

Non deſunt etiam qui velint non eſſe in poteſtate Legiſlatoris obligare ſub levi, quando materia eſt gravis. Nihilominus communior eſt contraria opinio, quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem: *arg. l. non omnis ff. ſi certum petatur, & cap. ult. de præb.* unde ſi non intendat etiam in materia gravi obligare niſi ſub levi, non conſurget niſi levis obligatio. Accedit bene poſſe habere rationabilem cauſam nonniſi ſub levi culpa obligandi, ne ſcilicet nimis torqueantur conſcientiæ, inducantur ſcrupuli &c. *Suar. l. 3. de leg. cap. 27. num. 6. Leſſ. l. 2. cap. 41. dub. 9. nu. 46. Palaus diſp. 2. p. 8. n. 2.*

R. II. Si materia ſit levis, lex non poteſt obligare niſi ſub levi. Id omnes DD. fatentur, quamvis Legiſlator voluiſſet obligare ſub gravi; nam injuſta eſſet lex, quæ vellet peccato gravi obnoxios illos, *qui* legem in materia levi traſgrederentur, & quia eſſet injuſta, non eſſet attendenda.

Advertendum tamen eſt, non ſemper judicandum materiam eſſe levem, quia in ſe levis ſit, ſed videndum an etiam levis ſit in ordine ad pacem Communitatis, ad diſciplinam, ad vitanda ſcandala, ad famam tuendam, ſeu in ordinem ad alium finem rationabiliter intentum a Legiſlatore; nam ſi gravis ſit in ordine ad iſta, bene poteſt eſſe capax gravis obligationis: *Suar. l. 3. de leg. cap. 25. n. 5. & de cenſ. d. 4. ſect. 6. n. 11.* & communiter. Exemplum habemus in præcepto, quo Adę vetitum fuit comedere de pomo. quod in ſe videbatur eſſe de re levi; & nihilominus grave fuit, attento fine, cujus gratia Deus impoſuerat tale præceptum, in ſignum ſcilicet ſubjectionis, & obedientiæ ſibi debitę.

Q. IV. An lex humana poſſit obligare cum periculo vitæ, vel jactura aliorum bonorum.

R. Ad dignoſcendum, an lex humana obliget etiam cum gravi vitę periculo, vel alio gravi incommodo, obſervandum eſt, an ex traſgreſſione Legis majus ſequatur prejudicium pro bono communi, quam ſit incommodum ſubeundum ex ipſius obſervantia. Si e. g. miles non ſervet pręceptum Ducis imperantis, etiam cum periculo vitæ, non relinquere ſtationem, ſi relinquendo ſtationem totus exercitus, vel Civitas facile ab hoſte eſſet ſuperanda, in tali caſu bonum commune præponderat vitæ particularis militis. Idem dicendum, ſi Parochus non ſervet præceptum Epiſcopi imperantis, ne tempore peſtis deſerat gregem. Idem pariter dicendum, quando e. g. ab Hæretico imperaretur traſgreſſio legis Eccleſiaſticæ in contemptum Fidei, vel Eccleſiaſticæ Poteſtatis, cum bonum Religionis non ſolum prævaleat vitæ unius, ſed etiam omnium hominum. Verum tamen eſt in his caſibus obligationem ſervandi legem etiam cum vitæ diſpendio, vel gravi bonorum jactura, non tantum oriri a lege poſitiva, quam a naturali, dictante vitam amittendam eſſe pro ſervando bono publico, pro adimplendo officio, quod quis voluntarie ſuſcepit, ſi illi de ſua natura junctum ſit periculum vitæ, ſeu tuenda religione &c. *Suar. l. 2. de leg. cap. 27. Palaus diſp. 2. p. 8. n. 4.*

Ob rationem conſervandi bonum publicum obſervantiæ, & diſciplinæ in toto ordine Chartuſianorum, non ſolum Theologi excuſant, ſed etiam multi dicunt teneri Chartuſianum abſtinere a carnibus, quamvis neceſſariis ad conſervandam vitam *Leſſ. l. 4. c. 3. dub. 2. n. 12.*

Secluſa neceſſitate boni publici vel Religionis &c. leges humanæ non ſolum non obligant cum periculo vitæ, ſed neque etiam periculo mutilationis, jacturæ gravis bonorum, infamiæ &c. Ratio eſt, quia ut dictum eſt, *q. 1. c. 1.* lex debet eſſe poſſibilis ſecundum humanam naturam, & conſuetudinem, qualis non eſſet lex humana, ſi, ordinarie loquendo, obligaret ad ſui obſervantiam cum jactura gravi etiam bonorum temporalium. Præterea injuſta eſſet lex, quæ exigeret talem jacturam, ſemper cum id non exigeret bonum multo magis preponderans.

Ipſe Deus, & Chriſtus Dominus, quamvis potuiſſent obligare ad obſervantiam ſuarum legum cum vitæ periculo, id tamen ordinarie non præſtiterunt. Ita in Veteri Lege cum tanto periculo non obligabat lex de obſervantia Sabbati, de abſtinentia a ſanguine &c. *S. Th. 1. 2. q. 100. a. 8. Suar. l. 3. de leg. c. 3. ſect. 3.* Ita pariter in Nova non obligat cum eodem periculo lex de integritate Confeſſionis, de ſuſcipiendis Sacramentis &c. Secus eſſet, ſi ex inobſervantia interveniret grave ſcandalum; vel neceſſe eſſet recipere aliquod Sacramentum ad conſulendum æternæ ſaluti &c.

Re-

Digitized by Google

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Non ſit ita facilis Confeſſarius in condemnando Legiſlatores, ſi aliquando præcipiant, vel prohibeant ſub gravi, res, quæ videantur parvi momenti. Id autem maxime poteſt habere locum in ordine ad Perſonas, quæ vivunt in Communitate. In his locis, & præcipue ſi religioſa ſint, poſſunt e.g. ſub gravi prohiberi furta levia; item ne referantur, quæ una Perſona adverſus alteram dixit, quamvis non gravia eſſent &c. ex his enim valde perturbatur pax domeſtica; ac proinde cum gravia eſſe poſſint in ordine ad finem intentum a Legiſlatore, poſſunt etiam prohiberi ſub gravi. Idem puto dicendum de prohibitione ſub gravi, ne Externis referantur defectus etiam leves; qui inter perſonas clauſtrales committuntur; nam multoties hæc referendo, graviter officitur bonæ famæ Monaſterii, eo maxime quia degentes in ſæculo putant Regulares exuere debuiſſe omnes pravas inclinationes humanitatis.

Hinc etiam Magiſtratus ſæculares poſſunt gravi pœna punire deferentes arma prohibita, quamvis non animo nocendi; id enim valde officere poſſet publicæ tranquillitati &c. Ne igitur ſit nimis facilis Confeſſarius in excuſando ſuum Pœnitentem a gravi culpa, eo quod tranſgreſſus fuerit legem, quæ præcipiebat, vel prohibebat materiam in ſe levem.

II. Plura in praxi reſolvet Confeſſarius ex ea communi doctrina, quod leges poſitivæ, ſive Eccleſiaſticæ, ſive Civiles, regulariter loquendo, non obligant cum gravi incommodo. Sacerdoti e.g. occulte excommunicato permittet celebrare, & cum aliis communicare, ſi ita neceſſitas cogat, dum e.g. ab iis abſtinendo, incurreret gravem infamiam. Ita excuſet ab audiendo Sacrum, qui non poteſt domo exire ſine gravi dedecore propter ſuam paupertatem; qui deberet ſubire grave incommodum ob illud audiendum, vel propter notabilem abſentiam Eccleſiæ, vel propter magnam pluviam, vel quia eſt valetudinarius. Excuſet eum, qui non habens tempus petendi licentiam, defert arma prohibita, ne ſe exponat periculo, quin ab hoſte offendatur. Ex his exemplis facile dignoſcet quomodo in aliis caſibus ſe gerere debeat.

CAPUT II.

De Lege Pœnali ejuſque obligatione.

Q.I. AN detur lex pure pœnalis?

R. Non eſt dubium, dari legem mere præceptivam, ut cum aliquid præcipitur obligando ad actum, vel ejus ommiſſionem, nulla pœna adjecta; & hujuſmodi leges dicuntur morales, cum ſolum habeant pro objecto morum directionem. Item non eſt dubium, dari leges mixtas, nempe aliquid præcipientes, adeoque obligantes in conſcientia, & ſimul imponentes pœnas tranſgreſſoribus, ut ita magis arceantur homines ab illarum tranſgreſſione; nam homines perditi parum curantes de culpa, potius pœnam timent. Quæſtio ergo eſt de lege pure pœnali.

At communior ſententia eſt, dari hujuſmodi leges mere pœnales; nam lex non obligat ultra mentem Legiſlatoris, unde ſi non intendat obligare niſi ad pœnam, mere pœnalis erit ejus lex: *D. Th. 2.2.q.189. a. 9. ad 1. Palaus diſp.1.p.15.nu.10.Sanch.l.6. in Decalog.c.4.* Verum tamen eſt, quod, ut notavi capite ſuperiori, hujuſmodi leges non habent rigoroſam proprietatem legum niſi velimus dicere quodammodo habere veram proprietatem legum, quia licet non obligent ſub culpa ad actum imperatum, obligant ſub culpa ad ſuſtinendam pœnam poſt tranſgreſſionem.

Sed dices non poſſe reſpectu harum legum pœnam habere locum, nam hæc eſt correlativa culpæ, quæ ſupponitur non dari in ipſarum tranſgreſſione. Contra tamen eſt, quod licet non interveniat culpa theologica, intervenit tamen culpa legalis, ſeu politica, & expedit bono publico, ut hujuſmodi culpæ puniantur: *Suar.l.5. de leg. c.4.Sanch.l.4. Moral.c.4.*

Cæterum advertendum, quod quamvis plura ſtatuta, maxime Regularium, non obligent niſi ad pœnam, nihilominus in praxi in ipſorum tranſgreſſione difficile eſt, non intervenire culpam ſaltem levem, & id vel propter ſcandalum, vel propter aliorum perturbationem, vel quia imminuitur in Communitate obſervantia, vel propter paſſionem, & negligentiam, qua tranſgrediuntur vel propter otioſitatem &c. Immo ſi ex frequenti regularum tranſgreſſione Religioſi valde deſtruant regularem obſervantiam, non poſſunt recuſari a gravi culpa, propter gravem perturbationem, & damnum, quod inferunt Religioni; *Sanch. in Decal.l.6.c.4.n.17.*

Q. II. Unde dignoſcantur leges mere pœnales?

R. I. Si lex lata ſit cum gravi pœna ſpirituali, nempe cum cenſura, vel degradatione, vel privatione Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſemper ſupponitur obligare etiam ad culpam gravem; nam hæ pœnæ nonniſi ob gravem culpam ſolent inferri: *can. nemo .1. q.3.* Quod ſi tamen Cenſuræ ſint ferendæ ſententiæ, plures aſſerunt per adjectionem ipſius cenſuræ non ſufficienter colligi, legem obligare ſub gravi, ni forte diceretur cenſuram incurrendam eſſe ſine alia monitione; ſed de hac re in Tractatu de Cenſuris.

R. II. Ex adjectione gravis pœnæ temporalis non ſufficienter colligitur, legem non eſſe mere pœnalem. Ratio eſt, quia expedit multoties bono communi, ut pœnis graviſſimis animadvertatur etiam in eos, qui ſine culpa theologica aliquam legem violant. Ita Theologi communiter admittunt, poſſe reum ſine culpa Theologica effringere carcerem, ad mortem e. g. vitandam, quod tamen graviſſime puniunt leges civiles; unde ex talibus pœnis non ſufficienter colligitur intentio Legiſlatoris obligandi ad culpam Theologicam. Ita contra alios *Navar. in Sum. c.23.n.55.*, & alii. Poteſt nihilominus in tranſgreſſione harum legum intervenire peccatum propter periculum mortis, ommiſſionis bonorum &c. cui aliquis ſe exponat; tunc etenim peccat, vel contra præceptum Charitatis erga ſeipſum; vel propter damnum, quod poteſt incurrere Familia, ſi lex non ita ſecreto tranſgrediatur, ut tranſgreſſio non poſſit innoteſcere.

R. III. Si Legiſlator non exprimat velle ſimul ad culpam, & ad pœnam obligare, vel ad ſolam pœnam, tunc verba legis conſideranda ſunt; nam a verbis legis recedendum non eſt, niſi aperte conſtet aliud ſenſiſſe Legiſlatorem: *arg. cap. ad Audientiam de decim.*, *& leg. non aliter ff. de leg.* Porro hæc verba *volumus*, *decernimus*, non videntur ſufficienter exprimere intentionem Legiſlatoris eſſe obligandi ad culpam: nam cum bene poſſint explicari de ſola obligatione ad pœnam, & aliunde verba legis debeant in mitiorem partem interpretari, poſſunt bene intelligi de ſola obligatione ad pœnam. Idem dicas, ſi lex contineat verba ſolam pœnam imponentia tranſgreſſori, non vero verba præcipientia, vel prohibentia, ut ſi diceret: *qui hoc, vel illud fecerit, tali pœna puniatur vel tantam pecuniam ſolvat.* Id tamen non eſſet verum, ſi ipſa materia legis demonſtraret legem eſſe præceptivam, ut ſi e. g. imponatur aliquod tributum Principi præſtandum; quod videtur in conſcientia deberi, juxta illud Apoſtoli *ad Rom.13. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Bene ergo etiam ex ipſa materia legis argui poteſt an lex ſimul obliget ad culpam, vel ad pœnam, vel ad ſolam pœnam: *D.Th.2.2. q.108. a.4. Suar. l.5. de leg. c.14. n.11. Fagnan. in c. ſi quis n. 58. de Regular.* Sed attendendum etiam eſt, quod ſtatim dicam.

Si verba legis clare exprimant præceptum, important obligationem etiam quoad culpam, niſi adſit conſuetudo in contrarium. Illa igitur verba: *præcipimus, jubemus, mandamus, imperamus &c.* cum clare exprimant præceptum, & juſto præcepto Superioris ſit in conſcientia, obediendum, conſequens eſt importare obligationem etiam quoad culpam. Dixi, niſi adſit conſuetudo in contrarium, nam ut obſervat Layman, *l.1. tr.4.c.24.n.12.ex Suar.l.7.de leg.c. 19. n.11.*, lex de ſua natura præceptiva, ſi non recepta ſit niſi quoad pœnam, potuit contraria conſuetudine tranſire in pure pœnalem; & ita eveniſſe credunt multis legibus civilibus imponentibus aliquod onus; prohibentibus, ne ultra territorium aliquid extrahatur; eo maxime quia & ipſi Principes videntur non curare de obligatione imponenda in foro conſcientiæ, ſed ſolum ut tranſgreſſores puniantur, & fraudantes vectigalia amittant merces &c.

Q. III. Unde colligatur, pœnam eſſe latæ, vel ferendæ ſententiæ.

R. I. Pœna latæ ſententiæ ea eſt, quæ poſito delicto, ſtatim incurritur, & irrogatur vi legis. Tunc autem primo intelligitur eſſe latæ ſententiæ, quando Legiſlator utitur verbis modi indicativi, ſeu denotantibus præſens tempus, aut præteritum: Ut quando dicit: *Excommunicamus, ſuſpendimus, noverit ſuſpenſionem*; ſeu ex-

excommunicationem incurriſſe &c. Suar. l. 5. de leg. cap. 6. Eamdem pœnam latæ ſententiæ important ea verba: *ipſo jure, ipſo facto &c. ex tunc, illico ſit excommunicatus &c.* idem demum dicendum, dum Legislator pronunciat ſua authoritate tranſgreſſorem intelligendum eſſe pœna innodatum; ut dum dicitur *authoritate noſtra, virtute præſentium ſit excommunicatus; ſeu noverit ſe eſſe ſuſpenſum, excommunicatum &c.* Ratio horum omnium eſt, quia niſi aliud ſuadeat aliquod jus, ſeu ſubjecta materia, præfatæ omnes expreſſiones ſufficienter indicant Legislaturem velle tranſgreſſores incurrere pœnam abſque eo quod interveniat nova Judicis ſententia, quoad qualitatem ipſius pœnæ, & ita verificatur importare latam, non ferendam ſententiam.

Quod ſi aliquando in jure imponitur irritatio illius, quod *ipſo jure irritum* eſt: *cap. ult. de poſtul. Prælat., & cap. Eccleſia veſtra 48. de elect.*, ſicut & decernitur privari Beneficio illum, qui ipſo jure erat privatus: *cap. 1. & 3. de Cler. conjug.* hoc ita intelligendum eſt, non quod debeat intervenire nova irritatio, aut privatio; ſeu ſolum quod Judex declarare debeat aliquid eſſe irritum, aut aliquem eſſe privatum &c.

R. II. Pœna ferendæ ſententiæ tunc intervenit, quando Legislator non imponit per ſe, & vi ſuæ legis aliquam pœnam, ſed decernit imponendam eſſe tranſgreſſori a Judice. Primo igitur verba futuri temporis important pœnam ferendæ ſententiæ, ut dum dicitur actus eſſe irritandus, aliquis excommunicandus &c. *Gloſſa in cap. cum tu v. privandus de uſuris, & Gloſſa in Clem. Sæpe v. irritandus de v. ſignif.* Et quidem, ſi pœna poſtmodum ſit imponenda, neceſſaria eſt ſententia Judicis quoad ipſam pœnam. Idem dicendum, ſi verba legis deſignent novam ſententiam Judicis, qua aliquis ad pœnam damnetur; ut ſi dicatur; *ſuſpendatur, excommunicatur, privetur beneficio &c.* Item interpretandum eſt legem eſſe ferendæ ſententiæ, quoties, omnibus conſideratis, dubium eſt an ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ. Id ſuadent illa principia juris, quibus dicitur in pœnis benigniorem faciendam eſſe interpretationem; *reg. 49. Jur. in 6. leg. interpretatione 42. ff. de pœnis*, & odia eſſe reſtringenda: *cap. odia de reg. jur. in 6.* Intervenit autem dubium, quando in lege leguntur ea verba: *ſub pœna excommunicationis, ſub pœna privationis Beneficii &c.*

Pariter puto intervenire dubium, an pœna ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ, adeoque dicendum eſſe ex dictis non eſſe latæ ſententiæ, quando Legislator utitur verbis modi imperativi, ut quando dicitur: *incurrat excommunicationem, maneat ſuſpenſus, ſubjaceat interdicto, anathema ſit.* Quamquam igitur multi in contrarium opinentur, nihilominus præfata verba ſolum importare ſententiam ferendam, docet *Gloſſ. fin. cap. 2. de for. compet. Navar. c. 27. Man. n. 12. Sanch. l. 7. de matr. diſp. 12. n. 2. Laym. l. 1. tr. 5. v. 1. cap. 2. n. 3.* At non ſolum intervenit Dubium propter DD. diverſas opiniones, ſed propter ipſam etiam rationem; nam ly *ſit interdictus; anathema ſit*, commode explicari poteſt per verbum *fiat* cum *Gloſſ. fin. cap. ſi quis ex Cleric. de vit., & honeſt. Cleric.* Addendum præſumi poſſe, quod ſi Legislator voluiſſet imponere pœnam latæ ſententiæ, clare id expreſſiſſet dicendo: *ipſo Jure, ipſo facto &c. arg. cap. inter corporalia §. Sed neque de tranſl. Epiſc.*

Non eſt tamen negandum aliquandu prædicta verba imperativi modi importare latam ſententiam, tunc nempe, quando alia adjecta verba, vel jura id declarant. In Canone e.g. *Si quis ſuadente &c. 17. q. 4.* dicitur quod percuſſor Clerici *anathematis vinculo ſubjaceat.* Ibi hæc verba denotant pœnam latæ ſententiæ; nam cum ſtatim ſubjungatur ipſius abſolutionem reſervari Romano Pontifici, hæc adjecta verba deſignant ibi ſermonem eſſe de excommunicatione ſtatim incurrenda, cum non habeat locum abſolutio, dum nondum ſit innodatus excommunicatione. Pariter quando eadem verba pronunciantur in aliquem, qui jam a jure eſt illa pœna innodatus, ſunt certe latæ ſententiæ. Ita dum Tridentinum dicit *anathema ſit* in eos, qui ſentiunt contraria definitionibus Fidei ibidem factis, ſignificat ipſo jure eſſe excommunicatos; omnes enim Hæretici jam a jure fuerant excommunicati: *Can. Achatius, & can. Majores 24. q. 1.*

Q. IV. An lex pœnalis obliget ad pœnam ſubeundam ante Judicis ſententiam?

R. I. Pœnæ Eccleſiaſticæ privatæ ex ſe non requirentes externam actionem, ſeu executionem, ſi ſint latæ ſententiæ, obligant ante Judicis ſententiam. Ita ſe habent Cenſuræ, & Irregularitas, quas incurri ante Judicis ſententiam, non ſolum docet praxis, ſed & ipſi Sacri Canones: *c. non dubium de ſent. excomm. cap. 2. de Cleric. non ordin. miniſtr. c. ſignificaſti de homicid.* Et quidem conveniens erat, ut Eccleſia pro coercendis fidelibus ab aliquibus peccatis etiam occultis, haberet poteſtatem incutiendi pœnas illico infligendas. Idem de impedimentis Matrimonii dicatur, quæ habent locum, etiamſi nullam Judex proferat ſententiam; & ita ex copula quantumvis occulta conſurgit ſtatim impedimentum affinitatis, ſeu criminis &c. Eadem pariter doctrina applicatur omnibus pœnis privativis, quæ impediunt tranſlationem dominii, ſeu juris acquirendi. Hinc *ex c. licet. canon. de elect. in 6.*, tenetur dimittere Beneficium Parochiale, qui intra annum ex culpa non ordinetur Sacerdos.

Hæc omnia tamen, ut notavi, verificantur de præfatis pœnis, quando ſunt latæ, non vero ſi ſint ferendæ ſententiæ; nam tunc lex non intendit obligare ad pœnam ſtatim ſubeundam. Ita lex volens aliquem eſſe excommunicandum, ſi aliquod crimen committat, non intendit ut ſtatim poſt ipſum patratum ſe gerat, ut excommunicatum, ſed quod a Judice ſit excommunicandus; uſque dum igitur non excommunicetur, exercere poterit omnes actus ſui Officii, & Beneficii.

R. II. Pœnæ, quæ requirunt externam executionem, ut dum quis expoliare ſe deberet ſuis bonis, dominio, Beneficio, aut Officio, etiamſi ſint latæ ſententiæ, non habent locum, niſi poſt ſententiam declaratoriam ſuper admiſſu crimine. Ego quidem non nego potuiſſe Legislatorem obligare reum ad exequendam contra ſe pœnam moderatam, etiam ante talem ſententiam; nam ſemper cum eſſet moderata, non dici poſſet naturæ humanæ non accomodata; ac proinde lex cum juſta, & poſſibilis eſſet, ut ſi obligaret ad levem mulctam pecuniæ, ad pœnam levem afflictivam, obligare etiam poſſet in conſcientia. Secus ſi imperaret, ut, quis exequeretur contra ſe pœnam gravem: *Navar. cap. 23. n. 3. & c. 25. n. 117. Palaus d. 2. p. 1. n. 4.*

Nihilominus; cum conſuetudo ex utroque jure ſit optima legum Interpres: *cap. cum dilectus de conſuet., & leg. ſi de Interpret. ff. de leg.*, eaque ferat neminem exequi pœnam contra ſeipſum, quantumvis levem, niſi ſaltem accedat ſententia declaratoria, Judicis ſuper crimine admiſſo, hinc eſt communiter, & ſine limitatione DD. docere, pœnam non habere locum, niſi poſt talem ſententiam: *Sanch. l. 2. in Decalog. cap. 26. num. 7. Laym. l. 1. tr. 4. c. 15. num. 6. Menoch. de Arbitr. Judic. caſ. 416. n. 62.* Deſumitur etiam ex *cap. cum ſecundum 19. de Hæret. in 6.*, ubi non ſolum non obligantur Hæretici ad conſignanda Fiſco ſua bona, quamvis ſtatim a commiſſo crimine, ipſo jure incurrant pœnam confiſcationis bonorum, ſed etiam prohibentur occupari, uſque dum Judex declaret tale crimen fuiſſe commiſſum. Idem ergo dicendum in aliis caſibus, cum de ſimilibus idem judicium habendum ſit: *cap. inter corporalia de tranſlat. Epiſc.* Poſtquam vero intervenit ſententia declaratoria, hæc retrotrahitur ad tempus commiſſi criminis, quia pœna ipſo jure impoſita erat; ita, rum ab eo tempore pœna debeatur, ſi pœna erat confiſcationis bonorum, conſignanda ſunt Fiſco omnia bona, quæ tunc extabant. Verum tamen eſt judicem non ſolum declarare commiſſum fuiſſe crimen, quod a lege hac, vel illa pœna punitur, ſed etiam curare executionem, nam duriſſimum eſſet, quod quis e.g. nemine exigente, deberet ſe ſuis bonis expoliare: *Sanch. l. 2. in Decalog. c. 22. n. 8., & 33., & cap. 26. n. 7.* Et quod talis executio debeat intervenire, innuitur etiam *c. cum ſecundum de hæret. in 6.*

Multi limitant præfatam doctrinam, ita ut non habeat locum, quando lex non ſolum imponit pœnam ipſo facto incurrendam, ſed inſuper vult eſſe incurrendam, *alia etiam declaratione non ſequuta.* Verum non deſunt, qui in contrarium opinentur, obſervando ea verba *abſque alia declaratione*, & ſignificare poſſe abſque alia declaratione & executione de commiſſo crimine: vel abſque alia declaratione pœnæ, ita ut Legislator ea appoſuerit ad magis declarandum ſe velle pœnam *ipſo facto, & ipſo jure* eſſe incurrendam; ac proinde non eſſe in arbitrio judicis circa pœnam judicare. Cum autem ſimus in odioſis, & in iis benignior interpretatio facienda ſit, ut ſupra dictum eſt, videntur ea verba *abſque alia declaratione.* non excludere declarationem commiſſi criminis, ut detur obligatio ad pœnam ſubeundam, ſed ſolummodo novam declarationem pœnæ: *Palaus diſp. 2. p. 2. n. 8. Salmant. de leg. cap. 2. num. 64*

Ne-

Digitized by Google

Neque huic doctrinæ obſtat Alexandrum VII. ſub n. 20. hanc damnaſſe propoſitionem: *Reſtitutio impoſita a Pio V. Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit pœna.* Contra etenim primo eſt, quod Legislator, niſi pœna ſit valde acerba, ut dixi ſupra, velle poteſt ipſo facto eſſe incurrendam etiam ante ſententiam declaratoriam criminis. Ita autem voluiſſe Concilium Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. & S. Pium in ſua Conſtitutione, aperte convincitur, quia dixerunt poſt omiſſam recitationem, fructus injuſte detineri, ac proinde ante quamcumque ſententiam reſtituendum, quod injuſte retinetur. Contra ſecundo, quia bene poteſt dici legem iſtam non eſſe pœnalem; ſed conditionalem, ita ut velit Beneficiarium non acquirere fructus, ſi Horas non recitet. Ad eum modum, quo legatum relictum mulieri, *ſi caſte vivat*, eſt ab illa hæredibus reſtituendum, ſi non adimpleat hanc conditionem, dependenter enim ab ea Legataria fuit inſtituta: *Molin. de Juſt. diſp. 96. Sanch. l. 7. de Matrim. d. 91. num. 2. &c.*

Q. V. An poſt Judicis ſententiam Transgreſſor legis teneatur in conſcientia pœnam ſubire.

R. Reus poſt latam ſententiam juſtam tenetur non reſiſtere Judici, ſive Miniſtris Juſtitiæ, eo enim ipſo, quod Judex juſte exigat ab ipſo pœnam, ipſe tenetur ſe ſubdere, utpote quia punitus a legitima poteſtate: *S. Th. 2. 2. q. 69. a. 4. ad* 2. Debet etiam, mandante Judice, in ſe exequi pœnam moderatam & leviorem, ut quod pergat ad carcerem, pecuniam ſolvat &c. nam hæc omnia poteſt facile præſtare, nec mandatum, ſeu ſententia eſſet contra conditionem naturę humanę. Cęterum, ex dictis, non poteſt Judex mandare Reo, ut in ſe exequatur pœnas acerbiores. Quod ſi imperaret, ut in ſe exequeretur pœnam mutilationis, aut mortis, non ſolum non teneretur, ſed nec poſſet obedire; cum etenim nemo dominus ſit ſuæ vitæ, ſuorumque membrorum, non poteſt directe concurrere ad ſe mutilandum, occidendum &c. An vero Reus poſſit fugere e carcere; an poſſint alii illi opitulari, ut fugiat; an Judex debeat ſententiam pronunciare juxta leges, dicam in explicatione octavi decalogi Præcepti.

Regula in praxi obſervanda.

I. Quanquam lex, cui adjecta ſit pœna, ſit etiam clariſſime præceptiva, ego, ſalvo ſemper meliori judicio, ſuaderem Confeſſario, non facile judicandum aliquem peccati reum, præciſe ex ipſius tranſgreſſione, quando lex ſit pure civilis. Opinor ut plurimum Principes ſæculares non curare de obligandis ſubditis quoad culpam coram Deo, ſed ſolum de inducenda externa politia, & publica tranquillitate. Item credo conſuetudinem eſſe penes Populum conſiderare eaſdem leges, non veluti inducentes obligationem in foro animæ, ſed ſolum externe obligantes ad earum executionem, maxime ſi præcepto pœna adjecta ſit. Adhærerem proinde illis Theologis, qui dicunt raras eſſe leges civiles, quæ *per ſe* obligent in conſcientia.

Dixi *per ſe*, nam Confeſſarius debet obſervare ex alio capite multoties ipſarum tranſgreſſioni adjunctum eſſe peccatum. Id conſtat ex legibus civilibus, juſte taxantibus pretium; nam cum tunc ex Juſtitia ſolvendum ſit, tranſgredi non poſſunt ſine peccato. Quid dicendum de legibus civilibus, præſcribentibus aliqua obſervanda circa contractus ſub hac, vel illa pœna, dicam ſuo loco. Conſtat etiam intervenire peccatum, dum tranſgreſſio legis evenire non poſſet ſine gravi infamia redundante in familiam, vel ſine gravi jactura bonorum, unde eadem familia grave damnum pateretur, vel ſi adeſſet periculum, ut quis ad gravem pœnam condemnaretur, nam tunc ſaltem peccaret contra Charitatem, erga ſeipſum. Dum hæc, & ſimilia adnexa ſint legi ſive præceptivæ, ſive etiam mere pœnali, conſtat non poſſe tranſgredi ſine peccato.

II. Obſervet Confeſſarius ex ea doctrina legem privantem ipſo facto aliquem re jam acquiſita, non habere locum, niſi poſt ſententiam declarativam commiſſi criminis, & poſtquam Judex inſtat pro executione, poſſe aliquando mederi conſcientiæ ſui pœnitentis, quam re aliquando plures vidi erraſſe. Demus e. g. aliquem, vel propter excommunicationem, in quam fuit ejectus, vel propter aliud crimen expoliari a lege ipſo facto, Beneficio jam obtento. Poterit huic Confeſſarius dicere, quod obtenta abſolutione pro foro conſcientiæ quoad peccatum commiſſum, ac cenſuram, acquieſcat uſque dum Judex declaret ab eo tale crimen fuiſſe commiſſum. Interim autem ejus acta erunt valida, ſaltem propter errorem communem, & titulum coloratum. Ex hoc inferat quomodo ſe gerere debeat in aliis ſimilibus caſibus. Hæc autem doctrina non haberet locum, ſi lex declararet pœnam ab ea impoſitam ſubeundam eſſe in foro conſcientiæ, etiam ante ſententiam declarativam ſuper commiſſo crimine, vel rem acquiſitam non poſſe in conſcientia, ſeu ſine diſpendio animæ retineri, ut dicam infra agendó de lege irritante, quæſito tertio.

CAPUT III.

De Legibus fundatis in præſumptione, & fictione juris, earumque obligatione.

Q. I. Quid ſit lex in præſumptione fundata, & quotuplex.

R. I. Tum lex dicitur in præſumptione fundata, quando cum non habeantur ſufficientes probationes ad demonſtrandam veritatem, eadem lex ex rationabilibus argumentis, & indiciis, aliquid factum cenſet, ſeu præſumit; adeoque ex eadem præſumptione, maxime ſi ſit violenta, vult pronunciandam eſſe ſententiam definitivam: *cap. 1. & 2. &c. de præſumpt.*

R. II. Duplex eſt præſumptio, ut etiam innuit *S. Tomas 2. 2. q. 60. a. 4. ad* 3. Prima dicitur *præſumptio præſuppoſitionis*, ſive *præſumptio periculi* ſive *præſumptio juris*. Hæc intervenit, quando Legislator non præſumit in quocumque facto damnum, fraudem, aut dolum, ſed prudenter judicat frequentiſſime in ſimilibus caſibus accidere; & proinde movetur ad ferendam legem prohibentem omnes ſimiles caſus, vel in iis detur fraus, & damnum, vel non detur: quia ſemper prudenter in illis poteſt dari periculum fraudis, ex quo movetur ad ferendam legem. Exemplum hujus pręſumptionis habemus ex Tridentino, irritante matrimonia clandeſtina, quæ ſemper invalida ſunt, quamvis in aliquo nulla interveniret fraus &c.; nam Concilium ideo talem legem ſancivit, non quia crederet in unoquoque tali matrimonio fraudem intervenire; ſed quia de ſua natura in talibus matrimoniis ſemper adeſt periculum fraudis &c.

Altera pręſumptio dicitur *definitionis, ſeu facti*; dum ſcilicet Legislator legem aliquam promulgat, quia in hoc vel in illo caſu, ſive in generali, ſive in particulari, ſupponit fraudem, & dolum &c. adeſſe, & hæc eſt ſtricta, & rigoroſa præſumptio.

Q. I. Quomodo obliget lex fundata in præſumptione.

R. I. Lex fundata in præſumptione periculi, ſive juris obligat in conſcientia, etiamſi in aliquo particulari facto non interveniat fraus, vel dolus. Ratio conſtat ex dictis, cum talis lex non intendat obligare, quatenus ſupponat in hoc, vel illo caſu ſemper intervenire fraudem &c.; ſed quia in talibus, quos prohibet, ſupponit ex ipſorum natura periculum fraudis &c. adeſſe: unde ſemper cum caſus ſint naturæ a lege expreſſæ, ſub ipſa lege comprehenduntur, quamvis in ipſis fraus non interveniat: *Suar. de leg. l. 3. cap. 23. n. 3. Palaus d. 1. p. 14. n. 13.* Conſtat etiam veritas hujus reſponſionis ex iis, quæ paulo ante dixi de lege Tridentini, irritante matrimonia clandeſtina. Idem communiter dicunt Theologi, uno, aut altero reſtagante de Conſtitutione Gregorii XV. contra Confeſſarios ſollicitantes; nam quamvis conſtaret aliquem ſollicitaſſe ex paſſione, non quia male ſentiret de Fide, adhuc obnoxius eſſet pœnis illius Conſtitutionis; quia non fundatur in præſumptione facti, quatenus ſemper ſupponat ſollicitationem derivare, quia aliquis male ſentiat de Fide, ſed in præſumptione periculi male ſentiendi de Fide. Et ita de facto, etiamſi Confeſſarius ſollicitans probaret non ſollicitaſſe, quia male ſentiret de Fide, adhuc ab Inquiſitione puniretur: *Dian. p. p. tr. 4. reſol.* 10.

R. II. Lex fundata in præſumptione facti non obligat in foro conſcientiæ, ſi factum non ſubſiſtat; quamvis contrarium docere videatur Fagnanus *in cap. ſi quis n. 69. & 70. de Regul.* Ratio reſponſionis eſt, quia mens Legislatoris debet eſſe, veritatem præferendam eſſe præſumptioni, ita enim expoſcit recta ratio: *cau. veritatem diſt.* 8. adeoque præſumptionem veritati cedere debere: *leg. imperatores ff. de probat.* Hinc praxis etiam fori externi eſt dare reo locum, ut probet veritatem contra præſumptionem facti, qua probata, ceſſat omnino lex in præſumptione fundata. Ex dictis corruit contrarium fundamentum, nempe leges legitime publicatas, in conſcientia obligare, ſemper cum ex falſa præſumptione non obli-

garent ad aliquid illicitum, ut interveniebat in caſo relato, *cap. Literas de reſt. ſpoliat*, & *cap. Inquiſitioni de ſent. excomm.* ubi ex defectu probationis nullitatis matrimonii, cogebatur Conjux, conſcius talis nullitatis, reddare debitum alteri petenti, Corruit, inquam, fundamentum contrariæ ſententiæ, etiam in caſu, quo lex in falſa præſumptione fundata non obligaret ad illicitum; nam cum ipſæ leges velint præſumptionem cedere veritati, non adeſt ratio credendi obligare etiam in caſu, quo non ſubſiſtat factum, in quo fundantur: *Suarez*, & *Palaus cit. Sanch, l. 1. in Decalog. cap.* 10. *n.* 11. *Laym. l. 1. tr. 4. cap. 17. n. 17.*

Non per hoc tamen nego, quod dum aliunde conſtare non poteſt de veritate, non debeat Judex in foro externo ferre ſententiam juxta Legum præſumptiones, cum præſumptio habeat vim probationis, ut conſtat *ex tot. tit. de præſumpt.* immo habeat vim veritatis, ut probat *Menoch. de præſumpt. l. 5. præſumpt.* 41. *n.* 17.

Q. III. Unde dignoſcendum, leges fundatas eſſe in præſumptione periculi, aut facti.

R. Dicunt aliqui id eſſe dignoſcendum ex materia, de verbis legis, vel ex uſu, & interpretatione DD. *Suar. de leg. lib. 3. cap. 23. numer.* 10. At id non ſufficienter ſatisfacit quæſito in caſu, quo ex verbis legis, ſeu communis interpretationis, non clare conſtet de intelligentia ipſius legis. Si etenim ad Theologos, & Canoniſtas recurramus, tam frequens eſt in his ipſorum diſcordia, ut ex ipſis facile ſit judicare, quomodo judicandum ſit de talibus legibus. Ego proinde potius reſponderem ex illo generali principio, quod odia ſunt reſtringenda, adeoque non adſtruendam eſſe obligationem, dum ſatis de illa non conſtat. Cum igitur leges in præſumptione fundatæ tendant vel ad pœnam aliquam imponendam, vel ad reſtringendam noſtram poteſtatem; ſi aliter de mente Legiſlatoris non conſtet, ſemper reſtrigendas crederem, & interpretandas de ſtricta præſumptione facti, adeoque, ſemper cum ipſum non ſubſiſtat, non habere locum, vel pœnam inductam a lege, vel limitationem poteſtatis ad aliquid agendum.

Q. IV. Quid ſit lex fundata in fictione juris, & quam inducat obligationem.

R. I. Lex fundata in fictione juris, eſt lex aliquid diſponens adverſus veritatem in re poſſibili, & ex juſta cauſa. Ita ex Menochio *l. 1. de præſumpt.* 48. *n.* 7. Cum igitur natura fictionis ſit, ut fingatur quod revera non eſt, ideo dicitur, quod lex fundata in tali fictione aliquid diſponit adverſus veritatem, unde hic non habet locum, quod dicitur de lega fundata in præſumptione, quod nempe cedat veritati. Hæc autem fictio eſt de re de ſua natura *poſſibili*, non tantum de facto, ſed etiam de jure, utpote quia inducitur, quia ita expoſcit æquitas naturalis, & juſta cauſa. Plura exempla hujus fictionis habentur in jure, ubi Monachus e. g. habetur pro mortuo civiliter: *can. placuit communi* 16. *q.* 1. *junct. Gloſſ.* Canonici abſentes ab Eccleſia, vel cauſa infirmitatis, vel ob illius evidentem utilitatem, habentur pro præſentibus, & diſtributiones percipiunt: *Cap. un. de Cler. non reſid. in* 5. Filii illegitimi per ſubſequens matrimonium legitimantur; nam per juris fictionem retrotrahitur ad tempus conceptionis: *Cap. tanta qui filii ſint legit.*, & *§. fin. Inſt. de nupt.*

R. II. Leges fundatæ in fictione juris obligant in conſcientia. Ita docet communis ſententia; cum etenim earum diſpoſitio fundetur ſemper in naturali æquitate, non poſſunt non eſſe juſtæ, adeoque inducentes obligationem.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Advertat Confeſſarius multas dari leges in præſumptione fundatas, ut animadvertet maxime ſtudendo de contractibus; ubi ex præſumptione fraudis, doli &c. multa annullantur geſta a Filiisfamilias; a Minoribus; multa ita exiguntur pro validitate aliquorum contractuum, & maxime Teſtamenti. Cum autem hujuſmodi leges ſoleant eſſe ſtrictæ interpretationis, non facile quæ fiunt contra tales leges, nulla declaret, quoties abfuit fraus &c. Bene nihilominus conſideret, an conveniant DD. eas leges fundari in præſumptione ſolius periculi; nam tunc, etiam non interveniente fraude, obligarent.

CAPUT IV.

De Lege Irritante, ejuſque obligatione.

Q. I. An lex poſſit irritare contractus, & quot modis id fieri poſſit.

R. I. Poteſt Legiſlator ob bonum commune Reipublicæ irritare id, quod alias ex ſe eſſet validum: nam cum ſupponatur habere plenam poteſtatem ad rite regendam Rempublicam, neceſſarium quoque erat illi ineſſe poteſtatem ad irritandos actus, alias ex natura ſua validos, quoties id expoſceret bonum publicum. Plura hujus rei exempla habemus in utroque jure; ut quando vult aliquos contractus, & teſtamenta eſſe nulla, ſi in eorum celebratione non interveniant quædam præſcriptæ ſolemnitates. Ita etiam Tridentinum nullum voluit eſſe matrimonium celebratum ſine Parocho, & teſtibus. Alia exampla videre eſt *Cap. qui propter* 42. *§. Aliter de elect. cap. debet* 8. *de conſang.* & *affin.*, *leg. non dubium C. de leg.*

R. II. Irritatio alia eſt explicita, alia implicita. Prima intervenit, quando lex verbis claris dicit aliquem actum irritare. Implicita vero datur, quando actus irritatur per verba æquipollentia; & ita quando lex aliquid præſcribit ſervandum, veluti formam actus, ſive contractus, intelligit implicite irritare actum, ſi non ſervetur; neque enim ſtat actus ſine forma, cum det eſſe rei; *Cap. cum dilecta* 22. *de reſcript.*, *cap. examinata de confirm. utili.* Idem dicendum, ſi lex aliquem inabilitet ad agendum, vel contrahendum, nam tunc implicite intelligitur irritare ejus geſta; uti patet *ex Trident. ſeſſ. 24. de reform. matr.* inhabilitante ad matrimonium clandeſtine contrahendum.

R. III. Alia eſt lex ipſo jure irritans actum, alia, quæ vult irritandum per Judicis ſententiam. Tunc intelligitur ipſo jure irritare actum, quando lex ipſum per ſe irritat, non expectata Judicis ſententia. Tunc vero actus non intelligitur pro jure irritus, ſed irritandus, quando non irritatur a lege per ſe ipſam, ſed vult eſſe irritandum per ſententiam Judicis.

Q. II. Quando judicandum ſit legem ipſo facto actus irritare, vel expectandam eſſe Judicis ſententiam.

R. I. Lex dicitur primo ipſo facto irritare, quando, ut mox dixi, utitur verbis, quibus demonſtret a ſe ipſa, alia ſententia non expectata, actus annullare, irritare &c. at quando continet hęc, & ſimilia verba. *Actus aliter factus ſit nullus, nullas vires habeat, ſit inanis, habeatur pro infecto &c.* Non erit vero ipſo facto irritus, ſed a Judice irritandus, ſi dicatur: *Si actus hoc modo fiat, irritetur, annulletur, caſſetur &c.*

R. II. Eo quod lex aliquid prohibeat, non proinde ex hoc intelligitur irritare, ſicut nec ex eo, quod irritet, ſemper prohibet. Cum igitur ſit quid diverſum, & ſeparabile prohibere, & irritare, bene poteſt ſtare unum ſine altero. Ita prohibetur matrimonium factum ſine denunciationibus, aut contra interdictum Eccleſię, nec tamen aſt nullum, ſi contrahatur. Hinc *cap. ad audientiam de Regul.* dicitur: *Multa fieri prohibentur, quæ ſi fuerint facta, obtinent firmitatem.* Neque nis obſtat Regula 64. Juris in 6. in qua dicitur; *Quæ contra jus fiunt, debeant utique pro infectis haberi.* Huic concordat *lex non dubium C. de leg.*, *lex jubemus* 2. *C. de Sacroſ. Eccl.*, & *can. Imperiali* 25. *q.* 2. Non, inquam, hæc obſtant; nam ad concordanda jura dicendum aſt prohibita a lege, habenda eſſe a Judice pro infectis, adeoque ab ipſo eſſe per ſententiam reſcindenda, juxta *can. vides diſt.* 10. ubi dicitur: *Quidquid contra leges accipitur, per leges diſſolvi meretur.* Et conſentiunt multi DD. apud Boſſium *l. 3. var. mor. tit. 3. n.* 91.

Dixi etiam non ſemper legem irritantem prohibere, cum etenim ſint diverſa, poſſunt ad invicem ſeparari. Ita lex irritat teſtamentum factum ſine certis ſolemnitatibus, nec tamen prohibet; ſicuti etiam irritat matrimonium, & profeſſionem ex gravi metu factam, nec tamen prohibet, ſi interveniat gravis metus: *Suar. l. 5. de leg. cap. 20. n. 8. Palaus tr. 3. diſp. 2. p. 21. nu* 1. Secus eſſet, dum non ſolum irritaret, ſed etiam prohiberet, quod non ſolum dignoſcitur ex verbis legis, ſed etiam ex ipſa materia; maxime ſi actus, qui irritatur, etiam prohibeatur a lege naturali; nam tunc judicandum eſt etiam a lege poſitiva non ſolum irritari, ſed etiam prohiberi. Exemplum ſit in legibus irritantibus matrimonia clandeſtina, vel cum impedimento dirimente inita, profeſſionem religioſam, ac quaſdam electiones ad Beneficia;

Google

ficia, hæc etenim cum lex naturalis vetet invalide fie-ri propter reverentiam debitam rebus ſacris, cenſendum etiam eſt a lege poſitiva non ſolum irritari, ſed pro-hiberi. Idem dicatur de rebus pertinentibus ad mate-riam Juſtitiæ, nam lex naturalis prohibet circa illam actus invalidos exercere. *Suar. & Palaus cit.*

R. III. Si lex aſſignet aliquam formam pro actu, ea ommiſſa, ipſo jure eſt irritus; nam res ubique ſua for-ma non ſubſiſtit. Id autem intelligitur de forma ſub-ſtantiali, quæ talis reputatur, ſi lex abſolute dicat hanc, vel illam ſolemnitatem habendam eſſe pro for-ma; ſi dicat actum ſine tali ſolemnitate factum eſſe *nullum, nullius valoris, irritum &c.* Pariter reputatur habere rationem formæ ſubſtantialis illa conditio, aut ſolemnitas, ſub qua, non habenti facultatem ad actum, conceditur eadem facultas, nam intelligitur conceſſa ſub ea tantum conditione, vel ſolemnitate, & non aliter. Idem dicendum ſi lex alias habenti facultatem ad a-ctum, ab eo auferat poteſtatem, niſi ſub hac, vel illa ſolemnitate præſtet; tunc etenim non remanet facul-tas ad actum, ſi præſcripta ſolemnitas non adhibeatur.

Aliæ vero ſolemnitates habentur pro forma acciden-tali, ſine quibus actus exiſtit, & non eſt ipſo jure irritus. Hujuſmodi ſunt leges aſſignantes tale tempus, vel locum ad præſtandum actum. Reputatur pariter forma accidentalis, ſolemnitas, quæ præſcribitur ha-benti poteſtatem ad actum, ſi etenim poteſtas clare non limitetur, ſolemnitas cenſetur præſcribi ut actus rectius fiat. Univerſaliter etiam in quocumque caſu conditio reputatur accidentalis, quando ut talis in jure habetur; nam non cenſetur aſſignari, niſi ut eſt in jure. Ita ſolemnitas, ſeu conditio, qua in jure præci-pitur non eſſe celebrandum matrimonium ſine procla-mationibus, accidentalis reputatur, quia ita reputatur a Jure; idemque dicendum de ſolemnitatibus aſſignatis a jure pro ferendis cenſuris: *cap. medicinalis de ſent. ex-comm. in 6.* Hine in Tractatu de Cenſuris dicitur vale-re abſolutionem a Cenſuris, etiamſi detur *non ſatisfacta parte*; nam quamvis concedatur facultas abſolvendi ſub ea conditione, illa tamen a jure reputatur accidentalis. Demum, univerſaliter loquendo, quando dubitatur an forma ſit ſubſtantialis, vel accidentalis, judicandum eſt eſſe accidentalem, nam irritatio, utpote odioſa, ſtricte eſt interpretanda, adeoque nec inducenda, ſi cla-re de eadem non conſtet. Videantur. *Suar. l. 5. de leg. c. 25 n. 10., cap. 28. n. 17. cap. 21. n. 6. & 32. Palaus tr. 3. diſp. 2. p. 9. n. 2. &c. Sanch. l. 5. Decalog. p. 4. n. 26.*

R. IV. Si irritatio legis antecedat actum, vel ipſum comitetur, tunc, ſi non eſt pœnalis, intelligitur ipſo jure irritare actum; nam tunc cum non reſpiciat niſi bonum publicum, vel favorem privatum alicujus gene-ris Perſonarum, non eſt mens Legiſlatoris, expectan-dam eſſe Judicis ſententiam ad inducendam irritationem, quam ſua lege vult actum præire, vel comitari. Id conſtat in matrimonio clandeſtino, in profeſſione reli-gioſa &c. Nec obſtat irritationem eſſe odioſam, utpo-te quæ limitat humanam poteſtatem; nam qua parte promovet bonum commune, & favorem certi generis Perſonarum, poteſt interpretari, mentem eſſe Legiſla-toris ſtatim producere ſuum effectum.

Si vero lex irritans præſupponat actum jam factum ut ſi irritetur a lege venditio jam facta, dum poſtea non ſolvatur gabella, tunc ad irritationem actus expe-ctanda eſt ſententia Judicis: cum etenim ſupponatur actus jam factus, & ſubſiſtens, irritatio cenſetur adie-cta ut pœna non ſervatæ conditionis volitæ per legem, ad pœnam autem expectatur Judicis ſententia; *cap. Si religioſus de elect. in 6. Palaus tr. 3. diſp. 2. p. 10. n. 2. &c. Sanch. de Matr. l. 3. d. 4. n. 9.* Hac ratione expectatur Judicis ſententia, etiamſi lex irritans antecedat actum, vel ipſum comitetur, ſi ſit pœnalis. Solum limitatur in matrimonio, quando illud irritat lex in odium, & pœnam alicujus criminis commiſſi, ut quando illud irritat propter uxoricidium, ut ſuo loco explicabitur; propter adulterium una cum promiſſione futuri matri-monii: nam ſi pœna irritationis non haberet ſtatim ſuum effectum, non poſſet habere poſtea; matrimonium enim valide contractum non poſſet per ſententiam Judicis ir-ritari: *Suar. de leg. l. 5 c. 32. n. 5.*

Q. III. An dum lex ipſo facto irritat contractus, e-lectiones &c. ante ſententiam Judicis, attendenda ſit etiam in foro Conſcientiæ.

R. Si non conſtet Legiſlatorem pleniſſime irritare a-ctum, in foro conſcientiæ non eſt obligatio attendendi præfatas leges ante ſententiam Judicis. Ratio mihi eſt, quia, dum verſamur in dubio rationabili de aliqua ob-ligatione, hæc eſt excludenda, ſaltem pro ea parte, pro qua de ea dubitatur, ex ea regula quod *in obſcu-ris minimum eſt ſequendum*, ut habet *reg. 30. Jur. in 6. & lex ſemper in obſcuris ff. de reg. Jur.* Modo autem obſervo, quod alia eſt obligatio naturalis reſultans ex libero contrahentium conſenſu, præſtito in materia li-cita ſine dolo, & fallacia, alia civilis reſultans ex eo quod ſerventur conditiones, & ſolemnitates a lege po-ſitiva præſcriptæ. Cum igitur hæ obligationes ſint ſe-parabiles, ſi aliunde non ſatis conſtet Legiſlatorem vo-luiſſe irritare actum, etiam pro foro conſcientiæ, di-cendum eſt pro hoc foro non irritaſſe, cum in dubio minimum ſit ſequendum. Non ſatis autem, ordinarie loquendo, conſtat de irritatione volita etiam pro foro conſcientiæ, tum quia cum hæ leges ſint odioſæ, ex-poſcit ipſarum natura, ut reſtringantur, adeoque pu-tandum, non eſſe mentem Legiſlatoris velle obligare pro illo foro ante Judicis ſententiam. Tum quia cum Legiſlator potuerit ſe explicare de irritando ipſo facto actum etiam pro foro conſcientiæ, & non fecerit, po-teſt rationabiliter præſumi non voluiſſe inquietare con-ſcientias, niſi accedente Judicis ſententia. Tum quia Legiſlator bene poteſt obtinere ſuum finem, promo-vendi ſcilicet bonum publicum, ſi removere ipſo fa-cto intenderit civilem obligationem. Tum denique quia uſu receptum videtur, quod iſtæ leges ſolum vi-geant, quatenus ipſo jure ſolum removent obligatio-nem civilem, relicta naturali, donec per ſententiam Judicis elidatur. Ex his, aliiſque rationibus, cum ma-gna lis ſit etiam apud Authores, an iſtæ leges ipſo facto irritantes contractus, electiones &c. obligent an-te ſententiam pro foro animæ, ut videre eſt apud Boſ-ſium *var. mor. p. 3. tot. tit. 3. & 3* etiam ex extrin-ſeca authoritate remanet dubia obligatio pro tali foro, & conſequenter ex ſupra ſtabilita regula utriuſque juris, in tali dubio non eſt admittenda.

Exemplum pleniſſimæ irritationis in utroque foro ha-bemus *cap. Matthæus de Simon. juncta Extrav. Cum de-teſtabili eod. titul.*: nam ibi declaratur electiones, po-ſtulationes, in quibus intervenit labes ſimoniaca, o-mnino carere viribus, ex eis jus nullum acquiri, & fructus perceptos ſub animæ periculo eſſe reſtituendos. Cum igitur talis electio non ſolum carere viribus dica-tur, ſed etiam electos in conſcientia non poſſe retine-re fructus ſub animæ periculo, ſignum eſt Legiſlato-rem velle, neque etiam in foro conſcientiæ validam eſſe talem electionem. Immo ſemper cum Legiſlator di-cit aliquem actum eſſe irritum, vel nullum in con-ſcientia, non poteſt acquiſitum ſine animæ diſpendio retineri; videtur enim clare mens ejus eſſe, ut ſtatim actus nullus cenſeatur, vel dimittatur acquiſitum etiam ante ſententiam criminis declaratoriam.

Interim hic advertendum, quod, ut alias etiam in-nui, ſi lex ipſo jure, ſeu facto aliquid irritet, & de-inde accedat ſententia Judicis ſuper ipſius pleniſſima in-validitate, fictione juris retrotrahitur, ita ut cenſeatur eſſe, ac ſi ſemper fuiſſet invalidum. Hinc ſi ex vi actus a jure irritati fructus aliqui fuerunt percepti, o-mnes ſunt reſtituendi, ut etiam in ſimili capite ſupe-riori, adnotavi. Si vero actus non ſit ipſo facto irri-tus, ſed a Judice irritandus; fructus non ſunt reſtituen-di, niſi a tempore latæ ſententiæ; ante illam etenim actus validus erat, & naturaliter, & civiliter.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Plurima adinveniet Confeſſarius, ſi bene ſcire cu-ret, quæ lex velit ipſo jure, ſeu facto irrita. Major pars occurrit in materia de Juſtitia, ubi agitur de ludis; de mutuo dato Filio Familias; de contractibus celebratis cum pupillo; de teſtamento minus ſollemni &c. Plura etiam adinveniet ipſo facto irrita a lege Eccleſiaſtica; ut eſt electio Excommunicati: *cap. Paſtoralis de Cler. excomm. miniſt.*, & electio facta ab excommunicatis, vel ſuſpenſis; *cap. cum dilectus de conſuet. & cap. cum inter de elect.* In his omnibus Confeſſarius ante ſenten-tiam Judicis non inquietet ſuum Pœnitentem, nam ex dictis ſatis tuta eſt ſententia, quæ docet tales leges an-te ſententiam Judicis non habere locum niſi pro foro externo, ſi ut circa finem capitis præcedentis adnota-vi, ex verbis legis clare aliud non colligatur.

CA-

CAPUT V.

De Lege dubia, ejuſque obligatione.

Q. I. AN detur obligatio ſervandi legem, quando dubium eſt an ſit lata.

R. I. Si adhibita ſufficienti diligentia, adhuc dubium remaneat an extet lex, tunc nullam vim habet obligandi. Probatur quia, ut alias dixi, agendo de Conſcientia dubia, illud principium *quod ſit in dubio melior conditio poſſidentis*, poteſt extendi ultra materiam Juſtitiæ ad omnes alias materias, cum ratio dictet neminem privandum eſſe libertate, quam certo poſſidet, propter incertam obligationem; ut evenit, quando non conſtat dari legem. Eadem doctrina extenditur ad caſum, in quo dubitatur, an hæc res, vel hæc; aut illa Perſona comprehendatur ſub lege, quia tunc idem eſt ac dubitare, ſi extet lex quoad hanc, vel illam rem, & quoad hanc, vel illam perſonam; *Sanch. in Sum. l. 1. cap. 10. num. 32. Pal. tom. 1. tr. 1. d. 3. p. 7. num. 1.* Hoc pariter dicendum, ſi rationabiliter dubitetur de poteſtate Legislatoris, quia e. g. eſt dubium prudens, an rite fuerit electus; idem enim eſt dubitare de Poteſtate Legislatoris, ac de exiſtentia legis; cum certo de ea conſtare non poſſit, niſi certo conſtet extitiſſe in Legislatore poteſtatem eam ferendi. Non deſunt tamen, qui limitent hanc doctrinam, in caſu, quo Legislator, de cujus poteſtate dubitatur, ſit in pacifica poſſeſſione ſuæ poteſtatis, quod tamen mihi ſatis non probatur: cum etenim Subditus ante ipſum Legislatorem certo poſſideat libertatem contra quamcumque novam obligationem, non video quomodo ea expoliandus ſit ratione pacificæ poſſeſſionis, ea etenim ex ſe non reddit certam ipſius poteſtatem, quoties de illa rationabiliter dubitetur. *Dian. 4. p. tr. 3. reſol. 8.*

Q. II. An ſtandum ſit pro obligatione legis, ſi conſtet legem eſſe latam, & ſolum dubium ſit, an propter diverſas circumſtantias obliget.

R. Dum conſtat legem eſſe latam a legitima poteſtate, jam præſumendum eſt Legislatorem juſtitiam talis legis examinaſſe, cum ergo conſtet de legitima poteſtate, & præſumptio ſit legem eſſe juſtam, niſi aliud certo probetur, nemo poteſt ſe eximere ab ea obſervanda, ex eo quod videatur ſibi habere aliquam rationem, non tamen moraliter certam, qua dubitet an lex obliget: *Sanch. in Sum. l. 1. c. 10. num. 34. Palaus tom. 1. tr. 1. d. 3. p. 7. n. 6.* Quæcumque ergo ſit ratio ſubditi vel ad probandum legem eſſe injuſtam, vel ex alio quocumque capite non obligare, ſemper cum non excedat lineam puræ probabilitatis, non elidit vim obligandi, quam habet lex, cum præſumptio ſemper militet pro juſtitia ejuſdem.

Advertere tamen oportet, an ex obſervantia legis, de cujus vi obligandi dubitatur, conſurgat aliud dubium infrigendi jus fortius. Dubito e. g. an hinc & nunc Superior legitime præcipiat manifeſtationem alicujus criminis, quia non video ſufficientem rationem id præcipiendi, ſemper cum adſit periculum infamiæ, & damni tertii. In hoc caſu dubium eſt, an potius obliget lex naturalis, & divina de non infamando tertio, quam præceptum Superioris de crimine manifeſtando; & cum præfata lex ſit jus fortius, illi parendum eſt, non vero præcepto Superioris: *D. Th. 2. 2. qu. 33. a. 7. ad 1.*

Item etiam advertendum, quod ſi conſtet legem fuiſſe latam, non vero conſtet, ſi adhuc advenerit tempus, quo incipere debet obligare, non adeſt obligatio ſervandæ legis; nam, dum non conſtet de tali tempore, neque etiam conſtat de incepta obligatione, unde nemo tenetur pro incerta obligatione ſe expoliare ſua libertate: & ita qui die Jovis dubitat an media nox advenerit, poteſt comedere carnes; ſicut & qui prudenter dubitat an impleverit annum 21., non tenetur jejunare. E contra vero, ſi jam conſtet legem obligare, & dubium eſt an præterierit tempus obligationis, adhuc viget obligatio, quia de obligatione conſtat, non vero conſtat de ipſius deſitione; & ita ad Subditum pertinet probare deſiiſſe, ſi vult ſe ab eadem eximere. Ita accedit in caſu, quo quis dubitat, an adhuc tranſierit media nox, in qua ceſſat obligatio jejunii. Idem dicendum in caſu, quo quis dubitat an attigerit annum 25. pro Presbyteratu requiſitum; nam conſtat obligare talem legem illam ætatem exigentem, & non conſtat de ceſſatione obligationis; unde pertinet ad Subditum probare talem ætatem attigiſſe: *Laym. l. 5. tr. 1. cap. 5. ſ. 4.* *Sanch. in Sum. l. 1. c. 10. n. 38.* Eodem modo probabilius puto loquendum de eo, qui vult recipere Euchariſtiam, & dubitat an comederit poſt mediam noctem, vel aliquid deglutierit per modum cibi; cum etenim lex de accedendo cum naturali jejunio ad Euchariſtiam, non ſit affixa huic, vel illi diei, ſed ſit generalis de non recipiendo ſine naturali jejunio hoc Sacramentum, competit ei, qui vult illud recipere, talem legem adimpleviſſe probare; *Lugo de Sacr. d. 15. n. 44.*

Q. III. An certus de lege, & incertus, an illi ſatisfecerit, teneatur actum præceptum adimplere.

R. Stando in terminis dubii proprie dicti, Subditus in præſenti caſu tenetur actum præceptum adimplere, nam obligationi certæ, quæ oritur ex lege de qua non dubitatur, non poteſt ſatisfieri ſatisfactione incerta; ut accidit, quando quis dubitat an actum præceptum adimpleverit: *Sanch. l. 1. Sum. c. 10. n. 12. Palaus t. 1. tr. 1. d. 3. p. 7. n. 7.*

Dixi, ſtando in terminis dubii proprie dicti, dum nempe intellectus non habet unde in aliquam partem inclinet; nam ſi prudenter judicet, licet cum aliqua formidine, ſe ſatisfeciſſe, puto non teneri iterum ponere actum præceptum. Ratio mihi eſt, quia, ob lapſum memoriæ, vel alias circumſtantias, in rebus humanis multoties non poteſt haberi moralis certitudo; adeoque ne nimis conſcientiæ graventur, credendum eſt neque Deum, neque humanos Legislatores velle obligare ad iterum ponendum actum præceptum, quoties prudenter opinari poteſt aliquem legi ſatisfeciſſe, alias non ſe accomodaſſent humanæ conditioni: *Laym. l. 1. tr. 1. cap. 4. n. 31. & 40.* Hinc ſi quis probabiliter credat ſe de aliquo crimine confeſſum eſſe; non eſt neceſſe ut iterum ſatisfaciat Legi Divinæ de integritate confeſſionis. Si quis probabiliter opinetur ſe Horas Canonicas perſolviſſe, vel voto ſatisfeciſſe, non tenetur iterum hos actus adimplere.

Adhuc tamen novam adderem limitationem huic doctrinæ, eam ſcilicet non habere locum, ſi damnum tertio immineat. Scio e. g. certo me eſſe debitorem Pauli, & ſolum habeo rationem probabilem, illi perſolviſſe, tunc puto adhuc urgere obligationem ſolvendi; nam non poteſt præſumi legem ſive naturalem, ſive poſitivam ſolum nos obligare ad ſatisfactionem incertam, ſeu mere probabilem, quoties poteſt exinde reſultare damnum alicui, cui certo ſumus obligati. Secus eſſet, ſi obligatio non eſſet certa, vel quia non ſum certus e. g. pecuniam recepiſſe, ſeu damnum irrogaſſe, vel ſi moralem certitudinem haberem me ſatisfeciſſe, nam in humanis ea certitudo ſatis eſt, ut quis eximatur a quacumque obligatione.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Multoties dantur novæ Leges, contra quas Subditi veluti injuſtas, adeoque non obligantes exclamant. Et ut ſileam de legibus Principum imponentibus novas gabellas, & tributa, multoties etiam audiuntur Eccleſiaſtici contra leges ſuorum Superiorum inſurgere, veluti nullius roboris. Confeſſarius nullatenus acquieſcat his obtrectatoribus, & ſemper præſumat Superiorem ſufficienter juſtitiam legis examinaſſe, ni manifeſta in contrarium ratio adducatur, de qua tamen non facile judicet ipſe Confeſſarius, ſi mediocri inſtructus ſit doctrina.

II. Multoties Confeſſarius liberabit Pœnitentem a pluribus conſcientiæ perplexitatibus, ſi conſideret, quod quando eſt utrinque dubium, ſtandum eſt pro obſervantia legis potioris. Dubitat e. g. aliquis ex una parte an teneatur die feſto Miſſam audire ex eo, quia ex alia dubitat quod ſi pergat ad Sacrum audiendum, vel poſſit ſuæ ſaluti non leviter officere, vel parvus puer grave periculum ſubire. In talibus caſibus ſtatim videbit potius ſatisfaciendum eſſe legi naturali de ſalute conſervanda, & familia cuſtodienda, quam legi poſitivæ de audiendo Sacro. Dubito, an ſi exigere velim ab ægroto integritatem materialem in confeſſione, poſſim ipſius ſaluti nocere; prætermiſſa tunc integritate materiali, non debeo me exponere periculo de infringenda lege naturali fortiori, nempe de non exponendo ægroto vel mortis periculo, vel graviter nocendi valetudini. Ex his exemplis plures alias perplexitates perſolvet.

III. Intricatiſſimus non raro erit Confeſſarius, ſi quoties non conſtet Pœnitenti de certa ſatisfactione, velit de-

denuo illum cogere ad ponendum actum præceptum. Quoties Pœnitens dicet ſe dubitare an adimpleverit ſatisfactionem Sacramentalem; an ſatisfecerit Voto; an aliquam partem perſolverit Horarum Canonicarum &c.? Videat ergo Confeſſarius an occurrat ratio vere probabilis ad judicandum illum ſatisfeciſſe, & ſi occurrat, ne ulterius gravet ipſius conſcientiam. Difficilius erit hujuſmodi rationem adinvenire, ſi pœnitens ſoleat eſſe negligens, & minime ſollicitus de ſatisfaciendo ſuis obligationibus; nam tunc facile præſumptio erit contra illum.

CAPUT VI.

De Apponente Impedimentum Legi adimplendæ.

Q. I. **A**N liceat apponere impedimentum adimplendæ legi naturali?

R. Lex aliquid præcipiens, inſimul intelligitur præcipere ut apponantur media ad illam exequendam, adeoque ad non ponenda, ſeu removenda impedimenta illius executioni; neque enim curaret de ponendis mediis ad illam adimplendam, qui nollet impedimenta removere. Cum autem aliunde lex naturalis obliget omni tempore, & loco; hinc erit nullum dari tempus, & locum, in quibus, inſtante obligatione obſervandi legem naturalem, non detur obligatio removendi impedimenta. Idem dicendum in omnibus caſibus, in quibus inſtat obligatio obſervandi legem divinam; ſolum ergo quis poſſet excuſari, ſi non removeret impedimentum ex ignorantia, vel ex impoſſibilitate &c.

Q. II. An liceat apponere impedimentum adimplendæ legi humanæ?

R. Licet apponere impedimentum legi humanæ adimplendæ, exeundo extra territorium, in quo obligat. Ratio eſt, quia, cum tunc ceſſet legis obligatio, nulla eſt culpa illam non adimplere. Ita ſi quis die antecedente Feſtum S. Paulini exeat extra Diœceſim Lucanam, poterit die ejuſdem Feſti Sacrum non audire. Neque hic habet locum illud commune effatum, quod fraus, & dolus nulli debeat patrocinari; nam ſemper eum aliquis pergit ad locum, ubi lex non obligat, eo fine ne peccet eam non obſervando, utitur jure ſuo, *& nullus videtur dolo facere, qui jure ſuo utitur: reg. 55. ff. de reg. jur. Suar. l. 2. de Feſt. cap. 13. n. 6.* Cæterum hæc doctrina non juvat eum, qui eo fine ad alteram Diœceſim pergeret, ut ibi abſolutionem obtineret a caſibus in propria Diœceſi reſervatis. Nam huic talem abſolutionem non ſuffragari decrevit Clemens X. in ſua Bulla, quæ incipit *Superna*. Ita autem merito voluit Pontifex, ne facile eluderentur leges caſuum reſervatorum, tam neceſſariæ ad bonam Diœceſis gubernationem; tum etiam quia ſuſpecta ſemper poteſt eſſe diſpoſitio illius Pœnitentis, qui alio pergit, ut abſolvatur; ita etenim facile eveniet, ut a Confeſſario, cui ignotus eſt, illi non præſcribantur remedia neceſſaria, ut ſe in poſterum præſervet.

R. II. Dum aliquis perſeverat in Territorio, ubi lex obligat, non poteſt ſine juſta cauſa apponere impedimentum obſervationi legis. Ratio mihi eſt, quia, ſemper cum Legislator aliquid præcipit, intelligitur ſimul præcipere apponenda eſſe media ad illius executionem: qui autem ſine juſta cauſa ſe reddit impotentem ad obſervandam legem: non ſolum non apponit media ad legem obſervandam, ſed illa excludit. Ita ſi quis ſine juſta cauſa ita defatigetur, ut eximatur a jejunando, vel pridie diei feſti prævideat ex nimio cibo ita morbo laboraturum, ut Sacrum audire non poſſit, peccat, quia non adimplet ea, quæ juſte exigit Legislator, ut nempe apponat media apta ad legem adimplendam. Si vero adſit juſta cauſa, bene poteſt tale impedimentum apponere, ut a legis obligatione eximatur. Ita qui ex juſta cauſa iter pedeſter inſtituit, ita ut non poſſit poſtea jejunare; qui in ſua arte, & exercitio laborat, ut a jejunando excuſetur, utique non peccat; Et ita generaliter loquendum de omnibus iis, qui, juſta interveniente cauſa, impedimentum legi obſervandæ apponunt: *Sanch. l. 1. mor. c. 15.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

Cum nunquam ſatis probabilem judicaverim eam opinionem, qua dicitur non peccare illum, qui non obſervat legem ex impedimento, etiam vitio ſuo appoſito, vellem Confeſſarios in praxi multos redarguere, qui prævident ſe redditum iri impotentes ad legem, ut par eſt, obſervandam. Ita ſe habet ille Eccleſiaſticus, qui in quibuſdam feſtis, vel forte ſæpius, ita immoderate ſe ingurgitat cibo, & potu, ut ſciat poſtea vel non recitaturum Horas Canonicas, vel ſine neceſſaria attentione. Ita ſe habent illi, qui, tota nocte vel ludendo, vel aliis addicti ſolatiis, putant ſe ſummo mane mente defatigata, & ſomno oppreſſos, audituros, Sacrum ut convenit diei Feſto. Ita illi, qui intemperanter vivendo, non curant de incurrenda infirmitate, ex qua prævident multas leges ſibi futuras impoſſibiles.

Aliis pluribus ommiſſis, vellem Confeſſarium dure increpare eos, qui tempore Bacchanalium ita laxant habenas, gulæ, potui, & nimiæ licentiæ, die noctuque ſemper vagando, ut clare agnoſcant ſe evaſuros impotentes ad jejunium quadrageſimale obſervandum. Certe projiciens Breviarium in mare, culpabilis eſt omnium ommiſſionum, quæ exinde ſequuntur, Divini Officii, quidquid ſint, an illi imputentur, dum projicit Breviarium, an ſingulis diebus, quando ommittit Horas Canonicas. Cur ergo non culpandus tot ommiſſionum in jejunando, qui clare prævidet ſe vitio ſuo impotentem evaſurum ad Quadrageſimam obſervandam?

QUÆSTIO III.

De Subjecto Legum Humanarum.

CAPUT I.

Quinam teneantur ad obſervantiam Legum, & præcipue Eccleſiaſticarum.

Q. I. **A**N ipſi Supremi Legislatores teneantur ad obſervantiam ſuarum legum?

R. S. Thomas 1. 2. *q. 96. art. 5. ad 3.* quem communiter ſequuntur Theologi, reſpondet, Supremum Legislatorem non teneri ad obſervantiam ſuarum legum vi coactiva, ſed directiva; hoc eſt, non teneri ad obſervantiam ſuarum legum, quia ſubditus ſit ipſis legibus, ac ſubjaceat pœnis a lege taxatis, neque etenim aliquis ſeipſum cogit, vel ſibi imperat; ſed quia æquum eſt, & conforme dictamini rationis, ut poſtquam aliquam legem ſancivit, ipſe, cum ſit caput, ſe conformet membris, ſive Communitati. Hinc ex una parte jura pronuntiant Supremum Legislatorem immunem a legum obſervatione: *leg. penult. ff. de recept. arbitr. leg. Princep. 30. ff de leg.* ſicut neque Succeſſorem teneri legibus ſui Anteceſſoris. *cap. licet ſ. Cæterum Sanctæ de v. ſig. in 6. & cap. innotuit 20 de elect.* Ex alia vero parte & ipſe Legislator ad obſervantiam legum dicitur teneri: *leg. 4. C. de leg. cap. cum omnes de conſtit. & can. juſtum eſt diſt. 9.* Hæc autem diſcrepantia legum aliter concordari non poteſt, niſi dicendo Legislatorem haud teneri quidem vi coactiva, bene tamen directiva; atque ita *can. quæ contra diſt. 8.* & in *Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform.* obſervatur, ſemper conveniens eſſe caput corpori congruere.

Lis nihilominus eſt, an peccet Legislator ſuam legem non obſervando. Et quidem certum eſt peccare, ſi adſit ſcandalum; ſicuti eveniret, dum Subditi videntes Principem legem non obſervare, & ipſi non curarent de ipſius obſervantia in præjudicium boni communis. Idem dicendum, ſi non obſervaret legem cum damno tertii; ut ſi nollet ſolvere juſtum pretium mercium; ſi nollet ſeſe obligare contractui, quem cum ſubdito celebravit; in hoc caſu etenim habet ſe potius veluti privatus, & æqualis alteri contrahenti: neque enim juſtum eſt in contractibus oneroſis unum ex contrahentibus, non vero alterum obligari: & ita dicitur hujuſmodi contractus non poſſe claudicare. Præciſo autem ſcandalo, & damno tertii, communior videtur ea opinio, quæ aſſerit Principem non peccare legem non ſervando; nam ratio naturalis dictare videtur id quidem congruum, & conveniens eſſe, non vero dari rigoroſam obligationem: *Palaus d. 1. p. 24. ſ. 1. n. 5. Leſſ. l. 1. cap. 35. dub. 5.*

Q. II. An non ſolum Catholici, verum etiam Hæretici, & infideles ſubjiciantur Legibus Eccleſiaſticis?

R. I. Jam ſatis conſtat Catholicos Legibus Eccleſiaſticis ſubjici: & quidem ſi ſint Summi Pontificis, ubique terrarum obligant, cum ubique illius juriſdictio extendatur: ſi vero ſint particularis Epiſcopi, ipſius legibus ligantur Diœceſani intra Diœceſim, nam juriſdictionem habet obligandi omnes exiſtentes intra ſuum territorium. Quod ſi Diœceſani non ſint intra territorium, non ligantur particularibus legibus ſui Epiſcopi; *cap. ult. de Conſtit. in 6. & leg. ult. ff. de juriſdict. omnis Judic.*, cum

non

non cenſeatur ejuſdem ſubjici legibus, niſi ratione loci, ſive territorii, in quo habet juriſdictionem.

R. II. Hæretici ſubduntur Legibus Eccleſiæ. Ratio eſt, quia quamvis non amplius propter hæreſim pertineant ad Eccleſiam, nihilominus fuerunt de Eccleſia, utpote in ipſam ingreſſi ratione Baptiſmi, & adhuc ratione caracteris habent aliquale vinculum cum illa. Si autem, quia ab Eccleſia exierunt, exempti ab ipſius legibus remanerent, commodum reportarent ex ſua perfidia, & delicto, contra id, quod dicitur *leg. nemo ex ſuo ff. de reg. jur.* Hinc contra Hæreticos habentur plures Conſtitutiones *tot. tit. de Hæretic.* quæ deſignant, Eccleſiam intendere exerceri in illos juriſdictionem. Videantur *Laym. in cap. canonum 2. de Conſtit. Lugo diſp. 15. de Pœnit. ſect. 7. n. 147.* & communiter.

R. III. Infideles non ligantur legibus Eccleſiæ, neque etenim, ut ais Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 2.* Eccleſia juriſdictionem, ſive judicium exercet, niſi in eos, qui in illam fuerint per Baptiſmum ingreſſi, ut etenim, ait Apoſtolus *1. ad Cor. 5. Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? Nam eos, qui foris ſunt, Deus judicabit.* Id ipſum clare habetur *cap. Gaudemus de divort.*; nam cum ii, qui extra Eccleſiam ſunt, non ſint illius Subditi, remanet, ut non poſſit in illos ſuis legibus juriſdictionem exercere. Quod dictum eſt de infidelibus, militat etiam pro Cathecumenis, qui nondum per Baptiſmum facti ſunt Subditi Eccleſiæ.

Q. III. An Advenæ teneantur legibus loci, in quo ſunt?

R. I. Si advena tranſeat ad aliquem locum animo ibi perpetuo commorandi, ſtatim acquirit domicilium illius loci: *leg. domicilium ff. ad municipalo &c.* adeo que ut incola ſubditur omnibus municipalibus legibus ipſius. Idem dicas de iis, qui pergunt ad aliquem locum animo ibi commorandi pro majori anni parte; nam ſtatim quaſi domicilium acquirunt: *l. 2. a. ubi Senatores lib. Hæres abſens §. Proinde ff. de Judic.* & id ſufficit ad hoc, ut quis dicatur ſortiri forum loci, in quo degit, & ut fiat Parochianus Parochiæ, in qua habet quaſi domicilium &c.

R. II. Si advena permaneat in loco, ubi eſt præceptum jejunandi &c. eo ſolum tempore, quod neceſſarium eſt ad cibum ſumendum; vel ſolum pernoctet primo mane diſceſſurus omnes conveniunt non teneri ad particulares obligationes illius loci, cum non intelligatur ibi permanere tempore proportionato, quo urgere illum poſſint talia præcepta.

R. III. Quamvis non pauci doceant, advenam exiſtentem per unicum diem in aliquo loco, obligari particularibus legibus loci ipſius; nihilominus valde probabile eſt ad eas non teneri, ſi pro majori parte anni ibi non commoretur. Ratio eſt, quia Leges afficiunt Subditos, ſive Cives: *cap. a nobis de ſentent. excom.*, talis autem non eſt advena, qui ſaltem pro majori anni parte in aliquo loco non commoratur; cum etenim ibi non habeat nec domicilium, nec quaſi domicilium, ad talem locum non dicitur pertinere; & ita non erit ibi nec Subditus, nec Civis: *D. Anton. 2. p. tit. 6. c. 2. § 2. Sanch. l. 1. in Decalog. cap. 12. n. 38. & l. 3. de matr. diſp. 18. n. 6. Tolet. l. 6. cap. 5. num. ult.*

Hæc nihilominus doctrina plures patitur limitationes. Prima eſt, ut advena etiam teneatur legibus loci, in quo eſt, ſi eas non obſervando ſcandalum ſequatur; & id dicendum eſt juxta *can. illa diſt. 12.* ubi dicitur, jejunandum eſſe juxta morem loci, in quo aliquis eſt. Ex eo autem canone ortus eſt ille verſiculus, quem ibi affert Gloſſa: *Cum fueris Romæ, Romano vivito more: cum fueris alibi, vivito ſicut ibi*, ne ſcilicet aliquis ſcandalum afferat, ut dicitur in eodem canone. Videnda etiam, quæ dicam *in 3. Decalogi præcept. cap. 1. circ. fin.* Secundo tenetur quis ſervare leges, quæ ſunt in uſu in aliquo loco circa celebrationem contractuum; nam ut dicitur *cap. ult. de For. compet. ratione contractus forum quis ſortitur*; idem autem eſt forum ſortiri, ac legibus ſubjici. Hinc unuſquiſque tenetur ſervare formam præſcriptam in loco, ubi celebrat contractum; pretium ibi taxatum in vendendo, & emendo; ſolvere vectigal adjectum contractui &c. Tertio, ſi Alienigena delinquat in alieno territorio, ligatur legibus illius, quoad illud delictum, nam ratione delicti ſortitur forum illius: *cap. fin. de for. compet. Auth. quæ in Provinc. C. ubi de crim. agi oportet.* Quarto, Alienigena ſervare tenetur leges territorii, in quo eſt, ſi latæ ſint in particulare commodum ipſius loci, quales ſunt leges de non extrahendo tritico, armis &c.; nam, alias agendo, violatur jus, quod habet unaquæque Communitas ſe gubernandi, & ſuis neceſſitatibus occurrendi. Hæc exploratá ſunt apud omnes.

Multi etiam tenent, Advenas teneri legibus territorii, in quo eſt, ſi eædem leges ſint in uſu in proprio territorio, quia videtur quaſi continuari eadem obligatio. At mihi id non ſatis probatur, quia abſens a ſuo territorio, ut ſtatim dicetur, non tenetur legibus illius; & aliunde ut Advena, & non Subditus non tenetur Legibus territorii, in quo eſt: *Dian. p. p. tr. 9. reſol. 8.* Item controvertitur, an Advena ligetur Legibus ex jure communi, ſi ſint in robore ubi eſt, quando contraria conſuetudine abrogatæ fuerunt in proprio territorio. Communior autem ſententia eſt affirmativa, quia iſte Advena non eximitur a jure communi, niſi ratione proprii territorii, in quo fuit contraria conſuetudine abrogatum; unde exiſtendo extra proprium territorium, non eſt cur jure tali non ligetur. *Tolet. l. 6. cap. 5. n. ult. Azor. tom. 1. dub. 5. c. 11. q. 3. Bonac. diſp. 1. qu. 1. p. 6.* Lis demum eſt, an Vagi teneantur legibus territorii, in quo ſunt. Et quamvis multi aſſerant, nihilominus mihi ſatis probabilis eſt contraria ſententia; nam non Subditus legibus territorii non tenetur, & nemo intelligitur Subditus, niſi vel ratione domicilii, aut quaſi domicilii fiat Civis alicujus loci, quod non verificatur de Vagis: *Leſſ. l. 4. de Juſt. cap. 2. Laym. tr. 4. c. 12. n. 6.*

Q. IV. An Abſens a proprio territorio teneatur legibus illius; & quid, ſi ſit in proprio territorio, ſed in loco exempto?

R. I. Abſens a proprio territorio non ligatur legibus illius. Ita expreſſe habetur *cap. ut Animarum de Conſtit. in 6.* Et ratio eſt, quia poteſtas Legiſlatoris, quæ reſpicit bonum ſuæ ditionis, extendi proinde non poteſt ad exiſtentes extra illam. Subderetur vero legibus territorii, ſi quamvis abſens conſumaret delictum intra illud; ut ſi Parochus degat extra territorium, dum a ſuo Epiſcopo excommunicatione compellitur ad reſidendum, fictione enim juris intelligitur eſſe, ubi delinquit: qui enim non facit, quod tenetur, dicitur peccare, ubi facere tenebatur: *arg. leg. qui non facit ff. de reg. Jur., Bonac. q. 1. p. 11. n. 7. Cand. d. 22. art. 26. dub. 5.* Item abſens tenetur legibus ſui territorii, quoad rem, quam habet in eodem; ratione etenim rei ſitæ quis ſortitur forum illius: *cap. fin. de for. compet. & text. in cap. Romana §. Contrahentes eodem tit.*

Eo quod abſens a ſuo territorio non teneatur legibus pro eo latis, non pauci Theologi excuſant a culpa illum, qui, non audita Miſſa, diſcedit a ſuo loco, ubi erat dies feſtus, perventurus eodem mane ad locum; ubi non eſt obligatio eam audiendi. Ratio iſtorum eſt, quia, iſte poterat expectare horam meridiei ad audiendam Miſſam, nec tenebatur eam audire hora, qua diſceſſit; ſi ergo hora, qua poterat expectare, extrahatur ab obligatione legis, quia eſt extra territorium, non videtur culpandus ob omiſſionem Sacri. Ad eum modum, quo qui ſciret eo die obtenturum privilegium non recitandi horas canonicas, bene poſſet expectare illud privilegium, & deinde illas ommittere.

Hinc iſti Authores diſtinguunt inter impedimentum extrahens ſubditos ab obligatione legis, ita ut non remaneat Subditus, uti eſt exiſtentia in alieno territorio, & impedimentum ſolum excuſans ab obligatione legis, ut ſunt oblivio, detentio &c. Iſtud impedimentum certe præveniendum eſt, quia ſemper eum quis remanet Subditus legi, & non poteſt eo tempore eam obſervare, debet ſervare quando poteſt, talis enim eſt juſta mens Legiſlatoris. Ita tenetur prævenire recitationem Divini Officii, qui prævidet deinde oblivione impediendum, ſicut & auditionem Sacri. Verum non eſt obligatio præveniendi impedimentum extrahens ab obligatione legis, quia non intendit Legiſlator obligare non Subditum, ſeu exiſtentem extra ſuam ditionem, quando alias non tenebatur eo tempore, quo erat in ſua ditione. Teneretur vero in ſuo loco audire Miſſam, ſi unica tantum ibi celebraretur, & celebraretur ante ſuum diſceſſum: nam dum die feſto non eſt in loco niſi unica Miſſa, præceptum eam audiendi obligat eo præciſo tempore, quo celebratur; *Palaus tr. 3. diſp. 1. p. 24. §. 1. n. 8. Sanch. in Decalog. l. 1. cap. 12. n. 22.*

Petes, quid dicendum de eo, qui exit a loco, ubi jejunium obligat, perventurus ubi non obligat. Mihi autem reſpondendum videtur, quod licet in loco ubi obligat, non poſſit comedere carnes, poterit tamen vel jenta-

ta-

Digitized by Google

taculum ſumere, vel etiam prendere, quia ita ibi licitum eſt. In ſero vero cur non poterit cænare, & carnes etiam comedere, cum in loco, ubi eſt, non obliget lex jejunii? *Sanch. n. 34. & de matr. l. 3. diſp. 18. n. 22. Leſſ. l. 4. cap. 12. dub. 8. n. 57. Filiuc. tom. 2. tr. 27. p. 2. c. 6. num. 109.*

R. II. Quod dictum eſt de exiſtente extra territorium, applicatur exiſtenti intra illud, ſed in loco exempto; etenim quoad uſum juriſdictionis, locus exemptus intra Diœceſim, æquiparatur loco exiſtenti extra illam: *cap. cum Epiſcopus de offic. Ordin. in 6. cap. 1. de privileg. ib. Clement. Archiepiſ. de Privileg.* Nomine autem locorum exemptorum, non ſolum veniunt Oppida, & Parochiæ, quæ licet ſint intra Diœceſim, pertinent tamen ad aliam Eccleſiaſticam Juriſdictionem, ſed etiam Monaſteria exempta, quidquid aliqui contradicant. Et quidem Tridentinum *ſeſſ. 14 cap. 5. de reform.* non ſolum perſonas, ſed etiam ipſa loca Monaſteriorum appellat exempta. *Bonac. q. 1. p. 7. n. 66. Dian p. 5. tr. 9. reſol. 37. & 46.*

Q. V. An Pueri, & Amentes obligentur legibus Humanis.

R. Communior, & vera ſententia eſt pueros teneri ad obſervantiam legum ſtatim ac perveniunt ad uſum rationis; quia Legislator intendit obligare quotquot ſunt capaces, & tales ſunt qui habent uſum rationis: *Palaus tr. 3. diſp. 1. p. 24. §. 2. n. 5. Laym. tr. 4. cap. 10. n. 4.* Quædam vero præcepta requirunt ad ſui obſervantiam perfectiorem uſum rationis, ut dicitur in Tractatu de Euchariſtia de obligatione præcepti Communionis. Ante uſum vero rationis (idem dic de amentibus) quia non ſunt capaces, non ligantur legibus humanis; & quamvis comprehendantur ſub jure naturali, & divino, ob defectum tamen uſus rationis excuſantur ab illius transgreſſione. Ea ratione, qua ſcilicet nec Pueri ante uſum rationis, nec Amentes ligantur legibus humanis, licet cum eis concurrere ad opus alias talibus legibus prohibitum; ut eſſet illis carnes die jejunii ſubminiſtrare &c. quia talia ideo ſunt mala, quia prohibita; reſpectu vero illorum nullatenus ſunt prohibita. At non licet cum eis concurrere, vel illos incitare ad opus ex natura ſua malum, v. g. ad blaſphemandum &c. nam cum ſit ex natura ſua malum, ſemper eſt peccatum illud velle, vel illud quis velit in ſe, vel in alio: *Laym. tr. 4. cap. 10. n. 3. Palaus tr. 3. diſp. 1. q. 1. p. 6. a. n. 2.*

Cæterum adverras quod etiamſi pueri poſt uſum rationis ligentur legibus Eccleſiæ, ita ut peccent eas transgrediendo; nihilominus ante pubertatem excuſantur a pœnis ab ipſis impoſitis. Quoad pœnas ab homine latas habetur expreſſe *cap. 1. delict. puer. & cap. reſcrente ibid.* Extenditur etiam id ad pœnas a jure generaliter latas quia ita præſumitur eſſe benignam mentem Eccleſiæ, compatientis ætati infirmiori, ut cum pluribus docet *Palaus de leg. p. 24. §. 2. n. 8.* Nihilominus ante pubertatem non excuſantur a cenſura lata ub percuſſionem Clerici, *cap. ſuper eo, cap. pueris, cap. quamvis de ſent. excomm.* quamvis ſemper abſolvi poſſint ab Epiſcopo, ut dicitur in Tractatu de Cenſuris.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Si accidat aliquando Confeſſarium excipere Confeſſionem alicujus, qui hæreſim ejuraverit, puto in praxi non debere eſſe nimis ſollicitum de ipſo interrogando quoad tranſgreſſionem legam Eccleſiæ. Verum utique eſt ab ipſis ligari, ſed quoadusque non cognovit ſuam hæreſim eſſe culpabilem, laboravit etiam ignorantia invincibili obligationis obſervandi leges Eccleſiaſticas. Videat ergo primo a quo tempore culpabiliter permanſerit in ſua hæreſi. Interroget poſtea, an tunc adverterit ſe teneri ab obſervantiam legum Eccleſiæ. Si non advertit, jam non peccavit. Si advertit, examinet, an ſciverit omnes leges, quibus nos obſtringit Eccleſia; an vero ſolum aliquas, & magis notas; ut ſunt leges jejunii, de non comedenda carne quibuſdam diebus, & temporibus. Ita facile deprehendet quomodo peccaverit in tranſgreſſione legum Eccleſiaſticarum.

II. Non tam facile eſt, Advenam per unum, vel plures dies in alieno territorio exiſtentem, ſcandalum non afferre, ſi quædam, quæ magis ibi ſub oculos cadunt, non obſervet. Ita ſe haberet comedere carnes, ubi viget obligatio jejunii: non audire Miſſam, ubi eſt dies feſtus. In praxi ergo Confeſſarius moneat iſtas Advenas, ut ſe talibus legibus accomodent, ubi ſcandalum afferunt; vel ſaltem quam maxime ſibi caveant, ne ab indoctis obſerventur.

III. Advertant Parochi rurales aliquando, dum dies feſta eſt in propria Communitate, ipſorum Parochianos peccare ſe credere, ſi & in alia Communitate laborent. Quamvis ergo conveniens ſit eos monere, ut ſanctis operibus illam diem ſanctificent, nihilominus ne peccent ex conſcientia erronea, illos etiam moneant extra propriam Communitatem poſſe tuta conſcientia laborare, nam obligatio particularis diei feſti, non excedit fines proprii territorii.

IV. Confeſſarii habeant præ manibus illam doctrinam, qua dicitur, quod licet impuberes legibus Eccleſiæ adſtringantur, nihilominus non afficiuntur ipſius pœnis. Id maxime neceſſe eſt advertere, dum agitur de caſibus reſervatis, & de cenſuris, ut etiam ſuo loco notabimus. Et quamvis dixerim ligari excommunicatione ob Clerici percuſſionem, nihilominus, ultra quam quod ſemper abſolvi poſſint ab Ordinario, multoties neque afficiuntur tali cenſura quia actio externa, quidquid ſit de prava interna voluntate, non reputatur gravis. Sed de his iterum in tr. de Cenſuris.

CAPUT II.

De Obligatione Legum Sæcularium quoad Clericos.

Q. I. AN leges Civiles nominatim diſponentes de Perſonis, aut Rebus Eccleſiaſticis, obligent.

R. Cum nulla poſſit oriri obligatio, ſi in Legislatore deficiat juriſdictio, & hanc deficere in legislatore Sæculari reſpectu rerum, & Perſonarum Eccleſiaſticarum conſtet *ex cap. quæ in Eccleſ. 7. de Conſtit. ex cap. nimis de jurejur. & cap. quamquam de cenſib. in 6.* conſequens eſt præfatis legibus Eccleſiaſticos non ligari. Et id procedit etiamſi aliquid diſponerent in commodum, & favorem perſonarum, vel rerum Eccleſiaſticarum: *cap. quæ in Eccleſiarum 20. de Conſtit. in 6.* Et quidem ſi in eis aliqua vis obligandi agnoſcatur, oportet & agnoſcere in Legislatore aliquam juriſdictionem. Hinc leges illæ, quæ habentur in Codice *tit. de Sacroſ. Eccleſ. de Epiſc. & Clericis*, & ſimilibus; non obligant, niſi quatenus aliquæ approbatæ ſunt ab Eccleſia, & tunc conſiderantur, tamquam Canones: *Fag. cap. inter alia n. 2. & 6. de immunit. Eccleſ.* Vel dici poteſt aliquas conſiderari tanquam privilegia facta ab Imperatoribus Eccleſiis &c. privilegia autem conceduntur etiam exemptis, & non Subditis. Conſiderare etiam oportet hujuſmodi leges civiles, faventes rebus, & Perſonis Eccleſiaſticis, non eſſe ex alio capite inutiles, quatenus ſcilicet illis compelli poſſunt Hæretici, aliique Eccleſiæ inimici, qui quamvis leges Eccleſiaſticas parvipendant, compelluntur tamen obſervare leges Civiles.

Q. II. An Clerici teneantur legibus civilibus, quæ non præjudicant Statui Clericali, & aliquid diſponunt, nulla facta expreſſione Perſonarum, aut rerum Eccleſiaſticarum.

R. I. Certum eſt non teneri quoad vim coactivam: *cap. At Clerici 4. cap Clerici 8., cap. Qualiter 17. de Judic. c. Sæculares de foro compet. in 4.* & favent ipſæ leges Civiles: *leg. placet C. de Epiſcop. & Cleric.* Ratio autem eſt quia, obligari quoad vim coactivam, idem eſt ac obligari ex vi ipſius legis, quod non datur niſi agnoſcatur aliqua juriſdictio in Legislatore, & hæc non datur in Legislatore Sæculari reſpectu perſonarum, & rerum Eccleſiaſticarum.

R. II. Clerici tenentur ad obſervandas præfatas leges quoad vim directivam. Huic reſponſioni, quæ eſt *Suarez de leg. l. 3. cap. 33. n. 6. Fag. in cap. Eccleſia S. Mariæ n. 13. Card. de Luc diſc. 8. Miſcell. Eccleſ. n. 6.*, & communior, tam inter Theologos, quam inter Canoniſtas, nonnulli refragantur, ſed meo videri ab omnibus admittenda eſt, ſi probe intelligantur, Clericos igitur debere obſervare tales leges ſibi non præjudicantes quoad vim directivam, non ſignificat ullatenus obſtringi authoritate talium legum, ſed ſolum debere eas obſervare: vel quia, ſuppoſitis talibus legibus, dignoſcitur juſtitia alicujus rei, ut poteſt accidere reſpectu legum, quæ taxant pretia rerum; vel quia, oritur grave ſcandalum ſi & a Clericis non obſerventur; vel quia, cum etiam Clerici ſint membra Reipublicæ: *can. duo ſunt genera 12. qu. 1* æquitas e poſtulat, ut pars congruat cum toto: *can. quæ contra diſt. 8.* Hinc non deſunt DD. qui aſſerant Clericos talium legum tranſgreſſores, maxime ſi multum conducant ad bonum commune puniendos eſſe pro ſuo arbitrio a Judice Eccleſiaſtico: *Menoch. conſ. 800. n. 52. l. 2. de juriſd. cap. 4.* & alii apud ipſum. Sed melius eſt ſimiles leges, ſeu Edicta Principum Sæcularium condjuvari ſuj par-

particularibus Edictis a Prælatis Eccleſiæ, & poſtea invigilare, ut a Clericis obſerventur; ut ſæpius reſcripſit S. Congregatio apud Sperellum: *deciſ.12. for.Eccl. n.20. & deciſ. 13. n. 14*, ubi etiam affert exemplum S. Caroli Borromæi.

Q. III. An ad Clericos extendantur leges Civiles, quæ aliquid præſcribunt circa contractus, aliaſque res profanas.

R. His legibus frui poſſunt etiam Clericis, ſi ipſis ſint favorabiles. Ratio eſt, quia, cum Clerici ſint membra præſtantiora Reipublicæ, & ſubeant onera ſpiritualia ipſius, quamvis non temporalia, non convenit eſſe excluſos a favoribus, & prærogativis aliis Civibus conceſſis, alias ſtatus Clericalis redderet eos deterioris conditionis. Extendi vero non poſſunt ad Clericos, ſi ipſis ſint præjudiciales, uti de conſuetudine, quæ ſtatuto æquiparatur, dicitur *cap. 1. de conſuet.* quia tunc obſtat favor Religionis, in cujus favorem multa ſpecialia ſunt inducta: *arg. l. ſunt perſonæ ff. de religioſ. & ſumpt. funer.* Præterea, ultraquamquod nomine populi in odioſis non veniunt Clerici: *Fag. in cap. Eccleſia S. Mariæ num.16. §. Quæ tamen de Conſtit.*, in Legislatore ſæculari deeſt juriſdictio obligandi Clericos ad ea, quę ipſis præjudicant: *Sperell. for. Eccl. deciſ. 10. & ſeq. Card. de Luca Miſcel. Eccleſ. diſc. 8. n. 6. & 10.* Non eſt autem novum in jure aliqua habere valorem, quatenus ſunt favorabilia, non vero quatenus præjudicant; nam ex *§. 1. Inſtit. de Author. Tutor.* pupillus contrahens ſine Authoritate Tutoris poteſt facere meliorem ſuam conditionem, non vero deteriorem. Porro ea lex dicitur præjudicialis, quæ ſemper, vel quaſi ſemper affert incommodum, non vero quę aliquando commodum aliquando incommodum afferre poteſt, ut ſunt leges diſponentes de contractibus; nam quamvis aliquando poſſint nocere, multoties etiam poſſunt prodeſſe.

Q. II. An Clerici attendere debeant leges inſertas in Corpore Juris Civilis, quę ſtatuunt aliquid circa contractus, & modum ſuccedendi ab inteſtato.

R. Semper cum tales leges non adverſentur Sacris Canonibus, extenduntur etiam ad res, & Perſonas Eccleſiaſticas. Ratio eſt quia tales leges Eccleſia acceptavit, & approbavit, *cap. 1. & 2. de nov. oper. nuntiat.*; & ulterius iiſdem legibus ſemper & ipſi Pontifices uſi ſunt, ut conſtat *ex cap. ult. de alien. judic. mutand. cauſ. cap. dilectæ, cap. innotuit de Arbitr. cap. Eccleſia 3. ut lite pendente cap. dilecta 4. §. Nos igitur de confirm. ult.* Inſuper iſtæ leges non dici poſſunt præjudiciales Eccleſiæ, nam ſi quandoque damnum afferunt ſuccumbenti, alias commodum afferunt vincenti. Hæc doctrina non aptatur legibus particularibus locorum; nam hæ nullibi dicuntur approbatæ ab Eccleſia, immo præſumitur eas ignorare: *cap. 1. de Conſt. in 6.* Videatur Sperellus *deciſ. 13. For. Eccl. n. 2.*

Q. III. An dentur aliqui caſus, in quibus quodcumque ſtatutum Laicorum extendatur etiam ad Clericos.

R. Plures ſunt hi caſus, ut conſtabit eos enumerando. Primus eſt, ubi agitur de ſtatuto conferente aliquod privilegium Eccleſiis, vel Perſonis Eccleſiaſticis, ut dictum eſt ſupra. Secundus, ſi inducta ſit conſuetudo inter Clericos, ut etiam inter eos vigeat aliquod ſtatutum laicale. Quamvis igitur ſolus Papa poſſit ex plenitudine poteſtatis concedere Laicis poteſtatem condendi leges obligantes etiam Clericos: *Sperell. dec. 10. For. Eccleſ. n. 39. &c.* nihilominus cum conſuetudo obtineat vim legis, ut ſuo loco dicemus, ſi hæc introducta ſit inter Clericos quoad obſervantiam ſtatuti laicalis, illud erit obſervandum, & habebit vim, quatenus inter Clericos conſuetudine eſt receptum.

Tertio, ſicut ſi cauſa laici vertatur coram Judice Eccleſiaſtico procedendum eſt ſecundum modum fori Eccleſiaſtici; ita diſponit Jus Canonicum, ut Clericus, Actor contra laicum in foro laico procedat ſecundum modum talis fori: *cap. ſi Clericis 5., & cap. cum ſit generale de For. compet.* Idem dicendum, ſi Clericus contrahens cum laico, paciſcatur, ſeu contrahat ad formam ſtatuti laicalis. Neque id eſt Clericum ſe ſubmittere foro, ſeu ſtatuto laicali, ſed ſolum, ſicut poſſent contrahentes alias rationabiles conditiones adjicere, ita etiam poteſt Clericus adjicere hoc pactum, ut velit contrahere ſub qualitatibus ſtatuti laicalis: ac proinde ſolum vi talis pacti obligabitur, cum contractus accipere ſoleant legem ex conventione contrahentium, ut dicitur *reg. 85. Jur. in 6.* Hinc juxta normam conventionis eſſet poſtea judicandum, ſive lis intentaretur in foro Civili, ſive Eccleſiaſtico: *Card. de Luca tom. 1. miſcellan. Eccleſ. diſ. 8. n. 8. & de Cred. diſc. 116. n. 16. &c.* Dicendum pariter, quod ſi Clericus contrahat cum Laico, qui ratione alicujus ſtatuti laicalis non poſſit præſtare valide conſenſum, niſi ſervata tali forma ſeu ſolemnitate, debeat hæc etiam a Clerico attendi. Ratio eſt, quia, alias conſenſus laici eſſet nullus, cum ipſe teneatur ad obſervantiam talis ſtatuti, adeoque & contractus: *Sperell. deciſ. 10. For. Eccl. n. 2. Maranta d. 8. ad qq. legal. n. 33. & 48.* Eadem doctrina eſt attendenda, ſi Clericus velit ſibi vindicare rem exiſtentem apud laicum, de qua, non tamen in fraudem libertatis Eccleſiaſticæ, ſtatutum laicale diſpoſuiſſet non poſſe valide alienari, vel non poſſe alienari, niſi ſub tali forma. Ratio eſt, quia tam perſona cujus eſt, quam res legitime ſubeſt ſtatuto laicali, unde potuit de ea diſponere; ut dum diſponit mulierem non poſſe alienare prædium dotale; *§. 1. Inſtit. Quibus alienare licet*; & ſimul annullat tales diſpoſitiones: *leg. non dubiam C. de leg.*

Quarto. Si clericus contra aliquem uti valt ſtatuto laicali in ſui favorem; debet etiam illud admittere, ſi ex eo aliquid contra ipſum judicetur. Neque id eſt eſſe Subditum eidem ſtatuto, cum poſſit eo non uti, ſed ſolum ſervare æquitatem, quæ expoſcit ut plene admittatur jus, quo aliquis agit contra alium; quo enim jure quis contra alium utitur, debet permittere ut eodem jure alter contra illum utatur: *c. cum omnes de Conſtit. & l. 1. ff. quod quiſque juris. Sperell. deciſ. 11. n. 27. &c.*

Quinto ipſi Sacri Canones ſubdunt aliquando Clericos ſtatutis laicalibus; & ita Clericus exercens ſibi illicitam negotiationem, debet ſolvere gabellas: *cap. ſecund. ne Cleric. vel Monac.* Sic etiam Clericus, qui non poteſt paſcere alio jure quam civico, debet ſolvere quod pro paſcuis ſtatutum eſt eſſe ſolvendum: *Card. de Luc. diſc. 8. miſcell. Eccl. n. 9.*

Demum ſtatutum laicale afficit Clericos, ſi cum alias non ſit contra immunitatem, & favorem Religionis, eodem ſtatuto ligabantur ante Clericatum. Exemplificant id Canoniſtæ reſpectu illius, qui ſtatuto laicali, eo quod e.g. ſit Secundo genitus, excluditur ab aliqua ſucceſſione, eodem pacto excluditur ſi fiat Clericus. Item, ſi fœmina excludatur a ſucceſſione alicujus boni mobilis, vel immobilis, excluditur pariter, ſi fiat Monialis. Aliud eſſet, ſi tale ſtatutum inciperet obligare, poſtquam aliquis factus fuerit Clericus, quia tunc nullam induceret obligationem; utpote quia Perſona eſſet tunc exempta a ſubjectione talis legis.

Idem dicas de bonis, quæ ex laicali ſtatuto ſubjecta ſunt alicui oneri. Et quidem nullus dubitat tranſire cum tali onere, ſi tale onus habebant bona propter pactum expreſſum initum inter Principem, & privatum, ut ſi, dum erant ex peculiari dominio Principis, illud tranſtulit in privatum, ſibi reſervata aliqua penſione, vel cenſu: nam talia pacta, quæ reſpiciunt eadem bona, continuantur in quibuſcumque perſonis: *Sanch. reſponſ. mor. l. 2. c. 4. dub. 17. n. 3.*

Loquendo autem generaliter de oneribus impoſitis prædiis, videntur ea tranſire ad Eccleſias, & Eccleſiaſticas Perſonas, ſi concurrant ſequentia. Quod onera vera ſint & realia, & affixa ipſis fundis, ſeu impoſita bonis propter bona, non vero perſonis propter bona. Quod ſint perpetua, certa, & invariabilia, non vero ex aliquibus urgentibus cauſis, unde iis ceſſantibus, ſint removenda. Poſitis his, videntur talia bona etiam ſub dominio Clerici, bene poſſe eſſe ſubjecta præfatis oneribus impoſitis ſtatuto laicali; id enim non eſt ſolvere collectas titulo tributi, ſed ob conditionem bonis inhærentem. Sicut enim, ſi dum erant ſub poteſtate laici, ſubjecta fuerint alicui cenſui, vel hypotecæ, tranſeunt cum eodem onere ad Eccleſias, vel Clericum; idem videtur dicendum, ſi dum erant in poteſtate laici, Princeps, vel ex pacto vel alia de cauſa, aliquod onus ipſis prædiis infixit. Videantur Canoniſtæ ſcribentes *in cap. 1. de Immun. Eccleſ. in 6. Rota coram Penna deciſ. 1079. & coram Merlino. deciſ. 902. n. 55. Fagnan. in cap. non minus de immun. n. 9. Anſald. de juriſd. p. 5. tit. 3. c. 3. n. 222.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

Confeſſarius non ſit tam facilis erga Clericos non obſervantes leges civiles, maxime circa pretia rerum, & circa ea, quæ diſponunt quoad communes neceſſitates. Verum quidem eſt ex ſe non ligari talibus legibus, & poſthabito pretio legali, poſſe velle attendere pretium naturale, quod admittit aliquam latitudinem; ſed quam raro id eveniet ſine ſcandalo? Demus e.g. Principem taxaſſe pretium olei, & Parochum illud vendere ſupra ta-

le

le pretium legale: heu quot obmurmurationes in rudi populo de Parocho? atque ita fit ut ab ipſo parvipendatur veluti injuſto lucro addictus, ipſius correctiones detrectet audire, & concionantem irrideat. Videat ergo Confeſſarius, ſi conveniens ſit hujuſmodi Parochum reprehendere, & ipſum cogere ad exiguum lucrum dimittendum, ut tot ſcandala removeat.

Potiori etiam ratione deberet redarguere, ſi non obſervaret leges prohibentes extractionem frumenti &c. ne inducatur penuria, jure etenim naturali, & divino tenetur præcavere gravia pericula ſuæ Patriæ.

QUÆSTIO IV.

De Ceſſatione, Revocatione, Interpretatione Legum, & Epiſcopi.

CAPUT I.

De Ceſſatione, & Revocatione Legum.

Q. I. Quando intelligatur ceſſare lex, dum ceſſat ejus finis;

R. I. Quando lex intendit finem intrinſecum, ſi iſte perſeveret, perſeverat etiam lex, quamvis ceſſet finis extrinſecus. Finis igitur intrinſecus eſt ipſa honeſtas actus, qui præſcribitur a lege, quamvis dirigatur ad aſſequendum finem aliquem extrinſecum. Ita finis intrinſecus legis præcipientis jejunium, eſt ipſa honeſtas jejunii; quod dirigitur ad alterum finem extrinſecum aſſequendum, nempe mortificationem carnis. Quod vero, perſeverante fine intrinſeco, perſeveret lex, quamvis non perſeveret extrinſecus, conſtat, quia ipſa honeſtas, & bonitas actus eſt finis intentus a Legiſlatore; adeoque, eo non deficiente, nec deficere poteſt lex lata propter talem finem. Ita perſeverat lex de obligatione jejunii; quamvis ex eo non ſequatur mortificatio carnis, quia lex primo, & per ſe intendit honeſtatem jejunii.

R. II. Si in omnibus, vel in pluribus ceſſet finis adæquatus legis, ceſſat etiam obligatio legis, non vero ſi talis finis ceſſet in aliquo caſu particulari. Quod ceſſet lex, ceſſante ipſius fine adæquato in omnibus, vel in pluribus, probatur, quia, cum lex reſpiciat bonum Communitatis, ſi illud non poſſit obtinere, quia deeſt finis totalis, ob quem lex lata eſt, jam lex redditur inutilis, & ipſo facto corruit: *D. Th. 1. 2. q. 103. a. 4. Suar. de leg. lib. 6. cap. 9. n. 5.* Exemplum ſit in lege, qua prohiberetur extractio frumenti, ne penuria inducatur; ſi tanta ſuperveniat frumenti copia, ut nullum ſit periculum talis penuriæ inducendæ, corruet ſtatim talis lex, quia ceſſat ejus finis totalis, & adæquatus. Id etiam patet in voto, quo quis voviſſet non ingredi talem domum, ut periculum lapſus vitaret, ſi tale periculum omnino ceſſet, ceſſat votum.

Hic etiam advertendum quod ſi materia legis ſit diviſibilis, & ſolum ſecundum partem reddatur inutilis, quamvis ceſſet pro hac parte, non ceſſat pro alia, ſecundum quam eſt utilis; juxta illam regulam ſatis notam; quod utile per inutile non vitiatur.

Quod vero adhuc perſeveret obligatio legis, quamvis ejus finis deſit in aliquo caſu, ſeu perſona particulari, probatur, quia lex non reſpicit caſus particulares, ſed quæ communiter accidunt: *leg. jura & ſeq. ff. de leg.* adeoque, perſeverante ejus fine, ſeu cauſa, reſpectu Communitatis, remanet in ſuo vigore; & ſi remanet in ſuo vigore, non eſt cur aliquis velit eſſe immunis ab ipſius obligatione. Confirmatur, quia, adhuc, ceſſante ejus cauſa, vel fine in aliquo particulari, poteſt Legiſlator juſte velle ipſius obligationem perſeverare: tum quia ex inobſervantia alicujus facile eſt paulatim inducere inobſervantiam univerſalem legis; tum quia facillime multi ſibi falſo perſuaderent finem legis reſpectu ipſorum ceſſaſſe; tum quia conveniens eſt partes Communitati conſentire. Cum ergo licet ceſſaret reſpectu alicujus finis, qui videtur primo intentus a lege, adhuc perſeverent reſpectu cujuſcumque plura alia juſta motiva, ex quibus velit Legiſlator ſuam legem obſervari, conſequens eſt legem in ſuo robore perſeverare. Uno verbo dicas ex jam dictis, hæc duo non poſſe ſimul convenire; quod nempe ceſſet finis adæquatus legis, ſeu Legislatoris reſpectu aliquorum particularium, & quod talis finis perſeveret reſpectu totius Communitatis. Scio plures diſſentire, ſed præfatæ rationes nimis me perſuadent. Videantur *Suar. de leg. l. 6. cap. 7. n. 5. & cap. 8. Palaus tr. 2. diſput. 5. punct. 1. n. 10. Laym. tr. 4. cap. 21. n. 3.*

Secus eſſet, ſi finis legis ceſſaret non ſolum privative, ſed etiam contrarie, quia ſcilicet reſpectu alicujus materia legis reddatur vel mala, vel nimis dura, & difficilis, cum etenim materia legis debeat eſſe accomodata communi hominum conditioni, jam deſinit obligare, ſi ſit nimis dura, & difficilis.

Q. II. Quid ſit revocatio legis, & quando leges poſſint revocari.

R. I. In jure differunt derogatio, abrogatio, & irritatio legis. Derogatio eſt removere legem ſolum ex parte, quando unus nempe, vel alter illius legis articulus immutatur, aut a generali lege aliqui caſus ſpeciales excipiuntur. Abrogatio eſt dum lex totaliter tollitur: *leg. derogatur, ff. de V. ſig.* Irritatio vero datur, dum ab authoritate ſuperiori removetur omnino lex lata ab inferiori, ut ſi Papa annullaret legem latam ab Epiſcopo. Revocatio igitur in rigore idem eſt ac abrogatio; ſed nihilominus ſæpe Authores illam confundunt cum derogatione, & irritatione.

R. II. Sine juſta cauſa leges non poſſunt licite revocari, *ut ex cap. non debeat de conſang. & affin. & cap. alma mater de ſent. excomm. in 6.* Probatur etiam ratione D. Thomæ *1. 2. q. 97. a. 1.*, quia, ſi lex non eſt expediens bono communi, jam ex ſe ipſa corruit, vel ut injuſta, vel ut inutilis. Si vero ſit expediens, iniquum eſt ſine gravi aliqua cauſa Communitatem tali bono privare. Obſervat autem idem S. Thomas, quod, cum novitates ſemper afferant aliquid incommodi, adeo ut nova, etiamſi leviora, graviora videantur; non debent leges revocari niſi ex maxima, & evidentiſſima utilitate, quæ ex novo ſtatuto proveniret, vel quia ex mutatione temporum & circumſtantiarum lex vetus, vel fere inutilis, vel nimis gravis evaſerit.

Q. III. Quando lex vetus revocata cenſeatur.

R. Lex nova generalis tollit priorem generalem, ut deciſum habetur *cap. 1. de Conſtit. in 6.* Ratio etiam eſt, quia, cum lex pendeat a voluntate Superioris, ſi aliquid de novo ſtatuat incompatibile cum lege priori, cenſetur hanc revocare voluiſſe, ut dicitur etiam *cap. 1. de cog. Spirit. leg. non eſt novum ff. de legibus, Sanch. l. 6. cap. 27. n. 3.* Quod ſi leges poſſint conciliari, non eſt inducenda abrogatio, quia, utpote odioſa, vitanda eſt quantum fieri poteſt: *cap. cum dilectus de conſuet.* Tunc autem locum habet conciliatio, quando effectus diverſarum legum compatiuntur; unde ſi promulgetur lex imponens novam pœnam alicui delicto, non cenſetur revocata præcedens, dum pœnæ legis antiquæ, & novæ ſimul poſſint locum habere.

Dixi quod lex nova generalis tollit priorem generalem, non vero tollit legem priorem ſpecialem, ſed hæc manet in ſuo robore, & limitat generalem; cum generi per ſpeciem derogetur, juxta *reg. 24. juris in 6.*: quod verificatur ſi lex ſpecialis generalem anteceſſerit, ut communiter docent DD. *ex cap. quamvis de præb. in 6., & cap. 1. de reſcript.* Unde e. g. lex generaliter ſtatuens aliquas ſolemnitates pro validitate Teſtamenti, non derogat ſpecialibus legibus circa teſtamenta ad pias cauſas: *Fag. in cap. cum eſſes n. 88. de teſtam.* Item lex nova generalis non derogat particularibus ſtatutis, & rationabilibus conſuetudinibus locorum, quia præſumitur Legiſlator eas ignorare. Secus ſi expreſſe etiam iis derogaret, dicendo e. g. non obſtante quacumque conſuetudine, aut lege particulari: *Sanch. de matr. l. 1. d. 14. n. 6. Suar. de leg. l. 6. cap. 27. n. 11.*

Q. IV. An ad derogandum Decretis Concilii Generalis requiratur eorum expreſſa mentio.

R. Quamplures Theologi, inter quos *Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 26. n. 6.*, cenſent per novas leges, ſeu Conſtitutiones non derogari Decretis Concilii Generalis, niſi hæc, vel ſimilis clauſula apponatur: *non obſtante quacumque lege, etiam in Concilio Generali lata.* Immo addunt ad derogandum Decretis Tridentini debere fieri expreſſam mentionem ipſius.

Verum ab hac opinione puto eſſe recedendum cum Faguano *in cap. nonnulli n. 31. & ſeq. de reſcript.*, & aliis. Dicendum propterea eſt per poſterius Decretum Concilii Generalis, vel per Pontificias Conſtitutiones derogari decretis prioris Concilii, ſi ſimul contrarientur. Ratio eſt, quia, ideo per authores contrarios non cenſetur revocata decreta Concilii Generalis, ſi non apponatur clauſula derogatoria ipſorum, quia non reputatur ſine tali clauſula revocari, quod multa maturitate ſancitum

Digitized by Google

tum eſt, ut habetur etiam *ex cap. Eccleſia veſtra 57. de elect.* Hæc autem ratio non valet, quia, etiam poſterius Decretum, & novam Pontificiam conſtitutionem dicendum eſt non eſſe factam ſine multo conſilio, & maturitate; ac proinde non urget ratio, quare non dicendum ſit revocatum prius decretum, ſi ſit incompoſſibile cum novo decreto, novaque Pontificia Conſtitutione. Et de facto *Fagn. loc. cit. n. 42.* obſervat Concilium Tridentinum derogaſſe pluribus decretis anteriorum Conciliorum, nulla ipſorum facta mentione.

Loquendo vero de Litteris Apoſtolicis, ſeu reſcriptis directis ad Perſonas particulares, per ea non derogatur decretis Concilii Generalis, niſi in ea apponatur expreſſa clauſula derogatoria; & id ſolum convincitur ex iis, quæ habentur, *cap. ex parte 3. de Capel. Monach. cap. nonnulli de reſcript. cap. cum te 4. de ætate, & qualit. præficiend.* Male proinde hæc jura apponuntur ad probandum neceſſariam eſſe clauſulam derogatoriam etiam in poſterioribus decretis Conciliorum, ſeu Coſtitutionibus Apoſtolicis, ut intelligatur derogatum decretis anterioris Concilii. Cur autem non in illis, ſed in reſcriptis &c. requiratur talis clauſula, innuitur a Gloſſa *in cap. 1. v. noſcamus de reſcript.* quia nempe Reſcripta contra jus & propter ipſorum multitudinem, & propter importunitatem petentium, non fiunt ea maturitate, examine, & conſilio, quo fiunt decreta Conciliorum, & novæ Pontificiæ leges, ſive Conſtitutiones; ac proinde non cenſetur derogatum illis decretis, niſi cum clauſula expreſſe derogatoria: *Fag. in cap. nonnulli num. 28. &c. de reſcript. Card. de Luc. tom. 1. diſc. 1. annot. ad S. Concil. Trid. n. 12.* & communiter.

Demum loquendo de Concilio Tridentino, abſque eo quod ipſius fiat expreſſa mentio, bene illi derogatur per clauſulam generalem: *non obſtante quocumque Conciliari decreto, ſive lege etiam Concilii Generalis*; nam *ſeſſ. 25. cap. 21. de ref.* in eo expreſſe reſervatur authoritas Sedis Apoſtolicæ, ſicut etiam in Conſtitutione Pii IV. confirmatoria ipſius; unde per quamcumque Apoſtolicam Conſtitutionem poteſt illi derogari, etſi illius non fiat expreſſa mentio: *Barboſ. p. 2. de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 33. n. 24.* & refert ita fuiſſe decitum *Card. de Luc. ubi ſupra & diſc. 46. de Beneſ. n. 3.*

Immo propter dictam expreſſam reſervationem Authoritatis Sedis Apoſtolicæ, derogatur Concilio Tridentino per hoc ſolum, quod Papa per literas in forma Brevis, vel per Reſcripta Signaturæ ipſius manu ſubſcripta aliquid ſtatuat contra Concilium Tridentinum; atque ita ſuo motu proprio declaraſſe S. Pium V. refert Garcias *tom. 1. de Beneſ. p. 4. cap. 3. n. 32. &c. Fag. in cap. nonnulli num. 86. de reſcript.* Id autem non ſufficit reſpectu Decretorum aliorum Conciliorum, ut conſtat ex *cap. ex parte* aliiſque ſupra citatis, neque enim illis derogatur præfatis Reſcriptis ſine expreſſa clauſula derogatoria.

Q. V. Cui competat leges revocare.

R. Primo qui legem tulit, poteſt eam abrogare, cum legis obligatio ab ipſius pendeat voluntate; & ut dicitur *cap. 1. de reg. jur.* res diſſolvitur per eaſdem cauſas, per quas naſcitur. Secundo, Succeſſor in eadem Sede, cum ſit ejuſdem poteſtatis, poteſt abrogare legem ſui Anteceſſoris. Tertio, Superior habens juriſdictionem in Inferiorem, poteſt iſtius leges abrogare; & ita Pontifex poteſt abrogare, leges Epiſcoporum, quia in hos habet juriſdictionem, non vero Archiepiſcopus, etenim quamvis ſuperior, & dignior, nullam habet juriſdictionem ſupra Epiſcopum. Inferior, licet poſſit diſpenſare aliquando in lege Superioris, eo modo, quo infra dicetur, non tamen valet iſtius leges abrogare, quia ad hoc exigitur juriſdictio: *Suar. l. 6. de leg. cap. 26. num. 9. & communiter ex cap. Inferior diſt. 21., & Clement. Ne Romani de elect.*

Q. VI. An Inferior Legislator poſſit abrogare ſuam legem, quando eſt confirmata a Superiore.

R. In hoc quæſito ſub diſtinctione procedendum eſt. Si ſtatutum confirmatum a Superiore reſpiciat favorem privatum, & ſolam utilitatem ſtatuentium, tunc etiam, inconſulto Papa, & quamvis factum contra jus commune, poteſt revocari, ut conſtat *ex cap. cum acceſſiſſent de Conſtit. & cap. pro illorum 22., & leg. omnium C. de teſtam.* Ratio autem eſt, quia unuſquiſque renunciare poteſt juri ſuo, atque favori: *cap. ſi diligenti de for. compet.* & in talibus caſibus confirmatio Superioris habet meram vim favoris, & privilegii. Si vero ſtatutum reſpiciat principaliter bonum publicum, cultum divinum, utilitatem Eccleſiæ, aut commodum aliorum; tunc ſi confirmatum fuit a ſuperiore, neutiquam revocari poteſt ab inferiore quia tunc non habet rationem privilegii, ſed decreti, quod cenſetur fieri ſumma Superiore dum ipſum confirmat: *cap. ſi Apoſtolicæ de præb. in 6., & leg. 1. C. de veter. jur. enucl.*; unde contra ipſum nihil poteſt inferior. Præterea nemo poteſt renunciare favori, quod reſpicit bonum publicum, & aliorum: *cap. ſi diligenti de for. compet. juncta Gloſſ. Fagnan. in cap. cum acceſſiſſent de Conſtit. Sanch. l. 3. in Decal. cap. 15. n. 6. Hyacinth. Donat. tr. 1. prax. rer. regul. p. 1. tr. 13. qu. 9. & q. 20. n. 16.*

Sunt qui aliter diſcurrant, dicendo, quod ſi confirmatio legis petita, & facta fuit ad majorem ipſius authoritatem, & ſplendorem, revocari poteſt ab inferiore, qui eam tulit; ſecus, ſi cum inferior non habebat poteſtatem, petiit confirmationem a Superiore, ut quod ſancivit, rationem legis haberet: *Palaus tract. 3. diſp. 5. p. 2. §. 2. num. 8.* & alii apud ipſum. Verum quomodo hoc verificari poſſit in praxi, nunquam intellexi; nam ſi confirmatio non augeat authoritatem, & robur legis ſancitæ ab inferiori Legislatore, prorſus futilis eſt. Si vero confirmatio addat legi authoritatem, & robur proveniens a Superiore confirmante, jam ex utroque jure ipſa lex conſideratur veluti ipſius Superioris; *l. 1. §. Sed neque C. de vet. jur. enucl. & cap. ſi Apoſtolicæ 22. de præb. in 6.*, & ita, juxta diſtinctionem ſupra factam, revocari non poteſt ab inferiore.

Q. VII. An Capitula, ſeu Communitates poſſint revocare ſtatuta, ſeu leges ab ipſis Capitularibus juratas.

R. Vel ſinguli Canonici e. g. juraverunt obſervare Capituli ſtatuta, ſeu leges; vel juraverunt obſervare contenta, & ſtabilita in ipſis legibus, & ſtatutis. Si primum, poſſunt ea ſtatuta revocare, quia eo ipſo quod juraverint obſervantiam Capitulorum, non cenſentur juraſſe ea non tollere, & revocare. Poſſent autem revocare aliquod ſtatutum etiam facto ipſo, collegialiter ipſum, non obſervando, & quidem ſine perjurio, quia idem eſſet ac illud revocare: poſtea vero, veluti quid acceſſorium, corrueret juramentum ſingulorum de illo obſervando: Si vero juraverunt obſervare contenta in ſtatutis, jam juramentum eſt de obſervantia contentorum in ipſis, & non præciſe de ſtatutis, unde eſſet omnino obſervandum: *Fagn. in cap. dilecto num. 20. & 22. de præb.* & alii apud ipſum. Quod ſi contraveniant, erunt perjuri, quia actus factus contra juramentum regulariter tenet, ſi non annulletur a jure. Cæterum ſi contraveniant ratione boni publici, non peccarent, ut dicitur agendo de juramento, & notat *Sanch. l. 3. in Decal. cap. 15. n. 5.*

CAPUT II.

De Legum Interpretatione, & Regulis in eadem obſervandis.

Q. I. Quid ſit Interpretatio legis, & quotuplex.

R. I. Quamvis quandoque etiam in jure, interpretatio legis ſumatur pro ipſius declaratione, facta verbis clarioribus, revera tamen differunt declaratio, & interpretatio legis. Declaratio igitur legis nil aliud ſignificat, quam illam verbis clarioribus exponere; at interpretatio intervenit, dum non attenta nuda littera, & cortice verborum, lex extenditur juxta mentem ipſius Legislatoris, ſive legis, attenta identitate, vel ſimilitudine rationis. Ita nomine filii interpretatum fuit venire etiam Nepotem, & nomine Patris Avum: *leg. juſta interpr. ff. de verb. ſignif.*

R. I. Interpretatio alia eſt authentica, alia doctrinalis. Tunc primo datur interpretatio authentica, quando ipſe Princeps, vel ejus Succeſſor in poteſtate interpretatur qualis ſit ſenſus legis; & hæc interpretatio, utpote proveniens ab habente authoritatem legem condendi, habet vim legis; & proinde dici ſolet interpretatio generalis neceſſaria, ſicut etiam ſcripta, quia ſcriptura communiter promulgatur. De hac interpretatione ſermo eſt *cap. inter alia 31. & leg. fin. C. de leg.* Secundo datur interpretatio authentica, eaque neceſſaria, & generalis, quando ad interpretandum ſenſum legis, conſideratur quæ vigeat conſuetudo, quamvis ipſa non ſit ſcripta; unde dicitur interpretatio non ſcripta. Hinc utroque jure conſuetudo dicitur *optima legum interpres cap. cum dilectus de conſuet., leg. ſi de interp. 36. ff. de leg.*

Tertio datur interpretatio *authentica*, ſed particularis, quando Judex in aliqua cauſa dubia decidenda in-

ter-

Google

terpretatur aliquam legem, cujus interpretationi, & deciſioni parere debent partes litigantes, ſi nolint, aut non poſſint appellare ad Judicem ſuperiorem; nam a jure habet poteſtatem leges interpretandi; *Leg. nam, ut ait, & leg. non poſſunt ff. de leg. Auth. ut Judices collat.* 9. Dicitur nihilominus particularis, quia illam ſolum attendere tenentur partes litigantes, non vero cæteri, nec alii Judices; tunc non exemplis, ſed legibus judicandum ſit *Leg. nemo C. de ſent. & interd. omn. Judic.*

Doctrinalis interpretatio eſt, quæ fit a quolibet viro docto; cum etenim verba legis aliquando ſint obſcura, & ambigua, nec ſemper adiri poſſit Legislator, conceſſum eſt viris doctis, non ex proprio cerebro, ſed cum fundamento rationis aliiſque juribus legem obſcuram interpretari *leg. unic. C. de Profeſſ. leg. 1. ff. ſi certum petatur*: quod etiam colligitur *ex cap. 2. de privil. in 6.* Et quia etiam aliquando præcepta naturalia, & Divina habere poſſunt obſcuritatem; ita & reſpectu ipſorum poteſt habere locum iſta interpretatio: *Salmant. tr. 11. de leg. cap. 4. p. 3. §. 1. n. 22.* Quod ſi conſentiant omnes DD. in eamdem interpretationem, non facile eſt ab ea recedendum; quod tamen faciendum eſſet, ſi & unus ſolus majora rationis fundamenta afferret: unde *Leg. 1. §. Sed neque C. de veter. jur. enucl.* dicitur: *ſed neque ex multitudine Authorum, quod melius, & æquius eſt judicatote, cum poſſit unius forſan, & deterioris ſententia, & multos, & majores in aliqua parte ſuperare.* Cæterum unius, aut paucorum interpretatio non ſemper tantam affert probabilitatem, ut illis tuto poſſit adhæreri, ſicut dixi agendo de opinione probabili.

Q. II. An locum habeat interpretatio, doctrinalis, ſi eadem interpretatio a lege prohibetur?

R. Neutiquam aſſentiendum illis, qui dicunt talibus prohibitionibus ſolum interpretationes frivolas vetari; cum etenim tales interpretationes reſpectu omnium legum prohibeantur, dicendum eſt, quod, dum reſpectu alicujus legis, vel Conſtitutionis interpretatio ſpecialiter prohibetur, quæcumque Doctrinalis interpretatio prohibitur. Melius ergo, meo videri, dicitur per talem prohibitionem prohiberi Interpretationem proprie talem, quæ fit dum a verbis receditur: *cap. in his de verb. ſignif.* ſed ex ſimilitudine, vel identitate rationis extenditur lex, attendendo potius mentem Legislatoris. Non vero prohibetur Declaratio, dum nempe clarioribus verbis explicatur, quod obſcurum videtur in lege. Hoc igitur pacto nil vetat, quin explicari poſſit Concilium Tridentinum quamvis Pius IV. in ſua Bulla ejuſdem Concilii confirmatoria, omnem ipſius interpretationem prohibuerit.

Q. III. An interpretatione legum liceat diſcedere a verbis legis?

R. I. In legum interpretatione, ſi conſtet de mente Legislatoris, dum legem tulit, hæc potius attendenda eſt, quam verba. Concordat utrumque jus in hoc aſſerendo: *can. humanæ aures 22. quæſt. 5. reg. 88. de reg. jur. in 6. leg. ſcire 16. ff. de leg.* Ratio autem eſt, quia verba ponuntur ad declarandam mentem; ac proinde dum conſtet de mente, illi omnino ſtandum eſt: *D. Th. 1. 2 q. 96. a. 3. Suar. l. 6. cap. 1. n. 12. Laym. tr. 4. cap. 18. n. 3.* Mens autem Legislatoris comprehenditur multoties ex proœmio, & principio legis, ubi explicari ſolet finis, & cauſa ipſius; *leg. regula circ. fin. ff. de jur. & fact. ignorantia, & leg. fin. ff. de Teſtat. tutel.* Innoteſcit etiam ex ratione ipſius legis; unde ratio legis dicitur anima ipſius, prout deſumitur ex *cap. conſuetudo diſt. 1. & leg. cum ratio ff. de portion. quæ liber.* Tertio, mentem Legislatoris aſſequi poſſumus ex comparatione ad alias leges; ubi enim non eſt juſta, & ſufficiens oppoſitio, præſumere poſſumus mentem Legislatoris illis fuiſſe conformem. Denique attendenda eſt materia legis cum aliis circumſtantiis; nam ſemper præſumendum eſt Legislatorem elegiſſe materiam fini a ſe intento aptiorem: *Leg. 66. ff. de reg. jur.*

R. II. Si non manifeſte conſtet aliud ſenſiſſe Legislatorem, non recedendum eſt a verbis legis: *cap. ad audientiam de Decim. leg. non aliter ff. de legat. 3.* quia verba mentem explicant Legislatoris. Unde verba clara non admittunt interpretationem, nec conjecturam Voluntatis, ut ex jure, & communi DD. probat *Barboſa axiom. 223. a. 3a.* Et id ſive lex ſit odioſa, ſive favorabilis, quia nec prima reſtringenda, nec ſecunda amplianda, niſi quantum patiuntur clara verba legis ſecundum ipſorum ſignificationem; conſtat enim tunc ex verbis talem fuiſſe mentem Legislatoris: *Suar. l. 6. de leg. cap. 1. n. 7. Laym. tr. 4. cap. 18. n. 5. Palaus tr. 3. diſp. 5. p. 3. §. 3. n. 2.* Ex hac Doctrina tradunt Doctores quod *verba generalia generaliter ſunt intelligenda*, ut dicitur *cap. quia circa 22. de privil.* & quod *ubi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus*, ut ex Summario *leg. de pretio ff. de publicana in rem act.* Quæ tamen omnia verificantur, dum leges generaliter loquentes; & nihil excipientes, non limitantur, ſeu diſtinguuntur per aliam legem: *leg. non eſt novum, & ſeqq. ff. de leg. juncta regul. 34. jur. in 6.* Quod dictum eſt de verbis generalibus, & nihil excipientibus, verificatur etiam de locutione indefinita, nam æquipollet univerſali.

Ad hanc doctrinam cenſeo reducendam etiam eſſe illam regulam: *Exceptio firmat regulam in contrarium, in caſibus non exceptis*, uti deſumitur *ex leg. quæſitum §. Denique ff. de fund. inſtruct. & cap. 2. de conſag. lepros.*; nam lex excipiens aliquem caſum, videtur clare ſignificare aliud ſentire in omnibus aliis caſibus non exceptis, ut ex communi probat *Barboſ. axiom. 85. n. 4.*

R. III. Præfata regula, non eſſe ſcilicet recedendum a verbis legis, ſi clara ſint, aliquas patitur limitationes. Primo, verba legis etiam impropianda ſunt, ſi id neceſſe ſit ad ſuſtinendum valorem actus, & ne reddatur inutilis; & ita *leg. ſi uno ff. locati, & leg. ſi cum date C. de don. ante nupt.* ad ſuſtinendum actum verbum *remaneat* impropriatur, & accipiatur velut ſignificans, *reddatur, reſtituatur.* Obſervat proinde Barboſa *axiom. 12. n. 18. & 19.* interpretationem, quæ fit pro valore actus dici a Doctoribus reginam omnium interpretationum; & merito, cum etenim jura velint verba ita eſſe interpretanda, ut res, de qua agitur, potius valeat, quam pereat *cap. Abbate 25. de V. ſig. leg. quoties in action. ff. de reb. credit. & leg. 1. §. C. de rei uxor. action.* dicendum eſt ita etiam Legislatorem voluiſſe ſuam mentem eſſe interpretandam. Hinc etiam dicitur verba poſſe impropriari, quando ſubjecta materia, ſeu natura actus, vel contractus ita expoſtulat, nam alias corruerent: & ita verbum *rogo* aliquando ſumitur *præceptive*, donatio pro tranſactione &c. Videatur Barboſa *axiom. 222. n. 6. & 8.* & alii ab illo citati.

Tertio, impropriari debent verba, ut abſurdum evitetur. Inter alios autem caſus, in quibus conſiderant DD intervenire grave abſurdum, ille eſt, quando verba legis ſuperflua remanerent: *cap. ſi Papa* 10. *de privilegiis in 6. cap. ſi a Judice* 10. *de appellat. in 6.* aliiſque ibi adductis a Gloſſa *v. cum effectu.* Et hoc adeo verum eſt ut nec minimum verbum debeat eſſe ſuperfluum, adeoque debet aliquid operari: *Barboſ. cit. axiom 12. Fagn. in cap. Tuarum n. 26. de privileg. Sanch. l. 3. de matr. diſp. 26. nu. 6.* Reputatur proinde in jure argumentum fortiſſimum, quod deſumitur a ſuperfluitate vitanda

Obſervet hic obiter Lector, quam ſapienter P. Manſi explicans undecimum caſum ex reſervatis noſtræ Diœceſis, hanc odioſam ſuperfluitatem vitaverit. Caſus reſervatus eſt hujuſmodi: *Conſenſus ſeu permiſſio, quod Uxor, Soror, Filia, ſeu Filius ſe proſtituant, ſeu copiam ſui faciant.* Aſſeruit laudatus Author illa verba, *ſeu copiam ſui faciant*, appoſita fuiſſe ad interpretandum, ſeu declarandum verbum *proſtituat.* Quidam Cenſores Manſium in Manifeſtum errorem prolapſum paſſim dictabant. Et cum modo unam, modo alteram caſus explicationem adduxiſſent, tandem convenerunt in aſſentiendo, conſenſum ad proſtitutionem non ſignificare conſenſum ſemel datum ad peccandum; cum mulier proſtituta idem ſit ac meretrix; & talis ſolum dicitur fœmina, quæ vel pluries peccavit, vel incepit peccare animo perſeverandi. Admiſſa hac interpretatione, nihilominus contra illum blaterabant, dicentes illa verba: *ſeu copiam ſui faciant* importare unicam copulam, adeoque incidere in caſum reſervatum Maritum e. g. ſemel permittentem uxorem peccare. Pape! Quam bene iſti callebant regulas rectæ interpretationis! Juxta has explicationes caſus hunc ſenſum reddidiſſet: *Maritus pluries conſentiens in proſtitutionem uxoris, incidit in caſum reſervatum.* Item; *Maritus ſemel conſentiens in proſtitutionem uxoris incipit in caſum reſervatum.* Quis non videat modo quam turpiter ſuperflua foret prima pars caſus? ſi etenim ſemel conſentiendo incideret in caſum reſervatum, ad quid primo ponere incidere, etiam ſi pluries conſentiat? Bene ergo dixit P. Manſi ſecundam partem caſus continere explicationem primæ partis, cum ad majorem declarationem optime tolleretur quod eadem aliis verbis explicentur & revera *copiam ſui facere*, dum ſermo eſt de muliere etiam juxta Calepinum ſignificat proſtitutionem more meretricio. Tolerantur etiam verba idem ſonantia ad ma-

Digitized by Google

jorem energiam, qua veluti magis comprehendatur mens Legiſlatoris. Ita in Bullis Pontificiis ſimul ponuntur iſta verba, *uti, frui, potiri*, quæ ferme idem ſignificant. Item in eodem contextu loquontur Bullæ de conſentientibus & permittentibus, ut etiam evenit in caſu ſupracitato, cum ſufficere videretur conſentientes expreſſiſſe, nam qui conſentit, a fortiori permittit. Hæc autem, quæ apparet, ſuperfluitas, dum non eſt neceſſaria ad majorem declarationem, excuſatur multoties ex conſuetudine. Videatur. *Barboſa axiom.* 216. *n.* 6.

Q. IV. An interpretandum ſit legem extendi ad caſus in ea non comprehenſos ob identitatem, vel ſimilitudinem rationis.

R. I. Praſcindendo modo a lege penali, primo obſervandum eſt, tunc dari ſimilitudinem rationis, quando in diverſis caſibus datur ſimilis ratio; at non eſt eadem, ſed diverſa. Ita ſimilis eſt ratio, qua prohibetur furtum in loco ſacro, & qua prohibetur ibidem homicidium, ex reverentia nempe debita loco, at non eſt eadem, quia poteſt aliqua diſparitas inveniri; & ita magis prohiberi poteſt homicidium, quia aſt gravius crimen, quam furtum. Tunc vero datur identitas rationis, quando eadem omnino ratio datur pro utroque caſu, nec ulla reperiri poteſt diſparitas.

Propter ſimilitudinem rationis; lex non eſt extendenda ad caſum in ea non comprehenſum; nam ex ea non ſatis conſtat Legiſlatorem voluiſſe illum comprehendere, cum potuerit non comprehendere; non enim ſemper expedit omnia ſimilia vel præcipere, vel prohibere, vel permittere. Ita ne homines diverſi habitus, ac diſparis profeſſionis commorentur in eodem Monaſterio, prohibetur *Clem.* 1. *de elect.* aſſumi in prælatum alicujus conventus religioſum alterius Ordinis; & quamvis ſimilis ratio curreret pro Religioſo aſſumendo ad Epiſcopatum, quia debet in Eccleſia, Capitulo &c. intervenire cum hominibus diverſi habitus, & diſparis profeſſionis, attamen hic caſus non cenſetur prohibitus: *Suar. l.* 6. *de leg. cap.* 3. *n.* 4. *Palaus tr.* 3. *diſp.* 5. *p.* 3. *§.* 4. *nu.* 2.

Nec obſtat illa Canoniſtarum regula, qua dicitur: *de ſimilibus idem eſt judicium: cap. tranſlato, cap. inter corporalia de tranſlat. Epiſcop. & leg. non poſſunt ff. de leg.* nam ſemper cum parva diſſimulatio, vel diverſa decidendi ratio poſſit aſſignari, omnino corruit argumentum a ſimili: *Barboſ. loco* tcı. *n.* 7. *&* 8. & communiter. Nos autem dicimus, dum ſola datur ſimilitudo rationis, ſemper habere locum aliquam diſparitatem. Ulterius dicatur ex præfata regula non intelligi legem extendendam eſſe ad caſum in ea non expreſſum ob ſimilitudinem rationis, ſed ſolum quod quando jus non diſponit de aliquo caſu particulari, debet Judex de eo judicare juxta alias leges, in quibus ſimilitudo rationis reperitur; nam cum hæ juſtæ reputandæ ſint, & ipſe juſte judicabit illas attendendo; *leg. nam ff. de leg.* & docet S. Thomas 2. 2. *q.* 60. *a.* 2.

R. II. Ubi eadem eſt prorſus ratio, eadem eſt juris diſpoſitio, ut habet Summarium *in leg. illud. ff. ad l. aquiliam, & cap. inter corporalia de tranſlat. Epiſc.* unde ſi interveniat identitas rationis, lex extenditur etiam ad caſum in ea non expreſſum. Et ratio eſt, quia ratio legis dicitur anima legis, & ex ea quam maxime comprehenditur mens Legiſlatoris; unde dicendum eſt ſua lege comprehendere etiam voluiſſe omnes caſus, ubi eadem adæquata ratio reperitur, qua motus fuit ad aliquam legem ſtatuendam. Præterea non fuiſſet juſta & prudens intentio Legiſlatoris, ſi noluiſſet ſua lege comprehendere omnes caſus, in quibus adeſt eadem adæquata ratio, & ideo præſumendum eſt voluiſſe. Tunc proinde dicitur adeſſe eadem lex non extenſive, ſed comprehenſive: *Barboſ. axiom.* 197. *n.* 8. *Suar. de leg. l.* 6. *cap.* 3. *n.* 16. *Laym. tr.* 4. *cap.* 18. *n.* 9. Oportet tamen in omnibus caſibus eſſe eamdem rationem adæquatam, quod ſola nempe eadem ratio poſſit ipſis aptari; ſi etenim uni caſui non ſolum eadem ratio, ſed altera aliquanto diſpar poſſit convenire, dici poſſet, Legiſlatorem ex hac alia ratione noluiſſe caſum non expreſſum comprehendere, & quod expreſſiſſet, ſi comprehendere voluiſſet: *cap.* 2. *de tranſlat. Epiſ.*

Plura habemus exempla, in quibus ex eadem adæquata ratione intelliguntur alii caſus in lege comprehenſi. Primo id conſtat in correlativis, unde ſi Vir non tenetur reddere debitum Uxori, ſi ſit adultera; idem dicendum de Uxore reſpectu viri adulteri. Item, ſi ob ſponſi abſentiam ſine licentia ſponſæ, diſſolvuntur ſponſalia, idem dicendum ob abſentiam Sponſæ, quamvis *cap. de illis de ſponſal.* ſermo ſolum ſit de Sponſo. Idem valet in æquiparatis, in ea ratione, in qua ſunt æquiparata, quia proinde in lege æquiparantur electio, poſtulatio, poſſeſſio, & præſentatio, quod diſpoſitum aſt de una, de alia pariter diſpoſitum cenſetur. Idem demum dicas in connexis, & ita cui lex concedit facere teſtamentum, concedit pariter facere codicillum.

Q. V. Quomodo interpretandæ ſunt leges pœnales, & odioſæ; & an extendendæ ob identitatem rationis?

R. I. Si verba legis pœnalis adeo ſint clara, & expreſſa, ut nullam emollientem interpretationem poſſint admittere, tunc illæ leges ſunt omnino obſervandæ; nam ex verbis nullam admittentibus interpretationem, ſatis conſtat de mente Legiſlatoris: *leg. profpenit ff. qui, & a quibus manumiſſ.* Quod ſi ex circumſtantiis caſus, & qualitate perſonæ temperari poſſit rigor juris, omnino eſt temperandus ex ſtatim dicendis.

R. II. Leges pœnales, & odioſæ in dubio ſemper ſunt ſtrictæ interpretandæ, adeoque non extendendæ ad caſus, & Perſonas non expreſſas: Hinc jura volunt in interpretatione legum, pœnas eſſe emolliendas: *leg.* 42. *ff. de pœn.* in pœnis benigniorem interpretationem ſequendam *reg.* 49. *de reg. jur. in* 6. odia eſſe reſtringenda: *reg.* 45. *ibidem*, ac denique in omnibus, ſuper quibus jus non invenitur expreſſum, declinandum eſſe in partem humaniorem: *cap. ult. de tranſact.* Et hic etiam habere poteſt locum illa regula, quod *in omnibus caſibus potior debet eſſe ratio æquitatis, quam ſtricti juris*, quæ tamen intelligenda eſt de æquitate ſcripta, & hac deficiente, de æquitate etiam non ſcripta: *Barboſ. axiom.* 15. *num.* 1. *& ſeq.* Porro hæc æquitas importat juſtitiam miſericordia temperatam. Hinc leges penales, generaliter loquendo, niſi aliud expreſſe in ais exprimatur, ſemper intelliguntur pœnam inducere, non ſolum attentato, ſed re vera ſequuto effectu, quem prohibent: *can. hæc autem verba de pœnit. diſt.* 1.

Hinc etiam revocatio, vel correctio legum, utpote odioſa, debet quantum fieri poteſt evitari: *cap. cum expediat* 29. *de elect. in* 6. Idem dicendum de legibus exorbitantibus a jure communi; unde exorbitantia ab eodem jure nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda, ut dicitur *reg.* 74. *jur. in* 6., ſed tanquam odioſa ſunt reſtringenda: *cap. is, qui de filiis præsbyt. in* 6. Difficilius nihilominus extenditur jus correctorium, quod jus commune in totum corrigit, quam jus exorbitans, quod non in totum, ſed in partem idem jus corrigit: *arg. cap. auditis juncta Gloſſa V. jure Minoris de in integr. reſtit.*

R. III. Leges penales non extendandæ ſunt de caſu ad caſum, neque etiam ex identitate rationis. Id non admittunt plures Canoniſtæ, qui nonnullos ex jure caſus adducunt ad probandum in foro ſaltem externo ex identitate rationis dari extenſionem legis de caſu ad caſum. Verum pro foro interno tuto ſequimur contrariam ſententiam, non ſolum ex illa generali regula; quod penæ non ſunt extendendæ, ſed reſtringendæ; ſed etiam quia, cum non expediat multa præcipere, ſeu prohibere, maxime adjuncta Pena, bene Legiſlator potuit unum caſum ſub pena præcipere, ſeu prohibere, non vero caſum non expreſſum. Ex ipſo autem quod non ſit pena extendenda, neque eſt extendenda obligatio obediendi, ſi lex penalis ſit præceptiva, pena enim datur frangenti obligationem, unde ſi pena non extenditur, neque etiam obligatio: *Laym. tr.* 4. *c.* 18. *n.* 2. *&* 9. *Suar. l.* 6. *de leg. cap.* 3. *n.* 5. *Sanch. l.* 10. *de matr. diſp.* 4. *n.* 3. Hinc quamvis æquiparentur in jure facientes, mandantes, & conſulentes, nihilominus communis opinio eſt penam e. g. excommunicationis latæ contra facientes, non afficere cæteros, ſi non exprimantur. Item eadem omnino ratio eſt de Monialibus nubentibus, & Monachis matrimonium ineuntibus, & nihilominus ea excommunicatione, qua ex *Clem. unic. de affin. & conſang.* innondantur Moniales, non innodantur Monachi: *Sanch. l.* 5. *de matr. diſp,* 48. *n.* 2.

Q. VI. Quomodo interpretandæ ſint leges favorabiles?

R. Favores ſunt ampliandi ex illa tam celebri regula: *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*; *reg.* 15. *jur. in* 6., idque ſemper verum eſt dummodo illuſio ſtatuti, ſeu diſpoſitionis non ſequatur: *cap. ſi ſententia* 16. *& cap. ſi Civitas de ſent. excomm. in* 6. Hac ratione nomine filii in materia odioſa non venit adoptivus, ſed ſolus naturalis, ſecus in favorabili. Sub nomine nobilis in favorabili venit etiam qui talis eſt beneficio Principis, non jure ſanguinis, ſecus in odioſa: *Suar. l.* 6. *cap.* 2. *n.* 6.

Digitized by Google

n. 6. Sanch. in Decal. l. 6. c. 35. n. 37. Item in materia favorabili nomine Cleri veniunt Epiſcopi, Canonici, aliique in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, & Religioſi utriuſque ſexus, non vero in materia odioſa, ut videre eſt *cap. qui periculoſum 4. de ſent. excomm. in 6. cap. Sedes Apoſtolica 15. de Reſcript.*, & *cap. ſtatutam 22. de elect. in 6.* & *Gloſſa in Clement. 1. de ſuppl. neglig. Prælat. V. Clericas 1. n. 1.* Pariter in favorabilibus nomine populi venit etiam Clerus, non vero in odioſis; *cap. ſi ſententia cit.*

Inter ea, quæ pleniſſime interpretanda ſunt veniunt Beneficia; *cap. cum dilect. de donat.* ubi dicitur quod in contractibus plena, in teſtamentis plenior, in beneficiis pleniſſima eſt interpretatio facienda, & conſtat etiam ex *cap. olim de V. ſig.* Idem tamen intelligendum eſt de Beneficio ſtricte ſumpto, quod diſtinguitur a Reſcripto, quia hoc fit ſecundum jus commune, a Privilegio, quia hoc eſt contra jus commune. Beneficium vero neque eſt juxta, neque contra jus commune, ſed præter illud, eoque exercet Princeps ſuam libertatem; ac proinde illi ſolum poteſt dici præjudicialis. Hoc ſolum beneficium ſtricte ſumptum latiſſime debet interpretari; ut obſervat Fagnanus *in cit. ca. olim. num. 44. & ſeqq.* Excipienda nihilominus ſunt reſcripta ad beneficia Eccleſiaſtica obtinenda; nam hæc ſunt ſtrictæ interpretationis; *cap. quamvis de præb. in 6*,

Sed quia agendum, quod leges partim favorabiles ſunt, partim odioſæ; vel quando dubium eſt, an lex principaliter intenderit favorem, vel odium? Primo videndum, an favor, & odium poſſint ſeparari; & tunc odia ſunt reſtringenda, & favores ampliandi, juxta regulas ſæpe citatas, & tradit Gloſſa *in l. venia v. liberis C. de in jus vocando.* Si non poſſint ſeparari, & leges principaliter ſint favorabiles, quia ex primario motivo intento a Legiſlatore reſpiciunt beneficium alicujus, licet de ſecundario aliis odioſæ remaneant, tunc ſunt extendendæ etiam quoad odia. Si vero motivum principale illarum fuit onus imponere, quamvis ſecundario cedant in favorem alicujus, tunc reſtringendæ ſunt etiam quoad favores: *Suar. de leg. l. 6. cap. 4. n. 5. Sanch. de matr. l. 1. diſput. 1. n. 5.* Et ratio omnium eſt quia acceſſorium ſequi debet principale.

Si demum non appareat, an lex principaliter reſpiciat potius favorem, quam odium, tunc potius attendendus eſt favor, quam odium, cum in dubiis ſemper benigniora ſint præferenda: *leg. ſemper 57. ff. de regulis jur.* adeoque potius lata facienda eſt interpretatio. Regulæ pro praxi apponentur in particularibus materiis.

CAPUT III.

De Epikeja, & Præſumptione Licentiæ.

Q. I. QUid ſit Epikyja, ſeu Epikeja, & quando habeat locum.

R. I. Epikeja nil aliud eſt, quam benigna interpretatio ſecundum æquum, & bonum mentis Legiſlatoris, qua judicatur ob aliquas particulares circumſtantias noluiſſe caſum particulare comprehendere. Cum igitur jura communem utilitatem reſpiciant, adeoque quod ut plurimum accidit, hinc eſt non diſponere de iis, quæ forte in uno, vel altero caſu accidere ſolent; *leg. 4. & ſeqq. ff. de leg.* adeoque in talibus caſibus priorem debere eſſe rationem æquitatis, quam ſtricti juris, ut dicitur *leg. placuit C. de judic.* Conſtat ex dictis Epikejam ab interpretatione differre prout interpretatio confunditur cum declaratione: nam hæc conſiſtit in explicandis verbis legis, quando ſunt ambigua, vel habent ſenſum obſcurum, Epikeja vero in explicanda mente Leiſlatoris in aliquo caſu particulari.

R. II. Si mere dubium ſit, an Legiſlator voluiſſet aliquem particularem caſum comprehendere, tum potius ſtandum eſſet pro lege, ut docet *S. Th. 1. 2. q. 96. a. 6. ad 2.* Si vero ratione vere probabili probetur hunc, vel illum caſum non cenſendum eſſe comprehenſum a Legiſlatore, vel quia datur circumſtantia, quæ non potuit ab ipſo prævideri; vel quia datur aliqua particularis ratio, quæ non eſt communis cæteris caſibus ejuſdem ſpeciei; vel quia melius obtinetur finis intentus a Legiſlatore diverſimode agendo, ac ille præſcripſerit &c. tunc poteſt habere locum Epikeja.

Secundo habet locum Epikeja, ſi finis legis deficiat contrarie, quia nempe ipſius obſervantia eſſet damnoſa Communitati, vel alicui particulari, ut ex Juriſconſulto obſervat *S. Th. 1. 2. q. 96. a. 6.*; nam tunc iniquum eſſet præſumere Legiſlatorem voluiſſe ſuam legem obſervari.

Tertio locum habet Epikeja, quando obſervatio legis redditur oneroſa, & valde difficilis; nam leges; ut dictum eſt *q. 1. cap. 1.*, debent eſſe accomodatæ communi hominum conditioni, adeoque non valde difficiles, & uneroſæ. Si reddantur proinde valde difficiles, & oneroſæ, non intelliguntur comprehenſæ in mente Legiſlatoris; & ita in ſimilibus caſibus particularibus licite contra verba legis operamur.

Q. II. An Epikeja locum habeat reſpectu omnium legum.

R. I. Certum eſt Epikejam locum habere reſpectu legum humanarum; cum etenim humanus Legiſlator non poſſit omnes caſus particulares prævidere, & ſolum reſpiciat quod communiter accidit, remanet locus, ut aliqui caſus particulares non dicantur incluſi in ipſius mente, adeoque nec in lege.

R. II. Epikeja poteſt habere locum etiam reſpectu legis natualis, & divinæ. Et quidem reſpectu legis divinæ conſtat, quia quamvis Divinus Legiſlator ſit omniſcius, nihilominus ad vitandam prolixitatem, & confuſionem noluit omnes caſus particulares exprimere: *D. Th. 1. 2. q. 96. a. 6.* Ita David per Epikejam judicavit ſibi licere in caſu neceſſitatis contra legem divinam comedere panes propoſitionis; *1. Reg. c. 21.* & Machabæi per Epikejam interpretati ſunt non obligari ad obſerventiam ſabbathi: *1. Machab. 2.*

Q. III. Quid ſit præſumptio licentiæ Superioris, & quando ex ea licite operemur.

R. I. Præſumptio licentiæ differt ab Epikeja, quia per Epikejam interpretamur Legiſlatorem noluiſſe aliquos caſus particulares comprehendere; per præſumptionem vero licentiæ inducimur ad operandum, non quia judicemus illum caſum non comprehendi a lege, ſed quia præſumimus prudenter Legiſlatorem tacite conſentire.

R. II. Quando ad valorem actus requiritur actualis licentia, ſicuti requiritur actualis approbatio pro facultate excipiendi Confeſſiones, tunc certum eſt non ſufficere licentiam præſumptam: *Lugo de juſt. diſp. 1. n. 134.* Si vero certo conſtet Superiorem conceſſurum licentiam, nec commode poſſit adiri, tunc licite operamur in iis, quorum valor non pendet ab actuali ipſius voluntate; dum enim non ſit commodum illum adire, bene creditur licentiam in re juſta tacita ſaltem concedere. Si vero non certum ſit, ſed mere probabile Superiorem licentiam conceſſurum, tunc, ſaltem loquendo de ſuperiore Regulari, puto non de facili eſſe præſumendam ipſius licentiam, nam ſi ſemper ex aliqua probabili ratione præſumenda foret licentia Superioris, facillime rueret dependentia Subditorum, quia unuſquiſque ſibi facillime blandiretur de tali ratione probabili. Idem puto dicendum, dum facile adiri poteſt Superior, etiam dum certum eſt licentiam conceſſurum; nam tunc æquius præſumitur, ſi dicatur velle ab eo expreſſe licentiam expoſtulari, & vinci illam erubeſcentiam, ſeu humanum reſpectum, ne Regularis ruat obſervantia: *Lugo de juſt. diſp. 3. n. 124.* aliique.

Advertendum etiam non ſemper ex ſilentio Superioris præſumi ipſius licentiam, ſi e.g. taceat ad vitanda majora incommoda; diſſenſiones, multiplicatas querelas &c. *Palaus tr. 16. d. 3. p. 23.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Uſus epikejæ valde prodeſſe poteſt Docto Confeſſario, ſi tamen ea cum grano ſalis utatur. Demus e.g. Parochum abſentem a Civitate non poſſe differre matrimonium ſine periculo imminenti gravis ſcandali, jam ſi per epikejam non interpretetur in tali caſu ceſſare obligationem denunciationum faciendarum ante matrimonium, nec aliam poſſe eſſe mentem Epiſcopi, ad quem non adeſt tempus recurrendi, certe ex ipſius ignorantia multa ſcandala poterunt evenire. Item, ſi per epikejam non reputet ceſſare obligationem ferendi SS. Viaticum cum ordinaria luminum aſſociatione, quoties periculum eſt in mora, evenire facile poterit plures abſque tanto auxilio obire. Non per hoc tamen intelligo ferri poſſe cum indecentia. Ex his plura alia inferat, & in iis, quę non ſunt intrinſece mala, non refugiat uti epikeja, quoties lex obſervantia legum videt vel ſibi, vel aliis proximum periculum gravis damni imminere.

Hinc, ut id etiam pro praxi non deſinam adnotare, quoties videt ex materiali integritate Confeſſionis, vel in-

Infirmo grave periculum ſalutis imminere, vel ſcrupuloſo intolerabilem conſcientiæ perplexitatem, judicet ex epikeja non habere locum plenam obſervantiam legis divinæ de materiali integritate Confeſſionis. Idem dicas de obligatione recitandi Horas Canonicas, quoties ex ipſius recitatione ita quis ſcrupulis angeretur, ut ipſarum recitatio eſſet illi onus graviſſimum. Ob quietem tamen majorem ſcrupuloſi, melius eſt recurrere ad ſuperiorem Eccleſiaſticum pro diſpenſatione.

II. Notet Confeſſarius Regularium nimis permittere operari ex præſumpta Superioris licentia, eſſe januam, unde laxitates, & corruptelæ Monaſteria invadant Regularium. Non ſit nimis ergo indulgens erga eos, qui ex præſumpta licentia operantur, quoties patet aditus ad Superiorem; vel ſi ſolum ſibi probabiliter perſuadeant Superiorem conceſſurum, maxime ſi non ſit aliqualis neceſſitas operandi.

QUÆSTIO V.

De Legum Diſpenſatione.

CAPUT I.

De Natura Diſpenſationis; Quibus competat diſpenſare; & reſpectu quorum illam valeant exercere.

Q. I. Quid ſit diſpenſatio, & quotuplex.

R. I. Si diſpenſatio generaliter accipiatur pro omni eo, quod eximit ab obligatione legis, poteſt confundi cum interpretatione, declaratione legis, ſeu etiam epikeja, quo pacto de ea videtur loquutus *S. Th. 1.2. q. 97. art. 4. & q. 100. a. 8.* Si vero ſtricte ſumatur, non denotat preciſe declarationem, & interpretationem legis, quæ etiam fieri poſſunt a quocumque viro docto, ſed relaxationem obligationis legis, factam authoritate Superioris. Hinc ſolet ea definiri: *juris alicujus relaxatio, facta ab habente legitimam poteſtatem.* Quæ vero cauſæ requirantur vel ad validam, vel ad licitam diſpenſationem, videbimus capite ſequenti.

Quia diſpenſatio juris relaxationem importat, ideo vulnus juris nuncupatur, *can. ipſa pietas 23. q. 4.* unde diſpenſationes, utpote odioſæ, ſtricte ſunt interpretandæ: *cap. 1. § fin. de fil. Presbyt. in 6.* nec attendendum in illis argumentum a majori ad minus, vel ad ſimile *Barboſ. p. 2. de offic. & poteſt Epiſc. allegat. 23. n. 7. & ſeq. Fag. in cap. quia in tantum n. 26. de præbend.* Extenditur ſolum ad ea, quæ acceſſoria ſunt, ſive connexa, vel conſecutiva ex illa re, ſuper qua obtenta eſt diſpenſatio; *Barboſ. cit. n. 8. & Fag. n. 23.* Si quis proinde fuerit diſpenſatus ſuper pluralitate Beneficiorum, quæ expoſcant reſidentiam, ſuper eadem reſidentia intelligitur etiam diſpenſatus.

E contra, cum poteſtas diſpenſandi ſit beneficium Principis, favorabilis reputatur, adeoque late eſt interpretanda. Ita ex communi *Fag. in cap. mandata 46. de Simon. n. 33.* Id eſt tamen intelligendum, quando poteſtas diſpenſandi non eſt circa rem, ex cujus diſpenſatione tertii præjudicium reſultet; nam tunc redditur odioſa, & ſtrictæ interpretationis: *Fag. a. 37.*

R. II. Ommiſſis variis diviſionibus diſpenſationis, cum vel ex ipſis terminis pateant, vel parum conducant ad directionem conſcientiæ, duas tantummodo ipſius diviſiones afferam. Primo ergo dividitur diſpenſatio in neceſſariam, ſeu debitam, & permiſſam. Neceſſaria tunc datur, quando ex ipſius negatione ſcandalum reſultaret, adeoque eſt concedenda. Idem dicas, ſi diſpenſationem expoſcat non exigua utilitas, vel gravis neceſſitas: *can. conſtitueretur 50. diſt.* Permiſſa eſt, quando diſpenſatur in lege cum cauſa, ſed non adeo gravi, ut non poſſet prætermitti. Secundo, dividitur in tacitam, & expreſſam. Hæc intervenit quando Superior evidentibus ſignis, vel verbis demonſtrat in lege diſpenſare, neque enim ad impertiendam diſpenſationem aliqua verborum formula eſt neceſſaria, quamvis ſi in jure caveatur, ut in ſcriptis ſit impertienda, tunc neceſſario ſcriptura ſit adhibenda. Tacita diſpenſatio intervenit, quando ex aliqua re conſtat Superiorem relaxare legem, & eximere ab ipſius obligatione; ut ſi alicui, quem ſcit a lege impedimentum, concedat aliquid cum eadem lege incompoſſibile, dando e.g. literas dimiſſorias ad ordinem illi, quem ſcit eſſe irregularem: *Laym., tract. 4. cap. 22. num. 2. Sanch. l. 8. de matr. d. 4. n. 2. & c. Pal. diſp. 6. p. 12. nu. 2.* Induci etiam videtur tacita diſpenſatio per ſilentium Superioris, ſi videat ſubditum agere contra legem, & nihilominus taceat dummodo faciliter loqui poſſet, & ſubditum corrigere. Ratio eſt, quia ſi tunc non haberet voluntatem diſpenſandi; peccaret tacendo, cum non removeret Subditi tranſgreſſionem, peccatum autem non eſt præſumendum in Superiore: *Sanch. cit. n. 26. Palaus n. 3. Suar. de leg. l. 6. cap. 13. n. 21.* & ita tunc obtinet locum regula 43. *juris in 6.* qua dicitur, quod, qui tacet, conſentire videtur. Verum in praxi ex ſilentio Superioris non de facili præſumi debet diſpenſatio; nam ut plurimum tacet vel ex humano reſpectu, vel ex timore ne Subditi exaſperentur, & fiant deteriores.

Cæterum non inducitur diſpenſatio, ex eo quod prudenter poſſet judicari Superiorem ratihabiturum, vel libentiſſime diſpenſaturum, ſi ſciret. Ratio eſt, quia ſicut ad imponendam legis obligationem neceſſaria eſt præſens voluntas Superioris, ita ad relaxandam obligationem legis requiritur eadem præſens voluntas; nec ſufficit futura, quia futura voluntas ſignificat quidem quod relaxaſſet, ſi ſciviſſet, non vero quod de facto relaxaverit vinculum legis, ut expoſcit diſpenſatio. Sic ad contrahendum matrimonium, non ſatis eſt dignoſcere Papam libentiſſime diſpenſaturum, ſi ſciviſſet; nec ad audiendas confeſſiones Epiſcopum ratihabiturum &c. *Suar. cit. n. 20. Laym. tr. 4. c. 22. n. 3. Sanch. l. 8. de matr. d. 4. n. 11.*

Venit proinde hic adnotandum diſcrimen inter diſpenſationem, & ſimplicem licentiam in lege. Simplex ergo licentia non importat vulnerationem, ſeu relaxationem legis, ſed potius eſt implementum legis; cum licentia non prohibeat abſolute actum, ſed potius ipſum concedat, dum accedit licentia Superioris. Ita Regularibus non prohibetur abſolute aliquam pecuniam retinere, ſed ne id faciant abſque licentia: unde cum Superior concedit licentiam, non diſpenſat, ſeu relaxat legem de voto paupertatis, cum hæc concedat facultatem retinendi obtenta licentia. Cum proinde ſimplex licentia non vulneret legem, ſed ſit implementum legis, late eſt interpretanda; & ita quandoque licite operamur ex præſumptione talis licentiæ, ut dictum eſt capite ſuperiori. At diſpenſatio proprie dicta, cum ſit vulneratio legis, ſtrictam exigit interpretationem, adeoque non licite operamur ex ſola præſumpta diſpenſatione.

Q. II. An ſit in aliquo facultas diſpenſandi in lege naturali.

R. Cum diſpenſatio proprie ſumpta importet, ut perſeverante obligatione legis, ipſius vinculum relaxetur, ſequitur, proprie non habere locum diſpenſationem in lege naturali, quando nulla intervenit circumſtantia, unde ceſſet ipſius obligatio. Ratio eſt, quia ſi lex naturalis ſit præceptiva, jam eſt intrinſece, & eſſentialiter conformis rectæ rationi: adeoque Legi æternæ; ſicuti eſt intrinſece, & eſſentialiter difformis recte rationi & Legi æternæ, quod lex naturalis prohibet. Si ergo perſeverante obligatione legis, Deus per diſpenſationem concederet quod lex naturalis prohibet, concederet aliquid contrarium ſuæ legi, adeoque ſibimet difforme; & ſi concederet non obſervari legem præcipientem in circumſtantiis, quibus obligat, concederet non fieri, quod lex æterna, adeoque ipſemet Deus vult eſſe faciendum. Non habet proinde locum in lege naturali diſpenſatio proprie dicta: *D. Th. 1. 2. q. 100. a. 8.*

Solum ergo poteſt Deus facere, ut ceſſet obligatio legis naturalis, mutando materiam præcepti. Sic faciendo proprias Hebræorum illas res, quæ pertinebant ad Ægyptios, fecit etiam quod Hebræi furtum non committerent, ipſorum ſubſtantias ſecum transferendo. Pariter faciendo propriam uxorem Oseæ mulierem fornicariam, abſtulit malitiam fornicationis in acceſſu Prophetæ ad eam mulierem. Item conſtituendo Abrahamum ſuum Miniſtrum, utpote quia Supremus Dominus eſt noſtræ vitæ, abſtulit malitiam homicidii a voluntate, qua Abraham decreverat filium ſacrificare.

Hoc modo etiam homines poſſunt aliquando removere obligationem legis naturalis, quando ſcilicet fundamentum habet in prævio voluntatum conſenſu. Verum igitur eſt, quod ea, quæ nullatenus pendent ab humana voluntate, & ſunt juris naturæ, nec poteſt ipſe Pontifex etiam indirecte diſpenſare, quia inferior removere haud poteſt obligationem a Superiore impoſitam; & ita Pontifex nunquam diſpenſat in impedimentis matrimonii, quæ ſunt juris naturæ; *Div. Th. cit. Palaus tr. 3. diſp. 6. p. 2. n. 7.* Verum dum obligatio juris naturæ fundamentum habet in prævio voluntatum conſenſu, remitti poteſt vel ab eo, cui ſubeſt materia talis obligationis; ut ſi Pa-

ter-

Digitized by Google

ter nolit concedere Filio rem, quam alteri promiſit; vel ab eo, in cuis favorem ſacta eſt obligatio, ut dum partes, quæ contraxerunt, ſibi invicem remittunt obligationem. Ita ſequitur in juramento, ſi ille in cujus favorem ſactum eſt, remittat obligationem: ſicuti etiam in voto, dum Superior nomine Dei illud relaxat. At in his omnibus caſibus non intervenit propria diſpenſatio, quæ expoſcit, ut vigente obligatione legis, ipſius vinculum relaxetur, ſed omnino impropria, ſeu indirecta, cum removeatur id, ex quo oritur obligatio, nempe contractus, votum, juramentum &c. Ubi vero vel ex mutatione materię, ſeu ceſſione juris acquiſiti, non poteſt removeri obligatio juris naturalis, neque poteſt tale jus, vel indirecte diſpenſari. Talia ſunt præcepta de colendo Deo, de non colendis Idolis, de non mentiendo &c. quæ ſemper habent materiam invariabilem, ſemper nempe conſormem, vel ſemper diſſonam legi æternæ.

Ceterum advertendum aliqua eſſe juris naturæ, quæ nec præcipiuntur, nec prohibentur, ſed ſolum permittuntur, & approbantur, & in his utique valet quæcumque diſpenſatio. Ita hoc jure omnia erant communia, omnibus permiſſum erat matrimonium &c. & tamen hæc, & ſimilia variari potuerunt &c.

Q. III. Ao ſit in aliquo facultas proprie diſpenſandi in jure divino.

R. Quæſitum non procedit de jure divino naturali ut ſunt omnia præcepta Decalogi, nam de his valent omnia, quæ in quæſito antecedenti dicta ſont. Sermo ergo eſt de præceptis Divinis poſitivis, qualia ſunt ea, qoæ pertinent ad Sacramenta, ipſorum uſum, & obligationem Sacrificii. Et qoidem in iis poſſe Divinum Legiſlatorem diſpenſare ex ſolo beneplacito ſuæ voluntatis, nulli dubium eſt, eo enim ipſo quod divina voluntas ſit ratio, & rægula honeſtatis, jam diſpenſatio optima erit, per hoc ſolum quod Deus velit diſpenſare. Difficultas ergo ſolum eſt quoad Summum Pontificem.

Veram Summum Pontificem diſpenſare non poſſe in jure divino dicendum eſt, cum lex Superioris per Inferiorem tolli non poſſit, ut dicitur *Clemen. ne Romani de elect.* Neque conſtat Chriſtum Dominum hanc facultatem conceſſiſſe Summo Pontifici per illa verba generalia: *Quodcumque ligaveris ſuper terram &c.* nam cum facultas diſpenſandi ſit gravis, & extraordinaria, non intelligitur conceſſa per verba generalia. Hac ratione nec Vicarius poteſt omnia, que ſuus Principalis; namque ſunt ſpeciali nota digna, mandatum expreſſum requirunt; nec intelliguntor conceſſa per verba generalia, tribuentia alicui aliquam facultatem: *cap. 3. de offic. Vicar. in 6.* Ita de facto non poteſt Pontifex facere, ut valida ſit conſecratio in ſola aqua, vel in pane non triticeo &c.

Nonnulli dicunt poſſe Pontificem diſpenſare in Lege Divina, quando diſpenſatio redundat in majus Dei obſequium, quam hic, & nunc obſervare, quæ jus divinum præcipit: *Sanch. de Matr. l. 8. d 6. num. 6. Bonac. diſ. 5. qu. 3. punct. 1. n. 3.* Verum hæc non probant eſſe in Summo Pontifice facultatem diſpenſandi in jure divino, nam lex non eſt relaxanda ex eo, quod in aliquo caſu particulari plene non obtineatur finis intentus a Legislatore. Non eſt tamen neganda Summo Pontifici facultas interpretandi jus divinum in caſibus dubiis, hæc etenim neceſſaria erat pro bene adimplendo munere paſcendi oves ſibi a Chriſto creditas.

Q. IV. Qui habeat poteſtatem diſpenſandi io Lege humana.

R. I. Omnis Legislator poteſt in ſua lege diſpenſare, quia ſicut ab ipſius voluntate oritur obligatio legis, ita eadem voluntate poteſt obligationem revocare: cum per eaſdem cauſas, quibus res naſcuntur, poſſint etiam diſſolvi. Idem dicitur de Succeſſore, cum etenim habeat eandem facultatem ac Anteceſſor; conſequens eſt poſſe in ipſius legibus diſpenſare. Et hæc vera ſunt, etiamſi Legiſlator joramento ſuas leges confirmaverit, nam intelligitur juramento ſe obſtingere ad non diſpenſandum in eis, niſi adſit juſta cauſa. *Baſ. l. 8. c. 5. n. 1. & 5. Sanch. de matr. l. 8 diſp. 17. n. 33.* Secus dicendom, ſi lex tranſeat in contractum, vel commodum alterius, ut ſi lege concedatur facultas aliquas merces introducendi in Civitatem: nam tunc ſobintrat jus naturæ obligans, vel ad ſervanda promiſſa, vel non ad inferendum alteri damnom; in quo jure non poteſt humanus Legiſlator diſpenſare: *Sanch cit. n 29. Barboſ. de offi. & poteſt. Epiſc. 2. p. alleg. 34. n. 6.*

Cum poſſit Legiſlator, ejuſque ſucceſſor in juriſdictione legem a ſe latam diſpenſare, conſequens eſt Pontificem pro utilitate Eccleſiæ poſſe in omni jure Eccleſiaſti[c]
diſpenſare: *cap. propoſuit 4. de conceſſ. præbend.* adeoq[ue]
in iis etiam, quæ ſtatuerunt Apoſtoli, non tanquam a[c]
cepta a Chriſto Domino, hæc etenim ſunt juris divin[i]
ſed ut Epiſcopi Eccleſiarum. Dici tamen poteſt id pra
ſtare non authoritate ordinaria, quæ regulatur ſecu[n]
dum jus poſitivom, ſed poteſtate abſoluta, quæ eſt ſ[u]
per omne jus poſitivum humanum: *Fag. cap. ex part[e]*
n. 4. de converſ. Conjugat.

Poterit pariter Epiſcopus diſpenſare in legibus a ſe, ve[l]
a ſuo Anteceſſore latis, ſive intra, ſive extra Synodu[m]
Diœceſanam; ſiquidem ſolus Epiſcopus eſt Legislator
neque enim Clerici ibi intervenientes habent votum de
ciſivum. Poteſt etiam ex conſuetudine legitime intro
ducta diſpenſare in legibus Concilii Provincialis, quam
vis eo ſit Inferior. *Suar. l. 6. de leg. cap. 14. prope finem*
Sanch. l. 8. de matr. diſp. 17. num. 25. Idem quod Epiſcopu[s]
præſtare poteſt Capitulom, Sede vacante, nam ſuccedi[t]
Epiſcopo in omnem juriſdictionem. & actus, qui no[n]
requirunt conſecrationem Epiſcopalem. Caret autem ha[c]
facultate Vicarius generalis, cum etenim ſit actus ſpe
cialis Legiſlatoris, non venit in mandato generali, ſe[d]
hæc facultas eſt ſpecialiter exprimenda. *Sanch. de ma*
tr. l. 2. d. 40. n. 103. Videantur quæ dixi ſupra de revoca
tione, ſive abrogatione legum.

R. II. Inferior ipſo Legiſlatore non poteſt legem ſu
Superioris diſpenſare, etſi non ſibi expreſſe reſervet di
ſpenſationem ſuæ legis. Ratio eſt, quia inferior nullan
habet juriſdictionem in decreta, & acta ſui Superioris, niſ
ab eo receperit expreſſam, vel tacitam facultatem: *cap*
cum Inferior de majorit. & obed. Clemen. ne Roman
de elect. Non poteſt proinde Epiſcopus diſpenſare in S
Canonibus, in Decretis Concilii Generalis, vel Conſti
tutionibus Apoſtolicis. Hinc *cap. cum dilectus de tem*
ordinat. reprehenditur Epiſcopus, qui de mandato Ar
chiepiſcopi eadem die cuipiam duos ſacros ordines con
tulerat, quamvis diſpenſationem quoad hoc non ſibi Pap[a]
ſpecialiter reſervaſſet. Inſuper *cap. penul. & ult. d[e]*
filiis Presbyt. declarantur irritæ diſpenſationes factæ con
tra jus ab aliquo, qui ſit Papa inferior. Nec obſtat E
piſcopum poſſe abſolvere ab excommunicatione, ubicum
que ipſi non ſit prohibitum: *cap. nuper 29. de ſent. ex*
comm. nam abſolvere ab excommunicatione eſt ſecun
dom jus, qood non vult homines in peccato perſeve
rare, & multo minus in eo decedere; unde ubi abſolu
tio non ſit prohibita, cenſetur permiſſa. Diſpenſati[o]
vero eſt contra jus, ejuſque vulnus, adeoque non intel
ligitur permiſſa, ſi vel expreſſe, vel tacite non conce
datur. Allata nihilomious reſponſio, qua dicitur Epiſco
pus non poteſt diſpenſare in legibus Concilii Generalis,
vel Papæ, multas admittit limitationes.

Prima eſt, quando non ſolum expreſſe conceditur Epiſcopo diſpenſare, ſed ſemper cum a jure in genere permittitur diſpenſatio, licet ſpecifice non permittatur Epiſcopis. Tunc igitur niſi contextus verborum, ſtylus Curiæ, ſeu conſuetndo aliud perſuadeant, poterit Epiſcopus diſpenſare, nam ea verba *poſſit diſpenſari*, ſeu illa: *niſi miſericorditer cum eo fuerit diſpenſatum*, ſuperflue da Papa intelligerentur, cum conſtet apud omnes per eum concedi poſſe diſpenſationem, neque indigere tali jure ad eam impertiendam: *Suar. l. 6. c. 14 num. 8. Baſil. l. 8. c. 6. num. 5. Pal. tr. 3. diſ. 6. p. 5. n. 1.* Et quamvis multi doceant id locum non habere reſpectu Decretorum Concilii Generalis, ac neceſſarium eſſe, ut facultas in eis diſpenſandi claris verbis Epiſcopis committatur: *Barboſ. p. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 3. n. 24.* nihilominus oppoſitum valde ſuſtinet *Sanch. l. 8. de Matrim. diſp. 5. n. 5.* & deſumit etiam *ex can. quiſquis 42. de elect. & cap. in quibuſdam de pœnis*, qui ſunt Canones Concilii Generalis, & nihilominus Epiſcopus in illis diſpenſat, ut tradit ibi Gloſſa, aliique DD.

Secundo diſpenſat Epiſcopus, cum materia legis ſit levis, cum etenim in rebus minimis ad Superiorem recurrere eſſet nimis moleſtum, cenſetur concedere poteſtatem in eis diſpenſandi: *Suar. l. 6. de leg. cap. 24. n. 9.* Et quamvis communiter tunc intelligatur materia levis, quando trangreſſio non importat culpam mortalem, hæc tamen regula non attenditur, dum conceditur Epiſcopis facultas abſolvendi ab excommunicatione ob levem Cleric[i]
percuſſionem: *cap. pervenit 27. de ſent. excomm.*

Tertio diſpenſat Epiſcopus in caſibus frequenter occurrentibus, ut in jejunio, eſu ciborum vetitorum, recitatione Divini Officii, & votis non reſervatis ſpecialite[r]
Papæ. In his primo diſpenſat ratione conſuetudinis legit[i]

me præſcriptæ, quæ in quacumque materia vigeat, tribuit juriſdictionem; *cap. duo ſimul de offic. Ordinar. & in cap. cum contingat 13. junct. Gloſſ. fin. de for. compet.* Secundo quia nimis eſſet inutila Prælatorum poteſtas cum gravi diſpendio animarum, ſi in iis, quæ frequenter accidunt, non poſſent diſpeuſare; unde bene præſumitur Papam facultatem diſpenſandi tribuere *Navar. cap. 21 Manual. num. 21. Palaus tr. 3. diſp. 6. p. 5. n.*

Quarto diſpenſat Epiſcopus in legibus Pontificiis, & S. Canonibus, quando magna neceſſitas, & evidens utilitas id expoſcat, ſimulque periculum ſit in mora; unde non poſſit fieri recurſus ad ſummum Pontificem. In ſimilibus proinde caſibus tribuitur Epiſcopo facultas diſpenſandi contra S. Canones: *cap. expoſuiſti 33. de Præb. & can. tali 1. q. 7.* Id etiam expoſcit ratio; nam ſi in talibus caſibus Epiſcopus non haberet facultatem diſpenſandi, non poſſet ſubvenire neceſſitatibus ſuarum ovium, quod præſumi non poteſt ullatenus velle ſummum Pontificem: *Barb. l. 1. de Jur. Eccl. univ. cap 11. num. 194. Sanch. l. 2. de Matrim. diſp. 40. n. 3.* Præfacta doctrina locum habet, etiamſi eſſet facilis recurſus ad aliquem, qui ex privilegio Summi Pontificis poſſet diſpenſare; eo enim ipſo quod non ſit facilis recurſus ad Papam, diſpenſatio competit Epiſcopo ex vi ſuæ ordinariæ poteſtatis, ut lare probatur etiam in Tractatu de Cenſuris.

Quinto poteſt Epiſcopus diſpenſare in legibus Pontificiis, latis pro particulari Civitate, vel Provincia; cum etenim tunc videantur induere naturam legis particularis latæ pro bono particulari illius loci, cenſetur permiſſa Prælato loci facultas in eis diſpenſandi, prout exigit bonum particulare Civitatis, vel Provinciæ: *Azor. t. 1. l. 5. cap. 2. qu. 7.*

Sexto poteſt Epiſcopus diſpenſare, quoties dubium eſt, an caſus indigeat diſpenſatione: *arg. cap. cum deſideret §. 2. de ſentent. excom.* Ultraquamquod igitur, ſi adſit opinio probabilis, quæ ſuadeat non eſſe neceſſariam diſpenſationem, ut poſſit Subditus ab ea ſe eximere, poſſet etiam Epiſcopus in quocumque dubio vel declarare non eſſe neceſſariam diſpenſationem, vel diſpenſare ad cautelam. Ratio eſt; quia cum reſervatio diſpenſationis ſit odioſa, eſt reſtringenda ſolummodo ad caſus certos. Tum quia, cum Epiſcopus poſſit diſpenſare in caſibus, qui frequenter accidunt, poteſt etiam in omnibus caſibus dubiis diſpenſare, cum frequenter dubitare contingat de neceſſitate diſpenſationis: *Barb. p. 2. de offic. & poteſt. Epiſ. allegat. 35. n. 18. Sanch. l. 1. 1. in Decal. cap. 10. n. 74. & cap 40. n. 26.*

Plures aſſignantur caſus particulares, in quibus ex conceſſione juris communis poteſt Epiſcopus diſpenſare, & quoad eos videndus eſt Barboſa *p. 2. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 33. & ſeqq. & l. 1. Juris Eccleſ. cap. 11. num. 134 & ſeqq.* Facultas quam tribuit Tridentinum Epiſcopis *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* ita ſe habet: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare.*

Hic etiam advertendum poteſtatem quam habet Epiſcopus in omnibus præfatis caſibus diſpenſandi, eſſe ordinariam, quia illi perpetuo competit ratione ſui muneris, & officii paſtoralis, quæ omnia concludunt ordinariam poteſtatem: *cap. ult. junct. Gloſſ. ordin. de Offic. Judic. ord. Palaus t. 1. tr. 3. diſp. 6. pa. 5. n. 12.*

Q. V. In quibus ſit poteſtas delegata diſpenſandi, & quando poſſit ſubdelegari.

R. I. Qui habet poteſtatem ordinariam diſpenſandi, poteſt aliis eam delegare, cum poteſtas juriſdictionis ordinaria delegari poſſit: *leg. more ff. de juriſd. omn. judic.*

R. II. Quamvis delegatus, ordinarie loquendo, non poſſit ſubdelegare, quia non eſt Dominus, ſed Miniſter habentis ordinariam poteſtatem, nihilominus illi competit ſubdelegare, quando ita eſt Delegatus, ut habeat poteſtatem quaſi ordinariam. Ita ſe habet Delegatus Papæ, vel Principis ſupremi, qui poteſt niſi illi expreſſe prohibeatur in omnibus, vel in aliquo caſu ſubdelegare: *cap. fin. §. 1. de offi. & poteſt. Deleg.* Ita pariter ſe habet Delegatus ad univerſitatem cauſarum: *Leg. 1. §. An ab coff. quis, & n quo*, vel delegatus habens expreſſam facultatem ad eam ſubdelegandam: *Leg. non diſtinguimus §. ult. de recept. arbitr.*

Q. Ultimo; reſpectu quorum poſſit exerceri facultas diſpenſandi.

R. I. Cum diſpenſatio ſit actus Juriſdictionis, conſtat non poſſe exerceri niſi in Subditos. In omnes proinde, qui ſibi ſunt ſubditi, poteſt Epiſcopus exercere poteſtatem diſpenſandi. Idem quod de Epiſcopis; dicendum de Superioribus Religioſorum: qui ſunt vere Prælati reſpectu ſuorum ſubditorum, ac in Superiorum abſentia competit eadem poteſtas eorum Vicariis, iis ſcilicet, qui remanent loco Superioris: *Suar. l. 4. Sum. cap. 3. n. 5. Palaus tr. 3. diſp. 6. p. 7. §. 4. n. 2.* Poterunt proinde Superiores Regulares diſpenſare reſpectu ſuorum Subditorum in omnibus legibus Pontificiis, in quibus poſſunt Epiſcopi; in votis, juramentis, quoad cibos vetitos, recitationem Divini Officii, obſervationem Feſtorum, & circa regulas, & Conſtitutiones in rebus levibus, & frequenter contingentibus. Immo in iis Religionibus, ut in noſtra Congregatione, in quibus regulæ non obligant ad peccatum, & præcipue grave, poterunt Superiores circa Conſtitutiones ad tempus diſpenſare ex dictis ſupra de poteſtate Epiſcopi, niſi hoc illi ſpeciali regula interdicatur. Dixi ad tempus, nam non poteſt in perpetuum diſpenſare quoad obſervantiam alicujus regulæ, quia Superiores utpote qui tenentur procurare ne regulæ parvipendantur, non poſſunt derogare regulari obſervantiæ; quod licet non ſequatur, ſi aliquando ad tempus ex juſta cauſa diſpenſet, eveniret utique, ſi regulas præſumerent in perpetuum diſpenſare.

Non deſunt qui extendant poteſtatem diſpenſandi reſpectu Superiorum Regularium etiam ad ipſorum familiares, qui nempe ſunt ipſorum Commenſales, & frequenter degunt intra ſepta Monaſterii, Videatur *Bordon. tom. 1. reſol. 28. n. 17.*

Hinc etiam advertendum quod, ut ſupra dixi de Epiſcopis, facultas, quam habent ad diſpeuſaudum Prælati Regulares, eſt illis ordinaria, quamquam eam habeant ex privilegio, quia eſt perpetuo annexa officio ipſorum: *Suar. de leg. l. 6. cap. 15. n. 1. Baſilius l. 8. c. 6. n. 9.*

R. II. Superior poteſt etiam ſecum diſpenſare, Id autem non ſolum poteſt indirecte, ut ſi diſpenſet cum Communitate, cujus eſt pars; neque tantum mediate, tribuendo ſcilicet facultatem alteri, ut cum eo diſpenſet: *cap. fin. de pæn. & remiſſ*, ſed etiam immediate, circa omnia ea, quæ poteſt cum aliis. Verum igitur eſt, quod in exercitio juriſdictionis contentioiæ, ut in abſolutione a cenſuris debet eſſe diſtinctio inter partes, cum nemo Judex eſſe debeat in ſua cauſa. Eamd m diſtinctionem expoſcit exercitium juriſdictionis coactivæ, cum nemo proprie dicatur cogere ſeipſum, ſicut exercitium juriſdictionis per modum judicii, & ſententiæ: nam hæc datur inter Judicem, & reum. At exercitium juriſdictionis pure voluntariæ, quæ ſcilicet pendet ex pura voluntate conferentis, ſicut poteſt erga alios extendi, ita & erga ipſum Superiorem, ex hoc ſolum quod habeat juſtam cauſam ſecum diſpenſandi, & velit diſpenſare; neque enim debet eſſe deterioris conditionis quam ſubditi, & aliunde non apparet juriſdictionem voluntariam exigere diſtinctionem inter partes, ut evenit in ſupradictis: *D. Th. 2. 2. q. 185. a. 4. Laym. tr. 4. c. 20. n. 31. Sanc. de Matr. l. 8. d. 3. n. 6.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Obſervet Confeſſarius ut plurimum ſubditos perperam præſumere Superioris diſpenſationem ex ipſius taciturnitate, vel quia non ſe opponit ipſorum tranſgreſſionibus, Quoties Superiores, ut alibi etiam innui, in animo ſuo ingemiſcunt, vel ex timore graviorum malorum; vel quia timent a Superioribus majoribus non adjuvandos; vel quia humanos reſpectus neſciunt ſuperare; Ex ipſorum ergo ſilentio argui non poteſt niſi raro eſſe in eis voluntatem diſpenſandi, ſed mallent potius regularem obſervantiam promovere. Id maxime dignoſcet ſubditus, ſi non adſit juſta cauſa diſpenſandi; nam cum ſine ea nequeat Superior licite diſpenſare, utique præſumi non debet talis diſpenſatio.

II. Cum conſuetudo ut ſupra dictis conferat juriſdictionem, Parochus non horreat, dummodo adſit juſta cauſa, in diſpenſando cum ſuis ovibus in jejuniis Eccleſiaſticis, & obſervatione Feſtorum, nam in his viget conſuetudo, ut poſſit diſpenſare. Caveat autem, ne in aliis præceptis diſpenſet, nam quoad ea non viget iſta conſuetudo.

III. Advertat Confeſſarius male ſe gerere illos Prælatos, qui remittunt ſuæ conſcientiæ ſubditos, quamvis literatos, qui ad ipſos recurrunt pro diſpenſatione, vel in jejunio, vel in abſtinentia carnium, vel in recitatione officii &c. quia dubitant an ſit ſufficiens cauſa nec ne ad diſpenſandum. Male, inquam, ſe gerit Prælatus; nam quamvis quando dubitatur an caſus indigeat diſpen-

ſa-

Digitized by Google

ſatione, poſſit ſubditus, ſi rationem habet probabilem, judicare non eſſe neceſſariam diſpenſationem, quia tunc non eſt certum dari legem in ordine ad illum caſum; nihilominus id locum non habet, dum certum eſt caſum indigere diſpenſatione, & dubium ſolum verſatur circa ſufficientiam cauſæ, nec ne. Tunc igitur cum poſſideat lex, non poteſt Subditus ſe ab illa eximere ob cauſam tantum dubiam, ac proinde ſolus Prælatus poteſt mederi ipſius conſcientiæ cum ipſa diſpenſandi.

CAPUT II.

De cauſis, quæ requiruntur ad impediendum diſpenſationem.

Q. I. AN Legislator, vel ipſius Superior, ſeu Succeſſor æqualis in Sede, valide, & licite poſſint ſine cauſa diſpenſare.

R. I Sine juſta cauſa Legislator, aliique præfati valide diſpenſant: cum etenim legis obligatio pendeat a voluntate Legislatoris, ſicus ab initio poterat legem non promulgare, vel velle quod hos, vel illos non adſtringeret, ita poſtea poterit ex ſua voluntate, vel legem in totum abrogare, vel cum aliquibus quoad ejus obligationem diſpenſare. Hoc autem eſt verum, etiamſi juraſſet ſe non diſpenſaturum, quia tale juramentum redderet quidem illicitam diſpenſationem, ſed non auferret poteſtatem diſpenſandi.

R. II. Peccat Legislator ſine juſta cauſa diſpenſando, quia potius eſſet Diſſipator, quam Diſpenſator, & incurreret vitium acceptationis Perſonarum, dum aliquos ſine cauſa a legis onere eximeret: *D. Th. 2. 2. q. 97. a. 5.* Non tamen facile gravis culpæ damnandus, ſi ex diſpenſatione non ſequatur ſcandalum; vel nimis aliqui graventur, ſeu magna in Republica turbatio, aut aliud grave damnum extrinſecum oriatur. Cum igitur Legislator ſit Dominus ſuæ legis, non videtur graviter peccare, ſi aliquando ſit Acceptator Perſonarum, dum ex eo non ſequatur grave damnum. Item quamvis expoſcat Juſtitia Legalis, ut omnes, ſi non adſit juſta cauſa, pares ſint in obligationibus, & in oneribus; nihilominus non eſt gravis culpa aliquos eximere, quando ex hoc non eveniat damnum grave aliis; ut eveniret, ſi aliquos ſine cauſa a tributis diſpenſando, alii nimis gravarentur: *Laym. l. 1. tr. 4. cap. 22. num. 1. Sanch. l. 8. de matr. d.* 18. n. 7.

En quo valida ſit diſpenſatio a Legislatore ſine juſta cauſa obtenta, ſequitur diſpenſatum poſſe ea uti ſine peccato; neque enim peccat contra legem, quia ab ea valide fuit diſpenſatus; neque ſe non conformando cum aliis quia ad id non tenetur, quia eſt diſpenſatus. *Baſil. de Matr. l. 8. c. 14. n. 5. Palaus tr. 3. d. 3. p. 8. §. 1. n. 8.* Petendo tamen diſpenſationem ſine cauſa, peccavit vel graviter, vel leviter juxta peccatum, ad quod induxit diſpenſantem, poſtulando ſine cauſa diſpenſationem.

Q. II. An inferior valeat ſine cauſa diſpenſare in lege Superioris.

R. Cum Inferior non poſſit in lege Superioris diſpenſare, niſi vel ex expreſſa, vel ex præſumpta ipſius Superioris facultate, conſequens eſt neque valide ſine juſta cauſa diſpenſare; cum non poſſit præſumi ſine tali cauſa Superiorem licentiam impertiri; *D. Th. 2. 2. q. 88. a. 12.* Puto tamen quod ſi inferior bona fide procedat, putans adeſſe juſtam cauſam, & aliunde ſubditus malitioſe non operetur, validam eſſe diſpenſationem; ita enim præſumi poteſt de voluntate Legislatoris, cum hoc ſit neceſſarium ad rectam Eccleſiæ gubernationem, ad removendam conſcientiarum anxietatem, & ut geſta Prælatorum firma remanereot: *Laym. tr. 4. c. 22. Sanch. l. 8. de matr. d. 17. n. 8.*

Q. III. Quæ ſint cauſæ ſufficientes ad concedendam diſpenſationem.

R. Utique ad concedendam diſpenſationem non requiritur cauſa, quæ certo, ſeu ratione vere probabili excuſet, ſeu eximat a lege: nam tunc ſine diſpenſatione ceſſat ipſius legis obligatio. Proprie ergo diſpenſatio habet locum, quando non adeſt cauſa certa, vel ratio certo probabilis, quę a lege eximat. Hæ autem cauſæ primo poſſunt ſe tenere ex parte ſolius Superioris; cum conveniens ſit ipſius dignitati, ac bono regimini aliquando ſe benignum oſtendere; & ita ex hoc motivo poteſt aliquando diſpenſare. Secundo, hæ cauſæ poſſunt conſurgere, quia damnum publicum timeretur, ſi non daretur diſpenſatio a legis obſervantia. Tertio, hujuſmodi cauſæ oriri poſſunt ax particulari ratione ipſius petentis; vel quia e. g. eſt perſona digna, cui proinde conveniat benignum ſe exhibere, ita enim expedit bono publico, ut docet *S. Th. 2. 2. q. 63. a. 1. ad 2.*; vel quia ita exigit ipſius neceſſitas ſpiritualis propter periculum peccandi, ſeu etiam neceſſitas temporalis; ut ſi conveniens ſit cum eo diſpenſare, ut laboret die feſto; vel quia diſpenſationem exigit ipſius utilitas ſive ſpiritualis, ſive temporalis. Demum certo habet locum diſpenſatio, dum adeſt aliquod motivum pietatis pro ea impertienda. Hæc ſunt capita, ad quæ reducuntur cauſæ ſufficientes pro diſpenſatione: cauſæ vero particulares aſſignantur juxta particulares materias.

Q. IV. Quid dicendum de diſpenſatione conceſſa, non cognita juſta cauſa diſpenſationis, ſi hæc vere dabatur: vel ſi conceſſa ſit diſpenſatio, dubitando de ſufficienti cauſa illius.

R. I. Cum jura expoſcentia juſtam cauſam ad concedendam diſpenſationem, indifferenter loquantur de ipſo Legislatore, ſeu Diſpenſatore Supremo, ac de Inferiore diſpenſante in lege Superioris, ut videre eſt *can. neceſſe, can. diſpenſationis 1. qu. 7. & ex Trident. ſeſſ. 14. & ſeſſ. 25. cap. 18. De reforma.*, conſequens eſt non exigere cognitionem cauſæ ad valorem diſpenſationis; nam Superior poteſt valide diſpenſare ſine cauſa; ſed ſolum eam exigere, ut licite concedatur. Suppoſito ergo, quod exiſtat cauſa, quamquam non cognita ab Inferiore diſpenſante, valida erit diſpenſatio, ſicut valida eſt electio digni ad beneficium, quamvis ejus dignitas non fuerit cognita ab electore, cum validitas non a cognitione cauſæ, ſed ab ejus exiſtentia dependeat: *arg. cap. nihil de electione. Suar. l. 6. de leg. cap. 19. n. 2. Sanch. de matr. l. 8. d. 17. n. 11. Baſilius l. 8. cap. 15. n. 1. &c.*

R. II. Si nun ſit dubium de exiſtentia cauſæ ob quam conceditur diſpenſatio, ſed ſolum de ſufficientia illius, quicumque habet facultatem diſpenſandi, id præſtare poterit valide, & licite; nam petere omnem certitudinem de ſufficientia, & porportione cauſæ, eſſet res infinitis ſcrupulis obnoxia, & nimis ſtricte ſubditi regerentur. Præterea poteſtas diſpenſandi eſt late interpretanda, adeoque poteſt habere locum ubi cauſa eſt certa, & dubium ſolum eſt de illius ſufficientia: *Sanch. in Decalog. l. 4. c. 45. n. 10.* Si vero dubium ſit de exiſtentia cauſæ, Superior valide diſpenſabit ex pluries dictis, non autem licite. Inferior vero nec valide, nec licite diſpenſabit, quia non cenſetur illi conceſſa talis facultas, dum obligatio legis eſt certa, & cauſa illam relaxandi incerta.

Q. V. Quid dicendum de diſpenſatione obtenta per metum, ſeu dolum.

R. I. Primo certum eſt, quod ſi non conſtet diſpenſantem non habere animum illam concedendi, in quo caſu certe eſſet nulla, ſemper præſumendum eſt illam conceſſiſſe animo vere diſpenſandi: *Can. humanæ aures 22. q. 5.* etiamſi ex metu conceſſerit. Hoc autem ſuppoſito, conſequens eſt talem diſpenſationem eſſe validam, ſi nil aliud obeſt; nam præſumendum eſt diſpenſationem datam fuiſſe animo vere eam concedendi; & aliunde nullo jure irrita redditur, ut irritum redditur matrimonium ex gravi metu contractum, & abſolutio ab excommunicatione: *cap. unic. de his, quæ vi, & metu in 6. Suar. l. 6. de leg. cap. 11. n. 21. Palaus tr. 3. d. 7. p. 16. §. 1. n. 1. Sanch. de Matrim. l. 3. d. 39. n. 13.* Verumtamen eſt, quod eſſet illicita, & revocabilis, ſi metus fuiſſet injuſte incuſſus; ut ſi minæ fuiſſent de Superiore vulnerando. Secus ſi metus fuiſſet juſtus, ut ſi petens diſpenſationem minitaretur ſe conqueſturum apud Superiorem.

R. II. Si dolus, quo fuit obtenta diſpenſatio, fuit circa rem, quæ ex jure, ſtylo, aut conſuetudine, clare manifeſtanda ſit diſpenſanti, talis dolus vitiat diſpenſationem, quia horum manifeſtatio exigitur pro forma neceſſaria ad ipſius valorem; unde ſi doloſe procedatur, non intelligitur adeſſe conſenſus diſpenſantis, cum intelligatur dare conſenſum, ſi ſibi exprimantur, quæ de jure exprimenda ſunt. Item nulla eſt diſpenſatio, ſi dolus ſit circa cauſam motivam intrinſecam materiæ; ut ſi quis peteret diſpenſationem a voto caſtitatis, falſo allegando non ſe poſſe continere &c. nam etiam tunc falſitas, & dolus reddunt involuntarium conſenſum Diſpenſantis, cum cenſeatur ſolum velle diſpenſare, ſi vere non poſſit ſe continere. Si vero cauſa motiva non ſit intrinſeca, ſed extrinſeca materiæ; ut ſi diſpenſans moveatur ad diſpenſandum in præfato voto; quia ipſi e. g. falſo repræſentatum fuit ſupplicantem eſſe Virum doctum, tunc

diſpenſario ſubſiſteret. Ratio eſt, quia, quamvis ſine tali cauſa motiva extrinſeca non fuiſſet conceſſa diſpenſatio, adhuc tamen illa non erat neceſſaria ad diſpenſationem, ſed ſolummodo quod verum eſſe non poſſe ſe continere. Dum ergo diſpenſans voluit ſuccurrere neceſſitati ſupplicantis, ſatis intelligitur diſpenſatio voluntaria, quamvis motivum, quo illam conceſſit, non ſubſiſteret. Molto magis ſubſiſtit diſpenſatio, etſi falſa ſit cauſa impulſiva, ea ſcilicet, quæ extrinſeca eſt materiæ, & ſolum dumtaxat deſervit ad facilius obtinendam diſpenſationem. At de his uberius, Deo favente, agemus in Tractatu de Matrimonio.

Q. VI. An ſi adſit cauſa ſufficiens pro diſpenſatione neceſſarium ſit illam concedere.

R. Si cauſa ſufficiens non ſit nimis urgens, poterit Superior eam denegare, judicando magis expediens eſſe legem in ſuo vigore conſervare; unde ſi eam in tali caſu concedat, diſpenſatio bene appellatur miſericordia, gratia, indulgentia &c. *c. 1. de ſtat. Monach. in 6. Suar. l. 6. de Legib. c. 18. n. 30. Sanch. l. 3. de Matr. d. 10. n. 3.* Si vero cauſa vere urgeat, tenetur eam concedere; ſi etenim unuſquiſque tenetur occurrere neceſſitati proximi, multo magis Prælati, ſeu Paſtores Eccleſiæ. Tunc vero intelligitur cauſa urgere, quando ſine diſpenſatione immineret grave damnum publicum, ſive Perſonæ privatæ damnum non leve vel Spirituale; vel temporale. Idem dicas, ſi neceſſaria ſit diſpenſatio pro utilitate boni publici, aut privati redundantis in bonum publicum. Quod ſi in his caſibus Superior non diſpenſet; quamvis peccet denegando diſpenſationem, adhuc Subditus non poteſt tranſgredi legem, ſi talem aliunde cauſam non habeat, quæ illum eximat a legis obligatione. Ratio clara eſt, quia nempe, non obtenta diſpenſatione, lex permanet in ſuo vigore.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Non facile inquietet Confeſſarius conſcientiam Prælati diſpenſantis, judicando ſine cauſa diſpenſare. Cum etenim juſta cauſa ſit ad concedendam diſpenſationem, etiam velle Superiorem ſe benignum, & liberalem oſtendere, hæc cauſa ſemper facillime aderit. Secus eſſet, ſi Superior paſſim ſine alia cauſa ex hoc ſolo motivo diſpenſaret.

II. Si Subditus obtinuerit a Superiore diſpenſationem, etiam ſine juſta, & ſufficienti cauſa, permittat illi Confeſſarius ea uti; nam ex dictis illa diſpenſatio conceſſa a Superiore valida fuit, & Subditus valide diſpenſatus jam non tenetur legem obſervare, nec ſe conformare cum aliis.

III. Memoria retineat Confeſſarius validam eſſe diſpenſationem bona fide conceſſam, in qua petenda Subditus non proceſſerit malitioſe, & Superior inculpabiliter crediderit vere dari cauſam diſpenſandi. Hinc ſi poſt obtentam diſpenſationem ab aliquo voto, ſeu juramento, reperiatur vere non adfuiſſe cauſam diſpenſandi, poterit Subditus tuta conſcientia uti tali diſpenſatione.

IV. Advertat etiam Confeſſarius non teneri Subditum eſſe certum vel de cauſa diſpenſationis, vel de ſufficientia ipſius, adeoque quamvis de his dubitet, poſſe exponere Superiori ſtatum ſuum, & ſi Superior judicaverit habere locum diſpenſationem, Subditum eſſe tutum in conſcientia, cum ſemper ingenue veritatem manifeſtaverit. Si proinde adhuc ſcrupulis, & dubiis inquietetur, ea deponat ſe ſubmittendo, ut par eſt, judicio Superioris: Ita etiam docet *S. Th. 2. 2. q. 88. ar. 12. ad 2.*

V. Confeſſarii Prælatorum, ſi ſint difficiles in concedendis diſpenſationibus, ipſos admoneant de gravi obligatione, quam habent, eas concedendi; maxime dum ſupplicantes ſunt in gravi peccandi periculo: ut dum expoſcitur diſpenſatio a proclamationibus matrimonii, & a pluribus votis, quæ iidem ſupplicantes perſæpe violant.

VI. Prælatus, vel quilibet alius diſpenſando, optime ſe geret, ſi cum diſpenſatione aliquam miſceat commutationem. Advertere tamen debet quod opus ſubſtitutum ſit proportionatum fini obligationis, quam diſpenſat. Ita diſpenſato in voto caſtitatis, poterit injungere aliquas penalitates, quibus corpus affligatur: diſpenſando in obſervatione feſtorum, poterit injungere aliud opus pium &c.

CAPUT III.

De Cauſis quibus ceſſat obtenta diſpenſatio.

Q. I. AN per ceſſationem cauſæ motivæ ceſſet diſpenſatio, quando nondum ſortita eſt ſuum effectum.

R. I. Si cauſa motiva ceſſavit ſolum ex parte, quamvis ea pars, quæ remanet, non fuiſſet ſufficiens, ut ab initio obtineretur diſpenſatio, adhuc tamen ſufficiet, ut remaneat in ſuo robore. Ita habemus ex regula 73. juris in 6. *Factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, a quo non potuerit inchoari.* Neque etiam ceſſat diſpenſatio, ſi dubitetur, an ceſſaverit cauſa motiva, ſiquidem diſpenſatio eſt certa, & non eſt certum cauſam ipſius non perſeverare.

R. II. Si diſpenſatio fuerit abſolute conceſſa, non ceſſat per ceſſationem cauſæ motivæ. Tunc igitur diſpenſatio intelligitur abſolute conceſſa, quando cauſa motiva judicabatur ſemper duratura, ut ſi ego obtineam diſpenſationem ad non recitandum Officium ex cauſa, unde judicatum fuit me ſemper impediendum ab illius recitatione: non dicitur vero abſolute conceſſa, quando cauſa diſpenſationis ſolet eſſe ad tempus. Quando igitur eſt abſolute conceſſa; dico non ceſſare etiam ceſſante cauſa motiva; ſtatim ac etenim data eſt diſpenſatio, remittitur obligatio legis; obligatio autem ſemel extincta non reſurgit, niſi per legitimam poteſtatem iterum imponatur. Hinc habes verum quidem eſſe ſtatim ceſſare legem, quando ceſſat ejus cauſa motiva adæquata: cum etenim, ea ceſſante reddatur inutilis, amittit eſſentiam legis. At diſpenſatio non intelligitur ceſſare, niſi per reviviſcentiam legis, ſeu obligationis, quæ reviviſcentia non datur, niſi per legitimam poteſtatem. Accedit, gratiam diſpenſationis conſummari, quando relaxatur lex, adeoque ſufficere, ſi tunc exiſtat cauſa motiva. Demum, ſi per ceſſationem cauſæ ceſſaret diſpenſatio abſolute conceſſa, diſpenſatio ſemper eſſet conditionata: includeret enim ſemper hanc tacitam conditionem; *ſi perſeveret cauſa, ob quam conceſſa eſt.* Diſpenſationem vero non judicandum eſſe conditionatam, habetur *Cap. Abbate de verb. ſignif.* Ita contra plures alios *Suar. de leg. l. 6. c. 20. n. 15. l. 8. c. 30. Baſil. l. 8. c. 20. n. 13. Laym. tr. 4. c. 22. n. 55. &c.*

Certum e contra eſt, quod ſi diſpenſatio concedatur ob cauſam, quæ judicatur ſolum ad tempus duratura, tunc ceſſante cauſa, ceſſat diſpenſatio, irrationabiliter etenim ſe gereret Superior, ſi pro cauſa temporali diſpenſationem concederet perpetuam. Bene tamen quis ea utitur, uſquedum judicatur eamdem cauſam perdurare ut conſtat in Infirmo diſpenſato a lege jejunii.

Item ſi vel ex ſtilo, vel ex conſuetudine, vel ex communi acceptione DD. diſpenſatio limitetur, vel ad aliquos actus, vel ad tempus determinatum, id ſervandum eſt; diſpenſatio etenim, utpote odioſa, eſt ſtrictæ interpretationis. Hinc diſpenſatus ad ducendam conſanguineam, eam tantum poteſt ducere, & non aliam, ſi iſta moriatur. Irregularis diſpenſatus ad Ordines, intelligitur tantum diſpenſatus ad Minores; & ſi ad beneficium, pro uno tantum intelligitur diſpenſatus. Videantur Authores ſupra citati.

Q. II. Quando ceſſet diſpenſatio per revocationem, vel per mortem Diſpenſantis.

R. I. Si Superior diſpenſaverit abſque cauſa, non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur diſpenſationem revocare, quoadusque non ſortita ſit ſuum effectum; nam per revocationem emendare debet, quod irrationabiliter præſtitit. Si vero diſpenſavit cum juſta cauſa, utique diſpenſationem revocare valide poterit; non ſolum etenim in fieri, ſed etiam in conſervari pendet a voluntate Legiſlatoris. Quod ſi nova cauſa emergat revocandi, licite etiam revocabit: illicite vero, ſi talis cauſa non emergat, quia tunc oſtenderet levitatem, & animi inconſtantiam, quæ tamen, remoto gravi ſcandalo, ſeu alio damno, non eſt, niſi culpa venialis: *Bonac. diſp. 1. q. 2. p. 7. ſ. 2. n. 2.* Notandum etiam eſt, quod ſi diſpenſatio facta ſit cum aliquo onere, vel compoſitione pecuniæ, ſicut etiam ob meritorum remunerationem; cum tunc habeat rationem contractus, non poteſt valide abſque cauſa revocari; & ſi cum cauſa revocetur, reſtituenda eſt pecunia, ſive alia ratione merita remuneranda.

Quod ſi Superior ſine juſta cauſa revocet diſpenſationem ab Inferiore conceſſam, uti vere poteſt, quia pote-

tas

ſtas inferioris Superiori eſt ſubordinata: non de facili poſſet a gravi culpa excuſari; quia reſcindere abſque cauſa acta Inferioris ordinarie non ſequitur abſque gravi ipſius dedecore, & perturbatione recti regiminis, ſicut non ſine gravi damno diſpenſati.

R. II. Cum ad rectum regimen, non minus ſit neceſſaria facultas diſpenſandi, quam revocandi diſpenſationem, ſequitur quod ubi Inferior diſpenſare poteſt in lege Superioris, ita & poſſit diſpenſationem revocare; *Suar. l. 7. de leg. c. 37. num. 15.* At ſicuti diſpenſando ſine juſta cauſa nulliter diſpenſaret, ita & revocando ſine juſta cauſa; utraque enim facultas pari paſſu procedunt; *Sanch. l. 8. de Matr. d. 33. n. 14. Bonac. d. 1. q. 2. §. 2. n. 2.*

R. III. Diſpenſatio ceſſat aliquando morte concedentis, aliquando non. Non ceſſat primo, morte concedentis, quando fuit abſolute conceſſa; nam cum diſpenſatio ſit gratia, quia eſt veluti donatio, de cujus natura eſt perpetuum dominium transferre, ſequitur non ceſſare per mortem concedentis: *Cap. ſi ſuper gratia de Offic. Delegati in 6., cap. is, cui de præb. ibid.* Secundo, non ceſſat, ſi concedatur ſub conditione, donec revocetur; nam ex hoc, quod Diſpenſator obeat, non poteſt dici diſpenſationem revocaſſe. Tertio, non ceſſat per mortem diſpenſantis, ſi non conceſſa fuerit donec ipſe voluerit, ſed in generali donec voluerit Epiſcopus, ſeu ad arbitrium Sedis Apoſtolicæ; nam tunc conceſſa intelligitur ad arbitrium ipſius Sedis, quæ ſemper durat; unde & perſeverat diſpenſatio, donec aliquis in ea ſedens ipſam revocet. Quarto ceſſat per mortem diſpenſantis, ſi conceſſa fuerit diſpenſatio, *donec ipſi placuerit, ad arbitrium ſuæ voluntatis &c.* nam per mortem ceſſat illi placere, ſicut & ceſſat ejus arbitrium &c. Id tamen intelligendum eſt, ſi res ſit integra; nam ſi inceptus fuerit actus, vel judicium, poteſt proſequi, in vi talis diſpenſationis; & ita qui diſpenſatus fuit ad aliquem abſolvendum, cœpta confeſſione, poteſt illam terminare, etſi diſpenſator revocet diſpenſationem; *Suar. l. 6. de leg. c. 20. n. 31., Sanch. l. 8. de Matr. d. 28. Bonac. d. 1. q. 2. p. 7. §. 2. n. 1.*

Q. III. Quando ceſſet diſpenſatio per renunciationem.

R. Unuſquiſque valide, & licite renunciare poteſt favori ſibi conceſſo: *c. ad Apoſtolicam de regular.*, dummodo renunciatio non ſit in damnum tertii, vel favor non reſpiciat Communitatem; nam tunc illi Perſona particularis non valet renunciare: & ita unus Clericus renunciare non poteſt privilegiis conceſſis univerſo ordini Clericali. Cum igitur diſpenſatio ſit favor, niſi aliud obſtet, poterit Diſpenſatus eidem renunciare.

Hujuſmodi autem renunciatio primo poteſt fieri expreſſe, ut ſi diſpenſatus dicat ei renunciare. Oportet tamen quod talis renunciatio nota ſit diſpenſatori, eamque acceptet; nam uſquedum non acceptet, perſeverare intelligitur in voluntate diſpenſandi, & ita ſemper remanet locus, ut quis uti poſſit eadem diſpenſatione: *Suar. l. 6. de leg. c. 20. a. n. 9. Bonac. d. 1. q. 2. p. 7 §. 5. n. 5.* Id tamen limitandum eſt quoad diſpenſationem voti, & juramenti, nam ſi quis eam renunciet, & velit ſe iterum obligare, contrahit novam obligationem, quæ non relaxatur per diſpenſationem prius obtentam: *Sanch. l. 3. de Matr. d. 32. n. 1. &c.* Secundo, renunciatio fieri poteſt tacite, ut dum diſpenſatus ſignis demonſtret ei renunciare; ſtrangendo e. g. literas cum voluntate cedendi diſpenſationi. Semper tamen oportet renunciationem innoteſcere Superiori, eamque acceptare, ut jam dictum eſt.

Cæterum advertendum, non uſum diſpenſationis non eſſe ſufficiens ſignum tacitæ renunciationis, quia compatitur cum voluntate illa utendi. Unde ſi quis per aliquos dies non uſus eſt diſpenſatione ad non recitandum Officium, bene poteſt poſtea ea uti. Item nec uſus contrarius eſt ſufficiens argumentum, ut dicatur quis renunciaſſe diſpenſationi; nam uſus contrarius opponitur quidem uſui diſpenſationis, non vero poteſtati ea utendi; & ita poteſt conſervari talis poteſtas: Ita *Suarez cit. n. 20.*, & alii contra *Sanch. de matr. l. 8. d. 22. n. 9.* Diſpenſatur proinde ad ducendam conſanguineam, ſi poſtea emittat votum caſtitatis, nihilominus poterit eam ducere, obtenta diſpenſatione a voto. Denique non eſt ſufficiens ſignum tacitæ renunciationis illius non acceptatio, ſi per eam non intelligat expreſſe illi renunciare; diſpenſatio enim, ſicut lex, habet ſuum valorem a voluntate Diſpenſatis, non ab acceptatione Diſpenſati.

Regula in praxi obſervandæ.

I. Advertat primo Confeſſarius non confundere ſimplicem diſpenſationem cum commutatione, vel cum diſpenſatione commutationi unita. Commutatio igitur ſemper tenet, etiam ſi ceſſet cauſa, ob quam fuit conceſſa; nam lex in commutatione relinquitur in ſuo vigore quoad obligandum ad ponendum opus injunctum per commutationem.

II. Cum non ſine valido fundamento rationis diximus, non ceſſare diſpenſationem, quamvis ceſſet ejus cauſa motiva, ſi judicata fuerit perpetua, hac doctrina poterit Confeſſarius plures caſus in praxi reſolvere, & ita occurrere ſpirituali neceſſitati Pœnitentis. Si e. g. quis fuerit diſpenſatus ad Ordines ob paupertatem Parentum, quamvis poſt obtentam diſpenſationem per accidens diteſcat, ſubſiſtit diſpenſatio. Si quis diſpenſatus fuerit a voto caſtitatis, vel religionis ad contrahendum matrimonium, quia cauſa ſolet judicari perpetua, nunquam ceſſat diſpenſatio; & ita poſt contractum unum matrimonium, & aliud contrahi poteſt. Hinc cum diſpenſatum fuerit in voto caſtitatis cum quadam muliere, ipſique conceſſum, ut ob ſui paupertatem matrimonium contraheret, judicare potui, mortuo primo conjuge, potuiſſe ad alias nuptias tranſire; quamvis non amplius gravibus rei familiaris anguſtiis premeretur, quia paupertas, ob quam primo fuit cum ea diſpenſatum, non prævidebatur ullatenus removenda.

III. Notet Confeſſarius, quod dum uſus diſpenſationis, ſeu actus, ad quem datur, habeat tractum ſucceſſivum, & ſoleat eo tempore cauſa motiva diſpenſationis ceſſare, intelligitur etiam conceſſa diſpenſatio ſolummodo uſque dum cauſa perſeverat, neque etenim alia præſumi poteſt mens Legislatoris. Sic Diſpenſatus ab Horis Canonicis, ab obſervantia Quadrageſimæ, ab auditione Miſſæ, intelligitur ſolummodo diſpenſatus, quoaduſque perſeverat cauſa diſpenſationis.

IV. Bene perpendat Confeſſarius non ceſſare diſpenſationem per non uſum ipſius, ſeu etiam per uſum contrarium, ſed ad renunciationem diſpenſationis neceſſe eſſe, ut vere quis velit ei renunciare, & quod renunciatio a Diſpenſatore acceptetur. Hinc ſemper cum ſemel, & abſolute obtenta eſt valida diſpenſatio, diſpenſatus etiam poſt multum tempus ea poteſt uti, ſi modo præfato non fuit revocata; ac proinde ſi quis obtinuerit diſpenſationem ad ducendam conſanguineam, quamvis aliam mulierem duxerit, ſi hæc moritur, in vi prioris diſpenſationis poterit eamdem conſanguineam ducere.

QUÆSTIO VI.

De lege non ſcripta, ſive de Conſuetudine.

CAPUT I.

De Conſuetudine, & conditionibus ad eam requiſitis

Q. I. QUID ſit Conſuetudo, & quotuplex.

R. I. In præſenti ſumitur conſuetudo non prout ſignificat frequentationem actuum, vel morum alicujus Communitatis, quo modo dicitur conſuetudo facti, *c. 1. de Conſtit. in 6.*, ſed modo ſumitur conſuetudo pro jure; quod ex tali diuturno uſu, & frequentatis actibus reſultat, & dicitur *Conſuetudo juris*. Conſuetudo ita accepta, & de qua in præſenti ſermo eſt, ita definitur a S. Iſidoro relato *can. 5. d. 1. Conſuetudo eſt jus quoddam moribus conſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex.*

R. II. Conſuetudo alia eſt ſecundum legem, ea ſcilicet quæ legem jam præexiſtentem, vel in uſum inducit, vel interpretatur, ſi ſit ambigua: *c. cum dilectus 8. de conſuet. leg. ſi de interp. ff. de leg.* Alia eſt præter legem, quando ſcilicet in aliquo caſu deficit lex, & in decidendo attenditur conſuetudo. Tunc proinde conſuetudo jus novum conſtituit, & habet vim obligandi, *leg. de quibus ff. de leg. & leg. cum quid ff. ſi certum petatur.* Alia demum eſt contra legem, & eſt ea, quæ præexiſtentem legem abrogat, ſi interveniant ea, de quibus infra. De hac conſuetudine fit mentio *c. ult. de conſuet.*

Dividitur etiam Conſuetudo in Eccleſiaſticam, & Civilem. Prima eſt, quæ reſpicit materiam ſpiritualem, & introduci poteſt tum a Clericis, tum a Laicis, ut eſſet conſuetudo de ſervando aliquo die feſto, de jejunando &c. Civilis reſpicit materiam profanam, ſpectantem ad rectam gubernationem Reipublicæ. Aliæ aſſignantur diviſiones conſuetudinis, at eas prætermitto, utpote parum, vel nil conducentes ad morum directionem.

Q. II. Qui poſſint conſuetudinem introducere.

R. So-

R. Sola illa Communitas, quæ eſt capax poteſtatis legislativæ pro propriis Subditis, vel cui lex imponatur, poteſt conſuetudinem introducere. Vel ergo conſuetudo introducenda eſt a Communitate habente poteſtatem legiſlativam, quia ſicut poſſit novam legem condere, ita & poteſt conſuetudinem vim legis habentem introducere. Vel introducenda eſt ſaltem a Communitate, quæ per leges poſſit gubernari; nam tunc ipſius conſuetudo habet rationem legis, quatenus ad eam accedit tacitus conſenſus Principis, qui eam ſuis legibus gubernat: *D Th. 2.2. q. 97. a. 3. ad 3. Suar. l. 7. cap. 9. a num. 7.*, *Palaus tr. 3. d. 3. p. 3. num. 4.* Ex dictis nequit introduci conſuetudo ab una dumtaxat particulari perſona, vel familia; nam reſpectu horum perſonarum ſolum dari poteſt præceptum, quod expirat morte præcipientis, non vero conſuetudo, quæ utpote habens vim legis, reſpicit Communitatem perfectam, & de ſua natura eſt perpetua.

Non eſt tamen neceſſe, ut tota Communitas conveniat in conſuetudine introducenda, ſed ſufficit major pars ipſius, quia conſenſus majoris partis reputatur conſenſus totius: *leg. quod major ff. ad municipal.* Iſta autem major para continere debet eos, qui tenentur legem obſervare; nam conſuetudo conſtituens novam legem, & abrogans antiquam, introducitur per actus ipſi legi contrarios, quales non ſunt actus eorum, qui lege non adſtringuntur.

Q. III. An conſuetudo abrogativa legis debeat eſſe rationalis; & quid ad hoc requiratur.

R. I. Cum conſuetudo legitime introducta habeat vim legis, nec lex dari poſſit niſi conducat ad bonum commune, neceſſario debet eſſe rationalis, ut de ſe patet.

R. II. Primo, eſſe non poteſt rationalis ea conſuetudo, quæ adverſatur juri naturali, & divino, utpote quia actus exerciti contra jus naturale ſunt intrinſece mali; nec etiam fieri poteſt, ut actus exerciti contra jus divinum non ſint mali, neque etenim poteſt facere voluntas humana, quin jus divinum non obliget in conſcientia. Hinc conſuetudo contra talia jura dicitur corruptela; *cap. fin. de conſuet.* Ibidem pariter, & *cap. ex parte* reprobantur conſuetudines nutritivæ peccati, ſemper enim adverſari neceſſe eſt juri naturali, adeoque veniunt extirpandæ: *cap. extirpanda de præb.* Similiter reprobatur conſuetudo, quæ impediret correctionem morum *cap. irrefragabili 13. de Offic. Ordin.*

Secundo non poteſt eſſe rationalis conſuetudo, quam jus reprobat ut irrationalem, nam tunc eſt potius corruptela: *cap. cum venerabilis 7.*, *& cap. ult. de conſuet.*, niſi tamen ſucceſſu temporis ſuperveniat circumſtantia, quæ removeat iniquitatem reprobatæ conſuetudinis: *arg. cap. intelligentia de v. ſignif. Sanch. l. 7. de Matr. d. 4. num. 14.* Quod ſi jus ſolummodo prohibeat introduci conſuetudinem contra legem, non vero eam reprobet ut irrationalem, ad ſummum non valebit contra talem legem conſuetudo tempore ordinario inducta, cum deficiat tunc conſenſus legalis, quem videbimus eſſe neceſſarium ad conſuetudinem introducendam: *Laym. l. 1. t. 4. c. 24. n. 7.* Non deſunt tamen contrarium ſentientes, qui nempe opinentur non eſſe neceſſarium tempus extraordinarium ad admittendam hanc conſuetudinem; & his omnino adhærendum, ſaltem in caſu, quo appareat nova ratio, ſeu cauſa, qua non prohibenda fuiſſet talis conſuetudo. Cæterum contra legem, adverſus quam prohibitum eſt valere conſuetudinem, valebit ſemper, ſi aliud non obſtet, conſuetudo immemorabilis; cum etenim habeat majorem vim, quam aliæ conſuetudines: *leg. hoc jure §. Ductus aquæ ff. de aqua quotid.*, non intelligitur ei derogatum, niſi ſpecialiter. *Laym. cit. Barboſ. clauſ. 87. num. 4.*

Major difficultas eſt, an dicenda ſit rationalis ea conſuetudo, quæ mala fide inducitur. Non deſunt qui id omnino negent, adeoque velint tali conſuetudine non poſſe legem abrogari. At, meo videri, contrarium omnino ſentiendum eſt. Primo igitur, ſi non poſſet introduci conſuetudo valens legem abrogare, niſi quando ignoretur non agi contra legem, nunquam, aut fere nunquam haberet locum conſuetudo, quia difficile eſt, quod ſaltem ab initio non cognoſcatur tranſgreſſio legis. Succeſſu etiam temporis non facile poſſet introduci, cum etiam ſucceſſores poſſent facile ſcire non ſine peccato ab initio violatam fuiſſe legem; adeoque nunquam invaluiſſe ſufficientem conſuetudinem ad eam abrogandam. Hinc & ipſi peccarent, tranſgrediendo legem; & ita, ſi requireretur bona fides, difficiliter introduceretur conſuetudo legis abrogativa; & per conſequens ſuperflui eſſent tot textus, qui de eadem conſuetudine loquuntur. Secundo, eſt juxta rationem admittere, quod valeat adverſus legem conſuetudo etiam peccaminoſa; ſemper cum etenim conſtet legem non obſervari, & potius ad laqueum conſcientiarum deſervire, merito Legiſlator ſaltem per conſenſum legalem cenſetur adnuere, ut etiam per conſuetudinem peccaminoſam adverſus legem præſcribatur. Quod ſi ad præſcriptionem alienæ rei requiritur ſemper bona fides, ut patet ex *regul. 2. juris in 6.*, hoc ideo eſt, quia talis præſcriptio redundat in damnum tertii; unde non eſt admittenda, ubi injuſte res aliena ablata fuit. Si vero adverſus legem admittatur præſcriptio etiam cum mala fide potius redundat in bonum Communitatis: *Sanch. l. 7. de Matr. d. 4. n. 14. Lugo d. 8. de Juſt. ſect. 6. n. 46. Palaus tr. 3. d. 3. p. 2. §. 1. n. 3.*

Q. IV. Quod tempus requiratur ad introducendam conſuetudinem conſtituentem jus novum.

R. I. Ad introducendam conſuetudinem, ſi ſit rationalis, & præter jus ſufficit decennium. Ratio eſt, quia conſuetudo, quæ tanquam jus ſervanda eſt, ea eſt, quæ in jure dicitur longa: *can. conſuetudo diſt. 12. leg. 1. C. quæ ſit longa conſuetudo*, *& leg. ſed ea ff. de legibus*: longa autem conſuetudo ea eſt, quæ duravit per decennium, cum decennium longum tempus judicetur: *leg. ult. C. de præſcrip.*

R. II. Si conſuetudo contra legem introducenda ſit, ut dici ſolet, *via conniventiæ*, nempe per ſcientiam, & tolerantiam Principis, nullum aliud tempus requiritur niſi illud, quo ſuo ſilentio intelligatur conſentire, ne lex obſervetur. Generaliter autem loquendo, per hoc quod aliqui actus fiant contra legem, ſciente Principe, nec contradicante, non poteſt argui velle tacite revocare ſuam legem; poteſt enim in animo habere velle differre punitionem tranſgreſſorum, ſeu diſſimulare ad vitanda majora incommoda, unde etiam in jure non ſemper non reſiſtentia Principis habetur pro approbatione: *arg. cap. ſuper ea de cognat. ſpirit.*, *& cap. cum jam dudum de præbend.* Quod ſi tales ſint circumſtantiæ, ut ſilentium Principis, ipſiuſque tolerantia debeant reputari tacita legis revocatio, tunc ſtatim intelligitur ceſſare; nam tunc non tollitur per contrariam conſuetudinem, ſeu via præſcriptionis, ſed ex Principis conſenſu: *Leſſ. l. 2. de Juſt. cap. 6. n. 45. Suar. l. 7. de leg. cap. 13. num. 12. Palaus tom. 1. tr. 3. p. 2. num. 10.* Tunc autem judicarem tolerantiam Principis reputari poſſe legis revocationem, quando conſtaret nulla ratione impediri a tranſgreſſoribus puniendis, & nihilominus id ommitteret, vel quando appareret legem latam reddi nimis odioſam, & gravem.

R. III. Ad introducendam conſuetudinem contra legem civilem, vel etiam canonicam, ignorante Principe, via præſcriptionis requiritur, & ſufficit decennium. Tale tempus ſufficere conſtat ex prima reſponſione, in qua vidimus ex jure ad introducendam conſuetudinem eam debere longam eſſe, & longam dici, quæ durat per decennium. Loquendo vero de Lege Eccleſiaſtica, plures tum Theologi tum Canoniſtæ diſtinguunt inter legem acceptatam, & non acceptatam, & hanc dicunt removeri conſuetudine per decennium continuata, non vero primam. Verum, ommiſſa tali diſtinctione, puto quamcumque legem Eccleſiaſticam abrogari per decennalem conſuetudinem in contrarium; nam in jure canonico nullibi præſcribitur quadragenaria conſuetudo, ut videntur expoſcere Adverſarii; ac proinde attendendum eſt quod jus Civile diſponit, cum ſubintret, ubi deeſt diſpoſitio S. Canonum. Præterea non eſt inducenda ſine neceſſitate diſcrepantia inter jus Canonicum, & Civile, ut communiter docent DD. Accedit etiam pro abroganda lege Eccleſiaſtica non deeſſe eumdem finem, quo ratione conſuetudinis decennalis abrogatur lex civilis. Sicut igitur non convenit, ut poſt conſuetudinem contrariam decennalem velit Civilis Legiſlator perſeverare ſuam legem, cum cognoſcatur non ſolum non utilis, ſed potius deſervire ad animas illaqueandas, ita, & multo magis, dicendum eſt de Legiſlatore Eccleſiaſtico; *Leſſ. lib. 2. de Juſt. c. 6. n. 46. Lugo de Juſt. d. 7. ſect. 6. n. 94. Azor. p. 1. l. 5. c. 18. q. 6. Palaus p. 1. tr. 3. d. 3. p. 2. §. 2. n. 9.*

Quod ſi non ſolum agatur de abroganda lege, ſed ſimul de præjudicando juri alicujus Eccleſiæ, tunc attendenda eſt non conſuetudo, ſed præſcriptio, & ad præſcribendum contra Eccleſiam requiritur tempus quadraginta annorum, ut dicam in Tractatu de Juſtitia. Et in his terminis dicendum eſt Rotam Romanam apud Dianam *p. 6.*

tr.

y Google

tr. 5. reſol. 2. §. Sed quid ego, exigere conſuetudinem quadragenariam ad præſcribendum contra legem Eccleſiaſticam, quando ſcilicet ex præſcriptione contra legem, reſultat damnum contra jus Eccleſiæ.

Q. V. Quales actus requirantur ad inducendam conſuetudinem.

R. Primo, tales actus debent eſſe publici, & notorii, alias ſi ignorentur, nec poteſt dici in eos Principem, vel Populum conſentire, & quod conſuetudo velut novum jus promulgetur; quæ omnia videntur neceſſaria, ut habeat vigorem, vel legem abrogandi, vel novam inducendi *Laym. tr. 4. cap. 24. n. 2. Suar. l. 7. c. 10. n. 5.* Secundo, non debent eſſe facti per ignorantiam, vel errorem; ut ſi eſſet conſuetudo jejunandi, quia per errorem crederet populus adeſſe præceptum jejunii. Cum igitur conſuetudo introducatur per voluntarium conſenſum populi, nihilque ſit magis voluntati contrarium, quam ignorantia, & error: *leg. non idcirco C. de jur. & fact. ignor.* ſequitur nullum habere robur conſuetudinem introductam per ignorantiam, vel errorem: *Gloſſ. in cap. fin. de conſuet. Pal. tr. 3. diſp. 3. p. 2. §. 2. n. 11.* Similiter actus contra legem non debent fieri per vim, & metum; nam etiam tunc non eſt conſenſus ad introducendum conſuetudinem novam, ſed potius demonſtratur illos actus eſſe oneroſos: *leg. de quibus ff. de leg. D. Th. 1. 2. qu. 97. a. 3.* Tertio requiritur ut taliter illi actus ſint frequentati a majori parte populi, ut frequentia repetita per decennium demonſtret conſenſum populi ad introducendum eam conſuetudinem. Hinc non ſufficit, ut aliqui dixerunt, illos actus bis, vel ter fuiſſe repetitos, nam quod ſit bis, vel ter, non dicitur factum frequenter: *arg. l. item apud Labeonem §. Aliud c. ff. de jurejur.* Tum quia, actus bis, vel ter factus per tempus decennii non ſufficienter demonſtrat conſenſum populi per totum illud tempus. Frequentia ergo actuum regulanda eſt juſta eorum naturam, & occaſiones circa eos occurrentes, ita ut ex eis poſſit colligi conſenſus populi conſenſus. *Suar. l. 7. c. 20. n. 5. Baſil. de matr. l. 6. cap. 6. n. 1. Pal. tr. 3. d. 3. p. 2. §. 1. n. 3.*

Quarto, ad introducendam conſuetudinem parientem obligationem, actus debent eſſe facti animo ſe obligandi, alias non introducitur conſuetudo obligatoria, ſicuti non datur lex ſine animo obligandi in Legiſlatore *Gloſſ. can. conſuetudo diſt. 1. v. Inſtitum*; *Laym tract. 4. cap. 24. n. 2.* Hinc dicitur actus meræ, & liberæ facultatis, qui ſcilicet pro cujuſcumque arbitrio fieri, & ommitti poſſunt, non inducere conſuetudinem præter legem: *cap. Abbate de v. ſignif., & arg. l. 2. ff. de via publ.* Eadem ratione, ut conſuetudo vim obtineat contra legem, neceſſe eſt, ut actus, quibus introducitur, non fiant ſolum a populi majori parte ex animo depravato ſibi ſatisfaciendi, ſed ex intentione ſaltem interpretativa introducendi jus conſuetudinarium contra legem: *Laym. cit. Palaus tr. 3. d. 3. p. 3. n. 12.* Propter defectum animi ſe obligandi, non habet vigorem legis conſuetudo ſalutandi Beatiſſimam Virginem ſtatis horis, ſe aſpergendi aqua luſtrali in ingreſſu Templi &c. Cæterum in dubio, an conſuetudo introducta fuerit animo ſe obligandi, vel ex pura devotione, judicandum eſt, eſſe conſuetudinem meræ devotionis, & continere actus meræ facultatis: *ar. leg. Arrianus ff. de actione, & obligat.* Et quidem nemo præſumitur velle imponere ſibi onus, niſi probetur *Pal. cit. n. 13. Suar. l. 7. c. 15. n. 13.*

Quinto, actus non debent eſſe interrupti, tunc etenim non curreret ſufficiens tempus ad legitime præſcribendum, ut requiritur *cap. ult. de conſuet.* Interrumpuntur autem, ſi Populus ex certa ſcientia, vel unicum actum contrarium exerceat; quia tunc oſtendit nolle continuare inceptam conſuetudinem. *arg. cap. ſollicitudinem 24. §. fin. de appellat., & notat Gloſſa fin. in leg. nemo alieno ff. de reg. jur.* Similiter interrumpitur, ſi Superior puniat tranſgreſſiones legis, vel in ſuo tribunali judicet pro lege contra conſuetudinem. Quod ſi conſuetudo per lapſum legitimi temporis fuit completa, tunc, cum habeat vim legis, non poteſt ei derogari, niſi vel per expreſſam Superioris derogationem, vel nova contraria conſuetudine, habente omnia requiſita ad derogandum legi; nam, ut dixi, præcedens conſuetudo obtinuit vim legis: *Gloſſ. fin. cit. Suar. de leg. l. 7. cap. 20. n. 20. Laym. l. 1. tr. 4. cap. 24. n. 14.*

Q. VI. Qualis Principis conſenſus requiratur ad introducendam conſuetudinem præter, vel contra legem.

R. I. Ad introducendam dictam conſuetudinem, dummodo ſit rationalis, non requiritur expreſſus, ſive tacitus conſenſus Principis. Id autem probatur, quia ad introducendam conſuetudinem contra legem, nil aliud requiritur, quam, ut rationalis, & legitime præſcripta; *cap. ult. de conſuet.* præſcriptio autem currit etiam contra ignorantes. Præterea præſumitur ab univerſali Legiſlatore, v. g. a Summo Pontifice, ignorari particulares conſuetudines locorum: *cap. 1. de Conſt. in 6.*, & hoc non obſtante, tales conſuetudines validæ reputantur ad præſcribendum contra legem; adeoque non requiritur ad earum valorem conſenſus Principis, cum eas ignoret. Demum, ſi requireretur expreſſus Principis conſenſus ad inducendam conſuetudinem, non opus eſſet præſcriptione; nam ſi Princeps expreſſe conſentiat in conſuetudinem ſuæ legi contrariam, ſtatim intelligitur ſuam legem revocare. Idem dicendum, ſi tacite conſentiat; dum enim ſcienter patitur tranſgredi ſuam legem, cum poſſit ſe opponere, & punire tranſgreſſores, via conniventiæ, ſtatim intelligitur conſentire, ut ſua lex nullum robur habeat.

Ad inducendam ergo conſuetudinem præter, & contra legem, ſufficit conſenſus legalis, quatenus ſcilicet Princeps intelligitur conſentire in omnes conſuetudines, quæ habent requiſita a jure; dum nempe ſunt rationales, & legitime præſcriptæ: *cap. ult. de conſuet. & leg. 1., & ſeqq. C. quæ ſit longa conſuetudo.* Hoc modo ſatis intelligitur conſuetudinem non accipere vires ſuas a Subditis, ſed ex conſenſu Legiſlatoris: *Gloſſa in can. in iſtis §. Leges v. abrogare d. 4. Sperel. deciſ. 89. For. Eccleſ. n. 8. & 14. Sanch. l. 7. de matr. d. 4. n. 11. Laym. l. 1. tr. 4. c. 24. n. 2. &c.*

Quod ſi ageretur de conſuetudine, cui reſiſtat jus commune, & multo magis, ſi eam improbet, tunc cum deficiat conſenſus legalis Principis, omnino neceſſarius eſt illius conſenſus expreſſus, quo det ſpeciale privilegium, ut illa conſuetudo ad praxim deducatur; & ſi exhiberi non poſſit privilegium lapſu temporis immemorabilis, neceſſaria ſaltem eſt illius fama. *Sperell. deciſ. 2. For. Eccl. n. 41., & 42. Barboſ. in collect. ad cap. Eccleſ. S. Mariæ n. 18. &c. de Conſt.* Et in præfatu ſenſu dicendum eſt loquutum eſſe Fagnanum, *in cap. Utrum autem de cognat. Spirit. n. 18.* dum etiam ex Rota Romana exigit conſenſum expreſſum Principis ad inducendam conſuetudinem. Videnda nihilominus ſunt, quæ dicentur capite ſequenti.

Q. VII. Qualiter interpretanda ſit conſuetudo.

R. Si conſuetudo ſit contra jus commune, eſt ſtricti juris; adeoque non extendenda ultra id, quod actum eſt: *Maſcard. de probat. concluſ. 422. n. 15.*, & communiter. Idem dicendum, ſi ſit in præjudicium tertii; nam tunc ut odioſa conſideratur, ſicuti, & præſcriptio. Si vero conſuetudo ſit præter jus, & ex ea jus publicum, & univerſale conſurgat, tunc utpote inducens favorem, late eſt interpretanda: *Fagn. in cap. Venerabilis num. 26. de Cenſ.*, & communiter.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum Communitates Regulares propriis legibus gubernentur, poteſt in iiſdem contraria conſuetudo contra eaſdem leges prævalere, ſive in totum, ſive in partem, prout conſuetudo fuit introducta. Advertere tamen debet Confeſſarius Regularis, quamplurimas conſuetudines adverſus obſervantiam regularum, potius eſſe corruptelas, & abuſus inducentes turpem relaxationem, adeoque non eſſe attendendas, quaſi præſcripſerint contra leges, ſeu regulas.

II. Cum nullatenus Confeſſarius debeat attendere in regulandis conſcientiis conſuetudines nutritivas peccatorum, videat quam parvi pendere debeat primo turpiſſimam conſuetudinem, quam mulieres etiam nuptæ, & Viri uxorati paſſim frequentant, admittendi Cicisbeos, ſive Cicisbejas: conſuetudinem quam quædam inverecundæ mulieres in ſeſe adornandis ſuſtinent, & pectore valde nudando: conſuetudinem Juvenum, & puellarum ſeſe diu mutuis amoribus proſequendi &c. Hæ conſuetudines quam maxime peccata nutriunt, graviterque bono publico officiunt; adeoque nullatenus ſunt attendendæ. At heu! heu. Quot Confeſſarii potius conniventes communi mori, quam legis naturalis, ac Divinæ obſervantiam curantes, has mulieres, hos viros ac Juvenes ad Sacramenta admittunt; quaſi quem frequentant morem, innoxie ex iniqua admiſſa conſuetudine frequentarent. Liceat hic querelas S. Auguſtini contra hujuſmodi conſuetudines tranſcribere. *Væ tibi*, ait *l. 1. Confeſſ. c. 16. Flumen moris humani, quis reſiſtit tibi, quamdiu non ſiccaberis? Quouſque volves Evæ filios in mare magnum*, & ſer-

formidoloſum, quod vix tranſeant, qui lignum (Crucis Chriſti) conſcenderint? Et de Fide, Spe, & Carit. cap. 8. ita habet. *Stupenda mentis cæcitas, horrenda cordis deprovatio! peccata quamvis magna, & horrenda cum in conſuetudinem venerint, aut parva, aut nulla eſſe creduntur...... Væ peccatis hominum! quæ ſola inuſitata exhorreſcimus, uſitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei ſanguis effuſus eſt, quamvis tam magna ſint, ut omnino claudi contra ſeſe faciant Regnum Dei, ſæpe videndo omnia tolerare, ſæpe tolerando nonnulla facere cogimur.*

III. Notet Confeſſarius legem quamvis laudabilem ſæpe cito ceſſare *via conniventiæ*, quia ſcilicet Princeps videndo eam paſſim non obſervari, ſilet, cum poſſet commode tranſgreſſores punire. Ratio eſt, quia videndo non ſine magnis difficultatibus ſuam legem introduci, ſi ter, vel quater ſileat, videtur conſentire, ne vigeat ad removendum ſcandalum, & laqueum Animarum. Et quidem hoc modo facilius eſt tolli legem, quam per conſuetudinem contrariam legitime præſcriptam, ſi hæc introducenda ſit animo legem abrogandi; nam ut plurimum non obſervantur lege ex tali animo, ſed ut licentiæ, & libertati inſerviatur.

CAPUT II.

De effectibus Conſuetudinis, ejuſque ceſſatione.

Q. I. AN conſuetudo vim habeat obligandi.

R. Cum conſuetudo legitime introducta habeat vim legis, ſi aliquid præcipiat, vel prohibeat, eo modo obligat, quo obligaret lex, ſi daretur, de re per conſuetudinem introducta, quapropter quæ dicta ſunt de obligatione, quam parit lex, applicanda etiam ſunt conſuetudini legitime introductæ: *Suar. l. 7. de l. cap. 16. n. 2. & 3.* & communiter. Semper tamen obſervandum eſt, conſuetudinem inducentem obligationem, cum ſit ſtricti juris, & odioſa, non extendendam de caſu ad caſum, nec de loco ad locum, nec de Perſona ad Perſonas. Ita quamvis conſuetudo rationalis promiſcue introducta a Clericis, & Laicis ſive de rebus Spiritualibus ut de jejunando, ſive de rebus civilibus, utroſque obliget: nihilominus conſuetudo introducta a ſolis Laicis non obligat Clericos, & e contra; ſicut nec conſuetudo introducta a Clericis obligat Religioſos, & e contra. Ratio eſt, quia quamvis conſuetudo introducta a majori parte unius ſtatus obliget minorem, & ita conſuetudo introducta a majori parte Laicorum obliget aliam minorem partem: nihilominus non eſt conveniens tranſire ad Statum diverſum, habentem ſuas proprias obligationes, & obſervantias; cum conveniat, unumquemque ſtatutum propriis legibus, & conſuetudinibus gubernari; *Suar cit. n. 6. Pal. diſp. 3. pa. 4. §. 1. n. 2. &c.* Non per hoc tamen negatur, quod ubi in aliquo loco deficiat lex, ſtatutum, ſive conſuetudo, non debeat fieri recurſus in cauſis judicandis ad conſuetudines vicinorum locorum: *cap. cum eo de cenſ., cap. cum olim de conſuet. & ex communi notat Barboſ. in collect. ad dictum caput cum olim.*

Q. II. Quando conſuetudo intelligatur legem humanam abrogare, Et quid ſi in jure prohibeatur contraria conſuetudo.

R. I. Sicuti per legem contrariam poteſt præexiſtens lex abrogari, ita & per contrariam rationalem conſuetudinem, cum hæc habeat vim legis *cap. fin. de conſuet. leg. de quibus, leg. ſed ea ff. de leg.* & docet *D. Thom. 1. 2. q. 79. a. 3. ad. 2.* Quod ſi conſuetudo ſit, ut lex non intelligatur obligare quoad culpam, perſeverare poterit lex quoad pœnam, dummodo hæc non ſupponat neceſſario culpam, ut evenit in Cenſuris. E contra poterit lex perſervare quoad obligationem culpæ, & non pœnæ: ſi introducta ſit conſuetudo quoad remotionem pœnæ; nil enim repugnat quod lex juxta conſuetudinem poſſit partialiter abrogari, ſicut & ipſe Legiſlator poſſet nova lege præexiſtentem legem ſolum partialiter abrogare: *Suar. l. 7. de leg. cap. 19. n. 3. & 12. Pal. p. 1. tr. 3. d. 3. p. 4. §. 2. n. 4.* Immo conſuetudine diuturna licet prava, & minus juſta removetur pœna fori exterioris; eo enim ipſo quod aliquid toleretur in foro externo, non debet in eo puniri; *Gloſſ. in can. denique d. 4. Maſcard. de probat. concl. 194. n. 10. & concl. 1417 num 35.* Addit Fagnanus *in cap. ad hæc n. 70. de relig. domib.* talem conſuetudinem excuſare etiam a pœna excommunicationis, & favet textus *in cap. Sane de tem. Ordinat.*

Ex quo conſuetudo legitime præſcripta vim legis obtineat, poterit etiam irritare actus in contrarium geſtos; ſi enim id poteſt lex, poterit & conſuetudo. Ita *cap. cum olim de Cleric conjug. junct. Gloſſ. fin.* per conſuetudinem loci reddi quis poteſt ineligibilis ad beneficia: & *cap. cum dilectus 8. de conſuet. & cap. Cumana 50. de elect.* electio facta contra conſuetudinem illegitima declaratur.

R. II. Si lex prohibeat conſuetudinem contrariam per verba indifferentiæ ad conſuetudinem præteritam, vel futuram, intelligenda tantum ſunt de conſuetudine præterita, ut ſi dicatur, *obſtante quacumque conſuetudine.* Ratio eſt, quia improbare conſuetudinem eſt quid odioſum, adeoque clauſula prohibens conſuetudinem, eſt limitanda, quoad fieri poteſt. Præterea illis verbis reprobatur conſuetudo legi contraria, & talis conſuetudo non eſt ea, quæ eſt futura, ſed quæ eſt, dum lex promulgatur. *Gloſſ. in Clement. ſtatutum V. conſuetudinem de elect. Suar. l. 7. cap. 7. num. 2. Laym. l. 1. tr. 4. cap. 24. n. 7.* Quod ſi illis verbis reprobetur aliqua conſuetudo ut irrationalis, tunc cenſetur futura; nunquam enim conſuetudo irrationalis prævalet contra legem. Quod ſi tamen, quæ erat irrationalis tempore conditæ legis, rationalis fiat ex novis ſupervenientibus circumſtantiis, tunc poteſt contra legem prævalere, ut jam dictum eſt de conſuetudine rationali. *Suar. de leg. l. 7. cap. 7. n. 22.*

Sed etiamſi verba legis improbent conſuetudinem futuram, valde probabile eſt conſuetudinem adhuc prævalere poſſe contra talem legem. Id autem probatur, quia talis conſuetudo futura improbatur lege humana, unde & adverſa conſuetudo poterit eamdem legem abrogare. Hoc autem volo eſſe intelligendum ſequi; non eo tempore, quo vivit Princeps, qui etiam conſuetudinem futuram abrogavit; nam non poteſt intelligi neque legaliter conſentire in eamdem conſuetudinem, ſi eam reprobavit, ſed tempore Succeſſoris. *Baſ. l. 6. n. 9. Suar. l. 7. cap 19. n. 21.*

R. III. Per clauſulam generalem revocatoriam conſuetudinis non intelligitur revocata conſuetudo immemorabilis; hæc enim facit præſumptionem meliorem titulum de toto mundo *Fagn. in cap. cum Apoſtolica cap. 6. de his, quæ ſiunt a Prælat.* & habet vim privilegii: *arg. cap. ſuper quibuſdam 26. de v. ſignif. junct. Gloſſ. v. non extat memoria*; unde non cenſetur revocata, niſi ſpecialiter exprimatur: *Barb. clauſ. 87. n. 4. & 8. Palaus p. 1. tr. 3. d. 3. p. 5. §. 1. n. 10.* Secus dicendum eſſet, ſi conſuetudo per novam legem damnaretur ut irrationalis, vel ſi ratio, ob quam conſuetudo damnatur, militet etiam in immemorabili ex *Barboſ. cit.*; vel ſi prohibeatur quæcumque conſuetudo unum tantum excipiendo caſum: nam tunc exceptio firmat regulam contra omnes alias conſuetudines: *Fag. in cap. ad hæc 24. de relig. domib.*

Q. III. An lex ſit ex conſuetudine interpretanda.

R. Alter effectus conſuetudinis eſt legem interpretari; unde dicitur *optima legum interpres*: *cap. cum dilectus de conſuet.* Id tamen intelligendum eſt quoad ea, in quibus lex dubia; nam quod clarum eſt, non indiget interpretatione. Si conſuetudo ſit legitime præſcripta, ita ut & ipſa vim legis obtineat dicitur per eam lex authentice interpretari; adeoque ſicut ſi Legiſlator alia lege ſuam legem ambiguam declaret, id eſſet neceſſario obſervandum, ita dicendum de interpretatione facta juxta præfatam conſuetudinem: *leg. nam Imperator ff. de leg.* Si vero nondum lapſum ſit tempus, unde conſuetudo vim legis obtineat, tunc interpretatio, quæ fit ratione conſuetudinis, dicitur conjecturalis, & probabilis. Quia tamen non datur vera conſuetudo, niſi quando ei plures, vel major pars conſentit, hinc eſt hanc etiam interpretationem conjecturalem per conſuetudinem bene eſſe attendendam, quamvis verba legis non tam proprie eſſent exponenda. Sicut autem conſuetudo certa interpretatur legem dubiam, ita lex certa conſuetudinem dubiam interpretatur, cum una lex per aliam explicetur: *leg. unic. C. de inoffic. &c.*

Q. Ultimo. Quando ceſſare intelligatur Conſuetudo.

R. Primo, conſuetudo obtinens vim legis cenſetur ceſſare omnibus illis modis, quibus dixi legem ceſſare, Secundo, ceſſat conſuetudo per legem Principis, dummodo ſit incompatibilis: *cap. 1. de conſuet. in 6. & cap. cum conſuet. de conſuet.* Et quidem lege poſteriore removetur prior ipſi directe contraria, quamvis de ea non fiat mentio, ita & conſuetudo. Quod ſi aliquo modo compatiatur, debet conſuetudo quoad fieri poteſt ſuſtineri; nam correctio juris eſt vitanda, ſi poſſibile ſit, utpote odioſa: *leg. præcipimus C. de appellat.*, & Princeps cenſetur potius ſe accommodare uſui, & conſuetudi-

Digitized by Google

ſini Subditorum, quam vim illis inferre: *can. erit autem lex diſt. 4.* & communiter.

Quod ſi agatur de lege generali contraria conſuetudini particularis Civitatis, & Provinciæ, tales particulares conſuetudines, ut alias innui, non intelliguntur revocatæ per leges generales, ſi de eis non fiat expreſſa mentio; quia conſuetudines particulares præſumuntur ignoratæ ab univerſali Legislatore, adeoque ad has non ſe extendere ipſius voluntatem: *cap. 1. de conſuet. in 6. Pal. tr. 3. d. 3. p. 5. ſ. 2. n. 4. &c.* Et idem dicendum, ſi Legislator ferat legem pro aliqua ſua Civitate, cujus particulares conſuetudines præſumatur ignorare. E contra quia præſumitur Epiſcopum conſuetudines particulares ſuæ Diœceſis non ignorare, ideo abrogantur per ipſius leges, quoties ſint illis contrariæ.

Tertio, ceſſat conſuetudo per aliam conſuetudinem illi contrariam: ſi etenim lex contraria lege poteſt abrogari, ita conſuetudo per contrariam conſuetudinem. Ut autem nova conſuetudine contraria abrogetur, ut dixi capite ſuperiori, quæſito quinto, oportet habere omnia requiſita, quæ neceſſaria ſunt ut derogetur legi, cum conſuetudo prior vim legis habeat. Hoc tamen volo dictum eſſe in caſu, quo nova conſuetudine derogandum ſit conſuetudini priori, quæ fuerit præter legem, non vero ſi conſuetudo prior ſit contra legem. Ut ergo intelligatur derogatum nova conſuetudine alteri, quæ erat contra legem, nil aliud puto eſſe neceſſarium, quam quod populus demonſtret non amplius curare de priori conſuetudine. Sicut igitur dum derogatur legi per contrariam conſuetudinem via conniventiæ, non opus eſt expectare tempus determinatum, ſed ſatis eſt quod cognoſcatur, Principem contentum eſſe ſuam legem non obſervari; ita nec videtur neceſſarium tempus decennii, ut nova conſuetudine prior, quæ erat contra legem, abrogetur, ſed ſatis eſt dignoſcere populum non amplius curare de illa priore conſuetudine; nam ſtatim reviviſcit lex, quæ veluti ſuſpenſa remanebat, eo quod populus noluerit eam acceptare. Præterea obſervandum eſt, quod licet lex omnino tollatur, ſi a Principe revocetur, non videtur id evenire, dum invaluit contra eam conſuetudo, ſed potius obligatio legis dicenda eſt ſuſpenſa, quoties populus voluerit perſeverare in contraria conſuetudine: revera enim Princeps ſemper optat ſuam legem obſervari: ſi proinde populus cedat juri ſibi competenti per conſuetudinem contra legem, & ſatis demonſtret velle legem obſervare, ſtatim redibit obligatio legis, cum quilibet poſſit juri ſuo renunciare: *cap. ſi diligenti de for. compet.*, nec poſſit illud poſtea repetere: *can. quam periculoſum 7. q. 1.* Hinc dicitur, facile res ad ſuam primævam naturam reverti; *arg. leg. Filio, quem Pater ff. de liber. & poſthum. & l. ſi unus ſ. Pactus in fin. ff. de pact. Suar. de leg. l. 4. c. 16. n. 13.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Videat Confeſſarius, ne ignoret vim, & effectus conſuetudinis, ut poſſit in pluribus caſibus conſulere conſcientiæ ſui Pœnitentis. Mos e. g. eſt, ut Magiſtratus ſive alii ad aliquod Officium aſſumpti juramento ſe obligent ad obſervandas leges, quæ ad ipſos pertinent: at cum lex conſuetudine abrogata non obliget, juramentum non extenditur ad tales leges. Quod ſi contra legem ſolum ex parte viguit conſuetudo, dumtaxat pro obſervantia illius partis non viget juramentum. Hinc perpendat quam efficaciam habebat illud juramentum; ac, ut par eſt, moneat ſuum Pœnitentem, ne ex erronea conſcientia peccet.

II. Advertat etiam Confeſſarius, quod quamvis contraria conſuetudine abrogari poſſit lex Eccleſiaſtica, unde fruſtra adducerentur Decreta Pontificia, ſi contra illa longa conſuetudine præſcriptum ſit; nihilominus nulla conſuetudo prævalere poteſt contra Immunitatem, & Libertatem Eccleſiaſticam. Ratio autem eſt, non ſolum quia paſſim apud S. Canones reprobatur; *cap. 1. cap. cum inter, cap. ad noſtram de conſuet.*; neque ſolum quia Urbanus VIII. ſua Conſtitutione 159. omnes conſuetudines contra immunitatem, etiam immemorabiles, cum aſſerta fama Privilegii Apoſtolici reprobat, ſed etiam quia quotannis in Bulla Cœnæ reprobantur omnia præjudicialia immunitati, unde ad tales conſuetudines ſemper deficit conſenſus etiam legalis Pontificis.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Privilegiis.

CAPUT I.

De Natura Privilegii, ejuſque Conditionibus, & proprietatibus; & de obligatione eo utendi.

Q. I. QUid ſit privilegium, & quotuplex:

Privilegium dicitur; *lex privata aliquod ſpeciale beneficium concedens*. Dicitur *lex* non proprie, cum de natura legis ſit reſpicere bonum commune; ſed lato modo, quia nempe provenit ab habente poteſtatem condendi legem. Additur *privata*, quia non reſpicit omnes, quamvis poſſit reſpicere multos, uti ſunt Privilegia conceſſa Regularibus; minoribus &c. Subditur *ſpeciale beneficium concedens*, vel quia nempe tribuit aliquid fieri poſſe contra jus, vel præter jus; & ita materia privilegii non ſolum debet eſſe honeſta & rationalis ſed etiam favorabilis. Hinc privilegia tribui non poſſunt, niſi ab habente poteſtatem condendi legem; nemo enim niſi Legislator, vel ipſius Succeſſor concedere poteſt, ut fiat contra legem; ſicut ab iiſdem ſolis, mediante privilegio, fieri poteſt, ut privilegiati non impediantur ab agendo præter jus: *Laym. l. 4. tr. 4. cap. 23. n. 14. Suar. de leg. l. 8. d. 8. n. 2.*

Ex hoc ulterius ſequitur, quod licet privilegium valide etiam ſine cauſa concedatur, quia ſupponitur eſſe ſaltem de re, ſeu materia ſubjecta liberæ diſpoſitioni privilegium tribuentis; nihilominus cauſa juſta, & honeſta requiritur, ut licite concedatur. Vel etenim eſt contra jus, & in præjudicium tertii, & tunc eſt contra juſtitiam diſtributivam ſine cauſa aliquos a lege eximere; & multo magis, ſi ex hoc alii magis graventur. Vel eſt præter jus, & merum Principis beneficium; & tunc concedens privilegium videretur incurrere vitium acceptationis Perſonarum, ſi abſque cauſa privilegium aliquod tribueret: *Pal. t. 1. tr. 3. de leg. d. 4. p. 3.*

R. II. Privilegium multipliciter dividitur. Primo dividitur in Reale, & perſonale. Reale illud eſt, quod convenit Perſonæ non ratione ſui, ſed ratione rei illi adjunctæ, ut ſi concedatur Perſonis ratione loci, ut Eccleſiæ, & Monaſterio, vel ratione alicujus qualitatis, v.g. Epiſcopatus, Doctoratus, Clericatus, Status religioſi, Viduitatis, Minoritatis, Militiæ &c. Hæc privilegia realia, cum reſpiciant bonum publicum, nequeunt a particularibus renunciari, & niſi aliud exprimatur, perpetua dicuntur, cum non ſoleat deſinere qualitas, ratione cujus privilegium conceditur, & ita tranſit ad omnes, in quibus invenitur: *leg. Imperatores ff. de Publican.* Quando conceſſum eſt ratione loci, e.g. Eccleſiæ, Monaſterii &c. dicitur etiam locale, eoque fruuntur omnes, qui ſucceſſive poſſident illum locum. Immo non ceſſat, quamvis Eccleſia ſit deſtructa, dummodo ſit ſpes reparationis; nam dicitur adhærere ſolo: *leg. Æd. ſacr. ff de contract. empt. Gloſſ. in c. Paſtoralis 7. q. 7. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 2.* Perſonale eſt, quod conceditur Perſonæ ratione perſonæ, ut ſi nominetur perſona; vel concedatur ratione ſpecialis qualitatis exiſtentis in Perſona, propter ipſius e. g. doctrinam, prudentiam &c. Quod ſi expreſſa perſona, aliquid addatur, unde dignoſcatur privilegium non ſoli perſonæ concedi, ut ſi apponatur illa clauſula *in perpetuum*, tunc privilegium erit reale, ſicut e contra erit perſonale, quæcunque ſint verba privilegii, ſi materia ipſius tranſire non poſſit ad hæredes, & ſucceſſores; nam privilegium, quod ſequitur perſonam, & cum ea ſpirat, eſt perſonale: *cap. privilegium de reg. jur. in 6. Laym l. 1. tr. 4 c. 23. n. 2. Sanch. de matr. l. 8. diſp. 27. n. 3.* Privilegium proinde perſonale, ad diſtinctionem realis dicitur non eſſe perpetuum.

Secundo, dividitur privilegium in commune, & ſingulare, quæ diſtinctio aliquatenus coincidit cum antecedenti. Commune ergo eſt illud, quod primo, & per ſe reſpicit Communitatem, quamvis de ſecundario eo fruantur perſonæ particulares illius; ut ſunt privilegia conceſſa Clericis, vel Religioſis; & huic privilegio perſonæ particulares non poſſunt renunciare, quia nemo renunciare poteſt, quod ſibi directe conceſſum non eſt quamvis eo fruatur: *cap. ſi diligenti de for. compet.*, *cap. contingat de ſent. excomm.* Singulare reſpicit primo, & per ſe commodum perſonæ ſingularis, quamvis plures eo fruantur, ut dici ſolet de privilegio Bullæ Cruciatæ.

Cum

Cum autem talis privilegii veluti dominus conſtituatur ille, in cujus gratiam expeditur, remanet ei poſſe renuntiare: *cap. ad Apoſtolicam de Regul. l ſi quis in conſcrib. C. de pactis.* Id tamen verum eſt, niſi privilegium unios cedat etiam in gratiam alterius. Ita uxor non poteſt renunciare privilegio ſibi facto, quod non poſſit obligari fidejuſſione ſine conſenſu Mariti: *Bonac. d. 1. q. 3. p. 1. n. 10.*

Tertio, dividitur privilegium in gratioſum & remuneratorium. Gratioſum eſt, quando Princeps non attendit ad merita Privilegiati, eſto in eo reperiantur, vel ad ſummum ſint cauſa impulſiva; Remuneratorium datur præciſe propter merita privilegiati, vel Parentum ipſius &c., & colligitur tale eſſe, ſi de iis in privilegio mentio ſpecialis fiat; *Palaus tr. 3. d. 4. p. 2. §. 3. n. 1., & p. 21. §. 1. n. 6.* Hinc privilegia Regularibus conceſſa communiter reputantur remuneratoria, quia in Bullis Pontificiis dicuntur tribui in remunerationem Fundatorum, ſeu laborum, quos pro Dei Eccleſia ſubjerunt, & ſubeunt Regulares.

Quarto, dividitur in favorabile, & odioſum. Primum illud eſt, quod conceditur vel præter *jus*, vel etiam contra jus, ſed nulli affert incommodum; uti eſſet e.g. privilegium comedendi cibos vetitos in diebus prohibitis. Odioſum, quamvis commodum afferat privilegiato, redundat in gravamen alterius; ut ſi alicui concedatur exemptio a tributis, ex quo fiat, ut alii magis graventur. Advertere tamen eſt, quod ſi ex tali privilegio aliquis expoliandus ſit jure jam quæſito; & cujus eſt in uſu, & poſſeſſione, huic danda eſt notitia talis privilegii: *arg. ex cap. cum Perſonæ de privileg. in 6', & cap. ſi duobus, cap. comparat. de appellat.* Et quidem præſumi non poteſt, Principem velle aliquem privare jure ſuo, ipſo neſciente; ultraquamquod expedit ſuavi gubernationi, & bono communi ut damnificatus moneatur, ad hoc ut poſſit ſe opponere &c. *Pal. d. 4. p 3. §. 2. n. 8.* Si vero quod primo, & per ſe intenditur in concedendo privilegio, de ſua natura non habeat inferre odium, & incommodum; ſed ſolum id eveniat per accidens; non proindo deſinit privilegium eſſe abſolute favorabile; nam quod per accidens ſequitur, non debet attendi. Ita non deſinit eſſe abſolute favorabile privilegium Canonis in communi Eccleſiaſticis conceſſum, quamvis reddatur poſtea gravoſum Percuſſori. Ita etiam dicitur de Privilegiis conceſſis Regularibus.

Quinto, aliud eſt privilegium affirmativum, aliud negativum. Primo conceditur aliquid agere præter jus, vel contra jus; & ſemper intelligitur aliquid concedente ultra id, ad quod quis haber facultatem; alias non eſſet privilegium. Aliquando vero ſolum declaratur jus dubium; ſeu facultas dubia, quam quis habeat. Privilegium negativum ſemper importat aliquem poſſe ommittere id ad quod de jure tenetur; *Suar. de leg. l. 8. c. 1. Pal. tr. 3. d 4. p. 1. n. 3*

Sexto, dividitur in ſcriptum, & non ſcriptum. Privilegium ſcriptum illud eſt, quod ſcriptura conceditur; & ut fidem faciat in foro externo, debet exhiberi in forma authentica, quamvis Regulares ſatis ſit ſi exhibeant ipſorum tranſumpta, munita manu Notarii publici, & ſigillo Perſonæ in dignitate conſtitutæ; nil etenim aliud requirunt Bullæ Pontificiæ. Immo ſatis eſt, ſi reperiatur in Libris Ordinis, vel in aliquo libro impreſſum *Bordon tom. 2. reſol. 52. n. 53.* Privilegium non ſcriptum confertur abſque ſcriptura, quæ non eſt neceſſaria ad privilegium, *can. inſtitutionis 25. q. 2., & Gloſſ. in Clement. dudum de ſepult.* Hæc igitur privilegia, vel conceduntur vivæ vocis oraculo, vel introducta ſunt conſuetudine, quia ſicut per eam poteſt acquiri juriſdictio *cap. contingat. de for. compet.* & novum jus introduci, ita exemptio, & privilegium: *Suar. de leg. l. 8. cap. 7. n. 6. Pal. tr. 3. d. 4. p. 2. §. 5. n. 2.* Et ſi revocentur privilegia, cum revocatio ſit odioſa, intelligenda ſolummodo eſt de privilegiis a Principe conceſſis, non de iis, quæ conſuetudine introducta ſunt: *Bonac. d. 1. q. 3. p. 1. n. 5.*

Septimo, aliud eſt privilegium conceſſum pro foro externo, aliud pro foro conſcientiæ. Privilegium pro foro externo, pro otroque foro deſervit; neque enim apponitur pro foro externo, niſi ad innuendum etiam pro tali foro deſervire, non vero ad excludendum forum conſcientiæ: *Palaus cit. n. 4.* atque ita ſunt omnia privilegia Regularium, ut videre eſt apud *Bordonium t. 2. reſol. 52. n. 18.* Privilegia pro foro conſcientiæ ſolummodo pro illo foro ſuffragantur; unde habens tale privilegium in ordine ad forum externum ſe habet, ac ſi illud non haberet. Cæterum, ſi materia privilegii non expoſcat forum Sacramentale, ut ſi daretur pro abſolvendis aliquibus cenſuris, poteſt executioni mandari extra Sacramentum Pœnitentiæ; cum multa, quæ ad conſcientiam pertinent, etiam extra illud tractentur: & ita pœnitentia Eccleſiaſtica etiam extra Sacramentum & aufertur, & imponitur, ſicut etiam impertitur abſolutio a Cenſuris: *Suar. de leg. l. 8. cap. 6. n. 15, & Pal. tr. 3. d. 4. p. 2. §. 2. n. 6.* Nec refert, ſi executio Confeſſario demandetur, quia id explicat qualitatem Perſonæ, non vero quod fieri debeat in Confeſſione.

Octavo, dividitur privilegium in abſolutum, & conditionatum. Primum conceditur abſque ulla conditione. Secundum impertitur dummodo aliqua oppoſita conditio adimpleatur. Ubi obſervandum, quod ſi conditio adimplenda ſit ante uſum privilegii, videtur illi alligata mens Concedentis, adeoque, ea non impleta, non ſubſiſtere privilegium. Excipe niſi conditio ſit de illis, quæ in jure ſolum exiguntur ad hoc, ut actus licite fiant, non valide; nam tunc cenſetur appoſita ſolum ad bene agendum id, quod ſecundum jus faciendum eſt. Ita quamvis in Jubilæo non tradatur facultas abſolvendi a Cenſuris, *niſi parte ſatisfacta*, adhuc abſolutio valida eſt, ea non ſatisfacta, quia illa conditio exigitur a jure, non ad valide, ſed ad licite abſolvendum. Si vero conditio adimplenda ſit poſt uſum privilegii, tunc non habet rationem rigoroſæ conditionis, ſed potius oneris in poſterum adimplendi; unde ſubſiſtit uſus privilegii, quamvis non adimpleatur, licet non ſine peccato ommittatur talis conditio. Ita ſi quis ex privilegio diſpenſatus fuerit a voto, ſed cum onere aliquid faciendi, non ideo remanet invalide diſpenſatus, etſi poſtea illud non adimpleat: *Suar. de leg. l. 3. cap. 13. n m. 4. Azor. 1. p. l. 12. cap. 5. q. 3.*

Q. II. Quæ conditiones requirantur, ut privilegium licitum ſit, & validum.

R. I. Quamvis explicando ſupra privilegium non ſcriptum dixerim, non eſſe neceſſariam ſcripturam, generaliter loquendo, ad valorem privilegii, quædam tamen privilegia ex jure non valent ſine ſcriptura, quia tunc ſcriptura requiritur ut forma actus: *leg. contractus C. de Fid. Inſtrum. Azor. tom. 1. l. 5. c. 2. q. 9. circ. fin. Delbene t. 2. cap. 19. d. 47. n. 6.* Primo igitur neceſſe eſt literas eſſe expeditas in beneficiis collatis, confirmatis, & unitis a Sede Apoſtolica, & ſine illis nec juvat poſſeſſio triennalis: *Extra. Incarriſti de elect., & ex Conſt. Paul. III. Cum nobis.* Secundo, requiritur Scriptura pro facultate non reſidendi in Beneficiis habentibus curam Animarum, ſicuti & pro facultate ingrediendi in Monaſteria Monialium. Ita Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 5. de reform.*

R. II. Ut uſus privilegii ab aliis non impediatur, neceſſe eſt non ſolum innoteſcere privilegiato, ſed etiam ſufficienter de eodem alios certiorari. Ratio eſt, quia cum privilegium reſpectu illorum, qui poſſent illud impedire, ſit veluti lex id eis prohibens, neceſſe eſt, ut illis ſufficienter innoteſcat; cum nemo teneatur ſtare dictis privilegiati, niſi ex urbanitate, ut notat *Suar. de leg. l. 8. a. 24. n. 10.*

R. III. Princeps poteſt concedere privilegium, quod valeat abſque privilegiati notitia; cum etenim ab ipſius pendeat voluntate, bene poteſt illud conferre ſubdito ignorante. Ita poteſt ſubditum ignorantem ab irregularitate liberare, habilitare ad matrimonium; diſpenſando in impedimento dirimente &c. *Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 10. Suar. de leg. l. 8. c. 26. n. 15. Bonac. de privil. d. 1. q. 3. p. 3. n. 4.*

R. IV. Ordinarie loquendo, non cenſetur concedi a Principe privilegia, niſi ſub tacita acceptationis conditione. Primo igitur id expoſcit eorum natura; cum etenim donationis rationem habeant, non habent completum effectum ante conſenſum donatarii. Secundo, id exigit recta gubernatio; niſi enim privilegia concederentur indigentibus, & volentibus, moltoties contemnerentur: *Sanch. l. 1. de matr. d. 6. n. 10, & 29. Laym. cit. n. 9., & 28. Azor. t. 1. l. 5. c. 3. q. 7. & cap. 23. q. ult.* Si vero privilegium non concedatur alicui directe, & per ſe, ſed eo fruatur per accidens, quatenus ſcilicet conceſſum eſt alicui Communitati, ad quam pertinet, ad valorem privilegii non requiritur ab eo acceptari, & ipſum non ignorare, ſed ſufficit notitia, & acceptatio ab illo genere perſonarum, cui conceſſum eſt: *Sanch. de matr. l. 8. d. 26. n. 6. Suar. de leg. l. 8. cap. 25. n. 17.* Poteſt nihilominus Religioſus particularis, ſi aliud non obeſt, acceptare privilegium favorabile conceſſum ſuæ Religioni, cum

ſua

Digitized by Google

ſua acceptatione nulli inferat præjudicium: *Bord. tom. 2. reſol. 52. num. 57.*

Porro privilegium directe alicui conceſſum intelligitur multipliciter acceptari, etiam abſque expreſſo ipſius conſenſu. Primo, ſi acceptetur officium, cui annexum ſit, ut de ſe patet. Secundo, ſi poſtulatum fuerit privilegium, vel miſſæ fuerint literæ ad eum poſtulandum; ipſa enim petitione intelligitur acceptari, ſi Princeps adnuerit. Tertio, ſi acceptetur ab ipſius Miniſtro, vel Procuratore; hic enim repræſentat perſonam illius, cui conceditur; ſecus vero ſi accepterur ab alio non repræſentante illius perſonam: *Suar. cit. n. 13., & 14., Sanch. lib. 1. de matr. d. 6. n. 2., & 20. & l. 3. d. 39. n. 7.* Idem Sanchez *n. 3.*, & alii putant ſemper intelligi ſufficienter acceptata privilegia remuneratoria, cum tacite intelligatur conſentire in mercedem, qui facit rem præmio dignam. Verum per hoc non mihi ſatis probatur dari ſufficientem acceptationem in privilegiato; quamvis enim ex eo, quod bene operetur, præſumi poſſit ſibi velle dari præmium, non ſequitur velle pro ſuo præmio hanc, vel illam rem determinate, ſeu hoc, vel illud privilegium; unde in ordine ad particulare privilegium, de quo fortaſſe parum curat, vel reputat ſuis meritis inæquale, non intelligitur intervenire ſufficiens acceptatio; *Suar. de leg. l. 8. cap. 25. num. 18. Palaus d. 4. p. 3. § 2. num. 5.*

Q. III. An Princeps qui conceſſit privilegium, teneatur expectare, an Privilegiatus velit illud acceptare?

R. Sicut donatio revocari ſemper poteſt a Donante uſquedum a Donatario non ſit acceptata; ita dicendum de privilegio, quod eſt quædam liberalis donatio. Secus eſt, quando collatum fuit beneficium: *cap. ſi tibi abſenti de præb. in 6.*; nam Collator non poteſt ſe eximere a concedendo beneficio, ſicuti poteſt non concedere privilegium; ac proinde poſtquam contulit Beneficium, functus eſt officio ſuo, & debet expectare conſenſum illius, cui collatio facta eſt.

Q. IV. An Privilegiatus uti teneatur privilegio?

R. I. Jam agendo de privilegio communi, diximus neminem poſſe illi renunciare, ſecus de privilegio ſingulari, & perſonali. Id tamen intelligendum eſt, ſi ex non uſu privilegii vel ſibi, vel alteri grave incommodum non ſequatur. Ita habens privilegium non ſolvendi tributa, eo uti debet, ſi ex non uſu impotens reddatur ad ſolvendum Creditoribus. Ita etiam Uxor non poteſt fidejuſſione obligari abſque Viri conſenſu, quia hoc eſſet in Mariti incommodum: *Dian. p. 9. tr. 1. reſol. 19. Tellizzar. tr. 8. c. 1. n. 84.*

R. II. Si per privilegium removeatur impedimentum perſonale, quo ablato, urgeat lex, vel præceptum, tenetur quis uti privilegio. Ita ſi detento in carcere concedatur die feſto audire Miſſam, debet illam audire, quia ſolum eximebatur ob impedimentum, quod ex privilegio remanet ſublatum.

R. III. Si impedimentum ſit commune, & ab omnibus privilegio ex jure communi habito removeatur, debent omnes uti eo privilegio, cum communi privilegio non poſſit renuntiari; & ideo a jure removetur impedimentum, ut poſſit lex obſervari. Ita *cap. Alma Mater de ſent. excomm.* ſuſpenditur quibuſdam diebus Interdictum, ut omnes poſſint Sacrum audire. Si vero removeatur impedimentum ab aliquo particulari per privilegium particulare, tunc cum unuſquiſque renunciare poſſit tali privilegio, alias cedere poſſet in ſuum onus, eo uti non tenetur. Ita habens privilegium tempore interdicti audiendi Miſſam, illam non tenetur audire; & idem dicendum de habente privilegium eam audiendi, vel celebrandi in Oratorio privato, quia non poteſt ad Eccleſiam accedere: *Diana p. 9. tr. 1. reſol. 19.* pluribus citatis.

R. IV. Si privilegium ſit de abſolvendo a Cenſuris, & caſibus reſervatis, tenetur Confeſſarius eo uti; neque enim, ut in prima reſponſione dictum eſt, poteſt, quis ommittere uſum privilegii cum alterius gravi incommodo. Id autem eveniret in caſu noſtro, quia Pœnitens dimiſſus ſine abſolutione, deberet iterum alteri exponere ſua crimina. Secus dicendum eſſet, ſi juſta aliqua de cauſa Confeſſarius judicaret expedire ſaltem ſuſpendere abſolutionem, ut dicitur in Tractatu de Pœnitentia.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum Princeps poſſit privilegium concedere etiam inſcia perſona privilegiata, notet Confeſſarius ipſum poſſe privilegium, ſeu diſpenſationem obtinere pro ſuo pœniente, puta ad diſpenſandum illum a voto Caſtitatis, etiamſi ipſum non moneat, quando petit facultatem diſpenſandi; ſed ſatis eſt, ſi poſtea illa notificetur, dum putat expediens eſſe illum diſpenſare; oportet enim tunc privilegium ſibi factum acceptare.

II. Notet Confeſſarius, quod ſi agatur de obtinenda diſpenſatione alicujus impedimenti dirimentis, cujus vel non poſſit, vel non ſit expediens aliquem ex contrahentibus certiorare, non eſt neceſſe, ut certioretur. Demus e.g. Petrum velle ducere Bertam ſibi affinem, vel conſanguineam ex copula illicita, nec expediat id Bertam ſcire, ſatis eſt ſi Petrus obtineat diſpenſationem pro impedimento dirimente, & ipſe eam acceptet. Quando ergo dicitur ad uſum privilegii neceſſe eſſe haberi ipſius notitiam, ipſumque acceptari, ſermo eſt de eo, cui directe conceditur, non vero de illis, quibus applicari poteſt privilegium per conſequentiam neceſſariam; ſi etenim diſpenſatur cum Petro, ut affinem ducere poſſit, conſequens neceſſario eſt, ut etiam eadem affinis diſpenſata cenſeatur, alias ad nihil deſervire poſſet Petro diſpenſatio. Videatur. *Sanch. de matr. l. 8. diſp. 26. n. 6.*

III, Notet Confeſſarius, quod licet ad validum uſum privilegii ſatis ſit, ſi expoſtulatum fuerit per literas, vel acceptatum a Procuratore; nihilominus ad utendum eo licite, neceſſario debet innoteſcere ipſi privilegiato, & ab eo acceptari: quomodo enim poteſt ſine temeritate uti privilegio, quod neſcit ſibi eſſe conceſſum?

CAPUT III.

De Ceſſatione, & Amiſſione Privilegiorum; & de ipſorum ceſſatione per mortem Concedentis, & Privilegiati.

Q. I. QUando lapſu temporis intelligatur ceſſare privilegia?

R. Certum eſt privilegium conceſſum pro tempore determinato, eo lapſo, ceſſare; ſicuti e contra non ceſſat privilegium conceſſum ſine temporis limitatione, niſi legitime revocetur, vel contra illud præſcribatur, ut de ſe conſtat. Difficultas eſt, quando intelligatur ceſſare privilegium per ceſſationem conditionis, ſub qua fuit conceſſum.

Pro quo obſervandum, quod ſi conditio teneat ſe ex parte conceſſionis, ſatis eſt ſi adſit quando fuit conceſſum. Unde ſi Pontifex concedat alicui privilegium dependenter a conſenſu Epiſcopi ſatis eſt ſi iſte ſemel conſentiat; nec ceſſat privilegium eo quod poſtea diſſentiat, quia jam per conſenſum primo præſtitum obtinuit ſuum valorem. Si vero conditio ſe teneat ex parte privilegii, & ſit illi adnexa, deficiente conditione, ceſſat privilegium. Sic privilegium conceſſum dependenter a Statu Clericali, ſtatim ceſſat ac quis deſinit eſſe Clericus. Si vero conditio ſe teneat ex parte uſus, deficiente conditione, ſuſpenditur uſus, ſed non amittitur privilegium. Ita facultas conceſſa Regularibus concionandi de conſenſu Epiſcopi, ſuſpenditur Epiſcopo diſſentiente; eoque poſtea conſentiente, habet uſum expeditum: *Suar. de leg. l. 8. c. 8. n. 5.*

Q. II. Quando ceſſet privilegium per ceſſationem cauſæ finalis?

R. Huic quæſito reſpondendum eſt per ea, quæ dixi de ceſſatione diſpenſationis, eam nempe non ceſſare etiam ceſſante cauſa finali, & motiva, quoties cauſa, ratione cujus conceſſa eſt, reputabatur duratura. Multo ergo minus ceſſabit privilegium, eo quod ipſe Privilegiatus ſemel tantum, aut iterum utatur, ſi perſeveret cauſa finalis illius. Ultraquamquod, quando privilegium pro unico actu conceditur, ſolet id exprimi his, aut ſimilibus verbis: *Pro hac vice, ſemel tantum in vita &c. Suar. cit. Pal. t. 1. tr. 3. de leg. d. 4. p. 4. n. 8.* Secus dicendum ſi cauſa finalis privilegii reputetur temporanea; nam tunc præſumitur conceſſum quoadusque ipſa durat. Sicut etiam per unicum actum cenſetur ceſſare, quoties vel ex ſtilo, vel ex conſuetudine, vel ex conſenſu DD., cenſetur per unicum actum terminari, & dixi loco ſupra citato.

Q. III. Quando privilegia ceſſent per renunciationem?

R. Jam ſæpe dictum eſt perſonas particulares non poſſe renunciare privilegiis communibus, quamvis unaquæque perſona ſingularis renunciare poſſit privilegiis perſonalibus. Ut autem valida ſit renunciatio, requiritur, vel acceptatio legalis renunciationis, vel acceptatio Superioris qui conceſſit privilegium. Tunc datur acceptatio

tia legalis, quando aliquibus data eſt a jure facultas renunciandi. Hanc facultatem habet Capitulum Generale repræſentans totam Religionem, renunciandi ſcilicet privilegiis toti Communitati conceſſis; Capitulum Provinciale renunciandi privilegiis ſuæ Provinciæ ſpecialiter datis; & Prior localis cum ſuo Capitulo renunciandi privilegiis, quæ habet ſuum Monaſterium privative ad alia: *Bordon. tom. 2. p. 3. reſol.* 52. *n.* 109. Quod ſi alicui non facta ſit a jure facultas renunciandi, tunc renunciatio debet innoteſcere Superiori, eamque acceptare; alias ſemper intelligitur perſeverare in voluntate privilegiantis; adeoque ſine ipſius acceptatione privilegium ſemper durat, & privilegiatus eo uti poteſt, quamvis ipſi ex ſe renunciaverit: *Bordon. cit. Sanch. l. 8. de matr. d. 32 n.2. Palaus t. 2. tr. 3. d. 4. p. 17. nu. 6.* Hæc nihilominus acceptatio neceſſaria non eſt, ſi ex juris diſpoſitione privilegium amittatur; ut ſi amittatur per temporis præſcriptione, de qua infra.

Q. IV. Qualiter per non uſum, vel per abuſum privilegia deperdantur?

R. I. Privilegium mere gratioſum, in nullius redundans gravamen, non deperditur, vel quis ſciens, & prudens data occaſione, & opportunitate etiam per longiſſimum tempus eo non utatur, ex quo conſurgit non uſus privativus; vel præſtando per idem tempus actus contrarios privilegio, qui dicitur uſus contrarius. Utraque pars ſimul probatur, quia ex nullo jure talia privilegia deperdunt vel per non uſum, vel per uſum contrarium: & ulterius bene poteſt ſtare aliquem conſervare velle facultatem utendi privilegio, quamvis hic, & nunc eo non utatur; vel ex aliquo ſuo fine faciat actus contrarios, jejunando e. g. dum habet privilegium non jejunandi. Præterea, cum nullus remaneat gravatus per privilegia gratioſa alicui conceſſa, non eſt aliquis, qui poſſit præſcribere contra privilegiatum, liberando ſe ab illo onere: ut in reſponſione ſequenti. Ita nemo remanet gravatus, ſi Petro concedatur facultas non jejunandi, non audiendi Miſſam, non recitandi Horas Canonicas: & ita nullus præſcribere poteſt contra ipſius privilegium; *Suar. de leg. l. 8. c. 34. n. 17. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 20. Bon. d. 1. q. 3. p. 8. §. 5. n. 5.* Quod ſi afferantur in contrarium leges, quibus decernitur privilegia amitti per non uſum, vel uſum contrarium, hæ intelligendæ ſunt de privilegiis non gratioſis. Neque etiam refert dicere ex jure privilegiatum ex non uſu, vel uſu contrario intelligi tacite renunciare privilegio: *cap. cum acceſſiſſent de Conſtit. & c. accedentibus de privil.*: nam hæc dicuntur quoad præſumptionem fori externi.

R. II. Privilegium redundans in alterius gravamen amitti poteſt per non uſum, vel uſum contrarium. Ratio eſt, quia ille, in cujus gravamen reſultat, poteſt tali tempore ſe ponere velut in poſſeſſione ſuæ libertatis, ſeu non ſuſtinendi illud gravamen; quapropter ſi quis non utatur privilegio toto tempore, quo ille poteſt præſcribere contra ſuum gravamen, jam ceſſabit privilegium illi oneroſum: *Laym. l. 1. tr. 4. cap. 23. n. 21. Palaus t. 1. tr. 3. d. 4. p. 18. n. 8. & p. 19. n. 7.* Hæc tamen non valent, ſi in privilegio appoſita fuerit particula eo utendi *prout libuerit, ſeu quando voluerit*; cum etenim dum ea expreſſe ponitur, debeat aliquid operari, deſervire ſaltem debet ad excludendam præſcriptionem, alias eſſet omnino inutilis: *Palaus p. 18. cit. n. 5. & c.*

Hic tamen advertas difficillime locum eſſe præſcriptioni adverſus privilegia Regularium. Primo, quia multa ſunt gratioſa, ut ſunt privilegia concionandi, abſolvendi, confitendi, &c., nam hæc minime reſultant in gravamen Epiſcoporum, ſeu Parochorum, ſed potius eos adjuvant in miniſterio ſuo. Secundo, quia difficile eſt privilegium non eſſe in uſu ſaltem in aliquo Monaſterio Ordinis, cui fuit conceſſum, vel alterius ordinis, ad quod extenditur per communicationem, quod ſufficit, ut vigeat uſus illius. *Bordon. to. 2. reſol.* 52. *n.* 2. Tertio, quia ad præſcribendum contra privilegia Regularia (ſi dicatur adverſus ea poſſe præſcribi) requiritur ſaltem ſpatium decem annorum, ut probat idem Bordonius ex Bullis Summorum Pontificum. Quarto, quia inter privilegia Regularium eſt privilegium, quod adverſus ea non detur præſcriptio, ut ex pluribus probat *Diana 3. p. tr. 2. de dub. regul. reſol.* 88. *Rodrig. tom. 3. q. 35. a. 12.*

R. III. Primo per abuſum ceſſat privilegium, ſi ex eo ceſſet totalis finis, a quo pendet. Si e. g. alicui Beneficiato concedatur non reſidere, ut ſtudeat, & ipſe revera non ſtudeat, ceſſat privilegium illi conceſſum faciendi fructus ſuos, quia dum non ſtudet, non intelligitur privilegiatus, & Beneficiatus non reſidens abſque præfato privilegio non facit fructus ſuos: *Suar. de leg. l. 8. c. 36. n. 7. Bonac. d. 1. q. 3. p. ult. §. 7. in fin.*, Secundo ceſſat privilegium, ſi per abuſum ceſſet conditio a qua pendet. Ita Clericus conjugatus non incedens cum habitu, nec Eccleſiæ deſerviens, non gaudet privilegio Clericali, quia illi conceſſum fuit dependenter a præfata conditione, ut patet ex Trid. *ſeſſ. 23. c. 6. de reform.* Pariter qui eligit indignum ea vice privetur jure eligendi, cum illi conceſſum ſit eligere, dummodo eligat dignum: *cap. cum in cunctis de elect.* Tertio, ſi quis privetur privilegio in pœnam abuſus, quia nempe illud extendit ultra limites ſibi conceſſos, vel quia eo ſumit occaſionem delinquendi, non amittit privilegium, niſi ſaltem interveniat ſententia declaratoria criminis ex dictis ſupra de lege pœnali: *Suar. loc. cit. Pal. t. 1. tr. 3. diſp. 4. p. 20. n. 3.* Et id maxime habet locum in præſenti; nam ſi etiam dum lex aliquem in pœnam privat jure jam quæſito, expectari poteſt ſententia declaratoria criminis, multo magis id valebit, dum non privat ipſo jure, ſed vult privandum eſſe, ut dicitur de abutente privilegio ſibi conceſſo *can. ubi d. 34. can. privilegium* 11. *q. 3. cap. licet de regular.*

Ex dictis facile eſt intelligere quid ſignificet illa clauſula, quæ ſolet apponi in confirmatione privilegiorum: *quatenus ſunt in uſu, ſeu prout ſunt in uſu*. Primo non habet locum reſpectu privilegii gratioſi; nam illis non officit non uſus, ut ſupra dictum eſt. Secundo, ſi nondum completum fuerit tempus præſcriptionis adverſus privilegium oneroſum, ea clauſula facit, ut tempus de novo numerari debeat a tempore confirmationis, quaſi tunc de novo fuiſſet conceſſum: *Tambur. de Jur. Abb. tom. 1. d. 16. q. 14. n. 8.* Tertio, ea clauſula facit, quod ſi præſcriptione deperditum ſit privilegium oneroſum quoad unam partem, intelligatur confirmatum quoad aliam, quæ eſt in uſu.

Q. IV. Qualiter ceſſet privilegium per revocationem.

R. I. Si privilegium ſit mere gratuitum, eoque nullum dominium datum ſit privilegiato, ſed ſolum ſit conceſſa facultas ad agendum, vel non agendum contra legem, vel præter legem, ſemper revocari poteſt a Superiore. Ratio eſt, quia cum nihil impediat ejus revocationem, intelligitur ſemper conceſſa ſub tacita conditione, *quandiu non revocavero*. Verum tamen eſt, quod cum privilegium deceat eſſe manſurum, ut *ex reg. decet. in 6.*, ſi revocetur ſine juſta cauſa, Princeps, demonſtrando inconſtantiam, & levitatem, leviter peccabit: *Tambur. de jur. Abbat. tom. 1. d. 16. q. 12. n. 1. Pelizzar. tr. 8. c. 1. ſect. 6. n.* 101. Id tamen primo limitatur in caſu, quo tale privilegium conceſſum ſit non Subdito; eo etenim non conſentiente, privari haud poteſt jure ſibi quæſito, cum ejus juriſdictioni non ſubdatur, niſi in caſu quo tanta ſuperveniat mutatio, ut privilegium eſſet valde pernicioſum Principi, vel ſuæ ditioni *Suar. l. 8. de leg. c. 37. n. 2. Tambur. q. 13. n. 2.* Limitatur ſecundo etiamſi conceſſum fuerit Subdito, quando per privilegium mere gratioſum conceſſum eſt illi aliquid acquirere: ſi v. g. exemptionem habuit a gabellis, ſi jus exigendi aliquod tributum, ſi acquirendi aliquam terræ portionem &c. Ratio eſt, quia tunc privilegium habet rationem donationis, quæ quando eſt acceptata non poteſt revocari: *Suar. cit. n. 7. Bonac. diſp. 1. q. 3. p. 8. §. 2. n. 5.* Solum eſſet revocabile, ſi interveniat aliqua ex illis cauſis, quibus poteſt revocari donatio, ut dicitur *in Tr. de Contr.*, vel ob grave crimen Privilegiati; vel denique, ſi ita expoſcat bonum publicum, quia in ordine ad bonum publicum bona Subditorum ſubduntur Principis diſpoſitioni. Nec in tali caſu habet locum compenſatio ratione revocati privilegii, quia ſicut privilegium fuit mere gratioſum; ita & poteſt revocari ſine compenſatione ex parte revocantis: *Suar. l. 8. c. 37. n. 5. & 9. Baſil. l. 8. de matr. c. 19. §. 3. n. 22. & c.*

R. II. Si privilegium fuit oneroſum, conceſſum nempe ratione pretii dati, vel operis injuncti, revocari non poteſt, niſi ex urgentiſſima cauſa publici boni. Ratio eſt, quia tunc tranſit in rationem contractus, do, ut des, facio, ut facias; contractum autem factum, cum obliget ex juſtitia, etiam Principes ſervare tenetur: *Leſſ. l. 2. c. 33. dub. 4. n. 35. Tambur. to. 1. diſp. 16. q. 2. Bon. d. 1. q. 3. p. 8. §. 3. num.* 2. *&* 12. Quod ſi propter urgentiſſimam cauſam revocetur, & debet reſtitui quod a Superiore acceptum eſt; unde ſi ante executionem revocaretur diſpenſatio conceſſa, injuncta obligatione diſpenſato ſolvendi aliquam pecuniæ ſummam, talis pecunia eſſet reſtituenda, ut evenit quando reſcinduntur contractus: *Bonac. loc. cit. n.* 13.

R. III.

Digitized by Google

R. III. Privilegia remuneratoria ex juſtitia non poſſunt revocari ſine cauſa gravi reſpiciente bonum publicum. Ratio eſt, quia privilegia remuneratoria ex juſtitia ſunt ea, quæ dantur privilegiato, habenti jus implorandi officium Judicis ad remunerationem conſequendam; & tales ſunt illi, qui aliqua opera præſtarunt ex contractu ſaltem implicito, ut ſua opera aliquo modo remunerarentur. Taliter e. g. ſe habet famulus, qui ſine contractu explicito alicui deſervit, cui tamen, ordinarie loquendo; remanet jus aliquid poſtulandi pro ſuo famulatu. Hæc igitur privilegia, cum ſapiant naturam contractus oneroſi, nullo modo poſſunt ſine gravi cauſa reſpiciente bonum publicum revocari, & ſi revocentur, debent aliquo modo compenſari. Hæc eſt communis ſententia; neque deſunt, qui in univerſum aſſerunt privilegia remuneratoria eſſe irrevocabilia, ſicut privilegia oneroſa.

Aſſerendum nihilominus videtur privilegia remuneratoria ex gratia eſſe revocabilia ex quacumque juſta cauſa, etiam bonum commune non reſpiciente. Ita ſe habent privilegia facta propter opera, non ex juſtitia debita, & facta ex aliis titulis quam inſerviendi illi, qui ea remuneratur. Talia reputanda privilegia Regularibus conceſſa ob prædicationes cum vitæ etiam diſpendio factas Fidelibus, & Infidelibus; ob labores excipiendi Confeſſiones, quam maxime Epiſcopos, & Parochos adjuvando &c. Quæcumque enim præſtent, cum ea facere debeant ex amore Dei & Proximi, nullum habent jus exigendi a S. Pontifice remunerationem. Talia pariter ſunt privilegia conceſſa illis, qui neque ex implicito pacto aliquid habendi, alicui famulantur, ut faciunt Viri Nobiles, qui propriis impenſis in bello alicui Principi deſerviunt. Quod igitur hæc privilegia poſſint revocari, exinde probatur, quia cum concedens privilegium nullam habeat juſtitiæ obligationem ea tribuendi, ſed det ex mera gratitudine, ſeu obligatione antidorali, non videtur ſe velle obligare ad ea non revocanda, ſi aliqua ſuperveniat juſta cauſa talis revocationis; vel aliqua innoteſcat cauſa, qua non fuiſſent conceſſa, ſi ab initio fuiſſent prævila. Et ita de facto Summi Pontifices aliqua Regularium privilegia revocarunt, in quo valde temerarium eſſet dicere eos non bene egiſſe: *Suar. l. 8. de leg. c. 37. nu. 6. Baſil. de matr. l. 8. c. 19. §. 2. nu. 13. Pellizar. tr. 8. c. 1. ſect. 5. num. 102.*

Q. V. Quomodo privilegia ſint revocanda.

R. I. Si Superior tacite revocet privilegium, ſtatuendo nempe aliquid incompoſſibile cum illo, remanet revocatum privilegium antecedens in corpore juris inſertum. Ratio eſt, quia non præſumitur Princeps ignorare ea, quæ ſunt in corpore juris: *cap. 1. de Conſtit. in 6.* unde ſtatuendo aliquid incompoſſibile cum tali privilegio, cenſetur illud revocare. Secus dicendum de privilegio ſpeciali, non inſerto in corpore juris; cum etenim ex citato capite non præſumatur eſſe ad notitiam Principis, neque judicatur illi derogaſſe: *Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 17. Bonac. diſp. 1. q. 3. §. 3. n. 15. Suar. l. 8. c. 39. n. 1.* Et ſemper obſervandum per novam diſpoſitionem privilegio contrariam ſolummodo illi derogari in ea parte, in qua vere eſt incompoſſibilis, nam revocatio ſemper eſt ſtricte einterpretanda: *Suar. cit. 38. num. 6.*

R. II. Si privilegium expreſſe revocetur, ſatis eſt quæcumque clauſula generalis, niſi talia ſint privilegia, ut expoſcant ſpecialem revocationem. Ratio primæ partis eſt, quia, ut privilegium intelligatur revocatum, ſatis eſt ſi conſtet de voluntate Principis revocantis, de ea autem ſatis conſtat per clauſulas generales, ut ſi dicat: *revocamus, annullamus, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis &c. Pal. d. 4. p. 21. §. 4. n. 2. Bonac. d. 1. q. 3. p. 8. n. 11.*

Plura autem ſunt privilegia, quæ requirunt ſpecialem revocationem, ut revocata intelligantur. Primo, niſi exprimantur, non cenſentur revocata privilegia oneroſa, quia ex ſe, ut dictum eſt, ſunt irrevocabilia, & ſi revocentur ob publicam cauſam compenſanda ſunt. Secundo, non cenſentur revocata per clauſulas generales privilegia, quæ fulciuntur clauſula, ut non poſſint revocari, niſi de eis expreſſa mentio fiat, & niſi eorum tenores de verbo ad verbum referantur &c., etenim ea clauſula exigit aliquid plus, quam ad revocationem aliorum privilegiorum. Verum tamen eſt, quod ſi revocentur omnia privilegia *quacumque clauſula munita, ſeu quibuſcumque verbis conceſſa, ſeu quorum fieri deberet expreſſa mentio*, etiam prælata revocata intelliguntur; hujuſmodi etenim clauſulis ſatis conſtat mentem eſſe Superioris etiam ea revocare. *Baſil. l. 8. de matr. c. 19. num. 5. Bonac. d. 1. q. 3. p. 8. n. 51.* Tertio, per clauſulas generales non intelliguntur revocata privilegia inſerta in corpore juris; cum etenim ea ad notitiam Principis eſſe præſumantur, non judicandum eſt velle ea revocare, niſi expreſſe exprimat. Ita communiter DD. cum gloſſa *in Authen. quia in Provincia C. ubi de crim. agi oportet v. omni privilegio*. Quarto, per clauſulas generales non revocantur vivæ vocis oracula; quamvis enim in favorabilibus venire poſſint nomine privilegiorum, ſecus in odioſis; unde dum revocantur privilegia, niſi aliud exprimatur, ſolum ſcripta veniunt intelligenda, nomine etenim privilegii, hæc ſolummodo ſolent deſignari: *Bordon. de Oracul. reſol. 31. q. 1. n. 1. Rodrig. in Comp. reſol. 117. n. 1. &c.* Quinto, per verba generaliter revocatoria privilegiorum, non intelliguntur revocata privilegia Regularium. Ratio eſt quia, cum reſpiciant bonum commune Fidelium; non videtur Superior talibus privilegiis intentionem habuiſſe derogandi, niſi de eis expreſſa facta mentione. *Rodr. t. 1. qq. Regular. q. 6. a. 6. Bordon. reſol. 52. nu. 26. & 128. Azor. t. 1. l. 5. cap. 19. q. 7.* Sexto, non ſolum per clauſulas generales, ſed nec per clauſulas revocatorias quarumcumque legum, & canonum, intelligitur derogatum privilegiis conceſſis a Concilio Generali; cum etenim non ſine magna deliberatione fuerint conceſſa, cenſentur habere clauſulam derogatoriam adverſus alia in poſterum decernenda: *cap. unic. de exceſſ. Prælat.* Ut revocata ergo dicantur, oportet ipſorum expreſſam facere mentionem, ut ſi dicatur *non obſtante quacumque Conſtitutione etiam Concilii Generalis &c. cap. ex parte, cap. ult. de Capel. Monach. Sanch. l. 1. de matr. d. 26. n. 7. Bonac. d. 1. q. 3. p. 8. n. 13.* Immo ſi privilegium ſit conceſſum a Concilio Tridentino, volunt aliqui, aliis in oppoſitum ſentientibus, oportere, ut privilegii conceſſi a tali Concilio expreſſa fiat, & individua revocatio: *Sanch. cit. Boſſius de Jubil. ſect. 1. cap. 10. n. 12. & 13.*

Cæterum advertendum, quod ſi Superior revocet privilegia talibus verbis, ut cognoſcatur mentem ipſius eſſe velle etiam revocare, quæ expoſcerent expreſſam mentionem, vel clauſulas particulares, ea utique intelliguntur revocata. Et ita de ejus mente eſt judicandum, ut cap. ſequenti videbimus, quando ea revocat *motu proprio, & certa ſcientia, de plenitudine poteſtatis &c.* Et per eam clauſulam, *non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque*, dicunt derogari etiam Conciliis Generalibus, quia ex uſu, & praxi illis verbis ſatis videtur explicari mens Pontificis: *Bonac. diſp. 1. q. 3. p. 8. n. 13.* Solummodo ergo ſupradictis clauſulis non cenſentur revocata privilegia oneroſa.

Superſedeo hic ab agendo de iis, quibus competit privilegia revocare, nam quoad hoc privilegia pari paſſu currunt cum legibus; unde videnda ſunt quæ dixi de poteſtate leges revocandi.

Q. VI. Qualiter publicanda ſit revocatio privilegiorum.

R. Pauca dicenda ſunt ad explicandam publicationem neceſſariam, ut privilegia intelligantur revocata. Si etenim per novam legem revocentur privilegia, ea publicatio, quæ neceſſaria eſt, ut lex habeat ſuum vigorem, neceſſaria erit ad revocationem privilegiorum; cum intelligantur revocari per hoc, quod ea lex vim habeat obligandi: *Bonac. diſp. 1. q. 3. p. 8. §. 3. n. 20.* Et quamvis ad revocanda privilegia non ſit neceſſe talem legem innoteſcere omnibus privilegiatis, conveniens tamen eſt, ut tantum tempus prætereat, ut poſſit eis innoteſcere, ita etenim expoſcit rectum gubernium: *Suar. l. 8. cap. 40. n. 3.* Poſt tale autem tempus, actus facti in vi privilegii, non erunt validi ratione ipſius, cum deſiiſſe ſupponantur, ſed in vi erroris communis, & tituli colorati: *Suar. cit. num. 9.*

Quod ſi privilegia ab homine revocentur privatim ſcilicet revocando conceſſum privilegium, debet talis revocatio intimari privilegiato, vel per epiſtolam, vel reſcriptum, aut Nuntium ad id deſtinatum. Ratio eſt, quia recta gubernatio expoſcit, ut Subditus non privetur jure per privilegium quæſito, niſi id ipſi intimetur; & intimari haud poteſt, ſi revocatio fiat privatim, niſi aliquo ex modis ſupradictis *Bonac. diſp. 1. q. 3. pag. 8. §. 3. n. 20.* Verum tamen eſt, quod ſi revocentur privilegia alicui communitati conceſſa, ſufficit ſi intimatio revocationis fiat Communitati, vel ipſius Capiti. Per hoc nihilominus quod revocentur privilegia conceſſa alicui Communitati vel Ordini, non intelliguntur revocata reſpectu aliorum Ordinum, quibus talia privilegia con-

petunt per communicationem, eo etenim ipſo quod ipſis fuerint communicata, poſſident illa tanquam propria, adeoque in conſervari non dependet ab iis, a quibus privilegia auferuntur; *Suar. l. 8. de leg. cap. 79. num. 14. Bordon. reſol. 51. a. 132.*

Q. VII. Quando ceſſet privilegium per mortem concedentis, aut privilegiati.

R. I. In Reſcriptis Juſtitiæ, quibus datur privilegium, ſeu juriſdictio ad exercendos actus juſtitiæ ſive civilis, ſive criminalis, ſeu exercendi juriſdictionem in foro conſcientiæ, expirat privilegium, ſi res ſit integra, per remotionem, ſeu mortem concedentis, aut delegantis; ſecus ſi res non ſit integra: *Cap. gratiam, cap. relatum de offic. Deleg. cap. ſi cui nulla de præb. in 6.* Ratio, eſt quia, quamvis per reſcriptum Delegatus acquirat juriſdictionem, nihilominus in eo non radicatur ante uſum ipſius: ſi proinde Delegans amoveatur, vel moriatur re integra, cum ceſſet juriſdictio in Principali, ceſſabit per conſequens in delegato: ſecus, ſi re non integra, quia tunc juriſdictio in eo fuit radicata. Tunc autem dicitur res integra, quando ſolum præſentatum eſt reſcriptum; ſed nullus habitus fuit uſus juriſdictionis. Eo autem ipſo quod inceptus fuerit uſus juriſdictionis, videtur res dicenda non integra, quamvis non adhuc intervenerit citatio; nam quamvis iſta ſit primus actus judicialis, non tamen eſt primus actus juriſdictionis. Ita cauſa incœpta dici poteſt ſi nominatus ſit Notarius, ſi deſignatus locus, ſi datum ſit mandatum de informatione accipienda quoad cauſæ veritatem, ſi ceptum ſit redigere literas in forma publica, ſi auditi ſint teſtes &c. *Bonac. d. 1. q. 3. p. 8. §. 1. a. 2.*

R. II. Si reſcriptum ſit gratiæ, & *gratia ſit facta*, non ceſſat morte, vel remotione concedentis; ſecus ſi *gratia ſit facienda*; quando res eſt integra. Tunc igitur conceditur reſcriptum gratiæ; quando conceditur privilegium, ſeu juriſdictio ad aliquid gratioſe conferendum, ut ad abſolvendum, diſpenſandum &c. Tunc vero dicitur gratia facta, quando infinite, & generaliter conceditur; vel quando tota reſpicit eum, cui conceditur, independenter ab eo, cui committitur facienda. Ita ſi detur Petro facultas de providendo aliquem de aliquo Beneficio, vel de eo abſolvendo, ſeu ut cum eo diſpenſet, jubendo ipſi Petro, ut hæc exequatur, dicitur gratia facta; quia gratia tota illius eſt, cui conceditur, impoſita Petro obligatione exequendi. Oportet tamen determinari Perſonam, & gratiam exequendam; alias ſi expectanda eſſet nova determinatio reſpectu Perſonæ, ſeu gratiæ, eſſet potius gratia in poſterum facienda. Si vero Petro liberum ſit uti privilegio, ſeu facultate ipſi tradita, erit gratia facienda, reſpectu nempe illorum, quibus conferenda eſt, quia liberum eſt Petro uti, vel non uti ea facultate. Neque poteſt dici gratia facta per hoc quod conceſſa fuerit talis facultas Petro; nam non collata eſt ipſi Petro in gratiam ipſius, ſed in gratiam aliorum. Secus dicendum eſſet, ſi daretur Petro talis facultas, ut provideret quos maluerit, diſpenſaret cum quibus magis placeret &c. nam tunc talis facultas conferretur in ipſius Petri gratiam, & ita eo ipſo quod eſſet conceſſa, eſſet gratia facta: *Cap. ſi cui nulla de præbend. in 6. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. a. 18. Bonac. d. 1. q. 3. p. 8. §. 2. a. 3. Sanch. l. 8. de matr. diſp. 28. n. 87.*

Quod igitur reſcriptum gratiæ non expiret remotione, vel morte Concedentis, ſi gratia ſit facta, probatur quia eſt tunc quædam donatio, quæ non expirat morte donantis. Si vero gratia ſit facienda, itaut neceſſarius ſit uius juriſdictionis; re integra ceſſat per mortem, vel remotionem Concedentis, ſecus re non integra ex dictis in ſuperiori reſponſione: *Laym. cit. Sanch. a. 64. Bonac. §. 1. a. 19.* & habetur *cap. ſi ſuper gratia de offic. Deleg. in 6. & cap. ſi cui nulla de præb. ibid.*

Hinc inferunt DD. per mortem Epiſcopi non ceſſare facultates audiendi Confeſſiones, quia eſt gratia facta ipſi Sacerdoti, cum facultas non data fuerit ad inſtantiam pœnitentium. Neque refert juriſdictionem delegatam ceſſare morte Delegantis; quia hoc in jure decernitur quoad juriſdictionem delegatam in materia juſtitiæ: *cap. gratum, cap. relatum, cap. licet de Offic. Deleg.* nil autem decernitur quoad reſcriptum gratiæ; *Suar. l. 8. de leg. c. 31. n. 3. Laym. cit.* Ita nec ceſſant privilegia eligendi Confeſſarium, cum facultate ut eligentem abſolvat vel a Cenſuris, vel reſervatis, ut cum eo diſpenſet &c. celebrandi in Oratorio privato, quia gratia jam facta eſt.

R. III. Si reſcriptum, ſive juſtitiæ, ſive gratiæ factum ſit, expreſſa perſona delegati, ipſius morte expirat, quia ſtatim cenſetur perſonale, adeoque ſpirat cum Perſona. Idem dicatur, ſi cum nomine Perſonæ etiam dignitas, ſeu officium exprimatur; niſi etenim aliud ex circumſtantiis colligatur, videtur reſcriptum dirigi ad perſonam habentem tale Officium, adeoque privilegium eſt perſonale: *Sanch. l. 8. diſp. 27. a. 6. & c. Tambur. de Jur. Abb. t. 2. diſp. 16. q. 11. a. 2.* Tunc vero ex circumſtantiis colligeretur eſſe reale, & non perſonale, quando ſi judicaretur perſonale, foret injuſtum, vel damnoſum; neque enim credi poteſt Delegantem velle tale eſſe ſuum reſcriptum, ſeu privilegium. Denique reale cenſetur privilegium, ſi annexum ſit officio, ſive dignitati, & tunc tranſit in quoſcumque habentes talem dignitatem, vel officium, ſive res ſit integra, nec ne.

Regulæ in praxi obſervandæ,

I. Conſequenter ad ea, quæ etiam dicta ſunt de Diſpenſatione, notet Confeſſarius non ſemper ceſſare privilegia per cauſæ finalis ceſſationem, ſi ea non prævidebatur temporanea, adeoque adhuc vigere privilegium. Et ita e. g. cui conceſſum eſt privilegium domi audiendi Miſſam ob infirmitatem, quæ reputabatur incurabilis, eodem uti poteſt privilegio, etſi per accidens ceſſet infirmitas. Et hoc autem exemplo poteſt alia in praxi reſolvere.

Advertat pariter ex unico actu non ceſſare privilegium ad agendum, vel non agendum, niſi ad illum unicum actum appareat conceſſum fuiſſe. Et ita agendo de diſpenſatione, dixi diſpenſatum a voto Caſtitatis, ut contrahere poſſit matrimonium, mortua prima uxore poſſe aliam ducere.

II. Cum renunciatio privilegii non habeat ſuum effectum, niſi acceptetur a Superiore, notet Confeſſarius quod ſi privilegiatus vel ex tædio, vel ex alia ratione laceret literas privilegii animo illi renunciandi (idem dicas de Sacerdote, qui facultatem habitam in ſcriptis audiendi confeſſiones laceraret) non proinde prohibetur poſtea uti tali privilegio, ſi renunciatio non acceptata fuerit a Superiore, cui ſoli competit eam acceptare: *cap. admonet de renunciat.*

III. Datur aliquando caſus, ut inveniantur antiquiſſima privilegia conceſſa alicui Domui, vel familiæ, & quia vel non fuerunt, vel jam a longo tempore non ſunt in uſu, oritur dubium, an illa familia poſſit illis uti. Videat igitur Confeſſarius, quod ſi illa privilegia in nullius cedebant præjudicium, neque dici poteſt per lapſum temporis ceſſaſſe, adeoque ſemper licitum eſſe illorum uſum. Et id verificatur non ſolum, ſi non data ſit opportunitas utendi privilegio, in quo omnes conveniunt, & conſtat ex *leg. unus ex ſociis & ſeq. ff. de ſervit. ruſtic. prædii*, ſed etiam, ſi adſuit uſus contrarius, ut conſtat ex dictis capite ſuperiori.

IV. Notet Confeſſarius difficiliter, ſuppoſita revocatione alicujus privilegii, poſſe adhuc vigere, quia in revocatione ipſorum ſolet modo ſemper apponi ea revocari vel *ex motu proprio, vel ex certa ſcientia, vel ex plenitudine poteſtatis*, quibus clauſulis ſufficienter revocantur quæcumque privilegia, exceptis iis, quæ ſunt oneroſa; vel quando per revocationem læditur jus tertii jure gravi acquiſita, ſeu poſſeſſa tempore a lege præſcripto.

V. Si poſt datum reſcriptum moriatur qui conceſſit privilegium, vel diſpenſationem, ut Confeſſarius tuto ſe gerat, notet ſequentia. Si reſcriptum fuit Juſtitiæ, ceſſat omnino, ſi nondum Delegatus cœperit eo uti, quamvis tuto dici poſſit incœpiſſe eo uti, ſi in vi reſcripti aliquid præſtavit, quamvis nondum emanaverit citatio.

Si reſcriptum fuit Gratiæ, in praxi non ita facile eſt expirare morte, vel remotione concedentis. Vel igitur gratia fuit indefinite, & generaliter conceſſa, & jam eſt gratia facta, adeoque non ſpirat morte concedentis: ut ſi alicui abſolute conceſſa ſit facultas, vel celebrandi in Oratorio privato, vel non recitandi Horas Canonicas, vel eligendi aliquem a quo abſolvatur a reſervatis, irregularitatibus &c., vel ſe ordinandi extra tempora. Item dicendum, ſi alicui in gratiam ſui concedatur, ut ad ſui libitum poſſit diſpenſare, abſolvere &c., jam etenim huic gratia dicitur facta, cum propter ipſum, & ut habeat e. g. honorem uſus talis juriſdictionis, illi fuerit conceſſa facultas abſolvendi. Quod ſi illi non in gratiam ſui, ſed aliquorum determinate conceſſa ſit per reſcriptum gratiæ aliqua facultas in ordine ad ipſos, cum obligatione ea utendi in ipſorum favorem, v. g. cum iis diſpen-

ſandi

Google

ſandi &c. jam gratia cenſetur facta in ordine ad ipſos, & ita non ceſſat morte Concedentis.

Remanet ut dicatur *gratia facienda*, adeoque ſpirans morte concedentis; quanto liberum illi eſt uti poteſtate ipſi tradita in gratiam aliorum. Hanc dixi ſupra eſſe *gratiam faciendam*. Nihilominus non deſunt, qui etiam hic adinveniant rationem gratiæ factæ; cum etenim dicunt ipſi, dum eligitur aliquis determinatus Confeſſarius ad aliquid faciendum, intelligatur eligi, ut magis idoneus ad diſpenſandum, abſolvendum &c. jam intelligitur etiam in gratiam ipſius tradita talis facultas; & ita habet rationem gratiæ factæ non ceſſantis morte concedentis: *Baſil. l. 8. c. 19. §. 1. n. 5. & 8. Suar. de leg. l. 8. c. 21. n. 18. Palaus t. 1. tr. 3. diſp. 4. p. 16. §. 4. n. 5.*

Certe autem erit gratia facienda, ſi facultas concedatur in ordine ad alios ſine obligatione ea utendi, & eadem facultas conceſſa ſit alicui indeterminate, eligendo v. g. ab eo, in cujus gratiam data eſt talis facultas; nam eum tunc nullus electus fuiſſe a concedente facultatem, veluti magis idoneus, non poſſet dici gratia ipſi facta. Hæc igitur gratia facienda, re integra, ceſſat morte, vel remotione Concedentis.

CAPUT III.

De Interpretatione Privilegiorum.

Q. I. QUÆ dicta ſunt *q. 4. c. 2.* de legum interpretatione, hic etiam locum habent, unde quæ peculiaria ſunt circa privilegia ſolum attingam.

Q. I. Quibus competat privilegia interpretari.

Suppono non habere locum interpretationem, ubi ſatis conſtat de mente concedentis privilegium; vel quando verba privilegii ſunt clara, & perſpicua, attendendo tamen limitationes ibi appoſitas, ex quibus quandoque licet recedere a verbis etiam claris legis, vel privilegii. His poſitis.

R. Interpretatio authentica privilegii, quæ etiam juridica, & judicialis dicitur, fieri non poteſt, niſi a Principe, vel ipſius Succeſſore in æquali Sede. Verum ex conceſſione Summorum Pontificum Prælati Regulares, etiam immediati, in dubio poſſunt authentice, & juridice declarare, & interpretari privilegia ſibi tradita, ut ex pluribus conceſſionibus demonſtrat Lezana *v. privilegium n. 12. Donat. t. 1. tr. 8. q. 7. n. 1. & 16.* immo ex *D. Thoma 2. 2. q. 174. a. 4.* hanc facultatem habent a jure. Inſuper conceſſum eſt iiſdem Prælatis reſtringere, limitare, vel etiam auferre ſuis Subditis uſum alicujus privilegii: *Suar. de Relig. t. 4. tract. 8. l. 2. c. 22. n. 14. Rodrig. t. 1. qq. regul. a. 2. Dian. 3. p. tr. 2. reſol. 87.*

E contra prohibitum eſt a S. Pontificibus omnibus aliis Eccleſiæ Prælatis interpretari (intellige juridice, ſeu authentice) privilegia Regularium, ut videre eſt apud *Sanc. t. 2. conſil. tract. 8. cap. 1. num. 134. Bordon. t. 2. reſol. 52. num. 50. Tambur. de Jur. Ab. t. 1. d. 16. q. 6. n. 1.*

Q. II. Quomodo interpretanda ſint privilegia; & quænam ſint privilegia favorabilia, & odioſa.

R. Sicut lex favorabilis eſt ſemper latiſſime interpretanda, ita & privilegium favorabile. Illud autem dicitur privilegium favorabile, in quo concedendo finis primarius concedentis fuit favorem concedere, quamvis de ſecundario reſultet in alterius detrimentum, ut eſt privilegium Canonis, quo Clerici gaudent. Si vero in privilegio concedendo Princeps reſpiciat primario alterius odium, & pœnam, quamvis redundet in favorem alicujus, dicitur ſimpliciter odioſum.

Advertendum tamen eſt, quod in interpretatione privilegii etiam favorabilis, non eſt recedendum ab uſitata ſignificatione verborum, ſive naturali, ſive civili, ſi non ſit neceſſe ab eis diſcedere; vel ne privilegium reddatur inutile, vel quia aliud ſuadeat mens concedentis, vel ad vitandum abſurdum &c., ut dictum eſt loco citato: *Suar. de leg. l. 8. c. 28. n. 2. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 6. Tambur. t. 3. diſp. 16. q. 5. n. 3. & 11. &c.*

Inter privilegia autem favorabilia præcipue locum habent ea, quæ continentur in jure communi, habent etenim ſe veluti leges, & ſtatuta ordinata ad bonum commune: *Suar. de leg. 8. c. 27. n. 7. Sanch. de Matrim. l. 8. diſp. 1. n. 7.* ac proinde omnia privilegia inſerta in corpore juris late ſunt interpretanda.

At neque deſunt caſus, in quibus etiam privilegia contra jus ſunt late interpretanda. Primo igitur admittunt latam & etiam exorbitantem interpretationem, ſi alias redderentur inutilia, nam voluntas Principis nunquam debet fruſtrari: *Laym. loc. cit. Tambur. n. 9. Barboſ. axiom. 222. n. 15.* Secundo, ſi privilegium contra jus concedatur ex motu proprio, & certa ſcientia Principis: *cap. ſi motu proprio 23. de præb. in 6.* nam cum tunc exhibeat Principis liberalitatem, hæc nunquam eſt interponenda ad Beneficium diminuendum: *leg. hac conſultiſſima C. de agentibus in reb. Laym. cit. Sanch. de matr. l. 8. d. 1. n. 5.* Tertio, privilegium contra jus commune late interpretandum eſt, quando reſpicit vel favorem cauſæ publicæ, vel cauſæ piæ, ſeu cultus divini; nam tunc æquum eſt ut contra jus prævaleat favor talium cauſarum, & talia eſſe juſte creditur mens concedentis privilegium: *Suar. de leg. l. 8. c. 27. Laym. l. 1. tract. 4. c. 23. n. 5. Fagna cap. ultim. nu. 25. de verb. ſign.* Quarto, privilegia contra jus ſunt late interpretanda, ſi ita ferat conſuetudo optima legum interpres. Quinto, privilegia contra jus ita ſunt interpretanda, ut extendatur ad ea, quæ ſunt neceſſario connexa. Ita habens privilegium retinendi plura beneficia, intelligitur diſpenſatus a reſidendo in utroque. Item diſpenſatus ab Irregularitate ad ſuſcipiendos omnes ordines, intelligi poteſt diſpenſatus ad obtinendum ſimplex Beneficium; ſi etenim non adſit neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ, titulus beneficii eſt neceſſarius, ut quis in ſacris promoveatur: *Laym. cit. Sanch. l. 8. de matr. d. 1. n. 19. 24. 27.* Demum privilegium contra jus extendi poteſt ad ea, quibus minus derogatur ipſi juri. Ita privilegium comedendi carnes extenditur ad ova, & lacticinia. Extra hos caſus.

Privilegium juri communi derogans eſt odioſum, adeoque ſtricte interpretandum. Odioſum inquam, quia derogatio, ſive diſpenſatio juris communis ſemper eſt odioſa, utpote contraria legi, quæ reſpicit bonum Publicum; & ita ipſius favor ſemper præferendus eſt favori collato particulari perſonæ: *cap. 1. & 2. de Fil. Presbyt. in 6. junct. reg. 28. juris in 6.* Hinc in interpretatione talis privilegii, attendendum eſt, ut jus commune, minus quam fieri poteſt, lædatur; & obſervandæ ſunt regulæ ſtrictæ interpretationis, cujus exempla dedi in capite de interpretatione legum. Eadem ſtricta interpretatio obſervanda eſt quoad privilegia derogantia particularibus ſtatutis, ſeu conſuetudinibus, niſi hæ ſint contra jus commune, & privilegium juxta illud, nam ex dictis ſupra, ſemper expedit favere juri communi: *Tamb. de Jur. Ab. t. 1. d. 16. q. 5. n. 10.*

Tertio, cenſendum eſt odioſum privilegium cedens in alterius præjudicium, adeoque ſtrictiſſimæ interpretationis. Immo, ſi nihil aliud ſuadeat materia, gravitas cauſæ &c. non de facile præſumi poteſt Principem velle aliquem graviter damnificare, vel ipſius juri derogare, etiamſi privilegium motu proprio conceſſerit. Quod ſi non ſit locus, ut tale privilegium credi poſſit ſubreptitium, poteſt etiam cum quadam improprietate interpretari; ita ut lædat, quod minus fieri poteſt; talis enim interpretatio, ſi non verbis, ſaltem credi poteſt conſentanea menti Principis. Nunquam tamen ita reſtringendum eſt, ut nihil operetur: *Sanch. de matr. l. 8. d. 7. n. 6. Tambur. t. 1. diſp. 16. q. 5. n. 6. & d. 18. q. 1. n. 72.*

Inter hæc privilegia aliis præjudicialia, primo ſunt privilegia ad lites, quæ ſolent minuere poteſtatem Judicum Inſeriorum, & dare occaſionem vexandi alios. Ita deſumitur *ex cap. cauſam quæ 18. de reſcrip. & ibi Fag. num. 4.* Secundo privilegia, ſeu reſcripta ad Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda, cum præſumantur ambitioſa, in jure ſemper ſtricte interpretantur, ut *ex cap. quamvis 4. de præb. in 6. & cap. cui non ſacerdotali 27. ibid.* Tertio talia ſunt omnia privilegia, quæ præbent occaſionem peccandi, aut ſcandali, & ita ſemper ſunt reſtringenda, quoad fieri poteſt privilegia conceſſa Regulari contra regularem obſervantiam: *Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 6. Bonac. diſp. 1. q. 3. p. 7. §. 1. n. 13.*

Q. III. An privilegia conceſſa Regularibus reputanda ſint odioſa, vel favorabilia.

R. Huic quæſito abſque dubio reſpondendum eſt, eſſe favorabilia, indiſcrim natim loquendo de omnibus ipſorum privilegiis; etiamſi videantur contra jus commune, vel contra jus tertii &c., & id propter multas rationes. Primo, quia conceſſa ſunt in favorem Religionis, & bonum animarum; & hæc ex dictis ſemper reputantur favorabilia. Secunda, quia in eis concedendis Pontifex principaliter intellexit favorem concedere; quando autem finis principalis concedentis eſt favor, privilegium ſemper intelligitur favorabile. Tertia, quia ex dictis capite ſuperiori, privilegia Regularium ſunt remuneratoria, adeoque, utpote favorabilia, ſunt am-

plianda. Quarta, quia Conſtitutiones, quibus Summi Pontifices privilegia Regularibus conceſſere, ſunt perpetuæ, & pertinent ad leges, quæ in jure ſunt favorabiles; unde cum non ſint contra jus, ſed ipſæ potius ſint jus, ex hoc capite etiam ſunt favorabiles. Quinta, quia nulli præjudicant. Non ſummo Pontifici, quia ipſe poteſt ampliare, & limirare jura, & juri ſuo cedere, ſi aliquid concedat Regularibus contra ſuum jus. Non Epiſcopis, & Parochis: nam cum omnem poteſtatem habeant dependenter a Summo Pontifice, jam nullam injuſtitiam ipſis facit, ſi utendo jure ſuo, talem poteſtatem limitet in ordine ad Regulares. Idipſum probat *S. Thom. in 4. d. 17. q. 3. a. 5. ad 1.* obſervando præjudicium inferri alicui, quando privatur aliqua re, quæ cedit in ejus favorem, & utilitatem. Cum igitur Epiſcopis, & Parochis non data ſit poteſtas juriſdictionis ad ſui commodum, & utilitatem, nullum illis infertur præjudicium, ſi ab eadem vel exempti fuerint Regulares, vel illis eadem poteſtas conceſſa fuerit ad promovendum honorem Dei, & ſalutem animarum. Immo dicit idem S. Thomas *ibid. & opuſcul. 19.*, id ſolum cedere in præjudicium illorum Prælatorum, qui quærunt quæ ſua ſunt; non quæ Jeſu Chriſti, & qui Gregi præſunt, non ut paſcant, ſed ut paſcantur.

Privilegia ergo Regularium, utpote omni jure, & tam evidentibus rationibus favorabilia, ſemper admittunt latam interpretationem. Immo ex pluribus conceſſionibus Summorum Pontificum in dubio ſemper in ipſorum favorem ſunt interpretanda: *Rodr. t. 2. qu. 63. a. 7. Bordon. t. 2. reſol. 9. n. 49. & reſol. 32. n. 26. & reſol. 52. n. 10. Tambur. tom. 3. d. 16. quæſt. 6. & diſp. 18. qu. 6. n. 6. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 6.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Obſervet Confeſſarius Regularis, quod cum Prælati Regulares habeant facultatem in dubio juridice interpretandi privilegia Religioni conceſſa, Subditi tenentur ſtare eorum interpretationi, utpote juridicæ, & authenticæ, a qua proinde non licet diſcedere. Item, cum penes eos ſit facultas limitandi, vel etiam removendi privilegia, non poteſt Subditus velle iis uti, in caſu, quo Superior judicet expedire, ne ad uſum reducantur.

II. Cum in dubio circa intelligentiam privilegiorum Regularium, ex diſpoſitione Summorum Pontificum, ſemper interpretanda ſint in ipſorum favorem, advertat Confeſſarius, quod cum diſputatur, an aliquod privilegium conceſſum ſit, nec ne, an extendatur ad hunc vel illum caſum, nec ne, judicandum ſemper eſt in favorem Regularium. Hinc ſemper judicavi, potuiſſe Epiſcopos, etiam ante declarationem a regnante Pontifice Benedicto XIII. Regulares ex vi ſuorum Privilegiorum extra tempora ordinare. Ratio mihi erat, quia etiam poſtquam plures Epiſcopi de hac re Sedem Apoſtolicam conſuluerant, dubitari non poterat id ſaltem ſub dubio remanſiſſe, & in dubio ſemper ſtandum eſt pro privilegiis Regularium.

CAPUT ULTIMUM.

Explicantur quædam clauſulæ, quæ in privilegiis apponuntur.

Q. I. Quid ſignificet illa clauſula *ex motu proprio*, & quos cauſet effectus.

R. I. Iſta clauſola ſignificat privilegium fuiſſe conceſſum ex mera voluntate Principis, eamque fuiſſe veram cauſam formalem illud concedendi, quamvis Privilegiatus privilegium expoſtulaverit. Cum autem non poſſit innoteſcere, an Princeps motus fuerit propria ſua voluntate, hinc eſt privilegium expoſtulatum non præſumi conceſſum *motu proprio*, ſi id non exprimatur: *cap. ſi motu proprio in 6. Laym. l. 1. t. 4. c. 23. n. 8. Palaus tr. 3. d. 4. p. 2. §. 6. n. 2.*

R. II. Privilegium motu proprio conceſſum aliqua habet operari. Primo, ut favorabile intelligatur, quod non verificatur de privilegio conceſſo ad inſtantiam partis, ſi alias ipſius materia non ſit favorabilis. Verum tamen eſt, privilegium conceſſum ad inſtantiam partis, ſtatim habere ſuum valorem, cum conferens annuit, quia ipſa petitio eſt veluti ipſius acceptatio, ut alias dictum eſt, privilegium vero *motu proprio* conceſſum, non ſortitur ſuum effectum, niſi innoteſcat ei, cui conceditur: *ſi tibi abſenti de præb. in 6. Sanch. l. 3. de matr. diſp. 36. n. 6.* Secundo, privilegium *motu proprio* conceſſum tollit vitium ſurreptionis, ſi ſurreptio conſiſtat in eo, quod taceatur veritas, alioquin explicanda; nam Princeps concedens privilegium motu proprio, cenſetur ſupplere defectum informationis, qui alias infirmaret privilegium conceſſum ad inſtantiam partis; *cap. ſi motu de præb. in 6. Suar. de leg. l. 3. c. 12. n. 8.* Verum non ſupplet ſurreptionem, quæ proveniret ex expreſſione cauſæ falſæ; ut ſi falſo diceretur potentem eſſe pauperem, puellam remanſuram innuptam &c.; nam cum res aliter ſit, ac concedens exiſtimat, non poteſt credi habere intentionem concedendi, quamvis ex motu proprio concedat: *Barboſ. de Clauſ. clauſ. 79. n. 19. Sanch. l. 8. de matr. diſput. 21. n. 47. & 52. &c.*

Nec talis clauſula ſupplet valorem gratiæ ex aliis capitibus invalidæ, ut ſi fiat inhabili, concedendo e. g. beneficium excommunicato; vel concedatur aliquid cum alia re incompatibile: ut ſi habenti beneficium, concedatur aliud cum primo incompatibile. Ita communiter Doctores, & Canoniſtæ, quia vi talis clauſulæ non intelligitur concedens diſpenſare in impedimentis, vel inhabilitatibus: *Suar. loc. cit. n. 14.* Item talis clauſula non firmat privilegium contra jus alterius, ſeu in præjudicium tertii, nec adimit jus in re, vel ad rem alteri quæſitum: *Sanch. de matr. l. 8. diſp. 21. n. 50.*

Q. II. Quid ſignificet illa clauſula *ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis*, & quos præſtet effectus.

R. I. Hæ duæ clauſulæ, quæ eamdem vim habent, ſignificant Principem, ſeu Pontificem, procedere ex plena cognitione alicujus negotii, & dare robur, & validitatem actui, alias ex aliquo defectu nullo; *c. 1. de tranſact.* Uno verbo approbantur ea, quæ erant valida, & quæ invalida, roborantur: *Tamb. de Jur. Abb. diſp. 18. q. 1. n. 7. Barboſ. in collect. ad cap. cum dilecta n. 18. de confirm.* Neque exquirenda eſt in Principe cauſa, quare id faciat: *Marta de Clauſ. p. 1. clauſ. 259. n. 1.*

R. II. Effectus hujus clauſulæ ad ſequentes reducuntur. Primus effectus eſt, ut deroget omni legi contrariæ, etiam habenti clauſulam derogatoriam; & omnia, quæ ſunt privilegio contraria intelliguntur ſublata per eam clauſulam, quamvis ad derogandum iis in privilegio non apponantur ea verba: *non obſtante &c.* Alter effectus eſt, ut privilegio habenti talem clauſulam nihil opponi poſſit, quod gratiam annullet. Tertio, ſi privilegium cum hac clauſula confirmetur, eadem clauſula præſtat, ut ſi ab initio fuit validum, & poſtea illi derogatum fuerit, ſeu aliqua ratione abrogatum, confirmatio habeat vim novæ conceſſionis, & iterum valeat. Quod ſi ab initio fuit ſurreptitium, confirmatio facta etiam de plenitudine poteſtatis, non habet vim novæ conceſſionis, ſi inſuper non apponatur in privilegio, *non obſtante quacumque falſitate, ſurreptione &c.* Hinc dicitur non ſupplere dolum partis impetrantis, nec operari, quando non præceſſit cognitio cauſæ, vel ſi ſtatus cauſæ non fuit narratus Papæ. Quarto, per eam ſupplentur defectus juris poſitivi, ſicut defectus ſolemnitatum, quæ requiruntur ex jure poſitivo.

Cæterum talis clauſula nihil operatur circa non expreſſa, nel in præjudicium alterius, nec derogat regulæ de jure quæſito non tollendo, niſi fortaſſe in re valde modica. Circa hanc clauſulam videatur *Barboſ. de Clauſ. uſu freq. clauſ. 59. num. 12. Tambur. ſupra cit. Sanch. l. 8. de matr. d. 4. &c.* In dubio autem non eſt præſumendum Principem reſcripſiſſe, & conceſſiſſe aliquid de plenitudine poteſtatis, ſed ſecundum jus commune: *cap. innotuit de elect. cap. propoſuit §. Licet autem de conceſſ. præbend.*

Q. III. Quid operetur privilegium *ad inſtar.*

R. Privilegium conceſſum *ad inſtar* habet eumdem, & parem effectum, ſeu eamdem limitationem, & extenſionem, quas habet privilegium, ad cujus inſtar, ſeu ſimilitudinem fuit conceſſum. Unde ſi tibi conceſſum fuit privilegium ad inſtar illius, quod conceſſum fuit Petro, tuum privilegium habet eoſdem effectus, ac privilegium Petri. Hic autem advertendum, quod ſi privilegium conceſſum *ad inſtar* fuit communicatio privilegii jam alteri conceſſi, ita ut non fuerit communicatum per ſe, & principaliter, ſed ſolum dependenter, ſeu acceſſorie ad primum; tunc, ſi privilegium primo conceſſum vel revocetur, vel limitetur, & revocatum, vel limitatum reputandum eſt privilegium conceſſum ad inſtar illius; *cap. tranſlato de Conſtit. & cap. acceſſorium de reg. jur. in 6.* Si vero privilegium conceſſum *ad inſtar*, fuit alteri traditum per ſe, & æqualiter, veluti

uti

Digitized by Google

uti ſi illi priùs, ſic per ſe fuiſſet conceſſum, tunc, etiam revocetur, vel limitatur privilegium primo conceſſum, non cenſetur revocatum, nec limitatum privilegium conceſſum *ad inſtar* illius: *Barboſ. de Clauſ. uſu freq. 8. n. 8. & ſeqq.* Talis eſt communicatio privilegiorum inter Regulares; unde ſi auferrentur, aut limitarentur alicui Ordini, cui primo collata fuere, non proinde ea deperderent, vel limitarentur Ordinibus, qui eadem habent per communicationem.

Q. IV. Quid operetur illa clauſula: *Non obſtantibus privilegiis &c. in contrarium.*

R. Jam illius ſignificatio conſtat ex dictis ſupra de revocatione privilegiorum. Ibidem ergo dixi per ea verba non derogari privilegiis in corpore juris inſertis; ſecus ſi diceretur; *non obſtantibus omnibus & ſingulis privilegiis.* Item per eam clauſulam non derogatur privilegiis habentibus clauſulam, ut non poſſint revocari, & ſolum tunc dicendum eſſet revocari, ſi diceretur e. g. *non obſtantibus quibuſcumque derogatoriarum derogatoriis, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis ſub quacumque forma conceſſis*: vel *etiamſi de illis mentio de verbo ad verbum facienda eſſet.* His verbis ſufficienter etiam intelligitur derogatum privilegio, quod haberet eam clauſulam, ut non cenſeatur revocatum, niſi de eo *de verbo ad verbum mentio fiat*: *Tamb. t. 1. diſp. 16. q. 8. n. 1.* Ubi bene obſervat tali privilegio etiam derogari per clauſulam: *Quorum tenores &c.* Item per eam clauſulam non revocantur privilegia conceſſa a Concilio Generali, nec vivæ vocis oracula, ſeu privilegia per conſuetudinem acquiſita, nam hæc in odioſis non veniunt nomine privilegiorum. Item nec privilegia conceſſa ad pias cauſas, vel ob publicam utilitatem, & multo minus privilegia onerosa, ſeu per modum contractus conceſſa. Hæc privilegia non revocantur, niſi vel expreſſe exprimantur, vel per verba æquivalentia. Quoad hanc clauſulam videndus Barboſa de Clauſulis *clauſ. 83. num. 8. Bordon. t. 2. reſol. 52. Tambur. t. 1. diſp. 18. n. 40.* Quod ſi apponatur hæc clauſula: *Prorſus eximimus, ac totaliter liberamus,* ea derogat omnibus privilegiis, ſive privatim, ſive Communitati conceſſis, ſub quacunque formula fuerint conceſſa; & excludit omnem interpretationem in contrarium, ſive omnia quæ in contrarium poſſent excogitari: *Tambur. t. 2. d. 18. q. 6. n. 6.*

Q. V. Quid operetur ea clauſula *quatenus ſunt in uſu, & Sacris Canonibus, ac Decretis Concilii Tridentini non adverſantur.*

R. I. Illa verba: *quatenus ſunt in uſu*, ſignificant confirmari privilegia, quæ ſunt in obſervantia: *Suar. l. 8. de leg. cap. 18. num. 16.* Quod ſi alicui concedatur privilegium cum hac clauſula: *quatenus eſt conceſſum*, ſufficit ſi aliquando fuerit in uſu penes illos, quibus fuit conceſſum, ut eo uti poſſit in omni ſua extenſione ille, cui de novo conceditur, quamvis modo non amplius ſit penes eos in uſu: *Rodr. qq. reg. t. 1. q. 8. a. 3.*

Ea autem clauſula *& ſacris Canonibus &c.* non deſignat canones inſertos in corpore juris; nam contra eos non ſolent concedi privilegia. Ita non deſignat Canones Concilii Tridentini; nam contra eos, utpote quæ ſunt regulæ Fidei, dari non poſſunt privilegia, adeoque pro Canonibus intelliguntur decreta Concilii Tridentini, quæ lato modo dici poſſunt Canones: *Bordon. reſol. 52. n. 313.* Nec etiam intelliguntur ea verba de omnibus Decretis Concilii, ſed ſolum de Decretis Concilii habentibus clauſulam derogatoriam privilegiorum. Privilegia proinde, quæ conceduntur cum clauſula; *dummodo non adverſentur decretis Concilii Tridentini*, non ſubſiſtunt, ſi adverſentur decretis derogantibus privilegiis contra ipſa. Idem videtur dicendum de illa clauſula: *dummodo Conſtitutionibus Apoſtolicis non ſint contraria. Suar. l. 8. de leg. cap. 18. n. 16.*

Q. VI. Quid ſignificet clauſula; *appellatione ſemota.*

R. Hæc clauſula excludit appellationem a ſententia definitiva, non autem ab interlocutoria, quamvis aliqui ſentiant in contrarium. Neque dici poteſt excludere frivolam appellationem, quia jure ipſo rejicitur; ſed vero excludit etiam legitimam appellationem, dummodo non adſit clara, & manifeſta injuſtitia valde gravans, *Tamb. t. 1. d. 18. num. 58. Rodr. qq. regul. t. 1. q. 8. a. 13.*

Q. VII. Quomodo intelligenda ea clauſula; *ex confidentia hujus indulti.*

R. Per eam ſignificatur non valere indultum, ſeu privilegium, dum quis deliquit ob confidentiam, quod per indultum, aut privilegium liberabitur; ut ſi quis omitteret Officium ex confidentia Bullæ Compoſitionis. Cæterum ſi non apponatur talis clauſula, valet indultum etiam quoad crimina commiſſa ex tali confidentia; nam ſi ſemper ſubintelligenda foret, fruſtra aliquando exprimeretur: *Sanch. l. 4. de vot. c. 54. n. 18. Lugo de Pœn. d. 20. ſect. 8. n. 130.*

Q. VIII. Quomodo intelligenda illa clauſula: *Supplentes defectus &c.*

R. Iſta clauſula ſupplet defectus accidentales, quæ nempe deficiunt, quamvis exigantur a jure poſitivo; ea etenim ſupplere poteſt Pontifex &c. Per eam vero non ſupplentur defectus juris naturalis; defectus non narrati, & ſuper quibus requiritur diſpenſatio; defectus Perſonæ, ut ſi ſit excommunicatione innodata; defectus cauſæ; defectus facti circa proceſſum, quia fuit factus ſine cognitione cauſæ; defectus, quibus actus redditur nullus; ſicut & defectus lædentes jus tertii. Quoad hanc clauſulam vide *Barboſ. clauſ. 87. n. 15. & clauſ. 176. n. 158. Rodr. t. 1. qq. regul. q. 8. n. 15. Tambur. t. 1. d. 16. q. 6. n. 4.*

Q. IX. Quid operetur illa clauſula *ex tunc, prout ex tunc.*

R. Hæc clauſula operatur ut actus poſtea factus reputetur tanquam factus a principio, dummodo non ſit in præjudicium tertii: *Tambur. cit. n. 51. Barboſ. clauſ. 61. n. 8. & 26.*

Q. X. Quid ſignificet illa clauſula: *Dummodo peccata non ſint in contemptum clavium.*

R. Tunc proprie dicitur quis peccare in contemptum clavium, quando ideo peccat, quia non vult iiſdem ſubjici non vero ſi peccet ex odio, ira, aliave paſſione: *D. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3.* Unde ſi quis peccans in contemptum, velit uti privilegio, neceſſe eſt ut obtineat privilegium ſine ulla clauſula.

Q. XI. Quid importent ea verba; *Decernentes irritum &c.*

R. Clauſula irritans actum, primo inducit formam, qua non ſervata, actus ipſo jure corruit, etiam parte non opponente, vel etiam ſi factus fuerit per ignorantiam decreti irritantis; & ſolum ſubſiſtit actus, ſi erat perfectus ante interpoſitionem decreti irritantis. Item idem decretum irritans annullat omnia, quæ ſunt in contrarium, ſive emanaverint motu proprio, ſive ad inſtantiam partis; ſive juſte, ſive injuſte, ſive etiam non cognita cauſa. Tollit etiam præſcriptionem, & conſuetudinem in præteritum inductam, & ſecundum aliquos etiam in futurum. Videndus Barboſa *clauſ. 40. a num. 2. Tambur. t. 1. d. 16. q. 6. a num. 47.*

Hæc dixiſſe ſufficiat pro intelligentia frequentiorum clauſularum, quæ in reſcriptis, ſive privilegiis ut pluſimum occurrunt. Et hæc pariter ſufficiant pro explicatione eorum, quæ pertinent ad Tractatum de Legibus.

TRACTATUS IV.

DE CENSURIS.

QUÆSTIO I.

De Cenſuris in Communi.

CAPUT I.

Quid ſit Cenſura, qualis Cenſurarum numerus; & de poteſtate eas ferendi.

Q. I. QUid ſit Cenſura.

R. Cenſura, quæ etiam apud profanos Scriptores ſignificat aliquam pœnam, unde Cenſores dicebantur, qui pravos populi mores puniebant, apud S. Canones pœnam ab Eccleſia inflictam ſignificat, atque ita poteſt definiri.

Cenſura eſt pœna inflicta ab Eccleſia, fori exterioris, privans fidelem baptizatum uſu aliquorum bonorum ſpiritualium, ut a contumacia diſcedat.

Eo ipſo quod dicatur *pœna*, conſtat infligi propter culpam; nam pœna locum habere haud poteſt, ubi culpa non adſit. Cenſura igitur, ut dicemus, privat Sacramentis per modum pœnæ impoſitæ delinquenti ratione culpæ: non ita autem ſe habet peccatum mortale, quod privat Sacramentis per modum culpæ, quatenus neope iiſdem reddit animam indignam. Infligitur autem ab Eccleſia, quia poteſtas mere ſæcularis nequit ſpiritualia tractare: *can. Judicatum 5. d. 89. cap. decernimus 2. de Judic.*

Dicitur pœna *fori exterioris*, quia imponitur ab habente juriſdictionem in foro externo, eaque afficit *fidelem baptizatum*, nam juriſdictio dumtaxat in Subditos poteſt exerceri, & ſolummodo baptizati ſunt ſubditi Eccleſiæ.

Dicitur *privans uſu aliquorum bonorum ſpiritualium*. Pro quo obſervandum eſt, quod Cenſura non poteſt privare bonis ſpiritualibus, quæ ſunt propria perſonæ particularis, ut gratia, charitate, merito &c. fidelis enim etiam excommunicatus poteſt ſe per actum contritionis ponere in ſtatu gratiæ, & ita mereri &c. Item Cenſura non poteſt privare fidelem bonis, quæ conſiſtunt *in communione Sanctorum*. Cum igitur, ut conſtat ex hoc articuli Symboli, fideles ratione Fidei, & Charitatis ſint Chriſti membra, & ſimul invicem uniantur, adeo ut ſit inter eos communicatio bonorum ſpiritualium, nec Eccleſia habeat poteſtatem removendi hanc unionem, quæ in præfatis virtutibus habet fundamentum; conſequens eſt, quod nec illis bonis communibus, & univerſalibus poſſit fideles privare. Remanet ergo quod, cum Eccleſia ſolum habeat juriſdictionem in bona ſpiritualia externa, & publica, iis ſolum valeat per Cenſuras excommunicatum privare; atque ita poteſt illum privare Sacramentis, Sacrificiis, Beneficiis Eccleſiaſticis, ſpirituali juriſdictione, publicis ſatisfactionibus, ſuffragiis &c.

Demum dicitur: *ut a contumacia diſcedat*. His verbis denotatur ideo infligi Cenſuras, ut qui deliquit, emendetur; ac proinde Cenſura dicitur pœna medicinalis: *cap. 1. de ſent. excom. in 6.*; neque regulariter loquendo, infligenda eſt, quando cognoſcitur reo non profutura, ut dicit *S. Thom. in 4. d. 18. q. ult. a. 2.* Bene tamen aliquando ferri poteſt etiam in eos, qui nullam dant ſpem emendationis, ut docet idem *S. Th. 1. 2. q. 86. a. 8. ad 2.*, & id in ultionem delictorum, quæ commiſere, ad terrorem aliorum, & ut a cæterorum conſortio removeantur ne eos inficiant.

Q. II. Quot ſint Cenſuræ.

R. I. Juxta communiorem ſententiam Cenſuræ ſunt tantum tres: Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum. Hæ ſolum recenſentur *cap. quærenti de verb. ſignif.* ubi Pontifex reſpondet interrogationi: quid nomine Cenſuræ intelligatur. Idem colligitur *ex cap. 1. & cap. Statutum de ſent. excom.*

R. II. Cenſura alia eſt a jure, alia ab homine. Quando igitur Superior imponit Cenſuram per legem, aut ſtatutum, dicitur eſſe a jure; & ita ſe habent omnes Cenſuræ, quæ continentur in SS. Canonibus, in Apoſtolicis Conſtitutionibus &c. Cenſura ab homine dicitur ea, quæ fertur a Superiore per ſententiam, vel mandatum tranſitorium. Cenſura *a jure* non ceſſat, niſi revocetur, nam jura perſeverant uſque ad ipſorum abrogationem. Cenſura vero ab homine ceſſat per ipſius mortem; vel ſi poteſtas ab eo removeatur: cum etenim ab hac pendeat valor Cenſuræ, jam ſi ceſſat, neceſſe eſt ceſſare ipſam Cenſuram, ni forte jam quis ea ſit innodatus; nam tunc ceſſat ſolum per abſolutionem. Hinc Cenſuræ, quas per modum legis, & ſtatuti tulerunt Epiſcopi in Synodo Diœceſana, non ceſſant per mortem ipſorum, ſecus vero, quas tulerunt per mandatum tranſitorium.

R. III. Alia eſt generalis, alia particularis. Generalis fertur in omnes, ut impediatur peccatum futurum; ut ſi excommunicentur omnes ſurripientes bona pupillorum. Particularis fertur ad emendationem peccati præteriti; ut ſi excommunicetur, qui non reſtituit.

R. IV. Alia eſt Cenſura latæ, alia ferendæ ſententiæ. Cenſura latæ ſententiæ eſt ea, quæ ipſo facto ligat ante ſententiam Judicis. Cenſura ferendæ ſententiæ nonniſi poſt ſententiam Judicis incurritur. Eſt abſque dubio Cenſura latæ ſententiæ, ſi dicatur *ſtatim, illico, incontinenti ipſo facto, ipſo jure ſit excommunicatus*. Item ſi lex utatur verbis de præterito; *eſt excommunicatus, ſuſpenſus:* vel de præſenti: *excommunicatur, ſuſpenditur &c. ſciat eſſe excommunicatum*. Item ſi dicatur: *Authoritate noſtra, virtute præſentis Conſtitutionis ſit excommunicatus &c. Suar. l. 5. de leg. cap. 6. Laym. l. 1. tract. 5. cap. 1. num. 3.* Eſt vero Cenſura ferendæ ſententiæ, dum, nulla alia particula adjecta; pœna ſolummodo comminatur; ut ſi dicitur: *prohibemus ſub pœna excommunicationis*. Item ſi adhibeantur verba de futuro; *excommunicabitur, ſuſpendetur*. Reputatur etiam Cenſura ferendæ ſententiæ, ſi adhibeantur verba imperativi modi, afficientia ipſum reatum pœnæ, ut ſi dicatur: *fiat reus excommunicatus*: vel denotantia ipſam actionem Judicis, ut ſi dicitur: *excommunicetur &c.* Si vero verba imperativi modi afficiant ipſam perſonam, reputatur Cenſura latæ ſententiæ, ut ſi dicatur *excommunicationem incurrat*.

Sunt quædam formulæ, de quibus diſſidium eſt inter Authores, an contineant Cenſuram latæ, vel ferendæ ſeotentiæ. Quidam volunt importare ſolum Cenſuram ferendæ ſententiæ hæc, & ſimilia verba: *ſit eucommunicatus evitetur*. At bene contrarium probat. *Fagnan. in cap. ſuper ſpecula ne Clerici, vel Monach. nu. 1. &c.* quia ſatis ea verba indicant Legiſlatorem velle, ut quis ipſo facto ut excommunicatus habeatur.

Merito autem puto dubitari poſſe, an Cenſura ſit latæ ſententiæ, dum dicitur: *eucommunicationem ſe noverit incurſurum*: nam ea verba commode explicari poſſunt de excommunicatione ferenda. Item dubium oriri poteſt, ſi dicatur: *ſit excommunicatus, anathema ſit*. Verum igitur eſt, ea verba non raro importare excommunicationem latæ ſententiæ; & maxime dum Eccleſia iis utitur contra eos, quos ſcimus velle ipſo facto excommunicatos; ut dum Concilia, & maxime Tridentinum, iiſdem utitur contra hæreticos. Nihilominus cum verbum *ſit*, nullo alio addito bene ſumi poſſit pro vero

furuti,

futuri temporis, non ſemper clarum eſt indicare excommunicationem latæ ſententiæ. Id probat multipliciter *Navarrus cap. 27. Man. num. 22.* allata etiam authoritate *Gloſſæ cap. 2. de Foro compet. v. ſequeſtratus:* & juxta eam multi Canones talia verba habentes, ſolum ſignificant ſententiam ferendam. Gloſſa etiam *in cap. ſi quis ex Cler. de Vit. & honeſt. Cleric.* ea verba *anathema ſit* explicat *pro anathema erit; arg. diſt. 30. quaſi per tot.* Hinc quod talia verba duntaxat ſignificent ſententiam ferendam, inter alios tenent *Sanch. l. 7. de matr. diſp. 12. nu. 2. & l. 2. Mor. c. 38. a. 91. Laym. l. 1. trat. 5. c. 2. a. 3.* Mihi autem certum eſt explicanda eſſe de cenſura ſententiæ ferendæ, nam ſtante rationabili dubio, in pœnis benignior facienda eſt interpretatio: *leg. in rebus ff. de reg. jur. cap. odia, cap. in pœnis de reg. juris in 6.* ultraquamquod, *in obſcuris minimum eſt ſequendum ex reg. 30. jur. in 6.*

Q. II. An in Eccleſia ſit poteſtas ferendi cenſuras.

R. Hanc poteſtatem tradidit Chriſtus Eccleſiæ illis verbis Matth. 16. 18. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis,* poſt quæ addidit: *Quod ſi Eccleſiam non audieris, ſit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.* His verbis non ſolum Patres docent collatam a Chriſto Eccleſiæ poteſtatem ligandi, atque ſolvendi in interno, ſed etiam per cenſuras in foro externo, & contentioſo; nam ſegregatus authoritate Eccleſiæ, debet conſiderari ſicut Ethnicus, qui nullam habet communicationem cum Chriſtianis; vel ſicut Publicanus, cum quibus nullam neceſſitudinem habere volebant Hebræi. Eamdem poteſtatem ferendi Cenſuras, demonſtrat ſe exercuiſſe Apoſtolus 1. *ad Cor.* 1. dum de quodam inceſtuoſo ait: *Judicavi tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ejus ſalvus fiat.* Dicitur iſte traditus Satanæ, quatenus per excommunicationem privatus communibus Eccleſiæ ſuffragiis, remanebat magis expoſitus Diaboli tentationibus. Sive, ex aliis dicitur Satanæ traditus, quia tunc excommunicatio repentino corporis morbo, vel ſenſibili Satanæ vexatione demonſtrabatur; ſicuti ad roborandam fidem primitivæ Eccleſiæ dona Spiritus S. ſigno ſenſibili conferebantur. Hoc Fidei Catholicæ dogma, quod ſcilicet ſit in Eccleſia poteſtas puniendi fideles per cenſuras, definivit contra hæreticos Concilium Conſtant. *ſeſſ. 8. art. 11. & 12. ſeſſ. 15. art.* 19. & Bulla Martini V., ſicut etiam Tridentinum. Videatur Bellarminus *de Rom. Pont. l. 1. c. 15.*: aliique, qui contra Hæreticos ſæculi decimi ſexti demonſtrant ab initio Eccleſiæ viguiſſe praxim coercendi contumaces per cenſuras.

Ratio etiam ſuffragatur, quia ad rectum regimen non ſolum requiritur poteſtas directiva; ſed etiam coercitiva ſubditorum contumacium; unde conveniens erat, ut Chriſtus traderet ſuæ Eccleſiæ poteſtatem eos puniendi per privationem communium externorum ſpiritualium bonorum, quorum ipſi Eccleſiæ tradiderat plenam adminiſtrationem, juxta illud Apoſtoli 1. ad *Cor.* 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores myſteriorum Dei.*

Q. IV. Apud quos de facto ſit poteſtas ferendi Cenſuras.

R. I. Primo, habent poteſtatem ferendi Cenſuras omnes illi, qui ratione ſui muneris, dignitatis, vel officii habent poſſe exercere in Eccleſia juriſdictionem in foro externo; nam poteſtas ferendi Cenſuras ordinatur ad coercendos Subditos in foro externo. Hanc igitur poteſtatem ferendi cenſuras habet Summus Pontifex reſpectu omnium fidelium, & Epiſcopi reſpectu ſuarum Diœceſum: *cap. 1. & cap. conquerente 16. de Offic. Ordinar. juncto Tridentino ſeſſ. 6. cap. 3. & ſeſſ. 4. cap. 4. de Reformat.* Concilium Generale reſpectu totius Eccleſiæ, & Concilium Provinciale in ſua Provincia: *cap. Grave nimis de præbend. cap. 1. de Judic.* Cardinales in Eccleſiis ſui tituli: *cap. bis, quæ de Majorit. & obedien.* Legati Sedis Apoſtolicæ in terris ſuæ legationis: *c. novit. 7. de offic. Legat. cap. Legatos 7. ibid. in 6.* Capitulum Cathedrale, Sede Vacante quia ſuccedit in Epiſcopi juriſdictionem. *Cap. Cum olim de majorit. & obed.* Vicarius Generalis non ſolum Epiſcopi, ſed etiam Capituli, Sede Vacante, cum faciat unum tribunal cum Epiſcopo, ſeu cum Capitulo: *Cap. Venerabil. de ſent. excom.* Prælati, & Præpoſiti Eccleſiarum Collegiatarum, habentes juriſdictionem in foro externo Eccleſiæ: *arg. c. querentis 20. de V. S. & cap. 1. de ſent. excom. in 6.* Denique non ſolum Capitula Generalia, vel Provincialia Religionum, ſed etiam omnes Generales, Provinciales, ſicuti & omnes Superiores locales Regularium, ut Priores, Guardiani, Rectores &c. *Cap. cum in Eccleſ. 10. de Majorit. cap. ult. de Stat. Monach.*

cap. ſicut tuis 33. de Simon. juncta Gloſſ. v. anathematis de Simon., & communiter DD. Verum tamen eſt hæc omnia certa eſſe de jure communi: cæterum in praxi attendenda ſunt ſpecialia Statuta, & conſuetudines Religionum.

Secundo habent poteſtatem ferendi cenſuras ii omnes, quibus a præfatis delegatur; cum etenim iſti habeant poteſtatem ordinariam, quia competit ipſis ratione ſuæ Dignitatis, & officii, habent etiam poſſe delegare *ex tot. tit. de Offic. Ordinarii, & cap. cum. Epiſcopus de Offic. Ordinar. in 6. leg. mor. ff. de juriſd. omn. Judic.* Quia vero poteſtas delegata pendet a Delegante, ceſſat per illius mortem, vel ſuſpenſionem: *cap. gratum. de offic. Judic. de leg. & cap. licet. 16.* Hæc autem doctrina patitur exceptionem, ſi Delegatus incœpit de cauſa cognoſcere: *cap. gratum, cit.*, ſicut etiam non ceſſat per mortem Papæ poteſtas delegata Officio S. Inquiſitionis: *cap. licet de offic. Jud. Deleg.* Item, Delegatus non poteſt vices ſuas alteri ſubdelegare, niſi hoc illi conceſſum fuerit a Delegante: *tot. tit. de Offic. Deleg.*; vel niſi ſit Delegatus a Summo Pontifice: *cap. 3. de Offic. Deleg.*; vel niſi hoc habeat ex particulari privilegio, aut conceſſione. Vide etiam quæ dixi *Tr. 3. q. 5. c. 1. quæſit. 5.*

Tertio, acquiritur poteſtas ferendi cenſuras per conſuetudinem; nam cum Summus Pontifex voluerit habere vim legis, ſicut per conſuetudinem obligatio inducitur, ita & acquiritur juriſdictio. *Cap. dudum 2. de elect. cap. Romana de ſent. excomm. in 6.* Idem dicendum de præſcriptione: *Cap. auditis, & cap. cum olim de præſcript.*

Quarto, acquiritur juriſdictio ferendi cenſuras per titulum præſumptum, juncto errore communi: his etenim ſtantibus, ad vitanda multa incommoda, non voluit jus ceſſare juriſdictionem: *leg. Barbarius de offic. Prætor. can. infamis 3. q. 7.*

Q. V. Quæ conditiones requirantur in eo, qui recipit poteſtatem ferendi cenſuras, & ad hoc, ut ea poteſtate utatur.

R. I. Ut quis habeat poteſtatem ferendi Cenſuras, primo debet eſſe compos rationis, nam homines ſolum ligantur per actus humanos; & cum actiones humanæ efficaciam ſumant ab intentione: *cap. cum voluntate de ſent. excomm.* ad ligandum hominem, maxime per cenſuras, neceſſaria eſt intentio illum ligandi. Secundo, debet eſſe baptizatus, nam qui extra Eccleſiam eſt, ex quocumque jure videtur incapax exercendi munera Eccleſiæ: *Suar. de Cenſ. diſp. 2. ſect. 2. num. 3.* Tertio, debet eſſe homo, nam poteſtas ferendi cenſuras, eſt poteſtas clavium, adeoque ſupponens poteſtatem Ordinis, vel ſtatum clericalem, cujus incapax eſt fœmina *S. Th. in 4. d. 19. q. 1. a. 1. q. 4. ad 4.* Immo videntur fœminæ jure divino incapaces cujuſcumque juriſdictionis ſpiritualis, utpote quæ collata fuit Apoſtolis, & ipſorum ſucceſſoribus; taliter autem utique non ſe habere poſſunt fœminæ, utpote quibus interdicitur, vel ipſum docere in Eccleſia 1. *ad Cor.* 14. Quod ſi ex jure divino proveniat talis incapacitas in fœminis neque etiam S. Pontifex poterit de plenitudine poteſtatis ipſis conferre juriſdictionem ſpiritualem, ut innuit S. Thomas loco citato: & ita Abbatiſſæ, Prioriſſæ &c. non poſſunt imponere præcepta in virtute Spiritus S., Sanctæ obedientiæ &c. Remanet proinde quod iſtæ habeant ſolum juriſdictionem politicam, aut domeſticam, ſicut Pater, aut Mater reſpectu filiorum, quorum præcepta obligant juxta quantitatem, qualitatem, aut naturam rei, quam præcipiunt: *Pelizar. n. 10. cap. 4. ſect. 3. n. 109. Bonac. de Cenſ. q. 1. p. 2. n. 4.*

Quarto, in eo qui recipere debet poteſtatem ferendi Cenſuras, requiritur ut ſaltem initiatus ſit Prima Tonſura; cum non conveniat exercere juriſdictionem ſpiritualem eum, qui non eſt in ordine Eccleſiaſtico, ſive clericali: *can. indicatum diſt. 98. S. Th. in 4. d. 20. q. 2. a. 2.* Ea tamen juriſdictione uti non poteſt Clericus, etiam in minoribus conſtitutus, ſi ſit conjugatus: *cap. 2. de Cleric. conjug.* Cæterum cum ad habendam talem juriſdictionem ſtatus Clericalis videatur ſolum requiri de jure Eccleſiaſtico poſitivo, dici poteſt Pontificem, qui ſolus valet diſpenſare in jure communi, poſſe concedere etiam ſimplici laico poteſtatem ferendi cenſuras: *Conincb. diſp. 13. n. 32. Candid. diſp. 22. a. 7. d. 2.*

R. II. Ut quis exercere valeat poteſtatem ferendi cenſuras, oportet, ut non habeat impeditum uſum illius. Hoc impedimentum multipliciter poteſt provenire. Primo a jure; & ita prohibentur Inquiſitores Epiſcopos excommunicare: *cap. Inquiſitores de hæret. in 6.*; ſicut &

Epiſcopi non poſſunt cenſuris ligare Inquiſitores, qui ſunt Officiales Summi Pontificis: *Dian. p. 5. tr. 9. reſol.* 51. Secundo, ſuſpenditur uſus Juriſdictionis per antecedentem appellationem: *cap. ſi a Judice de appell. in 6.* Tertio, ſuſpenſus, Excommunicatus, Hæreticus, Schiſmaticus cenſuram ferre non poſſunt: *cap. exceptionem de exception.* Unde nec Vicarius Epiſcopi excommunicati, ſive ipſius Delegatus poterunt ferre cenſuras, quia ipſorum poteſtas pendet ab illius poteſtate: *arg. cap. 1. de Offic. Vicar. in 6.* Quia tamen *Extra ad evitanda ſcandala* dicitur Excommunicatum toleratum, in his, quæ ad publicum pertinent officium, non eſſe vitandum etiam ab iis, qui ſciunt eſſe excommunicatum, hinc, ut cenſura impediat uſum Juriſdictionis, non ſolum debet eſſe publica, ſed etiam reddere Epiſcopum, ſeu Judicem vitandum; nam ſi tolerandus eſt in iis, quæ pertinent ad ſuum officium, conſequens eſt valide exercere actus ſuæ juriſdictionis, quamvis illicite: *Avila p. 2. diſp. 6. dub. 3. Bonac. de Cenſur: diſp. 2. q. 2. p. 5. num. 3.* Cæterum, ut videbimus, ille eſt vitandus, qui eſt nominatim excommunicatus, vel publicus Clerici percuſſor.

Item impeditur poteſtas ferendi cenſuras, ſi Superior ſit extra proprium territorium, eaſque ferre debeat cum ſtrepitu judiciali. Poterit quidem extra proprium territorium ferre cenſuras per modum ſtatuti, ad vitanda futura delicta; & idem dicendum, ſi ferat cenſuram pro delicto judicialiter probato in proprio territorio; vel præmiſſa monitione pro notoria contumacia, quæ non requirat cauſæ cognitionem: *cap. evidentia de accuſat., & can. manifeſta 2. q. 1.* Ratio eſt, quia in prædictis caſibus non requiritur ſtrepitus judicialis: *Anton. a Spir. S. diſp. 1. n. 120.* Dum vero requiritur citatio, & judicialis cognitio cauſæ, tunc ferri non poſſunt cenſuræ in alieno territorio ſine conſenſu Ordinarii, quia per exercitium juriſdictionis contentioſæ illi fieret injuria; *leg. 2. ff. de Offic. Proconſ. cap. novit. de Offic. deleg. Clement. unic. de for. compet.* Quamvis autem multi aſſerant talem cenſuram eſſe nullam, contrarium ſuſtinet *Barboſ. de Poteſt. Epiſc. alleg. 6.* Quod ſi Epiſcopus ejectus fuerit a propria Diœceſi, poterit in loco viciniori ſuo Epiſcopatui, petita, & etiam non obtenta licentia ab Ordinario illius, ferre cenſuras in ſuos ſubditos: *Clemen. unic. de for. compet.*

Quidam volunt impediri valorem cenſurarum per hoc, quod Judex cogatur ad eas ferendas: ſicut enim invalida eſt abſolutio a cenſuris per metum extorta: *cap. unic. de his, quæ vi, & met. cauſa fiunt in 6.* ita & dicendum videtur de cenſura per metum lata, cum jus ligandi, & ſolvendi parificentur: *can. verbum de pænit. d. 1.* Adhærendum nihilominus eſt contrariæ ſententiæ; nam actus per metum facti, ſi aliud non obſtet, validi ſunt; & aliunde a jure non invalidantur Cenſuræ per metum latæ. Neque obſtat invalidari abſolutionem latam per metum: nam ſi ita jus non ſtatuiſſet, enervaretur poteſtas Eccleſiaſtica, quæ tamen potius roboratur, ſi, ſuppoſita cauſa, Judex Eccleſiaſticus cogatur ad ferendam cenſuram, quamvis eum minitando, irreverenter cum eo agatur. Præterea cum magis timendum ſit, Potentes cogere Judices Eccleſiaſticos ad auferendas cenſuras, quam ad ferendas, bene potuit Jus quoad primum providere, non quoad ſecundum; ac proinde quoad hæc non parificantur poteſtas ferendi, & poteſtas auferendi Cenſuras *Suar. de Cenſur. diſput. 2. ſect. 5. n. 6. Bonac. diſp. 1. q. 1. p. 12. num. 1.*

Regula in praxi obſervanda.

I. Non ſtatim Confeſſarius pronunciet ſuum Pœnitentem excommunicatione innodatum, per hoc, quod aliquid commiſerit prohibitum ſub pœna excommunicationis. Ultra plures alias cauſas, quæ poſſunt illum excuſare, de quibus in ſequentibus, animadvertat, quod ſemper, cum non eſt clarum in jure excommunicationem eſſe latæ ſententiæ, debet in favorem pœnitentis interpretari eſſe ferendæ ſententiæ; adeoque non habere obligationem ſe gerendi ut excommunicatum.

CAPUT II.

De Forma, & Solemnitate, quibus ferendæ ſunt Cenſuræ: & de Monitionibus, quæ eas præcedere debent.

Q. I. SUb qua forma ferenda ſit Cenſura, & quando ſuſpendatur Cenſura lata ſub conditione.

R. I. Cum nullo jure exigantur verba ad ferendam Cenſuram, ad ipſius valorem ſatis erit, ſi ſcripto, aut ſigno aliquo ſufficienter conſtet de voluntate Superioris, quod ſcilicet velit e. g. aliquem cenſura affectum, & qua ſpeciali cenſura: ut ſi interrogatus an velit Petrum excommunicari, inclinando caput annuat. Ratio autem eſt, quia tunc ſignum ut vox accipitur, ſicut docet *D. Th. in 4. d. 27. q. 1. art. 2. d. 3. ſect. 2. n. 3. & 4.* Ultraquamquod neceſſe ſit, ut voce, vel ſigno aliquo ſufficienter conſtet de voluntate Superioris, debet ulterius innoteſcere qua particulari cenſura velit aliquem afficere; nam cum ſententia, qua fertur cenſura, afficiat a parte rei id, quod præcipit, oportet per eam eaplicare particularem cenſuram, qua aliquis ligatur; neque enim ligari poteſt aliquis cenſura generice ſumpta, ſed ſolum ab aliqua ipſius ſpecie: *Bonac, q. 1. p. 7. n. 3. &c.* Hinc etiam ſi aliquis ſuſpendatur, exprimendum eſt an a beneficio, vel ab officio; quamvis ſi excommunicetur, non ſit neceſſe exprimere majorem, vel minorem excommunicationem; nam ex jure ſi non exprimatur minor, major ſit intelligenda; *cap. ſi quem de ſent. excomm.* Item debet determinari perſona, contra quam fertur cenſura; nam alias non conſtaret ad quem referatur intentio Superioris, & ita nullum afficeret. Sufficit autem, ſi perſona determinetur ratione delicti, ut ſi excommunicetur Clericus deferens arma: *Suar, diſp. 3. ſect, 2. n. 16. Bonac. diſp. 1. q. 1. p. 7. num. 6.*

Sunt qui aſſerant cenſuram latam ſub disjunctione nullam eſſe, ut ſi dicatur: *Sacerdos non celebrans cum veſte talari ſit excommunicatus, vel ſuſpenſus.* Ratio illorum eſt, tum quia ex jure ſententia non prolata cum certa quantitate, non meretur nomen ſententiæ: *l. 3. C. de ſent. quæ ſine certa quantit. profertur*; tum quia cum nulla cenſura in ſpecie determinetur, non eſt major ratio cur una, & non altera incurratur: *Nav. in Man. cap. 27. n. 161. Ugolinus tabul. 1. c. 20. §. 3. n. 4. & aliis.* Verum ſi attendatur ratio directa, probabilior eſt oppoſita opinio; nam videtur bene poſſe Judex proponere reo electionem pœnæ, quam maluerit; quod videtur facere, dum fert cenſuras ſub disjunctione. Ita etiam poteſt Judex condemnare reum, vel ad tot annos carceris, vel ad triremes. Quod ſi reus vel voce, vel facto ipſo demonſtraret nolle eligere excommunicationem, intelligeretur ſtatim ex mente Superioris incurrere ſuſpenſionem: *Suar. d. 3. ſect. 2. n. 12. Dian. p. 5. tr. 9. reſ. 63.*

R. II. Cenſura ferri poteſt ſub conditione, vel ad emendationem peccati præteriti; ut ſi quis excommunicetur, ſi non reſtituat intra menſem, quæ furatus eſt; vel ad præcavendum peccatum futurum, ut ſi excommunicetur, qui furabitur in Eccleſia. Ea autem incurritur poſt adventum conditionis, & tunc cenſetur a Judice proferri; *cap. licet, de ſent. excomm.*

Hæc autem cenſura poteſt multipliciter ſuſpendi. Primo, ſi interponatur appellatio ante impletam conditionem; *cap. præterea 2. de appell.* impleta autem conditione, non amplius habet locum appellatio; *cap. paſtoralis §. Verum de appellat. & cap. is, qui §. ult. de ſent. excom. in 6.* cumque adimpleta conditione, cenſura ſtatim tranſeat in abſolutam, & reum afficiat, quærenda eſt ipſius abſolutio: *Suar. diſp. 3. ſect. 6. num. 6.* Quod ſi Judex pronunciat ſententiam excommunicationis etiam poſt interpoſitam tempore apto appellationem, quamvis cenſura nulla ſit, nihilominus ad cautelam quærenda eſt abſolutio, donec nullam eſſe pronuncietur: *cap. licet de ſent. excom. cap. ex Venerabil. de excomm. in 6.*

Secundo, ſuſpenditur Cenſura, ſi ille, in cujus favorem lata eſt, prorogret tempus a Judice aſſignatum, ut iſti ſatisfaciat; nam talem juſte cenſetur eſſe mentem ipſius Judicis: *Suar. n. 8.* Quæſtio autem eſt, ſi habeat locum Cenſura, quando poſt tempus prorogatum, non adimpleatur id quod imperatum fuit ſub cenſura. Non deſunt qui dicant non habere locum cenſuram, cum ille, in cujus favorem lata eſt, non habeat poſſe prorogare cenſuram ad aliud tempus, Judice inconſulto; quia id importat juriſdictionem; *Ugol. tab. 5. cap. 20. §. 6. nu.*

Digitized by Google

6. *nu.* 5. *Navar. in Man. cap.* 27. *n.* 14. *& alii.* Communior tamen eſt ſententia contraria, cum non intelligatur Judex præfigere tempus ad terminandam obligationem ſui præcepti, ac cenſuræ illi annexæ, ſed ſolum non ejus adimpletio differatur; adeoque videtur ex mente ipſius Judicis, prorogato tempore, prorogari præceptum, & cenſuram: *Suar. diſp.* 3. *ſeſſ.* 6. *n.* 11. *Hurtad. diſp.* 13. *diff.* 5. *n.* 15.

Tertio, ſuſpenditur, ſeu non habet locum cenſura lata ad impediendum peccatum futurum, ſi delictum committatur, poſtquam quis mutavit domicilium, nam tunc eſſe Subditus ceſſavit: *Suar. diſp.* 3. *ſect.* 5. Secus, ſi cenſura lata ſit in ordine ad factum præteritum, ut ſi excommunicetur, qui furatus fuit, niſi exempli gratia intra quindecim dies reſtituat. Si, non expletis quindecim diebus, fur mutet domicilium, adhuc remanet excommunicatus, quia manet ſubditus ratione delicti patrati, *cap. fin. de for. compet.*, & multo magis id verum eſſet, ſi jam fuiſſet citatus, & cauſa inchoata: *cap. propoſuiſti ibid.*

Ultimo, ſuſpenditur cenſura lata per ſententiam ſub obligatione aliquid faciendi, vel omittendi, pro eo tempore, quo Judex, a quo lata fuit, ſuſpenderetur. Pro quo advertendum, quod, ſi delictum totaliter fuit commiſſum eo tempore, quo Judex erat ſuſpenſus, omnino excluditur cenſura. Ita, ſi Judex prohibuiſſet ſub excommunicatione furtum in loco ſacro, & hoc committeretur tempore ſuſpenſionis Judicis, reus non incurreret excommunicationem, quia pro eo tempore non vigent ipſius præcepta: *Suar. diſp.* 3. *ſect.* 4. *n.* 15. *Alterius l.* 3. *diſp.* 9. 14. *nu.* 72. Si vero delictum jam fuit patratum, & cenſura lata ſit ut reus ſatisfaciat, tunc ſuſpenditur pro toto tempore quo Judex remanet ſuſpenſus; eo tamen reſtituto, cenſura recuperat ſuas vires, & afficit reum, ſi non ſatisfaciat.

Q. II. An cenſura proferri debeat in ſcriptis.

R. I. Vel cenſura lata ſit a jure, ſeu etiam ab homine per modum legis, & ſtatuti afficientis omnes, ſive per modum præcepti afficientis perſonam particularem, dum tamen lata eſt ad futura peccata præcavenda, nulla Scriptura eſt neceſſaria. Ratio eſt, quia ideo jus requirit Scripturam, ut a Superiore cognoſci poſſit de ejus juſtitia; tum ne Judices fiut nimis faciles ad excommunicandum, quæ cum non habeant locum in excommunicatione lata a jure, vel ab homine per modum legis ſemper juſta præſumitur: *can. erit autem leu diſt.* 4. Præterea *cap. cum medicinalis*, ſtatim citando, ſermo eſt de cenſura a Judicibus lata, quapropter Scriptura requiritur, dum agitur de cenſura, quæ fertur per modum ſententiæ ob peccatum præteritum, cognita cauſa, & citatione præmiſſa.

R. II. Ut licite feratur cenſura per modum ſententiæ de peccatis præteritis, obſervanda ſunt ſequentia. Debet in ſcriptis proferri, & ſcribi a Judice, vel ab alio, ita tamen, ut tunc per teſtes probari poſſit. Verum tamen eſt, quod non ſolum Epiſcopus, ſed neque quilibet alter Judex tenetur eam legere per ſeipſum, ſed ſufficit, ſi legat per miniſtrum. Deinde, dum cenſura fertur contra aliquam perſonam determinatam, exprimi debet cauſa particularis, ſeu delictum particulare, ratione cujus cenſura ligatur. Tertio, reo expoſcente, debet illi intra menſem tradi exemplar ſententiæ integrum, & continens cauſam cenſuræ de verbo ad verbum, adnotato die, menſe, annoque. Idem exemplar tradendum eſt, ſi cenſura proferatur in generali contra quoſcumque qui, hoc, vel illud fecerint, ſi requiratur ab aliquo qui potuerit ſub ea comprehendi. Ita *cap. cum Medicinalis de ſent. excomm. in* 6., *ibique Gloſſa*; *Suar. diſp.* 3. *ſect.* 13., *Alterius l.* 3. *diſp.* 4. *cap.* 2.

Quia autem præceptum, quod continetur in præfato capite *medicinalis &c.* eſt de re gravi, ſaltem ob finem intentum a Pontifice, ideo violari non poteſt ſine peccato mortali. Ulterius ex eodem capite tranſgreſſores ipſo jure puniuntur pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, & Divinis officiis per menſem; & Judex non ſervans talem ſuſpenſionem, incurrit irregularitatem a ſolo Papa diſpenſabilem. Has tamen cenſuras non incurreret Epiſcopus, quia ibi non fit ſpecialis mentio Epiſcoporum, quod neceſſarium erat, ut comprehenderentur: *cap. quia periculoſum de ſent. Excomm.* Cæterum tam Epiſcopi, quam cæteri Judices excuſarentur & a peccato, & a cenſuris, quando non ſervarent præfata ob vitandum periculum, ob ignorantiam inculpabilem, vel ob aliam juſtam, & urgentem cauſam; nam illæ pœnæ decernuntur contra eum, qui eſſet temerarius violator eorum, quæ ſtatuuntur *cap. cum medicinalis*, talis autem non eſt: qui ex aliqua juſta cauſa ea ommitteret: *Alter. cit. cap.* 4., *Candid. diſp.* 22. *a.* 18. *d.* 2.

Quę hucuſque dicta ſunt, puto non eſſe extendenda ad Prælatos Regulares. Quamvis igitur & ipſi teneantur obſervare jus commune; nam quando non vult eos comprehendere, ſolet exprimere, ut patet ex *Clement. I. de privil.* nihilominus ſatis puto non comprehenſos. Ratio eſt, quia Boniſacius VIII. conceſſit Dominicanis poſſe procedere contra ſuos ſubditos, non ſervatis apicibus juris, inter quos numeratur, quod cenſura feratur in ſcriptis. Item Leo X. apud Henriquez *l.* 13. *cap.* 16. *n.* 2. conceſſit Prælatis S. Franciſci exemptionem ab hac ſolemnitate: cum autem hujuſmodi privilegiis per communicationem fruantur cæteræ Religiones, conſequens eſt, non teneri Prælatos Regulares ad obſervantiam eorum, quæ ſtatuuntur dicto capite *cum medicinalis*.

R. III. Cenſura in ſcriptis non lata valida eſt. Ratio eſt, quia in eodem capite non declaratur nulla, immo ſupponitur valida, cum ibi dicatur, quod reus, cenſura non ſcripta ligatus, recurrens ad Superiorem, eſt ſine difficultate abſolvendus, & Judex condemnandus ad expenſas & intereſſe &c.

Q. III. An ante cenſuram præcedere debeat monitio, & quomodo ſit facienda.

R. I. Ut incurratur cenſura lata jure, vel ab homine per ſtatutum generale pro futuris culpis impediendis, ſive etiam per particulare præceptum in ordine ad futurum delictum, ut ſi ſub excommunicatione præcipiatur Clerico, ne arma deferat, nulla requiritur ſpecialis monitio. Ratio eſt, quia lex ipſa, ſeu præceptum habent ſufficientem vim monitionis *Suar. diſp.* 3. *ſect.* 8. *num.* 3., *Alter. l.* 3. *diſp.* 3. *c.* 1. Duo tamen caſus excipiuntur in jure. Primo, vult præcedere monitionem, ut Religioſi non ſolventes decimas incurrant ſuſpenſionem contra eos latam: *Clem.* 1. *de Decim.* Secundo, requiritur monitio: ut incurratur excommunicatio lata contra præſumentes impedire viſitationem: *Clem. unic. §. fin. de ſtat. Monachor.*

R. II. Ad incurrendam cenſuram latam ab homine pro culpis præteritis, vel præſentibus reſpectum habentibus ad futurum, requiritur monitio. Et quidem quod requiratur ad valorem cenſuræ jure poſitivo, conſtat *ex cap. ſacro* 48. *de ſent. excom. cap. Romana eod. tit. in* 6. *cap. ſtatutum ibid. cap. reprehenſibilis de appellat.* Deinde videtur monitio expoſci jure divino, nam Eccleſia non habet facultatem ferendi cenſuram, niſi in eum, qui non vult ipſam audire: *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ut Ethnicus & Publicanus*, *Matth.* 18. non verificatur autem nolle audire Eccleſiam, qui non fuit ab ea admonitus. Tandem videtur monitio requiri de jure naturæ, eum, quia ex vi talis juris nemo inauditus eſt condemnandus; tum quia, cum cenſura ſit pœna medicinalis, ordinata ab Eccleſia ad tollendam contumaciam, hæc videtur de ſua natura expoſcere monitionem: nam ille dicitur proprie contumax, qui admonitus non vult reſipiſcere. Ita cum communiori ſententia *Henriq. lib.* 13. *n.* 3. *Conınch. diſp* 12. *n.* 84. *Anton. a Spir. S. diſp.* 1. *n.* 79. *& n.* 80. Authores contrarii aliqua adducunt exempla, in quibus videntur latæ cenſuræ ſine monitione. Sed primo reſpondendum eſt, non bene inferri non præceſſiſſe monitionem, ex eo, quod ab Authoribus non narretur. Secundo advertendum, quod licet excommunicatio non feratur, niſi ſub ratione cenſuræ, Suſpenſio, & Interdictum poſſunt ferri præciſe, ut pœnæ vindicativæ, ut de Suſpenſione habetur *cap. tam litter.* 33. *de teſtib.*, *& atteſtat. & cap. cum in cunctis* 7. *de elect.* ſicut de Interdicto *cap. ſacro tit. & c.* 1. *de ſent. excomm. in* 6. Dum autem feruntur ob punitionem culpæ præteritæ, non eſt neceſſaria monitio; & ita S. Ambroſius interdixit Theodoſio aditum Eccleſiæ ob cædem factam Teſſalonicæ, quoadusque ageret pœnitentiam.

R. III. Ut monitio rite fiat, primo facienda eſt nomine Judicis, nam habet vim citationis, quæ ſolum Judicis authoritate fieri poteſt. Ulterius Judex debet eam facere ad inſtantiam partis, nam quamvis Judex interponere poſſit motu proprio ſuam authoritatem, ſi agatur de bono communi, non poteſt procedere, niſi ad inſtantiam partis, dum agitur de commodo alicujus privati. Secundo, debet monere de peccato præterito in ordine ad futurum, ut ſcilicet de eo emendetur, vel ſatisfaciat, ſi damnum intulit. Ratio eſt, quia nemo dicitur contumax propter peccatum commiſſum, ſed ſolum, vel

quis

quia non emendatur, ut ſi moneatur de non amplius frangendo jejunium, vel quia non ſatisfacit. Tertio, moneri debet præcepto continente pœnam cenſuræ; nam reus debet eſſe contumax contra poteſtatem Eccleſiæ coercitivam, adeoque contra præceptum continens cenſuram: & de facto qui ſimplici præcepto non emendatur, fortaſſe emendaretur cenſuræ timore: *Suar. diſ. 3. ſect. 1. n. 7. Gibal. diſp. 6. q. 2. n. 9. Palaus diſp. 1. p. 7. n. 7.* Quarto, quamvis dum proceditur contra delinquentes incognitos, vel contra plures, ſufficiat facere monitiones in Eccleſia, aut alibi coram populo; nihilominus contra perſonam determinatam, & notam, monitio facienda eſt perſonaliter, coram teſtibus, ut de ea conſtare poſſit: *cap. ſacro de ſent. excomm.* Facta autem prima perſonali monitione, reliquæ fieri poſſunt ad domum, ſeu per edictum, aut in ipſo Tribunali. Si vero doloſe lateat, aut impediat, ne perſonaliter conveniatur, ſufficit monitiones facere ad domum illius; & ſi careat domicilio, ſi fiant in principali Eccleſia: *Leander. diſ. 5. q. 16. 17. 18. 19.* pluribus citatis. Quod ſi ponendum ſit interdictum contra Communitatem, ſufficit monere illos, quorum culpa fertur; hi enim ſunt emendandi: *Gibal. diſp. 6. q. 2. n. 8.*

Demum, ut non ſolum valida, ſed etiam licita ſit cenſura, requiritur trina monitio: *can. omnes decimæ 17. q. 7. can. Præsbyterorum 29. q. 4. c. contingit 2. de ſent. excomm. cap. Conſtitutionem, & cap. Romana eod. tit. in 6.* Hæc autem trina monitio non requiritur ad valorem excommunicationis; nam redditur ſufficienter contumax, qui ſemel admonitus non emendatur; & ſolum requiritur ad valorem excommunicationis, quam Judex pronunciaret contra participantes cum excommunicatis a ſeipſo, quia ita expreſſe in jure cavetur: *C. conſtitutionem, & c. ſtatuimus de ſent. excom. in 6. Suar. d. 3. ſect. 12. n. 4. Palaus d. 1. p. 5. num. 8. Alterius l. 3. d. 3. cap. 5.* Ulterius pro trina monitione, ſatis eſt una monitio, quæ tres includat; ut ſi Judex moneat una monitione pro tribus vicibus; dum e. g. concedendo ſex dies ad reſipiſcendum, primos duos aſſignat pro prima monitione, alios duos pro ſecunda, & ultimos pro tertia; obſervando ex jure intercedere ſemper debere ſaltem duos dies inter unam, & alteram monitionem: *cap. conſtitutionem cit. Bonac. d. 1. q. 1. p. 9. n. 7.* Ex vi tamen ejuſdem capitis, ſi neceſſitas aut rationabilis cauſa cogat, poteſt Judex reducere dictum tempus etiam ad tres horas, cum tunc ſufficiat aliquod intervallum fuiſſe inter unam, aut alteram monitionem: *Suar. diſp. 3. ſect. 9. n. 4. Alterius cit. &c.*

Q. IV. An requiratur monitio, quando conſtat aliquem futurum contumacem; vel quando aliquis commiſit delictum prohibitum ſub cenſura ferendæ ſententiæ.

R. I. quamvis aliquis ſe jactaſſet non pariturum cuicumque monitioni, atque ita re vera futurum credatur nihilominus monendus eſt, antequam in ipſum cenſura feratur. Et ratio eſt, quia ille, qui cenſura eſt innodandus, non ſolum in affectu, ſed etiam in effectu debet eſſe contumax in foro judiciali Eccleſiæ, quæ contumacia non reſultat, niſi poſtquam monitus, non vult obedire; *Gibal. diſp. 6. q. 2. n. 19. Dian. p. 5. tr. 9. reſ. 19.*

R. II. Si Judex impoſuit præceptum ſub pœna ferendæ cenſuræ, ipſe Judex abſque alia monitione poteſt punire tranſgreſſorem; quia monitus fuit non ſolum a jure, ſed ſufficienter intelligitur monitus ab eodem Judice per hoc quod impoſuerit præceptum: *Sanch. l. 2. de Matr. diſp. 24. num. 28.* Si vero cenſura ferendæ ſententiæ comminata fuerit non a Judice, ſed a jure, tunc contra alios bene ſuſtinent multi Theologi requiri monitionem ante prolationem ſententiæ. Ratio eſt, quia, cum tunc ſententia Cenſuræ debeat ab homine proferri, videtur quod ille, qui ea eſt innodandus, debeat eſſe contumax etiam adverſus ipſum hominem, ſeu Judicem; & hæc contumacia non datur, niſi reus ab eodem ter moneatur, & nihilominus poſt monitionem non emendetur. Confirmatur ex *cap. reprehenſibilis 26. de appell.*, ubi univerſaliter præcipitur præmittendam eſſe canonicam monitionem, ni cenſura a jure impoſita ſit latæ ſententiæ: *Suar. diſp. 3. ſect. 10. art. 20. Hurtado de cenſ. diff. 18. n. 79.*

Quamvis autem non ſit neceſſaria monitio, quando jus ipſum monet ſub pœna latæ ſententiæ, nihilominus etiam tunc, antequam Judex declaret aliquem cenſuram incurriſſe, debet illum citare, ut afferre poſſit cauſam, ſi quam habeat, illum excuſantem; alias declaratio Judicis nulla eſſet, quia impediretur defenſio Rei. Ita colligitur ex *cap. 2. de cauſ. poſſeſſ. & propriet. cap. perſonalis de appellat., cap. cum ſecundum leges de hæret.*: atque ita docet *Navar. cap. 27. n. 19.* & alii quos affert. *Leander diſp. 5. q. 36.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Si Confeſſarius judicet ſatis tutam in praxi eam opinionem, de qua capite ſequenti, qua dicitur non habere locum cenſuras, ubi adeſt opinio probabilis ad eas excludendas, quædam obſervare debet, quoad dicta capite ſuperiori. Primo, poſſet judicare cenſura non innodatum ſuum pœnitentem, quoties contra eum ſub disjunctione lata eſſet, nempe quod eſſet vel excommunicatus, vel ſuſpenſus. Secundo, idem dicendum, ſi pars in cujus favorem lata eſt cenſura contra Reum, intra determinatum tempus non ſatisfacientem, prorogat tempus ad ſatisfactionem, & adhuc intra tempus prorogatum Reus non ſatisfaciat. Tertio, tandem excuſare poſſet a cenſura ſuum Pœnitentem, qui commiſiſſet delictum prohibitum a jure ſub pœna cenſuræ ferendæ ſententiæ, ſi Judex in illum proferret cenſuram, abſque eo quod præmitteret trinam monitionem. In tribus his caſibus; cum opinentur multi Theologi non habere locum cenſuras, poterit Confeſſarius judicans eas non eſſe admittendas, dum adeſt opinio probabilis pro eis excludendis, eximere ſaltem in foro conſcientiæ ſuum Pœnitentem a cenſuris.

CAPUT III.

De cauſis, ob quas ferri poſſunt Cenſuræ: & quid agere debeat Subditus, ſi cauſa a parte rei ſit injuſta, vel ſaltem dubitet, an ſit juſta.

Q. I. Ob quale peccatum ferri poſſint Cenſuræ?

R. I. Si Cenſuræ ſint minores, ferri poſſunt propter peccatum veniale. Pro cenſuris Minoribus hic non ſolum intelligo excommunicationem minorem, ſed etiam ſuſpenſionem, & interdictum ab uſu alicujus rei, ſed ad breve tempus. Has autem cenſuras ferri poſſe pro ſolo peccato veniali probatur, quia, cum reputentur leves pœnæ, poſſunt ferri pro levi culpa. Et de facto communicans in civilibus cum excommunicato vitando niſi hoc faciat in contemptum, peccat ſolum venialiter: & nihilominus incurrit minorem excommunicationem: *Suar. diſ. 4. ſect. 4. n. 2.* Nec refert excommunicationem minorem privare receptione Sacramentorum; nam cum de ſe ſit facile auferibilis, & a quocumque Confeſſario, ſemper conſideratur ut pœna levis. Secus eſſet, ſi ab homine imponeretur aliqua ex præfatis minoribus Cenſuris, eam ſibi reſervando; nam ſemper cum non poſſet auferri ſine gravi incommodo, non conſideraretur ut pœna levis, adeoque nec imponi poſſet ob leve peccatum: *Hurtad. de cenſ. in comm. diff. 10. n. 42.*

R. II. Cenſuræ abſolute ſumptæ, quales ſunt Excommunicatio major, Suſpenſio, & Interdictum imponi non poſſunt niſi ob peccatum grave. Ratio eſt quia Cenſuræ iſtæ ſunt pœnæ graviſſimæ, adeoque Jus naturæ poſtulat, ut ſolum imponi poſſint pro gravibus culpis, alias nulla eſſet proportio inter eas. Ulterius, cum jure divino imponenda ſit Cenſura ad lucrandum fratrem deperditum, unde dicitur *Matth. 18. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum*, conſequens eſt, nonniſi pro culpa gravi eſſe imponendam, ſolum etenim ex tali culpa frater deperditur. Favet etiam jus poſitivum: *Can. nemo Epiſcoporum, can. nullus Sacerdotum 11. q. 3., & Concil. Trid. ſeſſ. 26. cap. 3. de reform.* Hinc omnes Theologi communiter docent, quod ſi Prælatus præcipiat ſub cenſura, quod omnibus inſpectis, eſt leve, nec tenet præceptum ſaltem quoad peccatum grave, nec proinde tranſgreſſor incurreret cenſuram; cum nec præceptum divinum, aut naturale obligent ſub gravi, ſi in materia levi frangantur: *Sanch. l. 1. Decal. cap. 4. n. 3. Palaus diſp. 1. p. 7. n. 1. Gibal. diſ. 2. q. 2. n. 2. &c.* Dixi *quod omnibus inſpectis leve eſt*, nam quod alias eſſet leve, poteſt eſſe grave ex pluribus circumſtantiis, & maxime ex fine intento a Legiſlatore, & tunc certe poſſet præcipi ſub cenſura.

Sed difficultas eſt, an hoc ipſo quod Legiſlator præcipiat ſub cenſura, quod alias non eſſet peccatum mortale, intelligatur velle ſub gravi obligare, cum aliunde, quod præcipit, fieri poſſit grave ob aliquam circumſtantiam, ſeu finem intentum a Legiſlatore. Et primo certum eſt, quod ſi cenſura ſit latæ ſententiæ, utique tale præceptum ſub gravi obligaret, cum non poſſit velle Legiſlator aliquem cenſura afficere, niſi eo, quod gravi-

tet

ter peccet in tranſgreſſione præcepti: *Suar. diſp. 4. ſect. 6. n. 11.* Si vero ſit cenſura ferendæ ſententiæ, tunc quando poteſt imponi ſine præcedenti monitione, certe præceptum obligat ſub gravi; nam alias cenſura non ſtatim imponi poſſet tranſgreſſori. In quibus vero caſibus ſtatim imponi poſſit ſine monitione, dictum eſt capite ſuperiori; ibidem dictis addi poteſt imponi poſſe ſine trina monitione cenſuram ferendæ ſententiæ, quando continebat clauſulam, ut abſque ulla monitione poſſit a Judice applicari; nam tunc ipſum præceptum ſupplet vices cujuſcumque monitionis. Quod ſi cenſura ferendæ ſententiæ non poſſit imponi ſine præcedenti trina monitione, tunc non ſatis conſtat obligare ſub gravi præceptum impoſitum ſub pœna ferendæ cenſuræ; nam, ut imponi poſſit, ſufficit ſi tranſgreſſor intelligatur peccare graviter, quando poſtea non obediet monitionibus: *Salmant. tract. 10. de cenſ. c. 1. p. 19. n. 135.*

R. III. Peccatum, ratione cujus imponi poteſt cenſura, debet eſſe externum. Ratio eſt quia, licet poteſtas Eccleſiæ ſit ſpiritualis, nihilominus cum exerceatur ab hominibus, qui modo ſenſibili debent operari, ſequitur ordinatam eſſe ad ſenſibilia. Hinc habetur illud commune aſſatum deſumptum *ex can. conſuluit 2. q. 5. & ex can. cogitatio de Pœnit. q. 1. Eccleſia non judicat de internis.* & *S. Th. 1. 2. q. 91. a. 4.* docet, hominem poſſe legem ferre de quibus poteſt judicare, mere autem interna non ſubjacent judicio hominum. Videnda tamen quæ dixi *tr. 3. q. 1. c. 4.* ubi explicavi quando actus internus præcipi poſſit ab Eccleſia: ex qua doctrina bene infertur, actum internum, prout conjunctum cum externo, puniri, & præcipi poſſe ſub cenſura. Ita *Clement. I. §. Verum de hæret.* excommunicantur Inquiſitores, qui odio vel amore, & ſpe lucri aliquid faciunt, ſeu ommittunt, quam excommunicationem vere incurrunt, ſi aliquo ſigno externo pravum animum demonſtrent: ibi etiam innui ſubjacere poteſtati Eccleſiæ actus externos, quamvis occultos: unde qui externe, nullo præſente, profert hæreſim, quam in corde habet, incidit in excommunicationem: *Suar. diſp. 4. ſect. 2. n. 18. Azor. tom. 1. l. 2. c. 8. Diana p. 6. tr. 6. reſol. 51.*

Ultra quam quod peccatum, ob quod imponitur cenſura, debeat eſſe externum, debet manifeſtare gravem malitiam actus prohibiti ſub cenſura; nam cenſura punitur actus externus graviter peccaminoſus. Ita non incurreret excommunicationem, qui corde credens Deum non eſſe, externe proferret hæc verba: ita eſt; nam talia verba indifferentia ſunt ad illam hæreſim, vel aliquid aliud ſignificandum. Idem dicendum de eo, qui comederet carnes die vetito, quia crederet Eccleſiam non habere authoritatem eas prohibendi, ſed non oſtenderet externe ſufficienter hanc hæreſim: *Suar. diſp. 4. ſect. 2. n. 20. Gibalin. diſp. 2. q. 2. n. 16.* Similiter non incurreret excommunicationem ille, quamvis pravum animum haberet contra Clericum, nihilominus ita, omnibus conſideratis, leviter percuteret, ut actio externa non demonſtraret gravem malitiam.

Denique actus externus, qui prohibetur ſub cenſura, debet eſſe completus, & conſummatus in ea ſpecie, in qua prohibetur, niſi aliter exprimant verba legis. Ratio eſt, quia, cum odia, & pœnæ ſint reſtringendæ, non intelligendum eſt leges imponere cenſuras pro actibus non perfectis, & conſummatis. Ita, ſi lata eſſet excommunicatio contra homicidas, non haberet locum contra leviter vulnerantem, quamvis ex animo occidendi, etſi aliunde mors ſequatur. Ita, dum ſub cenſura prohiberetur inceſtus, non eam incurreret, qui copulam haberet cum conſanguinea, ſed non ſeminando intra vas: *Suar. d. 4. ſect. 3. n. 5. Sanch. l. 2. Decal. c. 8. n. 7. Palaus diſp. 1. p. 7. n. 8.* Denique cum cenſura lata contra *præſumentes*, ſignificet peccatum eſſe debere perfecte voluntarium, illam non incurreret, quamvis graviter peccaret, qui actionem prohibitam faceret ex culpabili ignorantia &c. *Bonac. diſp. 1. qu. 1. p. 3. n. 18.* Secus tamen dicendum, quando lex cenſura afficeret actum etiam non conſummatum, & ita *cap. 1. de homic. in 6.* excommunicantur mandantes occidere per Aſſaſinos. Cum tunc cenſura afficiat mandatum, incurrunt eam mandantes, etiam morte non ſequuta.

Q. II. Quomodo ſe gerere debeat, qui injuſte fuit excommunicatus.

R. I. Si cauſa, ratione cujus Judex fert cenſuram, quamvis ſit falſa, attamen juridice fuerit probata; ille, in quem lata eſt cenſura, ea ligatur in foro externo, non tamen in foro conſcientiæ. Ligatur, inquam, in foro externo, quamvis cenſura ſit nulla; jus etenim naturale dictat removendum eſſe omne ſcandalum, quod certe ſequeretur, ſi aliquis ſecundum acta & probata appareret excommunicatus, & pro tali nollet ſe gerere. Nullatenus autem ligatur pro foro conſcientiæ; cum etenim nullum commiſerit peccatum, neque poteſt ſubjacere pœnæ gravis cenſuræ. Ulterius, cum ſententia Judicis veritati non innitatur, non obligat in conſcientia, quia non eſt actus juſtitiæ. Ex quo bene infertur, quod iſte non ſervans cenſuram, in foro conſcientiæ nullum incurreret ex his effectibus, quos pariunt cenſuræ, vel quibus ſubjacent violatores cenſurarum: *Suar diſp. 4. ſect 7. n. 20. Paulus diſp. 1. p. 8. n. 19. Bonac. q. 1. p. 10. n. 4.*

R. II. Quando ſententia cenſuræ continet errorem intolerabilem, tunc neque attendenda eſt in foro externo. Ratio eſt, quia manifeſta redditur injuſtitia cenſuræ, atque ita removetur ſcandalum, quod oriri poſſet ex non obſervantia illius. Ita ſe haberet cenſura lata ob cauſam manifeſte injuſtam, ſeu ob rem minimam, vel indifferentem, *cap. per tuas de ſent. excom. & cap. Venerabilis §. Poteſt ibid.* Idem dicendum, ſi cenſura lata ſit poſt legitimam appellationem, ſi non præmiſſa nec unica monitione; ſi non citato Reo ad ſui defenſionem.

Q. III. Quomodo ſe gerere debeat ille, qui dubitat, an Superior habuerit juſtam cauſam illum cenſura ligandi.

R. Non nego quamplures velle, cum conſtet latam eſſe cenſuram, nec ſatis conſtet de ejus injuſtitia ſemper præſumendum eſſe in favorem Superioris, eique obediendum: ita pluribus relatis docet *Boſſ. Var. moral. p. 2. tit. 1. n. 1304.* Ego nihilominus in praxi non excluderem contrariam opinionem. Vel enim dubitetur de juſtitia Cenſuræ, quia non ſatis conſtet de authoritate illam ferentis; vel quia non ſatis appareat legem comprehendere illum caſum, ſemper habet locum dubitatio, an cenſura lata ſubſiſtat; & dum omnino conſtet pœnam habere locum, eſt excludenda ex juribus ſæpe citatis, quod benigniora amplectenda ſunt in favorem Rei, quod odia ſunt reſtringenda &c. Inſuper, dum certo quis poſſidet jus, exempli gratia percipiendi ſacramenta, communicandi cum aliis, non videtur eo expoliandus ſemper, cum non plene conſtet potuiſſe per cenſuram expoliari. Scio jura velle ad Reum pertinere probare injuſtitiam in ſententia lata, & donec probet ſubjiciendum eſſe ſententiæ *c. cum tu de teſt. & atteſt.* at hæc, bene dici poteſt, potius pro foro externo valere.

Ex præfata doctrina inferri poteſt cum pluribus, quos ſequitur *Antonius a Spir. S. de Cenſ. diſp. 1. n. 110.* quod ſi Judex aliquem excommunicavit ſequendo opinionem probabilem, & ex alia adſit etiam ſententia probabilis in favorem excommunicati, poteſt hic ſe gerere tanquam non ſit excommunicatus; cum etenim non ſatis conſtet de juſtitia legis, ſeu ſententiæ, non videtur aliquis privandus ſuo jure certo percipiendi Sacramenta cum aliis communicandi &c.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Optime ſe gerent Prælati, ſi non imponant cenſuras ob materias per ſe leves, dum non clare conſtet graves fieri ex Circumſtantiis, vel ex fine ab ipſis intento. Experientia conſtat, hujuſmodi leges, ſeu cenſuras, paſſim parvipendi cum duplici gravi præjudicio. Primum eſt, quia, quamvis multi ſibi perſuadeant eas non obligare, nihilominus ex earum tranſgreſſione conſcientiæ poſtea variis perplexitatibus, dubiiſque inquietantur; atque ita ſimiles leges potius ſolent eſſe in deſtructionem, quam in ædificationem. Secundum eſt, quia ita aſtueſcunt homines leges, & cenſuras tranſgredi, ſeu pro nihilo habere, & proinde valde laxatur Eccleſiaſtica diſciplina. Scio merito Theologos docere præſumendum eſſe rem præceptam valde conducere ad finem, finemque Legiſlatoris gravem reputandum, dum contrarium non conſtet: *Sanch. l. 1. in Decal. c. 4. n. 3. Caſtropal. t. 1. tr. 2. diſp. 2. p. 7. n. 4.* At hæc doctrina non ſatis impedit aſſignata inconvenientia; dum etenim talis gravitas ſatis non innoteſcat, facile ſibi perſuadent contrarium conſtare; & maxime ſi lex, ſeu cenſura ſit a Legiſlatore, qui vel indoctus, vel nimis rigidus reputetur. Præterea, cum conſulantur multi ſolum in vulgi opinione Theologi, hi, qui ſolent temeritate excellere, facile pronunciant tales leges, ſeu cenſuras nullam inducere obligationem.

II. Advertant Confeſſarii peccatum prohibitum ſub cenſura, non ſolum debere eſſe externum, ſed perfectum, & conſummatum in genere malitiæ, in quo prohibetur; & ex hoc capite multoties excuſari pœnitentes a cenſura.

Digitized by Google

Ita non incurrit cenſuram latam; ut dixi, contra percutientem Clericum, qui tali actione externa illum percutit, ut, omnibus penſatis, non appareat continere culpam gravem, quidquid ſit de pravo animo, quo facta eſt percuſſio. Excuſatur pariter ab excommunicatione, qui ita externe hæreſim proferret, ut apud circumſtantes appareat protuliſſe vel ex ignorantia, vel ex joco, quamvis ex animo hæreſi fauciato protuliſſet. Ex his exemplis, aliiſque ſupra relatis, poteſt facile Confeſſarius plurima in praxi reſolvere.

QUÆSTIO IV.

De His, qui ligari poſſunt Cenſuris: & de Cenſura lata contra Facientes, Mandantes, & Conſulentes.

Q.I. QUI, generaliter loquendo, capaces ſint ut in eos ferri poſſit cenſura.

R. Primo, ille in quem fertur cenſura, debet eſſe homo Viator, nam cenſuræ arma ſunt Eccleſiæ militantis; unde ſolum eis uti poteſt in homines viatores, qui intra illam ſunt. Hinc cenſura non ligat mortuum, cum Eccleſia habuerit a Chriſto poteſtatem ligandi ſolum ſuper terram, ut habetur *Matth.* 18. illis verbis: *quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo*. Dum igitur mortuus abſolvitur a cenſura in vita contracta, nil aliud ſignificatur, quam dari facultatem fidelibus, ut poſſit eum in loco ſacro ſepelire, non vero abſolvi a cenſura, qua adhuc legetur. Ad eum modum quo, dum Eccleſia prohibet publicum peccatorem in loco ſacro ſepeliri, non intendit exercere directam juriſdictionem in illum, qui non amplius eſt in Eccleſia militante, ſed ſolum prohibere vivis, ne pro illo orent, vel ſepeliant in loco ſacro. Ita cum communi Leand. *de Cenſ. diſp. 3. q. 4.*

Secundo, debet eſſe baptizatus; nam cum Baptiſmus ſit janua Eccleſiæ, ſequitur non baptizatum eſſe extra illam, & ita non poteſt in eum exercere juriſdictionem, juxta illud Apoſtoli ad *Cor. 5. Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* Non poſſunt proinde excommunicari Judæi, Infideles, vel etiam Cathecumeni, bene tamen Hæretici, & Schiſmatici, cum ſint baptizati: *arg. can. de Judæis 5. diſt. 45. cap. Majores. 3. de Baptiſmo.*

Tertio, debet eſſe doli capax, & contumax contra Eccleſiæ præcepta; nam cenſura fertur ab Eccleſia, ut delinquens emendetur, & recedat a ſua contumacia, ut dictum eſt *cap.* 1. Quamvis autem hac ratione pueri poſt uſum rationis poſſent ligari cenſuris latis *a* jure, & ab homine, quia ſunt capaces peccandi, de facto tamen communiter docent Theologi, ante pubertatem, quamvis peccent, cenſuris non ligari, nam ex *cap.* 1. & 2. de delictis puerorum, ex benignitate Eccleſiæ eximuntur a pœna debita peccato; quamvis ut alias dixi, non videantur exempti a Cenſura lata ob Clerici percuſſionem.

Quarto, cum excommunicatio feratur propter peccatum mortale, ac in Civitatibus, Collegiis, Univerſitatibus ſemper adſint plures innocentes, hinc eſt in totam Civitatem, Collegium &c. non poſſe ferri excommunicationem: *Cap. Romana de ſent. excom. in 6.* Bene tamen poteſt Civitas, Collegium &c. interdici, & ſuſpendi, hæ etenim cenſuræ, ut notat etiam *S. Th. in add. q.* 22. *a. 5. ad* 2., non ſunt tam graves, ſicut excommunicatio, quæ privat Eccleſiæ ſuffragiis; unde ſufficit contumacia in Capite, ut ferri poſſint: *cap. ſi ſententia. 5. In Univerſitatem, 16. Navar. in Man. cap. 27. n. 158. Candid. diſp. 22. a. 9. d. 7.* Et quamvis tunc etiam Innocentes illas pœnas patiantur, non tamen infligitur in eorum pœnam, ſed in pœnam illorum, qui cauſa fuerunt Suſpenſionis, ſeu Interdicti ut nempe videndo etiam innoxios illorum culpis affligi, facilius recedent a ſua contumacia: *Bonac. de Cenſ. diſp. 1. p. 3. n. 3.* aliique relati à Diana *p. 3. tract. 6. reſol. 41. & p. 5. tr. 4. reſol. 8.*

Sententia ergo excommunicationis pronunciari debet in perſonam determinatam, & ſi pronuncietur in perſonam indeterminatam alicujus Communitatis, v. g. in eum, qui tale fecit delictum, nulla eſt: *Candid. diſp. 22. a. 9. d. 2.* Si tamen excommunicatio feratur per modum ſtatuti, & præcepti contra eos de aliqua Communitate, qui aliquid facerent, tunc excommunicatio eſſet valida, & licita, quia non afficeret innocentes, ſed ſolum tranſgreſſores. Valida item eſſet, etiam ſi proferretur per modum ſententiæ contra totam Communitatem; poſtquam innotuiſſet omnes fuiſſe culpabiles quamvis eſſet illicita, quia id jure prohibetur: *cap. Romana cit.* Et ſolum valide, & licite ferri poſſet a Romano Pontifice, utpote qui eſt ſupra jus poſitivum: *Alter. de cenſ. l. 3. diſp. 10. c. 6.*

Denique ſolum ſubditus ligari poteſt cenſura, nam juriſdictio nonniſi in ſubditum poteſt exerceri. Hinc Papa nullum habens ſuperiorem, immo cum ſit Superior ipſo jure, quo inductæ ſunt cenſuræ, *can. cuncta per mundum 9. q. 1. cap. 1. de Conſtit. cap. propoſuit de conceſſ. præbendæ*, non poteſt cenſuris innodari. Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi &c. quamvis Papam habeant Superiorem, & juri communi ſint ſubjecti, non ligantur cenſuris, niſi ſpecialiter exprimantur. *Cap. quia periculoſum de ſentent. excom. in 6.* Imperatores, & Reges, quamvis ſubjecti ſint ſpirituali poteſtati Epiſcoporum, nihilominus ligari non poſſunt cenſuris ſine authoritate Papæ, ex privilegio, de quo non conſtat ex jure, ſed ex communi Authorum aſſertione: *Henriq. lib. 13. c. 25. n. 5. Pal. d. 2. p. 1. n. 3. Antonius a Spir. S. d. 1. n. 32.*

Q. II. An non ſubditus fiat ſubditus ratione delicti, ut poſſit cenſura puniri.

R. Ex jure, ratione delicti delinquens, ſortitur forum illius, in cujus territorio deliquit: *cap. fin. de for. compet.* & quodammodo fit ſubditus: *can. placuit 6. q. 6.* Verum tamen eſt quod ſi delinquens non ſit ſubditus ratione domicilii, & exeat extra territorium, ubi deliquit, antequam citatione præveniatur, non poteſt cenſura puniri: *Hurtad. de cenſ. in gener. diff. 9. n. 36.*

Q. III. An Cenſura obliget extra territorium Epiſcopi, qui eam tulit.

R. I. Sive Cenſura lata ſit per modum ſtatuti prohibentis aliquid facere, ſeu per præceptum, vel ſententiam generalem, aut ſpecialem pro futuris culpis vitandis, non afficit ſubditos exiſtentes extra territorium, ſeu Diœceſim Epiſcopi. Id colligitur ex *c. ult. de Conſtit. in 6.* ubi decernitur quod excommunicatio lata per ſtatutum ab Epiſcopo, non afficiat Delinquentem extra ſuam Diœceſim, addita hac ratione, quia ipſi non obediens, ſi exiſtat extra territorium, nullam patitur pœnam. Cum autem hæc ratio ſubſiſtat, etiamſi cenſura lata ſit per modum ſententiæ, vel præcepti hinc eſt, neque in hoc caſu afficere delinquentes extra territorium. Neque obſtat ſententiam & præceptum primo, & per ſe reſpicere perſonas ſubjectas ferenti cenſuras; nam cum Epiſcopus juriſdictionem exerceat in Perſonas ratione territorii, hinc eſt, quod ſi delinquant, ſeu eidem non obediant, dum ſunt extra territorium, non poſſint cenſuris puniri: *Conick. diſ. 13. c. 26. Hurtad. de cenſ. in com. diff. 8. n. 34. Anton. a Spir. S. d. 1. n. 126.*

Quæ dicta ſunt de ſubdito delinquente extra territorium, valent etiam de ſubdito delinquente intra Diœceſim, ſed in loco exempto; & ita ſe habent etiam Monaſteria Regularium ex dictis *tr. 3. q. 3. cap. 4. q. 4.* Ceterum hæc applicari non poſſunt Prælatis Regularibus, nam ratione voti obedientiæ immediate exercent juriſdictionem in perſonas & non ſunt ſicuti Epiſcopi exercentes juriſdictionem ratione territorii. Hinc Prælati regulares poſſunt ſubditos excommunicare ubicumque exiſtant: *Anton. a Spir. S. de cenſ. d. 1. n. 123.*

R. II. Si delictum conſummatum ſit a ſubdito in territoriu Epiſcopi, poterit cenſura ligari, etiamſi ſtatim poſt patratum delictum mutaverit domicilium; quia ex ſupradictis, ratione delicti remanet ſubditus, & ſortitur forum illius; unde ſi in ipſum feratur ſententia excommunicationis, ſi e. g. intra determinatum tempus non reſtituat ablatum, incurret excommunicationem. Ita cum aliis *Anton. a Spir. S. d. 1. n. 129.* Cum autem tunc non poſſit Epiſcopus illum citare in territorio, quo aufugit, quia actus requirens ſtrepitum judicialem, non poteſt exerceri extra proprium territorium, ſatis erit, ſi citetur in propria domo, aut alio loco publico intra territorium: *Diana p. 5. tr. 9. reſ. 44.*

Dixi, ſi delictum conſummatum ſit intra Diœceſim: nam cum cenſuris ſoleat puniri delictum perfectum, & conſummatum, ex dictis capite ſuperiori, conſequens eſt non habere eas locum, ſi delictum inchoaretur intra, ſed perficeretur extra Diœceſim. Ita non incurreret excommunicationem latam contra homicidas, qui aliquem intra Diœceſim non lethaliter vulneraret, ſed leviter, & extra diœceſim occideret: *Suar. diſp. 4. ſect. 4. n. 7. & ſect. 5. n. 9. Candid. a. 26. dub. 7.* Quod ſi Perſona Subdita ſit extra Diœceſim, & nihilominus delictum intra illam conſummet, bene poteſt cenſuris ligari, ex dictis *tr. 3. q. 3. cap. 1. quæſt. 4.*

Pariter nec ſubjecti erunt cenſuris locorum non habentes

tes ibi domicilium, vel quaſi domicilium, & id, ſive latæ ſint per modum ſtatuti primo & per ſe reſpicientis delictum, & territorium, ſive per modum ſententiæ, quæ primo, & per ſe feratur in Perſonas. Ratio eſt, quia non habentes alicubi domicilium, ſeu quaſi domicilium, non ſunt ibi incolæ, adeoque nec ſubditi, & proinde non ſunt ſubjecti juriſdictioni Epiſcopi ex dictis *loc. cit. quæſt.* 3.

Q. IV. Utrum poſſit quis pluribus cenſuris ligari, & quando id eveniat.

R. I. Non ſolum poteſt quis eodem tempore innodari pluribus cenſuris diverſæ ſpeciei, ut excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto, de quo non eſt dubium, ſemper cum aliquis committat delicta, quibus annexæ ſint tales cenſuræ, ſed etiam pluribus cenſuris ejuſdem ſpeciei, v. g. pluribus excommunicationibus. Annexa eſt e. g. excommunicatio hæreſi & percuſſioni Clerici; ſi proinde aliquis committat iſta duo crimina, utraque ligabitur excommunicatione. Quia tamen prima excommunicatione delinquens jam privatur communibus ſuffragiis Eccleſiæ, hinc eſt quod ſecunda excommunicatio nil aliud facit niſi afferre novum motivum, unde iiſdem privetur. Sicuti qui ſecundo peccat, per ſecundum peccatum non privatur gratia, qua jam caret, ſed ex novo titulo carere debet eadem gratia. Ex hoc ſequitur bene poſſe aliquem abſolvi ab una excommunicatione, & remanere ab altera ligatum; nam ablato uno impedimento, alterum poteſt remanere; *Clement. 2. de ſent. excom. cap. cum pro cauſa, cap. officium eod. tit. D. Th. in addit. q. 22. a. 5. ad. 2. & a. 6. Suar. de cenſ. d. 5. ſect. 2. n. 5. Bonac. q. 1. p. 5. n. 1.*

R. II. Primo, duplicem incurrit cenſuram ejuſdem rationis, qui violaret præcepta formaliter diverſa, prohibentia aliquid ſub eadem cenſura. Pro quo advertendum, quod dum Inferior fert eamdem cenſuram, quam tulit Superior, vel quæ lata ſit a jure, nil aliud, ordinarie loquendo, ſolet facere, quam innovare cenſuram jam latam, unde eſt una, & eadem cenſura; *Candid. diſq. 22. d. 2. Bonac. de cenſ. q. 1. p. 5. numer.* 11. idem dicendum, ſi ab eodem Superiore pluries eadem cenſura feratur, ſicuti quolibet anno reperiuntur excommunicationes in Bulla Cænæ. In his igitur caſibus, cum ſemper intelligatur eſſe eadem cenſura, & unum præceptum, qui ſæpe illud violat, unicam incurrit cenſuram. Si vero quod e. g. prohibet jus ſub cenſura, ſimul prohibeatur ab Epiſcopo, & intendat hoc facere per legem, ſeu præceptum ſibi peculiare, adeoque inducere novam obligationem; tunc tranſgreſſor innodatur duplici cenſura: ſicuti datur duplex innobedientia, una contra jus, altera contra Superiorem, qui ſua lege, vel præcepto, intellexit inducere novam obligationem. Idem dicatur, ſi quod prohibuit Papa ſub cenſura, ſub eadem cenſura prohibeatur ab Epiſcopo præcepto ſibi peculiari, & proprio: *Suar. diſp. 5. ſect. 2. n. 13. Alter. l. 3. diſp. 10. cap. 7.* & alii, quamvis non deſint, qui ſentiant in contrarium.

Secundo, ligatur pluribus cenſuris, qui facit plures actus moraliter diverſos cenſura prohibitos. Ita qui pluries percuteret Clericum, itaut una percuſſio ab alia eſſet moraliter diverſa, pluries innodaretur excommunicatione ſtabilita in Canone *ſi quis ſuadente &c.* Ratio eſt, quia, cenſura lata eſt contra tranſgreſſores talis præcepti, unde quoties tranſgreditur, toties incurritur cenſura: *Suar. de cenſ. d. 5. ſect. 3. n. 3.*

Tertio, ligatur pluribus cenſuris, qui committit unicum actum habentem duplicem malitiam ſpecie diverſam, ſi utraque malitia prohibita ſit ſub cenſura. Demus e. g. in aliqua Diæceſi prohibitum eſſe ſub excommunicatione homicidium, tunc qui Clericum occideret, duplicem incurreret excommunicationem, quia duplex violaret præceptum eodem actu, nempe de non percutiendo Clericum, & de non occidendo: *Suar. cit. n. 13. Bonac. q. 1. p. 5. n. 8.*

Hic autem præ oculis habenda ſunt, quæ diximus *tr. 2. q. 1. cap. 2.* de diſtinctione numerica, & ſpecifica peccatorum; dum etenim non ſunt diverſi moraliter actus vel in eodem actu diverſa ſpecie malitia, non habet locum multiplicitas Cenſurarum. Immo ſatis erit, ſi probabile ſit non dari præfatam diverſitatem; nam in dubio, pœnæ nec ſunt inducendæ, neque etiam multiplicandæ.

Q. V. An cenſura lata contra facientes aliquam actionem, comprehendat mandantes, & conſulentes.

R. Cum lex pœnalis debeat intelligi ſecundum ſenſum proprium, & rigoroſum, & non dicatur rigoroſe facere, qui tantum conſulit, aut mandat; hinc eſt cenſuram latam contra facientes, non extendi ad Mandantes, & Conſulentes. Immo, ut non comprehendantur ſub lege, ſat eſt, ſi de hoc dubium ſit; nam pœnæ ſemper ſunt reſtringendæ, & in dubio benignior pars eſt amplectenda: *Navar. in Man. c. 23. nu. 51. Palaus de cenſ. 1. p. 7. n. 12. Bonac. de cenſ. q. 1. p. 6. n. 1.* Secus dicendum, ſi excommunicetur quicumque fuerit cauſa talis delicti, ſive per ſe, ſive per alium; ſive mediate, ſive immediate, ſive directe, ſive indirecte: nam tunc ſatis conſtat legem voluiſſe comprehendere etiam conſulentes, & mandantes.

Q. VI. Quid requiratur, ut Mandantes, & Conſulentes innodentur cenſura lata etiam contra ipſos.

R. I. Primo, omnino neceſſarium eſt mandatum, ſeu conſilium influxiſſe in actum pravum; nam alias nullo pacto verificaretur feciſſe opus, ratione cujus lata eſt cenſura. Hinc, ſi quis fecit, certo, & determinate aſſerat, adhuc commiſſurum fuiſſe delictum, etſi nullus conſuluiſſet, vel mandaſſet, conſulens, & mandans non ligantur cenſura. Idem dicendum, ſi dubium ſit, an mandatum, & conſilium influxerint, cum pœnæ ſint reſtringendæ. *Navar. loc. cit.* Excuſarem pariter, ſi mandatum & conſilium influxerint ſolum ad citius faciendum delictum; nam cenſura fertur propter opus, non propter modum, quo fit. Addendum, quod cum lis ſit inter Authores, an tunc locum habeat cenſura, in tali dubio juris non eſt inducenda: *Anton. a Spir. S. de cenſ. diſp. 1. n. 52.*

Secundo, non ligantur Cenſura Mandans, & Conſulens quoties revocarunt mandatum, ſeu conſilium, & revocatio innotuit illi, qui fecit delictum. De eo, qui revocavit mandatum non eſt dubium; nam mandatum in tantum dicitur influere in delictum, in quantum Mandatarius operatur in gratiam mandantis, revocato autem mandato, non amplius dici poteſt operari in gratiam mandantis, ſed ex propria malitia. Idem, meo videri, dici poteſt, de eo qui revocavit conſilium; nam quamvis, qui deliquit non voluerit recedere a rationibus ſibi allatis a Conſulente, nihilominus quoties iſte demonſtravit eas non attendendas, dicendo e. g. nullatenus eſſe Deum offendendum, adeoque ſe peſſime conſuluiſſe, videtur delinquens moveri potius a ſua pravitate, quam a conſilio ſibi dato: *Suar. diſp. 44 ſect. 3. n. 11. & 13. Palaus d. 7. p. 7. n. 15. Laym. l. 1. tr. 5. c. 5. n. 7.* Addi poteſt, quod cum mandans, & conſulens, revocato mandato, & conſilio, non ſint amplius contumaces, Eccleſia non intendit eos cenſuris ligare. Oportet tamen quod conſulens, ſi poteſt, moneat percutiendum, quoties non poſſet avertere a malo illum, cui dedit pravum conſilium; quoties enim poſſet ſine gravi incommodo monere, & ommitteret, demonſtraret non curare, quin ſuum conſilium in opus pravum influeret.

R. II. Major eſt difficultas in determinando, an Conſulens, & Mandans incurrant cenſuram, quoties ante factum eos vere pœnituit conſilii, ſeu mandati, ſed non potuerunt revocare mandatum, aut conſilium. In Magno autem DD. conflictu, ego adhærerem ſententiæ negativæ; quamvis enim cenſuræ ferantur etiam ad abſterrendos fideles a tali pravo opere, vel etiam ne ipſe reus in futurum iterum delinquat, nihilominus, cum ſint pœnæ medicinales, primo, & per ſe ordinantur ad ſanandum peccatorem a peccato commiſſo, unde quoties per veram pœnitentiam rediit in gratiam ante ſcelus patratum, cum non amplius neceſſe ſit ut ſanetur, neque habebit locum cenſura.

Hinc obſervandum diſcrimen inter cenſuras in facto eſſe, & in fieri. Cenſuræ ergo in facto eſſe, bene poſſunt ſtare ſimul cum gratia; nam poteſt quis, poſtquam incurrit cenſuram, redire in gratiam per perfectam contritionem, & nihilominus adhuc remanet cenſura ligatus, quia cenſura, quam quis ſemel incurrit, ſolum per abſolutionem removetur. At dum quis ligandus eſt cenſura, ſi redit in gratiam, non eſt cur cenſura ſit innodandus, cum ſolum cenſura puniendus eſſet, ut emendaretur, & in gratiam rediret: *Palaus diſq. 1. p. 17. n. 15. Hurtad. de cenſ. diff. 15. n. 68. Gibal. diſq. 5. q. 3. n. 22. Anton. a Spir. S. diſp. 1. n. 54.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Advertat Confeſſarius non eſſe imitandam illorum ignorantiam, qui cenſuras, ſeu excommunicationem pronunciant in animalia irrationabilia, in bruchos e. g., locuſtas &c. Poſſunt nihilominus maledici, hoc eſt poſtulare a Deo, ut in nihilum redigat; ſicut & poſſunt be-

ne-

Digitized by Google

nedici, hoc eſt, poſtulati a Deo, ut nobis fructificent, incolumes ſervet &c.

II. Cum Impuberes bene dici poſſint immunes ab omni cenſura, neutiquam Confeſſarius cogere debet, ut quærant abſolutionem a Superiore, quamvis gravem culpam commiſerint. Item poſſunt impuberes ab eodem Confeſſario abſolvi, etſi incidiſſent in aliquem caſum ex reſervatis etiam in Bulla Cœnæ, e. g. in hæreſim. Cum etenim ipſi non ligentur cenſuris; & caſus Bullæ Cœnæ nonniſi ob cenſuram ſint reſervati, conſequens eſt poſſe a quocumque Confeſſario abſolvi.

III Advertat Confeſſarius non ſubditum nullum habentem domicilium, ſeu quaſi domicilium in aliqua Diœceſi, non affici legibus latis ſub cenſura pro eadem Diœceſi. Si proinde aliquis e. g. de Piſana Diœceſi contraxiſſet ſponſalia cum muliere Diœceſis Lucanæ, pernoctando cum eadem ſub eodem tecto, non incurreret quartam excommunicationem tabellæ. Si tamen ibi aliquod delictum committeret, poſſet propter illud ſub cenſura citari, & poſt citationem, niſi obediat, cenſura ligari, quia factus fuiſſet ſubditus ratione delicti, quamvis Piſas rediiſſet.

IV. Non ſolent animadvertere Confeſſarii, quod ſi quis actibus moraliter diverſis percuſſit Clericum, non ſatis eſt ſi petierit abſolutionem ab excommunicatione tamquam ſemel ea fuiſſet ligatus. Non debet igitur illi miniſtrare Sacramenta, niſi poſtquam admonitus pluries excommunicationem incurriſſe, ab omnibus abſolvatur, quoadusque enim aliqua excommunicatione ligatur, non eſt capax recipiendi Sacramenta.

V. Cum in praxi benigniora ſint ſequenda, dum agitur de pœnis, non debet Confeſſarius habere e. g. pro excommunicato illum, quem ſententia vere probabilis excuſat. Demus e. g. Confeſſarium ex ratione directa credere Mandantem, & Conſulentem cenſuris ligari, etiamſi ipſos vere pœniteat mandati, & conſilii, ſi revocatio non innotuit ei, qui commiſit ſcelus ſub cenſura prohibitum. Cum nihilominus contraria opinio ſit vere probabilis, & exinde conſurgat ratio reflexa, quod, dum non conſtat cenſuram locum habere, eſt excludenda, eo quod ſit pœna; inde eſt, non debere illos conſiderare ut excommunicatos. Hinc in præfatis circumſtantiis, mandans homicidium neque incideret in tertium caſum ex reſervatis noſtræ Diœceſis, quatenus enim reſervatio eſt pœna, cum cenſuris parificatur.

CAPUT V.

De cauſis excuſantibus ab incurrendis Cenſuris, & a denunciando aliquem in cenſuram incidiſſe.

Q. I. QUæ Ignorantia excuſet ab incurrendis cenſuris.

R. I. Suppoſitis hic iis, quæ de ignorantia dixi *tr. 1. q. 2. cap. 3.* dicendum eſt primo ignorantiam invincibilem juris, hoc eſt legis Eccleſiaſticæ aliquid prohibentis, excuſare a cenſura. Ratio eſt, quia, licet alias actio poſſit eſſe culpabilis contra jus divinum, & humanum, nihilominus ad inducendam cenſuram debet adeſſe inobedientia, & contumacia contra legem Eccleſiaſticam: ideo enim Eccleſia utitur cenſuris, ut contumaces contra ſuas leges reſipiſcant. Suppoſito igitur quod invincibiliter ignoretur lex Eccleſiaſtica, cum non detur adverſus eam inobedientia, & contumacia, neque poteſt habere locum cenſura. Accedit ex dictis ſupra, non dari cenſuram ſine monitione; quicumque autem ignorat legem ſibi aliquid prohibentem, haud dici poteſt monitus. Hinc *cap. ut Animarum de Conſtit. in 6.* dicuntur non ligari cenſuris, qui ignorant ſtatuta Ordinariorum, niſi ipſorum Ignorantia fuerit craſſa, vel ſupina. Si proinde adſit lex Eccleſiaſtica prohibens ſub excommunicatione homicidium, occidens cum ignorantia talis juris, peccaret quidem contra jus naturale, & divinum; at quia culpabilis non eſſet contra jus Eccleſiaſticum, non incurreret cenſuram: *Suar. d. 4. ſect. 8. num. 20. Sanch. l. 9. de matr. d. 32. num. 9. & 24. Candid. diſq. 22. a. 31. d. 68. & 69.*

Allata ratio demonſtrat ad incurrendam cenſuram non ſolum neceſſe eſſe habere notitiam juris, ſed etiam pœnæ, ſeu cenſuræ, ſub qua lex aliquid prohibet. Si igitur ignoretur cenſura, jam non eſt ſufficiens contumacia, & inobedientia adverſus legem Eccleſiæ; nam, ea non ignorata, facile quis obediret; ac proinde cum ex ignorantia pœnæ non intelligatur inducta ſufficiens contumacia, non habet locum cenſura. Præterea neque intelligitur ſufficienter admonitus, qui invincibiliter ignorat cenſuram, nam ad incurrendam cenſuram taliter admonendus videtur, ut, non obſtante admonitione, ipſam veluti parvipendat, quod certe non ſequitur, dum licet non ignoretur lex prohibens, attamen ignoratur cenſura, ſub qua prohibetur. Id e. g. eveniret, dum quis ingrederetur Monaſterium Monialium, ſciendo id eſſe prohibitum, ſed ignorando excommunicationem, ſub qua prohibetur.

Conſtat ex dictis diſcrimen inter cenſuras, & alias pęnas. Utique ut quis puniatur aliis pęnis ſufficit advertenter crimen commiſiſſe; nam ſuppoſita culpa, bene poteſt infligi, & ita commune bonum expoſcit. At cenſura talis pęna eſt, quæ ſupponit contumaciam contra poteſtatem Eccleſiaſticam coercitivam per cenſuras, ſicuti & quod quis de eadem cenſura aliquo pacto moneatur; cum ergo non intelligatur adeſſe talis contumacia, & monitio, quoties ipſa cenſura ignoretur, oportet dicere tunc cenſuram non incarri. *Sanch. l. 9. de mutrim. d. 32. num. 13. Coninch. diſp. 13. num. 91. Candid. diſq. 22. art. 31. dub. 6. & 32.*

R. II. Ignorantia invincibilis facti excuſat a cenſura. Ita evidenter infertur ex prædictis; qui etenim ignorat ſe perpetrare factum, alias prohibitum a lege Eccleſiaſtica; non poteſt dici contumax eſſe in ipſam legem, ſiquidem ignorat eam violare. Ita qui ignorat invincibiliter ſe occidere Clericum, neſcit ſe violare legem prohibentem ſub excommunicatione Clericos percutere. Favent S. Canones, excuſantes a cenſura ignorantem legem Eccleſiaſticam, vel peccet ex ignorantia juris, ſeu facti: *cap. ſi vero de ſent. excom. cap. Apoſtolicæ de Cleric. excom. miniſt.*

Quæ huc uſque dicta ſunt de ignorantia inculpabili juris, pęnæ, ſeu cenſuræ, & facti, aptantur naturali oblivioni, ſeu inadvertentiæ inculpabili, nam æquiparantur ignorantiæ invincibili, cum pro omnibus eadem militet ratio; ut conſideranti conſtabit.

R. II. Ignorantia concomitans excuſat a cenſura. Ratio eſt. quia ille dicitur operari ex ignorantia concomitante, qui ita eſt affectus, ut adhuc opus faceret, etſi non ignoraret; quamvis revera hic, & nunc ignoret, quid faciat. Ille igitur e. g. occideret Clericum ex ignorantia concomitante, qui hic & nunc re vera putaret laicum occidere, quamvis ita eſſet affectus, ut Clericum occideret, ſi cognoviſſet. Quod autem iſte non incurrat cenſuram probatur, quia licet in corde ſuo peccet etiam peccato ſacrilegii ex pravo animo Clericum occidendi, nihilominus actio externa non eſt ſacrilega, quia revera ignorat ſe occidere Clericum; ad incurrendam autem cenſuram neceſſe eſt ipſam actionem externam eſſe contra legem Eccleſiaſticam ex dictis ſupra: *Hurtad. de cenſ. in com. diff. 21. Candid. diſq. 22. art. 33. dub. 2.* & communiter.

R. IV. Ignorantia conſequens craſſa, & ſupina, generaliter loquendo, non excuſat a cenſuris. Ita habetur ex *cap. ut Animarum de Conſtit. in 6.* in quo dicitur ignorantiam excuſare a cenſuris; dummodo *non ſit craſſa, vel ſupina*. Ulterius quando omittitur diligentia, quam quis adhibere debet ad inveſtigandum an adſit cenſura, vel id faciat ex tædio laboris, unde conſurgit ignorantia ſupina, vel ex negligentia, & ſocordia, unde conſurgit ignorantia craſſa, certum eſt hunc peccare etiam adverſus legem, quam poteſt non ignorare: eo ipſo autem quod ita peccat, bene poteſt ſubjacere pęnæ inflictæ contra violantes legem, nempe cenſuræ.

Dixi ignorantiam craſſam, & ſupinam, generaliter loquendo, non excuſare a cenſuris. Ceterum ſi cenſuræ latæ ſint contra eos, qui *ſcienter, auſu temerario præſumpſerint* aliquid facere, ab his excuſatur, qui peccat ex ignorantia craſſa, vel ſupina. Ratio eſt, quia prædictæ particulæ ſignificant cenſuris puniri delictum formaliter, & directe volitum: qui autem peccat ex ignorantia craſſa, vel ſupina, non amat ipſum delictum, ſed ſolum delinquit, quia ex pigritia omittit inquirere, an adſit lex illud prohibens ſub cenſura: *Suar. diſp. 4. ſect. 10. n. 2. Pulaus tom. 1. tr. 2. diſp. 1. p. 13. nu. 1.* & communiter.

Putant aliqui non habere locum cenſuras latas formulis præfatis, maxime ſi latæ ſint in facientes aliquid *ſcienter*, etiamſi quis peccet ignorantia affectata, quia non verificatur *ſcienter* peccare. Hæc opinio a multis rejicitur; qui enim laborat ignorantia affectata, ideo vult ignorare, ut liberius peccet, & a peccato non retrahatur; ac proinde vult ipſum delictum directe, & per ſe: *D. Th. 1. 2. q. 76. a. 4.* Hinc bene ſubjacere poteſt cenſuris

pu-

rantentibus delictum directe volitum , quales ſunt illæ , quæ puniunt præſumentes, auſu temerario facientes &c. Præterea ignorantia affectata æquiparatur ſcientiæ : *cap. eos qui de temp. ordin.* ac proinde qui ex tali ignorantia peccat, videtur dici poſſe *ſcienter* peccare. Ita *Gloſſ. in Clemen. 1. v. ſcienter de conſang. Farinac. c. 2. n. 4. de Conſt. in 6.* & multi alii apud *Leandr. diſp. 9. q. 21.* Verum præſatæ rationes apud me non ſatis habent roboris ad excludendam contrariam opinionem . Primo ergo puto ignorantiam affectatam excuſare a cenſuris latis contra operantes *ſcienter*; nam pœnæ ex utroque jure ſemper ſunt reſtringendæ, ſalva proprietate verborum legis, bene autem dici poteſt in toto rigore non operari *ſcienter* , qui operatur ex ignorantia affectata. Aliunde autem non ſatis conſtat in jure ignorantiam affectatam ſcientiæ æquiparari quoad effectum pœnæ inducendæ. Secundo illæ formulæ, quibus dicuntur ſubjacere cenſuris præſumentes, auſu temerario facientes, videntur ſignificare ligari cenſuris , qui talem habent audaciam , & temeritatem , ut peccent veluti ex contemptu legis, taliter autem non ſe habet qui peccat ex ignorantia affectata; nam quamvis velit ignorare, ut ſibi omnino indulgeat ſeu liberius peccet , demonſtrat nihilominus aliquam reverentiam erga legem , dum curat ipſam ignorare cu timore, quod retraheretur a peccando, ſi ipſam ſciret: *Hurtad. de cenſ. in com. diff. 11. n. 92. Sanc. l. 2. Decal. cap. 10 n. 58. Bonac. d. 2. q. 5. p. 4. n. 8.* Videnda etiam quæ dixi *tr. 1. q. 2. c. 3.*

Q. II. Quando metus excuſet a cenſura.

R. Metus gravis cadens in virum conſtantem excuſat a cenſuris. Non inquiro de metu levi ; nam Eccleſia numquam voluit ex tali metu tranſgredi poſſe ſuas leges. Loquendo igitur de metu gravi probatur, quia Eccleſia non intendit ſuas leges obligare cum gravi incommodo , ac proinde quamvis quis operans cu gravi metu peccare poſſe contra jus naturale , & divinum , occidendo e. g. gravi metu Clericum , non peccaret tamen contra jus Eccleſiaſticum , & ita non incurreret cenſuras: *Navar. in Man. c. 27. n. 63. & 130. Suar. diſ. 4. ſect. 3. n. 11. Coninck. diſp. 13. dub. 12. n. 27. &c.* Limita præfatam doctrinam in caſu , quo incuteretur metus gravis, puta mortis, mutilationis, infamiæ , gravis jacturæ bonorum &c. ut quis tranſgrederetur legem Eccleſiæ in ipſius contemptum , ſeu Fidei : ut ſi herus metu gravi compelleret famulum ad legendum librum continentem hæreſes in contemptum Fidei, ſeu authoritatis Eccleſiæ. In tali caſu non excuſari tranſgreſſorem ab incurrenda cenſura patet ex *cap. ſacris de his, quæ vi, & met.* nam ibi dicitur communicantem cu metu cum excommunicato , excommunicationem incurrere, & hæc adducitur ratio, quia ſcilicet cu nullo metu debet graviter peccare. Cum autem conſtet communicantem cum excommunicato cu gravi metu nullatenus peccare, & ſine metu ſolummodo leviter, conſequens eſt, Canonem loqui de eo, qui ex metu gravi communicaret cum excommunicato in contemptum; nam tunc adeſt culpa gravis, atque hunc vult ſubjacere excommunicationi. Ratio etiam ſuffragatur, quia bene poteſt Eccleſia velle, ut etiam cum periculo vitæ obſerventur ſuæ leges, quoties tranſgreſſio debeat in ipſius contemptu reſultare; ac proinde , cum tunc tranſgreſſor violet etiam legem Eccleſiæ , ipſius cenſuris ſubjacebit. Ita contra paucos *Coninck. ſupra cit. n. 102. Palaus de cenſ. d. 1. p. 8. n. 9 Bonac. diſp. 1. q 2. p. 3. n. 2.*

Q. III. An Reus citatus a Judice ad videndum fieri denunciationem cenſuræ, quam incurrit, ſi interponat appellationem, ſuſpendat talem denunciationem.

R. Ante reſponſionem ſupponendum eſt, quod qui cenſuram contraxit, debet denunciari, ut ita citius reſipiſcat: *cap. pervenit 1. cap. Paſtoralis §. De appell. cap. Parochianos, & cap. conqueſti de ſent. excom.* Quod ſi cenſura lata ſit *a jure* , denunciatio facienda eſt vel a proprio Ordinario, vel ab Ordinario loci , in quo aliquis delictum commiſit cum ratione delicti fiat ipſius ſubditus. Si vero lata ſit ab homine, ſive ſtatuto, & jure ſpeciali ipſius Epiſcopi, ab eodem facienda eſt denunciatio , ſive ab ipſius Delegatis. *cap. paſtoralis cit. Suar. diſp. 3. ſect. 13. n. 7. Candid. diſp. 22. a. 3. dub. 3.*

Quia tamen , etiamſi crimen ſit notorium , poteſt Reus in ſui defenſionem adducere cauſam excuſantem a cenſura, ideo antequam denuncietur cenſura ligatus, citari debet, ut ſe poſſit defendere; nemo etenim inauditus eſt condemnandus: *cap. 1. de cauſ. poſſeſſ. & propriet. can. nos in quemquam 2. qu. 3.* Hac citatione non præmiſſa, ſicuti Judex non poteſt prius devenire, nec debet ad ſententiam declaratoriam criminis, ita illicite & invalide aliquem declarare cenſura ligatum per textum & *Gloſſ. Clement. 3. de cenſ. & Clem. 2. de pœn.* Suppoſito autem quod Reus citatus ſtatim compareat, fateatur crimen, & offerat condignam ſatisfactionem , jam utpote emendatus, & non amplius contumax , non eſt denunciandus, ſed abſolvendus: *Suar. d. 3. ſect.* 10 *num.* 17. Sed quid, ut in præſenti inquiritur, ſi interponat appellationem ?

Si Judex ſit delegatus , & acceptet appellationem ; cum non amplius ſit Judex in illa cauſa, jam non poteſt ad denunciationem devenire, ſecus ſi appellationem non acceptet. Judex vero Ordinarius , etiam poſt acceptatam appellationem , devenire poteſt ad denunciandum aliquem incidiſſe in cenſuram ab homine latam ; cum appellatio interpoſita poſt latam ſententiam, & contractam cenſuram, non impediat illius effectum , & denunciationem : *cap. paſtoralis §. verum de appell. cap. cum contingat de offic. Deleg. cap. is qui de ſent. excom. in 6. Leander. d. 7. qu. 12. pluribus citatis.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Confeſſarius , dum audit pœnitentem ſe accuſare de aliquo crimine, cui annexa eſt cenſura, ſtatim interroget ; an ſciverit illud crimen prohibitum fuiſſe ſub cenſura ; ſi etenim reſpondeat ſe ignoraſſe cenſuram , quamvis non ignoraverit malum fuiſſe id , quod patravit, debet ſtatim illum pronunciare immunem cenſura. Ex hoc capite poterit quam frequenter abſolvere , qui inciderunt in Caſus in Bulla Cœnæ prohibitos; nam rari ſunt qui ſciant pluribus ex caſibus in ea contentis annexam eſſe cenſuram; & cum aliunde ſolum ratione cenſuræ reſerventur, conſequens eſt, poſſe abſolvi eos, qui ignorabant talem cenſuram , utpote quia ratione ignorantiæ cenſura non ligantur .

II. Si Pœnitens reſpondeat non ignoraſſe cenſuram , qua prohibitum erat ſuum crimen, iterum interrogetur an hujus cenſuræ recordatus fuerit , dum delictum perpetravit, vel potius ſuerit oblitus ſeu non animadverterit. Difficile e. g. erit adinvenire aliquem , qui ignoret , percutientem Clericum eſſe excommunicatum ; at in actu percuſſionis bene poteſt quis ita paſſione perturbari, ut non advertat cenſuram latam contra percutientes Clericum . Cum autem ſemper ejuſdem non recordetur in actum , quo committit delictum, eam non incurrit.

III. Advertant hic etiam Confeſſarii noſtræ Diœceſis primam Tabellæ excommunicationem afficere eos , qui intra annum a *die ſcientiæ &c.* non ſolvit legata pia. Quamvis ergo quis ex ignorantia culpabili neſciverit obligationem ſolvendi pium legatum , & ob id intra annum non ſolverit , licet graviter peccaverit , non tamen incidit in excommunicationem ex dictis ſupra; qui etenim ignorat ignorantia craſſa, & ſupina , & ex pluribus, ſaltem in materia odioſa, etiam affectata, non dicitur ſcire . Incurrit ergo excommunicationem , ſi non ſolvit intra annum a die quo ſcivit , vel a tempore , quo jus , vel Teſtator præſcripſerit , ut magis explicabo agendo de Legatis.

Eadem doctrina applicanda Notariis , vel aliis ſcribentibus teſtamenta , qui, ut conſtat ex eadem tabella, tenentur tranſmittere ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ad Cancellariam Epiſcopalem &c. notulam Legatorum piorum, aut alterius piæ diſpoſitionis intra duos menſes a die *ſcientiæ obitus Teſtatoris* . Sed iterum de hoc, ubi agam de Notariis.

QUÆSTIO VI.

De Cenſurarum Abſolutione.

Q. I. AN Cenſuræ alio modo tollantur, ac per abſolutionem .

R. Cenſuræ nonniſi per abſolutionem poſſunt ceſſare. Ratio eſt, quia poteſtas ferendi & removendi cenſuras, data eſt Petro per poteſtatem ligandi , atque ſolvendi ipſi conceſſam *Matth. 16.*: poteſtas autem ſolvendi non exercetur niſi per abſolutionem . Hinc habetur excommunicatum non debere reſtitui aliorum communioni , niſi poſt abſolutionem : *cap. cum deſideres de ſent. excom.* Id etiam ulterius conſtat, quia cenſuræ , quas jam quis incurrit , non ceſſant per mortem ferentis, vel per illius remotionem ab officio ; cum etenim ſint pœnæ , conveniens eſt durare quouſque legitime tollantur : *cap. paſtoralis §.*

Præ-

Præterea de Offic. Judic. Ordin. can. ſi Epiſcopus 11. q. 3. Item non ceſſant per mortem illius, qui incurrit cenſuram, nam quamvis deceſſerit contritus, adhuc abſolvendus eſt ad effectum gaudendi Eccleſiaſtica ſepultura, & communibus Eccleſiæ ſuffragiis: *c. a nobis 2. c. ſacris de ſent. excomm. c. is cui eod. tit. in 6.* Denique non ceſſant cenſuræ, ceſſante contumacia excommunicati, nam quamvis cenſura imponatur, ut delinquens emendetur, & parti ſatisfaciat, id non ſignificat cenſuram ceſſare, ſtante illius emendatione, ſed a Judice tunc eſſe removendam per abſolutionem: *cap. cum deſideres de ſent. excomm., cap. qua fronte de appellat. cap. ex literis de excom.* Et revera, cum nemo a cenſuris abſolvatur, niſi ſit emendatus, ſequitur quod ſi ceſſaret cenſura, ſtatim ac ceſſat contumacia, abſolutio data ab Eccleſia ſemper eſſet otioſa, & inutilis. Contrariam opinionem damnavit Alexander VII. dum ſub *n. 44.* ſequentem proſcripſit propoſitionem: *Quoad forum conſcientiæ, Reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.*

Scio plures affirmare, dum quis excommunicatur, *donec reſtituat, vel ſatisfaciat*, ceſſare cenſuram abſque alia abſolutione, poſita ſatisfactione, videtur enim ipſis quod eodem tempore ac Judex tulit cenſuram, abſolvere ſimul intellexerit, adimpleta conditione ſatisfactionis, ſeu reſtitutionis: *Coninc. d. 14. d. 17. n. 219. Palaus diſp. 1. p. 11. §. 1. n. 4.* & alii. Verum conformius eſt Sacris Canonibus, ſi dicatur illas formulas ſignificare, Reum non eſſe abſolvendum, niſi poſtquam reſtituerit. Et quidem *Cap. a nobis 2. de ſent. excomm.* definitur mortuum in excommunicatione, non cenſendum eſſe ante abſolutionem liberum a vinculo cenſuræ, etiamſi in vita ſufficienter ſatisfeceris; *Alterius l. 4. d. 1. c. 1.* & alii apud Leandrum *diſp. 11. q. 5.* Bene tamen Suſpenſio, & Interdictum ad tempus pro peccato præterito, ceſſant, tranſacto tempore, abſqua alia abſolutione, quia tunc non habent rationem cenſuræ, ſed pœnæ vindicativæ.

Q. II. Quotuplex ſit abſolutio a Cenſuris.

R. Multiplex eſt abſolutio Cenſurarum. Alia igitur eſt abſoluta, & eſt illa, quæ impertitur Reo abſque ulla conditione. Alia eſt ſub conditione, & ſi conditio ſit de præterito, vel de præſenti, non ſuſpendit abſolutionem, ſed ſtatim nulla eſt, ſi non exiſtit conditio, vel ſtatim tranſit in abſolutam, ſi exiſtit. Si vero datur abſolutio ſub conditione de futuro, ut ſi dicatur: *abſolvo te, ſi intra octo dies ſatisfeceris*, tunc abſolutio ſuſpenditur uſque ad adventum conditionis. Unde hic notandum, quod licet manere non poſſit ſuſpenſa abſolutio Sacramentalis, quia, ſuppoſita diſpoſitione Pœnitentis, recipit ſtatim ex inſtitutione, & intentione Chriſti ſuum effectum, non repugnat ſuſpenſam remanere abſolutionem a cenſura, cum etenim inducta ſit jure humano, poteſt voluntas abſolventis ſuſpendere ſuum effectum uſque ad adventum conditionis. Verum tamen eſt, quod ſi non detur aliquis caſus particularis, in quo prudentia dictet utilem futurum talem modum abſolvendi, illicite ita daretur abſolutio. Tum quia non eſt conveniens, quod Reus, poſita conditione, ex ſemetipſo judicet de ſua abſolutione, tum quia non videtur abſolutio debere manere in ſuſpenſo: *arg. cap. ad hæc de appellat. Suar. d. 7. ſect. 8. n. 8. &c. Gibalin. diſp. 9. q. 2. a. n. 3. Coninchius diſp. 4. dub. 5. a n. 213.*

Alia eſt abſolutio ad cautelam, quæ tunc datur, dum quis eam vult ad majorem quietem, & ſecuritatem conſcientiæ, ſi cenſuram incurriſſe dubitet; & danda eſt ſub conditione, ſi quis ea abſolutione indigeat, & cum obligatione ſatisfaciendi, caſu, quo quis poſtea certioretur de cenſura, vel de obligatione ſatisfaciendi. Item danda eſt ſub conditione de comparendo coram Superiore, ſi cenſura fuerit ex reſervatis: Dari etiam ſolet ante collationem Ordinum, vel Beneficii, ad removendum impedimentum, ſi quod forte ſubeſſet; *Bonac. de cenſ. q. 3 p. 7. n. 2.*

Alia eſt abſolutio ad reincidentiam, qua tollitur cenſura uſque ad certum tempus. Hæc autem duplex eſt. Alia impropria, qua tollitur cenſura ad tempus limitatum v. g. uſque dum quis obtinuerit tale Beneficium, vel ad effectum limitatum, uſque dum e. g. Cenſuratus teſtificetur de aliqua re, quod alias facere non poſſet. Alia propria, qua cenſura tollitur in perpetuum ſub conditione tamen aliquid faciendi intra certum tempus, alias reincidendi in cenſuram. Verum tamen eſt, quod ſi intra tempus præſcriptum ſine culpa non adimpleatur conditio, abſolutus non reincidit in cenſuram. Ratio eſt, quia, cum per abſolutionem ablata omnino fuerit cenſura, renaſci non poteſt ſine nova culpa, & contumacia. Unde non valet hic paritas de eo, qui ad tempus abſolveretur e. g. ab exilio, quo tempore tranſacto, abſque nova culpa eadem redit pœna. Nam quod iterum redeat talis pœna temporalis per aliquod tempus ſuſpenſa, ſeu ex parte ablata, bene correſpondere poteſt præcedenti culpæ: at cenſura per abſolutionem penitus ablata, redire non poteſt ſine nova culpa; neque enim nova pœna ſine nova culpa eſt inducenda. Ita contra plures alios *Coninc. diſp. 14. dub. 16. n. 216. Palaus diſp. 3. p. 11. §. 2. n. 8.* & alii apud *Leandrum diſp. 2. q. 17.*

Q. III. Qui poſſit abſolvere a cenſuris.

R. I. Si cenſuræ latæ ſint medio aliquo præcepto tranſitorio per ſententiam ſpecialem contra Perſonam determinatam, illas abſolvere poteſt ſolum, qui eas tulit, vel ipſius Delegatus, ſeu ipſius Superior, vel Succeſſor in juriſdictione. Hæc reſponſio eſt communis; nam illius eſt ſolvere, cujus eſt ligare, adeoque Judex, qui per ſententiam particularem perſonam determinatam excommunicavit, poterit etiam abſolvere: *cap. Paſtorali §. Præterea de Offic. Ordin.* Idem dicendum de ejus Dalegato, ſeu Succeſſore in juriſdictione, cum eamdem juriſdictionem obtineant, & multo magis de ipſius Superiore in juriſdictione, nam juriſdictio, quam habet Prælatus inferior, eſt cumulative, & ampliative in ipſius Superiore in juriſdictione: *Hurtado diſ. 13. diff. 6. n. 19.* & alii apud Leandrum *diſp. 17. qu. 18.* Aliis vero non competit hujuſmodi cenſuras abſolvere, ne turbetur juriſdictio ferentis cenſuram, & illius authoritas comminuatur: *cap. nuper de ſent. excomm.* Quod ſi Judex, ſeu Notarius in ſcriptis teſtetur Cenſuratum eſſe emendatum, vel finitam eſſe litem, ſeu parti ſatisfeciſſe, per hoc vel cenſetur abſolutus, vel conceſſa cuilibet Confeſſario facultas illum abſolvendi: *Salmant. de cenſ. c. 2. p. 4. n. 50.*

Aliqui caſus recenſentur in jure, a quibus non poteſt abſolvere, qui tulit cenſuram. Primo, ſi Delegatus Papæ excommunicavit inobedientem ſuæ definitivæ ſententiæ, non poteſt illum abſolvere poſt annum a ſententia definitiva; vel ſi aliquos excommunicavit anta ſententiam definitivam, non poteſt illos abſolvere poſt ſententiam definitivam: *cap. querenti de Offic. Deleg.* Secundo, poteſt Epiſcopus excommunicare Incendiarios, ſed non abſolvere poſt denunciationem: *cap. tua nos de ſent. excomm.* Tertio, ſi qui tulit cenſuram, evadat excommunicatus non toleratus, non poteſt ab ea abſolvere, quia amiſit juriſdictionem. Quarto, ſolus Papa poteſt abſolvere, ſi ex certa ſcientia confirmavit ſententiam latam ab Inferiore. Quinto, ſi Papa committat alicui aliquem axcommunicare abſque cognitione, tunc, cum ſit merus executor, non poteſt abſolvere: *Palaus diſp. 2. p. 1. §. 4. n. 2.* & communiter.

R. II. A Cenſura lata ab homine per ſententiam generalem, ſeu per ſtatutum generale contra eos, qui hoc vel illud fecerint, poteſt quilibet Confeſſarius abſolvere, dummodo non ſit reſervata. Ratio eſt, quia hujuſmodi cenſuræ in omnibus æquiparantur cenſuris a jura latis, quæ ſi non ſint reſervatæ, ſubſunt juriſdictioni cujuslibet Confeſſarii. Hinc, cum æquiparentur cenſuris latis a jure, non videtur huic opinioni oppoſitum caput *nuper de ſent. excomm.* quo conceditur abſolvere ſolum a cenſuris a jure latis, & non reſervatis. Præterea, cum verſemur in materia favorabili, amplianda eſt quantum res ipſa patitur. Ita, pluribus refragantibus *Navar. in Man. c. 27. n. 44. Tolet. l. 1. cap. 16. num. 20. Gibal. diſp. 9. q. 3. num. 8. Palaus d. 2. p. 1. §. 4. num. 10. Bonac. q. 3. p. 1. num. 5.*

R. III. Quilibet Confeſſarius poteſt abſolvere a cenſuris a jure latis, dummodo non ſint reſervatæ. Id convincitur ex ratione allata *cap. nuper*, citato, ubi aſſeritur quemlibet poſſe ab excommunicatione minori abſolvere, hac adducta ratione, quæ militat etiam pro cenſuris majoribus, ſi non ſint reſervatæ, quia ſcilicet *cum Conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuerit; eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi*. Ita communiter ſentiunt DD. Immo advertendum ex Gibalino *diſp. 9. p. 3. num. 7.* & aliis, quod cum privilegia Principis ſint amplianda, poterit quilibet Confeſſarius abſolvere a cenſuris a jure latis, ſed non reſervatis, tam pro foro interno, quam externo, ſicut tam intra, quam extra Confeſſionem, ut intra alios notat Coninchius *diſp. 14. num. 230.*

Q. IV. Quando poſſit Inferior abſolvere a Cenſuris Superiori reſervatis.

R. Quamvis a Cenſuris a jure reſervatis nemo poſſit ab-

abſolvere niſi qui eas tulit, vel ipſius Delegatus, Succeſſori, ſeu in juriſdictione Superior, dantur nihilominus plures caſus, in quibus poſſunt Epiſcopi abſolvere a caſibus, & cenſuris Papæ reſervatis.

Poſſunt igitur Epiſcopi ex vi facultatis ſibi conceſſæ a Tridentino *ſeſſ. 24. c. 6.* abſolvere *in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ &c.* Ubi etiam obſervandum, quod etiam delictum deductum fuerit ad forum contentioſum, adhuc occultum reputatur, ſi non fuerit ſufficienter probatum.

Hinc tamen graviſſima conſurgit difficultas, an per Bullam Cœnæ intelligatur derogatum præfatæ facultati conceſſæ Epiſcopis a Tridentino, & maxime abſolvendi ab hæreſi occulta; nam, in eadem Bulla adimitur poteſtas abſolvendi a caſibus in ea reſervatis, etiam conceſſa *per cujuſvis Concilii decreta*. Quamplures ſuſtinebant per eadem verba non intelligi derogatum Decretis Tridentini, quia neceſſe erat, ut de eo fieret ſpecialis mentio, ut cum pluribus ſuſtinet *Sanchez l. 3. de matr. diſp. 26. n. 27.* Sed hanc opinionem rejeci *tr. 3. de leg. q. 4. cap. 1. quæſit. 4.* Præterea ea verba æquipollent clauſulæ ſpeciali derogatæ decretis Tridentini; nam cum non poſſint aliude iiſdem verificari, remanet, ut derogatio, quæ generalis apparet, re vera ſit ſpecifica, & individua *ex leg. 2. ff. de liber. & poſthum.*

Majus robur apud me haberet illa ratio, quod correctio jurium eſt vitanda quoad fieri poteſt *arg. cap. cum expedi de elect. in 6.* & dixi in tractatu de Legibus. Hic autem videretur talis correctio poſſe vitari, dicendo per Tridentinum concedi Epiſcopis facultatem abſolvendi ab hæreſi occulta, & in Bulla Cœnæ prohiberi abſolutionem ab hæreſi manifeſta; Ulterius lex generalis poſterior diſtinguitur, & limitatur per ſpecialem priorem; unde in regulis juris dicitur generi per ſpeciem derogari. Videretur igitur dici poſſe Bullam Cœnæ generaliter prohibentem abſolutionem ab hæreſi diſtingui, & limitari per legem Tridentini; ac proinde intelligendum de abſolutione ab hæreſi manifeſta, non vero occulta, de qua loquitur Tridentinum.

Nihilominus modo recedendum non eſt a contraria opinione, quia plures afferuntur declarationes S. Congregationis, quibus aſſeritur per Bullam Cœnæ, quoad caſus in ea comprehenſos, ſublatam fuiſſe Epiſcopis facultatem ipſis tributam a Tridentino. *Ita Pignatell. t. 2. conſult. 291. Sper. ll. deciſ. 212. n. 61. Fagnan. in cap. Quoniam de Conſtit. n. 29. & in cap. dilecti de temp. ordin. n. 31.* atque ita declaraſſe etiam plures Summos Pontifices, videre eſt apud Barboſam *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg. 40. n. 25.* Denique Alexander VII. non ſolum damnat ſub *n. 4.* poſſe Prælatos Regulares abſolvere in foro conſcientiæ ſuos ſubditos ab hæreſi occulta, & excommunicatione propter ipſam incurſa, ſed antea ſub *n. 3.* ſequentem damnaverat propoſitionem: *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, an. 1619. 18. Julii in Conſiſtorio S. Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.* Quamvis autem, attendendo ſolam literam, videatur duntaxat damnata opinio aſſerens toleratum fuiſſe poſſe Epiſcopos abſolvere ab hæreſi occulta, nihilominus per hoc quod dicatur id non fuiſſe toleratum, videtur valde derogatum opinioni affirmanti, ut obſervat P. Viva in eadem propoſitione.

Poterit ergo ſolummodo Epiſcopus tanquam Delegatus Apoſtolicus hæreticum notorium poſt hæreſis abjurationem pro foro externo abſolvere: *arg. cap. ut officium §. Si vero de hæret. in 6. Farin. de hæreſ. q. 192. a num. 57. Palaus de Fid. tr. 4. d. 4. p. 3. §. 2. n. 23.* Sublata autem ab Epiſcopo excommunicatione, quivis Confeſſarius abſolvere poterit a peccato hæreſis.

R. II. Epiſcopus, ſtante impedimento adeundi Pontificem, poteſt ab omnibus caſibus etiam Bullæ Cœnæ abſolvere, id enim ipſi conceditur a jure: *cap. mulieres, cap. de cætero, cap. ea noſcitur de ſent. excom.* Nec obſtat ibi ſolum ſermonem eſſe de excommunicatione contracta ob Clerici percuſſionem: nam ratio, quæ adducitur, ne ſcilicet periculum incurratur ſalutis æternæ, communis eſt omnibus impeditis accedere ad ſummum Pontificem; & ita de facto extenditur ea poteſtas abſolvendi ad omnes caſus. *cap. ebi, qui de ſent. excom. in 6. juncta Gloſſa v. Canonis,* Et ita eſt communis ſententia Theologorum, & Canoniſtarum, paucis exceptis: *Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 5. Palaus de Fid. tr. 4. diſp. 4. p. 3. §. 5. n. 4. Navar. in Man. cap. 27.* Quod ſi impedimentum ſit perpetuum, impeditus abſolvendus eſt abſque onere comparendi; ſi vero ſit temporale, præſtito juramento, injungendum illi eſt, ut, ceſſante impedimento, adeat Romanum Pontificem, vel ipſius Legatum, accepturus Mandatum Apoſtolicum, ſicut dicitur in ſupra allegatis Canonibus; & ſi non compareat, reincidit in cenſuram: *cap. eos qui de ſent. excom.* Eadem obligatio imponi debet impedimento, ſi abſolvatur ab Epiſcopi Delegato; cum etenim in caſu impedimenti Epiſcopo competat facultas abſolvendi ratione Officii, & Dignitatis Epiſcopalis, ſequitur ei competere jure ordinario, adeoque eſt delegabilis: *cap. ultim. de Offic. Jud. Ordinar. juncta Gloſſa V. caſibus, Bonac. diſp. 1. de Bul. Cœn. q. 22. p. 2. n. 24.*

Cæterum obſervare hic eſt cum P. Manſi in ſuo Tractatu *de Caſib. reſerv. p. 2. q. 1. n. 47.* triplex diſtingui poſſe impedimentum. Primum eſt, ſi duret ad breve tempus, & tunc, qui eſt innodatus cenſura reſervata, a nemine poteſt abſolvi. Quod ſi ad vitandam infamiam debeat celebrare, vel Euchariſtiam accipere; tunc in caſu, quo non poſſit adire Superiorem, poteſt ſimplici Confeſſario confiteri etiam peccata, quæ reſervata ſunt ratione cenſuræ, & ab eis indirecte abſolutus remanebit. Obtenta vero abſolutione, poterit ad Euchariſtiam accedere, ſeu celebrare: excommunicatio etenim, cum lege Eccleſiæ inducta ſit, non privat nos cum tanto incommodo uſu paſſivo Sacramentorum.

Aliud eſt impedimentum ad longum tempus, puta ad ſex menſes, vel ad annum; & cum in eo caſu præſumi non poſſit piam Matrem Eccleſiam velle ſuum filium tanto tempore carere uſu Sacramentorum, & remedio Confeſſionis; cum non tam facile ſit remedium contritionis, hinc eſt poſſe tunc Epiſcopum, ſive ipſius Delegatum abſolvere a cenſuris Papæ reſervatis, cum onere tamen comparendi coram Pontifice, ceſſante impedimento, ut ſupra dictum eſt. Ubi advertendo, quod cum detur obligatio præſentandi ſe Superiori, ſeu Pontifici, quamprimum fieri poteſt, ceſſante impedimento, non debet hoc nimis protrahi alias abſolutus reincideret in eamdam cenſuram.

Demum aliud eſt impedimentum perpetuum, quod ſcilicet nunquam ceſſaturum exiſtimatur, ut eſt ſenectus, ſeu impedimentum ſaltem ad quinquennium; cum etenim tali tempore mortis periculum faciliime ſit eventurum, reputatur impedimentum veluti non ceſſaturum, ſi eo tempore adiri non poſſit Superior ad obtinendam abſolutionem. Tunc ergo impertiri poteſt abſolutio abſque eo quod imponatur Pœnitenti onus comparendi.

Neque hic ommittere volo poſſe Epiſcopum, ejuſque Delegatum in præfatis caſibus abſolvere, etiamſi impeditus quærere poſſet abſolutionem per Procuratorem, ſeu adire Papæ Delegatum, aut ſcribere ad S. Pœnitentiariam. Ratio eſt, quia jus non obligat Reum, niſi ut perſonaliter adeat Pontificem; unde ſi id præſtare non poteſt, ad aliud ex jure non tenetur. Præterea cum abſolutionem obtinere a Delegato Papæ ſit privilegium, & privilegia, utpote favorabilia, nullam inducant obligationem; ſequitur Reum non teneri Delegatum adire. Hanc, meo videri tutiſſimam ſententiam docent quamplures Theologi: *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 41. n. 7. Sanch. l. 2. Moral. cap. 13. n. 15. Palaus de Fid. tr 4. d. 4. p. 7. §. 5. n. 7. Boſſ. var. Moral. tit. 4. n. 26.*, & alii paſſim.

R. III. Facultas, quæ competit Epiſcopis in ordine ad abſolvendos impeditos Papam adire, competit cuicumque Confeſſario, ſi Pœnitens non poſſit Epiſcopum adire. Ita *ex cap. nuper a nobis 29. de ſent. excom. in fin.* ubi videtur indifferenter concedi facultas abſolvendi Epiſcopo, & proprio Sacerdoti: unde hoc ſaltem verificari debet, ſi Epiſcopum adire non poſſit: *Henriq. l. 6. cap. 9. n. 7. Dian. 5. p. tr. 9. reſol. 6.*, *& alii ipſum.*

Q. V. An quæ dicta ſunt de Impeditis adire S. Pontificem, valeant etiam quoad impeditos adire Epiſcopum, ut abſolvatur a Cenſuris illi reſervatis.

R. Quæ dicta ſunt de reſervatis S. Pontifici, ex paritate rationis extendi poſſunt ad reſervata Epiſcopalia; & ita, diuturno ſtante impedimento, poterit ſimplex Confeſſarius abſolvere ab hujuſmodi Cenſuris, injuncta obligatione comparendi coram Superiore, ceſſante impedimento. Si vero impedimentum ſit perpetuum, poterit abſolute abſolvere ſine tali obligatione: *Hurtado de Sacr. Pœnit. diſp. 11. diff. 13. Dian. t. 1. tr. 5. reſol. 18.*

F Q. VI.

Q. VI. Quænam in jure cenſeantur impedimenta adeundi Superiorem.

R. Primo. Status religioſus excuſat ab adeundo S. Pontificem: *cap. Monach. 2. cap. cum illorum 23. de ſent. excom*, & hoc extenditur etiam ad eos Regulares, qui ante ingreſſum Religionis inciderunt in aliquam cenſuram, *niſi tamen exceſſus iſtorum extiterit difficilis, & enormis*. Omnes ergo Regulares, exceptis exceſſibus enormibus, abſolvi poſſunt a ſuo Superiore, in quem per exemptionem ab Epiſcopis tranſlata fuit juriſdictio Epiſcopalis.

Secundo, in articulo mortis quivis Sacerdos abſolvere poteſt ab omnibus cenſuris quomodocumque reſervatis. Hoc habetur ex *cap. non dubium de ſent. excom. & ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 7.* Non deſunt, qui extendant hanc facultatem pro tali articulo etiam ad Clericum tonſuratum, quamvis careret juriſdictione in foro externo; nam cum capax ſit juriſdictionis ferendi Cenſuras, capax etiam erit abſolvendi; qui enim poteſt ligata, etiam poteſt ſolvere: *cap. inferior diſt. 2. & l. qui condemnare ff. de re judic.* Immo aliqui extendunt ad purum Laicum, & ratio horum eſt, quia cum non ſolum Clerico tonſurato, ſed etiam Laico concedi poſſit facultas abſolvendi a Cenſuris, præſumendum illis videtur pro tali articulo Eccleſiam re vera conſentire, cum expediat ſaluti animæ, ut ſtatim pro defuncto poſſint applicari ſuffragia, & tradi Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Nec refert, inquiunt, Concilium ſolum exprimere tunc omnes Sacerdotes habere quamlibet poteſtatem abſolvendi, nam ibi ſermo erat de abſolutione Sacramentali; unde ſolum mentionem facere potuit de Sacerdotibus. Ulterius, ſi Eccleſia interrogata fuiſſet, an pro tali articulo intelligat etiam Laicos poſſe abſolvere a cenſuris, videtur quod affirmative reſpondiſſet: *leg. pactum §. fin. de pact.* cum maxime in tali articulo velit animabus favere. Ita contra communiorem ſententiam *Sanch. l. 2. Sum. c. 13. n. 13. Palaus t. 1. tr. 4. diſp. 4. p. 3. §. 5. n. 14. Boſſ. tit. 5. §. 9. n. 84.* & alii apud Dianam *p. 4. tr. 4. reſol. 133. p. 5. tr. 3. reſol. 77. & tr. 9. reſol. 7.* Imponi tamen debet abſoluto, ut ſi convaleſcat, ſe Superioris, cui cenſura erat reſervata, præſentet, ut dixi de habente impedimentum temporale.

Tertio, ex *cap. mulieres, cap. de cætero, cap. ea noſcitur, cap. quamvis, cap. pueri de ſent. excom.* intelliguntur impediti adire S. Pontificem mulieres, ſenes, ægri, pueri, ita delicati ut non poſſint laborem itineris ſubire, & timentes grave damnum in itinere.

Quarto, ex *cap. ſi vero 1. de ſent. excom.* abſolvi poteſt ab Epiſcopo Officialis, ſeu Janitor, qui exercendo ſuum officium culpabiliter Clericum vulneravit, ſi percuſſio non fuit gravis. Idem dicendum *ex cap. quoniam de vit. & honeſt. Cleric.* ſi Clerici in communi viventes ſeſe invicem percutiant, dummodo atrocitas facti pœnam graviorem non expectet. Abſolvi item poteſt ab Epiſcopo levis Clerici percuſſio: *arg. cap. pervenit de ſent. excom.* Sed de hoc alibi.

Quinto, excuſantur ab adeundo S. Pontificem, qui ita ſunt pauperes, ut nullo modo poſſint pergere ad Curiam: *cap. quamvis de ſent. excom. junct. Gloſſ.*

Sexto, excuſantur qui vivunt ſub alterius poteſtate, ut ſunt Servi, & filii familias: *arg. cap. mulieres, & cap. relatum de ſent. excom.*

Demum quæcumque juſtæ cauſæ rationabiliter excuſantes ab itinere ad Sedem Apoſtolicam, faciunt ut innodatus cenſura Pontifici reſervata, abſolvi poſſit ab Epiſcopo: *arg. cap. de cætero de ſent. excom.* Cum autem poſſint eſſe multiplices, ſtandum eſt judicio boni viri. *arg. cap. de cauſ. de officio deleg.*

Q. VI. Quid dicendum de abſolutione extorta per errorem, metum, vel parte non ſatisfacta.

R. I. Si error fuit circa cauſam finalem, invalida eſt talis abſolutio, cum Judex intendat abſolvere, ſi vera ſit cauſa finalis ſibi expreſſa; *cap. officium de ſent. excom. Bonac. d. 1. q. 3. p. 8.* Secus, ſi error fuit tantum circa cauſam impulſivam, ſive accidentalem.

R. II. Si abſolutio extorta fuit per metum gravem, injuſtum, cadentem in virum conſtantem, nulla eſt, & qui extorſit, incurrit novam excommunicationem: *cap. unic. de his, quæ vi metuſve cauſ. in 6.* Secus, ſi metus non fuit injuſte incuſſus, ut ſi extorqueatur abſolutio a Judice injuſte recuſante abſolvere eum, qui integre parti ſatisfecit, nec ex alia cauſa fuerit excommunicatus, niſi quia parti non ſatisfecerit.

R. III. Si Excommunicatus poteſt parti læſæ ſatisfacere non eſt abſolvendus, antequam præſtet talem ſatisfactionem: *cap. ſolet 2. de excom. in 6.* Quia tamen, ſi ante ſatisfactionem abſolveretur, nullo jure talis abſolutio irritatur, ideo valida eſſet, quamvis illicita, quia contra S. Canones, & quia Superior ex officio, & juſtitia tenetur conſulere bono partis læſæ, qui obtenta abſolutione a cenſura, pœnitens non curat ſatisfacere: *Coninch. diſp. 14. d. 18. n. 205. & 209. Bonac. q. 3. p. 9. n. 1.* Invalidam autem aliqui dicunt talem abſolutionem, ſi aliqui conceſſa ſit poteſtas ut abſolvat *ſatisfacta parte*. Verum, ſi non exprimatur non concedi facultatem, niſi dependenter ab hac conditione, & alias impertitam abſolutionem nullam fore; non video cur talis abſolutio dicenda ſit invalida. Ratio eſt, quia dum conceditur poteſtas ſub conditione, quæ de jure ineſt, ea conditio non ſolet reſtringere facultatem, ſed ſolum admonere Delegatum de ſua obligatione; ac proinde cum de jure ſit, ut non detur abſolutio, niſi parte ſatisfacta, ea conditio non limitat poteſtatem Delegati adeoque & ipſe valide abſolvit: *Sanch. de matr. l. 3. d. 33. n. 6. Hurtad. diſp. 14. diff. 5. n. 22. Bonac. diſp. 3. q. 3. p. 9. n. 3.*

Cæterum, ſi excommunicatus ſit impotens ad ſatisfaciendum, tunc poteſt abſolvi, ſed debet dare cautionem pignoratitiam, aut fidejuſſoriam de ſatisfactione præſtanda, & ſi neque id facere poſſit, præſtare debet juramentum de ſatisfaciendo ſtatim ac poterit.

Q. Ultimo. Quæ forma ſervanda ſit in abſolutione a Cenſuris.

R. Non ad valorem abſolutionis, ſed ad melius eſſe, abſolvendus petere primo deberet abſolutionem, ut ita demonſtraret ſe paratum recedere a contumacia: *cap. per tuas de ſent. excom.* Deinde præſtare deberet juramentum de parendo Eccleſiæ, & de non amplius committendo delictum, ratione cujus incidit in cenſuram; maxime ſi ſit ex gravioribus: *cap. ex tenore, cap. de cætero, & cap. ſi deſideres de ſent. excomm.* Denique ex dictis paulo ante, ante abſolutionem deberet parti ſatisfacere. His præmiſſis, quamvis etiam poſſet nutibus, quibus nimirum ſufficienter demonſtraret Superior velle ipſum abſolvere, jure tamen cautum eſt, ut Epiſcopi, aliique Prælati inferiores nonniſi per verba, vel ſcripturam abſolutionem concedant: *cap. cum deſideres, cap. aliquando de ſent. excom. Gloſſ. in Clement. ult. v. velle de ſent. excom. Suar. de Cenſ. diſp. 7. ſect. 9. n. 13. Sanch. de matr. l. 8. d. 4. n. 24. &c.*

Quamvis autem mos ſit, ut Sacerdos abſolvens abſolvat prius a Cenſuris, ac deinde a peccatis, nihilominus valide ab utriuſque abſolveret, ſi per ea verba *abſolvo te* intelligeret abſolvere a Cenſuris, & a peccatis: *Suar. cit. ſect. 2. n. 37. Bonac. q. 3. p. 5. n. 3.*; nam ſublatæ remanerent cenſuræ, deinde peccata. Addendum quod cum Confeſſarius per ea verba *abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis &c.* intelligat abſolvere quantum poteſt ſuum Pœnitentem a quacumque cenſura, hinc eſt, quod ſi habeat facultatem, removet a ſuo Pœnitente quamcumque cenſuram etiam reſervatam; unde ſi Pœnitens recordetur poſtea peccati habentis cenſuram reſervatam, ſat eſt, ſi a quocumque Confeſſario petat abſolutionem illius peccati, neque enim amplius perſeverat cenſura reſervata: *Sanch. in Sum. l. 2. c. 2. num. 9. Coninch. de Pœnitent. d. 8. dub. 12. num. 97. Bonac. q. 3. p. 6. n. 3.*, & communiter.

Obſervandum vero eſt pro foro externo, quod cum ibi ſuperior intendat abſolvere, juxta petitionem abſolvendi, ſi aliquis pluribus Cenſuris innodatus, unius tantum peteret abſolutionem, ab illa tantum, & non ab aliis remaneret abſolutus. Id autem multo magis locum haberet, ſi doloſe unam exprimeret, & alias celaret: *cap. cum pro cauſa, cap. offic. de ſent. excom. Palaus diſp. 1. p. 11. §. 3. n. 2. Candid. diſq. 22. a. 52. dub. 4. concl. 8.*

Denique tria alia ſunt obſervanda. Primum, quod licet abſolutio a cenſuris, non danda ſit niſi ei, qui ſe præſentem ſiſtit, ut abſolvatur, nihilominus ex rationabili neceſſitate valide, & licite conceditur abſenti: ſeu etiam per literas; qui etenim abſens ligari poteſt, poteſt & abſens abſolvi. Ceſſante autem rationabili neceſſitate, illicite contra Eccleſiæ praxim abſolveretur; *Leander diſp. 17. q. tot.* Secundum, quod licet abſolutio a cenſuria concedi debeat petenti, ex rationabili nihilominus cauſa dari poteſt neſcienti, ſive etiam invito, ſi a contumacia receſſit: nulla eſt enim implicantia pœnam auferri poſſe abſque conſenſu illius, qui eam ſubire deberet: *Leand. q. 103., & ſeqq.* Id tamen procedit quoad

hæ-

Digitized by Google

habentem poteſtatem ordinariam, vel privilegium abſolvendi. Si vero privilegium factum ſit in favorem pœnitentis, ut quando conceditur in Jubilæo pœnitenti facultas eligendi Confeſſarium, a quo abſolvatur, tunc abſolvi non poteſt invitus, cum uſus privilegii pendeat a voluntate Pœnitentis eligentis ſibi Confeſſarium. *Ant. a Spir. S. diſp. 1. n. 238.* pluribus citatis. Tertium, quod licet per abſolutionem removeri non debeat cenſura, niſi ceſſante contumacia, ſi nihilominus abſit contemptus cenſuræ, ſcandalum, aut præjudicium tertii, abſolvi quis poterit etiam perſeverante contumacia, ſi ita expediat bono publico, vel ſaluti animarum, dum e. g. mediis mitioribus obtineri poſſet obedientia: *Leand. q.* 106.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Primo animadvertat Confeſſarius quemlibet Cenſura ligatum ſollicitare debere abſolutionem, & quamlibet culpabilem dilationem difficiliter excuſari poſſe a gravi culpa, niſi ſit modici temporis, cum lædat charitatem erga ſeipſum, exulando ab Eccleſia, & privando ſe pluribus ſpiritualibus bonis, ut videbimus quæſtione ſequenti: ſicut etiam propter ſcandalum aliorum, ſi publice ſit excommunicatus; maxime quia præbet occaſionem ſaltem ſuſpicandi ſe contemnere Eccleſiæ poteſtatem. Demum notet permanentem per annum in excommunicatione eſſe ſuſpectum de hæreſi: Legat Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 3. de reform. in fin.*

II. Secundo notet Confeſſarius, quod ſi aliquis excommunicatus fuerit ab Epiſcopo &c. per ſententiam particularem, quia alicui non ſatisfecit, eo ipſo quod conſtet de præſtita ſatisfactione, poterit ab unoquoque abſolvi, nec amplius neceſſe eſt illum remittere ad Superiorem, ut abſolvatur.

III. Bene poteſt evenire ob noſtram fragilitatem quandoque aliquem valde graviter percutere Eccleſiaſticum, ſive etiam occidere. In ſimilibus caſibus fere ſemper inclamare audivi, ad Papam ſolummodo abſolutionem ſpectare. Non ſtatim his acquieſcat Confeſſarius. Videat, an crimen ſit occultum, vel an fuerit ſufficienter probatum, ſi deductum fuerit ad forum contentioſum. In caſu igitur, quod non fuerit ſufficienter probatum, vel remanſerit occultum, ſi Pœnitens vere ſit diſpoſitus, adeat Epiſcopum, qui ſi nolit, vel ei commodum non ſit per ſeipſum abſolvere, poterit ipſum Confeſſarium, tanquam ſuum Vicarium ſpecialiter ad id deputare, ex facultate ipſi tradita a Tridentino, ut ſupra notavi.

IV. Praxis multorum Confeſſariorum eſt, ut pro habentibus impedimentum recurrendi ad Summum Pontificem petant a S. Pœnitentiaria facultatem illos abſolvendi. Sed cur quæſo multoties non ſine animarum diſpendio per multum tempus, uſque dum reſponſiones habeantur, abſolutionem protrahere? Habetur tamquam doctrina fere communis, ac ſolidis authoritatum, & rationum fundamentis fulcitur ea ſententia, qua dicitur caſus papales pro impeditis fieri Epiſcopales. Cur ergo pro pœnitente ſatis diſpoſito non petere ab Epiſcopo facultatem abſolvendi? Nam cum tunc de jure ipſi competat talis facultas, poterit unumquemque delegate. Semper tamen meminiſſe debet Confeſſarius, quod ſi abſolvat habentem impedimentum temporale, ſimul debet injungere, ut, eo ceſſante, adeat Summum Pontificem, alias iterum caſurus in eamdem cenſuram.

VI. Ignorare non debet Confeſſarius, quod ſi aliquis innodatus cenſura Papæ reſervata, non poſſit nec Epiſcopum adire, poterit omnino ab eodem Confeſſario abſolvi. Demus e. g. longe a Civitate, ubi reſidet Epiſcopus, eſſe aliquem valde ſenem, innodatum cenſuræ Papæ, vel ipſi Epiſcopo reſervata, poterit ab eodem Confeſſario abſolute abſolvi, ſi nullatenus poſſit Epiſcopum adire. Idem teneat Confeſſarius de puella, vel alia muliere, cui non eſſet libertas Epiſcopum adeundi, quæ nec tenetur ſcribere, & reſponſum expectare. Semper præ oculis tamen habeat, an impedimenta ſint temporalia, vel perpetua.

VI. Si aliquis in puncto mortis abſolutus fuit a Cenſura (caſus equidem raro contingere poteſt) a ſimplici Clerico, vel etiam a Perſona laica, Parochus curare debet, ut iterum abſolutio obtineatur ab eo, qui habet indubitatam poteſtatem abſolvendi; nam ſi forte prima vice non fuiſſet valide abſolutus quamvis obiiſſet contritus, in plurimorum ſententia non participaret communia Eccleſiæ ſuffragia. Si vero non eſſet facilis recurſus ad Judicem, qui illum ſua ſententia excommunicavit, propter abſentiam e. g. regionum, Parochus poterit ex opinione valde probabili pro illo defuncto taliter abſoluto Miſſam celebrare & ipſum tradere Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Videantur inter alios: *Sanch. l. 2. ſum. c. 13. num. 13. Boſſius tit. 5. §. 9. n. 84. & ſeq.*

VII. Non obliviſcatur Parochus, nullum abſolvendum a Cenſura, niſi parte ſatisfacta, neque audiendus eſt, qui poteſt ſatisfacere, ſi velit abſolutionem eo quod promittat, & repromittat ſatisfactionem. Parendum igitur eſt juri exigenti quod præmittatur ſatisfactio; ultraquamquod promiſſiones etiam repetitæ, obtenta abſolutione, ſolent evaneſcere. Quod ſi petens abſolutionem non poſſit ſatisfacere, tunc ſi prudenter credat fore ſatisfacturum, dum poterit, non eſt deneganda abſolutio, præſtito prius juramento de ſatisfaciendo, ſi aliam cautionem habere non poſſit, ut dictum eſt.

VIII. Si Confeſſarius obtinuit facultatem abſolvendi a cenſura reſervata, quandoque vidi illum anxium de modo, quem tenere debet in abſolvendo. Removeat ergo anxietatem, & ſciat quod utendo ſolita formula; *abſolvo te ab omni vinculo &c.* ſufficienter abſolvit. Nec tenetur ſaltem pro foro conſcientiæ exprimere cauſam, ob quam contracta fuit cenſura, cum hoc nullo jure præcipiatur. Si vero addiſcere velit cæremonias, quæ ſervantur in publica Cenſurarum abſolutione, videat Pontificale, & Rituale Romanum.

IX. Si bene perpendat Confeſſarius eam alias omnino veram doctrinam, Confeſſarium nempe habentem authoritatem abſolvendi a Cenſuris reſervatis, ab illis liberare ſuum Pœnitentem, qui illi confitetur ſua peccata, maxime ſi cenſuras doloſe non taceat, fortaſſe a pluribus anguſtiis ipſius conſcientiam ſublevabit. En Caſus practicus, de quo fui interrogatus. Quidam ſenex volens ſe morti diſponere, valde timebat ſuæ vitæ decurſu in quoſdam caſus in Bulla Cœnæ reſervatos incidiſſe. Adiit Confeſſarium, qui ſtatim, nonniſi facultate a S. Pœnitentiaria obtenta, ipſius anguſtiis occurri poſſe pronunciavit. Verum id neceſſe non fuiſſe omnino erat judicandum; nam cum variis temporibus Jubilæum acquirere conatus fuerit, quo tempore, hæreſi excepta, concedi ſolet facultas abſolvendi etiam a Caſibus in Bulla Cœnæ reſervatis, per abſolutionem tunc obtentam a Confeſſario, liberatus fuerat ab omnibus Cenſuris reſervatis; neque enim malitioſe aliquam reticuerat, unde poterat abſolvi a quocumque Confeſſario, ſi vere contra Bullam Cœnæ cognovit tunc deliquiſſe. Cæterum ipſius Confeſſarius magis ſcrupuloſus, quam doctus, aliam, ni fallor, tenuit viam, & quoadusque S. Pœnitentiariæ reſponſa non advenerunt, a Sacramentorum participatione voluit abſtinere.

QUÆSTIO II.

De Excommunicatione in generali.

CAPUT UNICUM.

De Excommunicatione, ejuſque effectibus.

Q. I. Quid ſit Excommunicatio, & quotuplex.

R. Excommunicatio abſolute ſumpta, accipi ſolet pro majori excommunicatione, & ita ſolet definiri: *Cenſura privans hominem fidelem omni Eccleſiaſtica communione.* Jam autem explicando quæſtione ſuperiore *cap.* 1. rationem cenſuræ, vidimus non eſſe in poteſtate Eccleſiæ privare excommunicatum omnibus bonis ſpiritualibus; ſed iis ſolum, quæ, cum ſint externa, ſubſunt Eccleſiaſticæ juriſdictioni. Unde, dum dicitur quod Excommunicatio major privat excommunicatum Eccleſiaſtica communione, ſignificatur illum privare communicatione cum aliis fidelibus tam in præfatis bonis ſacris, quam civilibus, ut dicam explicando effectus hujus cenſuræ; & conſtat ex *c. ſi quem de ſent. excom & c. 1. de except. in 6.* Ipſum verbum excommunicatio denotat hos effectus; nam idem ſonat ac extra communionem: Solet etiam hæc cenſura appellari *anathema*, quæ vox ſignificat maledictionem, aut execrationem; re vera etenim excommunicatus maledicitur, & execratur.

R. II. Ultra excommunicationem Majorem, datur etiam Excommunicatio Minor, ut habetur *ex cap. excommunicatos, cap. cum excommunicato, & cap. final. de Cleric. excommun miniſtr.* Ex his Canonibus habetur talem excommunicationem incurri, per hoc, quod aliquis communicet cum Excommunicato majori excommuni-

catione, & vitando: & habet privare receptione Sacramentorum. Hinc ita definitur: *Cenſura Eccleſiaſtica privans fideles paſſiva participatione Sacramentorum.*

Cum autem in jure nulla alia pœna tali excommunicato aſſignetur, non video cur non poſſit ſine culpa active adminiſtrare Sacramenta. Neque ſatis conſtat de indecentia; nam quamvis indecens ſit, & graviter peccet, ſi recipiat Sacramenta, quia ab eis arcetur ab Eccleſia, non tamen videtur indecens, ſi miniſtret; quia tali adminiſtratione ab Eccleſia non privatur. Quamvis autem, *cap. ſi celebrat de Cleric. excomm. miniſtr.* videatur dici peccare excommunicatus minori excommunicatione, ſi miniſtret Sacramenta, id tamen intelligendum eſt, ſi miniſtret Sacramenta, quæ expoſcunt ipſorum receptionem, ut in Epiſcopo conferente Ordines, nam univerſaliter apud S. Canones tali excommunicato ſolummodo prohibetur Sacramentorum receptio, non vero ipſorum adminiſtratio: *cap. a nobis 20. de except. cap. penult. de ſent. excom. Suar. diſp. 24 ſect. 2. num. 13 Hurtad. diſp. 16 diff. 1. num. 4. &c.*

Alium effectum inducit excommunicatio Minor, & eſt privare electione paſſiva ad Beneficia: *cap. ſi celebrat, cit.*, & quia collatio, & preſentatio ſunt quædam virtualis electio, ideo etiam his reputant DD. incapacem excommunicatum excommunicatione minori: *Suar. n. 30. Hurtad. loc. cit. Palaus diſp. 2. p. 21. num. 13.* Verum præfata electio, quamvis illicita, non eſt irrita, ſed ſolum irritanda in caſu, quo tam in Electoribus, quam in recipiente daretur ſcientia excommunicationis: *Palaus num. 19. Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 5., & Gloſſa in dictam caput ſi celebrat. V. ſcienter in fin.*

Nullum autem eſt dubium poſſe quemlibet Sacerdotem ab hac excommunicatione abſolvere, *ut patet ex cap. nuper de ſent. excomm.* cum quia cum nemo abſolvi poſſit, niſi præcedat abſolutio ab hac excommunicatione, conſequens eſt, Confeſſario approbato ad abſolvendum, inſimul conceſſam talem facultatem, aliqua etenim re conceſſa, ſimul intelligitur conceſſum id, ſine quo fieri nequit: *arg. cap. preterea de offic. Deleg., & leg. 1. de juriſd. omn. Judic.* Cæterum advertas, quod licet communicare in Divinis cum Excommunicato vitando, propter materiæ gravitatem ſit, ordinarie loquendo, ſemper peccatum mortale, ſolummodo leve eſt communicare in civilibus, ſi abſit contemptus.

Aliæ dantur diviſiones Excommunicationis, in eam nempe, quæ eſt a jure, & eam, quæ eſt ab homine, in eam, quæ eſt latæ, & eam, quæ eſt ferendæ ſententiæ &c. Sed circa hæc recole ſuperius dicta de cenſuris in generali.

Q. II. Qui ſint excommunicati vitandi, & qui non.

R. I. Ex vi Extrav. *ad Evitanda*, editæ in Concil. Conſtantienſi, & approbatæ a Martino V. primo vitandi ſunt nominatim excommunicati, & tales publice denunciati. Ut aliquis ergo ſit vitandus, oportet quod nomine, vel aliis ſignis ita demonſtretur, ut nulla poſſit eſſe dubitatio de perſona, quæ dicitur excommunicata. Secundo, debet publice denunciari excommunicatus, hoc eſt, in aliquo loco publico, vel publice chartam affigendo, qua talis denuncietur. Unde, ſi aliquis per legitimam appellationem talem denunciationem ſuſpendat, utique non vitandus, donec habere locum denunciationem declaretur: *Gibalin. diſq. 6. qu. 1. a n. 18. Bonac. diſp. 1. qu. 2. num. 7.*

Nonnulli putant ad præfatam denunciationem ſatis eſſe, ſi aliquis denuncietur, & publicetur Reus alicujus criminis, cui annexa eſt excommunicatio. Verum cum in citata Conſtitutione dicatur aliquem denunciandum eſſe excommunicatum, ut ſit vitandus; & cum tale decretum editum ſit in favorem animarum, intelligendum eſt de expreſſa, & formali declaratione excommunicationis, ut aliquis intelligatur excommunicatus vitandus: *Sanch. in Sum. l. 2. cap. 9. num. 4. Alter. t. 1. l. 1. diſp. 6. cap. 2. Gibalin. num. 9.*

R. II. Secundo, ſunt vitandi notorii Clerici percuſſores, *quorum factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari.* Ut ergo percuſſor Clerici ſit vitandus, oportet ipſius factum eſſe notorium, quæ notorietas oritur, vel ex fama communi orta a viris fide dignis, & plene probata: *Gibal. diſq. 7. q. 1. n. 1.* vel eo quod crimen commiſſum fuerit coram tot Perſonis, ut dici poſſit notorium. Hoc autem pendet a judicio virorum prudentum; nam ſicut notorium non eſt, quod ſciunt quindecim, vel viginti Perſonæ in Civitate ſatis ampla, eſt pluſquam notorium, ſi tot perſonæ ſciant in exigua Civitate. Item quod notorium non eſt, ſi quinque vel ſex perſonæ domeſticæ, vel taciturnæ viderint in loco privato, notorium fortaſſe erit, ſi id evenerit in loco publico; nam quod ibi factum eſt notum ſex perſonis diſparatis, facillime evulgabitur: *Navar. in Man. c. 25. n. 73. Bonac. diſp. 2. q. 2. p. 1. §. 1. n. 6.* Ultra notorietatem facti, videtur requiri etiam notorietas juris, nempe quod conſtet eſſe percuſſorem Clerici, vel per ipſius confeſſionem in judicio, vel per ſententiam Judicis. Ratio eſt, quia non eſt vitandus, ſi ipſius factum poſſit aliqua tergiverſatione celari; ante notorietatem autem juris difficile eſt non poſſe aliquem tergiverſare ſuum crimen, vel dicendo fuiſſe ebrium, vel ſubito iræ motu percuſſiſſe &c. Ita alii ſcitatis *Anton. a Spir. S. diſp. 2. de cenſ. ſect. 2. n. 258.*

Cæterum advertas, quod qui eſt vitandus in uno loco, quia ibi eſt nominatim denunciatus excommunicatus, vel notorius Clerici percuſſor, non eſt vitandus in alio, ubi ejus delictum eſt occultum. Ratio eſt, quia quamvis denunciatio afficiat perſonam, nihilominus ex Concilio non videtur induci obligatio aliquem vitandi, niſi ubi cenſura, & delictum ſunt publica; nam ſi non ſint publica, ceſſat ratio ſcandali, quod conſurgit communicatione cum excommunicato, & intendit vitare Concilium. Ita contra aliquos *Sanch. l. 2. Sum. cap. 11. num. 20. Gibal. diſq. 6. q. 1. num. 23.*

R. III. Excepto excommunicato nominatim denunciato, & publico Clerici Percuſſore modo dicto, nullus alius eſt excommunicatus, cum quo, ſi aliud non obſtet, non poſſint fideles communicare. Idem dicatur de Suſpenſo, Interdicto, vel Irregulari; nam etiam cum iis, ſi non ſint denunciati, poterunt fideles communicare in iis, in quibus alias vi interdicti, ſuſpenſionis, aut Irregularitatis prohiberentur. Ratio eſt, quia Concilium Conſtantienſe eodem modo loquitur de impediis per excommunicationem, quam per cujuſcumque ſententiam, aut cenſuram: *Palaus diſp. 2. p. 5. n. 8. Gibal. diſq. 9. q. 1. n. 15*

Nil ergo modo prohibet quin Fideles cum excommunicatis toleratis poſſint communicare tam in divinis, quam in humanis, cum id expreſſe concedatur in eadem Conſtitutione *ad Evitanda*. Eo ipſo autem quod id concedatur Fidelibus, indirecte, & ipſis Excommunicatis fuit permiſſum; nam fruſtranea fuiſſet conceſſio facta Fidelibus, ſi negatum fuiſſet Excommunicatis toleratis præſtare, quod ab ipſis fideles peterent; *Sanch. l. 7. de matr. diſp. 9. n. 8. Gibal. n. 13. Alterius l. 1. diſp. 27. cap. 2.* Credo tamen non debere fidelem ſine magna neceſſitate, vel magna utilitate expoſcere Divina ab Excommunicato tolerato, v. gr. quod celebret Miſſam, quod Sacramenta miniſtret, ſi prudenter credat illum eſſe in peccato mortali; nam tunc eſſet occaſio, ut nova culpa inquinaretur. Sed de his in Tractatu de Sacramentis in Genere.

Cæterum advertendum, quod ſi communicatio, vel in civilibus, vel in Sacris non proveniat ex ipſis fidelibus cùm Excommunicatis toleratis, iſti nullatenus poſſunt ſeſé immiſcere in tali communicatione; nam ita ſe explicat Concilium: *Per hoc tamen hujuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos, ſeu prohibitos non intendimus in aliquo revelare, nec eis quomodolibet ſuffragari.* Jam autem etiam ſecreto excommunicatis prohibita fuerat quæcumque communicatio cum aliis: *cap. cum non ab homine, cap. cum deſideres de ſent. excom.*

Q. III. An Excommunicatus (intellige hic, & in ſequentibus de excommunicatione majori) privetur participatione activa, & paſſiva Sacramentorum.

R. Affirmative reſpondendum eſt *ex cap. cum illarum 32. de ſent. excom., & cap. fin. de Cleric. excom. miniſtr.* Quamvis autem recipiendo Sacramenta nullam pœnam incurrat; niſi recipiat Sacramentum Ordinis; tunc etenim remaneret ſuſpenſus ab exercitio Ordinis ſic ſuſcepti: *cap. cum illarum de ſent. excom.*; & ſi etiam miniſtret, incurrit Irregularitatem: *cap. licet, & cap. fin. de Cleric. excom. miniſtr. & cap. fin. de ſent. excom. in 6.* advertendum tamen, quod cum lex Eccleſiaſtica non obliget cum gravi incommodo, ſi aliqua neceſſitas urgeat, Excommunicatus recipere poteſt, & miniſtrare Sacramenta, ut e. g. ſi cum ſit occulte excommunicatus, non poſſet id omittere ſine gravi infamia. Et quia in tali caſu licite etiam peteret Sacramenta: licite pariter a Sacerdote, qui ſciret ipſius excommunicationem, & etiam neceſſitatem, ipſi adminiſtrarentur. Si vero, tali neceſſitate non urgente, adminiſtrarentur Sacramenta excommunicato tolerato, Miniſter peccat quidem graviter contra prohibitionem Eccleſiæ, at nullam pœnam incurrit, *Suar. diſp. 10. ſect. 2. n. 10. Alter. l. 4. diſp. 6.*

diſp. 6. cap. 4. ſi vero. Quod ſi adminiſtret Excommunicato vitando, ultra peccatum, incurrit excommunicationem minorem, quia communicat cum excommunicato vitando in divinis, & inſuper interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ: *cap. Epiſc. de privileg.* in 6. Præterea ſi iſte fuit excommunicatus a Papa, Clericus illum ſcienter, & ſponte admittens ad Divina Officia, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam: *cap. ſignificavit de ſent. excom.*

An vero Excommunicatus vitandus adminiſtrare poſſit Sacramenta, inſtante proximi neceſſitate, non una eſt Theologorum ſententia. Et quidem poſſe in articulo mortis adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ patet ex *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. ac proinde habet tunc juriſdictionem, qua extra talem articulum omnino caret. Idem conſtat, ſi adſit neceſſitas adminiſtrandi Sacramentum Baptiſmi, utrobique etenim eadem eſt ratio; quia nempe non poteſt velle S. Mater Eccleſia, ut obſerventur ſuæ leges in caſu, quo ex earum obſervatione animæ deberent perire, & colligitur etiam ex *Conc. Florent. in Decret. de Armenis*. Immo non deſunt Theologi, qui velint in tali caſu Sacerdotem excommunicatum vitandum præferendum eſſe laico non excommunicato; nam cum neceſſitas baptizandi ponat illum in ſtatu adminiſtrandi licite hoc Sacramentum, videtur laico præferendus, quia illi competit ex vi ſuæ ordinationis. Cæterum graviter peccaret ſolemniter baptizando, quia ſolemnitates non ſunt neceſſariæ ad occurrendum proximi neceſſitati.

Quoad Sacramenta Euchariſtiæ, vel Extremæ Unctionis, quamvis conveniant Theologi miniſtrari poſſe a Sacerdote excommunicato vitando infirmo conſtituto in articulo mortis, quando non præceſſit Confeſſio, quia tunc vel unum, vel aliud Sacramentum eſt ſimpliciter neceſſarium, ut homo de attrito fiat contritus; in hoc tamen non conveniunt, ſi Confeſſio præceſſit. Et quidem videtur miniſtrare poſſe Euchariſtiam per modum Viatici, deficiente alio Sacerdote, etiamſi præceſſerit Confeſſio; quia præceptum de Viatico ſumendo fortius obligat, quam præceptum Eccleſiæ, ne miniſtretur a tali Excommunicato: *Dian. p. 5. tr. 9. reſol. 83. Anton. a Spirit. S. diſp.* 2. *n.* 285. & alii apud ipſum. E contra alii reſpondent ceſſare tunc obligationem de ſumendo Viatico, cum non ſit Miniſter, qui poſſit illud decenter miniſtrare. Amplecterer primam ſententiam, quia cum ſit favorabilis Animabus, videtur præſumi poſſe eſſe juxta intentionem Piæ Matris Eccleſiæ. Et reſponderi poteſt rationi in contrarium adductæ, ceſſare tunc indecentiam Miniſtri, quia credi poteſt S. Eccleſiam tunc ipſum non prohibere ab adminiſtrando S. Viaticum.

Quoad Sacramentum vero Extremæ Unctionis, in caſu quo Infirmus recepiſſet Sacramentum Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ, non tam facile dicerem licere ipſum adminiſtrari ab Excommunicato vitando. Ratio eſt, quia cum non detur præceptum recipiendi illud Sacramentum non videtur poſſe eſſe mens S. Eccleſiæ, quod adminiſtretur a Sacerdote, quem privavit facultate illud adminiſtrandi: *Suar. diſp.* 11. *ſect.* 2. *n.* 14. *Alterius l.* 1. *diſp.* 7. *c.* 8. *Dian. p.* 5. *tr.* 9. *reſol.* 83. *in fin.*, *& tract.* 10. *reſol.* 77.

Quod vero Sacerdos excommunicatus toleratus poſſit ad petitionem fidelium omnia præfata preſtare, ſive in caſu neceſſitatis, ſive extra neceſſitatem, patet ex dictis in ſuperiori quæſito.

Q. IV. An Excommunicatus privetur communibus Eccleſiæ ſuffragiis.

R. Non eſt dubium Excommunicatum non toleratum privari communibus Eccleſiæ ſuffragiis, iis ſcilicet, quæ fiunt a Clero, & aliis nomine Eccleſiæ; unde etſi fiant a Perſona indigna, quia tamen fiunt nomine Eccleſiæ, non ceſſant habere ſuum valorem. Talia ſuffragia ſunt Sacrificium Miſſæ, publicæ orationes, & proceſſiones, & alia bona externa, & de quibus etiam dixi *q.* 1. *cap.* 1. His igitur privari Excommunicatum conſtat ex *cap. a nobis* 28., *& cap. ſacris* 38. *de ſent. excom.*, & addit *Bonacina q.* 2. *p.* 1. *n.* 4., ea ſuffragia applicantem pro excommunicato vitando, non ſolum peccare graviter, quia tranſgreditur in re gravi præceptum Eccleſiæ, ſed inſuper incurrere excommunicationem minorem, utpote quia pro eo orando, communicat cum illo in re vetita ab Eccleſia. Neque refert, meo videri, Excommunicatum eſſe contritum, ut illi prodeſſe poſſint Sacrificium Miſſæ, & publica ſuffragia; nam Eccleſia non reddit illum capacem iis, quæ ipſius nomine fiunt, niſi ablata cenſura per abſolutionem. Ita contra alios: *Suar. de Cenſ. diſp.* 9. *ſect.* 3. *n.* 2., & alii apud *Dianam p.* 5. *tract.* 9. *reſolut.* 75.

An vero hujuſmodi Communibus ſuffragiis privetur Excommunicatus toleratus, variant DD. Ego omnino putarem privari; nam ex dictis in fine ſecundi quæſiti, Concilium Conſtantienſe neque Excommunicatos toleratos intellexit in nihilo relevare, multum autem relevaſſet, ſi intellexiſſet potuiſſe in poſterum applicari pro illis publica ſuffragia. Neque refert tolerari, ut cum aliis Miſſæ aſſiſtant, aliiſque publicis orationibus; nam hoc factum non eſt ad favendum Excommunicatis non vitandis, cum deberent ab iis abſtinere, ſed ad conſulendum quieti Fidelium, ne ſcrupulis angerentur, & ne cogerentur Sacrum ommittere, exire de templo &c. *Suar. diſp.* 9. *ſect.* 2. *n.* 17. *Bonaccin. q.* 2. *p.* 1. *§.* 1. *n.* 1., & alii apud ipſum.

Ex dictis habet Sacerdos quomodo ſe gerere debeat, dum celebrat Miſſam, in ordine ad Excommunicatos. Quatenus igitur eſt Perſona publica, prout nempe celebrat nomine Chriſti, & ut ipſius Miniſter, & quatenus celebrat ut Legatus, & Miniſter Eccleſiæ, non poteſt pro Excommunicatis Sacrificium celebrare. Et quidem non ſolum illicite celebraret, ut eſt Miniſter Eccleſiæ, ſed etiam invalide, quia Eccleſia, quam tunc repræſentat, non intendit offerre pro Excommunicatis. Ut vero eſt Miniſter Chriſti, illicite offerret propter Eccleſiæ prohibitionem, ſed valide; nam poteſtas Sacerdotalis ad ſacrificandum nomine Chriſti, fundatur in poteſtate Ordinis, ſeu in ejus indelebili charactere, quam impedire non poteſt Eccleſia. Unde, ſi Sacerdos ut Chriſti Miniſter celebret pro Excommunicato, Sacrificium ex opere operato non ſolum prodeſſe illi poterit quoad impetrationem, ſed etiam quoad ſatisfactionem, ſuppoſito quod ſit in gratia: *Suar. de cenſ. diſp.* 9. *ſect.* 4. *n.* 4. *Coninch. diſp.* 14. *de cenſ. dub.* 6. Demum Sacerdos, & quilibet alius fidelis, ut eſt Perſona particularis, & applicat fructum provenientem ex ſua particulari devotione, orare poteſt pro Excommunicatis etiam vitandis, cum hoc pertineat ad *Sanctorum communionem*, quam profitemur in Symbolo, tum quia Eccleſia non removet Excommunicatos, niſi a publicis ſuffragiis, quæ ipſius nomine offeruntur. Advertere tamen debet, quod licet dum celebrat, poſſit ut perſona privata orare pro Excommunicato, & pro eo fructum provenientem ex opere operantis offerre; nihilominus in Memento tacere debet nomen Excommunicati; quæ etenim exprimuntur, videntur dici nomine Eccleſiæ: *Navar. cap.* 27. *n.* 36. *Bonacc. de Cenſ. diſp.* 2. *q.* 2. *p.* 1. *§.* 3. *n.* 7.

Q. V. An Excommunicatus privetur omni communicatione cum aliis in rebus Divinis.

R. Omnis Excommunicatus præfata communicatione privatur ex *cap. reſponſo, cap. nuper de ſent. excom., cap. Alma Mater. eod. tit. in* 6., *& tota cauſa* 11. *q.* 3. Hinc non poteſt aſſiſtere Miſſæ, neque Horis Canonicis, neque ſolemnibus benedictionibus cinerum &c. candelarum &c. neque publicis Proceſſionibus, ſive comitari cum aliis Euchariſtiam, dum ad Infirmum defertur, niſi forte Excommunicatus toleratus ob defectum Miniſtri a Sacerdote vocetur: *Suar. diſp.* 12. *ſect.* 1. *n.* 2. *Alterius l.* 1. *d.* 10. *cap.* 2. Quod ſi Sacerdos excommunicatus procuret, ut coram ſe Miſſa celebretur, incurrit Irregularitatem, quia videtur facere per ſe, quod facit per alium; adeoque talis pœna non afficit non Sacerdotem, qui coram ſe facit celebrare: *cap. tanta de exceſſib. Prælat., & cap. Illud de Cleric. excom. miniſtr.* Pariter Excommunicatus, vel interdictus taliter denunciati, ſi moniti ut exeant ab Eccleſia, nolint exire, ſicut & illi, qui poſt talem monitionem impediunt ne exeant, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam: *cap. cor de ſent. excom. & Clement.* 2. *eod. tit. juncta Gloſſ.* Extra præfatos caſus Excommunicatus Miſſæ aſſiſtens peccat quidem graviter, quia non paret Eccleſiæ in re gravi, ſed nulla pœna in jure afficitur.

Quamvis autem Excommunicatus non poſſit aſſiſtere Miſſæ, ſicuti nec publicæ Horarum recitationi, non tamen, ſi alias ad eas tenetur ommittere poteſt privatam Horarum recitationem, quia non debet reportare commodum ex ſua iniquitate. Ne tamen videatur velle cum aliis communicare, non debet dicere *Dominus vobiſcum*, ſed *Domine exaudi orationem meam*. Item non debet adhibere Socium, quia nec in oratione privata, licite Excommunicatus cum alio communicat: *cap. Excommunicatos* 11. *q.* 3. Verum tamen eſt, quod ſi privatim dicat *Dominus vobiſcum*, vel communicet cum alio ſolum in ora-

oratione privata, non peccabit niſi venialiter, quia videtur ſolum in re levi tranſgredi præceptum Eccleſiæ: *Bonac. q. 2. p. 3. §. 2. n. 4. & c.* & communiter.

Cæterum non prohibetur excommunicatus ingredi Eccleſiam, ibique etiam in eodem loco cum aliis preces privatas fundere; dum etenim omnes privatim orant, non datur communicatio orationum: *Navar. in Man. cap. 27. nu. 19. Dian. p. 5. tr. 9. reſol* 89. Item non prohibetur ſumere aquam benedictam, ſignare ſe ſigno Crucis, adorare Euchariſtiam; aliaque devotionis officia præſtare, quæ non veniunt ſub nomine Divinorum Officiorum. Multo minus prohibetur aſſiſtere concioni; nam unuſquiſque ex audientibus ſeorſim audit, nec per hoc dicuntur ad invicem communicare: *arg. cap. reſponſio de ſent. excom.*, & ex communi docet Leander *diſp. 7. qu.* 18. Non poteſt vero excommunicatus non toleratus concionari, vel legere, & aſſiſtentes tenerentur diſcernere, alias convincerentur cum eo communicare. Id tamen facere poteſt excommunicatus toleratus ad petitionem Fidelium, ut patet ex dictis in ſecundo quæſito; vel ſi illi competat ex officio, nec ſit qui poſſit illius vices ſupplere, nam præſumi poteſt in tali caſu alios velle, ut ſuum officium adimpleat: *Bonac. q. 2. p. 3. §. 2. n. 11.*

Solet hic quæri quid agendum, ſi tempore Miſſæ ingrediatur in Eccleſiam Excommunicatus. Primo igitur advertendum, ſolum quæſtionem eſſe poſſe de excommunicato non tolerato; nam cum eo ſolummodo non licet Fidelibus communicare. Secundo, advertere eſt, an talis Excommunicatus ita ſit in Eccleſia, ut appareat communicare cum aliis; nam ſi non cenſeatur Miſſæ intereſſe, vel cum aliis eidem Miſſæ, vel Divinis Officiis aſſiſtere, neque reputandus eſt communicare cum aliis, niſi in loco materiali; ut dum tranſeunter eſſet in Eccleſia, vel non moraliter aſſiſtere Miſſæ cum aliis Fidelibus: *Suar. diſp. 12. de Cenſ. ſect. 1. n. 6.*, & alii communiter. In caſu vero quod Excommunicatus vitandus eſſet in Eccleſia in Divinis cum aliis communicans, etiam vi foret repellendus, quamvis eſſet Clericus, in juſtam defenſionem Eccleſiaſticæ juriſdictionis, & cenſuræ: *cap. veniens de ſent. excom.* Quod ſi nec vi poſſet repelli, deberent Clerici ceſſare a Divinis officiis; & Sacerdotes, cujus Miſſæ aſſiſteret (Sacerdotes enim, quorum Miſſæ excommunicatus non intereſſet, non deberent Miſſam intermittere, nec diſcedere qui eam audirent, quia cum ipſis non communicaret) deberet eam intermittere, ſi non facta fuit conſecratio; nam tunc, cum integritas Sacrificii ſit de jure divino, Miſſa proſequenda eſſet uſque ad ſumptionem, remanente tamen ſolo Miniſtro Miſſæ inſerviente. Reliquas preces, & orationes deberet Sacerdos in Sacriſtia abſolvere: *cap. Is, cui de ſent. excom. & Clement. 2. eod. tit.* Aliqui dicunt Sacerdotem debere perficere Miſſam, quamvis ſolum Canonem inchoaſſet ab illis verbis *Te igitur Clementiſſime Pater*, quia tunc videtur inchoata conſecratio. Ita *ex Suar.*, & alii tradit *Bonac. q. 2. p. 3. §. 1. n. 13.*

Q. VI. An Excommunicatio privet Eccleſiaſtica ſepultura.

R. Utique excommunicatus ſepeliri non debet in loco ſacro: *cap. ſacris de ſepult. Clem. 1. eod. tit. cap. conſuluiſti de conſecr. Eccleſ., vel Alt.*, & ſpecialiter de Hæreticis habetur *cap. quicumque de hæret. in 6.* Cæterum nomine loci ſacri venit ſolum locus benedictus, & ad ſepulturas deſignatus: *cap. fin. de conſecr. Eccleſ.* unde Excommunicatus ſepeliri poſſet in alio loco Conventus, ſeu Monaſterii: *Anton. a Sp. S. diſp. 2. n. 316. de excom.*, & alii communiter. Hic, ſi corpus excommunicati vitandi ſepultum fuit in loco deſignato ad fideles ſepeliendos, & poſſit ab aliis diſcerni, eſt exhumandum; ſecus, ſi non poſſit diſcerni: *cap. Sacris de ſepult.* Eccleſia tamen, utpote polluta, eſt reconcilianda ex *cap. conſulu iſti de conſecrat. Eccleſ. vel Altar.*

Non ſolum autem prohibetur ſepelire excommunicatum vitandum in loco ſacro, ſed inſuper ſepelientes incurrunt majorem excommunicationem: *Clement. 1. de ſepult.* ubi etiam eadem excommunicatione plectuntur ſepelientes nominatim Interdictos, vel publicos Uſurarios. Oportet tamen quod id faciant *ſcienter, & cum præſumptione*, ut ibidem dicitur, quas clauſulas explicavi, dum ſupra actum eſt de cauſis excuſantibus a Cenſura incurrenda. Cæterum non dicuntur ſepelientes, qui comitantur funus, qui pulſant Campanas, Clerici canentes, nec ii, qui deferunt corpus ad ſepeliendum, quia remote tantum poſſunt dici ſepelientes. Multi DD. volunt intelligendos eſſe nomine ſepelientium ſolum eos, qui propriis manibus excommunicatum ſepeliunt, ut videre eſt apud Leandrum *diſp. 8. de excom. q. 24. & 25.*; nam lex in materia pœnali, quoad fieri poteſt, eſt reſtringenda. Verum, ſi attendatur ratio directa, puto comprehendi etiam mandantes, & procurantes, ut excommunicatus vitandus in loco ſacro ſepeliatur. Ratio eſt, quia lex etiam pœnalis extendenda eſt ad caſum, in quo eadem ratio militat, ſi ſublata tali extenſione inutilis redderetur. Quis autem non videat, Clementinam citatam omnino futuram inutilem, ſi pro ſepelientibus, intelligendi illi ſolum eſſent, qui propriis manibus cadaver mandant ſepulturæ; nam viles iſti homines, vel ratione ignorantiæ, ſeu metus, ſemper, vel fere ſemper a cenſura excuſarent. Ne ergo otioſa reddatur Pontificia Conſtitutio, extendenda videtur, ad Mandantes, & Procurantes; cum præcipiendo, ſeu procurando, & ipſi dicantur ſepelire: *Suar. diſp. 12. ſect. 4. n. 10. Coninch. diſp. 14. dub. 8. n. 67. Reginal. l. 32. num.* 13. Cum tamen contrariæ opinionis probabilitas negari haud poſſit, ideo ex hac ratione reflexa non facile illos excommunicationem incuriſſe judicarem.

In caſu igitur, in quo excommunicatus vitandus moriatur, obſervandum eſt, quod ſi non dedit ſigna Pœnitentiæ, omnino carere debet Eccleſiaſtica ſepultura, & illius oſſa ſunt projicienda. Si vero dedit ſigna pœnitentiæ, abſolvendus eſt antequam ſepeliatur: *cap. a nobis de ſent. excom.*, ni fuerit abſolutus in foro pœnitentiæ, quia, ut ſepulturæ mandetur, aliud non requiritur in capite citato, niſi quod fuerit abſolutus. Quod ſi nec in foro conſcientiæ abſolutione obtenta ſepultus fuit, non eſt ſtatim exhumandus, ſed obtinendum eſt a legitimo Superiore, ut dignus fiat Eccleſiaſtica ſepultura: *Bonac. q. 2. p. 3. §. 3. n. 7.*

An vero hucuſque dicta etiam verificentur in ordine ad excommunicatum toleratum, variant DD. Et quidem nullum dubium eſt, quod etiam excommunicatus toleratus, ſi ſit notorius, privandus ſit Eccleſiaſtica ſepultura, dum moriatur impœnitens; nam tunc incapax eſt ſuffragiorum Eccleſiæ, utpote ratione peccati excluſus a Regno cœleſti; *Palaus diſp. 1. p. 6. num. 12.* Si vero non obiit impœnitens, dum ſit notiore excommunicatus, multi volunt privandum eſſe Eccleſiaſtica ſepultura; nam ita ſanciri videtur *cap. ſacris cit.*, *& Clement. 1. de ſepult.*; & aliunde, ex dictis in primo quæſito, Concilium Conſtantienſe in nihilo relevare intellexit iſtos excommunicatos. Nihilominus valde probabilis, & communior eſt contraria opinio; nam quoad excommunicatum toleratum non militat ratio, quare ex Sacris Canonibus privandus ſit Eccleſiaſtica ſepultura, ne ſcilicet communicet cum defunctis, cum quibus communicare non potuit, dum erat inter vivos, re vera etenim poſt Concilium Conſtantienſe communicamus cum excommunicatis toleratis. Inſuper prohibitio ſepeliendi excommunicatos reſpicit vivos, ut cum illis non communicent, quare ceſſare videtur, dum cum eis poſſunt communicare: *Navar. cap. 27. nu. 26.*, *Coninch. diſp. 14 dub. 8. num. 45.*, & plures alii quos ſequitur Diana *p. 4. tr. 9. reſol. 76.*

Q. VII. An Excommunicatus privetur Beneficiis, & fructibus illorum.

R. I. Sicuti certum eſt excommunicatum non privari Beneficiis legitime obtentis ante excommunicationem, ita certum eſt nullam omnino, & invalidam eſſe collationem Beneficii Eccleſiaſtici factam excommunicato; *cap. poſtulaſtis de Cleric. excom. miniſtr.* Nomine collationis intelligitur omnis electio, præſentatio, nominatio, permutatio, reſignatio, literarum impetratio &c. cum non conveniat obtinere Beneficium illum, qui officium Eccleſiaſticum ipſi annexum exercere non poteſt: *Coninch. diſp. 14. d. 9. n. 69. Palaus diſp. 2. p. 10. n. 1. Diana p. 5. tr. 8. reſol. 90. Garzia de Benefic. p. 7. c. 13. n. 15.* Idem dicendum de quacumque penſione ſpirituali; nam habet rationem Beneficii: unde invalide confertur Clerico excommunicato: *Suar. diſp. 13. ſect. 1. n. 7. Dian. p. 4. tr. 4. reſol. 55. & p. 5. trat. 9. reſol. 103. Alterius tom. 1. l. 2. diſp. 6. n. 4.* Secus dicendum de penſione temporali data Laicis ob aliquod ſervitium Eccleſiæ præſtitum; nam nullo modo eſt beneficium.

Quamvis autem nulla ſit collatio beneficii facta excommunicato, nihilominus, ſi illi collatum fuit antequam incideret in excommunicationem, acceptare illud poteſt, etiam dum eſt excommunicatus; nam jura irritam reddunt collationem, non autem acceptationem, & cum ſimus in materia odioſa, non ſunt extendenda ad

caſus

caſus in jure non expreſſos, unde excommunicatus poteſt beneficium antea ſibi collatum acceptare; animo tamen exercendi munera Beneficii poſt obtentam abſolutionem: *Garz. cit. n. 19. Candid. diſp. 18. a. 14. dub. 3. Bonac. q. 2. p. 4. §. 1. n. 1. Dian. p. 4. tr. 9. reſol. 59.*

E contra, ſi collatio fiat eo tempore, quo aliquis erat excommunicatus, puto Beneficium nulliter acceptari, etiam poſt obtentam abſolutionem. Quamvis igitur Collator non mutaſſet voluntatem, nihilominus quia cenſetur perſeverare eadem collatio, quæ ante abſolutionem facta fuit, ſi ab initio nulla fuit, nec tractu temporis potuit convaleſcere: *l. 1. ff. de reg. Jur.*; ſicut non poteſt ſufficienter intelligi perſeverare id, quod in ſua origine nullum fuit: *Navar. c. 15. n. 21. Coninch. diſp. 14. dub. 9. n. 54. Dian. p. 4. tr. 4. reſol. 56. & p. 5. tr. 9. reſ. 101.* Neceſſaria ergo videtur nova collatio, & acceptatio ut etiam docent *Leſſ. l. 2. c. 34. dub. 22. n. 119. Sanch. l. 8. de matr. diſp. 7. n. 12.* Secus dicendum, ſi collatio facta ſit a Papa cum clauſula abſolutionis a cenſuris, ad effectum gratiam conſequendi; vel ſi Papa ſciebat illum, cui conferebat Beneficium, eſſe excommunicatum; nam Princeps aſſumens quem cognoſcit inhabilem, intelligitur diſpenſare in jure ſuo, & habilem reddere.

Oritur hic ſolita lis inter DD., an ſolus excommunicatus vitandus inhabilis ſit ad Beneficia, vel an etiam toleratus. Ego autem, cum, ex ſæpe dictis conſiderem noluiſſe Concilium Conſtantienſe in nihilo relevare excommunicatos etiam toleratos, non ſatis video quomodo debeant eſſe capaces Beneficiorum quibus jure communi privantur: *Covar. in c. Alma Mater p. 1. §. 7. n. 2. Suar. diſp. 13. ſect. 1. n. 25. Altorius l. 2. diſp. 6. c. 2. n. 2.* Authores ſuſtinentes contrariam opinionem dicunt excommunicatos toleratos capaces eſſe Beneficiorum, quia ceſſat ratio cur inhabiles ad ea redditi ſunt *ex cap. poſtulatis de Clerici excom. miniſtr.* quia nempe excommunicatus non poteſt in officio cum aliis communicare. Ita multa citatis *Dian. p. 5. tr. 9. reſol. 99.* Verum, meo videri, non ſatis ceſſat neque poſt Concilium Conſtantienſe talis ratio, quia re vera excommunicatus etiam toleratus de ſe non poteſt cum aliis in officio communicare, & ſolum communicare poſſet ab aliis requiſitus. Præterea, cum excommunicatus etiam in pœnam ſuæ contumaciæ inhabilis reddatur ad Beneficia hæc ratio utique non ceſſat nec pro excommunicato tolerato.

R. II. Excommunicatus retinere non poteſt fructus beneficii collati, antequam incideret in excommunicationem, cum nullo jure ſatis pateat ipſis privari. Neque obſtat, quod *cap. paſtoralis §. Verum de appellat.* dicatur eſſe illi ſubtrahendos; nam hoc intelligi debet de ſubtractione per ſententiam Judicis, ut dicit ibi Gloſs. V. *ſubtrahuntur*, & docent *Coninch. diſp. 24. dub. 9. n. 81. Candid. diſq. 28. de benef. a. 15. dub. 2. concl. 3. Sanch. l. 3. de matr. diſp. 51. n. 12. & alii apud Dian. p. 4. tr. 4. reſol. 104.* Præterea contrariæ opinioni obſtat conſuetudo, quæ dat jus certum retinendi fructus, donec excommunicatus illis per Judicis ſententiam privetur. Poſt talem vero ſententiam abſque dubio tenetur reſtituere fructus perceptos in excommunicatione, & quos percipiet uſque ad abſolutionem. Limita, niſi injuſte illi denegetur abſolutio; nam tunc, cum non ſtet per ipſum, quominus abſolvatur, æquum non eſt, ut fructibus Beneficii privetur.

Quoad fructus vero Beneficii ſibi collati in ſtatu excommunicationis, cum collatio fuerit nulla, maxime ſi fuit vitandus, utique ante omnem Judicis ſententiam debet eos reſtituere. Quod ſi inſervivit Beneficio, vel quia ignoravit ſuam excommunicationem, vel quia, cum eſſet occulte excommunicatus, non poterat ſine infamia dimittere Beneficium, tunc poſſet retinere quæ ſibi competerent pro honeſta ſuſtentatione titulo mercedis, ſicuti daretur alteri Clerico inſervienti: *Alter. l. 2. de Cenſ. d. 6. cap. 8. Pal. d. 2. p. 11. n. 1. &c.*

Q. VIII. An excommunicatus privetur Eccleſiaſtica juriſdictione.

R. I. Excommunicatus vitandus privatur omni uſu, & exercitio Eccleſiaſticæ juriſdictionis: *cap. ad proban. de ſent. & re judic. can. audivimus diſt. 24. q. 1. c. adverſus de Immun. Eccleſ. junct. Gloſſ.* Immo Eccleſia non ſolum privat excommunicatum uſu juriſdictionis; ſed & ipſam juriſdictionem ab illo removet, ut ex communi docet *Bonacin. q. 3. p. 5. n. 1.* Hinc excommunicatus vitandus non poteſt conferre valide Beneficia; *cap. 1. ne ſede vacante, in 6.* non poteſt eligere: *cap. unic. de ſed. vac. in 6.* quia excommunicatus eſt ſuſpenſus ab officio, & Beneficio, & electio facta a ſuſpenſis declaratur irrita: *cap. cum inter. de elect.* Solummodo electio Summi Pontificis, ad vitanda maxima mala, valide fieret a Cardinalibus excommunicatis: *Clement. ne Romani §. Cæterum de elect.* Quod ſi inter Electores unus ſit excommunicatus, & ejus ſuffragium neceſſarium ſit ad electionem, pariter electio eſt nulla: *arg. cap. ad prob. de ſent. & re judic.* Secus, ſi illius ſuffragium non erat neceſſarium ad electionem; nam tunc nullo jure aperte irritatur, ut contra alios docent *Pal. d. 2. p. 13. n. 13. Bonac. cit. &c.* Item nulla eſt præſentatio facta a Patrono excommunicato vitando, ſi juſpatronatus fundetur in titulo clericali, quia tunc eſt actus poteſtatis, & juriſdictionis Eccleſiaſticæ; *c. cum autem, cap. nobis, cap. penult. de jure patr.* Secus, ſi jus præſentandi non fundetur in titulo Clericali, quamvis nec tunc Epiſcopus teneatur præſentationem admittere, quia non tenetur communicare cum excommunicato: *Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. Coninch. diſp. 14. dub. 30.* Immo addit *Suarez diſp. 14. ſect. 2. n. 30.* admittere non debere præſentationem factam ab excommunicato non tolerato, cum non poſſit cum illo communicare. Quod ſi Epiſcopus acceptavit præſentationem, debet præſentatum inſtituere; quamvis enim invalida fuiſſet præſentatio, tunc jus integrum devolvitur ad inſtitutorem ex Theologis ſupracitatis. Si vero Epiſcopus inſtituit præſentatum ab eo, quem ignorabat eſſe excommunicatum, tunc poſſet inſtitutionem reſcindere. Demum, quamvis præfata omnia exerceri non poſſint ab excommunicato vitando, quia important exercitium juriſdictionis: nil tamen obſtat quin poſſit reſignare Beneficium; nam hoc non eſt exercere juriſdictionem, ſed Beneficio cedere.

Ob defectum pariter omnis Eccleſiaſticæ juriſdictionis in Excommunicato vitando, non valet abſolvere, diſpenſare, committere aliis Sacramentorum adminiſtrationem, ſicut nec delegare alteri ſuam juriſdictionem. Quod ſi alteri delegavit, & poſtea incidat in excommunicationem, cum tunc in eo ceſſent juriſdictio, ceſſat & in Delegato; cum hujus poteſtas pendeat a poteſtate Delegantis. Excipe, ſi res non ſit adhuc integra, & jam inceptum ſit exercitium juriſdictionis; tunc enim poteſt Delegatus proſequi uſque ad concluſionem: *cap. relatum §. Licet de offic. Deleg.* Hoc tamen verum non eſt, ſi Delegans, & Delegatus faciant unum tribunal, qualiter ſe habet tribunal Epiſcopi, & Vicarii Generalis; nam tunc etiam adhuc re non integra, ceſſante juriſdictione in Delegante, ceſſat & in Delegato; *cap. Romana de Offic. Vicar. in 6.*

Prædicta non aptantur excommunicato tolerato; nam in jure illius acta ſuſtinentur, ni adverſus eum apponatur exceptio, eaque fieri debet intra octo dies ab Excipiente, adducendo ſpeciem excommunicationis, & cauſam illius: *cap. 1. de except. in 6.* Oppoſita autem, ac probata hac exceptione, ipſius acta remanent invalida: *Navar. in Man. c. 27. n. 31. Suar. d. 31. Suar. d. 11. ſect. 4. n. 6. Leſſ. l. 2. cap. 29. dub. 7. num. 17.*

Q. IX. An excommunicatus inhabilitetur ad exercendos actus legitimos in judicio.

R. Quid dicendum ſit de excommunicato tolerato patet ex dictis immediate ante. Quoad excommunicatum vero vitandum, reſpondetur affirmative, adeo ut nullus ex his ex jure poſſit eſſe Judex, Actor, Advocatus, Tabellio, Teſtis; & id non ſolum quia illi prohibetur cum aliis communicare, ſed etiam quia ſpecialiter ab his omnibus prohibetur: *cap. veniens de teſt. cap. decernimus de Sent. excom. in 6. & c. 1. de excep. in 6.* atque illius acta non ſolum illicita ſunt, ſed etiam invalida quamvis agat in judicio per Procuratorem: *cap. ult. de procurat.* Hinc Judex tenetur repellere a judicio excommunicatos vitandos: *cap. decernimus de ſent. excomm. in 6.* Sicuti & poteſt repellere excommunicatos toleratos, excipiendo contra ipſos tanquam inhabiles ad ſtandum in judicio: *cap. a nobis de excep. & cap. 1. eod. tit. in 6* quamvis non teneatur ni aliquis contra eos excipiat, quia nolit cum illis communicare: *Suar. diſp. 1. ſect. 3. num. 3. Coninch. diſp. 14. dub. 11. n. 101.* aliique apud *Dianam p. 6. tr. 9. reſ. 101.*

Quod ſi excommunicatus vitandus citetur, & accuſetur ut Reus in judicio, puto poſſe per ſeipſum reſpondere ad ea, quæ ſibi objiciuntur, exceptiones adducere &c. quamvis plures dicant illi licere comparere per ſeipſum in judicio, ſi non inveniat idoneum Procuratorem. Ratio mihi eſt, quia *cap. cum inter, cap. dilecti, cap. Venerabilem de excep.* abſque ulla limitatione ipſi permittitur ſeipſum in judicio defendere; unde quando *cap. in-*

intelleximus dicitur debere reſpondere per alium, ne videantur juta eſſe inter ſe contraria, intelligendum eſt reſpondere debere per alium, caſu quo non ſit idoneus per ſe, val nolit per ſemeptipſum reſpondere: *Suar. diſp.* 14. *ſect.* 4. *n.* 8. *Alterius lib.* 2. *diſp.* 3. *cap.* 5., *Dian. p.* 5. *tr.* 9. *reſol.* 111.

Quia tamen cirato *cap. intelleximus* ſermo eſt da reo neceſſario, da Reo nempe, qui cogitur in judicio reſpondere, hinc eſt; excommúnicatum vitandum, ſi ſit reus volnatarius, comparendo ſpoate in judicio, ut povocet Actorem ad agendum, audiendum non eſſe, niſi prius abſolvatur: *Alterius cit.*

Q. X. An excommunicatio privet communicatione cum aliis: & quibus ex cauſis licita ſit communicatio cum excommunicato vitando.

R. Jam ex dictis in ſecundo quæſito, interdicitur excommunicatis etiam toleratis quæcumque communicatio cum aliis Fidelibus, tam in Divinis, quam in humanis, & politicis; quamvis licite Fideles communicare poſſint cum excommunicatis toleraris. Quia tamen interdicta eſt fidelibus omnis communicatio cum excommunicatis non toleratis, ideo ut facilius quiſque ſciat, a quibus debeat abſtinere, oppoſitus eſt tequens verſiculus.

Os, orare, vale, communio, menſa negatur,

Per ly *os* intelligitur quicumque diſcurſus, confabulatio &c. etſi fiant alio mediante, & per literas; ſicut etiam ſigaa amicitiæ, ut oſcula, amplexus &c. per ly *orare* intelligitur prohibita omais communicatio in ſacris, & divinis, de quibus ſupra. *Per ly vale*, intelligitur prohibita quæcumque amica ſalutatio, quocumque modo fiat. Non deſunt tamea qui dicaat licite reſalutari excommuaicatum, ipſo prius ſalutaate, cum tunc videatur quædam debiti ſolutio. At mihi probabilior videtur contraria opinio, quia ratione excommunicationis amittit jus ut reſalutetur. Per ly *communio* intelligitur prohibita quæcumque ſocietas, ut in habitatione, contractibus, judiciis, exercitiis, laboribus &c. Per ly *menſa* prohibetur ſumere cibum, & potum cum excommunicato vitando, quando reputatur quis comedere cum eo per modum ſocietatis, ut ſi eſſet in eodem convivio, refectorio &c. Hinc ſi quis per accidens eſſet in eadem Caupona cum excommunicato non tolerato, poſſet cum eo comedere in eadem Menſa, dummodo ibi non ſumereat cibum per modum ſocietatis.

Q. XI. Quæ ſint cauſæ, in quibus licitum ſit communicare cum excommunicato vitando.

R. Hujuſmodi cauſæ recenſentur: *can. quoniam multos* 11. *q.* 3., & ſequenti verſiculo continentur.

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Utile denotat primo utilitatem ſpiritualem ipſius excommunicati; unde non teaemur abſtinere ab omnibus iis, quæ judicamus conducentia ad ipſius reſipiſceatiam. Secuado, deaotat utilitatem ipſius communicantis; ut ſi illi valde utile ſit conſilium petere ab Advocato, ſeu Medico excommunicato; vel ſi ab eo expoſcat ſuum creditum, quod & privatim expoſcere poteſt ipſe Excommuaicatus, noa vero in judicio. Tertio, poteſt cum illo communicare, ſi ita expoſcat Proximi utilitas.

Lex ſignificat legem matrimonii, unde Uxor poteſt commuaicare cum Marito excommunicato ſicut antea, per textum expreſſum *in cap. quoniam multas.* Idem ibidem dicitur reſpectu Filiorum, Servorum, Ancillarum, municipiorum, ruſticorum ſervientium &c., qui exprimuntur per ly *humile*. At quia Sacri Canones noluerunt hic eſſe interdictam commuaicationem cum Excommuaicato vitando ad vitandum aaimæ periculum, & propter domeſticam utilitatem, ſeu neceſſitatem: ideo cum militet eadem ratio pro Marito reſpectu Uxoris, pro Patre reſpectu Filiorum, pro Domino reſpectu Servorum, communiter docent DD. neque Marito neque Patri, neque Domino prohibitam eſſe communicationem reſpectu præfatorum: *Covar. in cap. alma Mater* 1. *p.* §. 1. *n.* 8. aliique apud Dianam *p.* 5. *tr.* 9. *reſol.* 123.

Res ignorata ſignificat quod ſi quis ignoret ignorantia, quæ non ſit craſſa, aliquem eſſe excommunicatum, vel eſſe vitandum, excuſatur ſi cum eo communicet. Cæterum ſi quis merum habeat dubium de alterius excommunicatione, non tenetur ab ipſius communione recedere; nam propter ſuum dubium non debet alterum privare jure certo, quod habet commuaicandi cum aliis.

Neceſſe ſignificat quod ſtaata notabili neceſſitate, ſive ſpirituali, ſive temporali, vel ipſius excommunicati, vel communicantis cum eo, vel alterius tertii, non eſt interdictum cum illo communicare.

Q. Ultima. Quala peccatum committat, & quam pœnam incurrat, qui extra caſus a jure permiſſos communicat cum excommunicato non tolerato.

R. I. Jam ex dictis ſupra *quæſit.* 1. communicare cum excommunicato vitando in ſacris, & Divinis eſt peccatum mortale, veniale vero in humanis, & politicis.

R. II. Qui communicat cum excommunicato vitando in crimine criminoſo, ultra peccatum mortale, incurrit majorem excommunicationem; *cap. nuper*, & *cap. ſi concubina de ſent. excomm.* Ut autem id verum ſit, primo neceſſe eſt, ut quis communicet in eodem crimiae, propter quod jam alter fuit excommunicatus; ut ſi quis conſulat Concubiaario non dimittere Concubinam, vel injuſto detentori non facere reſtitutionem, ſi hi propter has cauſas jam fuerunt excommunicati. Secundo, oportet ſcire, eum, cum quo communicat, eſſe excommuaicatum, nam *c. nuper.* imponitur præfata pœna *participanti ſcienter*. Tertio; oportet quod ita cum ipſo participaverit, ut commiſerit grave peccatum. Quarto, neceſſe eſt, ut ille, cum quo participat, ſit nominatim denuntiatus, alias non eſſet vitandus. Hinc multi docent, participantem cum notorio Clerici percuſſore, non incurrere majorem excommunicationem, ſi talis percuſſor non fuerit denuntiatus: *Bonac, q.* 2. *p.* 6. §. 1. *n.* 5. & alii apud ipſum.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Studeant Parochi, & Confeſſarii iis, quæ pertinent ad Cenſuras, nam poſſunt caſus evenire, in quibus ſolemniter errent. Audiant quod mihi accidit, quamvis Diœceſim, & locum ſilentio prætereaam. Vulgata fuit vox, quemdam Ruſticum fuiſſe excommunicatum, eo quod recuſaret reddere rationem redditiuum Fabricæ Eccleſiæ ſuæ Communitatis. Poſt aliquot interim dies, cum in vicina Eccleſia SS. Virginis Roſarii Feſtum celebretur, ſubortum eſt dubium inter Parochos plurium Eccleſiarum, qui ad feſtum venerant, an admitti poſſent ad Sacramenta, qui cum præfato Ruſtico loquuti fuerant. Convenerunt igitur perdocti illi Parochi in Sacriſtia, ubi pluribus hinc inde diſcuſſis, & adductis, unanimi tandem ſenteatia decreveruat, ut dignior inter eos incunctanter ad Altare Majus accederet, ac numeroſum adſtantem Populum clara & intelligibili voce moneret, non poſſe niſi ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Epiſcopo abſolvi eos qui cum dicto Ruſtico ſermonem habueraat; adeoque abſtinendum ab eis eſſe a Sacramento Pœnitentiæ, & S. Synaxi. Cum eadem die ad illum locum perveniſſem, ſtatim de tot Parochorum unanimi deciſione fui interrogatus: & heu, reſpondi in corde meo, ſi poſt obtentum Beneficium perpetuum *vale* ſuis libris non dixiſſeat, non tam ſolemniter erraſſent. Primo, ni fallor, ille Ruſticus ſolum monitus publice fuerat de reddenda ratione ſuæ adminiſtrationis ſub pœna excommunicationis incurrendæ, & nondum inciderat in excommunicationem. Secuado, iſte unicus Regionis Lanio erat, adeoque multi ex neceſſitate dumtaxat cum eo ſermonem habuerant. Tertio, nemo, ſeu fere nemo illorum Ruſticorum ſciebat prohibitum eſſe loqui cum Excommunicato. Quarto, & ſi ſciviſſent, non incurriſſent niſi minorem excommunicationem, a qua unuſquiſque Confeſſarius poteſt abſolvere. Non injucunde audiſſem valida argumenta contrariæ illorum Doctorum ſeatentiæ.

II. Secundo pro praxi advertat Confeſſarius communem eſſe errorem dicere, eum qui videt aliquem Clericum percutere, non poſſe cum percuſſore loqui. Hinc quidam Confeſſarius, mihi notus, cum, remotis arbitris, fuiſſet a quodam validis pugionibus percuſſus, ommittens lividis ceruſſa mederi, nil aliud curavit niſi de admonenda quadam muliercula, quæ forte ibi ſupervenit, ut abſtineret a quocumque ſermone cum percuſſore; qua ratione miſera fœmina, & pro ſe valde timebat, ne pugnis, & calcibus impeteretur. Pius quidem, ſed indoctus Confeſſarius. Non erat ergo ille percuſſor vitandus, quia non erat notorius. Secundo, non erat vitandus, quia cum ante ſententiam Judicis poſſit crimen tergiverſari, eſt ſententia ſatis communis, nullum Clerici percuſſorem, ante Judicis ſententiam eſſe vitandum.

III. Item præ oculis habeat Confeſſarius occulte excommunicatum non eſſe repellendum a Sacramentis, ſi publice petat. Item licite petere, ſi non poſſit ab eis abſtinere ſine gravi infamia; adeoque pro tali caſu ceſſare impedimentum, quod advenit ab excommunicatione.

IV. Com-

Digitized by Google

IV. Communiter dicitur, quod ſi excommunicatus vitandus intret in Eccleſiam, dum celebratur Miſſa, Sacerdos, qui ſaltem Canonem nondum incœpit, debet Miſſam ommittere, & Adſtantes recedere. Sed hæc doctrina non tam feſtinanter ad praxim reducatur. In caſu igitur, quo talis Excommunicatus intraret in Eccleſiam, primo conſideretur, an ſit tranſeunter; & ſi ſit permanenter, an in tali loco ſtet, ut non judicetur cum aliis adſiſtere Miſſæ; nam in his caſibus inquietandi non ſunt nec Sacerdos Celebrans, nec Miſſam Audientes.

V. Si unquam daretur caſus, ut obires in aliqua Parochia Excommunicatus notorius, primo videat Parochus, an ſigna dederit Pœnitentiæ, & tunc ſi eſt toleratus poteſt in praxi ſequi opinionem, quæ permittit illum ſepeliri in loco ſacro. Si vero non erat toleratus, item ſepeliendus eſt in loco ſacro, ſi potuit abſolvi ſaltem pro foro pœnitentiæ, antequam moreretur. Si vero quamvis dederit ſigna pœnitentiæ, non fuit qui aliquo modo abſolveret, tunc ſepeliendus non eſt in loco ſacro, antequam abſolvatur.

VI. Si quis poſt obtentum Beneficium, adinveniat obtinuiſſe illud tempore, quo erat excommunicatus, advertat Confeſſarius collationem fuiſſe nullam, adeoque ſaltem eſſe ſanandam; nam ignorantia excuſavit quidem acceptantem Beneficium a culpa, non tamen reddidit validam collationem. Videat autem, ſi illi arrideat opinio, qua aſſeritur ſolum excommunicato vitando invalide Beneficia conferri.

Quando excommunicatus incurrat Irregularitatem, innuam infra agendo de Irregularitate.

QUÆSTIO III.

De Excommunicationibus in Bulla Cœnæ.

CAPUT I.

De prima, Secunda, Tertia. Quarta, & Quinta Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Q. I. Quid ſit Bulla Cœnæ.

R. Hæc Bulla hoc nomen ſortitur, quia quotannis legitur, & publicatur in die Cœnæ Domini coram Summo Pontifice. Triplicem autem ob cauſam editur. Prima, ad conſervandam Fidem Catholicam per remotionem hæreſum, Schiſmatum &c. Secunda, ut ſervetur unio inter Fideles, & Chriſti Vicarium; qua ratione; non ſolum excommunicantur Schiſmatici, ſed etiam negantes Primatum Pontificis, appellantes ad futurum Concilium, falſificantes Literas Apoſtolicas &c. Tertia, ut ſervetur ſocietas inter ipſos Fideles; unde excommunicantur, qui exercent deprædationes, & latrocinia maritima, Imponentes onera, violantes immunitatem &c. Hæ cauſæ magis patebunt in explicandis particularibus Cenſuris.

Hæc Bulla, ut patet ex ejuſdem clauſulis, non extinguitur morte Pontificis, nec ex eo, quod Papatum abdicaret &c. unde habet naturam Legis, & Conſtitutionum latarum a jure.

Q. II. Qui incurrant primam excommunicationem latam in Bulla Cœnæ contra Hæreticos, ipſorum receptatores, fautores &c. Legentes eorum libros &c.

R. I. Ut aliquis propter hæreſim incurrat excommunicationem latam in Bulla Cœnæ primo debet ita hæreſim exprimere, ut appareat ejus pravus animus; unde qui hæreſim proferret legendo, vel tranſcribendo &c. non incurreret talem excommunicationem, quia non ſatis manifeſtat ſuam hæreſim. Item debet ſignis, vel verbis ſufficienter externe hæreſim manifeſtare, alias eſſet hæreticus pure mentalis, quem Eccleſia nunquam excommunicavit; *Sanch. in Sum. l. 2. cap.* 8. & communiter. Demonſtraret autem ſatis ſuam hæreſim, qui non credens adeſſe in Hoſtia conſecrata Corpus Chriſti, cooperto capite aſpiceret Hoſtiam a Sacerdote elevatam, non vero qui cooperto capite tranſiret ante S. Imaginem; nam quamvis non crederet eſſe Dulia adorandam, quatenus repræſentat Prototypum, hoc tamen non ſatis percipitur, ex eo, quod ante eam tranſiret, nullo reverentiæ ſigno exhibito. Cæterum putat *Suar. de cenſ. diſp. 4. ſect. 3. n.* 17. & alii, ad incurrendam hanc excommunicationem ſatis eſſe, ſi hæreſis verbis æquivocis exprimeretur, quia revera verificatur fuiſſe ſufficienter expreſſam. Demum requiritur, ut dum externe hæreſis profertur, vere proferatur hæreſis formalis, non materialis, hoc eſt, quod ſua prolatio habeat malitiam hæreſis internæ. Hinc utique non remanent excommunicati, qui ignoranter hæreſim proferunt, nec qui in ebrietate proferunt hæreſim, quam animo retinent; nam quamvis ea prolatio, ſi fuerit prævisa, mala fuerit in ſua cauſa, non tamen eſt formaliter hæreſis, ſed ſolum materialiter, dum profertur in ebrietate; *Sanch. in Sum. l. 2. cap. 8. n. 24. Bonac. de Cenſ. d. 1. q. 2. p. 2. n. 3. &c.*

Advertere tamen eſt, quod ſi hæreſis proferatur occulte, ſeu nemine ſciente, non proinde proferens excuſatur ab excommunicatione Bullæ Cœnæ, quia per accidens eſt, quod non poſſit probari: *Sanch. cap. 56. n.* 103. *Azor. p. 1. l. 3. cap. 10. q.* 4. Quæ dicta ſunt de hæreticis, valent de Apoſtatis, hoc eſt, de iis, qui in totum receſſerunt a Fide; nam & hi excommunicantur in prima excommunicatione Bullæ.

R. II. Excommunicantur in Bulla Cœnæ Credentes, Receptatores, Fautores, Defenſores Hæreticorum. Nomine *Credentium* veniunt illi, qui externe demonſtrant ſe credere veram eſſe doctrinam Hæreticorum; quamvis nullum ipſorum errorem credant in particulari. Illi vero dicuntur Receptatores, Fautores &c. Hæreticorum, qui illos recipiunt, fovent &c. ut hæreticos; non vero ſi recipiant &c. ut Amicos, & conſanguineos; & hoc titulo recipere creditur, ſi vere amici ſint, vel Conſanguinei, nec appareat fovere, defendere &c. errores: *Craſſ. 1. p. l. 4. ſ. 18. n.* 35. Quod ſi nihilominus ex alicujus favore, defenſione &c. actu non ſequatur hæreſis, favor & defenſio, puto poſſe excuſari ab excommunicatione; nam intelligi poteſt excommunicari Fautores, Receptatores &c. effectu ſequuto: *Bonac. de Cenſ. diſp. 1. q. 3. p. 3. num.* 3.

R. III. Item excommunicantur Legentes Libros Hæreticorum continentes hæreſim, vel de Religione tractantes. Pro Legente non intelligitur audiens alium legere, quia vere non legit. *Anton. a Sp. S. in Direct. p. 2. tr. 3. d. 6. num.* 932. quamvis peccare poſſit, ſi audiens ſe exponat periculo errandi. Item non intelligitur legere, qui legit librum, cujus linguam non intelligit; nam in præſenti lectio prohibita eſt propter intellectionem, & in omni actu, & diſpoſitione finis eſt conſiderandus: *l. diximus ff. de excuſat. Tutor.* & tradunt in præſenti *Gabr. a S. Vincent. de Cenſ. diſp. 4. q. 9. §. 5. n.* 203. *Dian. p. 1. tr. 51. reſol. 6. contra Bonac.* pariter valde probabiliter non incurreret Cenſuram, qui per alium legeret, nam cenſura lata contra facientes, non ligat mandantes, ex dictis ſupra *q. 1. c. 6. quæſit.* 5.

Ulterius ad incurrendam Cenſuram Bullæ Cœnæ, oportet librum eſſe Hæretici, & hæreſim continere, vel de Religione tractare; & tunc dicitur tractare de Religione quando vel aſſumit explicare S. Scripturam, ſeu tractare quæſtionem Theologicam, ſive Scholaſticam, ſive moralem. Non ego incurrir hanc cenſuram, qui legeret librum non Baptizati; quamvis tractaret de Religione, vel contineret hæreſim: *Suar. d. 2. de Fide ſect. 2. n. 11. in fin.* nam hic proprie non eſt hæreticus, ſed Paganus.

Quia autem nomine Libri in communi appellatione non veniunt Concio, vel Epiſtola; ideo hujuſmodi legentes; quamvis ſint Authoris Hæretici, & contineant hæreſim, ſeu tractent de Religione, valde probabiliter a Cenſura excuſantur: *Sanch. l. 2. in Decal. cap. 50. n. 2. Laym. l. 2. tr. 6. cap.* 15., & alii. Idem *Sanchez ibidem n.* 28. cum *Suar.* & aliis, docet hic nomine libri venire etiam manuſcriptum Hæretici. Verum, meo videri, negari non poteſt probabilitas contrariæ opinionis, tum quia pro libris, cum facillime divulgentur, & durent, eſt peculiaris ratio, ac de Manuſcriptis; tum quia cum nominatim exprimi ſoleant manuſcripta, dum Pontifex vult ea prohibita, ut patet *ex ſeſſ. 4. Trid. ſub fin.* hinc eſt, quod dum non ſunt expreſſa, non videntur incluſa in prohibitione: *Tambur. in Decal. l. 2. c. 5. de Fid. §. 7. num.* 14.

Quod ſi liber ſit Hæretici, & contineat hæreſim, vel tractet de Religione, abſque dubio incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ, qui eam legit, etſi a libro hæreſis deleta fuiſſet, quia totus liber remanet damnatus, etſi diviſus ſit in plures libros: *Dian. p. 6. reſol.* 55. Si vero diviſus ſit in plures Tomos, legi poteſt Tomus, qui non contineret hæreſim, quia eſſet liber diverſus, etſi per accidens alteri unitus: *Trull. in Decal. l. 1. c. 3. dub. 9. num.* 19.

Solet denique hic requiri, quæ lectio præfati Libri judicanda ſit parvitas materiæ, ab excommunicatione excuſans. Putant aliqui eſſe parvitatem materiæ legere paginam

Digitized by Google

ginam cujuſcumque Libri: *Sanch. l. 1. Sum. c. 20. n. 31.* Sed hæc ſententia videtur nimis laxa; nam quamvis rejicere non vellemus ſententiam Dianæ *in Sum. v Hæreticorum Libri num. 38.* dicentem parvam eſſe materiam legere aliquas lineas, quamvis in eis hæreſis contineretur, quia non ſolet hauriri, niſi legendo rationes antea, & poſtea pro eadem allatas, id tamen non militat pro ſententia *Sanchez*; nam in integra pagina & poteſt legi hæreſis & ſimul fraudolentum motivum illam inſinuandi. Ad ſummum ergo ſuſtineri poſſet opinio *Sanchez*, quando quis certus eſſet in ea pagina, quam legit, nullum eſſe errorem. Qui putant vel ex una linea poſſe hæreſim hauriri, non admittunt in præſenti parvitatem materiæ: *Tolet. in Sum. in Bulla Cœn excom. 1. n. 24.*

Hic denique adnotare judicavi, quod licet legentes alios Libros prohibitos Hæreticorum, vel Catholicorum non incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ; nihilominus prope finem regulæ XI. Indicis hæc leguntur: *Si quis libros Hæreticorum, vel cujuſvis Auctoris ſcripta ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata; atque prohibita legerit, vel habuerit, ſtatim excommunicationis ſententiam incurrat.* Legentes alios Libros prohibitos, peccant quidem graviter, ſed nulla ligantur cenſura.

R. IV. Excommunicantur per Bullam Cœnæ retinentes, imprimentes, & defendentes Libros Hæreticorum. Libri igitur Hæreticorum, de quibus in Superioribus, ex vi Conſtitutionis Julii III. incip. *Cum Meditatio*, conſignandi ſunt Inquiſitoribus, & ſi quis Libros retineat vel apud ſe, vel apud alios, incidet in præfatam excommunicationem, & id ſive ſint ignoti idiomatis, ſive retineantur ad deſtruendum, ſive ad involvenda aromata; ſemper enim verificatur retineri, & perſeverare Libros ex quibus hauriri poteſt hæreſis. Excuſaretur tamen ob parvitatem materiæ, qui unicum folium e. g. retineret ad illud deſtruendum: *Sanch. in Sum. l. 2. n. 54. Fagund. in Decal. l. 1. c. 14. n. 32.* Cæterum, ſi quis propria authoritate Hæreticorum Libros comburat, quia ex dictis dare deberet Inquiſitoribus, non incidit in Excommunicationem Bullæ, quia vere non retinet: *Suar. de Fid. diſp. 20. ſect. 2. n. 23. Sanch. cit. n. 36.*

Imprimentes Libros Hæreticorum, qui præſenti cenſura innodantur, ſunt illi, qui componunt literas, parant chartam, & atramentum, premunt torcular &c. vel qui proxime concurrunt ad impreſſionem, ut Author, vel alter, qui curat ut Liber imprimatur, & Domini Tipographiæ: *Suar. de Fid. d. 20. ſect. 2. n. 24 Graff. deciſ. p. 1. l. 4 c. 18. n. 50.* Ex hoc vero capite non incurrunt excommunicationem vendentes literas æneas, chartam, atramentum &c. ad imprimendum, vel Librum tranſcribens; immo & qui folia corrigunt, videntur poſſe excuſari, nam præfati omnes non dicuntur proprie imprimere: *Sanch. in Sum. l. 2. c. 10. n. 57.* Bene nihilominus poſſunt incurrere ex alio capite in excommunicationem, quatenus dici poſſunt fautores Hæreticorum; ſi ſciant ſe dare chartam ad eorum Libros imprimendos, & eorum emendationi inſiſtere: *Tambur. in Decal. l. 2. cap. 1. §. 7. num. 44*

Excommunicantur demum defendentes Libros Hæreticorum, quales ſunt, qui ſe paratos contra alios exhibent ad eos defendendos; nam id ſatis eſt, ut intelligantur eos defendere. Multo magis defenderet, qui voce, vel ſcripto tueretur, vel qui impediret, ne Inquiſitores invenirent, comburerent &c. Secus, qui ſolum laudaret ſtilum, vel acumen Authoris, dummodo, ita dicendo, in cauſa non eſſet, ut Liber conſervaretur. Videatur *Sanch. cit. n. 58., Tambur. n. 55.*

R. V. Demum excommunicantur Schiſmatici, qui ſcilicet pertinaciter ſe ſeparant ab unitate Eccleſiæ Univerſali, & a Pontifice ipſius Capite; ſchiſma etenim ex *D. Th. 2. 2. q. 39. a. 1. eſt voluntaria, & pertinax ſubſtractio, & ſeparatio ab obedientia univerſalis Eccleſiæ, vel Summi Pontificis.* Si ergo qui pertinaciter recuſet obedire Pontifici præcipienti, ut Caput eſt Eccleſiæ, vel exterius committat ſe Principi hæretico, ut Supremo Capiti, & Chriſti Vicario, iſte eſt Schiſmaticus; nam Schiſma non exigit quod quis non credat, S. Pontificem eſſe Caput Eccleſiæ, vel quod credat id Principi Laico poſſe convenire, ſed conſummatur per actum externum, quo quis recedit ab obedientia Papæ *Suar. de Cenſ. d. 21. ſect. 2. n. 13., Sanch. l. 2. Sum. c. 36. n. 5. & 14.* Quod ſi aliquis nollet obedire Papæ non præcipienti, ut Caput eſt Eccleſiæ, vel ſolum ut eſt Dominus temporalis, non eſſet Schiſmaticus. Ita aliis citatis *Palaus t. 1. tr. 6. d. 4. p. 5. n. 8.*

Q. III. Qui incurrant ſecundam Excommunicationem Bullæ Cœnæ latam contra appellantes ad futurum Concilium.

R. Ut incurratur iſta excommunicatio, primo intervenire debet appellatio *ab ordinationibus, & mandatis Papæ*, quorum nomine veniunt omnes ſententiæ vel generales, vel particulares, quæcumque admonitiones, cenſuræ, & pœnæ ab eo inflictæ: *Alter. in expoſ. hujus can. q. 4., Durand. l. 2. in can. 1. quæſt. 7. n. 6.* Quidam putant his ordinationibus, & mandatis ſolum ſignificari mandata in materia ſpirituali. Sed mihi arridet contraria opinio; nam hæc excommunicatio lata eſt ad impedienda Schiſmata, & rebelliones in Eccleſia, quæ oriri etiam poſſunt ex appellatione a mandatis Papæ in materia temporali. Præterea verba Bullæ ſunt generalia, unde cum jus non diſtinguat, nec nos debemus diſtinguere: *leg. §. Generaliter de leg. præſ. Gabr. a S. Vincent. de Cenſ. d. 4. q. 9. §. 2. n. 207.*

Secundo, intervenire debet appellatio *ad univerſale futurum Concilium*; unde ſi quis appellaret vel ad Concilium Provinciale, vel ad Univerſale Concilium præſens, ex vi Bullæ non incideret in excommunicationem, quamvis perverſe ageret: *Anton. a Sp. S. in Direct. p. 2. tr. 12. d. 3. ſect. 2. n. 482.* pluribus relatis. Ibi etiam monet non referre ad excludendam excommunicationem, ſi appellatio foret a mandato Papæ injuſto; nam tot eſſent mala hujus appellationis, ut potius conveniat injuſto mandato obedire. Ultra quamquod appellatus demonſtret ſe ſentire Concilium eſſe Papæ ſuperius, quod falſum eſt.

Poſita igitur præfata appellatione incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ omnes perſonæ particulares appellantes a quibuſcumque ordinationibus, & mandatis Papæ ad univerſale futurum Concilium. Item ii, *quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit*. Si proinde non fuit appellatum, vel favor, & auxilium præſtentur poſt interpoſitam appellationem, non habet locum Cenſura.

Quæſtio hic eſt, an intelligatur præſtare auxilium, vel favorem, qui ſuaderet appellationem. Et ego quidem credo, conſilium non confundendum eſſe eum favore, & auxilio; nam favor, & auxilium dirigunt ſolum ab extrinſeco, & conſilium juvat ab intrinſeco, dirigendo rationem operantis: *Anton. a Sp. S. cit. n. 484.* Præterea dum Bulla Cœnæ comprehendere vult conſulentes, ſolet exprimere, ut videbimus in ſeqq. Cæterum præfati Conſulentes incurrerent aliam Cenſuram reſervatam a Pio II. in Bulla incip. *Execrabilis*, & a Julio II. *Extra ſuſcepti Regiminis &c.*

Quia autem Univerſitas non poteſt excommunicari: *cap. Romana de ſent. excom. in 6.* ideo in præſenti, ſi Univerſitates, Collegia, aut Capitula appellent, ut ſupra, vel auxilium præſtent appellanti, interdicuntur, quo interdicto ligantur omnes de Univerſitate, Collegio, Capitulo &c., ut ſuo loco dicemus.

Q. IV. Quos comprehendat tertia excommunicatio Bullæ Cœnæ lata contra Piratas, eorumque Receptatores, & Fautores.

R. I. in iſto Canone Bullæ Cœnæ excommunicantur Piratæ, Curſarii, & Latrunculi maritimi diſcurrentes mare Pontificium, præcipue *a monte Argentario uſque ad Terracinam*. Hi autem reputantur Piratæ, Curſarii, & Latrunculi maritimi, qui bello non indicto, latrocinium exercent, & principaliter dici poteſt verſari in agendis prædis in mari: *Suar. diſp. 21. ſect. 2. nu. 24. & ſeqq.* Hinc tales non ſunt, qui belli indicti titulo, quamvis injuſte, ſeu prætextu vindictæ, vel pœnæ, vel defenſionis, in mari deprædantur; iſti etenim non Piratæ, ſed Hoſtes dicuntur: *l. hoſtes ff. de capt., l. hoſtes ff. de verb. ſign.*, & ita aliis citatis *Bonac. de Cenſ. d. 1. q. 4. p. 1. num. 4.* Secus, ſi aliquis navigaret tum cauſa belli, ſeu negociationis, ſed inſimul cauſa deprædendi; nam ſemper eſt Pirata, qui etiam cauſa deprædandi navigat: *Reginald. in prax. for. pœnit. l. 9. num. 264.* quamvis non deſint qui excuſent ab excommunicatione eos, qui ſola cauſa belli, vel negociationis navigationem aſſumunt, ſi oblata occaſione, mutarent animum, & deprædarentur, nam non ex officio, ſed incidenter prædam committerent: *Suar. diſp. 21. ſect. 2. n. 25.*

Diſputant etiam Authores, an ad incurrendam hanc excommunicationem ſatis ſit ingredi in mare animo deprædandi, quamvis de facto nil deprædetur; & ego probabiliſſime puto, non incurri excommunicationem,

niſi

Digitized by Google

niſi præda ſequuta, cum pœnæ non ſoleant induci, niſi effectu ſequuto, ut dixi *q.* 1. *c.* 1. *q.* 1. & tradit in præſenti cum aliis *Palaus: diſp.* 3. *p.* 4. *n.* 5.

Illud certum eſt, quod cum præcipue in Lege pœnali ſtricta facienda ſit interpretatio, non innodabuntur hac excommunicatione qui proprie dici non poſſunt *Piratæ Curſarii &c.* Item qui non deprædantur in mari Pontificio; nam in canone dicitur *diſcurrentes mare noſtrum: Graſſius l.* 4. *cap.* 18. *n.* 67. Idem dici poteſt de iis, qui deprædarentur in lacubus, fluminibus &c.; nam excommunicantur Piratæ, & Latrunculi maritimi. Secus dicendum eſſet, ſi ibi morarentur, & latitarent, ut, data opportunitate, expoliarent navim per vicinum mare pertranſeuntem; vel ſi piratæ expolient navigantes, qui in terram deſcenderant, vel ad fugiendos inſequentes, vel alia de cauſa; nam de ſupradictis vere verificatur eſſe Piratas.

Advertere demum eſt, quod ad incurrendam cenſuram hujus Canonis, deprædari oportet vel navim Chriſtiani Catholici, vel merces Chriſtiani Catholici, quamvis iſtæ eſſent in navi Infidelium, vel Hæreticorum. Non incurritur vero a deprædante Navim, quæ non ſit alicujus Catholici, vel pariter merces, quæ ipſius non ſint, quamvis in navi Catholici exiſtant; *Fragoſ. p.* 2. *l.* 1. *d.* 3. *§.* 3. *n.* 77. *Anton. a Sp. S. in direct. Confeſſ. p.* 2. *tr* 12. *d.* 3. *ſect.* 3. *n.* 491.

R. II. In præſenti Canone excommunicantur etiam Receptatores, Fautores, & Defenſores Piratarum. Id autem intelligendum eſt de iis, qui receptando, favendo, aut defendendo aliquo modo influunt in deprædationem: ut ſi ex hoc Piratæ reddantur animoſiores ad prædandum, vel ſi inde arripiant ſecuritatem: *Bonac de Cenſ. Bull. Cœn. d.* 1. *q.* 4. *p.* 1. *n.* 20. Unde non ligaretur hac cenſura, qui receptaret, vel auxiliaretur Piratis titulo amicitiæ, conſanguinitatis &c. Ita *Bonac. n.* 21. *Fragoſ. cit. n.* 80.

Dantes conſilium Piratis non veniunt nomine Receptatorum, Fautorum, Defenſorum &c. ut conſtat ex dictis in ſuperiori quæſito, & tradunt in materia præſenti *Navar. c.* 27. *n.* 59. *Suar. de Cenſ. d.* 22. *ſect.* 2. *n.* 22.

Q. V. Quos afficiat quarta excommunicatio Bullæ Cœnæ, lata contra ſurripientes bona naufragantium.

R. Ad incurrendam hanc excommunicationem primo, ut patet ex verbis Bullæ, oportet quod ſurripiantur bona, quæ ſint Chriſtianorum, & ſint vel in ipſis navibus naufragium paſſis, vel ex ipſis ejecta ſint, & in littore inventa. Hinc non incurreret hanc excommunicationem, qui ſurriperet talia bona, dum adeſt timor naufragii, quia non furaretur iis, *qui naufragium paſſi ſunt*, ut dicit Bulla: *Anton. a Sp. S. in Direct. p.* 2. *tr.* 12. *d.* 3. *ſect.* 4. *n.* 508. Secus, ſi poſt tale periculum immediate ſequatur naufragium; ſi quis etenim tunc retineat bona accepta animo non reſtituendi, per eam iniquam retentionem verificatur accepiſſe bona eorum, qui naufragium paſſi ſunt. Secundo, ex vi Bullæ oportet talia bona ſurripi vel in ipſis navibus naufragium paſſis in mari, vel in littore inventa. Unde non incurreret, hanc cenſuram, qui ſurriperet bona navis, quæ naufragium feciſſet intra alveum alicujus fluminis, vel ſurripuiſſet bona naufragantium, ſed non in littore maris; ut ſi longe tranſlata fuiſſent, ſeu in Civitatem aſportata: *Bonac. de cenſ. Bull. Cœn. d.* 1. *q.* 5. *p.* 2. *n.* 7. *Reginal. in prax. l.* 9. *c.* 15. *ſect.* 4. *n.* 373.

Supradictis verificatis, nemo eſt immunis ab hac excommunicatione; nam excommunicantur *omnes, & ſinguli ſurripientes &c.* cujuſcumque generis bona ſurripiant, adeoque etſi furentur remos, anchoras, funes &c. ipſius navis: *Bonac. n.* 10. Oportet tamen hujuſmodi bona eſſe in materia gravi, quæ in præſenti talis reputatur, ſi excedat valorem duorum aureorum: *Laym. de cenſ. l.* 1. *c.* 9. *n.* 33. Inſuper non haberet locum iſta cenſura, ſi bona ſurrepta eſſent Piratarum, qui naufragium paſſi eſſent; nam illi æquiparantur hoſtibus, ac proinde, ſicut fit in bello, juſte poſſunt bonis expoliari: *Bonac. q.* 4. *p.* 1. *n.* 4.

Excuſari poteſt ab hac cenſura, qui ſurriperet bona naufragantium, ſed animo cito reſtituendi, dummodo non ſequatur grave Domini damnum: qui etenim retineret ſine juſta cauſa etiam per breve tempus cum gravi Domini damno, verificeretur ſurripuiſſe bona naufragantis: *Reginal. in prax. for. pœnit. l.* 9. *c.* 15. *n.* 269.

Excuſatur qui ſurriperet talia bona, ſed neſciret eſſe naufragantium; nam quamvis peccaret, proprie tamen, & rigoroſe non delinqueret contra iſtum Canonem: *Reginald. num.* 268.

Tertio, excuſantur qui ſurripiunt bona naufragantium, quando habentur pro derelictis. Tunc autem pro derelictis habentur, quando vel Dominus diu tentavit eripere mari bona naufragata, & poſtea omnino omiſit; vel ſi cum poſſet facile vel per ſe, vel per alium bona naufragata recuperare, a multo tempore de hoc non curat. Item habentur pro derelictis, quæ projiciuntur tempore tempeſtatis, & ſtatim erant peritura; ut ſi projiciatur papirus, Saccharum, farina &c. *Anton. a Spir. S. in Direct. p.* 2. *tr.* 12. *d.* 3. *ſect.* 4. *n.* 411. *& ſeq.*

Q. VI. Quos comprehendat quinta excommunicatio lata contra imponentes, augentes, & exigentes pedagia, ſeu gabellas.

R. In præſenti Canone excommunicantur ii, qui ſine legitima authoritate præſtant ſupradicta. Unde non includit Imperatorem, Reges, alioſque Principes, & Reſpublicas, quæ nullum in temporalibus Superiorem agnoſcunt; iſtis enim competit de jure gabellas, & pedagia imponere. Et quamvis aliqui velint ſubjacere excommunicationi, ſi imponant gabellas, & tributa injuſta, ut docet inter alios *Suar. de cenſ. d.* 21. *ſect.* 2. *n.* 38. nam tunc injuſte imponant, vel augent; nihilominus alii docent, Canonem loqui de iis, qui imponunt gabellas injuſtas, defectu poteſtatis, non vero defectu juſtitiæ: *Navar. in Man. c.* 29 *n.* 61. *Tolet. l.* 1. *c.* 22. *n.* 6. *Filuc. tr.* 16. *c.* 5. *q.* 2. *dub.* 2. *n.* 105.

Cum igitur hæc excommunicatio afficiat non habentes poteſtatem *a jure* imponendi nova pedagia, ſeu gabellas, proprie afficit Comites, Duces, Marchiones, & ſimiles, qui in terris ſuis non habent ſupremum dominium: *Anton. a Spir. S. in direct. p.* 2. *tr.* 12. *d.* 3. *ſect.* 5. *n.* 517. & communiter. Id ſolum ipſis liceret, ſi id haberent ex antiqua conſuetudine, cujus non extet memoria: *cap. ſuper quibuſdam de V. ſign. junct. Gloſſ. Sayr. l.* 3. *c.* 0. *n.* 17. dummodo non introducta fuerit mala fide, quia hæc ſemper obſtat præſcriptioni; *cap. ult. de præſcrip.*; vel dummodo gabellæ non ſolutæ fuerint vi, & coactione: nam tunc arguitur non fuiſſe impoſitas legitima authoritate, & conſuetudinem, in qua fundantur, eſſe irrationabilem, & iniquam.

Quia tamen iſte Canon loquitur de ſupradictis imponentibus novas gabellas, (eæ dicuntur novæ gabellæ; de quarum initio extat memoria *l.* 1. *§. fin. de aq. pluv. arcen. & Gloſſa in cap. Generalia de nova de elect. in* 6.) hinc eſt, non comprehendere eos, qui reaſſumerent gabellam antiquam, quamvis intermiſſam; ita enim non verificatur imponi novas gabellas: *Sayr. l.* 3. *c.* 9. *n.* 12. *Bonac. de Cenſ. Bull. Cœn. d.* 1. *q.* 6. *p.* 3. *n.* 12. Iterum oportet juxta verba Canonis, quod quis eas imponat *in terris ſuis*; adeoque cenſura non afficit, qui ex poteſtate accepta a Domino, in ipſius terris novas gabellas imponeret: *Bonac. n.* 9.

Item iſte Canon loquitur de præfatis augentibus tributa jam impoſita; ſicut etiam de iis, qui gabellas novas impoſitas, vel tributa aucta exigunt. Illi autem dicuntur exigere, qui minis, imperio, vi, tanquam debita ſibi ſolvere faciunt; *Fragoſ. p.* 2. *l.* 1. *d.* 3. *§.* 1. *num.* 121. Tales vero non ſunt, qui fraudulenter aliud exigunt ab itinerantibus, quaſi eum debita authoritate exigerent; iſti etenim non exactores, ſed fures ſunt appellandi: *Palaus d.* 3. *d.* 6. *num.* 9.

Neque dicendi ſunt Exactores, qui aliud exigunt ab itinerantibus, vel pro tranſitu fluminis, vel ut viam doceant, ſeu ut tutos ducant; nam id non eſt proprie tributum, ſeu gabella, ſed exigi poteſt titulo mercedis, & ſtipendii: *Bonac. n.* 13. *Filiuc. tr.* 16. *c.* 5. *n.* 111.

Denique ſub nomine tributorum, aut gabellarum, veniunt in præſenti illæ taxæ, præſtantiæ, ſeu alia onera, quæ imponuntur etiam a Civitatibus habentibus ſuperiorem Dominum, ad aliquod opus publicum peragendum; cum hæ contributiones etiam intelligi ſoleant nomine tributorum, aut gabellarum: *Dienſtil. de juſt. tr.* 20. *d.* 1. *dub.* 2. *num.* 20. *&c.*

CAPUT II.

De Sexta, Septima, Octava, Nona, & Decima Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Q. I. QUos comprehendat Sexta excommunicatio Bullæ Cœnæ Lata in falſificantes Literas Apoſtolicas, aut ſupplicationes &c.

R. Sub hac excommunicatione primo comprehenduntur falſificantes *Literas Apoſtolicas*, nempe ſive Bullas, quæ ſignantur ſigillo plumbeo; ſive Brevia, quæ ſignantur cera rubea. Hæ ſolæ in præſenti veniunt ſub nomine *Literarum Apoſtolicarum*; non vero quæ expediuntur

no-

nomine SS. Congregationum, Legati etiam *a latere*, Nuntii &c. dum tamen ab his non expediantur nomine Summi Pontificis: *Bonac. de Cenſ. Bull. Cœn. d. 1. q. 3. p. 1. n. 2. Anton. a Sp. S. in Direct. p. 2. tr. 12. diſp. 3. ſect. 6. n. 530.*

Item excommunicantur falſificantes *Supplicationes*, illas nempe petitiones, quæ exhibentur in ſcriptis S. Pontifici, aut Vicecancellario, aut alteri gerenti vices ipſorum; ſive exhibeantur ad obtinendam gratiam, ut diſpenſationem, indulgentiam &c.; ſive ad obtinendam juſtitiam: *Suar. de Cenſ. diſp. 21. ſect. 5. num. 45.* & communiter ob clara verba Bullæ.

Item excommunicantur falſo *fabricantes Literas Apoſtolicas, etiam in forma Brevis*, quamvis excuſari poſſit ab incurrenda hac cenſura, qui cœpit fabricare, ſed opus non perfecit, quia in rigore non verificatur eas fabricaſſe: *Fragoſ. p. 2. l. 1. d. 4. §. 6. num. 129.*

Quarto incurrunt præſentem excommunicationem falſo ſignantes præfatas ſupplicationes *ſub nomine Romani Pontificis, ſeu Vicecancellarii, aut gerentis vices prædictorum.*

Porro in præſenti Falſarii dicuntur illi, qui falſas literas vero ſigillo ſignarent, & multo magis, qui falſas falſo ſignarent ſigillo; & idem dicas de ſubſcriptionibus. Falſarii pariter ſunt, qui ita addunt, diminuunt, vel radunt, unde mutetur ſenſus, & ſignificatio verborum; quod cum fieri poſſit vel per unius virgulæ, aut puncti ablationem, inde eſt & hoc ſufficere poſſe ad incurrendam excommunicationem, de qua in præſenti. Secus ſi ita fiat additio, abraſio, ut ſalvus remaneat ſenſus ad mentem Pontificis; tunc etenim non videtur adeſſe locus tantæ pœnæ; *Graff. deciſ. aurear. p. 1. l. 4. c. 18. n. 78. Bonac. de cenſ. d. 1. q. 7. p. 2. n. 4.* Multo minus locus eſſet excommunicationi, ſi corrigerentur literæ ad mentem S. Pontificis; ut ſi pro exprimendo gradu *conſanguinitatis*, Scriptor poſuiſſet *affinitatis*; vel ſi pro exprimendo Oratore *Piſano*, ſcriptor poſuiſſet *Lucenſi*. Ita pluribus citatis adverſus alios *Bonac. num. 7.*, & ratio eſt, quia corrigens ad mentem Concedentis, non falſificat, ſed potius tollit errorem. Id tamen faciendum eſt per Officiales Deputatos, quando commode fieri poteſt.

Excuſantur pariter a pœna hujus Canonis falſificantes Literas Apoſtolicas, quæ jam evanuerunt; uti eveniret, ſi quis falſificaretur Breve Apoſtolicum, poſtquam elapſum eſt tempus valoris illius, quia tunc taliter ſe habet, ac ſi amplius non eſſet; dummodo tamen talis non eſſet falſificatio, ut iterum utile redderetur: *Reginal. in prax. l. 9. c. 17. n. 283. &c.* Excuſarem pariter, qui non animo eis utendi, ſed ad experimentum capiendum ſuæ peritiæ, eaſdem literas falſificaret, volens ſtatim eas dilacerare, ſeu comburere; nam non verificatur proprie eas falſificare; cum id tali animo non faciat; & ulterius ceſſet omnino finis, cujus ratione excommunicatione puniuntur falſificantes Literas Apoſtolicas. Ita adverſus alios *Altertus hic cap. 5. dub. 2.* Ex eadem ratione, quia nempe ceſſat finis, cur prohibita ſit iſta falſificatio, non improbabiliter excuſatur ab excommunicatione præſenti ille, qui taliter mutat ſenſum Apoſtolicarum Literarum, ut nullum ſequatur damnum, vel parti, vel fiſco; tum etiam, quia dum abeſt tale damnum, non videtur ex falſificatione gravis injuria Pontifici irrogari: *Suar. diſp. 21. ſect. 1. n. 45.* & alii apud *Bonac. diſp. 1. q. 7. p. 2. n. 5.*

Hic demum advertendum, quod falſificantes Literas Apoſtolicas, non ſolum excommunicantur per Bullam Cœnæ: ſed etiam jam contra eos lata erat excommunicatio, quamvis nemini reſervata: *cap. ad falſariorum de crim. falſ.* Hoc autem caput comprehendit aliquos etiam non comprehenſos in Bulla Cœnæ, utentes nempe literis falſis, aut falſificatis, fautores, & defenſores falſariorum.

Pariter *ex cap. dura §. Adjicientes de crim. falſi*, retinentes literas falſatas, iiſque utentes, niſi poſtquam ſciverint eſſe falſas, intra dies viginti laceraverint, vel reſignaverint tali, cui poſſint prodeſſe, & non obeſſe, excommunicandi ſunt ab Ordinario, & ſemel excommunicati non poſſunt, niſi a Papa, abſolvi.

Q. II. Quos comprehendat Septima excommunicatio Bullæ Cœnæ lata in deferentes arma Infidelibus &c.

R. I. Primo excommunicantur deferentes Saracanis, Turcis aut aliis Chriſtiani nominis inimicis, aut Hæreticis per Apoſtolicam Sedem expreſſe, aut nominatim declaratis, equos, arma, armorum materiam ſcilicet ferrum, filum ferri, ſtamnum, chalibem, & alia genera metallorum, ex quibus arma conficiuntur. Deferentes pariter inſtrumenta bellica, lignamina, ſunes, materiam funium, & alia ſimilia, quibus Infideles impugnant Chriſtianos.

Quia de Chriſtianis degentibus in terris Infidelium, ſi prædicta ipſis vendant, non verificatur proprie deferre, hinc eſt non iocidere in præſentem excommunicationem; cum ſimus etenim in materia pœnali, verba legis debent in ſtricta accipi ſignificatione. Idem non improbabiliter dici poteſt in caſu quo Chriſtianus degens in ſuis terris, ibi vendat arma Infidelibus eo advenientibus ad emendum; quamvis enim peccari poſſit, ſi ſciat valla iis uti contra Chriſtianos, non tamen verificatur ad eos arma detuliſſe, quod exigit Bulla ad incurrendam cenſuram. Eodem modo diſcurrendum de Fidelibus degentibus in terris Infidelium, ſeu Hæreticorum, qui juſſu Domini deferunt arma ab uno ipſorum loco ad alium, nam Bulla videtur loqui de iis, qui extra ipſorum terras degunt, & advehunt ad eos arma &c. unde nocere poſſe fidelibus: *Filiuc. tr. 16. c. 6. q. 3. n. 132. Reginald. in prax. for. pœnit. l. 9. c. 18. n. 300. Anton in Direct. q. 2. tr. 12. d. 3. ſect. 7. §. 1. n. 546.* Putarem tamen cum Reginaldo, & aliis Bullam loqui etiam de præfatis in caſu, quo ipſorum aſportatio, deſerviret, ut Infideles, & Hæretici poſſent magis impugnare fideles.

Non incurreret demum præfatam excommunicationem Princeps Chriſtianus, qui injuſte ab alio vexatus, vocaret in ſui auxilium Hæreticos, ſive Infideles, iiſque non ſufficienter armatis arma tribueret. Ratio eſt, quia in tali caſu defenſio eſt de jure naturæ. Ita, pluribus citatis, *Anton. a Spir. S. in Direct. Confeſſ. p. 2. tr. 12. d. 3. ſect. 7. §. 1. n. 546.*

Remanet difficultas de fidelibus, qui prædicta ad Saracenos &c. deferrent, ſed non exinde fierent validiores contra Chriſtianos, nec iis indigerent, cui ſatis ex ſe ipſi haberent omnis generis arma ad ſe defendendum, & offendendum. Non deſunt, qui putant adhuc in talibus circumſtantiis habere locum cenſuram, cum vere arma deferunt: *Alter. l. 5. d. 8. c. 3. &c.* Verum, cum in tali caſu ceſſet omnino finis legis, non video cur a Cenſura non efleot excuſandi, qui arma &c. deferrent.

Cæterum advertendum nomine armorum, quæ hic prohibentur deferri ad Infideles, ſeu Hæreticos, intelligi omnia ea, quæ primo, & per ſe inſtituta ſunt ad præliandum, ſeu ſe defendendum. *leg. armor. ff. de verb. ſign., & l. 3. ff. de vi, & vi armat.* Item per lignamina intelliguntur non ſolum ligna, quibus confici poſſint triremes, & naves; ſed etiam ipſæ triremes & naves: nam lignamina ſine addito ſupradicta omnia comprehendunt; & ſi lignamina prohibeantur, multo magis naves, triremes &c. *Auth. multo magis C. de Sacroſ. Eccl.*

R. II. Excommunicantur qui certiores faciunt Infideles, aut Hæreticos de rebus pertinentibus ad ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ in perniciem, & damnum Chriſtianorum. Quando igitur aliquis ita faciat Infideles &c. certiores de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, ut inde exſultet damnum Chriſtianorum, quia e. g. potuerunt aliquam arcem capere, ſe defendere &c. præſens ab eo incurritur excommunicatio. Et ita ſive aliquos certiores faciat per ſemetipſum, ſive mediante epiſtola, ſive per alium: immo puto ipſum Nuncium deferentem epiſtolam eamdem incurrere cenſuram, ſi ſciat per eas certiorari Infideles de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ; nam verificatur & ipſum eos certiorare, dum ſcit ſe talem epiſtolam deferre: *Fragoſ. p. 2. l. 1. d. 3. §. 7. n. 172.*

R. III. Excommunicantur conſilium præſtantes Turcis, Saracenis, & Hæreticis, de quibus in prima reſponſione, in perniciem, & damnum Chriſtianorum. Et quidem multi cenſent habere locum hanc excommunicationem per hoc, quod præciſe præſtentur conſilium, auxilium, & favor prædictis in damnum Chriſtianorum. At bene ſuſtineri poteſt non admittendam eſſe hanc cenſuram, niſi re vera ex conſilio, favore &c. damnum Chriſtianorum ſequatur, quia excommunicantur, qui hæc faciunt in damnum Chriſtianorum; & aliunde cenſuræ non intelliguntur incurri, niſi effectu ſequuto: *Bonac. de Cenſ. Bullæ Cœnæ d. 1. q. 8. p. 2. n. 55.* Idem dici poteſt de eo, qui conſilium daret Infidelibus ex ſe jam paratis damnum inferre Chriſtianis, maxime ſi ipſius conſilium nec influeret, ut citius, facilius, ſeu crudelius in Chriſtianos moverentur: *Bonac. de Cenſ. in com. d. 7. q. 4. p. 8. num. 9.*

Jam autem dabantur plures Pontificiæ Conſtitutiones huic Canoni Bullæ Cœnæ conformes, ut videre eſt apud Authores.

Ultimo advertendum in hoc Canone annullari, & de-

Digitized by Google

derogari omnibus privilegiis quibuſcumque conceſſis; quibus potuiſſet fieri aliquid ex iis, quæ in eodem Canone prohibentur.

Q. III. Quos liget octava excommunicatio Bullæ Cœnæ.

R. Hac excommunicatione ligantur ſequentes. Primo, impedientes eos, qui deſerunt victualia ad Curiam Romanam, ſeu alia neceſſaria ad ipſius uſum. Ille autem dicitur impedire, qui aliquid facit, ne quis deferat victualia &c. cum verbum *impedire* ſignificet actionem poſitive impeditivam talis delationis: *Suar. de Cenſ. d. 21. ſect. 2. n. 94.* Hinc diceretur impedire, qui metu, vi, mendaciis, dolo &c. impediret aliquem ab adducendis prædictis ad Curiam *Alter. d. 8. c. 1. v. itaque.* Secundo, excommunicantur invadentes eos, qui deferunt victualia &c. Invadens autem dicitur ille, qui vim, ſeu impetum facit, ſeu ſpoliat, aggreditur, injuriam, aut damnum infert, mutilat, occidit. Quod ſi quis aliquid ex his faciat contra deferentem victualia ad Curiam Romanam, non ut impediatur hæc delatio, ſed ut de ſuo inimico ulciſcatur, non incurret hanc cenſuram, quia in moralibus reſpicitur, quod eſt per ſe, non vero, quod eſt per accidens: *leg. omnes ff. ſi cert. petat. Bonac. de Cenſ. Bull. d. 1. q. 9. p. 2. nu. 14.* Tertio, excommunicantur prohibentes, & impedientes, ne victualia adducantur; ille autem dicitur prohibere, qui ſolis verbis impedit, ſive id faciat authoritate publica, ſive privata. Qui ergo prohiberet, vel impediret, ne aliquis inciperet deferre victualia, cum aliunde id vellet facere, hanc excommunicationem incurreret; neque enim ſolum excommunicantur impedientes, qui iam deferunt, ſed etiam prohibentes, ne deferantur ab iis qui jam deferre decreverant: *Alter. c. 4. v. alia.* Quarto, excommunicantur perturbantes deferentes victualia, & ſunt illi, qui verbis, vel factis quovis modo obſtant: *Bonac. cit. n. 6. & 7.* Ultimo, excommunicatur quicumque vel per ſe, vel alios defendent, qui prædicta faciunt; nec ab hac excommunicatione eximuntur quacumque fulgeant dignitate. Si tamen aliquis vel per ſe, vel per alium defendat impedientes deferri victualia ad Curiam, poſtquam ab iis illatum eſt impedimentum, non incurret hanc excommunicationem; quia excommunicatio eſt contra defendentes eos, ne e. g. incarcerentur, qui jam impedierunt. Secus tamen dicendum eſſet, ſi etiam ex hac defenſione fierent animoſiores ad iterum impediendum: *Bonac. q. 9. p. 2. n. 24.*

Hic tamen advertendum nomine *victualium* comprehendi ea, quæ pertinent ad victum, & veſtitum. Item in præſenti canone pro rebus Romanæ Curiæ neceſſariis, intelliguntur non ſolum ea, quæ pertinent ad victum, veſtitum, & habitationem; ſed etiam omnia neceſſaria ad decentem ſtatum Curialium; ſicut etiam quæ pertinent ad ipſorum honeſtam recreationem. Ita DD. communiter.

Nomine *Curiæ Romanæ*, cujus intuitu excommunicantur prohibentes, impedientes ad eam deferri victualia, intelligitur ſummum Eccleſiæ Tribunal. Hic autem non repugnat eſſe in duplici loco, e. g. ubi eſt Papa, maxime ſi ſecum habeat ſufficientes Officiales, & Curiæ Miniſtros, & ubi ſunt ipſius Auditores, Judices, aliique Officiales audientiæ cauſarum, & Literarum Apoſtolicarum; *arg. Clem. ne Romani §. Sane de elect. v. eo tamen adject. Bonac. de Cenſ. d. 1, q. 9. p. 1. n. 11.* Tunc autem ligarentur excommunicatione, qui impedirent deferri victualia, aliaque neceſſaria ad utrumque locum, ubi eſſet Curia. Unde notandum, non excommunicari hic, qui impediunt deferri præfata Romam, niſi quia ibi ordinarie eſt Curia.

Ultimo tandem notandum, non ligari hac excommunicatione, qui juſte impediret; ut ſi Princeps aliquis haberet juſtam cauſam impediendi, ne victualia e ſuis finibus egrederentur: *Suar. de cenſ. d. 21. ſect. 2. n. 63.* Vel ſi impediret, quia Delator ob debita, vel aliud crimen detruſus fuit in carcerem: *Anton. a Sp. S. in Direct. p. 2. tr. 12. d. 3. ſect. 8. n. 577.* Vel ſi ob non ſolutam juſtam gabellam expoliatus fuerit iiſdem victualibus. *Reginal. in prax for. Pœnit. n. 307.* Item excuſat ab hac excommunicatione parvitas materiæ qualis in præſenti dici non poteſt ea, quæ vel uno jumento defertur; niſi eſſet materia vilis, ut ligna, olera &c. Standum ergo eſt judicio viri prudentis: *Filiuc. tr. 16. c. 7. q. 1. n. 160.*

Putarem etiam immunem eſſe ab excommunicatione, qui ſpoliaret propriis pecuniis deferentem victualia ad Curiam Romanam, non vero ipſis victualibus, vel aliis rebus neceſſariis ad eam pertinentibus, quod videtur velle impedire iſte Canon. Secus, ſi ex eo, quod privaretur ſua pecunia, præcideretur non poſſe deferre victualia. Multo magis, ſi interficeretur; nam tunc certo impediretur delatio victualium. *Reginal. in prax. l. 9. c. 19. n. 307. Bonac. de Cenſ. Bul. Cœn. d. 1. q. 9. p. 2. n. 10.*

Q. IV Quos comprehendat Nona excommunicatio Bullæ Cœnæ.

R. I. Primo, excommunicantur interficientes eos, qui veniunt ad Sedem Apoſtolicam, vel ab eadem recedunt interficere autem ex communi DD. ſignificat mortem alicui violenter inferre. Probabiliter igitur excuſaretur ab hac cenſura incurrenda, qui volens leviter percutere, graviter per accidens vulneraret, ita ut percuſſus interiret, vel ſi cum leviter percuſſerit, incuria Medicorum percuſſus obiret: nam in utroque caſu non poteſt dici rigoroſe homicida; in primo nempe propter defectum intentionis, in ſecundo vero, quia lethaliter non percuſſit: *Anton. a Sp. S. in direct. p. 2. tr. 12. d. 3. ſect. 9. n. 584.* Ibique etiam aſſerit immunem ab excommunicatione eum, qui unum hominem ad Curiam venientem, vel recedentem occideret: quia per occiſionem unius non videtur removeri finis intentus a Pontifice, qui eſt ſecuritas venientium, & recedentium a Curia. Secundo, excommunicantur qui mutilant prætatos, quod importat abſcindere, & ſeparare membrum aliquod a corpore: *cap. penult. de corp. vit.* unde mutilatio dicitur abſciſſio partialis: *Clem. ſi furioſus de Homic.* Non diceretur autem in præſenti mutilare, qui abſcinderet partem non habentem proprium officium diſtinctum ab aliis; ut ſi abſcinderet capillos, digitum, partem aliquam carnis, externam auris cartilaginem. Item non diceretur in rigore mutilare, qui ſine abſciſſione redderet aliquod membrum inutile ad ſuum officium, vel etiamſi taliter abſcinderetur, ut pars quæ remaneret, non eſſet exigua, & modica reſpectu partis abſciſſæ: *Bonac. d. 1. q. 10. p. 1. a n. 15.*

Tertio excommunicantur, qui expoliant venientes, & recedentes a Curia Apoſtolicca. Quamvis autem *expoliare* ſignificet aliquem exuere violenter ſuis bonis, ſive mobilibus, ſive immobilibus: *cap. tranſmiſſa, & cap. ſæpe de reſt. expoliat.* nihilominus hic, ex communi DD. ſignificat aliquem exuere bonis, quæ ſecum defert; nam S. Pontifex voluit conſulere ſecuritati accedentium, & recedentium a Sede Apoſtolica. Porro haberet locum excommunicatio, ſi quis prædictos expoliaret non ſolum rebus ſuis; ſed etiam rebus, quas mutuo, commodato, ſive in cuſtodiam acceperunt, nam ſemper fit illis injuria: *Alter. l. 5. d. 10. c. 4. dub. 6.* Secus dicendum, ſi Dominus aliquem expoliaret rebus, quas illi futuras fuiſſet, neque enim eſt grave peccatum rem ſuam a fure violenter repetere; quamvis potuiſſet recuperare Judice mediante; *Anton. a Sp. S. cit. nu. 586.* Incurrit pariter excommunicationem, qui accedentes, vel recedentes a Sede Apoſtolica expoliaret mancipiis; nam hæc inter ipſius bona computantur: probabiliter vero excuſaretur, ſi expoliaret uxore, & Filiis; nam proprie non veniunt nomine bonorum.

Quarto, excommunicantur qui capiunt venientes, vel recedentes a Curia Apoſtolica, hoc eſt, qui injuſte comprehendunt, & detinent; non vero ſi juſte comprehendantur ob delictum e. g. commiſſum, vel ut ſolvant æs alienum, vel quia ſine licentia debita volunt adire Sedem Appoſtolicam; ut faceret Religioſus, non obtenta licentia a ſuo Superiore: *Anton. a Sp. S. in Direct. p. 2. tr. 12. d. 3. ſect. 9. n. 588.*

Quinto excommunicantur detinentes qui accedunt, vel recedunt a Sede Apoſtolica; quæ detentio, maxime cum verſemur in pœnalibus, importat phyſicam actionem violentam, qua detineatur, & impediatur Perſona capta; unde non incurreret hanc excommunicationem, qui ſolo præcepto impediret; *Bonac. de cenſ. d. 1. q. 10. p. 1. n. 33.* Obſervare tamen eſt, hunc Canonem non ſolum velle ligatum excommunicatione, qui capit, ſed etiam illum, qui poſtea captum detinet. Poſſet tamen dari parvitas materiæ ab eadem excuſans, ut ſi per unum diem quis detineretur: *Anton. cit. n. 584.*

R. II. etiam mandantes fieri præfata contra accedentes vel recedentes a Sede Apoſtolica, incidunt in præſentem excommunicationem: nam excommunicantur qui prædicta faciunt *ſua, vel aliorum opera.* Non extenditur autem ad conſulentes, ratum habentes, non impedientes, vel alio modo auxilium præſtantes; nam de iis nulla mentio fit in Canone; *Anton. a Sp. S. n. 591.* Pro plena autem intelligentia eorum, quæ dicta ſunt in duabus ſuperioribus reſponſionibus, aliqua ſunt advertenda.

Pre-

Digitized by Google

Primo, quod licet Sedes Apoſtolica proprie ſignificet Eccleſiam Romanam, cujus caput eſt S. Pontifex, atque ideo eſſe non poſſit in duplici loco; nihilominus in præſenti ex communi uſu loquendi, ſignificat Curiam Romanam, quæ, ex dictis in ſuperiori quæſito, poteſt eſſe in duplici loco, cum importet audientiam Papæ, ſive Tribunal S. Pontificis.

Secundo, nomine Venientium ad Curiam in præſenti Canone intelliguntur illi, qui veniunt non Romam, ſed ad Curiam Apoſtolicam, quæ poteſt eſſe extra Romam, & ad eam vadunt intuitu negotiorum agendorum in Curia, puta ad ſolvendas decimas, ad impetrandum Beneficium, Indulgentiam &c. ac proinde hic non intelliguntur, qui vadunt Romam cauſa Indulgentiarum, vel videndæ Urbis: *Navar. in Man. c. 27. n. 65. Tolet. hic §. 7. dub. 1., Bonac. tom. 3. de Cenſ. d. 1. q. 10. n. 2.* Lis autem eſt inter Authores, an Canon etiam loquatur de venientibus ad Curiam cauſa negotiorum temporalium; cum multi id negent, ut videre eſt apud *Anton. a Sp. S. in Direct. p. 2. tr. 12. d. 3. ſect. 9. n. 583.* Moventur ad hoc aſſerendum, quia verba legis ſunt formaliter interpretanda; Sedes autem Apoſtolica, & Curia Romana videntur formaliter ſignificare Papam, ut Eccleſiæ Paſtorem, & ipſius Audientiam, prout ab ea Spiritualia dependent. Item non pauci dicunt privilegio hujus Canonis non gaudere Infideles, ſive Hæreticos venientes ad Curiam, quod tamen alii negant; cum etenim in Canone nullus excipiatur, videntur omnes debere illo gaudere: *Anton. loc. cit. n. 582* Cæterum, ſicut dicitur ire ad Curiam, qui e domo egreditur, ut eo procedat, talis non dicitur ille, qui in itinere mutaret voluntatem, vel per longum tempus ceſſaſſet ab itinere; quia proprie tunc non diceretur venire ad Curiam.

Quæ dicta ſunt da venientibus ad Curiam, aptanda ſunt recedentibus, de quibus etiam loquitur iſte Canon.

R. III. Excommunicantur in iſto Canone, qui ea, quæ diximus prohiberi contra venientes, & recedentes a Curia, authoritative exercent contra commorantes in Curia. Dixi *authoritative*, quia excommunicantur, qui eadem præſtant ſine legitima juriſdictione, ſed eam ſibi in Curia temere vindicant. Quia tamen ly *temere* importat ſcientiam, audaciam, fraudolentiam, ac dolum: *cap. per venerabilem qui fil. ſint. legit.* ideo excuſarentur, qui præſtarent eaſdem actiones ex ignorantia etiam craſſa, & ſupina. Item quia excommunicatio eſt contra eos, qui occidunt per uſurpatam juriſdictionem, mutilant &c. commorantes in Curia, ideo non ligaret, qui occideret, mutilaret &c. ſed non faceret authoritative: *Tolet. in præf. dub. 4.* & patet ex verbis Bullæ. Pariter non incurreret excommunicationem Officialis habens juriſdictionem, quamvis ea abuteretur ad vexandos commorantes in Curia, quia excommunicatio eſt contra non habentes, ſed temere ſibi uſurpantes juriſdictionem; *Anton. a Sp. S.* aliis citatis *in Direct. p. 2. tr. 22. diſp. 3. ſect. 9. n. 591.*

Quod ſi non habens juriſdictionem, quæ in præſenti prohibentur, mandet authoritative per alium exerceri, dicendum eſt non eſſe immunem a cenſura; cum etenim actiones, quæ in hoc canone prohibentur, non ſoleant per ſe ab ipſis Judicibus exerceri, conſequens eſt intelligendas eſſe prohibitas, etiam ut per alium exercendas; *Suar. de cenſ. d. 21. ſect. in fin. Alter. d. 10. c. 4. col. 5. V. Sed difficultas oritur &c.*

Demum, ſicut ſupra dixi, in præſenti nomine venientium ad Curiam intelliguntur ii, qui veniunt ratione negotiorum; ita pro commorantibus in Curia intelligendi ſunt illi, qui ibi verſantur ratione negotiorum, quod etiam intelligitur de Commorantibus in Curia, quia ibi exercent Officium Advocati, Procuratoris, Judicis, ſive Officialis Sedis Apoſtolicæ; iſti etenim omnes formaliter dicuntur morari in Curia, hoc eſt, ratione ipſius Curiæ, non vero ſolum materialiter, ut faciunt Incolæ loci, ubi eſt Curia; *Filiuc. tr. 16. c. 7. q. 6. n. 166. Alter. l. 6. d. 10. c. 5. V. morantes.*

Q. V. Quos liget Decima excommunicatio Bullæ Cœnæ.

R. I. Hæc excommunicatio comprehendit omnes, qui interficiunt, mutilant, vulnerant, detinent, capiunt, deprædantur Romipetas, ſeu Peregrinos ad Urbem cauſa Devotionis, ſeu Peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes. Jam autem explicatæ ſunt in ſuperiori quæſito fere omnes actiones, quæ hic prohibentur. Solum notare eſt, quod vulneratio eſt apertio alicujus partis corporis, cum tali ſanguinis effuſione, ut judicetur ſufficiens ad grave delictum: Ita *Bonac. tom. 3. de cenſ. diſp. 1. q. 11. p. 1. n. 4.* qui aſſerit in dubio, an vulneratio ſit levis, vel gravis judicandam eſſe levem; nam in dubio favendum eſt reo: *reg. cum ſunt. de reg. jur. in 6.* & aliunde ex jure ſolum ſancitum eſt in dubio non vulnerationem, ſed percuſſionem judicandam eſſe gravem: *Extra perlectus apud. Navar. c. 27. n. 91.* Ex quacumque autem percuſſione gravi, quæ fiat Romipetis &c. non habet locum præſens cenſura, quia non loquitur de percutientibus, ſed de vulnerantibus: *Fragoſ. p. 2. l. 1. d. 3. §. 10. n. 220. & 224.*

Item in hoc Canone prohibentur deprædari Romipetæ, & Peregrini &c. quæ deprædatio importat violentam ablationem bonorum temporalium; unde non diceretur deprædari ille, qui clam furaretur pecunias, veſtes, &c. *Ugolin. hic cap. 10. n. 5.* & communiter. Non excuſaretur vero, qui ſpoliaret deferentes ſarcinas Romipetarum, & Peregrinorum; nam hæc violentia cenſetur illata ipſis Dominis rerum. Non deſunt, qui excuſant eos, qui deprædarentur deferentes ſarcinas, ſi non pergerent cum ipſis Dominis; vel ſi periculum ipſorum in ſe ſuſcepiſſent. Sed hoc mihi non arridet; etenim finis præſentis Canonis eſt impedire incommodum Peregrinorum; unde ſemper cum deprædantes videant grave incommodum Romipetis reſultare ex tali deprædatione, non video quomodo poſſint excuſari a Cenſura, cum verificetur Romipetas deprædari.

Peregrinus autem in præſenti dicitur ille, qui Romam petit devotionis cauſa, & Romipeta ſignificat etiam eum, qui non eſt peregrinus ſed nihilominus Romam petit devotionis cauſa, uti eſſet Civis Romanus, qui Romam pergeret ad acquirendas Indulgentias.

Hi a puncto, quo iter Romanum aggrederetur, gaudent privilegio hujus Canonis; & Peregrini gaudent privilegio eodem pro eo tempore, quo Romæ morantur cauſa devotionis; & a momento, quo Roma recedunt, ut domum redeant. Quando autem non amplius dicantur Romam accedere, vel ab ea recedere, ſi ab itinere divertant, vel notabiliter interrumpant, dictum eſt in ſuperiori quæſito.

Oportet tamen, quod cauſa devotionis ſit in his vel principalis, vel ſaltem æque principalis; nam Papa ejuſdem devotionis cauſa concedit ſecuritatem; unde non refert ſi ſit acceſſoria a qua actus non denominatur, ut in eo qui pergeret Romam ex motivo inviſendi Amicum, & ea occaſione vellet de ſecundario lucrari Indulgentias; *Anton. a Sp. S. in direct. tr. 12. d. 3. ſect. 10. n. 592. Bonac. tom. 3. de cenſ. d. 1. q. 11. p. 3. n. 14.*

Quod dictum eſt de vexante Romipetam, & Peregrinos, extenditur ad vexantem ipſorum famulos, & Familiares, Uxorem, Filios &c. Et quidem de hoc non poteſt dubitari, ſi & ipſi Romam eant cauſa devotionis; at ſi non haberent aliam intentionem, quam comitandi Dominum, merito dubitari poteſt; an fruantur privilegio ſui Domini; nam licet privilegium conceſſum Domino extendatur ad familiares: *cap. licet de privil. in 6.* hæc tamen extenſio non videtur locum habere in pœnalibus: *Bonac. n. 5.*

Quædam autem dantur cauſæ, excuſantes a præſenti excommunicatione. Prima, ſi actiones hic prohibitæ ex juſta cauſa exerceantur contra Romipetas, & Peregrinos; ut ſi Judex ob aliquod crimen Peregrinum interficeret. Secunda, ſi quis ignoraret eum, quem vexat, eſſe Romipetam, ſeu Peregrinum. Tertia, ſi quis vexaret pergentem non Romam, ſed ad Baſilicas in Suburbiis Romæ; nam excommunicatio eſt contra Peregrinos Romam proficiſcentes cauſa devotionis; nomine autem urbis in pœnalibus veniunt loca extra mœnia: *cap. Rodulphus de reſcrip.* & aliis citatis *Anton. a Sp. S. in Direct. p. 2. tr. 22. diſp. 3. ſect. 10. n. 596.*

Quidam etiam volunt non gaudere privilegio hujus Canonis eos, qui jure non peregrinantur, ut ſunt Religioſi, ſi hoc faciant ſine licentia ſuorum Prælatorum: *cap. magnæ de vot.* ſicut & Clerici in caſibus, in quibus peregrinari non poſſunt ſine licentia ſui Epiſcopi. Et quidem non videntur proprie dici poſſe peregrinari: *Chriſtoph. a S. Joſeph. V. Bulla Cœnæ dub. 3. clauſ. 10. n. 3.* Idem dicunt alii de vexante Peregrinum, non quatenus peregrinatur Romam devotionis cauſa, ſed ob privatam inimicitiam, vel aliam ob cauſam. At cum iſte vere vexet, quem cognoſcit Peregrinum, cujus incolumitati voluit conſulere Pontifex, non videtur a cenſura excuſandus *Regnal. in prax. for. pœnit. l. 9. c. 19. n. 311.*

R. II. Ligantur etiam cenſura hujus Canonis dantes

au-

Digitized by Google

auxilium, conſilium, vel favorem; ut quis vexet Romipetam, vel Peregrinum devotionis cauſa ad Urbem proficiſcentem.

CAPUT III.

De Undecima, Duodecima, Decimatertia, Decimaquarta, & Decimaquinta Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Q. I. QUos comprehendat undecima excommunicatio Bullæ Cœnæ.

R. I. Hoc Canone excommunicatione innodantur interficientes, mutilantes vulnerantes, percutientes, carcerantes, detinentes, inſequentes, & ejicientes e ſuis Diœceſibus, territoriis, terris, & dominiis Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Legatos Sedis Apoſtolicæ, & Nuntios ejuſdem Sedis. Oportet tamen quod prædictas actiones ſine juſta cauſa, & cum gravi peccato exerceantur, ut ſæpe dictum eſt.

Major pars præfatarum actionum explicata eſt in duobus præcedentibus quæſitis. Hic remanet obſervare eum *hoſtiliter* alterum inſequi, qui perſequitur, tanquam hoſtem, & inimicum animo graviter offendendi. Item in præſenti diceretur *hoſtiliter* Cardinalem &c. inſequi, qui abſque animo graviter offendendi, adhuc tamen publice, & manifeſte inſequeretur, ita ut valde injurioſa hæc perſecutio appareret, id enim ſolent facere hoſtes: *Silveſter. v. excommunicatio 7. nu. 23.* Particula autem *ejicientes* afficit illos, qui perſonas contentas in canone ejicerent ex ipſarum terris, locis, vel Diœceſibus, non vero ſi ejicerent e locis ad ipſas non ſpectantibus, quamvis injuſte ejiciendo peccaretur: *Navarr. in Man. c. 27. num. 67. v. quinta.*

Nomine Epiſcoporum, de quibus loquitur Canon, venit ille, qui eſt conſecratus etenim non conſecratus proprie non dicitur Epiſcopus, ut docent communiter Canoniſtæ cum Gloſſa *in Clement. 2. v. Pontificum de celebr. Miſſ.* Quod ſi fuerit conſecratus, nil refert quod ſit excommunicatus, Irregularis, verbaliter degradatus; nam adhuc eſt verus Epiſcopus: *Reginal. in prax. l. 9. n. 313.* Secus eſſet, ſi fuerit realiter degradatus, nam tunc privatur omnibus privilegiis Clericorum, *cap. degradatio fin. pœnit. in 6.*

Nomine Nuntiorum veniunt, qui e Porta Urbis egreſſi ſunt, ut pergant ad ſuam Legationem: Quod ſi ita finierint ſuam Legationem, ut in reditu non amplius dicantur Nuntii, tunc non proteguntur privilegio hujus Canonis: *Bonac. tom. 3. de Cenſ. diſp. 1. q. 12. p. 2. n. 10.*

Dubium eſt an Cardinalis, Epiſcopus &c. exercentes contra ſeipſos aliquam actionem ex vetitis per iſtum Canonem, incidant in ejuſdem excommunicationem. Et quidem, quidquid ſit, an innodentur excommunicatione capitis *ſi quis ſuadente Diabolo 17. q. 4.* de qua ſuo loco, meo videri non incurrunt præſentem excommunicationem; nam Canon videtur loqui de Perſonis diverſis, exercentibus eaſdem actiones, in Cardinalem, Epiſcopum &c. ut patet de incarceratione, ejectione, inſecutione &c. *Bonac. p. 3. num. 3.*

Item lis eſt, an incidat in cenſuram hujus Canonis, qui aliquam ex vetitis actionibus exerceret in familiarem Cardinalis, Archiepiſcopi &c. Et pariter in hoc dubio negative reſpondendam cenſerem; nam leges pœnales ſunt ſtricte intelligendæ, nec extendendæ ad Perſonas, quarum lex non faciat mentionem. Ita pluribus citatis *Bonac. d. 1. q. 12. p. 2. n. 11.* An vero offendentes dictos familiares excommunicentur *cap. felicis de pœn.* controvertunt DD. ſed negat Bonacina *loc. cit.* quia ibi tantummodo decernitur, ut pro culpæ qualitate ipſis pœna imponatur.

R. II. Præſenti excommunicatione etiam innodantur ſequentes Perſonæ. Primo mandantes fieri contra Perſonas expreſſas in hoc Canone aliquam ex actionibus ex eo vetitis. Quamvis autem, dum excommunicantur Mandantes, ſemper intelligatur effectu ſequuto, nihilominus hic obſervandum eſt *cap. pro humanis de hom. in 6.* excommunicari, etiam effectu non ſequuto, mandantem occidi Chriſtianum per aſſaſſinium.

Secundo, ratum habentes quod prohibetur in iſto Canone. Cum autem ſimus in pœnalibus, non ſumitur hic ratihabitio pro approbatione actus præteriti, ſed non proprio nomine facti, de qua *l. 1. C. ſi major. facti rat. habuer. & l. quod unum 12. ff. rem ratam habere*, ſed ſumitur pro approbatione actionis proprio nomine factæ, quæ eſt proprie ratihabitio: *reg. 9. & 10. de reg. jur. in 6.* Qui ergo ſciens actionem fuiſſe nomine ſuo factam, eamque approbat, proprie ratum habet: *cap. ratum de reg. jur. in 6.* unde non ſufficit ad veram ratihabitionem approbare, & quidem aliquo externo ſigno, actionem nomine ſuo factam, ſi non ſciatur, actionem nomine ſuo factam fuiſſe. Item ad veram ratihabitionem neceſſe eſt, ut ille, qui actionem in ſui contemplatione factam ratam habet, fuerit habilis ad eam faciendam, vel mandandam, quando ſuit commiſſa. Ratio eſt, quia ratihabitio veluti mandato æquiparatur, unde oportet quod ratum habens ſaltem mandare potuerit, nam juris fictio eſt de re habili, ut dixi *tr. 3. q. 2. cap. 3. quæſt. 4.* Unde ſi quis ratam haberet percuſſionem Epiſcopi factam, quando dormiebat, non incideret in hanc excommunicationem.

Tertio, excommunicantur in hoc Canone *auxiliantes*, qui nempe opem ferunt ad patrandum delictum prohibitum in hoc Canone, ut inquirendo homines, dando pecunias, ſubminiſtrando arma &c. *Alter d. 12. c. 6. col. 16. & 17.*

Quarto, excommunicantur *conſulentes*, qui nempe non dant nudum conſilium, ſed conſilium fraudolentum, quod ſcilicet influit in effectum, ut bene animadvertit *Gloſſa in cap. nuper. 2. v. conſilium impendendo de ſent. excomm. Bonac. t. 3. de cenſ. d. 1. q. 12. p. 1. n. 28.* Porro præſtatur conſilium ſuadendo, rogando, impellendo, inſtruendo, utilitatem oſtendendo, ut dicitur *cap. ad audientiam de homic.*

Quinto excommunicantur favorem præſtantes, nempe non præſtantea nudum, & ſimplicem favorem, ſed doloſum, hoc eſt, influentem in inſecutionem, percuſſionem, ejectionem, aliamque actionem ex vetitis in hoc Canone: *Gloſſa cap. felicis v. favorem de pœn.* Hinc talis favor præcedere debet perpetrationem delicti, alias enim non poſſet in illud influere.

Ex plurium ſententia ille etiam cenſetur favorem præſtare, qui poteſt impedire delictum, & non impedivit, maxime quando tenetur ex officio, vel ex juſtitia impedire: *cap. quantæ de ſent. excom. Alter l. 5. d. 12. c. 6. col. 10. prop. 1. & col. 18. prop. 5. Anton. a Spir. S. in Direct. p. 2. tr. 12. d. 3. ſect. 11. n. 611.* Verum ſi ex taciturnitate, vel ex non oppoſito impedimento Delinquens non moveatur ad patrandum delictum; probabile mihi aſt non impedientem non ligari cenſura præſentis Canonis, quia non impediens in rigore non poteſt dici favere, conſulere, auxiliari, quæ in præſenti Canone prohibentur. Ulterius *ex cap. quantæ cit.* conſtat non impedientes exprimi, quoties Pontifex vult eos cenſura ligara. Verum tamen eſt, quod ſi ſciens conſpirationem in Perſonam Cardinalis non patefacit, dum poteſt, incidit in excommunicationem, & pœnas inflictas a S. Pio V. in ſua Conſtit. quæ incipit *Infelicis Seculi &c.*

Non Pauci etiam aſſerunt, ut videre eſt apud *Anton. a Spir. S. loc. cit. n. 609.* præſenti excommunicatione ligari non impedientes, quoties ad id tenebantur ex officio, eo enim ipſo quod non impediant, videntur ratum habere. Sed & hoc non ſine difficultate admitterem, cum, ex ſupradictis, in præſenti ratihabitio ſumi debeat pro approbatione delicti facti in contemplationem illius, qui approbat.

Q. II. Quos comprehendat duodecima excommunicatio Bullæ Cœnæ.

R. I. Comprehendit indiſtinctæ vel per ſe, vel per alios omnes occidentes, percutientes, expoliantes Recurrentes ad Romanam Curiam ob aliquam cauſam, vel negocium. Ubi obſerva, quod licet percuſſio eveniat, quamvis non ſequatur vulnus, nihilominus nomine percuſſionis intelligitur prohibitum etiam vulnerare, & mutilare, non vero, ex communi modo loquendi nomine percuſſionis venit conſpuere in faciem, pallium conſpurcare, vel lacerare, aquam e feneſtra projicera &c. Sicut per verbum *ſpoliare*, in præſenti ſignificatur auferre quæcumque bona fortunæ, non vero famam, aut honorem auferre; & eo magis, quia, cum ſimus in pœnalibus, non ſunt verba extendenda ad latiorem ſignificationem: *Bonac. t. 3 de cenſ. d. 1. q. 13. p. 1. n. 1.*

Nomine autem Recurrentium ad Curiam hic veniunt illi, qui vel perſonaliter ad eam ſe transferunt, ut ibi aliquam cauſam pertractent, vel ſaltem curant cauſam, ſeu negotium ad Romanam Curiam transferri. Et cum Canon generaliter loquatur, videtur comprehendere vexantes &c. vel juſte, vel injuſte Recurrentes, ut multi docent Theologi. Quia tamen illi conſiderant non eſſe præſumendum velle Pontificem cauſis injuſtis favere, ideo dicunt hunc Canonem non favere injuſte recurrentibus: *Reginal. in prax. l. 9. c. 20. n. 319. Rebuff. in prax. Benef. in expoſ. Bullæ n. 9. v. recurrentes*, & alii.

R. II.

R. II. Excommunicatione hujus Canonis innodantur etiam illi, qui per ſe vel per alios occidunt, percutiunt, ſpoliant Proſequentes cauſas, vel negocia, circa quæ factus eſt recurſus ad Romanam Curiam, Procurantes in iiſdem cauſis, & negociis, Geſtores negociorum; Agentes ipſorum, Auditores deputatos ſuper dictis cauſis, & negociis; Judices item ſuper iiſdem deputatos. vel deputatione ſpeciali, ſive ipſis incumbat ex Officio. Hic adverte, alios eſſe Procurantes, alios Procuratores; nam hi ſunt illi, qui authentice conſtituuntur ad comparendum in judicio. Procurans vero eſt quiſquis cooperatur ad cauſæ expeditionem.

Controvertunt Theologi, an ſi Papa remittat cauſam Recurrentium ad Sedem Apoſtolicam, ut cognoſcatur ab Ordinario, Judex, Advocatus, Procurator &c. hoc Canone protegantur. Sunt qui affirmative ſentiant, quia Canon indiſtincte loquitur de Judicibus, Advocatis &c. ſuper cauſas, & negotia Recurrentium ad Sedem Apoſtolicam, adeoque videtur ſine diſtinctione intelligendus: *can. ſi Romanorum diſt. 19. & leg. de pretio ff. de public. in rem action. Filiuc. tr. 16. c. 7. q. 10. n.* 174. & alii; Sed meo videri alia eſt mens Papæ; nam Canon loquitur de Perſonis quoad proprias cauſas, & negocia recurrentibus ad Curiam Romanam, ac de iis, qui proſequuntur eadem negocia *in eadem Curia*. Unde Canon intelligendus eſt de Judicibus, Advocatis &c. qui ea eadem Curia tractant negotia ad eam recurrentium.

R. III. Etiam excommunicantur in hoc Canone qui per ſe, vel per alios, directe, vel indirecte delicta in hoc Canone vetita committunt, exequuntur. procurant, aut in eis præſtant conſilium, auxilium, vel favorem. Cum autem præſtare conſilium, auxilium. & favorem videatur importare actum poſitivum, hinc eſt innodari cenſura hujus Canonis non impedientem delicta in eo vetita, quia mere negative ſe habet, dum non præſtaret authoritativam aſſiſtentiam, quia tunc reputaretur auxiliari, & favere. Videantur quæ dixi etiam ſupra.

Item bene poteſt aſſeri in hoc Canone non comprehendi rata habentes delicta in eo prohibita, quia nullatenus fit in eo mentio de ratum habentibus, ut fit in aliis Canonibus: & ulterius cum ſimus in materia pœnali, verba ſunt ſtricta interpretanda, adeoque dicendum eſt aliud ſignificare ratum habere, ut conſtat ex dictis ſupra, aliud dare conſilium, auxilium, vel favorem, ut conſtat etiam ex communi modo loquendi: *Filiuc. cit. q. 12. num. 181. Bonac. de cenſ. tom. 3. d. 1. q. 13. p. 3. n. 4. Ugolin. hic can. 11. q. 9. n. 3.*

Q. III. Quos liget decima tertia excommunicatio Bullæ Cœnæ.

R. I. Primo excommunicantur illi, qui prætextu frivolæ appellationis recurrunt ad Curias Sæculares, appellantes a gravamine, vel futura executione Literarum Apoſtolicarum. Ea autem dicitur frivola appellatio, quæ fit ſine cauſa rationabili; unde ſi quis recurreret ad Curiam Sæcularem ad impediendam manifeſtam injuſtitiam, quam aliter depellere non poteſt, non diceretur ad eam recurrere per frivolam appellationem. In caſu autem, quo interponatur frivola appellatio, ad incurrendam excommunicationem non eſt neceſſe a Judice Laico admitti, quia Pontifex loquitur non de admiſſione appellationis, ſed de appellante ad Curiam ſæcularem: *Filiuc. tr. 16. c. 8. q. 5. num.* 199.

Secundo, excommunicantur qui faciunt admitti a Laica poteſtate hujuſmodi appellationes etiam iſtante Procuratore Fiſci, vel Advocato; unde non incurrerent, qui facerent admitti a Judicibus Eccleſiaſticis: *Bonac. de cenſ. diſp. 1. q. 14. p. 1. num.* 25. Limita tamen, niſi recurſus fieret ad Prælatum Eccleſiaſticum, prout habentem laicam juriſdictionem; *Suar. de cenſ. d. 21. ſect. 2. num. 76. Filiuc. loc. cit.* Tertio excommunicantur qui hujuſmodi literas capi faciunt a laica poteſtate. Quarto, qui ab eadem faciunt detineri.

At non ſolum excommunicantur interponentes frivolam appellationem ad Curiam Sæcularem, ſed etiam qui alia quacumque ratione ad ipſam recurrunt, nam non ſolum excommunicantur appellantes, ſed etiam *alias* ad Curias Sæculares appellantes, quæ dictio *alias* ſignificat alio caſu, ſive alio quocumque modo: *leg. denique §. Interdum ff. de pecul. legat. & l. 1. ff. de acquir. quotid. & æſtiv.*, & inter alios videndus *Bonacina loc. cit. n.* 24.

Literæ Apoſtolicæ, a quarum executione prohibita eſt appellatio, & alius quicumque recurſus ad Curiam Sæcularem ſunt ſequentes. Literæ Apoſtolicæ in forma Brevis, Citationes, Inhibitiones, Sequeſtra, Monitoria, Proceſſus, Executoriales, alia denium quæcumque decreta ipſius Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ, ſeu Legatorum, Nuntiorum, præſidentium, Auditorum Cameræ Apoſtolicæ, Commiſſariorum, Judicum, & Delegatorum Sedis Apoſtolicæ. Nomine vero Decreti veniunt ſupplicationes ſignatæ: *Bonac. t. 3. de cenſ. d. 1. q. 14. p. 1. n.* 17. Non improbabiliter autem hic Doctor docet in præſenti, non comprehendi decreta Collegii Cardinalium, niſi ea fecerint de mandato Papæ &c. nam proprie, & maxime in materia pœnali, Collegium Cardinalium non ſignificat Sedem Apoſtolicam, unde mortuo Papa, dicitur vacare.

De Literis Pœnitentiariæ lis eſt inter DD. nam ex una parte videntur Apoſtolicæ, quia expediuntur a Summo Pœnitentiario, tanquam Delegato Papæ: *Bonac. cit. n.* 22. Sed refragatur *Reginal. in prax. l. 9. c. 21. n.* 321.

R. II. Excommunicantur Magiſtratus, qui vel abſolute impediunt, ſeu prohibent ipſas literas executioni mandari, ſive ſine eorum beneplacito, conſenſu, aut examine. Item qui prohibent, aut impediunt inſtrumenta, vel acta confici ſuper executione earumdam Literarum. Item qui impediunt, ſeu prohibent acta confecta tradi parti, cujus intereſt. Item qui capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ejiciunt e Civitatibus, locis, aut Regnis, ſpoliant bonis, perterrefaciunt, concutiunt, comminantur partes actrices, ipſarum agentes, conſanguineos, affines, familiares, Notarios, Executores, vel Subexecutores literarum, aliorumque Decretorum Apoſtolicorum. Ligantur autem præſenti excommunicatione præfata præſtantes, ſive ea faciant per ſe, aut per alium, ſive publice, ſive occulte, dummodo fiant occaſione dictarum Literarum: *Bonac. t. 3. de cenſ. d. 1. q. 14. n.* 8. ſecus, ſi ex inimicitia &c.

Quoad hucuſque dicta quædam ſunt notanda. Primo ex nulla conſuetudine, etiam immemorabili, poſſe cohoneſtari recurſum ad laicam poteſtatem pro impedienda executione Literarum Apoſtolicarum; nam, ultraquamquod talis conſuetudo & antiquo jure, & ſingulis annis per Bullam Cœnæ reprobetur, adhuc non poteſt admitti propter malam fidem; & incapacitatem ſubjecti, cum Laicus ſit incapax Eccleſiaſticæ poteſtatis Merito etiam extenditur hæc doctrina ad caſum, quo dubitaretur de validitate Literarum Apoſtolicarum, immo etſi certum eſſet eſſe invalidas; nam de earum validitate authoritative cognoſcere, vel earum executionem authoritativa impedire, ſpectat ad Poteſtatem Eccleſiaſticam. Poterit ergo ſolum ſuſpendi dicta executio Literarum invalidarum, quoaduſque informetur S. Pontifex in caſu, quo non eſſet promptus recurſus ad illum, & ex executione oriretur grave damnum: *Bonac. loc. cit. n num. 19. aliis citatis.*

Secundo notandum, quod excommunicantur Principes, & Magiſtratus Sæculares, ſi petant Literas Apoſtolicas eo fine, ut non mandentur executioni, niſi poſt ipſorum examen, aut beneplacitum: *Reginal. in prax. l. 9. n. 325. Alter. hic d. 14. c. 2. col. 3. V. notandum eſt ſecundo.* Secus, ſi illas petant, non animo impediendi ipſarum executionem, ſed ſolum examinandi, & recognoſcendi: *Bonac. tom. 3. de cenſ. d. 1. q. 14. p. 2. n.* 24.

Notandum tertio; ad incurrendam hanc cenſuram, non eſſe neceſſe, quod de facto impediatur executio, ſed ſatis eſſe, ſi prohibeatur, nam S. Pontifex ſub disjunctione excommunicat, eos, *qui impediunt, vel prohibent*.

Notandum quarto, nomine affinium, & conſanguineorum eorum, qui habent Literas Apoſtolicas & prohibentur in hoc Canone percuti, vulnerari &c. non venire cognatos cognatione legali, & ſpirituali, neque habentes impedimentum publicæ honeſtatis; nam cum ſimus in materia pœnali, Canon intelligendus eſt de affinibus, & conſanguineis proprie talibus. Putarem tamen bene venire conſanguineos, & affines ex copula illicita, qui ex jure ſunt proprie tales.

Nomine vero Familiarum veniunt ſolum illi, qui ſubſunt alicui tamquam Capiti, recipientes ab eo victum, & cum quo conſueverunt vivere, ut ſunt Filii, Uxor, Famuli &c. non vero Coloni: *Bonac. t. 3. de cenſ. in part. d. 1. q. 14. p. 2. num.* 7.

Ultimo in hoc Canone excommunicantur, *qui alios quibuſcumque Perſonis in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſvis eorum negotiis, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel literas a dicta Sede impetrent, ſeu impetratis utantur, directe, vel indirecte prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut Notarios, ſeu Tabelliones, aut alias quomodolibet retinere præſumunt*, Verba

Ca-

Digitized by Google

Canonis non indigent expoſitione. Sat eſt notare, ſolum excommunicari *præſumentes* præſtare ſupradicta; unde excuſarentur qui eadem facerent etiam ex ignorantia craſſa & ſupina; nam dum Eccleſia intendit punire præſumentes, vult punire, qui voluerunt delictum formaliter, & expreſſe: *Sua. de cenſ. d. 4. ſect. 10. n. 2. Sanch. de matr. l. 9. d. 32. n. 37.*

Q. IV. Quos comprehendat decima quarta excommunicatio Bullæ Cœnæ.

R. I. Excommunicantur primo, qui per ſe, vel per alios propria authoritate contendunt avocare cauſas ſpirituales, vel ſpiritualibus annexas, ad ſe, ab Auditoribus, & Commiſſariis Sedis Apoſtolicæ, aliiſque Judicibus Eccleſiaſticis. Ut incurratur autem iſta excommunicatio, avocatio hic vetita debet fieri ex officio publico (idem dicas de aliis actionibus hic vetitis, & mox explicandis) nam prohibetur avocatio cauſarum, facta authoritate propria, ac prætextu exemptionum, Gratiarum, Literarum Apoſtolicarum, ex quibus conſtat prohiberi avocationem faciendam ex officio, & munere publico. Ita pluribus citatis *Anton. a SS. in Direct. p. 2. tr. 12. d. 3. ſect. 14. n. 624.*

Item ad incurrendam præſentem cenſuram, aliaque, de quibus ſtatim, cenſent plures etiam fieri debere prætextu exemptionum, Gratiarum, & Privilegiorum, ut continuata oratione dicit ipſe Canon: *Suar. hic diſp. 21. ſect. 2. n. 75. Filiuc. tr. 16. c. 10. q. 2. n. 244.* Unde contra alios cenſet *Bonac. tom. 3. de cenſ. in part. d. 1. q. 15. p. 1. n. 6.* immunem eſſe ab hac excommunicatione, qui propria authoritate avocaret ad ſe cauſas ſpirituales, ſi id non faceret prætextu privilegiorum. At cum iſte Canon loquatur de avocantibus ad ſe cauſas ſpirituales *authoritate propria, ac quarumcumque exemptionum prætextu*, ſi attendatur ſenſus reatus, & non rigor grammaticalis verborum, quem jura non eſſe attendendum volunt, videtur Canon ferire avocantes cauſas, ſive id faciant propria authoritate, ſive prætextu privilegiorum &c. *Reginald. l. 9. c. 22. nu. 336. Alter. hic diſp. 15. c. 1. col. 2. V. quarumcumque exemptionum.*

Puto autem, hanc cenſuram non incurri a Judice Eccleſiaſtico ad ſe avocante cauſam authoritate Eccleſiaſtica; nam Pontifex videtur intendere ſolum velle removere avocationem faciendam authoritate laica; unde ſolum obnoxius remanet huic cenſuræ Judex Laicus, vel Eccleſiaſticus, qui authoritate laica id præſtaret: *Navar. c. 27. numer. 70. Bonac. t. 3. de Cenſ. in part. diſp. 1. q. 15. pag. 1. num. 3.*

Ultimo notandum, avocare cauſas idem eſſe, ac ad ſe trahere, & revocare cognitionem, ſeu definitionem cauſarum pendentium apud alios Judices. Id autem tripliciter fieri poteſt. Primo, trahendo ad ſe cauſas pendentes apud alios Judices. Secundo, vetando primo Judici, coram quo agitur, ne amplius in ea procedat, ſeu ne ſe ingerat. Tertio, inhibendo partibus, ne cauſam coram primo Judice proſequantur: *cap. ut noſtrum de appellat. Filiuc. tr. 16. c. 10. q. 2. n. 245.* & communiter.

R. II. Excommunicantur impedientes curſum earumdem cauſarum, & audientiam, ac Perſonas, & Capitula, ſic Conventus, Collegia, prædictas cauſas proſequi volentes. Ubi obſervandum ex dictis, cenſuram afficere impedientes authoritative, & tanquam Judices, ut clare exprimit Bulla; unde non excommunicantur Advocati, & Procuratores eaſdem impedientes: *Alter. hic c. col. 2. V. Ad. ſe.*

R. III. Excommunicantur ſe interponentes ut Judices in cognitione harum cauſarum; unde neque hic comprehenduntur Advocati, & Procuratores: *Ugolin. hic §. 2. n. 2. in fin.*

R. IV. Excommunicantur compellentes partes actrices quæ committi fecerunt dictas cauſas, ad revocandum citationes, inhibitiones, vel alias literas in hujuſmodi cauſis decretas. Ubi notandum ex eodem Ugolino *V. quove partes*, nomine partis actricis etiam reum venire, ſi ipſe agat.

R. V. Excommunicantur compellentes eaſdem partes ad faciendum abſolvere a Cenſuris, & pœnis in eis contentis, illos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, aut ad conſentiendum eoſdem abſolvi. Lis autem eſt inter Authores, an incidant in excommunicationem compellentes ad præfata non judiciaria authoritate, ſed alia ratione, ut per vim, & metum; nec ſine fundamento ſubſtinetur neceſſarium eſſe compellere authoritate judiciaria: nam quamvis Canon feriat, qui *per ſtatutum, vel alias compellunt*, hæ etiam ultimæ particulæ bene poſſunt aptari compellenti judiciaria poteſtate; nam poteſtas publica non ſolum per ſtatutum, ſed etiam alio modo compellit: *Bonac. t. 3. de cenſ. in particul. d. 1. q. 15. p. 1. n. 19.* aliis citatis.

R. VI. Excommunicantur quomodolibet impedientes exequutionem Literarum Apoſtolicarum, executorialium proceſſuum, & Decretorum. At quia hæc commode intelligi poſſunt de impedientibus executionem Literarum Apoſtolicarum &c. non vero de impedientibus Literas, & decreta aliorum Judicum Eccleſiaſticorum, hinc dicendum hos excuſari poſſe a Cenſura: *Bonac. loc. cit. n. 23.*

R. VII. Excommunicantur favorem præſtantes, dantes conſilium, & præbentes aſſenſum ad prædicta. Addi bene poteſt etiam mandantem hac excommunicatione ligari; nam excommunicantur qui vetita in hoc Canone præſtant per ſe, vel per alium; ille autem dicitur facere per alium qui mandat, ſeu curat per alium fieri.

Remanet duo obſervare. Primum eſt non poſſe Judices Sæculares, nec *prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum*, ut dicitur in hoc Canone, facere aliqua ex iis, quæ in eo prohibentur. Ratio eſt, quia quando quis pateretur violentiam a Judice Eccleſiaſtico, debet eam a ſe removere per juriſdictionem contra ſuum Judicem competentem; & hæc eſt ut Clericus contra Epiſcopum recurrendo ad Archiepiſcopum ſe tueatur, ab hoc ad Primatem, a Primate ad Papam, ſeu ejus Legatum recurrat: *cap. ſacroſancta de ſent. excom. & cap. ad reprimendum de offic. Judic. Ordinar.* Et de facto, ſi dum violentia vel eſt dubia, vel poteſt per authoritatem Eccleſiaſticam removeri, Judex avocet ad ſe cauſam Eccleſiaſticam, jam exercet juriſdictionem in perſonam, vel materiam Eccleſiaſticam, cujus juriſdictionis cum ſit incapax, neque per immemorabilem conſuetudinem poteſt juſte uſum habere; *Barboſ. collect. r. 1. l. 1. tit. 2. c. Eccleſia S. Mariæ 10. n. 13. Laym. l. 4. c. 4. Filiuc. tom. 1. tr. 16. c. 8. & 10.* Solum licebit Judici Laico ſeſe immiſcere in cauſis, de quibus in hoc Canone, in caſu fere moraliter impoſſibili; quando ſcilicet violentia facta a Judice Eccleſiaſtico eſſet manifeſtiſſima, ſimulque non pateret aditus ad Superiorem, uti ad Pontificem, Metropolitanum, vel Nuncium; aut talis recurſus eſſet valde difficilis, aut periculum in mora; vel denique quando Superiores requiſiti nollent, vel negligerent aſſumere defenſionem manifeſte innocentis. Tunc autem non ſe intromitterit tanquam habens juriſdictionem, ſed ad juſtam defenſionem Innocentis, quæ unicuique de jure naturæ licita eſt contra quemcumque. *Sayr. in Theſ. t. 13. c. 18 Lezan. t. 3. V. exemptio regul. nu. 16., Salmantic. tr. 8. de ord. c. 7. dub. 2. n. 76. & 94.*

Secundum eſt, non excuſari ab hac cenſura incurrenda, qui aliquid facit, quod in hoc Canone prohibetur, prætextu informandi, ſupplicandi, aut ſupplicare faciendi Summum Pontificem, niſi ſupplicationes hujuſmodi coram ipſo, & Sede Apoſtolica proſequatur, ut dicitur in eodem Canone.

Q. V. Quos comprehendat decima-quinta excommunicatio Bullæ Cœnæ.

R. I. Excommunicantur trahentes, trahi facientes, vel procurantes trahi directe, vel indirecte Perſonas Eccleſiaſticas ad Tribunalia Sæcularia. Ubi advertas excommunicationem latam eſſe contra illos, qui præfata faciunt authoritative, ſeu, ut Canon dicit, *ex eorum prætenſo officio*; unde ſolum reſpicit Judices Sæculares Hinc ex probabili ſententia non afficiuntur hac excommunicatione Miniſtri judicum, qui trahunt, vel trahi faciunt Perſonas Eccleſiaſticas ad Tribunalia Sæcularia, cum non faciant authoritative; ut in ſimili docent *Suar. de Cenſ. diſ. 21. ſect. 2. n. 79 Duard. in Bull. Cœnæ q. 22. can. 15. n. 2.* Si vero ſatellites trahant Perſonas Eccleſiaſticas, quas capiunt, ad Tribunalia Sæcularia, incurrunt cenſuram: *c. ſi quis ſuadente 17. q. 4.*

Item non incurrunt hanc cenſuram Judices trahentes ad ſua Tribunalia amicabiliter Perſonas Eccleſiaſticas, quia tunc non trahunt authoritative: *Sayr. in theſ. lib. 3. cap. 19. num. 6.* Idem dicendum, ſi admittant ad ſuum Tribunal Clericum, qui velit ſe ſponte coram Judice Sæculari purgare, neque etenim tunc exercent authoritatem, aut vim, ut trahant: *Sayr. ibid.* & communiter. Hoc tamen non admitterem, ſi compareret virtute alicujus citationis, ab eodem Judice emanatæ, quia verificaretur ad ſuum tribunal traxiſſe: *Bonac. t. 3. de cenſ. in part. d. 1. q. 16. ſect. 1. p. 4. n. 18.*

Neque referret crimen, ratione cujus Judex Laicus traheret Eccleſiaſticum ad ſuum tribunal, fuiſſe commiſſum, dum erat Laicus. Si Laicus igitur ea ſola intentione fieret Clericus, ut vitaret forum laicum ob patra-

tum delictum, nec vellet in eo ſtatu perſeverare, tunc poſſet a Judice laico puniri; neque enim deberet illi ſuus patrocinari: *Zerol. v. Clericus n. 6. Menoch. de præſumpt. l. 6. q. 76. n. 35. Covar. Pract. q. 32. v. ſecunda concluſio.* At ſi occaſione delicti fieret Eccleſiaſticus, animo quidem vitandi forum ſæculare, ſed etiam in eo perſiſtendi, Deoque famulandi, tunc propter commiſſum delictum non poteſt trahi ad Tribunal ſæculare; neque enim proprie alicui fraudem fecit; ſed uſus eſt jure ſuo atque ideo nullibi invenitur expoliari privilegio Clericali: *Suar. l. 4. de Imm. c. 15. n. 17. Bonac. tom. 3. de cenſ. in particul. d. 1. q. 16. ſect. 1. p. 5. n. 8. & de matr. q. 3. p. 9. n. 6.*

Demum quia Canone excommunicantur Judices Sæculares directe, vel indirecte trahentes perſonas Eccleſiaſticas ad ſuum Tribunal, ideo non evadunt hanc excommunicationem illi, qui injuſte vexarent earum Conſanguineos, famulos, colonos &c. vel inique ipſorum bona diriperent, animo illas trahendi ad ſuum Tribunal; nam tunc *indirecte traherent Suar. de Cenſ. d. 21. ſect. 2. n. 78. Filiuc. tr. 16. n. 10. q. 6. n. 261.*

Quia tamen in præſenti Canone excipiuntur caſus, in quibus non eſt contra diſpoſitionem juris canonici trahere Clericos ad tribunal ſæculare; ideo eos breviter innuam. Primus eſt in cauſa Feudi: *cap. cæterum de Judic.* Secundus, ſi perſona Eccleſiaſtica ſit incorrigibilis: *c. nec licuit diſt. 22.* Tunc igitur ſi Eccleſiaſticus tradatur brachio Sæculari, vel a Judice laico obtineatur licentia a Superiore Eccleſiaſtico, poſtquam declaravit eum incorrigibilem, poterit ab eodem Judice Laico puniri. Tertius, in cauſa reconventionis, prout habetur *c. accuſatores v. cujus in agendo junct. Gl. v. Judicem 3. q. 8. c. prudentiam de mutuis petition.* Quartus eſt, quando a Papa delegatur laico poteſtas in Eccleſiaſticum: *arg. can. illud 10. q. 3.* & tunc Laicus non judicabit propria authoritate, ſed ut Papæ Miniſter: *Alter. Bull. Cœn. cap. 1. coll. 11. & 12.* Hoc puto non poſſe facere Epiſcopum, quia Eccleſiaſtici ſunt exempti jure communi, in quo Epiſcopus nequit diſpenſare. Ultimo Judex Sæcularis poteſt trahere ad ſuum Tribunal Clericum, qui ex jure amiſit privilegium Clericale. Vide etiam quæ dicam agendo de vigeſima-nona excommunicatione.

R. II. Excommunicantur in præſenti Canone facientes, ordinantes, vel publicantes ordinationes, conſtitutiones, vel alia Decreta, quibus directe, vel indirecte læditur Libertas Eccleſiaſtica, hoc eſt, exemptio Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum bonorum, cauſarum, & perſonarum a juriſdictione Principis Laici, de qua tractant Canoniſtæ, & Theologi, agentes de Immunitate. Quia tamen, ut incurratur Cenſura, hæc præſtanda ſunt authoritative, ideo incurrunt hanc excommunicationem Senatores, qui ſuo ſuffragio, vel ſubſcriptione concurrunt ad faciendam, vel ordinandam conſtitutionem læſivam Libertatis Eccleſiaſticæ. Item Conſiliarii, qui voto deciſivo concurrunt ad faciendam talem legem, vel eam de mandato Principis faciunt, vel approbant; nam omnes iſti ſuo modo concurrunt authoritative ad faciendam talem legem: *Bonac. tom. 3. de cenſ. in part. d. 1. q. 16. ſect. 1. p. 3. nu. 4.* Excuſari autem poſſunt Conſiliarii qui ſolum ſuaderent filii talem legem; nam ſi aliud non præſtent, non dicuntur facere legem. Item ſcribens ſolummodo legem non videtur comprehendi in hoc Canone, quia non intelligitur facere, nec publicare, ſaltem authoritative: *Bonac. n. 7.* Aliud videtur dicendum de Cancellariis, aliiſque publicis Officialibus conſtitutis ad concedendas leges, ſi ſcribant legem læſivam Libertatis Eccleſiaſticæ.

R. III. Excommunicantur utentes ordinationibus præfatis, & ſtatutis contra Libertatem Eccleſiaſticam. Hinc innodantur præſenti cenſura Judices, Notarii, aliique officiales, qui talibus ſtatutis utuntur, cum id faciant authoritative. Qui vero iis utuntur privata authoritate, probabiliter excuſari poſſunt ab hac cenſura, cum videatur edita contra exercentes juriſdictionem in præjudicium Libertatis Eccleſiaſticæ: *Bonac. cit. ſect. 2. p. 1. n. 10.*

Alia excommunicatio non reſervata contra lædentes Libertatem Eccleſiaſticam, habetur *c. noverit de ſent. excom.* eaque comprehendit alias perſonas, quæ non comprehenduntur Canone præſenti.

CAPUT IV.

De Decimaſexta, Decimaſeptima, Decimaoctava, Decimanona, & Vigeſima Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Q. I. Quos comprehendat Decimaſexta excommunicatio contra impedientes Prælatos, ne utantur ſua Eccleſiaſtica juriſdictione,

R. I. Excommunicantur omnes impedientes Superiores, & inferiores Prælatos, & quoſcumque Judices Eccleſiaſticos ordinarios, ne ſua juriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcumque utantur ſecundum ſacros Canones &c. Hanc excommunicationem non incurrit, qui ſine vi, & metu, ſed ſolum precibus, pecunia &c. curat, ne Prælati ſua utantur juriſdictione; nam impedire, eſt proprie facere, quod aliquis invitus, & contra ſuam voluntatem ceſſet ab opere, quod intendit: *Alter. d. 17. c. 1. col. 7. Filiuc. tr. 16. c. 10. n. 270. Graff pag. 1. l. 4. c. 18. n. 124. & 138.* Item non incurrit impediens Prælatum, ne injuſte utatur ſua juriſdictione; nam tunc ea non utitur ſecundum S. Canones: *Duard. hic can. 16. q. 1. n. 6.* Oportet tamen certum eſſe Prælatum injuſte uti ſua juriſdictione; nam in caſu dubio ipſe eſt in poſſeſſione talis uſus: *Bonac. de Cenſ. diſp. 2. q. 2. p. 6. §. 2. n. 49. & diſp. 7. q. 1. p. 5. n. 7.* Item ſi impediatur, ipſum præveniendo in aliqua cauſa mixti fori; nam licet eum prævenire; *leg. ſi pluribus ff. de legat. 1. & leg. 1. ff. de Offic. Præſid.* Item non incurrit præſentem cenſuram impediens privata authoritate; nam præſens Canon continuari videtur cum antecedentibus, in quibus ſermo eſt de habentibus publicam authoritatem. *Navar. in Man. c. 27. n. 69. Graff. pag. 1. l. 4. c. 18. n. 139. Bonac. cit. num. 7.* Impedientes nihilominus privata authoritate, afficiuntur excommunicatione lata *cap. quoniam de Imm. Eccl. in 6.* Item non incurrit hanc cenſuram, qui impedit juriſdictionem Delegati, quia in Canone ſermo eſt de Prælatis, & omnibus aliis Judicibus Eccleſiaſticis Ordinariis. Obſervare tamen eſt, quod Epiſcopi, in caſibus eis delegatis a Tridentino, vere ſunt Judices Ordinarii. Item evadit hanc cenſuram, qui impediret juriſdictionem Eccleſiaſticam pro foro interno, quia Canon loquitur de juriſdictione fori externi, ſicut & qui impediret poteſtatem Ordinis; nam diverſa eſt a poteſtate juriſdictionis, de qua loquitur iſte Canon: *Duard. hic can. 16. q. 7. n. 7.*

Ulterius ad incurrendam Cenſuram, non ſat eſt appoſuiſſe impedimentum per mandatum, vel alio modo; ut e. g. Prælatus aliquem non excomunicet, ſed neceſſe eſt de facto impediiſſe, alias non verificatur proprie impedire: *Bonac. loc. cit. n. 20.*

Advertere demum eſt nomine Prælati, de quo loquitur iſte Canon, venire illum, qui eſt confirmatus, & poſitus in poſſeſſione ſui Epiſcopatus &c. nam ante eam non poteſt juriſdictionem exercere, bene tamen in poſſeſſione poſitus, quamvis non ſit conſecratus: *Gl. in c. transmiſſam de elect. Filiuc. tr. 16. c. 10. q. 10. n. 279.*

R. II. Excommunicantur recurrentes ad Curias Sæculares, eludentes Sententias Judicum quorumcumque Eccleſiaſticorum. Excommunicatur proinde, qui recurrit ad forum ſæculare, etiam pro ſententia injuncta lata a Judice Eccleſiaſtico; nam ſemper cum recurrere poteſt ad alium Judicem Eccleſiaſticum, prout habetur *cap. tranſmiſſa, & cap. licet de for. compet.* ſi recurrat ad forum Sæculare, verificatur eludere forum Eccleſiaſticum.

R. III. Excommunicantur recurrentes ad forum Sæculare ad obtinendas prohibitiones, & mandata contra ſententias Judicum Eccleſiaſticorum. Videtur autem habere locum iſta cenſura, etſi talia mandata non obtineantur, obtenta non exequantur, quia in Canone videtur ſub excommunicatione prohiberi ipſe recurſus: *Regnal. in prax. l. 9. c. 24. n. 369. Alter hic d. 17. c. 2. col. 2. & 3.* Non deſunt tamen qui aliter opinetur.

R. IV. Excommunicantur Decernentes talia mandata, & prohibitiones, eaſque exequentes.

R. V. Excommunicantur dantes conſilium, patrocinium, & favorem ad præſtanda ſupradicta. Quia tamen hæ actiones ſunt acceſſoriæ aliis principaliter vetitis, non videntur inducere excommunicationem, quoadusque ponatur actus principalis; unde conſulens recurſum ad Curiam Sæcularem, ſive in ea fieri mandata contra Judicem Eccleſiaſticum, non ligabitur excommunicatione, quoadusque recurratur, vel fiat mandatum; nam antea

non

non datur id, ratione cujus tales actiones acceſſoriæ ſunt prohibitæ: *Regin. in prax. l. 6. c. 24. n. 369. Alter. hic c. 2. col. ult.*

Q. II. Quos liget decima-ſeptima Excommunicatio Bullæ, lata contra uſurpantes juriſdictionem, fructus &c. pertinentes ad Perſonas Eccleſiaſticas, eoſque ſequeſtrantes.

R. I. Iſta excommunicatio primo comprehendit uſurpantes juriſdictiones, ſeu fructus, redditus, & proventus pertinentes ad Papam, Sedem Apoſtolicam, & quaſcumque Eccleſiaſticas Perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum. Ad incurrendam igitur hanc cenſuram, intervenire debet uſurpatio, hoc eſt quod aliquis ſurripiat fructus &c. authoritative; nam voluit Pontifex cohibere illos, qui ſua authoritate abutentes, manus extendunt in juriſdictionem, & bona Eccleſiaſtica: *Navar. in Man. cap. 27. num. 70.* ac proinde hæc cenſura non afficit Latrones, & milites ſurripientes bona Eccleſiæ.

Nomine juriſdictionis venit hic omnis juriſdictio, quæ competit Eccleſiaſtico ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Beneficiorum, ſive ſit ſpiritualis ſeu temporalis, &c. *Ugolin. hic n. 1. Suar. de cenſ. d. 21. ſect. 2. n. 95., Gabr. a S. Vincent. de cenſ. d. 4. p. 9. §. 21. nu. 192.* E contra non incideret in excommunicationem uſurpans juriſdictionem competentem Epiſcopo, vel alteri Eccleſiaſtico ratione Feudi: *Suar. cit. Filiuc. tr. 16. n. 219.* Item nec ligatur præſenti cenſura uſurpans juriſdictionem alicui delegatam; nam non competit Delegato ratione Eccleſiæ, Beneficii, aut Monaſterii: *Bonac. tom. 3. de cenſ. d. 1. qu. 18. p. 2. n. 20.*

R. II. Incurrit hanc excommunicationem uſurpans bona pertinentia ratione Eccleſiæ, inter quæ bene poſſunt numerari bona Eccleſiæ vacantis, quia ad illam pertinent, vel ad Succeſſorem: *Navar. in Man. c. 27. n. 70. Sayr. de cenſ. l. 3. c. 21. n. 4.* Non dicuntur autem Bona Eccleſiæ, quæ Eccleſiaſticæ Perſonæ debentur ratione Oratorii privati; nam hoc non venit nomine Eccleſiæ, bene tamen Oratoria publica, quæ etiam gaudent immunitate: *cap. fin. de conſecr. Eccl. vel. Altar.*

R. III. Excommunicatur uſurpans fructus &c. provenientes Eccleſiaſticæ Perſonæ ratione Monaſterii, & hi ſunt illi proventus, qui debentur Religioſis ſatione Monaſterii, in quo degunt: *Bonac. cit. n. 12. & 23.* Idem dicendum de uſurpante proventus, ſeu fructus prædii patrimonialis, quod Parentes tradiderunt Monacho, quamvis ipſe illius adminiſtrationem habuerit a ſuo Superiore. Ratio eſt, quia vere illa bona ſunt Monaſterii, unde verificaretur uſurpare fructus provenientes ratione Monaſterii: *Filiuc. tr. 16. n. 215.* Secus dicendum eſſet de uſurpante bona debita quidem Eccleſiæ; ſeu Monaſterio, ſed nondum illis conſignata; quia, cum nondum ſint Monaſterii, non verificaretur uſurpare fructus, ſeu bona pertinentia ad Eccleſiaſticas Perſonas ratione Eccleſiæ, ſeu Monaſterii: *Filiuc. n. 218.*

R. IV. Excommunicantur uſurpantes fructus, redditus &c. pertinentes ad Eccleſiaſticas perſonas ratione Beneficii. Inter hos fructus proventus &c. non eſt neceſſe numerare diſtributiones quotidianas, utpote quæ non debentur ratione Beneficii, ſed ratione reſidentiæ: *Bonac. t. 3. de cenſ. d. 1. q. 18. p. 2.* Item non habent hic locum, quæ Eccleſiaſticus acquirit ratione laboris, & induſtriæ, ut ſunt ea, quæ acquirit ratione Miſſæ, Concionis, Funeris, auditionis Confeſſionum &c. *Bonac. cit. n. 22.* Idem dicendum de fructibus pertinentibus ad Sacerdotem ratione Altaris, & Capellaniæ, cujus titulum non habet, adeoque eſt ad nutum amovibilis; nam tunc non verificatur percipere eoſdem fructus ratione Beneficii: *Bonac. n. 25.* Idem dico de uſurpante fructus, quos Sacerdos percipit ex ſuo patrimonio, ad cujus titulum Ordines ſuſcepit; quamvis non deſint qui refragentur. Mea ratio eſt, quia proprie non verificatur percipere illos fructus ratione Beneficii; *Tolet. c. 28., Navar. c. 27. n. 71.* Non habet pariter locum præſens cenſura reſpectu illius, qui uſurparet fructus Beneficii ab alio Beneficiario conducti; nam non uſurparet fructus provenientes ratione Beneficii, ſed ratione contractus conductionis.

Duo remanet obſervare, in quibus non conveniunt DD. Quidam igitur exiſtimant etiam uſurpantes fructus Hoſpitalis obſtringi excommunicatione hujus Canonis, eum reputent ipſum venire nomine Beneficii, ſi ſit fundatum authoritate Epiſcopi: *Duard. hic q. 9. a. 6. & 9. Alter. hic d. 15. c. 2. qu. 4. col. 5.* Verum adhærerem contrariæ opinioni; nam in materia pœnali attendendus eſt rigoroſus ſenſus verborum. Quamvis igitur Hoſpitalia gaudeant omnibus privilegiis, quibus gaudet Eccleſia: *leg. omnia privil. C. de Epiſc. & Cler.* nihilominus proprie non ſunt neque Eccleſiæ. neque Monaſteria, ſicut nec proprie ſunt Beneficia; cum ipſorum fructus non ſint deſtinati perſonis Eccleſiaſticis, ſed ſolum pro alendis pauperibus in genere. Fructus ergo Hoſpitalium non ſunt fructus, qui competant Eccleſiaſticis perſonis ratione Eccleſiæ, Monaſterii, ſeu Beneficii, de quibus loquitur præſens Canon.

Sunt pariter qui aſſerant non ligari præſenti excommunicatione uſurpantem fundos, ſeu prædia Eccleſiæ, vel Beneficii; nam Canon loquitur de uſurpante juriſdictionem, fructus, & proventus, cui autem non conveniunt verba diſpoſitionis, neque ipſa diſpoſitio convenit: *leg. quod conſtitutum ff. de milit. teſtam., cap. indemnitatib. §. Ult. de elect. in 6. Gabr. a S. Vincent. de cenſ. d. 4. q. 9. §. 21. n. 299.* Melius autem opinari crederem, qui dicunt uſurpantem prædia Eccleſiæ in hanc cenſuram incidere; nam mens Legiſlatoris eſt, quod non ſolum non uſurpentur fructus, ſed multo minus ipſæ Eccleſiæ, earumque prædia: potius autem eſt attendenda mens Legiſlatoris, quam verba: *leg. cum Pater ff. de legat. 2., & cap. fin. de reg. jur. in 6., & cap. Marcion 1. q. 5.* Hoc etiam convincitur, quia uſurpari ſolent fructus, uſurpatis prædiis &c. *Alter. hic l. 5. d. 18. cap. 1. col. 9. dub. 1., Bonac. tom. 3. de Cenſ. d. 1. q. 18. p. 2. n. 28.*

R. V. Incidunt in excommunicationem hujus Canonis ſequeſtrantes ſine legitima poteſtate fructus, redditus, & proventus, de quibus hucuſque loquuti ſumus. Quia autem ſequeſtrare importat authoritatem, ideo præſens cenſura proprie ligat Judices, quorum authoritate fit ſequeſtratio. Multi extendunt ad Miniſtros exequentes ſequeſtrum; nam unum reputantur cum Judice, & idem delictum committunt: *leg. athletas ff. de falſ. Filiuc. tr. 16. n. 229.* Verum in materia pœnali videtur poſſe ad illos non extendi diſpoſitio Canonis; nam proprie non ſequeſtrant, ſed exequuntur ſequeſtrum; & in præſenti Canone non fit mentio de exequentibus, ſicut nec de mandantibus, conſulentibus, procurantibus, de quibus mentio fit in Canone præcedenti.

Obſervare demum eſt, excommunicationem hujus Canonis haberi etiam in Tridentino *Seſſion. 22. cap. 11. de reform.*, ſed ibi latius patet; nam præſens excommunicatio eſt contra uſurpantes bona Eccleſiaſticorum authoritative, ſeu poteſtative; verum Tridentinum eam extendit ad quaſcumque, & quomodocumque ea ſurripientes, unde includit etiam fures, milites, &c. Item Tridentinum extendit hanc excommunicationem ad præſumentes uſurpare per ſe, vel per alios, vi, vel timore incuſſo quæcumque bona, cenſus, jura etiam feudalia, & emphyteutica, emolumenta, quaſcumque obventiones, quæ in Miniſtrorum, pauperumque neceſſitates converti poſſunt, ſive ſint Eccleſiæ, ſive cujuſcumque Beneficii ſæcularis, vel Regularis, ſive ſint Montium Pietatis, aliorumque Locorum Piorum.

Q. III. Quos comprehendat decima octava excommunicatio Bullæ Cœnæ contra imponentes decimas, taleas & alia onera Eccleſiaſticis Perſonis Eccleſiis &c.

R. I. Excommunicantur omnes Perſonæ cujuſcumque Dignitatis imponentes decimas, collectas, taleas, & alia onera per ſe, vel per alios, directe, vel indirecte, Clericis, vel bonis ipſorum, & talia tributa exigentes, ſeu illa recipientes etiam a ſponte dantibus.

Pro recta intelligentia hujus Canonis; notandum primo eſt ad incurrendam hanc Cenſuram neceſſe eſſe imponere, ſimulque exigere tributa; nam in eo copulative hæc duo habentur; dicitur enim: *imponunt, & diverſis etiam exquiſitis modis exigunt*: *Bonac. tom. 3. de cenſ. d. 1. q. 19. p. 1. n. 3.* Verum tamen eſt non effugere cenſuram Canonis decimiquinti, qui tantum imponit tributa Perſonis Eccleſiaſticis. Ulterius illæ præſtantiæ, & onera debent imponi tamquam debita; talis enim reputanda eſt mens Summi Pontificis: *Duard. q. 20. n. 15.* Unde Latro, qui imponeret taleam Clerico hac cenſura non ligaretur.

Pariter, ut exactores hæc onera a Clerico extorquentes incidant in Cenſuram, neceſſe eſt, ut fuerint a Principe impoſita; & ita Cuſtodes Civitatum exigentes gabellam a Clericis non impoſitam a Principe, non incurrunt hanc cenſuram: *Tolet. Sum. 1. c. 25., Reginal. in prax. l. 9. n. 376. & 381.*

Notandum etiam hic prohiberi imponi Clericis, eorumque bonis quæcumque onera, quocumque modo appellentur, quæ importat ſumptum, & ſolutionem, nam

ſermo eſt de oneribus realibus, ut ſunt collectæ, taleæ, præſtantiæ, quarum mentio fit in præſenti Canone. *Ugolin. hic cap. 18. n. 2: Bonac. tom. 3. de cenſ. diſp. 1. qu. 19. pag. 1. n. 5.* Et quia non ſolum prohibentur exigi hujuſmodi onera impoſita ſuper bonis Eccleſiaſticorum, ſed etiam impoſita ſuper ipſis Perſonis Eccleſiaſticis; ideo contra aliquos putarem non effugere præſentem cenſuram, qui exigerent pedagia, ſeu gabellas impoſitas Clericis: *Bonac. num. 7.*

Quamvis autem hic ſermo ſit de oneribus realibus, non facile cenſendum futurum immunem a cenſura Canonis decimi-quinti, qui ſine legitima poteſtate imponeret Clerico onus perſonala, quod abſque diſpendio importat induſtriam, & laborem hominis: ut eſſet munus tutelæ, & alia, de quibus *l. 1. §. Illud tenendum eſt, & l. fin. de munet. & bonor.*

Nomine bonorum, ſuper quæ prohibetur imponi præfata realia onera, non ſolum ſunt illa bona, quæ Eccleſiaſtici habent ex Beneficiis, præſtimoniis, & penſionibus; ſed omnia bona, ſive patrimonialia, ſive ab Eccleſiaſticis empta, ſive illis donata &c. *Leſſ. de Juſt. l. 2. c. 33. d. 3. n. 19. Molin. tom. 3. tr. 2. d. 61. n. 3. Duard. can. 18. quæſt. num. 4.* & communiter. Et ratio eſt, quia bona ſemper adhærent Perſonæ ipſius Clerici, nec unquam ſatis exemptus reputabitur, quoadpſque exempta non ſint ipſius bona.

Demum notandum, quod licet excommunicentur etiam recipientes ab Eccleſiaſticis, quamvis *ſponte dantibus*, id tamen, ut patet ex textu intelligendum eſt, quando tributa Eccleſiaſticis fuerunt impoſita.

R. II. Incidunt etiam in excommunicationem præſentis Canonis, qui ea, quæ ſunt in eo prohibita per ſe, vel per alium, directe, vel indirecte *faciunt, exequuntur, vel procurant*; unde famuli Principum tributa imponentium, conductores vectigalium, & miniſtri ipſorum præſenti cenſuræ ſubjiciuntur: *Filiuc. tr. 16. n. 299.*

R. III. Excommunicantur demum in hoc Canone dantes conſilium, auxilium, vel favorem, ut fiant quæ in eo prohibentur. Ob favorem tamen, auxilium, & conſilium non incurritur cenſura, niſi poſtquam adimpletæ ſint actiones principales, ex dictis in ſuperiori quæſito.

Item cum dare conſilium, favorem &c. ſignificet actionem poſitivam, præſens cenſura non extenditur ad non prohibentes; hæc etenim eſt puta ommiſſio: *Gloſſ. in cap. Quantæ de ſent. excomm.* & contra alios *Bonac. de Cenſ. d. 1. q. 19. p. 1. n. 19.* Cum pariter ſermo ſit de conſilium &c. dantibus, ut onera imponantur, & exigantur, non incideret in præſentem cenſuram; qui conſuleret Eccleſiaſtico onera impoſita ſolvere, ſive auxilium daret ad ſolvendum, v. g. pecuniam mutuando: *Bonac. n. 17. & 18.*

Remanet hic adnotare aliquos caſus, in quibus licite imponuntur Clerico onera, ſeu vectigalia. Primus ab aliquibus dicitur caſus, in quo quis aſſumeret habitum non vera voluntate ſtatum Clericalem aſſumendi, ſed ſolum, ut ſe eximeret a juſtis vectigalibus ſui Principis; quandoquidem tunc æquum non eſſet fraudem, & dolum illi patrocinari: *leg. nec ea de dolo, & leg. 3. ff. de tranſact. & l. is, qui dolo ff. de rei vindic. Coriolan. in Excom. 18. Bull. Cœn.* ſed contradicit Duardus *ibid.* quia adhuc ſunt vere Clerici.

Secundus, ſi Clericus Latinus ſit Conjugatus; nam tunc, excepto privilegio Canonis, & fori, ſi ſervet quæ præſcribuntur a *Trident. ſeſſ. 23. c. 6.* expoliatur omnibus alii privilegiis Eccleſiaſticis: *Graff. de effect. Cler. effect. 3. n. 4.*

Tertius, quando ex jure Eccleſiaſticus expoliatur privilegiis Clericatus, ut accidit in actualiter degradato.

Quartus, ſi Clericus ſit feudatarius; nam tunc debet ſolvere Domino Feudi licet ſæculari onera dicti Feudi: *Graff. cit. n. 279. Marta de juriſd. p. 4. caſ. 10. n. 13.*

Ultimus caſus eſt, quando Clericus exercet negotiationem lucrativam; nam tunc pro rebus, quas defert, vel deferre facit cauſa negotiationis, ſolvere tenetur gabellas: *cap. quamquam de cenſ. in 6.* In vi autem hujus Canonis puto ſtatim obligari ad ſolutionem gabellæ, ſaltem quando bona, quibus negotiatur, non erant ſua: *Duard. l. 2. can. 18. quæſt. 8. n. 9. Molin. de juſt. d. 342. n. 10. Graff. de effect. Cler. effect. 3. n. 184.* Quod ſi bona, quibus negotiatur, erant ſua, tunc, antequam cogatur ad ſolvendas gabellas, ter videtur prius admonendus; *ex cap. ex literis de vit. & honeſt. Cler.* aliiſque citatis, docet *Diana p. 2. tract. 6. reſol. 47.* Sed de hoc iterum ſermo erit in *Tract. de Contr.*

In aliis vero caſibus, ubi agitur de bono publico promovendo, vel de damno publico arcendo, obſervandum eſt, an æque, & principaliter agatur de utilitate Clericorum, & Sæcularium: ut in caſu ſe defendendi a periculo peſtis, vel invaſionis hoſtium, qui non minus Sæcularium, quam Eccleſiaſticorum bona diſperent. In his caſibus ſimul convenire debent Eccleſiaſtici, & Sæculares, cum de bono, & gravamine utrorumque æque agatur, ſimulque decernere quid faciendum ſit, quid contribuendum &c. Verum tamen eſt, quod ſi periculum non eſt in mora, expectanda eſt licentia Papæ: *cap. adverſus de Immun.*, & ſi non poſſit expectari, ſufficiet conſenſus Epiſcopi, & Cleri: *cap. non minus de Immun.* Quod ſi Clerus nolit irrationabiliter conſentire, ſufficiet conſenſus Epiſcopi, qui poterit Clerum compellere ad ſolutionem gabellarum. In iis vero, quæ immediate, & primo non attingunt Clericos, hi compelli non poterunt ad ſolvenda onera, & tributa, ut e. g. pro reparatione Pontium, Murorum Civitatis, munitione Caſtri &c. *Bellet. de exempt. Cleric. §. 2. Graff. de effect. Cleric. effect. 3. n. 230. Menoch. conſ. 800. n. 15.*

Q. IV. Quos comprehendat decima-nona excommunicatio Bullæ Cœnæ, lata contra Judices ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu Criminalibus contra Perſonas Eccleſiaſticas,

R. Excommunicantur omnes, & quicumque Magiſtratus, & Judices, Notarii, Scribæ, Executores, Subexecutores quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra Perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, etiamſi talia committentes fuerint Conſiliarii, Senatores, Præſidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

Cum in textu tantum exprimantur Magiſtratus, & Judices, qui ſunt Principe inferiores, ſequitur in hoc Canone non comprehendi Reges, ac Principes: *Filiuc. tr. 16. cap. 11. qu. 7. n. 308.*

Item cum nomine Perſonarum, quæ exprimuntur in Canone, intelligi non poſſint Accuſatores, Advocati, Procuratores, Teſtes, aliique, qui inſtarent, ut Clericus accipiatur &c., ii non comprehenduntur in cenſura præſentis Canonis; *Filiuc. cit. n. 313. Duard. hic can. 19. qu. 8. n. 6.* An autem ligentur cenſura Canonis decimi-quinti, videndum eſt ex dictis ibidem.

Cum vero excommunicentur Judex, aliæque Perſonæ, in hoc Canone expreſſæ; *quomodolibet* ſe interponant in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra Eccleſiaſticos, conſequens eſt non effugere hanc cenſuram, ſi faciant aliquas ex actionibus in eo vetitis, vel ad eaſdem concurrant ſuo mandato, conſilio, auxilio, vel favore; nam particula *quomodolibet* complectitur omnem modum. *cap. indemnitatibus §. Si qua vero de elect. in 6., Menoch. de recuperat. remed. 6. n. 15.* Verum tamen eſt, quod Judex, aliique ad incurrendam hanc cenſuram debent ſe interponere in cauſa Eccleſiaſtici, proprie ut criminaliter in cauſa Eccleſiaſtici agant; unde ratione hujus Canonis non remanerent excommunicatus Judex, qui Clericum examinaret ad veritatem indagandam.

Non conveniunt autem DD. in explicando illud verbum *proceſſando*, quod in Canone continetur. Non deſunt qui velint proceſſare idem eſſe, ac judicialiter contra aliquem informationem accipere; ſeu alios actus judiciales facere circa aliquam cauſam: *Bonac. l. 3. de cenſ. diſp. 1. qu. 20. p. 1. n. 6.* Idem multo magis videretur dicendum, ſi dicta informatio acciperetur ad Eccleſiaſticum pro crimine puniendum: *Graff. decif. l. 4. c. 18. n. 134. Reginal. in prax. l. 9. cap. 26. n. 384.* Verum, cum ſimul in materia pœnali, & ex notis regulis reſtringenda ſit quoad rationabiliter fieri poteſt, hinc eſt quod cum non ſine fundamento dicatur *proceſſare* idem eſſe, ac informationem capere, ſeu actus judiciales contra Eccleſiaſticum exercere, incipiendo a citatione, conſequens eſt poſſe excuſari ab hac cenſura Judicem, qui caperet informationem de delicto alicujus Eccleſiaſtici, ſi illum non citaverit: *Filiuc. tr. 16. cap. 11. q. 8. n. 212., Duard. hic can. 19. q. 5. n. n. 1., Gabr. a S. Vincent. de cenſ. d. 4. q. 9. §. 24. n. 310.*

Quod ſi Judex, aliæque Perſonæ expreſſe in Canone habent licentiam a Sede Apoſtolica ſe interponendi in cauſis Eccleſiaſticorum, advertendum eſt debere eſſe ſpecialem, ſpecificam, & expreſſam, ut poſſint ſe interponere in cauſis ipſorum capitalibus, ſeu criminalibus. Unde habentes licentiam generalem cognoſcendi cauſas Eccleſiaſticorum, non poſſunt ſe intromittere in præfatis cauſis,

ſis quia non eſt ſpecialis: & ſpecifica ſaltem quoad crimen in ſpecie, ſed generica ad cauſas civiles & criminales: *Suar. de cenſ. d. 21. ſect. 2. n. 103. Duard. hic. q. 6. n. 1. Gabr. a S. Vinc. cit. n. 312.*

Dantur tamen aliqui caſus, in quibus Judex Laicus procedere poteſt in cauſis criminalibus Clericorum. Primus eſt, quando non amplius gaudens Clericatus privilegiis, uti eſt Clericus realiter degradatus; *cap. degradatio de pœnit. in 6.* & Clericus habens Ordines Minores, & non deferens habitum, & tonſuram. *Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. de reform.* Quod ſi habeat Beneficium, vel ſit in Sacris conſtitutus, non privatur privilegio fori, eo quod incedat ſine habitu, & tonſura: *Reginald. in prax. for. pœnit. l. 9. n. 385. Molin. tom. 4. d. 49.* Privatur etiam privilegiis omnibus Clericorum Clericus bigamus: *cap. unic. de bigam. in 6.* Sicut & Clericus, qui non arctatus occaſione Beneficii, initiatur Minoribus Ordinibus intra annum a morte ſui Epiſcopi: *Trident. ſeſſ. 7. de ref. cap. 10.* Idem demum dicendum de Clerico ita perpetuo diffidato, & bannito a Judice Eccleſiaſtico, ut poſſit impune a quocumque Privato occidi; nam tunc poterit etiam puniri a laica poteſtate: *Bonac. tom. 3. de cenſ. d. 1. q. 20. p. 3. n. 2.* aliique.

Secundus caſus eſt, quando Delinquens aſſumit Clericatum poſt inquiſitionem juridice formatam; nam tunc poteſt Judex Laicus cauſam proſequi, & ipſum punire, non quidem in corpore, ſed pœna pecuniaria, ſeu rerum mulcta: *Covarr. pract. c. 32. n. 4. Gab. a S. Vincent. de cenſ. d. 4. q. 9. §. 24. n. 313. Bellet. diſq. Cleric. p. p. de favor. Cler. perſ. §. 4. n. 3.*

Tertius caſus, in quo Judex Sæcularis poteſt Clericum pœnis coercere, eſt dum in perniciem Reipublicæ Populos commovet, & pacem perturbat. In iſto caſu, maxime dum Superiores Eccleſiaſtici non ſtatim tanto malo occurrant, poteſt, & debet Poteſtas Sæcularis Clericos coercere, nam jus naturæ concedit unicuique Principi ſe defendere, ſuoſque populos contra excitantes ſeditiones &c. *Suar. contr. Reg. Angl. lib. 4. cap. 34. num. 6.* & alii, quos citant *Salmanticenſ. de Ordin. cap. 7. tract. 8. pag. 2. num. 27. & 28.*

Jam autem *punct. 5. num. 18.* docuerant poſſe Miniſtrum Laicum expoliare Clericum armis prohibitis, eaque retinere, non quidem per vim coercitivam, ſed ut auferat impedimenta contraria quieti Reipublicæ. Item *n. 20.* affirmant poſſe Judicem laicum capere Perſonam Eccleſiaſticam in fragranti crimine deprehenſam, ac ipſam ad ſuum Eccleſiaſticum Superiorem adducere, ut puniatur. Idem dicunt *n. 21.* de Clerico noctu invento cum armis prohibitis, vel habitu mutato; neque enim exercetur in illum juriſdictio, quoties deprehenditur, ut ſuo Superiori præſentetur, ſed ſolum conſulitur bono, & quieti Reipublicæ.

Q. V. Quos comprehendat vigeſima excommunicatio Bullæ Cœnæ lata contra invadentes Civitates &c. Eccleſiæ Romanæ, vel juriſdictionem in illis uſurpantes &c.

R. I. In hoc Canone primo excommunicantur multæ Perſonæ principaliter perpetrantes, quæ in eo prohibentur. Excommunicantur igitur Perſonæ præſumentes per ſe, aut alios, directe, vel indirecte invadere in totum, vel in partem terras Eccleſiæ Romanæ, enumeratas in textu. Quamvis autem non deſint qui velint ly *invadere*, ſignificare injuſtam aggreſſionem, quamvis non factam animo hoſtili: *Bonac. tom. 3. de cenſ. d. 1. q. 21. p. 1. n. 3. &c.* & alii apud ipſum, nihilominus cum valde probabile ſit etiam ſignificare aggreſſionem hoſtiliter factam, huic ſignificationi videtur adhærendum, cum ſimus in materia pœnali: *Suar. de cenſ. d. 22. ſect. 2. n. 104. Filiuc. tr. 16. n. 62.*

Secundo excommunicantur deſtruentes prædictas terras, quod, ex dictis, intelligi poteſt de deſtructione hoſtili. Tertio, *occupantes*, id eſt, uſurpantes, ſeu terras captas vi tenentes. Quarto, eaſdem *detinentes* nempe rem injuſte occupatam non reſtituentes.

Quinto excommunicantur præſumentes uſurpare, perturbare, retinere, & vexare ſupremam juriſdictionem, quæ in terris enunziatis hoc Canone competit Summo Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ.

Quamvis autem omnes conveniant hic ſermonem eſſe de ſuprema juriſdictione temporali; non tamen concordant DD. in explicando, quid illa ſignificet. Alii putant ſignificare dominium directum, & utile: *Filiuc. t. 16. c. 3. q. 9. n. 68.* alii merum imperium, nempe poteſtatem gladii, qua puniuntur facinoroſi: *ex Gloſſ. in l. imperium ff. de juriſd. omn. Jud. & cap. quod translationem de offic. Deleg.* Meo autem videri melius ratiocinantur illi, qui dicunt nomine ſupremæ juriſdictionis venire quidquid pertinet ad S. Pontificem, qua Princeps eſt, uti ſe habent cauſæ ſtatus, cauſæ ſanguinis, cauſæ confiſcationis bonorum &c. *Bonac. t. 3. de cenſ. d. 1. q. 21. p. 1. n. 16.*

Hic autem eſt advertendum, quamcumque ex hucuſque notatis actionibus ſufficere ad incurrendam hanc cenſuram; nam quamvis poſitæ ſint cum dictione, & nihilominus conſtat non ſtare copulative, unde ponitur inter duas actiones hic vetitas, quæ tamen ſunt ſimul incompoſſibiles, quales ſunt *deſtruere, & retinere.*

R. II. excommunicantur etiam aliæ Perſonæ acceſſoriæ principalibus deſcriptis in prima reſponſione, nempe ipſis *adhærentes, fautores, & defenſores earum, & illis auxilium, vel favorem quomodolibet præſtantes.* Sicut autem illi dicuntur confœderati, qui prævio pacto aliquam factionem ſequuntur, ita illi dicuntur adhærentes, qui abſque pacto ſequuntur libere eamdem. Hinc in caſu noſtro qui ſolum aſſiſteret conſiliis Perſonarum, de quibus ſupra, quamvis ad eadem poſitive non concurreret: vel qui, antequam perpetraretur, ipſarum delictum approbaret, diceretur illis adhærere &c. Semper tamen obſervandum eſt iſtas actiones acceſſorias non inducere cenſuras, ſi actio principalis non ponatur. Videatur *Bonac. cit. a num. 26.*

A cenſura hujus Canonis neque Imperatores, neque Reges eximuntur.

Q. Ultimo. Quæ alia in Bulla Cœnæ contineantur.

R. Ea adnotabo, quæ conveniens eſt non ignorare. Primo declaratur hanc Bullam morte Summi Pontificis non ceſſare, vel ſi Pontifex novam Bullam facere non poſſet.

Secundo reſervatur abſolutio cenſurarum, quæ continentur in hac Bulla ſoli S. Pontifici, excepto articulo mortis, in quo & debet præſtari ab abſolvendo cautio de ſtando mandatis Eccleſiæ, & de ſatisfaciendo. Item revocantur quæcumque privilegia conceſſa cuivis Ordini etiam Mendicanti, ita ut locum non habeant quantum ad Cenſuras Bullæ Cœnæ.

Tertio, excommunicantur qui præſumunt abſolvere a caſibus Bullæ Cœnæ, quam tamen excommunicationem non conſtat eſſe reſervatam: *Navar. in man. c. 27. a n. 73.*

Quarto, declaratur nullam generalem abſolutionem prodeſſe iis, qui incurrunt Cenſuras Bullæ Cœnæ, niſi a delictis perpetratis deſtiterint, ſimulque habeant verum propoſitum ſimilia non amplius committendi; pariterque non prodeſſe iis, qui aliquid ſtatuerunt contra Legem Eccleſiaſticam, niſi prius dicta ſtatuta revocaverint, & deleverint de ſuis Capitularibus, ſeu Libris; ac de tali revocatione, & caſſatione certioraverint S. Pontificem. Item declaratur per nullam abſolutionem etiam Sedis Apoſtolicæ, ſive ipſius tolerantiam, aut patientiam præjudicatum intelligi juribus dictæ Sedis.

Quinto revocantur omnia privilegia cuivis, & quocumque modo conceſſa, ne poſſint excommunicari etiam per Sedem Apoſtolicam, niſi facta expreſſa mentione dicti privilegii: quæ tamen privilegia revocantur, ſolummodo ne proſint, quominus Cenſuræ hujus Bullæ incurrantur.

Sexto, præfata privilegia declarantur revocata, ac ſi de verbo ad verbum fuiſſent inſerta &c.

Septimo, decernitur publicatio Bullæ Cœnæ per appoſitionem ad valvas Baſilicarum. Item præcipitur Prælatis in virtute S. obedientiæ, ut eamdem Bullam ſaltem ſemel in anno in Eccleſiis ſuis publicent per ſe, vel per alios.

Octavo, decernitur; ut omnes ad Confeſſiones recipiendas expoſiti habeant apud ſe hanc Bullam, eamque diligenter legant, & quæ continet, percipiant. Cæterum ille diceretur apud ſe Bullam habere, qui eam habet domi, in Monaſterio, ſeu Eccleſia; nam quod eſt in domo dicitur penes me eſſe. *leg. Titia cum Teſtam. §. cujus de Legat. 3.* Quamvis autem quidam putent Parochos, & confeſſarios non teneri ſub gravi habere apud ſe hanc Bullam: *Alter. hic. d. 22. c. 7. col. 3.* nihilominus plures ſentiunt in contrarium. Ratio ipſorum eſt, quia verba Bullæ ſunt imperativa: *penes ſe habeant*, adeoque dicendum videtur continere præceptum, & eo magis quia Bulla edita eſt per modum legis, quæ ex ſua natura in materia gravi obligat ſub mortali: *Duard hic l. 3. §. 9. q. 1. n. 3. Bonac. t. 3. de cenſ. d. 1. q. 22. p. 7. n. 5.*

Agitur poſtea de Fide adhibenda Exemplaribus iſtius Bullæ, ac demum fit quædam recapitulatio omnium actuum in ea expreſſorum, addita indignatione Dei, &

Sanctorum Petri, & Pauli incurrenda ab omnibus, & ſingulis, qui auſu temerario prædictæ Bullæ præſumpſerint contraire.

QUÆSTIO IV.

De Excommunicatione Canonis, quæ contrahitur ob Clerici percuſſionem.

Explicatur Excommunicatio Canonis, ac differitur de Perſonis, quibus favet, ſicut & de iis, qui ea ligantur.

CAPUT I.

Q. I. QUid ſit excommunicatio Canonis.

R. Hæc excommunicatio quæ lata eſt ab Innocentio II. in Concilio Lateranenſi, habetur *can. ſi quis ſuadente diabolo 29. cauſ. 17. q. 4.* atque ita ſe habet; *Si quis ſuadente Diabolo hujus Sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monacham violentas manus injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, niſi mortis periculo urgente, donec Apoſtolico Conſpectus præſentetur, & ejus mandatum ſuſpiciat.*

Q. II. Qui veniant nomine Clericorum, & Monachorum, de quibus loquitur præfatus Canon.

R. Quamquam nomine Clericorum in materia odioſa ſoli inferiores Clerici Sæculares comprehendantur; non vero Epiſcopi, Canonici &c. ut videre eſt apud *Barboſ. l. 1. jur. Eccl. univ. cap. 39. a n. 6. & Fagn. in cap. bonæ memoriæ l. 1. n. 12. de poſtul. Prælat.* aliud nihilominus dicendum eſt in materia favorabili. Nomine ergo Clericorum in materia favorabili, prout in præſenti, veniunt omnes Eccleſiaſtici, dummodo ſaltem initiati ſint prima tonſura, nam & hi Clerici appellantur: *cap. cum contingat de ætat. & qualit. præficiend.* Videatur *Barboſ. cit num. 2.*

Quamvis pariter nomine Clericorum in materia odioſa non veniant Religioſi utriuſque fexus, ni aliud ſuadeant ſubjecta materia, aliæque circumſtantiæ: *Suar. d. 32. de cenſ. ſect. 2. n. 17. Laym. l. 1. Theol. tr. 5. p. 4. c. 4. n. 3. Fagn. loc. cit.* nihilominus cum in materia favorabili & ipſi ſub nomine Clericorum comprehendantur, ut videre eſt apud Authores citatos, ſufficienter conſtaret canonis cenſura ligari in ipſos manus violentas, per hoc ſolum, quod excommunicentur, qui eas in Clericos injicerent.

At ad tollendam omnem cavillationem cavetur in citato capite, ne aliquis violentas manus injiciat in Clericum, vel Monachum. Monachi autem nomine, veniunt omnes Religioſi etiam Converſi, ſicut etiam Novitii, ipſi etenim in favorabilibus nomine Religioſorum comprehenduntur. *Sanch. in ſum. t. 2. l. 6. c. 10. n. 16. Barboſ. in collect. t. 1. l. 3. tit. 49. c. 7. n. 11.* Neque hoc privilegio expoliantur Religioſi, quamquam habitum dimiſerint: *Lezan. in Sum. V. Clericus n. 6.* Item veniunt Moniales, & ut in dubium revocari non poſſit, declaratum eſt *c. de Monial. 33. de ſent. excom.* Gaudent etiam privilegio hujus Canonis Tertiarii, qui ſcilicet habitum tertiæ regulæ cujuſpiam Ordinis ſuſcipiunt de manu Prælatorum Regularium, ad hoc authoritate Pontificia facultatem habentium, & vivunt ſub eorumdem, vel Epiſcopi obedientia, inſervientes ordini, vel alteri Eccleſiæ: nec refert tria vota ſubſtantialia Religionis non emiſiſſe. Idem dicendum de Eremitis, qui habitum de manu Epiſcopi receperunt, vivendo ſub ipſius obedientia, deputati ſervitio alicujus Eccleſiæ, vel Oratorii: *Gloſſ in can. qui vero 16. q. 1. Fagn. in c. Nullus n. 61. de for. compet. Ricc. in prax. p. 2. reſol. 149. n. 1.* Ratio vero tam pro Tertiariis, quam pro dictis Eremitis eſt, quia cum legitima Prælatorum authoritate deferant habitum, quo a Sæcularibus omnibus diſtinguuntur, itemque cum ſint mancipati ſervitio Eccleſiæ, vel Divinis Officiis, nequeunt dici laicalis profeſſionis adeoque venire poſſunt in favorabilibus nomine Religioſorum, quamvis vota ſubſtantialia Religionis non omittant.

Denique advertendum, quod ex vi præfati Canonis, non ſolum excommunicantur Clericum, vel Monachum percutiens, ſed in plurium ſententia etiam ipſe Clericus, vel Monachus, ſi cum gravi culpa percutiat ſeipſum, ut evenire poteſt ex magna iracundia, deſperatione, tædio &c. Ratio eſt, quia verificatur violentas manus in Clericum injicere cum injuria ordinis Clericalis: *Suar. d. 22. ſect. 1. n. 59. Pulaus diſp. 3. p. 13. n. 4.* Contradicit nihilominus Naldus *in Sum. verb. Clericus*, cui videtur Canon intelligendus de alia Perſona Clericum percutiente. Extra dubium autem eſt ex contritione peccatorum poſſe percutere ſeipſum, idque alteri demandare. & utinam ſæpe.

Q. III. Quid ſignificet, *Suadente diabolo* manus violentas in Clericum injicere.

R. I. Per ly *Suadente Diabolo*, intelligitur actio, quæ vel in ſe, vel attenta perſona, cui infertur, externe appareat eſſe injuriam gravem, adeoque contineat gravem culpam, ut colligitur etiam *ex cap. contingit 26. de ſent. excom.* Ubi etiam advertendum, ad evadendam cenſuram nil referre quod Clericus conſentiat percuſſioni; nam ſemper eſt injurioſa ſtatui Clericali, cui conceſſum eſt privilegium, nec illi cedere poteſt Perſona ſingularis: *cap. ſi diligenti 12. de for. compet. & c. contingit 36. de ſent. excom. Suar. d. 22. ſect. 1. n. 58. Coninch. d. 14. dub. 15. n. 168. Bonac. diſp. 2. q. 4. p. 2. n. 1.*

R. II. Per *manus violentas* intelligitur pariter actio corporalis exterior, graviter injurioſa, quæ non conſiſtat in his verbis, ſed factis, & quæ actio ſit in Perſonam Clerici, vel in res ei adhærentes. Hujuſmodi actiones ſunt manu, pede, enſe, baculo, alioque inſtrumento, vel etiam veneno occidere, mutilare, vulnerare, percutere. Item projicere lapides, pulverem &c. conſpuere, ſi non ſolum quis præfatis actionibus conetur, ſed de facto Clericum lædat. Si violenter detineatur frænum equi, aut currus, cui Clericus inſidet, ſi veſtimenta, aliaque Perſonæ adhærentia dilacerentur, rapiantur; ut ſi violenter eripiatur Liber, baculus, Pileus, hæ etenim actiones ipſi Perſonæ Clerici moraliter fieri dicuntur. Inter actiones hic prohibitas merito recenſetur etiam ira inſequi Clericum, ut prævideatur præcipitem ſe in foveam &c. daturum; nam idem eſt ac illum in foveam impellere: *Navar. in Man. c. 27. n. 77. Barboſ. in c. ſi quis ſuadente Diabolo a n. 29. Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 5.* Idem DD. docent reputari violentam manum in Clericum injicere, ipſum in carcere, vel in cuſtodia privata injurioſe retinere, ut egredi non poſſit, & conſtat *ex text. expreſ. c. nuper 26. de ſent. exc.*

Non reputatur vero, quidquid aliqui dicant, manus violentas in Clericum injicere ille, qui clam illi furaretur pecuniam, veſtes, equum, ac proinde vel non poſſet proſequi iter, vel e domo egredi; nam in his actionibus non reputatur illi vim adhiberi; *Lezan. in Sum. t. 3. v. Clericus n. 7. Coninch. d. 24. dub. 15. n. 166.*

Q. IV. Quæ Perſonæ injicientes manus violentas in Clericum incurrant excommunicationem.

R. Primo, hæc cenſura afficit omnes Perſonas utriuſque ſexus injicientes manus violentas in Clericos, quamvis mulieres, & quamvis pueri ſint, dummodo rationis capaces: *cap. 1. cap. mulieres, cap. pueris de ſent. excom.* Secundo, extenditur ad mandantes, ſeu precibus, minis, aut promiſſis excitantes: *cap. mulieres §. Illi de ſent. excom.* Tertio, ad conſentientes, quales ſunt etiam conſulentes, auxilium & favorem præbentes, nam certe ii conſentire dicuntur, & conſtat *ex c. quanta 47. de ſent. excom. & Clem. 1. de pœnis.* Ut vero Mandans, conſulens, favens &c. excommunicationem incurrant, neceſſe eſt de facto in Clericum manus violentas injectas fuiſſe, & mandatum, conſilium &c. in talem actionem influxiſſe. Ceterum advertendum etiam illum conſentientem reputari, qui dicit ſibi gratam futuram percuſſionem Clerici, ſi ea verba proferat coram iis, qui talibus verbis excitabuntur ad percutiendum: *Coninch. diſp. 14. dub. 15. n. 171.* Ad evadendam ergo Cenſuram deberet ſe exprimere, non ita eo animo talia effari, ut optet evenire.

Incidunt pariter in præſentem excommunicationem, qui injurioſam, & violentam actionem in Clericum, ſuo nomine, & gratia factam, externo ſigno ratihabent, ſecus ſi ratihaberent actionem factam nomine alterius: *cap. cum quis 23. de ſent. excom. in 6. Clem. ſi quis ſuadente 1. de pœnis*, ac proinde in hac materia, quamvis odioſa, verificatur *reg. 10. juris in 6. Ratihabitionem retrotrahi; & mandato comparari non eſt dubium.* Quæ autem neceſſaria ſint ad propriam ratihabitionem dixi quæſtione ſuperiori *c. 3. quæſt. 1.*

Denique incurrunt hanc excommunicationem, qui, cum poſſint impedire, non impediunt: *cap. quanta 47. de ſent. excom.* nam ibi dicitur: *Eos delinquentibus favere interpretamur, qui cum poſſent, manifeſto facinori deſinunt obviare.* Quamvis autem non deſint qui affirment

haud

hanc cenſuram ligare etiam eos qui tenebantur ex ſola charitate impedire, & dum poterant id facere, non impedierunt; nihilominus hoc ſuſtineri poteſt ſolum habere locum reſpectu eorum, qui tenetur ex juſtitia impedire. Ratio eſt, quia, ſicut non imputantur damna ei, qui ſolum ex charitate tenebatur illa impedire, & ita non tenetur reſtituere, eodem modo non imputanda eſt percuſſio Clerici ei, qui non impedivit, cum ad id ex ſola Charitate teneretur; neque reputandum auxilium, ſeu favorem dediſſe, ſed ſolum ſe habuiſſe negative; cum autem interpretari non poſſit favіſſo Delinquenti, immunis erit a Cenſura: *Navar. in Man. c. 27. n. 78. Bonac. diſp. 2. de Cenſ. in part. q. 4. p. 3. n. 5. Pal. d. 3. part. 23. ſ. 2. n. 13.*

Q. V. Quæ excuſent ab hac cenſura incurrenda.

R. Omnia ea, quæ excuſant ab incurrendis cenſuris de quibus egi *quæſtione* 1. *cap.* 5. excuſant pariter ab hac cenſura incurrenda.

Item liber eſt a præſenti cenſura percutiens Clericum, qui non amplius gaudet privilegio Canonis; de quibuſdam his Clericis dixi quæſtione ſuperiori. Modo addere eſt præſenti privilegio Canonis non gaudere Clericos bigamos bigamia reali, vel etiam interpretativa: *c. unic. de bigam. n. 6.* Bigamiam vero ſimilitudinariam non privare privilegio Canonis compertum eſt, cum de ea in jure nulla fiat mentio; unde excommunicatus remaneret, qui percuteret Clericum in ſacris conſtitutum, qui poſtea conjugium contraxiſſet. Expoliantur pariter privilegio Canonis Clerici conjugati. ſi non deferant Tonſuram, & habitum: *c. unic. de Cler. conjug.* Immo jure novo Tridentini *ſeſſ.* 22. *c.* 6. debent inſuper de licentia Epiſcopi ſervire alicui Eccleſiæ, vel vacare literis in aliqua Univerſitate. Idem dicendum ex eodem Concilio de Clericis in Minoribus conſtitutis ſi non deferant habitum, & tonſuram: licet autem jure antiquo neceſſaria eſſet trina monitio, ut Clericus ob habitus dimiſſionem privilegium Canonicis amitteret, modo ab hoc ſatis eſt, ut incidat habitu laicali, & publice Laicus dijudicetur. Ita S. Congregatio apud *Fagn. cap. ſi quis n. 21. de for. compet. Barboſ. in c. 6. ſeſſ. 23. Concil. Trid.* Ita autem procedunt de Clerico ſive conjugato, ſive non conjugato, quia non deferendo habitum, deeſt conditio, ſub qua vult Eccleſia ipſos privilegio Canonis gaudere: *Fagnan. in c. contigit 2. de ſent. excom. n. 17.*

Immunis etiam eſt ab excommunicatione, qui ad ſui, vel alterius defenſionem Clericum lædat, vel violenter detineat, dummodo id faciat incontinenti, & modum non excedat: *arg. cap. ex tenore* 10. *& c. ſi vero* 13. *de ſent. excom.* Ad hanc eamdem juſtam defenſionem reducitur, ſi quis vi repelleret, vel excluderet Clericum e domo ſua, eo quod ibi cauſet turbationes, inſolentias, & rixas. Vel ſi percutiat Clericum, cum non poſſet alio modo ab eo ſugiente recuperare ſua bona, injuſte ablata. Vel demum, ſi violenter detineat Clericum debitorem de fuga ſuſpectum, ut eum præſentet Judici Eccleſiaſtico, ad obtinendam debitam ſatisfactionem: *Molin. d. 55. a n. 3. Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. nu. 8. Pal. tr. 29. d. 3. p. 23. ſ. 3. n. 15.*

Pariter *c. ſi vera 3. de ſent. excom.* immunis eſt ab excommunicatione, *qui in Clericum cum uxore, matre, ſorore, vel filia propria turpiter inventum manus injecerit*, ibique cavetur non eſſe hoc extendendum ultra perſonas hic enumeratas. Debet item percuſſio ſequi in fragranti, & incontinenti. Cæterum ille etiam reputatur turpiter inventus cum uxore &c. ſi cum ea vacaret amplexibus, oſculis, aliiſque turpibus actionibus; vel ſi eſſet in loco ita ſuſpecto, ut ex circumſtantiis colligeretur turpitudo, vel ſi poſtquam Clericus ex juſta ſuſpicione prohibitus eſt a colloquendo cum uxore, aliiſque Perſonis in Canone enumeratis, adhuc cum eis colloquens inveniatur: *Suar. diſp. 22. ſect. 1. n. 49. Palaus cit. n. 23. Laym. n.* 8. Ubi advertas, quod etſi Clericus occideretur, occidens immunis eſſet ab excommunicatione, quia Canon generaliter loquitur de omni percuſſione. Et quidem Eccleſia hæc ſancivit, non tam in abominationem Clericalis incontinentiæ, ſed quia voluit compati illis, qui neſcirent in talibus caſibus juſtum dolorem temperare, & impetum vindictæ cobibere: *Navar. in Man. cap. 27. n. 84. Molin. diſp. 55. n. 5.*

Mulier vero, quæ a Clerico tentatur, ſi poteſt eum repellere vel fugiendo, vel verbis, non poteſt eum percutere; quod ſi non poſſit illum a ſe amovere niſi violenter, vel eadem violenta percuſſio neceſſaria reputetur ut quamvis expulſus, non redeat ad eam ſollicitandam, poterit quidem eum percutere: nam tunc percuſſio eſt juſta defenſio ſui honoris: *Suar. n. 33.* & communiter.

Demum S. Canones excommunicationi obnoxios nolunt Prælatos, Superiores, aut Magiſtros, qui Clericum ſubditum, vel Diſcipulum correctionis, ſeu diſciplinæ cauſa percuterent; idemque dicendum de aliis ex ipſorum mandato percutientibus; *cap. ex tenore* 10. *c. cum. voluntate* 54. *de ſent. excom.* Ex eodem *cap. cum voluntas ſ. fin.* immunes declarantur ab excommunicatione Parentes, & Propinqui, qui cauſa diſciplinæ, vel correctionis moderate percuterent filium, vel propinquum in Minoribus conſtitutum,

Hic autem inſurgit quæſtio; an poſſint illos percutere, ſi ſint conſtituti in ſacris, non paucis aſſerentibus ſolum id conceſſum eſſe Magiſtris, & Superioribus reſpectu Subditorum, & Diſcipulorum: *Barboſ. in can. ſi quis ſuadente n. 6.* & alii apud ipſum. Verum tutam eſſe contrariam opinionem omnino crederem, & *cap. cum voluntate* mentionem non fieri de conſtitutis in Minoribus, privative ad conſtitutos in Majoribus. Ratio eſt, tum quia & ibi etiam Magiſtris, & Superioribus conceditur poſſe percutere Subditos, & Diſcipulos conſtitutos in Minoribus, neque per hoc excluditur poſſe percutere conſtitutos *in Majoribus*, ut patet ex ſupradictis. Tum quia majorem poteſtatem habet Pater in Filium, quam Magiſter in Diſcipulum, unde non eſt illi deneganda poteſtas, quæ huic conceditur. Tum quia de jure naturæ eſt, ut Pater corrigere poſſit delinquentes e ſua Familia, inter quos negari non poteſt eſſe Filium, licet in Sacris conſtitutum: *Suar. diſp. 22. ſect. 1. n. 49. Coninch. diſp. 14. dub. 15. n. 192. Bonac. d. 2. q. 4. p. 2. n. 4.* Semper tamen advertere eſt, non licere nec Superioribus, nec Magiſtris, nec Parentibus, nec Propinquis percutere Clericum, niſi zelo correctionis, & diſciplinæ: & ſi cum gravi culpa excederent, nec evaderent excommunicationem, quia verificaretur percuſſiſſe ſuadente Diabolo:

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Hic præ oculis ſemper habeat Confeſſarius eam communem doctrinam, qua dicitur ad incurrendam hanc cenſuram, ipſam actionem externam apparere debere graviter injurioſam. Hac ratione difficiliter inveniet, in eam incidiſſe pueros rixantes, vel etiamſi e naſo multum ſanguinis ob pugnos defluxerint; nam ſimiles rixæ non reputantur graviter externe injurioſæ, quamvis fierent ex odio lethali. Idem judicium faciendum eſt, dum injuria facta Clerico externe reputatur facta per jocum; ut ſi appareret ex joco luto, pulvere, vel etiam ſputo fuiſſe ſordidatum: quamvis re vera hæc facta fuiſſent animo ipſum graviter injuriandi, & ad iracundiam provocandi.

II. E contra pro praxi advertere debet eam externam injuriam, quæ facta alteri perſonæ reputari poſſet levis, gravem reputari, ſi fiat Eccleſiaſtico. Si e. g. aliquis ex rixa aliquantulum dilaceret veſtem perſonæ plebejæ; non reputabitur ipſi gravem injuriam irrogaſſe, ſecus ſi fiat Eccleſiaſtico Sacerdoti. Ubi etiam notandum, eo facilius gravem reputari injuriam factam Eccleſiaſtico, quo dignior eſt in Eccleſia, ſicut offenſa, quæ alias levis reputaretur, ſi fiat perſonæ ex plebe, bene judicari poteſt gravis, ſi viro Notabili irrogetur, & ea gravior, quo nobilior eſt Perſona.

III. Quia licet Clericum percutere, ſi id neceſſarium ſit in propriam defenſionem, vel etiam ob defendendum honorem, & bona, Confeſſarius non facilis ſit ad judicandum cenſura innodatum illum, qui aliquatenus exceſſiſſet in percuſſione. Vel enim, ordinarie loquendo, exceſſus non erit gravis, vel, excæcante ira, Percutiens non agnovit graviter exceſſiſſe, dum alias licite ſe, ſuaque tueatur; & ita vel ex uno, vel ex altero capite excuſari poterit ab excommunicatione. Idem judicare poteſt de Superioribus, Magiſtris, Parentibus ad correctionem percutientibus Reum.

Difficilius poterit Confeſſarius excuſare illum, qui laceſſitus vel verbis, vel factis a Clerico, illum fugientem graviter percutiat; nam tunc non ſe defendit, ſed ulciſcitur. Unica poſſet eſſe ratio illum excuſandi, ſi nempe ira ita fuerit excæcatus, ut non agnoverit gravem injuriam, quam Clerico irrogavit.

IV. Animadvertat etiam Confeſſarius non habere locum excommunicationem reſpectu illius, qui Clericum nolentem ſua domo egredi, vi ab ea expelleret. Ita excuſandus ille, qui poſtquam monuit Clericum, ne ſuam

domum ingrederetur, ubi nullum jus habet permanendi, ſi illum iterum redeuntem vi ejecit. Hæc omnia ad juſtam defenſionem reducuntur.

CAPUT II.

De abſolutione a Cenſura lata ob Clerici Percuſſionem.

Q.I. QUis abſolvere poſſit Percuſorem Clerici.
R.I. Generaliter loquendo abſolutio hujus criminis reſervata eſt S. Pontifici, ut patet *ex can. ſi quis ſuadente &c.* relato capite ſuperiori.

R. II. Epiſcopi poſſunt abſolvere ab hoc crimine omnes illos, qui a jure eximuntur ab obligatione adeundi S. Pontificem, ſeu reputantur ad hoc habere impedimentum: De his loquutus ſuum *q.* 1. *cap.* 6. ibique etiam adnotavi impedimentum adire Sedem Apoſtolicam, non teneri mittere epiſtolam, vel procuratorem pro abſolutione obtinenda, quia id jura non exigunt, ſed ſolum, ut audeat Epiſcopum pro abſolutione: *Pal. diſp.* 5. *p.* 2. *§.* 5. *n.* 6., *Sanch. l.* 2. *Sum. c.* 13. *n.* 14.

R. III. Epiſcopi poſſunt abſolvere ob percuſſionem levem Clerico irrogatam: *cap. pervenit de ſent. excom.*

In hac igitur materia triplex diſtinguitur percuſſio, levis, mediocris & enormis. Percuſſio levis non ita dicitur quaſi ſit ſine gravi culpa, ſed quia in genere percuſſionis repotatur levis; ut ſi non afferat maculam, lacerationem carnis, mutilationem membri, dentium avulſionem, exactionem multorum capillorum, nec immodicam effuſionem ſanguinis; quamvis ſi multum ſanguinis naribus efflueret, non facile judicanda eſſet gravis. Percuſſio enormis ea reputatur, quæ de ſua natura mediocrem excedit: talis eſt occidere, membrum mutilare, oculum eruere, notabila vulnus infligere. Hoc idem videtur dicendum de vulnere non notabili, ſi infligatur in loco notabili, ut in oculo, & in facie. Ex his facile eſt dijudicare quæ ſit percuſſio mediocris, ſive media inter levem, & enormem, ea nempe, quæ ad atrocitatem enormis non pervenit, ſed levem excedit; ut eſſet percuſſio, quæ maculam relinqueret, quare aliqui dentes, & plures capilli eruerentur, leve vulnus infligeretur facillima ſanabile &c.

At quamvis hæc per ſe vera ſint, nihilominus dantur plures circumſtantiæ, ex quibus percuſſio levis tranſire poteſt in gravem, vel etiam enormem. Primo, ratione perſonæ læſæ, ut ſi percuteretur Epiſcopus, Abbas, Caput Monaſterii, Sacerdos ſacris veſtibus indutus, nam in his circumſtantiis difficiliter percuſſio excuſari poſſet ab enormi. Secundo, ratione Perſonæ lædentis, & ita ſi Officialis laicus authoritative Clericum percuteret, diceretur percuſſio enormis. Tertio, ratione ſcandali, ut ſi non ſine gravi ſcandalo Monachus Clericum Sæcularem percuteret. Quarto, augetur gravitas percuſſionis ratione Perſonæ, coram qua fit, ut ſi fiat coram Prælato &c. *Inſtitut. de injur. §. Atrox.* Quinto, ratione loci, ut ſi percuſſio fieret in Eccleſia, dormitorio, in publica platea &c. *arg. cap. cum pro cauſ. de ſent. exc. & can. quiſquis* 17. *q.* 4. Demum augetur injuria ratione temporis, ut ſi fiat tempore magnæ ſolemnitatis Hinc conveniunt Canoniſtæ, & Theologi judicium de qualitate percuſſionis relinquendum eſſe arbitrio prudentum, vel etiam Confeſſarii, cum poſſit ex tot circumſtantiis variari: *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 6. *nu.* 9. Ita etiam decernitur in Extravaganti *Perlectis*, quam affert *Navar. in Man. cap.* 27. *num.* 91. ubi etiam dicitur in dubio potius declarandam eſſe percuſſionem gravem, quam levem, *ne occaſio præbeatur lædendi ſtatum Clericalem.*

Q. II. Quæ facultas competat Superioribus Regularibus quoad abſolvendum ab excommunicatione ob Clerici percuſſionem.

R. Quidquid ſit de jure antiquo, modo Superiores Conventuum, ac ipſorum abſentia illorum Vicarii abſolvere poſſunt ſuos Subditos ab excommunicatione contracta ob quamcumque percuſſionem vel alterius Religioſi, vel Clerici etiam ſæcularis. Ita ipſis fuit conceſſum a Bonifacio IV. & Clemente VIII. ut videre eſt apud Paulum *hic diſp.* 3. *part.* 21. *§.* 4. *n.* 10. *Bordon. in Conſil. Regul. tom.* 1. *reſol.* 28. *n.* 4. 50. *&* 59. *Anton. a Spir. S. in Direct. Regul. t.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 1. *ſect.* 1. *n.* 24.

Quamvis ergo olim ex jure communi, ut dixi *qu.* 1. *c.* 6. *qu.* 6. Regulares abſolvi non poſſent ab Epiſcopo in Exceſſibus difficilibus, & enormibus, modo nulla eſt exceptio, quin poſſint abſolvi a ſuis prælatis ob Cenſuram incurſam ratione enormis percuſſionis, & ſi in talem Cenſuram inciderit ipſe Prælatus, poterit abſolvi a ſuo Subdito, ut notat *Anton. a Sp. S. n.* 25.

Regula in praxi obſervanda.

I. Dum Confeſſarius audit a Pœnitente graviter, vel etiam enormiter Clericum percuſſiſſe, non ſtatim deſpondeat animo, ac ipſi intimet a ſolo S. Pontifice abſolutionem poſſe obtinere. Videat ergo primo, an aliquis ſit ex illis, qui eximantur ab obligatione recurrendi ad Sedem Apoſtolicam, & tunc poterit expoſtulare ab Epiſcopo facultatem ipſum abſolvendi. Quod ſi non ſit aliquis ex ſupradictis, tunc interroget, an percuſſio fuerit occulta, quia tunc poteſt illum remittere ad Epiſcopum, vel Vicarium ab eo deputandum.

QUÆSTIO V.

De Suſpenſione, Depoſitione, & Degradatione.

CAPUT I.

De Suſpenſione, ejuſque effectibus, & cauſis.

Q.I. QUid ſit Suſpenſio, & quotuplex.
R.I. In præſenti non ſumitur ſuſpenſio prout ſignificat prohibitionem cujuſcumque officii etiam ſæcularis, vel privationem uſus alicujus officii Eccleſiaſtici, quæ non proveniat a culpa, ſed ex alio capite, ut ex morbo, ſenectute &c. Agimus ergo in præſenti de ſuſpenſione, prout eſt Cenſura Eccleſiaſtica, & ita definiri poteſt: *Cenſura, qua Clerico probibetur exercitium alicujus Eccleſiaſtici Miniſterii.*

Eo ipſo quod dicitur *Cenſura* ſignificatur eſſe pœnam medicinalem, ordinatam ad emendationem illius, qui ſuſpenditur, ut dictum eſt explicando naturam Cenſuræ. Additur, *qua Clerico prohibetur &c.* nam ſolæ Perſonæ Eccleſiaſticæ ſuſpendi poſſunt. Quod ſi etiam Abbatiſſæ, & Prioriſſæ ſuſpendi poſſint ab Officio, id non importat propriam ſuſpenſionem, cum non habeant juriſdictionem Eccleſiaſticam, vel Officium Ordinis: *Pal. diſp.* 4. *p.* 1. *a.* 2. Dicitur demum ſuſpenſionem prohibere Clericum *ab exercitio alicujus muneris Eccleſiaſtici.* Ubi notandum quod dum excommunicatio privat uſu Ordinis, & poteſtatis Eccleſiaſticæ, non iis privat ut dicunt præciſe uſum Ordinis, & juriſdictionis, ſed ut per talem uſum quis communicat cum aliis Fidelibus. Item dum interdictum privat adminiſtratione Sacramentorum, iis privat, quatenus ſunt participatio rerum Sacrarum. Irregularitas demum de ſua natura privat Ordine ſuſcipiendo. Proprium ergo ſuſpenſionis eſt privare exercitio Ordinis, aut juriſdictionis.

Quamvis autem, ut debito modo feratur ſuſpenſio, danda ſit in ſcriptis, & in ſpecie ipſius cauſa ſit exprimenda, dando inſuper intra menſem inſtrumentum ſuſpenſo, ſi poſtulet: *arg c.* 1. *de ſent. excomm. in* 6. Item licet præcedere debeat monitio, ſine qua ſuſpenſio nulla eſt, ut patet ex dictis *q.* 1. *c.* 2. *quæſ.* 3. nihilominus nulla forma aſſignatur in jure pro ſuſpenſione ferenda; unde ſatis eſt, ſi ea adhibeantur verba, quæ ſufficienter exprimant voluntatem Superioris. Ad videndum autem, an ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ, conſideranda ſunt ea, quæ dixi *q.* 1. *c.* 1. *quæſit.* 2.

Cum autem dictum ſit ſuſpenſionem ferendam eſſe in ſcriptis, & eum hoc præceptum tranſgredi non poſſit ſine peccato, hinc ſi Superior ſolo verbo prohibeat Subdito, ne celebret, interpretandum eſt non velle proprie ipſum ſuſpendere; ſed ſolum in pœnam id illi imperare.

R.II. Omiſſis variis diſtinctionibus, quæ communes ſunt omni cenſuræ, & de quibus egi loco citato, ſuſpenſio dividitur in ſuſpenſionem ab officio, de qua *c. ſane, & cap.* 2. *de offic. Deleg. in* 6. in ſuſpenſionem a Beneficio *cap. cum in cunctis, c. nihil de elect.* & in ſuſpenſionem ab utroque: *Clem.* 2. *de decim. & cap. tuarum de privileg.*

Q. II. Quid ſit ſuſpenſio ab officio.

R. Suſpenſio *ab officio* abſolute lata privat omni uſu ordinis, & juriſdictionis, ſive alterius cujuſcumque miniſterii, quod non poteſt exerceri niſi a Clerico ut tali. Hinc, ita ſuſpenſus non poterit celebrare, miniſtrare Sacramenta, ſive aliam quamcumque functionem Ordinis exercere, ſicut etiam non poterit abſolvere, excommunicare, Indulgentias concedere, omnemque alium actum exer-

exercere, derivantem ab Eccleſiaſtica juriſdictione; nam utrumque comprehenditur nomine officii Eccleſiaſtico competentis, & officium nempe Ordinis, & officium Juriſdictionis; *D. Thom. in addit. q. 22. art. 3. Suar. d. 26. ſect. 1. num. 3. Anton. a Sp. S. de ſuſp. num. 720.* Et quia eſt contra rationem recipere Ordinem, cujus actum quis non valet exercere, hinc ſuſpenſus ab officio non poſſet licite Ordinem ſuſcipere: *cap. fin. de Cler. excomm.* Ex quo etiam infero quod illicite reciperet Beneficium, cui annexum ſit officium, quod non poſſet exercere: *Pal. d. 4. p. 5. n. 2.*

Sicuti ſuſpenſio *ab officio* abſolute lata prohibet omnem uſum ordinis, & juriſdictionis; ita ſuſpenſio *ab ordine* abſolute lata prohibet exercitium cujuſque actus, qui ſit Ordini annexus; nam certum eſt, propoſitionem indefinitam in materia doctrinali, & morali æquivalere univerſali *Pal. loc. cit. n. 11. Anton. a Sp. S. diſd. 4. Sect. 5. num. 722.* Quod ſi aliquis fuit ſolum ſuſpenſus ab exercitio Ordinis Superioris, non ob id cenſetur illi prohibitus uſus ordinis Inferioris, cui enim prohibetur majus, non ex hoc prohibetur minus; & poteſt eſſe indecentia, ut quis exerceat quod majus eſt non vero quod minus: *Bonac. diſp. 3. p. 2. num. 7. Anton. loc. cit. num. 724.*

Probabile item eſt ſuſpenſum ab Ordine inferiore non eſſe ſuſpenſum a Superiore, qui exerceri poſſit ſine inferiori. Utique ſuſpenſus a Subdiaconatu, vel Diaconatu, non poteſt celebrare, quia celebratio Miſſæ non eſt ſine recitatione Epiſtolæ, vel Evangelii, quæ importat exercitium Subdiaconatus, & Diaconatus: *arg. cap. ex liter. de exceſſ. Prælat. ad fin.* At cur ſuſpenſus a talibus Ordinibus, non poterit abſolvere Sacramentaliter, baptizare ſolemniter, &c.? Id non habetur ex jure, unde quamvis *cap. ult. de temp. Ordinat. in 6* Epiſcopus ſuſpendatur a collatione Primæ Tonſuræ, ex communi DD. non intelligitur ſuſpenſus ab Ordinum collatione: Et *cap. litteras de Temp. Ordin.* Epiſcopus ſuſpenditur a collatione Diaconatus, & Presbyteratus, id autem fuiſſet ſuperfluum, ſi ex ſuſpenſione conferendi Ordinem inferiorem, intelligeretur ſuſpenſio etiam a conferendo ſuperiorem. Præterea, cum non omne exercitium Ordinis Superioris ſupponat exercitium Inferioris, bene poteſt ſtare ſuſpenſio ab exercitio inferioris, & non Superioris. Ulterius quid impedit, ut detur culpa minor, cui ſolum correſpondeat ſuſpenſio ab exercitio inferioris, non vero Superioris? & ita bene Epiſcopus poteſt eſſe ſuſpenſus a munere confirmandi, non vero conſecrandi. Addatur his omnibus odia, vel pœnas ſemper eſſe reſtringendas: *Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1. n 6. Filiuc. tr. 17. cap. 2. a n. 25. Paul. diſp. 4. p. 5. n. 15.*

Demum ſuſpenſio a juriſdictione abſolute lata privat omni uſu juriſdictionis ſpiritualis, unde ita ſuſpenſus non poteſt abſolvere, excommunicare, eligere, adminiſtrare Sacramenta ex officio, ut facit Parochus. Ubi advertendum, quod cum exercitium Ordinis, & exercitium juriſdictionis commode valeant ſeparari, & unum poſſit ſine alio reperiri, bene infertur quod per ſuſpenſionem ab Ordine non inducitur ſuſpenſio a juriſdictione, & e contra; & eo maxime, quia pœnæ non ſunt extendendæ de uno caſu ad alium caſum ſimilem: *D. Th. in addition. q. 22. a. 3. Suar. diſp. 26. ſect. 4. num. 3. Palaus diſp 4. p. 5. n 9. Bonac. d. 3. p. 2. num. 4.* Poteſt etiam dari ſuſpenſio partialis a juriſdictione; ita Epiſcopus ſuſpenſus a collatione Beneficii poteſt alia officia Epiſcopalia exercere; & Parochus ſuſpenſus a confeſſionibus audiendis, poteſt alia Sacramenta adminiſtrare. Intrat proinde hic illa regula, quod exceptio unius firmat regulam in contrarium: *arg. cap. nonne de præſumpt. & l. cum Prætor. de Judic.*

Hic tamen notandum, quod licet Eccleſia annullare non valeat actus Ordinis, quamvis ex dictis poſſit illos prohibere, bene tamen annullare valet actus juriſdictionis, & de facto illos annullat in ſuſpenſo vitando; ſuſpendere enim ipſum a juriſdictione, eſt illum juriſdictione privare. Dicitur autem ſuſpenſus vitandus ille, qui nominatim ſuſpenſus eſt, & denunciatus, ut dixi de excommunicato vitando *qu. 2. cap. unic. quæſt. 2.* Qui vero eſt ſuſpenſus, ſed non vitandus, requiſitus a Fidelibus, poteſt licite, & valide juriſdictionis actus exercere; ſi non requiratur, exercebit illicite, ſed valide, quia eo ipſo quod Eccleſia eum toleret, conſervat in eo juriſdictionem, ut dictum eſt de excommunicato.

Q. III. Quid ſit ſuſpenſio a beneficio; & an ſuſpenſus ab officio intelligatur ſuſpenſus a beneficio.

R. I. Suſpenſio *a beneficio* utique non privat ſuſpenſum Beneficio, quod legitime poſſidet, quia non tollit ipſius titulum: *cap. cupientes §. Cæterum de election. in 6.* ſed privat perceptione omnium fructuum, & proventuum Beneficii. Hic autem, proportione ſervata, applicanda ſunt quæ dixi de effectibus excommunicationis, adeoque poterit ſuſpenſus retinere fructus Beneficii, quouſque iis Judicis ſententia expolietur; ut etiam ex aliis ab eo citatis docet Diana *p. 5. tr. 10. reſol. 3.* Inter fructus autem Beneficii, quibus privatur ſuſpenſus, connumeratur illius adminiſtratio; unde non poteſt illius bona locare, fructus vendere &c. quapropter jure ſancitur illi Oeconomum eſſe conſtituendum: *cap. 1. §. ult. de elect. in 6. cap. cupientes §. Cæterum ibid. Laym. l. 1. tr. 3. p. 3. cap. 1 n. 683.* Ulterius Suſpenſus a Beneficio, ſi illius adminiſtrationi ſe ingerat, & fructus percipiat, perdit ipſo jure Beneficium: *cap. cupientes cit.*

Advertendum tamen eſt, an ſuſpenſio ſit generalis, vel particularis ab aliquo Beneficio. Tunc intelligitur particularis, quando non eſt abſolute lata, ſed exprimitur, ſuſpenſionem eſſe a particulari Beneficio. Quod ſi hoc verbis non clare exprimatur, attendendæ ſunt aliæ circumſtantiæ. Si e. g. ſuſpenſio feratur ob delictum commiſſum in particularem Eccleſiam, intelligi poteſt de Beneficio, quod ſuſpenſus poſſidet in ea Eccleſia: *arg. cap. ſi compromiſſa de elect. in 6.* ubi eligentes indignum ſuſpenduntur a Beneficiis, quæ habent in Eccleſia, quam tali electione offendunt: *Alter. diſp. 5. c. 3. Filiuc. tr. 17. c. 3. n. 41.* Si ſuſpendatur Canonicus, vel Rector, poteſt intelligi de Beneficiis, quæ ut tales habent, cum prædicata per ſubjecta limitentur. Si Epiſcopus ſuſpendat ſibi Subditum, intelligi poteſt quoad Beneficia, quæ habet in ſua Diœceſi; nam quæ extra Diœceſim ſunt, ab illis diverſificantur. Quod ſi ſuſpendat ab Ordine, talis ſuſpenſio intelligitur pro quacumque Diœceſi, nam exercitium Ordinis ubique eſt unicum: *Suar. diſp. 27. ſect. 1. num 10. Pal. diſp. 4. p. 1. n. 2.* In caſu autem, quod ſuſpenſio ſit partialis, ſuſpenſus ab uno Beneficio non impeditur percipere fructus alterius: *cap. cupientes, cap. ſi compromiſſarius de elect. in 6. cap. ſi Canonicis de offic. Ord. ibid.* Secus ſi ſuſpenſio a Beneficio ſit ita abſolute lata, ut ſit generalis a quocumque Beneficio, & ex nullo capite poſſit limitari.

R. II. Suſpenſus etiam abſolute, & ſimpliciter ob officio, non intelligitur ipſo facto ſuſpenſus a Beneficio. Ratio eſt, tum quia in jure diverſimode conſideratur ſuſpenſio ab uno, & ſuſpenſio ab altero; ac proinde de ſuſpenſione ab officio agitur in titulo *Archidiaconi, & ſeqq.* de ſuſpenſione vero a Beneficio in titulo *de præbendis*. Eadem ratione jura quandoque ſuſpendunt ab officio, quandoque a Beneficio, ut dictum eſt ſupra. Cum ergo diverſimode conſiderentur, ex ſuſpenſione unius, non eſt inferenda ſuſpenſio alterius, maxime cum odia ſint reſtringenda. Nec refert dicere Beneficium dari propter officium: *cap. fin. de reſcript. in 6.* adeoque ſimpliciter ſuſpenſum ab officio & ſuſpenſum remanere a Beneficio, utpote quia ſublato principali corruit acceſſorium: *cap. acceſſorium, de reg. jur. in 6. & leg. oratio ff. de ſponſal.* Contra etenim eſt, quod deſtructo principali corruit acceſſorium, quando ſemper mutuo conjunguntur; at ſtat officium ſine Beneficio, ut in Clerico, qui Beneficium non habet, & Beneficium ſine officio, ut in ſimplicibus Beneficiis, quæ annexam habent ſolum obligationem recitandi Horas Canonicas. Dum vero beneficium datur propter officium illi annexum, tunc dicendum eſt dari propter officium per ſe, vel per alium exercendum; ſuſpenſus vero poteſt exercere per alium. Immo ſi exerceat per ſe quamvis illicite faceret, non eſſent ei deneganda fructus Beneficii correſpondentes ſuo miniſterio, quia nullus datur expreſſus textus, quo illis privetur, ſicuti excommunicatus privatus ab exercitio Officii, privatur fructibus Beneficii: *cap. paſtorali §. Verum de appellat. Sanch. l. 3. de matr. §. 1. num. 5. Anton. a Spin. S. diſp. 4. ſect. 5. num. 713.* Quamvis tamen abſolute ſuſpenſus ab Officio non intelligatur ipſo jure ſuſpenſus a Beneficio, nihilominus, qui in perpetuum ob grave crimen ſuſpenditur ab Officio, Beneficio privandus eſt ex *cap. Tuarum de purgat. Canonic.* & notat inter alios: *Sanch. l. 3. de matr. diſp. 52. n. 12.*

Quod ſi ſuſpenſus ab officio non intelligitur ſuſpenſus a Beneficio, multo minus ſuſpenſus a Beneficio intelligetur ſuſpenſus ab officio, nam bene poteſt ſtare principale ſine acceſſorio. Hinc ſuſpenſus a Beneficio tenetur quæ officii ſunt exercere, uti celebrare, Divinis Officiis aſſi-

ſtere,

Digitized by Google

ſtere, cum pœna ab onere non relevet: *Suar. diſp. 27. ſect. 1. n. 3. Bonac. diſp. 3. p. 2. n. 13.*

Q. IV. Quid ſit ſuſpenſio ab Officio, & Beneficio, & quando talis intelligatur.

R. I. Suſpenſio ab Officio, & Beneficio ex dictis, importat privationem omnis exercitii Ordinis, & Juriſdictionis, & Fructuum Beneficii.

R. II. Nullum dubium eſt, talem eſſe eam ſuſpenſionem, qua quis expreſſe ab Officio, & Beneficio ſuſpenditur; ſolum lis eſt apud DD. an talis reputanda ſit ſuſpenſio abſolute lata, cum etenim non ſit unde limitetur, ut potius ab Officio, quam a Beneficio intelligatur, videtur intelligenda de ſuſpenſione ab utroque: *Suar. diſp. 25. ſect. 2. n. 9.*, & ex aliis: *Bonac. diſp. 3. p. 2. num. 1.* At non deſunt, qui velint talem ſuſpenſionem nullam eſſe, utpote quia non determinat, an ab Officio, vel Beneficio, vel ab utroque ſuſpendat, ac proinde ignoratur quomodo ſumenda ſit. Ita multi, quos ſequitur *Leander tr. 4. diſp. 2. q. 2. & tr. 1. diſp. 4. q. 7.*

Q. V. Quod peccatum ſit violare ſuſpenſionem, & quas pœnas tranſgreſſor incurrat.

R. I. Certum eſt, ſuſpenſum excuſari a tranſgreſſione cenſuræ in omnibus caſibus, in quibus licet excommunicato contra excommunicationem operari. Ubi vero non adſit juſta cauſa violandi ſuſpenſionem, ſi id fiat, ex genere ſuo erit peccatum mortale; nam ferens ſuſpenſionem intelligit obligare ſub gravi, ni forte parvitas materiæ excuſet; ut ſi ſuſpenſus ab Ordine actum Ordinis minoris exerceret; vel ſuſpenſus ab Officio, exigui momenti diſpenſationem concederet &c. *Suar. diſp. 26. ſect. 2. n. 1. Pal. diſp. 4. p. 6. n. 1. Anton. a Spir. S. diſp. 4. ſect. 5.*

R. II. Qui ſuſpenſus eſt ab Ordine, & ab Officio, ſi illius actus exerceat, incurrit Irregularitatem Pontifici reſervatam: *cap. 1. de ſent. & re judic. in 6. cap. cum medicinalis de ſent. excomm. ibid.*, *can. ſi quis Epiſcopus damnat. 11. q. 3. Extra cum ex Sacrorum*, quæ eſt Pii II. Hic tamen bene advertere eſt, an quis ſuſpenſus ſit ſuſpenſione, quæ proprie ſit Cenſura, an vero ſuſpenſione, quæ habeat puram rationem pœnæ. Tunc habet rationem cenſuræ, quando non fertur ad tempus, & ordinatur ad emendationem delinquentis, ut ſupra etiam innui. Si vero ſuſpenſio feratur ad tempus, ut ad annum, ad menſem, habet rationem puræ pœnæ; & ita imponi poteſt pro peccato omnino præterito, neque expoſcit præviam monitionem: *cap. tam literis de teſt. cap. Romana de ſent. excomm. in 6.* Quamvis igitur communior ſit opinio, quæ aſſerit violantem per exercitium Ordinis ſuſpenſionem, incurrere irregularitatem, ſive ſuſpenſio lata ſit per modum cenſuræ, ſeu per modum pœnæ, contraria tamen ſententia non caret probabilitate, ut videre eſt apud *Dianam p. 5. tr. 10. reſol. 15.*

Nulla autem imponitur a jure pœna contra violantem ſuſpenſionem a juriſdictione, & Beneficio, ſed pro gravitate delicti eſt puniendus: *cap. ult. Cleric. de vit. & honeſt. Cler. cap. 2. de Cler. excomm. miniſtr.*

Q. VI. An Fideles communicare poſſint cum eo, qui eſt ſuſpenſus, ſi exerceat actus ſibi vetitos.

R. Nulla lege prohibetur Fidelibus communicare cum ſuſpenſis etiam vitandis; & proinde aſſiſtere poſſem Miſſæ celebratæ a Sacerdote ab Ordine ſuſpenſo; vel ſi ſit ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, & nihilominus aſſiſtere velit Divinis Officiis, iſta non debent ceſſare.

Q. VII. In quos ferri poſſit ſuſpenſio, & ex qua cauſa.

R. I. Suppoſitis hic, quæ dixi *qu. 1.* de poteſtate ferendi Cenſuras, ejuſque cauſis &c. modo obſervandum eſt, ut jam innui, ſuſpenſionem eſſe pœnam ſolum afficientem Eccleſiaſticos, adeoque ſaltem initiatos eſſe debere prima Tonſura, qui ſuſpenduntur. Si proinde ex jure objiciantur aliquæ ſuſpenſiones latæ in Sæculares, advertendum eſt non eſſe Cenſuras, ſed prohibitiones, aut præcepta, quorum violatio non inducit irregularitatem.

Hic tamen advertere eſt, quod ſuſpenſio, quæ a jure generaliter fertur in Clericos, non comprehendit Cardinales, aut Epiſcopos, quamvis non conſecratos, ſi electi fuerint, & confirmati: *cap. quia periculoſum de ſent. excomm. in 6. Suar. diſp. 28. ſect. 2. num. 4.*, aliiſque relatis *Anton. a Spir. S. de Suſpenſ. n. 701.* Idem ſentiunt de cenſura Interdicti.

Valde autem communiter docent DD. ſuſpenſionem, & interdictum, ſi hæ cenſuræ abſolute latæ ſint in Clericos, comprehendere etiam Regulares, cum & ipſi vere ſint Clerici. At niſi aliud ex ſubjecta materia, vel aliis circumſtantiis colligatur, recedentem a præfata opinione. Ratio eſt, quia in jure conſiderantur, velut quid diverſum Religioſi, & Clerici, unde *l. 3. Decretal.* in prioribus titulis agitur de Clericis, & *tit. 31. & ſeqq.* agitur de Regularibus. Item *canon. ſi quis ſuadente 17. quæſt. 4. & can. ſuper ſpecula 10.* diverſis nominibus exprimuntur; ex quibus bene inferunt plures Canoniſtæ, in materia ſaltem odioſa nomine Clericorum non venire Regulares, ut videre eſt apud *Pagnanum in cap. cum amplius num. 7. de Inſt.* Hinc etiam *Suar. diſp. 32. de cenſ. ſect. n. 17. Laym. l. 1. tr. 2. p. 4. cap. 4. n. 3.* docent, interdicto Clero, non intelligi interdictos Religioſos utriuſque ſexus, ni aliud exprimatur.

R. II. Suſpenſio non ſolum ferri poteſt in particulares Perſonas, ſed etiam in Communitatem. Ubi advertendum, quod quando ſuſpenſio ſimpliciter fertur in Communitatem, non extenditur ad ſingulas perſonas diſtributive, ſed ſolum privat Communitatem Officiis, & Beneficiis, quæ communia ſunt Collegio, Capitulo, ſeu Communitati; & remanet cuiuſcumque particulari perſonæ jus exercendi officium, & adminiſtrandi Beneficium, quod ſibi competit, ut particularis perſona eſt. Quod ſi feratur ſuſpenſio non ſolum in Communitatem, ſed etiam in ſingulas perſonas ſecundum aliquod delictum ab eis perpetratum, ut *cap. quia ſæpe de elect. in 6.*, tunc non afficit perſonas innocentes illius Communitatis, quoad Officia, & Beneficia propria ipſarum; cum abſque culpa privandæ non ſint jure ſibi competenti, ut conſtat etiam ex jure: *cap. 2. de Conſtit. Roman. & cap. 2. de iis, quæ a major. part. cap. fiunt, Coninch. diſp. 15. dub. 3. n. 26. Palaus diſp. 4. p. 3. n. 2.*

Id tamen non obſtat quod quando ſuſpenditur Collegium, ſeu Communitas, remaneant etiam ſuſpenſæ Perſonæ innocentes, non quatenus ſunt Perſonæ particulares, ſed quatenus pertinent ad Communitatem: *S. Th. in 4. diſt. 18. q. 2. a. 3. qu. 2. ad 2.* & pluribus citatis *Anton. a Spir. S. diſp. 4. ſect. 5. num. 702.* Id eveniret, quando ex culpa Superioris, vel multorum ex Communitate, tota ſuſpenderetur; cum etenim ſuſpenſio non privet bonis pertinentibus ad propriam animam, ſicut facit excommunicatio, bene poteſt Perſona innocens ob alterius culpam privari iis, quæ pertinent ad totam Communitatem. Et de facto id conducere poteſt ad bonum commune, qui etenim ſunt Rei, fortaſſe reſipiſcent, videndo ob ipſorum culpam etiam Innocentes puniri ſuſpenſione. Verumtamen eſt, quod ſi Innocentes non ſervent hanc ſuſpenſionem, non proinde incidunt in Irregularitatem, nam reſpectu illorum talis ſuſpenſio non habet rationem pœnæ, ſeu cenſuræ, ſed potius cujuſdam inhabilitatis ad exercenda Officia Communitatis: *Suar. diſp. 28. ſect. 4. n. 5. Palaus diſp. 5. p. 3. n. 3.*

R. III. Suſpenſio, quæ vere ſit pœna gravis, ut eſt ab officio, & Beneficio, vel ab alterutro, ſemper ſupponit culpam gravem, & mortalem, alias juſte non inferretur. Si vero ſit, ut ita dicam, ſuſpenſio minor, ut ab aliqua levi parte Beneficii, ab uno actu eligendi, ad tempus valde breve, tunc ex communi DD. imponi poteſt pro culpa veniali, ſicut pro culpa veniali incurritur excommunicatio minor; *Anton. a Sp. S. diſp. 4. num. 703.*

Q. VIII. Quot modis impediatur, vel auferatur Suſpenſio.

R. I. Si appellatio rationalis ſit, & præcedat ſuſpenſionem, eam omnino impedit; cum ex jure appellatio vim habeat impediendi poteſtatem ferendi cenſuras: *cap. cum appellat. de appellat. in 6.*, *Coninch. diſp. 13. dub. 4. n. 28.* Si vero appellatio apponatur poſt latam ſuſpenſionem, tunc non impedit ſuſpenſionem ab officio, & ingreſſu Eccleſiæ; nam hæc ſuſpenſio ex jure ſecum fert executionem: *cap. is cui 20. de ſent. excom. in 6.* At, cum exceptio firmet regulam in contrarium, per hoc innui videtur alias ſuſpenſiones ſecum non ferre executionem, adeoque per appellationem impediri v. gr. poſſe ſuſpenſionem latam a Beneficio &c. *Coninch. n. 29. Palaus diſp. 4. p. 3. n. 3.*

R. II. Suſpenſio, quæ lata eſt per modum cenſuræ; auferri ſolum poteſt per abſolutionem: *Suar. diſp. 25. ſect. 1. n. 6. Palaus cit.* Quod ſi ſuſpenſiones latæ ſint a jure, & nulli ſint reſervatæ, poterit ab eis quilibet Confeſſarius abſolvere, niſi expoſcat partis ſatisfactionem; ſecus ſi ſint reſervatæ. A ſuſpenſione lata contra Communitatem, ſolum abſolvere poteſt habens juriſdictionem contentioſam in ipſam Communitatem, ut magis patebit ex dicendis ſequenti quæſtione. Cæterum hic habere locum poſſunt omnia ea, quæ *q. 1. cap. 6.* dixi de abſolutione a Cenſuris, tam quoad poteſtatem, quam quoad modum abſolvendi.

Si

Si vero ſuſpenſio lata ſit per modum pœnæ, ceſſat itranſacto tempora, quo durare debebat ſuſpenſio: vel ſtatim ac adimpleta eſt conditio, ſub qua lata eſt ſuſpenſio; ut ſi quis ſuſpendatur, donec reſtituat. Pro removenda proinde Suſpenſione lata per modum pœnæ, non eſt neceſſaria abſolutio, ut communiter docent DD.

Regula in praxi obſervanda.

Dum Confeſſarius audit Perſonam Ecclaſiaſticam ſuſpenſionem in ſe latam non obſervaſſe, non ſtatim illum judicet in irregularitatem incidiſſe, & ex illa regula quod non ſervans cenſuras ſit irregularis. Videat ergo ex dictis, an ſuſpenſio lata ſit per modum cenſuræ, vel per modum pœnæ, & ſi lata ſit per modum pœnæ, poterit illum ab irregularitate excuſare, cum id ſit probabile; & eo maxime, quia odia ſunt reſtringenda.

C A P U T II.

De ſimplici Depoſitione, & de Degradatione tam reali, quam Verbali.

Q. I. Quid ſit Depoſitio ſimplex.

R. Hujuſmodi depoſitio convenit cum ſuſpenſione perpetua ab Officio, & Beneficio; unde ſimplex depoſitio ita definitur: *Pœna privans Clericum Officio, & Beneficio in perpetuum, jure ordinario irremiſſibiliter.* Facilius proinde diſpenſatur cum ſimplici ſuſpenſione, quæ jure ordinario non petit eſſe perpetua, ſicut ſimplex depoſitio. Convenit vero ex alia parte cum illa, quatenus utraque, quamvis privet fructibus Beneficii, non tamen titulo Beneficii. Verum tamen eſt, ſimpliciter depoſitum etiam privandum eſſe Beneficio; cum etenim Beneficium detur propter officium, non debet eo gaudere, qui officio in perpetuum eſt privatus: *Suar. d. 30. ſect. 3. a n. 4. Laym. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 2.*

Q. II. Quid ſit Degradatio.

R. I. Prima degradatio, que verbalis dicitur, & proprie aſt Depoſitio, eſt *pœna Eccleſiaſtica, qua Clericus cum certa forma verborum, & ſolemnitate privatur in perpetuum omni Officio, & Beneficio Clericali, non tamen privilegio fori, & Canonis* Jam ſolemnitas iſtius verbalis degradationis præſcribebatur: *cap. 2. de pœn. in 6.* ſed jure novo Tridentini *ſeſſ. 13. c. 4. de reform.* cauſa Epiſcopi eſt reſervata Papæ; cauſas vero aliorum poteſt ſolus Epiſcopus cognoſcere per ſe, vel per ſuum Vicarium Generalem, eoſque verbaliter deponere, per hanc autem verbalem depoſitionem, ſeu degradationem, ad diſtinctionem ſimplicis depoſitionis, Clericus Beneficio ipſo facto expoliatur, ut *ea cit. c. 2. de pœn.*, & ſi per hoc mendicare cogatur, ſibi debet imputare, cum non cedat in dedecus Eccleſiæ, quod mendicet Clericus, quem ipſa in juſtam pœnam Beneficio expoliavit: *Bonac. diſp. 4. p. unic. n. 7.* Per hoc autem quod in perpetuum Beneficio expolietur, & in perpetuum removeatur ab Ordinibus, vel Miniſterio Altaris, differt degradatio a Cenſuris, quæ ſolet eſſe temporales, & removentur per abſolutionem; ſicut irregularitas per diſpenſationem.

R. III. Altera degradatio, ſeu depoſitio eſt realis, quæ eſt executio degradationis verbalis. Hæc autem intervenit, quando Clericus, jam verbaliter degradatus, certa ſolemnitate expoliatur omnibus veſtibus, ac ſignis clericalibus, ſimulque privatur omni privilegio Canonis, & fori; adeoque ipſum percutiens non incideret in excommunicationem, quod tamen non verificatur reſpectu Clerici ſolum verbaliter degradati.

Quamvis autem degradatio verbalis ſit actus ſolius juriſdictionis, & fieri poſſit ab Epiſcopo etiam non conſecrato, dummodo ſit electus, & confirmatus, val etiam ab ipſius Delegato. *Suar. diſp. 30. ſect. 1. n. 12.*, *Coninch. diſ. 16. in fin.* nihilominus realis degradatio eſt actus annexus ex inſtitutione Eccleſiæ Ordini Epiſcopali, adeoque fieri non poteſt niſi ab Epiſcopo conſecrato: *Barboſ. allegat. 110. n. 24.* Forma, & ſolemnitas in ea ſervandæ exprimuntur *cap. 2. de pœn. in 6.* Poſtquam igitur Clericus verbaliter fuit degradatus, iſte indutus veſtibus ſui Ordinis, & habens ejuſdem inſtrumenta, adducitur coram Epiſcopo. Tunc per eum publice ſuis veſtibus exuitur; ac ab ipſo inſtrumenta Ordinis removentur, pronunciatis verbis declarantibus effectum hujus pœnæ. Exuitur deinde veſte talari, & raditur in capite, & ſi Sacerdos ſit, in manibus ad terrorem tantæ condamnationis. Demum ita expoliatus, ſigno calcei repellitur, & ut pluſimum relaxari ſolet Judici Sæculari ultimo ſupplicio plectendus; quamvis Epiſcopus petat, ut cum eo miſericorditer agatur, & ut puniatur citra pœnam mortis, & mutilationis.

Cæterum advertendum, quod Clericus vel verbaliter, vel realiter degradatus, ſi ſit in Sacris, tenetur recitare Horas Canonicas, neque enim reportare commodum debet ex ſuo delicto. Ita communiter DD.

Q. III. Quæ ſint crimina, ob quæ Clericus ſit degradandus.

R. I. Olim Clericus verbaliter degradari poterat ob adulterium, furtum, homicidium. Sed quia modo non tam viget Eccleſiaſtica diſciplina, videtur ſolum ad eam procedi poſſe ob crimina ſcandaloſa, & atrociora; ut eſt homicidium, quando eſt voluntarium; furtum rerum Eccleſiæ in magna quantitate; vel adulterium in caſu, quo pœna capitali plectendum eſſet: *Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 2.* Videantur etiam *Moneta de diſtrib. quotid. q. 17. n. 6. Barboſ. allegat.* 110. *num.* 10. Omnes etiam conveniunt, quod ſi Clericus concubinarius poſt monitionem, fructuumque privationem, & proventuum, adhuc in ſuo crimine perſeveret, poſſit perpetuo deponi: *cap. at ſi Clerici de cohab. Clericor. & Mulier. & Trident. ſeſſ. 25. cap. 14. de reform.*

R. II. Degradatio realis ferri poteſt ob hæreſim, ſi Clericus ſit in ea contumax; vel ſi in eam relapſus ſit; etiamſi velit ſe emendare: *cap. ad abolendum, cap. excommunicamus de Hæret. & cap. 1. eod. tit. in 6.* Secundo, poteſt realiter degradari Clericus ob falſificationem Literarum Apoſtolicarum: *cap. ad falſar. de crim. falſ.* Tertio ob gravem calumniam illatam proprio Epiſcopo, ſi accedat incorrigibilitas: *can. ſi quis Sacerdotum 11. quæſt. 1.*

Ob alia etiam crimina volunt Pontificiæ Conſtitutiones poſſe Clericum realiter degradari. Ita poteſt realiter degradari Clericus ob ſodomiam aliquoties commiſſam, *ex Conſtit. 70. S. Pii V. contr. Sodomit.* Idem dicendum de Clerico non Sacerdote celebrante, aut Confeſſiones audiente, & abſolvente, de Sollicitante in Confeſſione Mulieres ad turpia gravitate exceſſiva; de Monetariis, & tondentibus monetam intra Italiam; de copula ſacrilega, & frequenti cum Moniali: *Barb. alleg. 110. a n. 18.*, *Pignatell. tom. 8. conſult. 91. n. 7.*

Q. IV. Quis poſſit cum Depoſito diſpenſare, ut ad priſtinum gradum redeat.

R. I. Depoſitus, ſeu Degradatus verbaliter ob crimina minora adulterio, peracta pœnitentia, poterit ab Epiſcopo ad priſtinum gradum reſtitui: *cap. ſi Clerici de Judiciis*, & docet Gloſſa *in cap. cum ea V. Epiſc. Bonac. diſp. 4. punct. unic. circ. fin.*

R. II. Degradatus realiter, cum ita degradari ſoleat ob crimina adulterio graviora, & jure ordinario irremiſſibiliter, ſolum a Summo Pontifice poteſt ad priſtinum ſtatum reſtitui: *can. ſi lapſis, & can. ſi ſemel. 50. d.* Quod ſi appareret poſtea injuſte fuiſſe degradatum, poterit Epiſcopus cum eo diſpenſare, quia ejus muneris aſt defendere gravatum. Quod ſi aliquos alios adhibuit Epiſcopos, vel Abbates, vel Eccleſiaſticos in dignitate conſtitutos ad ferendam ſententiam degradationis, conveniens eſſet ut eos adhiberet ad illam emendandam; ut per cauſas, per quas nata eſt degradatio, per eaſdem diſſolvatur: *can. Epiſcopus. Preſbyter. 11. q. 3.*

Q U Æ S T I O VI.

De Interdicto, & Ceſſatione a Divinis.

C A P U T I.

De Interdicto, ejuſque effectibus, ac pœnis illud violantium.

Q. I. Quid ſit interdictum, & quotuplex.

R. I. Ex capite *non eſt 11. de ſponſal. & matr. & ea cap. quod in te de pœnit. & remiſſ.* Interdictum ita poteſt definiri; *Cenſura Eccleſiaſtica, qua homo arcetur a participatione quorumdam Sacramentorum, ab omnibus Divinis Officiis, & ab Eccleſiaſtica Sepultura.* Ubi obſervandum, quod alio modo privat præfatis excommunicatio, alio modo Interdictum: nam Interdictum iis privat, quatenus res ſacræ ſunt, excommunicatio vero quatenus habent rationem communicationis cum aliis Fidelibus.

Præfata definitione explicatur interdictum, communiter ſumptum, nam in jure mentio etiam ſit de quodam

Digitized by Google

dam particulari Interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ. Hujuimodi autem Interdictum non prohibet ab ingreſſu phyſico, materialique Eccleſiæ, ſed ab ingreſſu formali, nempe ab aſſiſtentia Divinis Officiis, ut ita Interdictus confundatur: *Navar. in Man. cap. 27. n. 170. Covarr. in cap. Alma Mater 2. p. §. 1. n. 7.*, pluribuique citatis *Anton. a Sp. S. de interd. n. 798.* Cæterum ipſius effectus ex jure ſunt privare exercitio Ordinis Sacri in Eccleſia, Sepultura in loco ſacro, auditione Divinorum in Eccleſia, non vero receptione Sacramentorum: *cap. is cui de ſent. excom. in 6.*

R. II. Interdictum, de quo primo loco, dividitur in locale, perſonale, & mixtum.

Iterdictum locale eſt, quod directe fertur in locum, eoque mediante redundat in Perſonas; unde ibi nemo poteſt Divina calebrare, vel illis intereſſe: *arg. cap. licite v. ad ea tamen, & cap. authoritatem de privil. in 6.* Et cum hoc ſit de jure communi, ſolus Pontifex poteſt ei derogare, neque ipſe Prælatus, qui interdictum locale imponit, poterit in eo celebrare. Si vero Perſonæ non ſint interdictæ, poterunt alibi Divina celebrare, & audire. Hoc tamen intelligendum de Perſonis, quæ cauſam non dederunt Interdicto: *arg. cap. ſententia 16. de ſent. excom. in 6.* ubique *Barboſa num. 3. Suar. de cenſ. diſp. 37. ſect. 1. num. 15.*

Iſtud Interdictum dividitur in Generale, & particulare. Tunc eſt particulare, quando interdicitur aliqua particularis Eccleſia, cujque interdicta intelliguntur interdicta loca illi contigua: *cap. ſi Civitas 17. de ſent. excom. in 6*, ea ſcilicet, quorum extrema invicem ſe contingunt, ut ibidem ait Gloſſa; adeoque interdicta reputaretur Capella, & Cæmeterium, inter quæ, & parietem Eccleſiæ nil interponeretur, *Suar. diſp. 32. ſect. 2. n. 27.*, *Coninch. diſp. 17. n. 19.* Interdicta vero Capella, vel Cæmeterio Eccleſiæ contiguis, non cenſetur interdicta Eccleſia: *arg. cap. unic. de conſecr. Eccleſ.* Siquidem quamvis verum ſit acceſſorium ſequi debere naturam principalis *ex reg. 24. juris in 6.*, non tamen principale afficitur vitio acceſſorii.

Iterdictum locale generale, eſt quando interdicitur locus ſub ſe varia loca complectens, ut Regnum, Provincia, Civitas. Ex capite autem *ſi Civitas 17. de ſent. excomm. in 6.* interdicta Civitate intelliguntur interdicta etiam Suburbia illius, ædificia nempe extra muros Civitatis exiſtentia, ſed illi contigua, ſicut etiam ædificia *continentia*. Hæc non veniunt nomine Civitatis, nec ad illam pertinent, ut ſuburbia, nihilominus adeo ſunt proxima Civitati, ut facili negotio poſſint Cives ad ea pervenire, adeoque ſi & ea non eſſent interdicta, ſententia Interdicti faciliſſime eluderetur. An vero hæc, vel illa Eccleſia talis ſit reſpectu Civitatis, melius relinquitur Judicis arbitrio: *Suar. diſp. 32. ſect. 2. n. 23.*

Item interdicta Civitate, vel Diœceſi, intelligitur interdicta Eccleſia Cathedralis, & omnes aliæ Eccleſiæ, quamvis exemptæ, quia facta eſt extenſio ad illas ea jure; *cap. ſi Civitas cit.* neque controverti poteſt poſt Concilium Tridentinum *Seſſ. 25. cap. 12.*, *&c. 21. de Regul.* Et quidem, ſi ita non eſſet, faciliſſime interdictum eluderetur contra id, quod cavetur in præfato *cap. ſi Civitas.*

Interdictum Perſonale eſt, quod immediate fertur in Perſonas, eaſque ſequitur, ſicut umbra corpus, & lepra leproſum: *arg. cap. ſi ſententia §. Cum vero de ſent. excomm. in 6.* Dividitur in particulare, & generale. Particulare, ſeu ſpeciale eſt, quod afficit determinatas perſonas, ut Petrum, Joannem &c. Tale eſt etiam illud, quod a jure, vel ab homine fertur in committentes hoc vel illud crimen, quia non afficit eas ſecundum quod pertinent ad Communitatem, ſed, ut tale delictum perpetrarunt. Item perſonaliter, ſeu ſpecialiter intelliguntur interdicti illi, qui cauſam dederunt interdicto locali unde nec ibi, nec alibi poſſunt divina celebrare, vel divinis aſſiſtere, ut ſupra notavi.

Interdictum Generale Perſonale, datur, quando fertur in Perſonas conſtituentes aliquod corpus politicum, quod poteſt propriis legibus gubernari, ut ſi feratur in omnes incolas alicujus Provinciæ, Civitatis, ſeu in omnes Perſonas alicujus Collegii, aut Univerſitatis. Interdicto igitur Populo alicujus Civitatis, intelligentur interdictæ omnes Perſonæ, quæ ad illam pertinent, etiamſi ſint abſentes, nam id non officit, quin ad illam pertineant: *Pal. diſp. 5. p. 2. §. 1. n. 1.*, *Bonac. diſp. 5. p. 1. n. 19.* Nec excipiuntur a tali interdicto Innocentes; quod tamen reſpectu ipſorum non habet rationem pœnæ, ſed juſtæ ultionis, & neceſſariæ defenſionis Eccleſiaſticæ diſciplinæ; qui etenim culpabiles ſunt fortaſſe emendabuntur, videndo ex eorum crimine etiam Innocentes pluribus bonis expoliari. Quamquam autem, & ipſi Innocentes per interdictum generale perſonale prohibeantur a Divinis celebrandis, & audiendis, quoadusque ſunt Perſonæ Civitatis, vel univerſalis interdictæ: *cap. ſi ſententia 16. de ſent. excom. in 6. & cap. ſi Civitas 17. ibid.*, nihilominus ſtatim eximuntur ab interdicto, ac mutant domicilium, & deſinunt eſſe partes illius Communitatis, vel Civitatis. Ratio eſt, quia intentio Superioris eſt obligare ad illud Communitatem, ſeu Perſonas illius: *Coninch. diſp. 17. dub. 1. n. 12.* Item quia ligatur interdicto generali perſonali ſolum, qui eſt Civis, ſeu pars Populi, aut Civitatis interdictæ; *cap. ſi ſententia cit.* ideo tale interdictum non comprehendit Peregrinos, aut exteros, ut ſunt Scholaſtici, aut Mercatores. Nihilominus, ſi iſti haberent duplex domicilium, & ipſi interdicto ſubjicerentur, quo tempore habitarent cum Populo interdicto, quia tunc ratione domicilii ad ipſum pertinerent: *Suar. diſp. 32. ſect. 2. n. 16 Filiuc. tr. 18. c. 1. q. 5. n. 14.*

Interdicto Populo, non intelligitur interdictus Clerus, quia nomine Populi in materia odioſa veniunt tantum Sæculares; unde Sacerdotes poſſent celebrare. Item interdicto Clero, non intelliguntur interdicti Sæculares: *cap. ſi ſent. de ſent. excomm. in 6.* ac proinde Laici poſſent alios Sacerdotes adducere, ut ſibi Divina celebrarent. Pariter interdicto Clero, non intelligerentur interdicti illi Sacerdotes Sæculares, qui quamvis haberent in Civitate domicilium, non tamen Beneficium, aut Officium, quia tunc non conſtituunt unum corpus cum Clero illius Civitatis: *Salmant. tr. 10. de cenſ. cap. 6. p. 1. n. 16.*

Interdicto Clero, non intelligitur interdictus Epiſcopus, ſed debet de illo fieri expreſſa mentio; *cap. quia periculoſum de ſent. excomm. in 6.* nec etiam alii Prælati Eccleſiaſtici, ſicuti nec Canonici Cathedralis, quia nomine Cleri in materia odioſa veniunt ſoli inferiores Clerici Sæculares: *Barb. l. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 39. n. 6.*, *Fagnan. in cap. bonæ memoriæ il. 1. n. 12. de poſtul. Prælat.* Denique interdictis Clericis, non intelliguntur interdicti Religioſi utriuſque ſexus, quia in materia odioſa non veniunt nomine Cleri, ut notavi etiam quæſtione ſuperiori; ni forte ſit aliquis Religioſus habens aliquod officium, vel Beneficium, unde pertineat ad Clerum. E contra interdictis Religioſis, non intelliguntur interdicti Clerici Sæculares: *Laym. tract. 5. part. 4. cap. 1. n. 3.* Cæterum ſi interdicantur omnes Eccleſiaſticæ Perſonæ, etiam Regulares remanent interdicti; ſicut ſi interdicatur aliqua Univerſitas, inter cujus partes ſint etiam Regulares.

Venit etiam hic adnotandum; per interdictum generale Populi, vel Cleri, non intelligi interdictas Eccleſias, vel alia loca ſacra, ut notat *Gloſſ. in cap. ſi ſententia 16. de ſent. excom. in 6. V. in Clerum*, ibique Barboſa. Poſſent proinde Clerici peregrini ibidem celebrare.

Poteſt hic innui ea quæſtio, an denunciata Communitate, ut interdicta, ſinguli de Communitate intelligantur interdicti nominatim; ita ut ſubjaceant illis incommodis de quibus in decurſu hujus Capitis. Quamvis autem non negem, quamplures ita opinari, ego adhæreo ſententiæ contrariæ; nam interdicta Communitate, intelliguntur interdictæ partes, ut partes illius, ſeu quatenus pertinent ad corpus politicum, non vero intelliguntur interdicti ſinguli, ut ſunt privatæ perſonæ. Nec tamen deſinet interdictuum ſuum effectum habere, quia vitanda erit tota Communitas in iis, quæ ad ipſam ſpectant, non vero in iis, quæ tangunt particulares perſonas. *Gibalin. de cenſ. diſp. 4. q. 5. n. 8.*

Interdictum mixtum eſt illud, quo ſimul interdicuntur loca, & Perſonæ.

Q. II. Ex qua culpa ferri poſſit interdictum.

R. Hic pariter ſuppono, attendenda eſſe omnia ea, quæ *quæſt. 1.* dicta ſunt de Cenſuris in generali, nempe de poteſtate eas ferendi, de modo, quo ferendæ ſunt, ſicut etiam de culpa, ex qua ferri poſſunt; unde ex ibidem dictis conſtat Interdictum, ut comprehendit omnes ſuos effectus, quia eſt pœna gravis, ferri non poſſe, niſi ob culpam gravem, itemque non mere præteritam; nam cenſuræ, cum ſint pœnæ medicinales, feruntur ad alicujus emendationem. Interdictum vero, ut ita dicam, minus, quale eſſet in ordine ad unum, vel alium effectum illius, ut ſi aliquis interdicatur per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, poteſt etiam ferri ob culpam levem; *Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. cap. 4. n. 4.* Nihilominus ſunt hic examinandæ aliquæ difficultates; an ſcilicet interdictum ferri poſſit ob culpam

alie-

alienam, vel ad removendum aliquod damnum temporaleut ſcilicet e. g aliqua Communitas æs alienum ſolvat.

Loqueodo igitur de interdicto ſpeciali perſonali, cum comitetur perſonam, ut privata eſt, non vero quatenus ad alios ſpectat nullo modo ferri poteſt niſi ob culpam particularem perſonæ, quæ remanet interdicta, alias pœna non eſſet culpæ proportionata: *Suar. diſp. 36. ſect. 3. a n. 2.* Interdictum vero generale, ſive locale, ſive perſonale ferri non poteſt, niſi ob delictum Communitetis, vel ſaltem Capitis, in quo elii ſuo modo peccant. Ratio eſt, quia cum interdictum ſit commune, & culpa debet eſſe communis; *Suar. cit. n. 5. Laym. cit.* Quod ſi Communitas fuit in culpa, vel ejus Caput, tunc ſub interdicto etiem Innocentes comprehenduntur, ut dixi ſupra; & ita ob culpam alienam, etiam ipſi interdicuntur, ut dicitur *cap. ſi ſententia de ſent. excomm. in 6. cap. non eſt nobis de ſponſal.*

Ob removendum verum damnum temporale omnes conveniunt ferri non poſſe Interdictum perſonale locale, niſi de licentia S. Pontificis: *Extra. Provide attendentes de ſent. excom.* quod idem confirmavit Clemens VII. in ſua Bulla *Licet ea quæ &c.* Quamquam autem multi aſſerant ob æs alienum poſſe ferri interdictum locale ſpeciale, vel perſonale generale, ego in contrariam inclino ſententiam. Et primo nec licite, nec valide poſſe ferri interdictum locele ſpeciale videtur innui in Extravaganti citata, ubi ob æs alienum non ſolum prohibetur interdici Provinciam, Civitatem, Caſtrum, ſed etiam locum, & Territorium; nomine autem loci indefinite poſito, venit etiam locus ſpecialis. Deinde mens fuit SS. Pontificum in ſupracitatis Bullis ob damnum temporale prohibere etiam interdictum locale ſpeciale, ſive perſonale generale; nam ideo prohibent interdictum locale generale, ne ob temporalem cauſam, quæ alia via emendari poteſt, Innocentes patiantur detrimentum; quod detrimentum bene pati poſſent Innocentes, ſi ob damnum temporale alia via reparabile, licite, & valide poſſent ferri interdictum locale ſpeciale, ſive interdictum generale perſonale *Covar. in c. Alma Mater 2. p. §. 1. n. 5. Henriq. l. 13. c. 5. n. 3. Palaus diſp. 5. p. 3. §. 2. n. 5. & 6.*

Q. III. Qui ſint Effectus Interdicti.

R. Iſti effectus aſſignantur a Bonifacio VIII. *in cap. Alma Mater de ſent. excom. in 6.* & ſunt ſequentes. Privatio tam activa, quam paſſiva quorumdam Sacramentorum. Privatio tam activa, quam paſſiva Divinorum Officiorum. Privatio Eccleſiaſticæ Sepulturæ.

Hic autem obſervare eſt, quod licet excommunicatio ex jure ſeparari non poſſit ab omnibus ſuis effectibus cum ex jure ſint ab ipſa inſeparabiles (ſolus S. Pontifex, utpote ſupra jus. poteſt illos ſeparare) bene tamen ſuſpenſio, & interdictum ferri poſſunt quoad unum, non vero quoad alterum effectum, quia ex ipſo jure multoties ſeparantur. Ita, ut dictum eſt quæſtione ſuperiori, poteſt quis ſuſpendi ab officio, non vero a Beneficio, & etiam non ab omnibus actibus Beneficii, vel Officii. Ita interdictum poteſt eſſe partiale, nempe quoad unum effectum, non quoad alterum, ſicut alicui poteſt interdici ingreſſus Eccleſiæ, non vero ſepultura Eccleſiaſtica *Bonac. d. 5. p. 3. n. 1.* Attendenda proinde ſunt verba, quibus fertur vel ſuſpenſio, vel interdictum; & ſi ſimpliciter, & abſque limitatione ferantur, feruntur quoad omnes ſuos effectus.

Illud etiam advertendum, quod licet nullam inſerat obligationem Interdictum iojuſtum, adeoque nullum, & ſolum quandoque ſit obſervandum ob ſcandalum removendum, nihilominus ſi obſervetur ab Eccleſia Matrice ſive a Parochiali Oppidi, Religioſi, qui ibi ſunt, tenentur illud obſervare ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ: *Clement. 1. de ſent. excom.* Quod ſi interdictum ſit legitimum, & adhuc a Matrice non ſervetur, ad illius obſervantiam tenentur Regulares, quamvis non ſub pœna excommunicationis, ſed aliarum pœnarum, de quibus *cap. fin. de exceſſib. Prælat. & cap. Prælat. de privil. in 6.*

Q. IV. Quibus Sacramentis privet Interdictum.

R. Interdictum non privat Sacramento Baptiſmi, tam reſpectu Parvulorum, *cap. non eſt vobis de ſponſal. cap. reſponſo de ſent. excom.* quam reſpectu Adultorum: *cap. quoniam de ſent. excom. in 6.* Et quidem pia Mater Eccleſia noluit illud ſubtrahere pueris, quia illis eſt ſimpliciter neceſſarium: neque adultis, quia ut juſtificentur per votum Baptiſmi, deberet in illis eſſe perfecta contritio, quæ eſt admodum difficilis. Eo ipſo quod concedatur Baptiſmus, intelliguntur etiam permiſſæ omnes ſolemnitates, quibus adminiſtratur; nam intelligitur conceſſum, uti de jure ſolet adminiſtrari: & ulterius, conceſſo principali, intelligitur etiam conceſſum quod eſt acceſſorium: *Suar. diſp. 33. ſect. 1. n. 2. Palaus diſp. 5. p. 4 §. 1. n. 4. Anton. a Spir. S. de Interd. n. 780.* Demum, quia Sacramentum Confirmationis conſideratur ut complementum Baptiſmi, & illud conferre licet tempore Interdicti: *cap. reſponſo, & c. quoniam de ſent. excom. in 6.* Item non privat Sacramento Pœnitentiæ, nam *cap. Alma Mater. de ſent. excom. in 6.* non ſolum hoc Sacramentum conceditur ægrotis, ſed etiam ſanis.

Pariter, quamvis non deſint, qui contradicant, puto tempore Interdicti, vel inter ipſas perſonas interdictas celebrari poſſe matrimonium. Ratio eſt, quia, quamvis *cap. ſi ſententia de ſent. excom. in 6.* prohibeantur tempore Interdicti recipi Sacramenta, commode talis prohibitio explicari poteſt de Sacramentis, quæ ſunt commiſſa adminiſtrationi Miniſtrorum Eccleſiæ, qualiter non ſe habet Sacramentum Matrimonii. Præterea hæc explicatio non obſcure fundetur: *in cap. Capellanus de Feriis*, ubi dicitur matrimonium quocumque tempore commode contrahi poſſe; quibus verbis videtur aliquid ſpecialiter conceſſum Matrimonio, adeoque quod poſſit contrahi etiam tempore pro aliis Sacramentis prohibito. Accedit quod ſicut non intelliguntur prohibiti cæteri contractus, ita nec Matrimonium, quod per ſe primo eſt contractus; eo ipſo autem quod contrahi poſſit in ratione contractus, ſtatim illi adhæret ratio Sacramenti, quæ ex inſtitutione Chriſti Domini eſt illi acceſſoria: *Coninch. diſp. 17. dub. 2. n. 48. Sanch. de matr. l. 7. diſp. 8. a n. 2. Laym. tr. 5. p. 4 c. 2. n. 1.*

Remanet ergo tempore Interdicti non poſſe adminiſtrari Sacramentum Euchariſtiæ, exceptis morituris: *cap. quod in te de pœnit. & remiſſion. cap. permittimus de ſent. excom.* Et quidem, cum ſit de jure Divino adminiſtrare Moribundis Euchariſtiam, huic juri derogare non poterat jus poſitivum. Quod dictum eſt de morituris, valet etiam de exiſtentibus in probabili periculo mortis, ut ſunt mulieres, quæ partum valde periculoſum timent, ii, qui longam incipiunt navigationem &c. Dum autem adminiſtratur exiſtentibus in periculo mortis, pulſari poſſunt Campanæ, & aliæ conſuetæ ſolemnitates adhiberi: *Bonac. diſp. 5. p. 3. §. 2. n. 11.*

Remanet pariter prohibitum tempore Interdicti adminiſtrare Sacramenta Extremæ Unctionis, & Ordinis: *cap. non eſt nobis de ſponſal. cap. quod in te de pœnit. & remiſſ.* In caſu autem, quo Infirmus non potuiſſet recipere nec Sacramentum Pœnitentiæ, nec Euchariſtiæ, tunc non præſumi poteſt piam Matrem Eccleſiam velle illum privare Extrema Unctione, cum tunc poſſint illi eſſe ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, reddendo illum de attrito contritum.

Oportet temen advertere in præſenti, quod cum Interdictum ſpeciale perſonale ob propriam culpam impoſitum, æquiparetur excommunicationi: *cap. Clerici, cap. Latores de Cler. excom. miniſtr.* ſicuti non licet recipere Sacramenta a Miniſtro excommunicato, niſi in caſu neceſſitatis, ita pariter obſervandum tempore interdicti reſpectu Miniſtri, qui fuit ſpecialiter perſonaliter interdictus, *Suar. diſp. 33. ſect. 2. n. 16. Bonac. diſp. 5. p. 3. §. 1 n. 5.* Verum tamen eſt, quod licet excommunicatus vitandus extra caſus neceſſitatis invalide adminiſtret Sacramentum Pœnitentiæ, quia caret Juriſdictione, adminiſtraretur valide, quamvis illicite ab eo, qui eſt ſpecialiter perſonaliter interdictus, quia nullo jure juriſdictione privatur: *Bonac. p. 6. n. 2. Pal diſp. 5. p 4. §. 1. n. 1.*

Cum pariter qui eſt ſpecialiter perſonaliter ob ſuam culpam interdictus, æquiparetur excommunicato, quantum ad paſſivam receptionem Sacramentorum: *c. Epiſcopor. de privil. in 6.* ideo tempore Interdicti non ſunt illi adminiſtranda Sacramenta, quæ adminiſtrari poſſunt aliis, qui comprehenduntur ſub Interdicto locali generali, vel ſub Interdicto perſonali generali. Quod ſi adminiſtrandum ſit ſpecialiter, & perſonaliter Interdicto Sacramentum Pœnitentiæ, præſtare prius debet ſatisfactionem Eccleſiæ, vel parti, & ſi tunc id non poſſit præſtare, donet cautionem pignoratitiam, ſeu Fide juſſoriam, aut juratoriam de ſatisfaciendo, ut dixi agendo de abſolutione ab excommunicatione, & habetur: *cap. Alma Mater de ſent. excom. in 6.*

Advertere etiam eſt, Religioſos utriuſque ſexus tempore interdicti localis, vel etiam perſonalis, ſi ſit generalis, poſſe recipere Euchariſtiam ſaltem ex ſpeciali privilegio: *Palaus diſp. 5. p. 4. §. 1. n. 15. Laym. l. 1. p. 4. c. 2. n. 2.*

n. 2. Idem dicendum de Sacramento Extremæ Unctionis: *Pal. n.* 29. & ex Compendio privilegiorum regular. *v. Extrema Unctio.*

Q. V. Quid veniat nomine Officiorum Divinorum, quæ celebrari prohibentur tempore Interdicti; & in quibus locis, & quibus ſit prohibita participatio activa, vel paſſiva Divinorum Officiorum.

R. I. Nomine Divinorum Officiorum veniunt omnia illa munera, quæ ex intentione Chriſti, vel ex inſtitutione Eccleſiæ a ſolis Clericis fieri conceduntur. Talia ſunt Miſſæ Sacrificium; benedictio ſolemnis nuptiarum, fontis Baptiſmalis, atque olei, Chriſmatis &c. Inter ea etiam merito recenſetur Divinum Officium, aliæque Eccleſiaſticæ preces, quales recitantur a Clericis in communi, ſeu in loco ad id ſpecialiter deputato. Et quia hæc Horarum recitatio conceſſa fuit etiam Monialibus, ideo quoties Miniſtris Eccleſiæ prohibetur, & Monialibus etiam intelligitur prohiberi. Hæc prohibitio, qua in loco interdicto, vel a Perſonis generaliter, ſeu ſpecialiter interdictis, prohibentur Divina Officia celebrari, vel illis intereſſe, habetur *c. ſi ſententia* 16. *de ſent. excom. in* 6. *cap. permittimus de ſent. excom.*

Non prohibetur vero tempore Interdicti privata recitatio Divini Officii, item nec oratio mentalis, Litaniæ, aliæque preces, quæ non fiunt per modum Officii; adeoque, & liceret pro eis campanas pulſare, quoties per hoc non argueretur contemptus Interdicti: *Suar. diſp.* 34. *ſect.* 3. *n.* 7. *Bonac. diſp.* 5. *p.* 4. *n.* 1. Multo minus prohibetur Concio, quæ cum de ſe non ordinetur ad recitandas Dei laudes, ſed ad Populi inſtructionem, non venit nomine Divinorum Officiorum.

R. II. Bonifacius VIII. *in cap. Alma Mater de ſent. excomm. in* 6. ne creſceret ex rigore antiqui juris Populi indevotio, pullularent hæreſes, ac infinita Animarum pericula conſurgerent, conceſſit, ut in omnibus Eccleſiis, vel Monaſteriis, ſub conditionibus tamen infra aſſignandis, poſſet quotidie Miſſa celebrari, ac Divina Officia peragi. Cum autem in principio textus mentionem faciat de locis interdicto ſuppoſitis, id intelligitur de Interdicto generali: *Gloſſa in cap. Alma Mater v. Eccleſ.* & pluribus citatis *Bonac. n.* 6. Nil ergo innovatum fuit de locis, ſeu Eccleſiis ſpecialiter interdictis, ubi ſolum concedebatur unam Miſſam in hebdomada celebrari, ad renovandam Euchariſtiam pro Infirmis: *c. permittimus de ſent. excom.* & quod Clerici bini, vel terni poſſent peragere Divinum Officium, non tamen cantando, ſed legendo: *c. quod in te de pœnit. & remiſſ.* ſemper tamen ſervandæ ſunt conditiones, de quibus infra.

Dum autem conceditur quotidie celebrare, & recitare Divina Officia in Monaſteriis, vel Eccleſiis, nullum excludendum eſt Monaſterium etiam mulierum; nam proprie dicitur Monaſterium, ſicut neque ulla Eccleſia. Item nomine Eccleſiæ veniunt etiam Hoſpitalia, ac Eremitoria authoritate Epiſcopi erecta; eo magis quia, cum hoc privilegium inſertum ſit in corpore juris, nullique noceat, late eſt interpretandum: *Sanch. l.* 7. *de matrim. d.* 8. *n.* 12. *Pal. diſp.* 5. *p.* 4. *ſ.* 2. *n.* 3. Multi negant in præſenti nomine Eccleſiæ venire Oratoria privata Sæcularium; ſed cum ſimus in materia favorabili non improbabiliter alii contrarium ſuſtinent apud *Leandr. tr.* 5. *diſp.* 4. *q.* 7.

R. III. In præcitato capite *Alma Mater* conceditur Miſſam celebrare, & Divina Officia peragere omnibus Clericis, quorum nomine veniunt in præſenti omnes, qui gaudent privilegio Canonis, & fori, etiamſi ſint Moniales; nam cum concedantur peragi Divina Officia etiam Monaſteriis Monialium, dicendum eſt, & eas hic comprehendi nomine Clericorum. Ex vi autem dicti capitis ſequentes conditiones veniunt obſervandæ. Prima, ut Divina Officia ſubmiſſa voce celebrentur, ita ut ab exiſtentibus extra Eccleſiam per ſe non poſſint audiri. Secunda, ut januæ Eccleſiæ ita ſaltem junctæ ſint, quod exiſtentes extra Eccleſiam nequeant Divina videre. Tertia, ut non pulſentur campanæ, neque etiam tintinnabulum *ad ſanctus*, vel dum Hoſtia elevatur, ad removendam etiam iſtam qualemcumque ſolemnitatem. Poſſunt tamen pulſari campanæ ad ſalutationem Angelicam, ad convocandum Populum ad concionem &c. Quarta, ut excludantur Interdicti, & excommunicati vitandi, & ſi excludi non poſſint Interdicti (intellige de Interdictis nominatim denunciatis) debent ſe gerere Clerici, ac ſi præſens eſſet excommunicatus vitandus, de quo dixi *q.* 2. *c. xn. quæſ.* 5. neque enim aliis licet Divina peragere, niſi excluſis Interdictis.

Illud etiam advertendum tempore Interdicti localis non poſſe ad Divina Officia admitti Laicos, quamvis non interdictos, nec excommunicatos; nam *cap. Alma Mater* privilegium peragendi Divina ſolum Clericis conceditur, aliunde autem quicumque Laici de jure communi tunc a Divinis arcentur: *cap. licet, cap. quoniam de privil. in* 6. *Gloſſa in cap. Alma Mater v. Interdictum*, & communiter apud *Anton. a Spir. S. de Interd. n.* 769. Solum admitti poſſunt Laici, qui humano modo aſſiſtere non poſſunt, quia carent uſu rationis. Item qui habent privilegium; & ex privilegio conceſſo alicui perſonæ aſſiſtere poſſunt, qui ſolent illam comitari: *c. licet cit.* Demum admitti poſſunt Laici, ſi neceſſarii ſint ad Divina celebranda, ut ſi Sacerdos non alium haberet Miniſtrum, quo poſſet celebrare; nam ex conceſſione privilegii conceſſa videntur ea, quæ neceſſaria ſunt ad ejus uſum: *arg. cap. licet cit.*

Ultimo, notandum *in cap. Alma Mater* tempore generali Interdicti localis ſuſpendi Interdictum in Feſtivitatibus Natalis Chriſti, Paſchatis, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. Virginis Mariæ. Hoc privilegium extenſum fuit a Martino V., & Eugenio IV. ad Feſtum, & totam Octavam Corporis Chriſti, & a Leone X. pro Hiſpania ad Feſtum Conceptionis B. Virginis. In feſto Paſchatis ſuſpenſio incipit a Miſſa Vigiliæ, ſicut & in Feſto Pentecoſtes; nam cum Miſſa pertineat ad Feſtum ſequens, ab eo tempore intelligitur inceptum. In aliis vero Feſtivitatibus incipit a primis Veſperis, & durat uſque ad Completorium ſequentis diei incluſive. Illud etiam, obſervandum in Feſtivitatibus Natalis, Paſchatis, & Pentecoſtes ſuſpenſionem Interdicti pro omnibus ſequentibus feſtivis diebus perſeverare, quia intelliguntur perſeverare dictæ ſolemnitates: *Bonac. diſp.* 5. *p.* 4. *n.* 14. His autem temporibus, quibus ex jure communi ſuſpenditur Interdictum, ipſi etiam, qui cauſam dederunt Interdicto, tenentur Miſſam audire, cum non excludantur ſicut excommunicati ab aſſiſtendo Miſſæ, dummodo nullo modo communicent, aut ab illis oblatio aliqua accipiatur. Quamvis ergo habens privilegium particulare poſſit nolle eo uti; & ita habens privilegium tempore Interdicti aſſiſtendi Miſſæ, poſſit eam non audire, quia velit ſe Communitati conformare: nihilominus id non valet in caſu præſenti, quia Interdictum eo tempore pro omnibus removetur; unde ceſſat ratio volendi ſe aliis conformare: *Dian.* 1. *p. tr.* 11. *reſol.* 2. & 4. *p. tr.* 4. *reſol.* 80. Idem dicendum de Clericis, quibus omnibus conceditur *cap. Alma Mater* Divina peragere. Cæterum ſemper notandum, quæ habentur in dicto *c. Alma Mater*, locum habere tempore Interdicti localis generalis, non vero Interdicti localis ſpecialis, ſive cujuſque Interdicti perſonalis, in quibus non eſt variatus antiquus rigor SS. Canonum, ut ſupra innui.

Q. VI. Qui tempore Interdicti privandi ſint Eccleſiaſtica Sepultura.

R. I. Quamvis antiquo jure prohibitum eſſet Fidelibus Laicos defunctos Interdictos in loco ſacro ſepelire: *c. quod in te de pœnit. & remiſſio. Epiſcopor. de privil. in* 6.; nihilominus dicendum eſt Concilium Conſtantienſe, ſeu Martinum V. hunc rigorem mitigaſſe *extrav. ad evitanda*; cum ab ea habeamus neminem ob quamlibet cenſuram eſſe vitandum, niſi ſit denunciatus nominatim. Qui ergo generaliter perſonaliter fuit Interdictus, poteſt in loco ſacro ſepeliri: ſi etenim licitum erat cum illo vivente communicare, utique etiam mortuo. Immo & poterit in loco Interdicto tumulari, ſi locus non ſit nominatim, ac publice denunciatus Interdictus: *Suar. diſp.* 35. *ſect.* 3. *n.* 2. *Reginal. l.* 32. *tr.* 3. *cap.* 29. *n.* 38. *Bonac. de Interd. d.* 5. *p.* 5. *num.* 10.

Solum ergo, qui nominatim fuit Interdictus denunciatus, & cauſam dedit Interdicto, eſt privandus Eccleſiaſtica ſepultura, ni prius abſolvatur, eo quod cum ſignis pœnitentiæ deceſſerit: *Palaus diſp.* 5. *p.* 4. *§.* 3. *n.* 11. Quod ſi nominatim Interdictus fuit in loco ſacro ſepultus, volunt plures eſſe exhumandum, & in loco non ſacro ſepeliendum; at ex jure id ſolum ſancitur de excommunicato: *cap. ſacris de ſepult.*, unde non ſatis conſtat id faciendum eſſe quoad Interdictos, ut notat etiam *Gloſſa in c. a nobis l.* 2. *de ſent. excom. in* 6.

R. II. Quoad Clericos, jam Innocentius III. *c. quod in te de pœnit. & remiſſ.* conceſſit omnes Clericos, qui non dederunt cauſam Interdicto, & illud ſervaverunt, poſſe in loco ſacro ſepeliri. Et cum in citato capite non excludatur locus ſpecialiter Interdictus, & in ipſo poterunt ſepeliri. *Pal. cit. n.* 6. Verum tamen eſt, quod cum

in

in tali loco Miſſa non poſſit celebrari, alibi Miſſa, & exequiæ erunt celebrandæ, cum conditionibus quæſito ſuperiori aſſignatis. Tempore vero, quo ex dictis poſſunt ſolemniter Divina celebrari, poterunt & ſolemniter celebrari exequiæ.

Q. VII. Quas pœnas incurrunt qui violant Interdictum.

R. I. Laicus interdictus, ſive recipiens Sacramenta prohibita in loco interdicto, peccat mortaliter, quia in materia gravi violat præceptum Eccleſiæ. Multi autem dicunt Laicum non perſonaliter interdictum peccare ſolum venialiter, ſi aſſiſtat Divinis Officiis in loco interdicto, quia nullum videtur eſſe præceptum in jure, quo prohibeatur illis aſſiſtere, ſed ſolum eſſe præceptum reſpiciens Clericos, quo eiſdem prohibetur Laicos non admittere, ſi non ſint privilegiati: *cap. reſponſio de ſent. excomm.*, & ex aliis juribus. Hoc tamen non ſatis probat tale præceptum etiam ad Laicos non extendi, ſicut præceptum prohibens excommunicatis communicare cum aliis, quamvis directe reſpiciat excommunicatos, extenditur conſequenter ad non excommunicatos. Et talis revera videtur fuiſſe in caſu noſtro mens SS. Canonum, dum prohibentur pulſari Campanæ ad Populum convocandum & jubentur excludi Laici non privilegiati: *Laym. l. 5. c. 14. n. 5., Bonac. diſp. 5. p. 7. a. n. 1.*

Quod ſi Laici compellant, aut cogant Clericos, ut in loco interdicto Miſſam, aut alia Divina Officia publice celebrent, ſi pulſatis campanis, vel alio modo præſertim excommunicatos, aut ſpecialiter Interdictos convocent ad Divina; ſi præſumant impedire, ne nominatim excommunicati vel interdicti a Clericis moniti exeant de Eccleſia; aut ſi ipſimet excommunicati, vel interdicti exire recuſent, ſeu Divinis violenter ſe ingerant, non ſolum peccabunt mortaliter, ſed etiam ipſo facto innodari videntur excommunicatione Papæ reſervata *ex Clem. Gravis 2. de ſent. excomm.*

R. II. Perſonæ Eccleſiaſticæ tam Regulares, quam Sæculares violantes Interdictum, ultra peccatum mortale, primo incurrunt Irregularitatem: *cap. is qui 18. §. fin., & cap. is cui 20. de ſent. excomm. in 6.* Secundo ſuſpenduntur ab officio, Beneficio, & juriſdictione: *cap. tanta eſt 18. de exceſſ. Prælat.* quam tamen ſuſpenſionem eſſe ferendæ ſententiæ docet cum aliis *Gonzal. in cit. cap. fin. de exceſſ. Prælat. n. 2.* Tertio, privantur jure activæ, & paſſivæ electionis; *ca. is qui de ſent. excomm. in 6. & c. 1. de poſtul. præl.* Quarto, amittunt Privilegium, vi cujus ſepeliri poſſunt in loco ſacro: *cap. quod in te de pœn. & remiſſ., cap. is cui de ſent. excomm. in 6.* Aliquæ aliæ pœnæ enumeratæ ſunt in decurſu hujus capitis.

Demum obſervandum Regulares quantumvis exemptos, mandante Epiſcopo, publicare debere interdictum, aliaſque Cenſuras ab ipſo latas: *Trid. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 12.*

Q. III. Quibus modis ceſſet Interdictum.

R. I. Interdictum latum ad tempus, vel ſub conditione, elapſo tempore, ſed adimpleta conditione, ceſſat, ut de ſe patet.

R. II. Si interdictum ſit latum in favorem alicujus, ceſſat, ſi non obſervetur ab eo, in cujus favorem latum fuit; ſecus ſi non obſervetur ab eo, ob cujus culpam fuit latum: *cap. periſtis de privil. juncta Gloſſa.*

R. III. Si interdictum ſit ſpeciale perſonale, ſive latum ſit a jure, ſive ab homine, poteſt a quocumque Confeſſario abſolvi, ſi non ſit reſervatum. Satisfaciendum tamen primum eſt parti, vel ſi fieri non poſſit, cautio præſtanda: *Suar. diſp. 38. ſect. 2. n. 7. Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 5. n. 3.* Si vero ſit reſervatum, illius abſolutio competit habenti jus abſolvendi a cenſuris reſervatis.

R. IV. Interdictum locale, vel generale, vel ſpeciale, & Interdictum generale perſonale, ſolum auferri poteſt ab habente juriſdictionem contentioſam ſuper communitatem interdictam; ſicut enim ferri ſolum poteſt ab habente hanc juriſdictionem, ita & ab eo auferri. Unde non militat hic eadem ratio de interdicto ſpeciali perſonali; nam cum hoc impediat recipere Sacramentum Pœnitentiæ, concedit jus cuicumque Confeſſario, ſi non ſit reſervatum, illud abſolvendi. Interdictum vero locale, ſeu generale perſonale non impedit recipere Sacramentum Pœnitentiæ.

Epiſcopus igitur primo poterit ſuſpendere Interdictum latum a jure, nam hoc ſaltem ex vi conſuetudinis ei competere ſupponitur *cap. ad hæc de appellat.*, & docent communiter DD. Item poteſt auferre interdictum locale, ſive generale perſonale latum a jure, dummodo non ſit reſervatum: *cap. nuper de ſent. excomm.* Si vero latum ſit ab homine, nempe a S. Pontifice per particularem ſententiam, Epiſcopus utpote inferior, non poteſt in lege Pontificia diſpenſare: *cap. cum inferior. de majorit. & obed.* Idem dicendum, ſi Interdictum latum ſit ab alio, cui Epiſcopus non ſit Superior. Advertendum tamen eſt, quod ſi delictum, ratione cujus latum eſt Interdictum, ſit occultum, poterit Epiſcopus illud auferre, vel ſuſpendere ex dictis *q. 1. c. 6. quæſt. 3.*

Illud ultimo advertendum, Interdictum latum ab homine, cum in ipſa actuali executione pendeat ex mente illud ferentis: *cap. veniens 2. de teſtam.* & liget, quatenus valit illud ligare: *leg. nemo ff. ſi cert. petat.* poſſe ab eodem pro certo tempore, aut cauſa ſuſpendi: ſicut *cap. alma mater* ſuſpenditur interdictum latum ab eodem jure.

CAPUT II.

De Ceſſatione a Divinis.

Q. I. Quid ſit Ceſſatio a Divinis, & quotuplex.

R. I. Ceſſatio a Divinis eſt prohibitio facta Clericis, ne publice perſolvant Divina Officia, & abſtineant ab aliquibus Sacramentis miniſtrandi. Cum hæc pœna, ut ex ſe patet, ſit graviſſima, non poteſt imponi niſi ob graviſſimum delictum, itemque notorium, & manifeſtum notorietate facti; unde conveniens ſit illius ſcandalo per ceſſationem a Divinis occurrere. Ita colligitur *ex cap. irrefragabilis §. Cæterum de offic. Ordin. & cap. ſi Canonici, cap. quamvis eod. tit. in 6.* Immo *cap. ſi Clerici ibid. & cap. quamvis cit.* dicitur cauſam, ob quam imponitur, exprimendam eſſe in publico Inſtrumento, ſeu aliis authenticis literis, quæ tradendæ ſunt ei, contra quem ceſſatio indicitur, ut ita conſtet, an velit ſe emendare.

Quamvis autem iſta ceſſatio a Divinis multum conveniat cum Interdicto, re vera tamen ab eo differt, ut etiam colligitur *ex cap. ſi Canonici, cap. quamvis de offic. Ordin. in 6. & Clem. 1. de ſent. excom.* Ceſſatio igitur a Divinis non eſt Cenſura, ſicut Interdictum, ſed negatio Divinorum impoſita in ſignum doloris, & triſtitiæ conceptæ ob injuriam Deo, ſive ipſi Eccleſiæ illatam, ut exinde Delinquens moveatur ad ceſſandum ab injuria, vel ad illius ſatisfactionem exhibendam. Eo ipſo quod ceſſatio a Divinis non ſit Cenſura, ſequitur ex illius violatione non incurri Irregularitatem; quamvis non violaretur ſine gravi culpa, ni parvitas materiæ excuſaret. Obſervare tamen eſt, quod quamvis non ſit Cenſura, ferri tamen non poteſt ſine præcedenti monitione, quia expoſcit contumaciam in ſubjecto.

R. II. Ceſſatio a Divinis alia eſt generalis, alia ſpecialis. Prima imponitur Provinciæ, Civitati, Caſtro. Secunda ſpeciali Eccleſiæ, vel Oratorio. Ubi obſervandum, quod ceſſatio a Divinis nullam afficit particularem perſonam, ſed omnes æque arcet a Divinis celebrandis in locis, ubi impoſita eſt talis ceſſatio. E contra Interdictum locale ſemper particularem perſonam afficit, illam nempe, ob cujus culpam latum eſt Interdictum.

Q. II. Quot ſint effectus Ceſſationis a Divinis.

R. I. Primus effectus eſt prohibere Divina Officia pro loco, in quo impoſita eſt: *cap. non eſt nobis de ſponſal.* Quamvis autem hæc prohibitio directe reſpiciat Clericos, indirecte vetat etiam Laicis, ne aſſiſtant Divinis Officiis, ſi forte contingat in tali loco celebrari; ut ſi ibi celebrentur ſemel in hebdomada ad renovandas formas Euchariſtiæ, vel pro deferendo Viatico ad Infirmum, in quibus caſibus certe neceſſe eſſet ibi celebrare: *cap. quod in te de pœnit. & remiſſ., cap. permittimus de ſent. excom., Suar. diſp. 39. ſect. 2. num. 20., Pal. diſ. 5. p. 9. §. 2. n. 9.*

Quia autem ex dictis ceſſatio a Divinis conſideratur in jure, ut quid diverſum ab Interdicto, ideo non videtur licite celebrari poſſe Divina, dum impoſita eſt illorum ceſſatio, etiam iis conditionibus, quibus *ex cap. alma mater* licet tempore interdicti Divina peragere; ſicut neque ſuſpenditur eadem ceſſatio pro iis Feſtivitatibus, quibus ex eodem capite ſuſpenditur Interdictum. Secus dicendum eſſet, ſi invaluiſſet conſuetudo, ut tali tempore etiam Ceſſatio a Divinis ſuſpenderetur: *Sanch. l. 7. de matr. diſp. 8. n. 14., Reginald. l. 32. tr. 3. num. 75. Bonac. diſp. 6. p. 1. n. 4. & p. 3. n. 1.*

Secundus effectus ceſſationis a Divinis eſt privatio Sacramentorum, excepto Baptiſmo, & Pœnitentia pro morientibus, & Euchariſtia pro Infirmis: *cap. non eſt nobis*

bis

bis de ſponſal. in caſu autem, quod Infirmus decederet ſine aliis Sacramentis, poſſet ei adminiſtrari Sacra Unctio. Scio non paucos DD. conceſſionem factam *in c. alma mater* pro recipiendis Sacramentis tempore Interdicti, extendere etiam ad ceſſationem a Divinis, & id ex tacita Eccleſiæ benignitate, *Bonac. p. 3. n. 5.* qui etiam ex benigna DD. interpretatione vult licite tempore ceſſationis a Divinis adminiſtrari Sacramentum Pœnitentiæ. Quæ ſententia certe eſt probabilis, maxime ſi conſuetudine roboretur.

Quidam volunt tempore ceſſationis a Divinis prohibitam eſſe etiam Eccleſiaſticam ſepulturam. Id autem nullibi expreſſum in jure invenitur; unde dicendum eſt non induci privationem Eccleſiaſticæ Sepulturæ, ratione ceſſationis a Divinis, ſed Interdicti, quod ut plurimum ſupponit. Præciſe ergo ratione ceſſationis a Divinis nulli deneganda eſt Eccleſiaſtica ſepultura; & ſi adſit etiam Interdictum, attendendum eſt quibus vi Interdicti Eccleſiaſtica ſepultura prohibeatur: *Laym. tr. 5. p. 4. c. 6. num. 3., Anton. a Sp. S. diſp. 3. num. 366.*

Nulla eſt impoſita pœna contra violantem ceſſationem a Divinis, niſi pro Religioſis profeſſis, qui, ſi non obſervent ceſſationem generalem a Divinis, quam ſervat Eccleſia Matrix, aut Parochialis, incurrunt Excommunicationem, quamvis non reſervatam, *Clement. 1. de ſent. excomm.*

QUÆSTIO VII.

De Irregularitate.

CAPUT I.

De Irregularitate in communi, ejuſque effectibus.

Q. I. Quid ſit Irregularitas.

R. I. Irregularitas ſolet ita definiri: *Impedimentum Canonicum, per ſe primo impediens ſuſcipere Ordines, & de ſecundario, ſeu ex conſequenti uſum Ordinum ſuſceptorum.* Cum dicitur Impedimentum, denotatur non eſſe Cenſuram, nam Cenſuræ ſunt pœnæ medicinales inflictæ, ut delinquens a ſua culpa reſipiſcat, vel ut eam caveat in poſterum. Irregularitas vero eſt impedimentum inhabilitans ad Ordines ſuſcipiendos, vel ad illorum uſum, quia in Irregulari eſt aliquis defectus, quem non decet eſſe in Sacro Miniſtro. Præterea, cum Cenſura feratur ut qui deliquit reſipiſcat, poſita illius emendatione, eſt auferenda. Irregularitas vero, etiam poſita emendatione delicti cujus cauſa fuit impoſita, de ſua natura non eſt auferenda, & ſolum tollitur per hoc quod ex benignitate Superioris accedat diſpenſatio.

Dicitur Impedimentum *Canonicum*, hoc eſt, a ſacris Canonibus inductum; unde commune eſt omnium DD. effatum nullam dari Irregularitatem ni expreſſa habeatur in jure: *cap. Is qui de ſent. excomm in 6.* In hac ergo materia nunquam valet argumentum de uno caſu ad alium, etiamſi ſit a minori ad majus, quia unica regula inducendi Irregularitatem, eſt expreſſa reperiri in jure Canonico. Hinc, excepto Summo Pontifice, & Concilio Generali, denegatur cuicumque facultas inducendi Irregularitatem, utpote quia non habent authoritatem condendi Jus Canonicum, in quo debet expreſſe Irregularitas reperiri: *Gibal. de irregul. cap. 2. q. 1. nu. 6. Pal. diſp. 6. p. 2. n. 1.* Ex eodem fundamento, quod nulla admittenda ſit Irregularitas, ni expreſſa reperiatur in jure Canonico, magis communiter docent DD. Irregularitatem non poſſe conſuetudinem introduci; nam hæc expreſſa non eſſet in jure. Nec refert dici conſuetudine poſſe abrogari ipſum jus conſuetudinem prohibens; nam hoc non militat in caſu noſtro, quia talis conſuetudo nunquam prævalere poteſt contra tale jus, cum omnes Judices, & Doctores velint non eſſe inducendam Irregularitatem, ni ſit in jure expreſſa; adeoque non datur locus, ut conſuetudo admittatur contra illud jus, *Suar. diſp. 40. ſect. 4. num. 13. Gibal. conſect. 4. concl. 2. Dian. p. 8. tr. 7. reſol. 28.* unde qui dicit aliquem Irregularem, debet dare cauſam juris, ait *Fagn. cap. ſi quis presbyter de ſent. excom. num. 5.*

Dicitur autem Irregularitas impedire ſuſceptionem Ordinum, quia inducta eſt ad arcendos Laicos, quos non decet eſſe Eccleſiæ Miniſtros. Quod ſi jam aliqui ſuſceperunt Ordines, eos removet ab illorum exercitio, ut poſtea dicam.

Q. II. Quotuplex ſit Irregularitas.

R. Irregularitas alia eſt ex defectu culpabili, alia ex defectu inculpabili. Ut inducatur Irregularitas ex defectu culpabili, ſive ex delicto, neceſſe eſt talem defectum importare grave Peccatum, quia contra naturalem æquitatem eſſet pro delicto, quod de ſe non eſſet grave, vel ex aliqua circumſtantia a peccato mortali excuſaretur, imponere pœnam tam gravem, qualis eſt Irregularitas: *Suar. diſp. 40. ſect. 3. n. 7., Sanch. de Matrim. l. 9. diſp. 32. n. 9. Gibal. de Irregul. c. 2. q. 2. n. 3.* Item tale delictum debet eſſe externum, & conſummatum propter ea, quæ loquendo de Cenſuris dixi *q. 1. cap. 3.* Quod ſi delictum ſit occultum, eique per ſe annexa ſit Irregularitas, per hoc non impeditur quin Irregularitas contrahatur, ut ſupponit Tridentinum *ſeſſ. 24. de reform. c. 6.*, nam ibi conceditur Epiſcopis diſpenſare in Irregularitatibus ex delicto occulto contractis, excepta illa, quæ provenit ex homicidio voluntario. Dein ad incurrendam Irregularitatem, quæ ipſo facto a jure ſtatuta ſit, nil refert, quin delictum non ſit deductum ad forum contentioſum, vel etiam probari non poſſit in judicio, quia tunc ad incurrendam Irregularitatem non eſt neceſſaria ſententia Judicis: *Pal. diſp. 6. p. 3. num. 1., Coninch. diſp. 18. dub. 2. n. 16.*

Dixi, ſi delicto ſit per ſe annexa Irregularitas; nam delicto quandoque eſt annexa Irregularitas ratione infamiæ, vel notorietatis, & tunc utique, ſi occultum ſit, non contrahitur Irregularitas. Hoc ſenſu dictum eſt *cap. ult. de tempor. ordinand.* perjuros, adulteros &c. poſſe Sacris Ordinibus initiari, eoſque exercere quamdiu peccatum manet occultum. Qualia autem ſint delicta, & quales defectus inculpabiles, quibus annexa eſt Irregularitas, videbimus in decurſu quæſtionis.

Dividitur item Irregularitas in partialem, & totalem. Hæc eſt ea, quæ privat receptione, & uſu Ordinum, ut eſt Irregularitas, quæ contrahitur a Laicis; partialis vero, quæ contrahitur a Clericis, qui privantur uſu Ordinum ſuſceptorum, & receptione illorum, quos non adhuc ſuſcepiſſent.

Q. III. Qui proprie poſſint fieri Irregulares.

R. Cum Irregularitas ſumatur pro pœna, ſive impedimento arcente ſubjectum alias capax Ordines ſuſcipiendi, proprie afficere non poteſt mulieres, quæ ex jure Divino ſunt Ordinum incapaces; ſicut non baptizatos, cum nemo capax ſit recipiendi alia Sacramenta, niſi ingreſſus ſit in Eccleſiam per januam Baptiſmi. Cæterum omnes Baptizati, excepto S. Pontifice, qui non ſubjicitur Legibus per vim coactivam, poſſunt fieri Irregulares; in jure etenim Cardinales, & Epiſcopi ſolum eximuntur a pœna ſuſpenſionis, & Interdicti, niſi exprimantur: *cap. quia periculoſum de ſent. excomm. in 6., Suar. diſp. 40. ſect. 6. num. 7., Gibal. de Irregul. cap. 2. q. 2. n. 6.*

Q. V. Qui ſint effectus Irregularitatis.

R. I. Ut conſtat ex definitione Irregularitatis, primo, & per ſe inhabilitat ad Ordines ſuſcipiendos. Verum tamen eſt, quod ſi Irregularis ordinetur cum debita forma, & materia, & intentione Miniſtri, valide ordinatur; neque enim Eccleſia impedire poteſt validitatem Sacramenti reſpectu illius, qui jam factus eſt capax per Baptiſmum. Solum Matrimonium reddere poteſt nullum, quia ſupponit contractum validum, & hunc invalidum poteſt decernere, ſi hæc, aut illa conditio deficiat: Nihilominus tamen ſcienter ordinans Irregularem, & iſte ſcienter ordines recipiens, utpote tranſgreſſores præcepti Eccleſiæ in re gravi, mortaliter peccarent: nulla autem eſt pœna in jure contra eos expreſſa.

Simile peccatum adeſſet, ſi conferretur Irregulari prima Tonſura, nam Eccleſia per Irregularitatem excludere intendit ab Ordine Clericali, adeoque vult Irregularem nec prima Tonſura eſſe initiandum, & ſi ſecus fiat, certe ipſius præceptum tranſgreditur in materia gravi; nam Tonſura reddit hominem capacem Beneficii Eccleſiaſtici, Juriſdictionis &c. Præterea jure canonico Tonſura venit nomine Ordinis: *cap. cum contingat. de ætat., & qualit. Ordinan.* adeoque eodem jure, non ſolum quia eſt diſpoſitio ad Ordines, ſed & quia Ordo reputatur, Irregularis eadem privandus eſt: *Garz. de Benef. p. 2. c. 12. n. 80. Suar. diſp. 40. ſect. 1. n. 11., & ſect. 2. n. 1., Bonac. de Irreg. q. 1. p. 1. n. 4. & p. 4. n. 1.*

Secundus effectus Irregularitatis, quando advenit illi, qui jam Ordinem ſuſcepit, eſt privare illius exercitio: *cap. fin. de tem. ordinan. cap. Inquiſit. 11. de accuſat.* Si ſit totalis, privat exercitio Ordinis jam ſuſcepti, & impedit

Digitized by Google

dit alios Ordines forte non ſuſceptos recipere. Si vero partialis ſit, ſolum inhabilitare poteſt ad recipiendum Ordinem ulteriorem: ita Diaconus, qui abſque Ordine Sacerdotali celebravit, inhabilitatur ad ſuſcipiendum Sacerdotium, non vero ad adminiſtrandum in Ordine Diaconatus; *cap. 2. de cler. non Ordin. miniſtr.* Poteſt etiam ſolum inhabilitare ad exercitium Ordinis jam ſuſcepti; ita Sacerdos, cui fuerunt digiti cum medietate manus amputati, de quo *cap. 2. de Cleric. ægrot.* non poteſt celebrare, quamvis poſſet audire Confeſſiones &c.

Tertius effectus Irregularitatis eſt privare Irregularem Beneficiis: *cap. 2. de Cler. pugnant. in duell.*, *Trid. ſeſſ. 14. c. 7. de reform.* Puto tamen non privare ipſo jure, & ipſo facto Beneficiis jam legitime obtentis; nam ob Irregularitatem ex homicidio, quæ maxima eſt, Beneficiatus non eſt ipſo facto privatus, ſed privandus Beneficiis obtentis: *cap. Clerici 5. ne Cler. vel Monach.*, *cap. ex liter. de exceſſ. Prælat. cap. Fraternitati de Cleric. excom. vel depoſ.* multo minus ergo privatus ipſo facto remanebit ob aliam quamcumque Irregularitatem. Verum quidem eſt Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 7. de reform.* ita loqui: *Qui ſua voluntate homicidium perpetraverit, omni Ordine, Beneficio, & Officio Eccleſiaſtico perpetuo careat*, ex quo aliqui inferunt, quod ſicut ipſo facto privatur Ordine, ita & Beneficio, & Officio. At bene reſponderi poteſt Concilium nihil innovaſſe, ſed loquutum eſſe juxta naturas rerum; hæc autem expoſcit ut carentia Ordinis, quæ eſt principalis effectus Irregularitatis, ipſo jure inducatur; non vero privatio Beneficiorum acquiſitorum, pro quibus ſaltem expectari poteſt ſententia declaratoria criminis: *Suar. diſp. 40. ſect. 4. n. 42.*, *Pal. diſp. 6. p. 5. num. 11.*

Loquendo etiam de Beneficio conferendo, multi volunt non ſolum illicitam, ſed invalidam etiam eſſe talem collationem; quia cum Beneficium detur propter Officium, ſeu propter exercitium Ordinis, videtur, quod qui non poteſt exercere officium, nec valide recipiat Beneficium. Verum haud negari poteſt probabilitas contrariæ opinionis; nam non videntur attribuendi Irregularitati alii effectus, quam qui ſunt in jure expreſſi, nullibi autem reperitur clare expreſſum in jure, collationem Beneficii factam Irregulari, eſſe ipſo facto nullam. Hinc ſi Irregularis per ſe, vel per alium adimpleat munus ſuum, poterit fructus excipere, & retinere, uſque dum obtineat diſpenſationem: *Pal. diſp. 6. p. 5. n. 7.* & alii, quos ſequitur *Anton. a Spir. S. diſp. 1. n. 27.*

Cæterum, nullo dubitante, peccabit qui confert Beneficium Irregulari, ſicut & Irregularis, qui illud recipit; cum nemini dandum ſit Beneficium, cujus officium non poteſt exercere; ſicut nullus recipere debet Beneficium, ſi illius munera adimplere non poſſit. Verum tamen eſt quod ſi Irregularitas ſit partialis, poterit tali Irregulari conferri Beneficium, ſi non exigat exercitium Ordinis, quod non poſſit adimplere: unde ſi quis ex aliquo defectu ſit Irregularis in ordine ſolum ad ſuſcipiendum Sacerdotium, poterit obtinere Beneficium, quod non exigat munera Ordinis Sacerdotalis: *Pal. n. 5.*

Contra id, quod diximus, non eſſe ſcilicet ipſo facto nullam collationem Beneficii factam Irregulari, poſſet objici Tridentinum *ſeſſ. 21. de reform.* vella irritas eſſe proviſiones Beneficiorum in poſterum faciendas, ſi in proviſis non ſint requiſitæ habilitates, quæ certe non ſunt in Irregulari. At reſponderi poteſt, Concilium loqui de inhabilitatibus, quibus aliquis jure naturæ, vel Divino incapax eſt Beneficiorum, ut ſunt illi, qui non habent neceſſariam ætatem, non vero de inhabilitatibus inductis jure Eccleſiaſtico, qualis eſt Irregularitas; quæ non reddit collationem ipſo facto nullam; ni id expreſſe habeatur in jure; eo maxime quia *cap. Si ſoli de conceſſ. præb. in 6.* habetur nullam prohibitionem Pontificis irritare collationem Beneficii, niſi expreſſe declaretur eſſe irritum, & inane, quod fieret contra ipſam: *Gibal. de Irreg. c. 2. q. 3. n. 9.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Animadvertere debet Confeſſarius non dari Irregularitatem ex delicto, niſi commiſſum fuerit peccatum mortale; adeoque ſi accidat ei caſus alicujus Irregularitatis ex delicto provenientis, non ſolum conſideret delictum in ſe, ſed an vere delinquens in eo committendo graviter peccaverit. An e. g. graviter peccaverit, dum ex ſubita ira aliquem mutilavit; vel etiam occidit; vel dum ſe defendendo aggreſſorem pariter occidit, aliquanto excedendo modertamen inculpatæ tutelæ &c. Si etenim vere graviter peccaſſe non adinveniat, moneat ipſum pro foro conſcientiæ non teneri ſe gerere Irregularem, ſecus eſſet pro foro externo, ratione ſcandali, ſi delictum non ſit occultum.

II. Non ignorare etiam debet Confeſſarius, quod cum Irregularitas de ſe non privet Juriſdictione, Sacerdos Irregularis valide audire poteſt Confeſſiones, quamvis peccet mortaliter, ſi ad eas audiendas ſe ingerat, quia abſolutio eſt actus ſimul Ordinis, & juriſdictionis, & Irregularis Ordinis exercitio privatur. Si autem non ſit denunciatus a Judice, ut Irregularis, tunc, cum non ſit vitandus quoad ea, quibus privat Irregularitas, ſi requiratur, poteſt & valide, & licite confeſſiones audire. Cæterum ſemper poteſt aſſiſtere Matrimonio, dare licentiam alteri aſſiſtendi, & cetera omnia exercere, quæ non requirunt actum Ordinis. Hæc dicta ſint ſi caſus adveniat, quo Parochus propter aliquod delictum ſit Irregularis, ne ſtatim Confeſſarius pronunciet ab omni exercitio ſui Officii ab eo eſſe abſtinendum.

III. Si Confeſſarius agnoſcat Beneficiatum ſuum Pœnitentem in Irregularitatem incidiſſe, moneat quantocius ab eo petendam eſſe diſpenſationem, quia tenetur ſe reddere habilem ad adimplendum munus ſuum. Interim retinere poterit fructus Beneficii, ſi ſaltem per Coadjutorem ſuis obligationibus ſatisfaciat. Si vero ſit in tali caſu, ut nunquam, vel niſi poſt tempus valde longum diſpenſatio ſperari poſſit, tunc debet cogere ad reſignandum Beneficium; neque etenim, ſi neceſſitas magna contrarium non ſuadeat, poteſt quis retinere id, quod annexam habet obligationem, quam licite non poteſt adimplere. Sacri Canones excuſant Beneficiatum, qui ratione ægritudinis non poteſt ſuo muneri ſatisfacere; ne etenim afflictio afflicto addatur, eximunt illum a relinquendo Beneficio: *cap. ex parte de Cler. ægrot.* quamvis, ſi Parochus ſit, tribuendus ſit ei Oeconomus, qui ipſius officium adimpleat.

C A P U T II.

Quæ excuſent ab incurrenda Irregularitate; & quibus modis tollatur.

Q. I. AN dubium juris, vel facti excuſet ab Irregularitate.

Suppono hic, ex dictis, omnia ea, quæ excuſant a culpa gravi, excuſare etiam ab Irregularitate ex delicto incurrenda. Item ſuppono, quod ſi adſint ea, quorum ratione etiam ob defectum non culpabilem S. Canones induxerunt Irregularitatem, omnino hæc locum habeat, quamvis nulla interceſſerit culpa. In præſenti ad examen revocatur, an, quamvis adfuerit gravis culpa, nihilominus ex aliquo alio capite poſſit quis ab Irregularitate excuſari. His poſitis.

R. I. Qui habet dubium, an inciderit in Irregularitatem, debet ſe gerere ut Irregularem, uſque dum adhibuerit ſufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem; alias ſe exponendo periculo operandi contra Irregularitatem, graviter peccaret: *cap. illud Dominus de Cler. excom.*, *Suar. diſp. 40. ſect. 5. n. 12.*, *Sanch. l. 1. Decalog. c. 10. n. 37.* Quod ſi, adhibita ſufficienti diligentia, habeat rationem probabilem, unde putet ſe excuſari ab Irregularitate, poteſt credere ſe non eſſe Irregularem, nam habet motivum prudens ita credendi: *Suar. n. 5.*, *Gibal. c. 2. q. 2. ſect. 6. n. 12.*

R. II. Dubitans ſe eſſe Irregularem, ſi, adhibita ſufficienti diligentia, adhuc manet ſuſpenſus, & dubitans, non tenetur ſe habere, ut Irregularem, ſive in dubio juris, ſive in dubio facti. Ratio eſt, quia, *ex cap. is, qui de ſent. excom. in 6.* non eſt inducenda Irregularitas, niſi ſit in jure expreſſa, non poteſt autem dici eſſe expreſſa in jure dum adeſt dubium juris; nam ideo datur dubium juris, quia ſatis non conſtat in caſu, de quo dubitatur, jus appoſuiſſe Irregularitatem. Neque etiam ſatis eſt expreſſa in jure in dubio facti; nam quamvis e. g. exprimatur in jure Hæreticos, & Apoſtatas &c. eſſe Irregulares, nunquam tamen habetur, talem eſſe qui dubitat, an commiſerit peccatum hæreſis, vel apoſtaſiæ. Præterea nemo propter jus incertum, ut evenit in dubio juris; vel crimen incertum, ut evenit in dubio facti, videtur expoliandus jure, & libertate, quam poſſidet ad actus, quibus privat Irregularitas. Nec obſtat illud principium juris *in dubiis tutior pars eſt eligenda cap. Juvenis de Sponſal. cap. petitio de homicid.* nam hoc

Digitized by Google

principium verum eſt, maxime quando dubitans non eſt in poſſeſſione; nam ſi quis ſit in poſſeſſione, recta ratio expoſcit ut non expolietur poſſeſſione ſui juris, & libertatis propter incertum delictum: *Suar. diſp. 40. ſect. 6. n. 4. & 13., Sanch. l. 1. Decal. c. 10. n. 42. & 48. Bonac. de Irregul. q. 1. p. 5. n. 2. & 3.*

Limitanda eſt præfata doctrina in dubio de commiſſo homicidio, nam quoad hoc delictum expreſſa habetur in jure, dubitantem de eo ſe gerere debere, ut Irregularem: *cap. ſignificaſti 2. cap. penult. de homicid.* Quamvis autem aliqui dicant ita ſolum diſpoſitum fuiſſe pro foro externo, re vera tamen hæc limitatio non videtur ſufficienti niti fundamento, cum præfata jura illimitate loquantur: *Sanch. n. 42., Bonac. num. 3.* Ideo autem S. Canones volunt in dubio homicidii dubitantem gerere ſe debere, ut Irregularem, quia in dubiis tutior pars eſt eligenda: at obſervandum non niti illi principio, ut neceſſario obſervando, ſed quod maxime deceat obſervare, præcipue in crimine homicidii, quia maximum oriretur ſcandalum, ſi proſequeretur celebrare, qui poſtea poſſet detegi, ut homicida. Ultra quamquod, ex dictis capite ſuperiori, Irregularitas non eſt extenda de caſu ad caſum, etiamſi currat eadem ratio.

Duo autem remanet obſervare quoad præfatos Canones. Primo, quod in dubio ſolius homicidii, non vero mutilationis, inducitur irregularitas, & tunc ſolum quoad abſtinendum a celebratione, & quoad obligationem quærendi diſpenſationem; unde hujuſmodi Irregularis poſſet recipere Beneficia, nec privandus eſſet obtentis. Secundum quod præfati Canones taliter diſponunt de Clericis; unde ſi Sæculares dubitent ſe commiſiſſe homicidium, non tenentur ſe habere, ut Irregulares.

Q. II. An ignorantia excuſet ab Irregularitate.

R. I. Quæſitum non poteſt procedere de ignorantia excuſante a gravi culpa; nam tunc certum eſt excuſare ab Irregularitate, quæ contrahitur ex delicto. Solum ergo eſſe poteſt ſub quæſtione, an graviter peccans, ſed ignorans lege Eccleſiaſtica aliquid prohiberi, incurrat Irregularitatem. Item lis eſſe poteſt an excuſetur ab Irregularitate, qui delinquit, ſciens aliquid eſſe prohibitum ab Eccleſia, ſed ignorans eſſe prohibitum ſub Irregularitate.

Exploratum igitur eſt, quod committens delictum, cui annnexa eſt Irregularitas, illam non incurrit, ni ſciat illud delictum non ſolum jure naturali, vel divino, ſed etiam lege Eccleſiaſtica eſſe prohibitum. Ratio eſt, quia Irregularitas non eſt pœna de ſe correſpondens delicto, ſed eſt pœna extraordinaria inducta lege Eccleſiaſtica; qui ergo ob ignorantiam inculpabilem non offendit legem Eccleſiaſticam, neque debet tanquam tranſgreſſor illius, ſubjacere pœnæ ab illa inductæ. Ita aperte colligitur ex *cap. ult. de conſt. in 6. & can. propoſuiſti 82. diſt. Palaus de cenſ. diſp. 6. p. 6. n. 1. Sanch. l. 9. de mat. diſp. 32. n. 9. & 17.*

Neque refert dicere, quod ſciens homicidium e. g. lege naturali prohibitum, adhuc ſubjacere poteſt pœnis ſtatutis a lege civili contra homicidas, quamvis ignoret etiam lege civili homicidium eſſe prohibitum: Contra enim eſt, quia dum leges civiles decernunt pœnas ordinarias pro delictis, ſunt veluti declarationes juris naturæ dictantis puniendos eſſe pœnis proportionatis Malefactores, adeoque ſatis eſſe, ſi Delinquens ſciat crimen a ſe perpetratum lege naturali prohiberi. Cæterum, ſi lege civili ſtatueretur aliqua pœna extraordinaria pro aliquo crimine, non eſſet illa mulctandus ignorans talem legem, quamvis in foro externo puniretur, quia in eo præſumitur notitia juris.

R. II. Quamvis communior ſit opinio aſſerens non liberari ab Irregularitate eum, qui ſcit ſe delinquere in legem Eccleſiaſticam aliquid prohibentem, etſi non ſciat delictum a ſe commiſſum prohibitum eſſe ſub pœna Irregularitatis, nihilominus etiam opinio id negans non deſinit eſſe valde probabilis. Ratio eſt, quia quamvis ad incurrendam Irregularitatem non expoſcatur contumacia, nihilominus, cum ſit pœna valde gravis & extraordinaria, neceſſe videtur ad eam incurrendam, plene peccandum eſſe in legem Eccleſiaſticam. Hoc non videtur facere, qui inculpabiliter ignorat Irregularitatem, quamvis ſciat ſe facere aliquid prohibitum lege Eccleſiaſtica; nam ſi Irregularitatem non ignoraret, forte ſaltem ob pœnæ timorem legem ſervaret. Hoc poſito fundamento, ſatis valide videtur ea ratio, qua dicitur, quod licet ignorans pœnam adhoc convincatur in legem Eccleſiaſticam delinquere, nihilominus non convincitur in eam peccare, ut eſt cauſa, ſive inductiva talis pœnæ: *Bonac. diſp. 1. de Cenſ. q. 2. p. 1. a. 13. Anton. a Spir. S. tr. 2. diſp. 3. n. 61.* aliique apud ipſum.

Q. III. Quot modis tollatur Irregularitas.

R. I. Irregularitas, quæ contrahitur ex defectu, ſi ceſſare poſſit defectus, ceſſat etiam Irregularitas; nam, ceſſante cauſa, ceſſat effectus: & ulterius ex ceſſatione defectus ceſſat illa indecentia, ratione cujus inducta eſt Irregularitas: Hinc, ceſſante defectu ætatis, ſive ceſſante defectu corporis, ex quibus oritur Irregularitas, & hæc ceſſat: *Gibal. de Irregul. cap. 5. q. 1. propoſit. unic. Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. cap. 4. n. 10.* Aliter dicendum eſt de illis defectibus, quorum fundamentum ſemper permanet, ut eſt defectus illegitimitatis, lenitatis &c.; nam ſemper verificatur aliquem non fuiſſe legitimum, ſeu authoritate publica hominem occidiſſe, ac proinde hujuſmodi Irregularitas ſolum ceſſare poſſunt per diſpenſationem, ſive juris diſpoſitionem.

Hac ratione Irregularitas contracta ex delicto ceſſare non poteſt niſi per diſpenſationem, quia ſemper verum eſt commiſſum eſſe delictum, ratione cujus contrahitur Irregolaritas: *Suar. diſp. 41. ſect. 1. n. 5. & 6., Gibal. de Irreg. c. 5. q. 1. propoſ. unic.* a. 3. Solummodo quoad Irregularitatem ortam ex infamia, diſtinguere neceſſe eſt. Si ergo aliquis infamis ſit in infamia completa juris, quia ſcilicet jus alicui delicto infamiam impoſuit, & poſt delictum acceſſit ſaltem ſententia declaratoria criminis, tunc nec per quamcumque pœnitentiam delicti ceſſat Irregularitas; cum etenim ſententia lata ſine limitatione temporis ſemper duret, ita & infamia per eam contracta. Infamia vero facti auferri poteſt vel per mutationem loci, ubi contracta eſt, vel per publicam emendationem, & pœnitentiam; hæc enim ceſſare facit illam indecentiam, quæ orta eſt ratione infamiæ: *Suar. diſp. 48. ſect. 2. n. 6. & 8. Gibal. loc. cit.*

R. II. Irregularitas tolli poteſt per Baptiſmum. Hoc autem ita intelligendum, non quod ante Baptiſmum contrahi poſſit aliqua Irregularitas; cum etenim ſit pœna Eccleſiaſtica, ſolum afficit eos, qui ſunt in Eccleſia, ſed quia poſt Baptiſmum non amplius conſiderantur delicta ante ipſum commiſſa, quibus alias, ſi committantur poſt Baptiſmum, annexa eſt Irregularitas. Cæterum, ſi Irregularitas oriatur ex defectu, qui non ceſſet per Baptiſmum, ubi prius aliquis erat ſolum fundamentaliter Irregularis, poſt Baptiſmum fit formaliter talis, quia tunc baptizatus eſt capax pœnæ, ſive impedimenti inducti ab Eccleſia: *Coninch. diſp. 18. dub. 14.*

R. III. Quamvis non ſatis conſtet, an per profeſſionem religioſam Irregularitas omnis auferatur, cum id in jure non inveniatur; illud tamen certum eſt per eam removeri Irregularitatem, quæ oritur ex defectu natalium quoad Ordines ſuſcipiendos ex *cap. 1. de fil. Presbyt.* non vero quoad Dignitates, & Prælaturas recipiendas: *Sanch. l. 7. de matr. diſp. 86. n. 4. & in Sum. l. 5. c. 5. n. 16. Suar. diſp. 41. ſect. 1. n. 3.*

R. IV. Ultimo removetur Irregularitas per diſpenſationem. Omnes Irregularitates removere valide poteſt S. Pontifex quamvis illicite diſpenſare ſine cauſa. Difficiliter diſpenſare ſolet in Bigamia, cum ſit ab Eccleſiæ exordio introducta; ſicut & in Irregularitate contracta ex homicidio, cum indecentiam quam maxime ſtatui Clericali contrariam afferat.

Epiſcopi habentes Diœceſim poſſunt diſpenſare cum ſuis Subditis in omnibus Irregularitatibus provenientibus a delicto occulto, & quæ deductæ non ſunt ad forum contentioſum, excepta Irregularitate proveniente ex homicidio voluntario: *Trid. ſeſſ. 24. c. 6. de reform.*

Prælati Regulares poſſunt reſpectu ſuorum Subditorum, quod Epiſcopi reſpectu ſuorum, in ordine ad diſpenſandum ab Irregularitatibus, ut probant authores ex variis Conſtitutionibus SS. Pontificum. Immo addunt poſſe Confeſſarios Regulares diſpenſare cum Sæcularibus in omnibus Irregularitatibus, in quibus poſſunt diſpenſare Epiſcopi cum ſuis Subditis. Videatur inter alios *Anton. a Sp. S. in Direct. Regul. tr. 2. diſp. 3. n. 65.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

Multoties Confeſſarius liberare poſſet Pœnitentem ab incommodis petendæ diſpenſationis ſuper Irregularitate ſi præ manibus haberet non incurri Irregularitatem ab eo, qui committit aliquod delictum, cui annexa eſt, ſi ignoret, ſeu non advertat facere delictum prohibitum ab Eccleſia. Si audiat e. g. excommunicatum

Ordinis ſuſcepiſſa, ſtatim pronunciabit Irregularem. At non ſtatim ita judicet. Interroget, an crediderit illum id eſſe contra legem naturalem, val Divinam, ſeu, an inſuper ſciverit lege Eccleſiaſtica id fuiſſe prohibitum; ſi etenim hoc ignoravit, non eſt Irregularis. Si pätiter audiat aliquem delictum commiſiſſe homicidii, vel mutilationis, ſtatim pleno ore pronunciabit Irregularem. Difficiliter quidem Delinquens, maxime ſi ſit Clericus, ignorabit hoc non eſſe prohibitum etiam lege Eccleſiaſtica, at fortaſſe in rixa hoc non animadvertit; & cum inadvertentia, & ignorantia eoſdem præſteut effectus, poterit ab Irregulatitate excuſari. Pro foro autem externo debebit ſe gerere ut Irregularem, ſi delictum homicidii, vel mutilationis ſit publicum, & id ad evitandum ſcandalum.

Multo faciliorem viam adinveniet excuſandi Pœnitentem ab Irregularitate, ſi putet eam non habere locum, quoties etiamſi ſciatur lex Eccleſiæ prohibens ignoretur tamen aliquid prohibere ſub pœna Irregularitatis. Et quidem hanc opinionem dixi ſupra probabilem, & modo addo mihi tutam videri, quia cum DD. multi velint neceſſe eſſe etiam ſcire pœnam Irregularitatis, jam oritur dubium juris, an cum tali ignorantia locum habet Irregularitas: & in dubio juris omnino eſſe excludendam, conſtat ex dictis ſupra. Dum ergo agnoſcet Pœnitentem commiſiſſe delictum, cui annexa eſt Irregularitas, antequam illum moneat de neceſſitate petendæ diſpenſationis, primo interroget, an ſciverit, vel adverterit, illud etiam lege Eccleſiæ fuiſſe prohibitum. Quod ſi ex hoc motivo non poſſit illum excuſare, interroget deinda, an ſciverit fuiſſe prohibitum ſub Pœna Irregularitatis.

CAPUT II.

De Irregularitate proveniente ex homicidio injuſto, vel mutilatione.

Quid ſit homicidium voluntarium, cui annexa eſt Irregularitas; & qui ex eo contrahant Irregularitatem.

R. I. In præſenti illud dicitur homicidium voluntarium, quod perpetratur expreſſa, & ſpontanea voluntate occidendi; vel dum cauſa apponitur ita proxime cum morte conjuncta, ut impoſſibila ſit velle talem cauſam, & non velle mortem: ut ſi quis lethaliter aliquem vulneret, vel illi det mortiferum venenum: *Suar. diſ. 44 ſect. 3. n. 3. Palaus d. 6. p. 15. §. 1. n. 1.* Non dicitur autem in præſenti homicida Voluntarius, qui excedendo moderamen inculpatę tutelæ occidit Invaſorem, quia non videtur habuiſſe ſpontaneam occaſionem occidendi, ſed veluti neceſſariam ex occaſione ſibi data ab Invaſore. Item qui voluntatem habuit ſolum leviter vulnerandi, & præter intentionem graviter vulneravit. Demum multi excuſant ab homicidio voluntario illum, qui in ſubita rixa hominem occidit; nam ex jura ad homicidium voluntarium videtur requiri, quod committatur ex propoſito, dolo, inito conſilio, ſive per inſidias, & induſtriam; *&c. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. de refor. c. ſicut dignum de homic.* §. 2. Hujuſmodi autem non verificantur in eo, qui hominem occidit in rixa inopinata: *Anton. a Sp. S. tr. 2. diſ. 3. ſect. 2. n. 67.*

Homicida voluntarius ex jure eſt Irregularis, *ex c. 1. de homic. & diſt.* 50. per plura capita: item *ex Trid. ſeſſ. 14. c. 7. de refor.* Immo, quamvis Epiſcopi ex eodem *Trid. ſeſſ. 24. c. 6. de refor.* poſſint abſolvere ab omnibus caſibus, & cenſuris occultis, & diſpenſare in occultis Irregularitatibus, excipit homicidium voluntarium, licet ſit prorſus occultum. An vero poſſint in hujuſmodi Irregularitate diſpenſare Prælati Regulares, conſule *Anton. a Sp. S. in direct. tr. 2. diſ. 1. n. 80. &c.* qui hanc facultatem illis concedit etiam quoad homicidium publicum, maxime perpetratum ante ingreſſum in Religionem.

R. II. Ulna Homicidam, primo contrahit Irregularitatem mandans homicidium: *c. ſicut dignum, c. ſignificaſti de homic. c. 2. de Cler. pugnant. in duell., & can. ſi quis viduam 8. diſt.* 50. Nec refert mandatarium ab initio mandatum repudiaſſe, ſi poſtea, non revocato mandato; homicidium ſequatur; quia mandatum vere influxit in homicidium. Aliæ difficultates circa mandantes videri poſſunt *tr. 4. q. 1. cap. 4.*

Secundo, contrahit Irregularitatem, qui conſulit homicidium, ſi ex vi talis conſilii perpetretur: *c. ſicut dignum de homic., c. ſignificaſti ibid. & cap. ſi quis in viduam diſt.* 50.

Tertio, contrahunt Irregularitatem omnes cooperantes efficaciter ad homicidium; cooperator enim voluntarius eſt cauſa directa homicidii: *c. ſicut dignum, & c. ſignificaſti de homic.* Si proinde plures communi conſilio, & conſenſu concurrant ad homicidium, omnes fiunt Irregulares, quia cenſentur una cauſa moralis; tum quia de facto tunc omnes ad homicidium concurrunt vel conſulendo, vel ſua præſentia audaciorem reddendo illum, qui occidit, vel timidiorem illum, qui occiditur: *D. Th. 2. 2. q. 6. a. 7., Suar. diſ. 44. ſect. 3. n. 33. & diſ. 45. ſect. 3. n. 9., Bonac. q. 4. p. 8. n. 29.* Non eſt autem ita dicendum de eo, qui ratum habet homicidium ſuo nomine factum; nam in jure non habetur fieri Irregularem, qui ſolum ratum habet homicidium, ſicut vult eſſe excommunicatum ratum habentem homicidium Clerici ſuo nomine factum. Cum ergo jus imponens Homicidæ Irregularitatem, loquatur de Homicida vere in homicidium influente, hinc eſt hanc pœnam non eſſe extendendam ad eum, qui ſolum ratum habet homicidium ſuo nomine factum: *Suar. n. 24., Gibal. q. 2. conſect. 15., Bonac. diſ. 7. n. 42.*

Q. II. Quando incurratur Irregularitas ex voluntaria mutilatione membrorum.

R. I. Sicut ad homicidium voluntarium requiritur expreſſe directa, & ſpontanea volantas occidendi, ita tunc erit *voluntaria* mutilatio, quando quis expreſſe, & directe vult ſibi, vel alteri membrum amputare; & ex hac mutilatione incurritur Irregularitas *ex Clem. unic. de homic., & c. 1. de Cler. pugnant. in duell.*

R. II. Tunc conſurgit Irregularitas propter membri mutilationem, quando abſcinditur membrum proprie dictum, hoc eſt, quando abſcinditur membrum, quod in corpore habet officium proprium diſtinctum ab aliis membris, ut ſi abſcindatur pes, manus, eruetur oculus &c. Ratio eſt, quia cum ſimus in pœnalibus, debet membrum ſumi in ſtrictiori ſignificatione, adeoque intelligere debemus de membro habente proprium actum diſtinctum ad actu aliorum membrorum, ut innuit etiam Apoſtolus 1. *ad Cor.* 12. Hinc etiam in jure mutilatio digiti non dicitur mutilatio membri, ſed partis; *leg. item Ophilius ff. de edilit. edict.* Huic opinioni contra alios ſuffragantur quamplures Teologi: *Pal. diſ. 6. p. 15. §. 1. nu. 4., Hurtand. de Irregul. diſſ. 5. n. 18., Gibal. c. 4. q. 1. n. 7. Bonac. q. 4. p. 8. n. 3.*

Juxta hanc opinionem non eſt Irregularis, qui alteri abſcinderet digitum, cartilaginem, quæ circa aurem eſt; ſive naſum; nam remanerent membra, ſive ſenſus habentes proprium actum, quamvis deformati. Hoc autem non verificatur, dum quia ſibi abſcinderet digitum ſive partem digiti; nam tunc fieret Irregularis *ex can. qui partem diſt.* 55. cum majus delictum videatur intervenire, dum quis ſeipſum, quam alios etiam in parte modica obtruncat: *Reginal. l. 3. t. 12. c. 5., Leand. de Irreg. diſp. 2. q. 31. &c.* aliique apud ipſum. Quamvis autem non deſint, qui putent non eſſe mutilationem inducentem Irregularitatem abſciſſionem utriuſque teſticuli, ut videre eſt apud *Bonac. diſp. 7.*; nihilominus contrarium videtur dicendum: nam habent propriam operationem, ſeminis nempe efformationem. Quod ſi loquamur de unius tantum abſciſſione, tunc vera eſſe poteſt contraria ſententia, quia unum non haber officium ab alio diverſum, ſed utrumque concurrit ad idem munus: *Palaus diſp. 6. p. 15. §. 1. n. 4.*

Cæteram advertendum, quod cum Jus Irregularitatem, de qua in præſenti, non appoſuerit, niſi injuſtæ mutilationi, non eſt dicendus Irregularis, qui alterum abſque mutilatione ita deformaret, ut fieret Irregularis. Hoc idem non improbabiliter dicitur de eo, qui alteri membrorum ita debilitaret, ut omnino mortuum remaneret. Quamvis etiam hoc æquiparari poſſit mutilationi, cum tale membrum omnino remaneat inutile; nihilominus non verificatur in rigore adfuiſſe mutilationem, ſive obtruncationem: *Palaus n. 5., Bonac. de Irreg. diſp. 7. q. 4. p. 8. n. 11.* Quia tamen non deſinit eſſe probabilis contraria opinio, qua dicitur membrum ita debilitatum, ut mortuum permaneat, jam mutilatum reputari, ut inter alios docet *Suar. diſp. 44. ſect. 2. n. 11.*, hinc eſt, abſcindantem poſtea tale membrum non eſſe reputandum Irregularem. Advertendum etiam, hanc Irregularitatem incurri non ſolum a mutilante; ſed a mandante, etiam conſulente, & efficaciter cooperante ad mutilationem ex juribus ſupra citatis. Verum tamen, eſt quod ab hac Irregularitate, ſemper cum delictum ſit occultum, poteſt Epiſcopus diſpenſare; nam ſolum a Tridentino *ſeſſ. 22. de*

reform. c. 6. negatur iſli facultas diſpenſandi in Irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, quamvis occulto; & cum hæc exceptio ſit odioſa, non eſt extendenda ad alia occulta delicta inducentia Irregularitatem. *Anton. a Spir. S. in Direct. Regul. tr. 2. diſp. 3. n. 63.*

Q. III Quale ſit homicidium, ſeu mutilatio caſualis; & quæ ex eis proveniat Irregularitas.

R. Homicidium, & mutilatio caſualis interveniunt, quando quis abſque voluntate, & intentione hominem occideret, & mutilaret. Et quidem, dum id evenit abſque gravi culpa, nulla eſt Irregularitas ex delicto, de qua in præſenti; nam tanta pœna correſpondere non poteſt culpæ ſolum veniali, adeoque multo minus incurritur ſine culpa: *Suar. diſp. 45. ſect. 5. n. 8.*

Item non poteſt eſſe quæſtio, ſi mors, vel mutilatio eveniant, dum quis dat operam rei licitæ, ſed adhibet ſufficientem diligentiam ad impediendum homicidium, vel mutilationem: nam, hac poſita diligentia, nulla intervenit culpa, adeoque non poteſt induci Irregularitas: *D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 8. ad 3., Bonac. diſp. 7. q. 4. p. 7. n. 8.* Qui proinde reficiendo tectum appoſuit ſignum, ut a tranſeuntibus omne damnum evitetur, & nihilominus lapide, vel tegula tranſeuntem occidit, non eſt Irregularis. Idem dicendum de Medico, qui ſufficientem diligentiam adhibuit, ne Infirmus moreretur, & nihilominus obiit ex aliqua medicina, quam putabat profuturam. Secus dicendum eſſet, ſi quis exerceret aliquam actionem etiam licitam ex ſe, ſed nihilominus eam exerceret non ſufficienter præcavendo alterius mortem, vel mutilationem, ut ſi quis aſcenderet equum ferocem, quem non poſſet ſufficienter cobibere, videns ſe exponere periculo aliquem occidendi.

Pariter non eſt quæſtio, an fiat Irregularis, qui dat operam rei illicitæ, ſed quæ non eſt periculoſa, nec inductiva mortis, vel mutilationis, ſi forte accidat aliquem occidere. Cum igitur in tali caſu homicidium non ſit voluntarium in ſe, cum non fuerit præviſum, nec in ſua cauſa, cum non ſupponatur inductiva homicidii, non eſt quare quis dicendus ſit Irregularis, ſi forte homicidium ſequatur. Idem dicendum, ſi præviſum fuit ex tali actione aliquale periculum homicidii, & adhibita eſt omnis diligentia ad illud præcavendum; ut ſi dum quis commiſit famulo aliquid furari, vel rapere mulierem, adhibet omnem diligentiam ab homicidium, ſeu mutilationem impediendam: *Suar. diſp. 45. ſect. 6. nu. 9. Pal. diſp. 6. p. 15. §. 4. n. 5.* Nec refert dicere in jure excipi a contrahenda Irregularitate propter homicidium caſuale ſolum eos, qui dant operam rei licitæ, & adhibent ſufficientem diligentiam ad homicidium præcavendum: *cap. Joannes cap. Dilectus, & cap. ult. de homicid.* Contra enim eſt, quia, cum ideo dans operam rei licitæ excipiatur, quia ſi adhibuit diligentiam ad malum præcavendum, homicidium nullo pacto eſt illi voluntarium, ut conſtat *ex Clem. unic. de homic.* ſequitur & excipiendum eſſe, qui dat operam rei illicitæ, ſed de ſe non inductivæ mortis, maxime ſi diligenter ſe habuit in impediendo homicidio, dum vel leviter de ipſo timuit.

Quæſtio ergo reduci poteſt ad hoc, an nempe Irregularitas incurratur, quando homicidium ſequitur, quia quis dat operam rei illicitæ, quæ ſit periculoſa. In qua quæſtione quamvis non pauci teneant ſententiam affirmativam, melius tamen reſpondetur diſtinguendo. Si igitur actio quamvis illicita, & periculoſa, nihilominus talis ſit, ut raro ex ea mors eveniat, vel mutilatio, tunc ex homicidio, quod forte ſequatur, non fiet quis Irregularis. Ratio eſt, quia, jam ſupponitur non eſſe directe volitum, item nec indirecte, ſi adhibita eſt diligentia ad impediendum malum, quod ex ea aliquando ſequitur. Hinc ſi Clericus incumbat venationi ſibi prohibitæ, quamvis det operam rei illicitæ, & aliquando periculoſæ, non fit Irregularis, ſi occidit forte pertranſeuntem &c. Excipiendi tamen ſunt ab hac doctrina Clerici in Sacris conſtituti, vel Monachi, qui artem Chirurgiæ exercerent per inciſionem, vel aduſtionem; nam quamvis ita inciderent, aut adurerent, ut ordinarie mors non ſequatur, nihilominus ſi ſequatur, fiunt Irregulares ex ſpeciali juris diſpoſitione: *cap. ſententiam ſanguinis, ne Clerici, vel Monachi.*

Remanet ergo, ut excuſari non poſſit ab Irregularitate, qui actiones adeo periculoſas exercet, ut raro fieri ſoleant ſine homicidio, vel mutilatione, eo etenim ipſo, quod quis tales actiones exerceat, facto ipſo demonſtraret velle ipſum homicidium, vel mutilationem; ac illud principium juris verificatur: *Qui dat cauſam damni, damnum dediſſe videtur.* Hinc Irregularis cenſendus, qui ex eo, quod Bombardam in arcem exploderit, aliquem occidit. Idem puto dicendum de eo, qui mandat, vel conſulit Petro, ut Paulum occidat, ſi e contra ex hoc accidat, ut ipſe Petrus occidatur, dummodo tamen probabiliter timuerit ipſum Petrum periculo mortis exponere; *Suar. diſp. 44. ſect. 3. n. 17. Coninch. diſp. 18. dub. 88. n. 66. &c.* Pariter eſſet Irregularis, qui prævidens, in ebrietate ſe aliquem occiſurum, adhuc voluntarie ſe inebriat, & exinde mors alicujus ſequitur.

Non pauci extendunt hanc Irregularitatem ex homicidio caſuali etiam ad illum, qui tenetur ex juſtitia impedire homicidium, & non impedivit. Dixi qui tenetur ex juſtitia, nam ſi ſolum impedire teneatur ex charitate, communiter docent, non fieri Irregularem, quia non poteſt niſi latiſſime dici homicida, cum homicidium proprie ſit contra juſtitiam: *Molin. tr. 3. diſp. 33. membr. 5., Suar. diſp. 45. ſect. 4. num. 5., Bonac. diſp. 7. q. 4. p. 8. n. 37.* Nec refert quod videatur occidere qui potuit liberare, & non liberavit, ut dicitur *c. ſicut dignum de homic.*, nam ſi non tenebatur liberare ex juſtitia, ſolum in lata, & impropria acceptione dicitur homicida. At puto excuſari poſſe ab Irregularitate etiam illum, qui tenebatur ex juſtitia impedire, & non impedivit; nam apud S. Canones non ſatis conſtat hujuſmodi cauſam moralem incurrere Irregularitatem, ſed ſolum occidentem, mandantem, conſulentem, & omnem poſitive influentem in homicidium; porro non eſt admittenda Irregularitas, ni ſit in jure expreſſa: *Hurtad. de Irregul. diſp. 2. diffic. 9. num. 34. Anton. a Spir. S. diſp. 2. n. 298. aliique apud ipſum.*

Cæterum, cum Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 7. de reform.* diſtinguat inter homicidium voluntarium, & caſuale, & *ſeſſ. 24. c. 6. de ref.* ſolummodo neget Epiſcopis poteſtatem diſpenſandi in Irregularitate proveniente ex homicidio voluntario etiam occulto, conſequens eſt non illis adimere hanc facultatem reſpectu Irregularitatis provenientis ex homicidio caſuali occulto, ſicut poſſunt diſpenſare in omnibus aliis Irregularitatibus ex occultis delictis provenientibus; Immo cum *ex cap. ad audientiam l. 2. de homic* poſſint Epiſcopi diſpenſare in ordine ad recipiendos Ordines Minores, & ſuſcipiendum Beneficium ſimplex, etiam quando delictum eſt notorium, non incongrue multi Theologi docent, hanc facultatem non eſſe illis ablatam a Tridentino: *Anton. a Spir. S. in Direct. Reg. tr. 2. diſp. 3. ſect. 2. n. 67.* aliis citatis.

Q. IV. Quando incurratur Irregularitas ob homicidium, ſeu mutilationem factam ob defenſionem.

R. Non eſt dubium immunem eſſe ab Irregularitate, qui alterum mutilat, vel occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc eſt, quia ita neceſſarium erat ad ſui defenſionem, ut patet *cap. ſignificaſti 18. §. fin. de homic. & ex Clem. ſi furioſus de homic.* Sicut e contra excedens cum culpa gravi moderamen inculpatæ tutelæ, clarum eſt fieri Irregularem ex delicto, & conſtat ex Clementina citata, ubi excuſatur ab Irregularitate ſolum, qui mutilat, vel occidit ob neceſſariam ſui defenſionem: quod habetur etiam *can. de his 6. & can. ſi quis 8. diſt. 50.* & ex *Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. de reform.* ac jura ſolummodo loqui de exceſſu in ſui defenſionem, notat Gloſſa in citatos Canones, & ex communi *Barboſa de Offic. & Poteſt. Epiſc. alleg. 30. n. 54.* Dixi incurrere Irregularitatem qui cum culpa gravi moderamen Inculpatæ tutelæ excedat in ſui defenſionem, nam Irregularitas, cum ſit pœna graviſſima, correſpondere haud poteſt niſi gravi delicto.

Excuſatur etiam ab Irregularitate qui occidit, vel mutilat aliquem ob defendendam vitam, vel membra Innocentis, nam qui ita occidit &c. non fit Irregularis ex delicto, cum exerceat opus Charitatis; neque ex defectu lenitatis, nam hic intervenire non poteſt, niſi quis mutilet, aut occidat tanquam Juſtitiæ Miniſter, ut dicam infra: *Barboſ. in Clem. ſi furioſus num. 19., Suar. de Cenſ. diſp. 46. ſect. 3. n. 2. & 3.*

Pariter excuſari poteſt ab Irregularitate, quidquid in contrarium ſentiant non pauci DD., qui aliquem occidit, vel mutilat ob neceſſariam defenſionem bonorum temporalium magni momenti. Ratio jam allata eſt, quia nempe hic non intervenit occiſio, ſeu mutilatio, quæ inducat Irregularitatem ex delicto, ſicut nec ex defectu lenitatis, ut conſtat ex dictis paulo ante *Barboſ. n. 20. Suar. de Cenſ. diſp. 46. ſect. 2. n. 10. Palaus de Cenſ. diſp. 6. p. 15. n. 7. & ſeqq.* Vide quæ de occidente cum moderamine inculpatæ tutelæ dicam in quintum Decalogi præceptum.

Solent hic inquirere Theologi, an fiat Irregularis il-

le,

le, qui alterum ita provocavit, ut abeo fuerit aggreſſus, ſi tunc ob ſui defenſionem aggredientem vel mutilet, vel occidat. In hoc autem caſu puto eſſe diſtinguendum. Vel igitur qui alterum provocavit verbis contumelioſis, ſeu facto, accedendo e. g. ad uxorem alicujus, prævidit facillime ſe fore aggrediendum, & tunc pro ſui defenſione aggreſſorem eſſe ab eo occidendum, & in tali caſu illum non excuſarem ab Irregularitate; nam dedit operam rei illicitæ, quam prævidit facile poſſe eſſe periculoſam, & mortis inductivam. Si vero non prævidit ſe fore aggrediendum, tunc excuſari poteſt ab Irregularitate, ſi Aggreſſorem mutilet, vel occidat, in neceſſariam ſui defenſionem. *Suar. diſp. 46. ſect. 1. n. 12. &c.*

Porro etſi homicidium commiſſum in ſui defenſionem ſit graviter culpabile; vel quia non ſervetur moderamen inculpatæ tutelæ, vel quia aliquis dederit illi culpabiliter cauſam; nihilominus reducitur ad homicidium caſuale, adeoque poteſt in ejuſdem Irregularitate diſpenſare Epiſcopus, ut dixi ſupra.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. In præſenti materia ſemper præ oculis habeat Confeſſarius illud principium, quod nempe in dubio juris non eſt admittenda Irregularitas, atque hoc dubium utique conſurgere, quando DD. pro parte negativa, non ſine rationabili fundamento, ſuam ſuſtinent opinionem. Ex hac ratione reflexa certum eſt non eſſe Irregularem, qui abſcindit membrum alterius, quod peculiare non habet officium, ut ſi dignum abſcindat; quia alterius membrum peculiare habens officium non abſcindit, ſed inutile, & mortuum reddit; qui omittit defendere Innocentem, ad cujus defenſionem ex juſtitia tenebatur; qui occideret injuſtum invaſorem rerum temporalium gravis momenti, quia alio pacto non poſſet illas liberare &c. in his caſibus, cum non ſine gravi fundamento ſuſtineant DD. non habere locum Irregularitatem ex homicidio ſive voluntario, ſive caſuali, ut dictum eſt capite ſuperiori, verum dubium juris conſurgit, an inducenda ſit Irregularitas, adeoque omnino eſt excludenda, nec Confeſſarius, attenta hac ratione reflexa, debet Pœnitentem inquietare propter authoritatem, & rationes contrariæ ſententiæ. Idem dicendum in omnibus particularibus caſibus, in quibus hinc inde gravi ratione diſputatur; an inducenda ſit Irregularitas.

II. Moneat Confeſſarius Sacerdotes, alioſque Clericos Infirmis aſſiſtentes, ne propter timorem Irregularitatis, Infirmo e.g. ſiti æſtuanti aliquid bibendum denegent; neque renuant illum revolvere, ſive in aliud latus vertere, ut ſolatium aliquod accipiant. Non deſunt vel Ignorantes, vel ſcrupuloſiores Sacerdotes, qui ex eo quod timeant mortem Infirmo accelerare, ac ſeipſos Irregularitate innodare, omnino abhorreant a præſtandis his Charitatis officiis. Cum igitur hæc præſtando, incumbant rei licitæ, & quando etiam ſequeretur aliqualis mortis acceleratio, jubeat Charitas, ut in tanto angore Infirmi non relinquantur, hinc eſt, non eſſe ab eis pertimeſcendam pœnam Irregularitatis. Immo non deſunt Theologi, qui dicant nec habere locum Irregularitatem, etſi hujuſmodi fierent animo mortis accelerandæ, quam actio externa, cui correſpondere debet Irregularitas ex delicto, mala non eſt.

E contra Confeſſarii moneant Sacerdotes, & Clericos ne temere e ſuo cerebro medicamenta præbeant Infirmis, vel ea varient contra præſcriptum Medici; nam tunc darent operam rei illicitæ; unde facillime fierent Irregulares, ſi ſequeretur mors vel notabiliter acceleraretur. Idem dicendum, ſi Infirmo ſitienti tribuerent immoderatum hauſtum aquæ, quando ob ejus debilitatem timere quis poſſet illi graviter nociturum.

III. Si accidat aliquem occidere ſuum Invaſorem, non omnino ſervato moderamine inculpatæ, tutelæ, Confeſſarius non ſtatim illum pronunciet Irregularem. Diligenter illum interroget, & videat, an graviter cognoverit exceſſiſſe; nam ſi ex iræ impetu, vel inopinato eventu non cognovit graviter excedere, cum non peccaverit graviter, neque incidit in Irregularitatem.

CAPUT IV.

De Irregularitate ex aliis delictis proveniente, nempe ex reiteratione Baptiſmi, violatione Cenſurarum, illegitima Ordinum ſuſceptione, & Infamia.

Q. I. QUando ex reiteratione, vel indigna ſuſceptione Baptiſmi incurratur Irregularitas.

R. I. Ex diverſis juribus, qui ſcienter rebaptizatur, incidit in Irregularitatem: *can. confirmandum diſt. 50. can. Afroſius diſt. 98. can. quibus de conſecr. diſt. 4.* Idem dicendum de eo, qui ſcienter rebaptizat: *cap. ex literarum 2. de Apoſtatis*, nam ſi ex hoc capite fit Irregularis Acolythus aſſiſtens miniſterio rebaptizationis, multo magis hoc dicunt omnes DD. de miniſtro rebaptizante. Ut autem habeat locum Irregularitas, primo rebaptizatio debet eſſe publica, & ſolemnis; ut colligitur ex citato capite *ex literarum*; & juxta eum intelligendi ſunt alii textus, in quibus aſſignatur Irregularitas pro rebaptizatione: *Pal. diſp. 6. p. 16. n. 3. Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. cap. 2. n. 1.* Secundo, rebaptizatio debet eſſe graviter culpabilis nam hæc Irregularitas nonniſi ex delicto inducitur, adeoque non incurritur, ſi abſit delictum; ut ſi quis cum ignorantia invincibili rebaptizetur, vel ſi fuit rebaptizatus antequam perveniret ad ætatem doli capacem. Ita igitur ex Gloſſa intelligendus eſt textus *in can. qui qualibet 1. q. 7. & can. quibus de conſecr. diſt. 4.* atque ita ſentiunt communiter DD.

Item pro foro conſcientiæ non fieret Irregularis, qui ex gravi metu rebaptizaretur, ſed ſine animo ſuſcipiendi Baptiſmum, vel qui ſine tali animo rebaptizaret; nam non eſſet vera, ſed ficta rebaptizatio.

Pro reiteratione aliorum Sacramentorum, quæ alias non poſſunt reiterari, nulla oppoſita eſt in jure Irregularitas, adeoque non eſt admittenda ex illo communi principio, quod nulla eſt inducenda Irregularitas, niſi ſit in jure expreſſa. Cæterum hæc Irregularitas ſolum impedit aſcenſum ad alios Ordines non vero in jam ſuſceptis miniſtrare; nam ſolus primus effectus in jure aſſignatur; *Bonac. diſp. 7. q. 3. p. 3. n. 1. & 7.*

R. II. Ex indigna receptione Baptiſmi primo fit Irregularis, qui libere, & abſque ulla neceſſitate illum recipit ab Hæretico ſic declarato: *can. ventum eſt 1. q. 1. can. qui in qualibet 1. q. 7.* Secundo, qui differt receptionem Baptiſmi uſque ad infirmitatem, & periculum mortis: *can. ſi quis diſt. 57.*

Q. II. Quando contrahatur Irregularitas ob Cenſurarum violationem.

R. Ob cenſuras violatas incurri Irregularitatem clarum eſt in Jure. Et quidem de excommunicato actum Ordinis exercente, habetur *can. ſi quis Epiſcopus 2. 11. q. 3. & cap. ult. Cler. excomun. miniſtr.* De ſuſpenſo exercente actum Ordinis vel Ordini annexum, a quo eſt ſuſpenſus, habetur *cap. 1. de ſent. & re judic. in 6. cap. 1. de ſent.* excom. *cap. Apoſtolicæ de Cler. excom. miniſtr.* De eo vero qui interdictus, vel tempore Interdicti exercet actum Ordinis Sacri, ſeu illi annexum *cap. is qui §. Is vero, & cap. is qui de ſent. excom. in 6.*

Ut autem ex violatione Cenſurarum contrahatur Irregularitas, oportet exercere actum Ordinis Sacri ea ratione, qua poteſt exerceri ſolum ab eo, qui eſt in Ordine Sacro conſtitutus. Et quamvis, attento rigore juris, fieret Irregularis etiam, qui dum eſt excommunicatus exerceret ſolemniter, & ex officio actus Ordinis Minoris; nihilominus invaluit in contrarium conſuetudo: *Bonac. diſp. 7. q. 3. p. 5. n. . Gabal. c. 2. q. 1 conſect. 14. & 15. n. 32 &c.* Non fieret proinde Irregularis, qui cum ſit excommunicatus, aſſiſteret Matrimonio, ſi nuptias non benediceret, qui concionaretur, qui ſolemniter caneret Divina Officia nam per hæc actus Ordinis non exercentur. Aliud dicendum eſt, ſi gerendo munus Hebdomadarii in Capitulo, caneret orationem cum *Dominus vobiſcum*, nam hic actus ex conſuetudine proprius eſt ſolius Presbyteri, vel Diaconi.

Præterea ad incurrendam Irregularitatem ob violatas cenſuras, neceſſe eſt cenſuratum ſcienter actum Ordinis exercere, quia talis pœna impoſita eſt ob cenſurarum contemptum. Quod ſi aliquis dubitaverit in cenſuram incurriſſe, debet per opinionem probabilem dubium deponere, ſi nolit incurrere Irregularitatem; nam ſemper cum dubium ita deponit, non peccat, ac proinde non poteſt incurrere Irregularitatem ex delicto, etſi poſtea adinveniat ſe fuiſſe cenſura innodatum: *Suar. diſp. 11. ſect. 3. n. 7.*

Q. III. Quando incurratur Irregularitas ob illegitimam Ordinum ſuſceptionem, vel uſurpationem.

R. I. Ob illegitimam Ordinum ſuſceptionem ex jure contrahitur Irregularitas in ſequentibus caſibus. Primo, dum quis abſque examine, & approbatione Epiſcopi, furtive Ordines recipit, nam hic prohibetur ad alios aſcendere: *cap. 1. de eo, qui furt. ordin. ſuſcipit.* Secundo; ſi quis eodem die abſque legitima diſpenſatione duos Ordines ſuſcipiat, quorum alter ſit ſacer: *cap. 2. & 3. ibid.* Tertio, ſi quis poſt matrimonium ratum, ante illius conſummationem, recipiat Ordinem Sacrum, vivente, & renitente Uxore; *Extra. Antiquæ devot.* Alios caſus in jure non repetio, ex quibus contrahatur Irregularitas ob illegitimam Ordinum ſuſceptionem, quamvis in pluribus aliis caſibus qui illegitime ordinatur, remaneat ſuſpenſus: *Suar. diſp. 42. ſect. 3. n. 5. Coninch. diſp. 18. dub. 5. n. 43.*

R. II. Ob illegitimam Ordinis uſurpationem fit Irregularis Clericus, qui uſurpat Ordinem Sacrum, quem non habet, miniſtrando in eo; *cap. 1. & 2. de Cler. non ord. miniſt.* Oportet eum tamen id facere ſcienter, ut nempe ſciat ſe non habere Ordioem, in quo miniſtrat, & inſuper in eo miniſtrare cum iis ſolemnitatibus, quæ ſolum adhiberi poſſunt ab iis, qui habent illum Ordinem, ut ſi canatur Epiſtola cum manipulo, quod eſt proprium Subdiaconi, Evangelium cum ſtola quod Diaconi eſt proprium, ſeu baptizet cum ſolemnitate, quod eſt proprium Presbyteri. Bene autem dici poteſt, hanc Irregularitatem ſolum iocurri a Clerico miniſtrante in Ordine Sacro, quem non habet, non vero a Sæculari, quia S. Canones ſolum loquuntur de Clericis, ut conſtat ex titulo *de Cler. non ordin. miniſtr. Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 3., Bonac. diſp. 7. q. 3. p. 6. n. 1.*

Q. IV. Quid ſit Infamia, & quotuplex; & quando ex ea inducatur Irregularitas.

R. I. Infamia eſt privatio, ſeu diminutio bonæ famæ, & ex jure civili dici poteſt: læſæ dignitatis ſtatus, vita, & moribus reprobatus: *leg. cognitionem 5. §. 2. ff. de extraord. cognit. Fagn. in cap. veniens n. 31. de cohabit. Cler. & Mulier.*

R. II. Infamia alia eſt juris, alia facti, Infamia facti accidit, quando quis tale aliquid facit, ut ejus bona æſtimatio apud viros honeſtos, & probos graviter lædatur, quamvis a jure expreſſe illud crimen non notetur aliqua infamia, nec per ſententiam irrogetur: *arg. leg. neque famoſis 2. C. de dignit.* Hinc autem fit, etiam ea crimina, quæ ex jure infamiam inducunt, ut Hæreſis, Simonia, Homicidium &c. de quibus *cap. ex tempore de tempor. ordinat., cap. fin. eod. tit.*, dici etiam inducere infamiam facti, nam ſtatim ex facto ipſo graviter læditur bona fama Delinquentis.

Infamia juris ea dicitur, quæ a jure infligitur in certa crimina committentes. In aliquibus delictis ad contrahendam hanc infamiam requiritur ſententia definitiva Judicis, quæ tranſeat in rem judicatam. Ita ſe habet crimen læſæ Majeſtatis Divinæ, & humanæ, adulterii, proditionis, rapinæ, homicidii: *Inſtit. de public. judic. leg. 1., & leg. Infamem ff. eod. tit.* Eadem infamia laborat, qui ob criminis notorietatem publica pœna fuit damnatus ad triremes, flagellationem, perpetuum, vel valde diuturnum carcerem; nam hujuſmodi pœnæ inducunt infamiam juris: *leg. fuſtibus C. ex quibus cauſis infamia irrogetur, leg. ictus ff. de his qui notantur infam.* Ad hanc eamdem infamiam reducitur confeſſio facta in judicio de crimine, cui infamia annexa eſt, nam tunc fit publicum publicitate juris.

Alia eſt infamia juris, pro qua non eſt neceſſaria ſententia definitiva Judicis, ſed ad ſummum ſententia declaratoria delicti; & hæc contrahitur, quando committitur crimen, cui jus civile, vel canonicum infamiam conſtituit. Ex jure civili ipſo facto contrahunt infamiam ſequentes perſonæ. Viri, ſive fœminæ quæſtuat a proſtitutione lenocinium exercentes: *leg. Athletas 4. §. 2. ff. de his qui notantur infam. leg. palmam 42. ff. de rit. nupt.* Qui locant operam ſuam ad pugnandum cum beſtiis: *leg. 1. § 6. ff. de poſtul.* Qui quæſtus cauſa deſcendunt ad privatum certamen, etiam cum homine: *l. quod ait. 2. §. 1. ff. de his quæ notant. infam.* Qui ex eodem quæſtu agunt hiſtriones, ac turpes ludos; *ibid. §. fin.* Qui eodem tempore contraxerunt bina ſponſalia, vel binas nuptias: *leg. quid ergo 13. ff. eod. tit.* Qui cum poſſint, non obſervant contractum promiſſorium, factum appoſito juramento: *leg. ſi quis major 41. C. de tranſact.* Hæretici: *Authent. Gazaros C. de Hæret.* Uſurarii manifeſti, & uſuras uſurarum exigentes: *l. improbum 20. C. ex quibus cauſ. infam. irrog.* Quamvis autem hi omnes ex jure civili infamiam contrahant, minus ſunt infames ex jure canonico, quia Canones admittunt infamiam jure civili inductam: *can. omnes 6. q. 1., can. infames 6. q. 1.* Excipe illos caſus, in quibus infamia jure civili inducta, ſublata eſt a jure Canonico; & ita *cap. ult. de ſecund. nupt.* ſublata fuit infamia reſpectu mulieris intra annum luctus nubentis; *l. 1. C. de ſecund. nupt.*

Pariter ex jure canonico multi ipſo facto ſunt infames. Tales ſunt convicti de furto, Apoſtatæ a Fide, contemnentes ſtatuta Eccleſiaſtica, ſacrilegi, inceſtuoſi, homicidæ, perjuri, qui in judicio juramentum mendacio confirmarunt, malefici, venefici, adulteri, Hæretici, eorumque receptatores, fautores, & defenſores, ſchiſmatici, blaſphemi, Simoniaci, omnes criminibus capitalibus irretiti, ac denique omnes exiſtentes in crimine notorio depoſitione digno; *can. infames 6. q. 1. can. illi ead. cauſ. & quæſt.* Ex Tridentino autem *ſeſſ. 26. cap. 6. de reform.* ſunt infames raptores mulierum, eorum fautores, & cooperatores, ſicut & deſcendentes in duellum, & eorum Patrini: *ſeſſ. 25. c. 19. de reform.* Aliis etiam criminibus tam jure civili, quam canonico aſſignatur infamia, de qua re DD. ſuo loco.

Non ſolum ex proprio, ſed etiam ex alieno delicto, ex jure aliquando oritur infamia. Ita ex jure reputantur infames filii, & nepotes eorum, qui in Cardinales violentas manus injecerunt: *cap. felicis de pœn. in 6.* Filii eorum qui damnati ſunt de crimine læſæ majeſtatis: *can. ſi quis 6. q. 1., & l. quiſquis C. ad leg. Jul. majeſt.* Filii etiam Meretricis, quamvis ſit conjugata, ſi Meretricium ſit notorium, Filii & nepotes, qui per lineam virilem ab Hæretico deſcendunt; non vero ſi nati ſint antequam Genitores in hæreſim laberentur: ſicut & Filii, non vero Nepotes, qui nati ſunt ex matre hæretica: *can. ſtatutum de hæret. in 6.*

Demum, Infames ſunt Hiſtriones, qui exhibent turpes repræſentationes: *leg. 1. & 2. ff. de his qui notantur infam. & can. definimus 4. q. 1.* Item non pauci volunt infamiam induci ex quibuſdam vilibus officiis, ut Carnificis, Macellarii, Tabernarii, Cauponarii &c. Verum bene advertunt alii ex jure his officiis infamiam non eſſe annexam, unde ex ea aliquis fiat Irregularis: *Pal. diſp. 6. p. 20. n. 6.*

R. III. Qui infamia laborant ſunt Irregulares: *can. infames 6. q. 1. can. qui in aliquo 51. diſt. can. teſtes 2. q. 7.* Et quidem in decenserat, ut ad munera Eccleſiaſtica admitterentur, qui famam ſui nominis aliquo crimine polluiſſent. Quamvis autem hæc Irregularitas & impediat Ordines ſuſcipere, & miniſtrare in receptis: *Bonac. diſp. 7. q. 3. p. 1. n. 4.* nihilominus non deſunt, qui velint ex infamia facti oriri impedimentum ad miniſtrandum in receptis, ſed ſolum ad Ordines recipiendos; *Azor. 2. p. l. 6. cap. 7. q. 3.* Advertendum tamen eſt, quod vel Irregularitas oriatur ex infamia facti, vel juris, delictum ex quo oritur, notorium eſſe debet vel facto, vel jure; nulla ſequitur famæ diminutio, ſeu infamia: *Suar. diſp. 45. ſect. 5. n. 17. diſp. 43. ſect. 4. & 5. Sanch. l. 2. Decal. c. 26. n. 1. Bonac. diſp. 7. q. 3. p. 1. n. 3.*

Solummodo non mediocris quæſtio eſt, an cum ex jure ſint Irregulares Hæretici: *cap. quicumque de Hæret. in 6. cap. ſtatutum 15. ibid. & can. ſaluberrimum 1. q. 7.* ſicut & iis credentes, eorumque receptatores, fautores, & defenſores: *cap. 2. §. Hæretici de hæret. in 6.* hujuſmodi Irregularitas contrahatur a prædictis, ſi eorum delicta ſint occulta, dummodo fuerint externa. Fateor non paucos ita affirmare, quia cenſent hanc pœnam annexam eſſe hojuſmodi delicto in ipſius deteſtationem. Verum probabilis eſt contraria opinio, aſſerens ex jure hæreſi annexam eſſe Irregularitatem ob infamiam, quæ exinde ſequitur; & ſi bene perpendantur jura, videntur loqui de hæretico publico: *arg. cap. ad abolendum de hæret. & can. ſaluberrimum cauſ. 1. q. 7.* Præterea diriguntur ad Paſtores, & Prælatos, ne Hæreticos ad Ordines admittant; adeoque ſignum eſt loqui de publica hæreſi: *Henric. l. 14. c. 4. n. 6. Laym. l. 1. t. 5. p. 5. c. 4. n. 12. Palaus diſp. 6. p. 19. §. 1. n. 2. Hurtad. diſp. 2. diff. 4. n. 14.* Sat autem eſt hanc opinionem eſſe certo probabilem, ut ex ea ſtare poſſimus pro excluſione Irregularitatis, cum odia ſint reſtringenda.

Q. V. Quomodo tollatur Irregularitas, quæ provenit ex infamia.

R. I. Infamia facti, ultra quam tollatur per Baptiſmum, removetur etiam per notoriam vitæ emendationem, ut de ſe conſtat. Ceſſante autem hac infamia per

emen-

Digitized by Google

emendationem, ceſſat Irregularitas: *can. ſi duo 15. qu. 6. Suar. diſp. 48. ſect. 2. n. 6. Bonac. diſp. 7. q. 3. p. 1. n. 5.*

R. II. Sicut aliæ pœnæ a jure, vel ab homine inflictæ ob crimen commiſſum, non removentur per pœnitentiam, aut emendationem, ita nec infamia inducta per legem, vel ſententiam; ſed ad Irregularitatem ex ea provenientem, removendam, neceſſaria eſt diſpenſatio. Quamvis autem indecens eſſet hoc facere, ni graviſſima cauſa urgeret, poteſt in ea Pontifex diſpenſare, & ſi infamia oriatur ex jure civili, poſſet Princeps ſæcularis Irregularitatem indirecte removere, auferendo infamiam inductam a tali jure: *Bonac. in 6.* Item infamia inducta per ſententiam Judicis poteſt tolli ab eodem, vel ipſius Superiore per novam ſententiam, priſtinam famam reſtituendo. Quamvis autem infamis admitti non poſſit ab Epiſcopo ad Ordines Sacros, poteſt tamen diſpenſare, ut peracta pœnitentia, miniſtret in jam ſuſceptis, ſi crimina ſint minora adulterio: *cap. at ſi Cleric. de Jud.*

Quæ poſſint Prælati Regulares circa diſpenſationem in Irregularitate, vide apud *Anton. a Spir. S. in Direct. Regul. tr. 2 diſp. 1.* & paucos caſus reperies, in quibus ſuos Subditos non poſſint diſpenſare.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Videat Parochus, ne temere, & abſque præmiſſa diligentia rebaptizet eum, quem dicunt fuiſſe baptizatum, vel ab obſtetrice, vel ab alio; nam ſi temere abſolute rebaptizaret, quem indubitanter poſtea ſciret fuiſſe baptizatum, fieret Irregularis. Verum quidem eſt, quod non incurreret Irregularitatem, ſi illum rebaptizaret ſub conditione; at non immunis eſſet a gravi culpa quoties etiam ſub conditione temere rebaptizaret.

II. Notet etiam Confeſſarius Irregularitatem incurrere, qui vere dubitans in aliquam cenſuram incidiſſe, adhuc non depoſito ex rationabili fundamento dubio, exercet actum Ordinis Sacri, ſi tamen vere poſtea advenerit in cenſuram incidiſſe. Id evenire poteſt reſpectu illius, qui dubitaret, an ex ſuo conſilio cauſatus fuerit abortus, percuſſus fuerit aliquis Clericus, violata fuerit Immunitas Eccleſiaſtica &c.

CAPUT ULTIMUM.

De Irregularitate proveniente ex defectu.

DEfectus, ex quibus oritur Irregularitas ſunt ſequentes. Defectus lenitatis, defectus Sacramenti, defectus Natalium, defectus Libertatis, defectus corporis, defectus Animæ.

Q. I. An ex defectu lenitatis contrahatur Irregularitas; & qui ex hoc defectu eam contrahant ratione occiſionis, aut mutilationis executæ ordine judiciario.

R. I. Ex defectu lenitatis, nempe ex eo quod aliquis concurrat ad homicidium, ſeu mutilationem licitam, contrahitur Irregularitas: *cap. Clerici, vel Monachi, cap. penult. de homic. cap. 1. de Cler. pugn. in duell. cap. in Archiepiſcopatu de raptor. Clement. ſi furioſus de homic.* Hos voluit Eccleſia Irregulares, quia carent lenitate, & manſuetudine, quæ debet eſſe in Miniſtro Chriſti, qui proprium Sanguinem pro nobis ſudit, oravitque pro Crucifixoribus.

R. II. Jura, dum inducunt Irregularitatem ex defectu lenitatis, loquuntur expreſſe de Miniſtris Juſtitiæ, quales ſunt Judex, Aſſeſſor Judicis, Promotor Fiſcalis, Procurator, Satellites, Comprehenſores, Accuſator, & Denunciator, ſi ex vi ſuæ accuſationis reus occidatur. Item jura loquuntur ſolum de iis, qui concurrunt ad probationem cauſæ criminalis, quales ſunt Teſtis, Accuſator, Advocatus, Procurator, Notarius. Nihilominus quoad hos omnes aliqua ſunt advertenda.

Quoad Judicem, advertendum eſt, Dominum Eccleſiaſticum habentem temporalem juriſdictionem poſſe regem ferre continentem pœnam mortis, etiamſi reus ratione illius occidatur: *can. Delatori 5. q. 6.* & ita ad mortem remote concurrendo non fit Irregularis. Item poteſt deſtinare Judicem, cui committat etiam morte Malefactores punire; hæc etenim conſequuntur ad juriſdictionem temporalem, quam illis permittit Eccleſia, ut habetur *ex c. ult. ne Clerici, vel Monachi in 6.* Fieret autem Irregularis ex defectu lenitatis, ſi ipſam ferret ſententiam, & juberet Judici a ſe conſtituto, ut eam exequeretur, quia tunc proxime ad talem mortem concurreret: *can. Tui a quibus 23. q. 8.* & communiter.

Prohibentur etiam Prælati, & Clerici temporalem juriſdictionem habentes ſub pœna Irregularitatis executioni mortis aſſiſtere: *cap. ex literis de exceſſ. Prælat. & cap. ſententiam ne Clerici, vel Monachi &c.*, & id, quia cum judicentur ſua præſentia, & authoritate præſtare auxilium executoribus ſententiæ, dicuntur ad eam cooperari. Cæterum Inquiſitores Hæreticæ pravitatis, omneſque illud Tribunal conſtituentes, ex privilegio ipſis facto, maximeque a S. Pio V. poſſunt abſque Irregularitate reum morte damnare, & inſtare apud Judicem ſæcularem pro ſententiæ executione.

In aliis caſibus, ſi Judex Eccleſiaſticus reum mortis a ſe degradatum tradat brachio ſæculari, benigne intercedendo, ne mutiletur, vel occidatur, nullam incurrit Irregularitatem: *cap. novimus de verbor. ſign.*

Quoad Aſſeſſores, & Conſiliarios advertendum eſt, illos fieri Irregulares, qui tales ſunt ex officio, & ſuo voto, vel conſilio aliquem ad mortem condemnant; *Suar. diſp. 47. ſect. 1. n. 4. Anton. a Spir. S. diſp. 2. n. 105.* Cæterum, non fieret Irregularis Juriſperitus, Theologus, vel Confeſſarius, qui ſi conſulatur a Judice, an aliquem debeat ad mortem damnare, reſpondeat hunc malefactorem in particulari, ſecundum jura eſſe morte plectendum. Ratio eſt, tum quia iſte non fit Irregularis ex delicto; ſupponitur enim ſecundum jura reſpondere; tum quia cum in Jure imponatur pœna Irregularitatis contra Miniſtros Juſtitiæ cognoſcentes, & exequentes ſententiam mortis, non poteſt extendi ad conſulentes, & mandantes, cum pœna contra facientes, ex notis principiis juris, non extendantur ad conſulentes; & mandantes: *Pal. diſp. 2. p. 14 §. 3. n. 7. Hurtad. diſp. 2. diffic. 11. n. 40.* aliique, quos ſequitur *Diana p. 3. tr. 5. reſol. 8.* Et quidem ſemper mihi viſum eſt ludere verbis, & inſuper incoherenter loqui, ſi admittatur ex una parte poſſe Confeſſarium interrogatum a Judice de aliquo Malefactore, poſſe, inquam, reſpondere, mortem eſſe condignam pœnam talis delicti, & ex alia non poſſe reſpondere, hunc particularem Malefactorem eſſe morte puniendum. Certe dum Judex petit conſilium in aliquo caſu particulari, non minus influit in mortem malefactoris reſpondere in generali Reum e. g. Aſſaſſinū eſſe ſuſpendendum, ac dicere, hunc particularem Graſſatorem, de quo Judex interroget, eſſe ſuſpendendum.

Quoad promotorem Fiſcalem, ſeu Advocatum agentem contra reum, nullum dubium eſt fieri Irregularem, ſi reus mutiletur, vel occidatur; quia ſunt inter principales Miniſtros Juſtitiæ, quos jus vult eſſe Irregulares. At advertendum eſt, poſſe fieri Irregularem etiam Advocatum, qui pro reo advocat, ſi ob ejus graviter culpabilem inſcitiam, vel negligentiam reus occidatur; tunc etenim in culpa eſſet homicidii caſualis.

Notarii, & ſcribæ dictantes, vel ex officio ſcribentes ſententiam, ſicut etiam recipientes depoſitiones teſtium, omnes fiunt Irregulares, morte, vel mutilatione ſequuta, cum omnes ſint Juſtitiæ Miniſtri; non vero famuli Notarii ſententiam tranſcribentes.

Quoad Accuſatores, & Denunciatores obſervandum eſt, quod ſi criminaliter aliquem accuſent de delicto morte digno, & ſequatur mors, non excuſantur ab Irregularitate, quamvis poteſtati fuerint, ſe non intendere illius mortem, vel mutilationem; nam criminaliter accuſando, vindictam nempe petendo, facto ipſo proteſtationem deſtruxerunt.

Si vero accuſent civiliter, hoc eſt, non petendo vindictam criminis quod ſit dignum morte, ſed reparationem damni ſibi illati, tunc ad evadendam Irregularitatem proteſtari debent, ſe non velle mortem, ſed damni compenſationem *cap. poſtulaſti de homicid.*, *cap. Prælatis eod. tit. in 6.* quæ tamen proteſtatio debet eſſe expreſſa, nec ſufficit tacita, aut interna: *cap. 2. de homic. in 6.* & ubi expreſſum requiritur, non ſufficit tacitum, ut notat ibi Gloſſa *v. proteſtando expreſſe*. Non eſt tamen neceſſe, illam proteſtationem ex animo fieri; nam jura ad evadendam Irregularitatem ſolum exigunt ut externe fiat talis proteſtatio, & eodem modo operatur, ſi fiat animo ſincero, vel ficto: *Barboſ. in collect. ad cap. Prælatis n. 9.* & communiter. Non præmiſſa proteſtatione præfata, ſi Clericus accuſet etiam civiliter in cauſa ſanguinis coram Judice laico, fit Irregularis ex delicto, quia præfatis juribus id illi prohibetur. E contra Laicus, qui etiam ex communi DD. eximitur ab Irregularitate, civiliter accuſando, eadem proteſtatione præmiſſa, eam omittendo, fit Irregularis ex defectu lenitatis.

Advertendum præterea, dictam proteſtationem non ſufficere, ſi aliquis civiliter accuſet reum dignum morte in cauſa extraneorum, nam jus concedit ex tali proteſtatione non fieri Irregularem, qui ſolum quærit damni ſibi illati compenſationem. Quod conceditur Clerico, ſive laico civiliter accuſanti in cauſa propria, præmiſſa proteſtatione; conceditur item, ſi eodem modo accuſent in cauſa propriæ Eccleſiæ, Domeſticorum, vel Conſanguineorum, & Cognatorum, uſque ad quartum gradum, nam damnum iſtorum proprium reputatur. *Pal. diſp. 6. p. 14. §. 2. n. 6. & 7. Hurtad. diſp. 2. diff. 11. n. 41.* Verum tamen eſt, quod etiam ſi tali accuſatione non poſſit damnum illatum compenſari, adhuc licita eſt, ſi proteſtatio præmittatur, nam ea præmiſſa, jus univerſaliter concedit civiliter accuſare. Præterea talis civilis accuſatio deſervire poteſt ad impediendum damnum in futurum.

Quoad Denunciatorem, ſeu Accuſatorem advertendum eſt, quod ſi agatur de damno injuſte inferendo, nec alia via averti poſſit niſi per denunciationem, ſeu accuſationem, tunc unuſquiſque etiam Clericus tenetur jure Divino, ſeu naturali denunciare. Et quamvis bene faciat, ſi præmittat proteſtationem, nihilominus videtur neceſſaria, quia cum accuſatio ſit mera defenſio Innocentis, ſaltem ex Charitate debita non eſt credibile, Eccleſiam annexam voluiſſe Irregularitatem operi tam bono, & neceſſario: *Suar. diſp. 48. ſect. 2. n. 15. & 71. Bonac. diſp. 7. q. 4. p. 2. n. 7.*

In ordine ad teſtes advertendum eſt, fieri Irregulares ſi voluntarie teſtificentur in cauſa ſanguinis, & re vera mors ſequatur; nec illos excuſaret proteſtatio, nam, ultraquamquod illam facto ipſo deſtruerent, ea jure ſolum excuſat civiliter accuſantes in cauſa propria. Oportet tamen teſtem voluntarium, ut ab Irregularitate non excuſetur, ſimul eſſe neceſſarium, hoc eſt, ut ſuo teſtimonio influat in ſententiam mortis, quod non eveniret, ſi jam præceſſiſſent teſtes ſufficientes ad ferendam mortis ſententiam. Item excuſabitur, ſi coacte teſtimonium ferat, ex præcepto nempe legitimi Superioris, vel quia ad id tenetur juræ naturæ; nam haud credi poteſt, Eccleſiam velle eſſe Irregularem, qui obedit Superiori legitime præcipienti, vel ipſi naturæ juri. Nec refert dicere Irregularem eſſe Judicem obedientem legi, quæ præſcribit, aliquem occidi; nam cum voluntarie aſſumpſerit tale officium, voluntarie ſaltem in cauſa dicitur reum occidere: *Suar. diſp. 47. ſect. 3. a n. 4.* & plures apud Dianam *p. 4. tr. 2. reſ. 38.* Item non eſt Irregularis teſtis, qui teſtificatur in favorem Rei, etſi ex ejus teſtimonio accuſatores pœna ſanguinis tanquam calumniatores plectantur; nam mors ſequitur per accidens ex tali teſtimonio, cum ſolum intenderet defenſionem Innocentis. Quæ de teſte dicta ſunt, applicanda etiam veniunt Advocato.

Denique quoad reliquos Miniſtros Juſtitiæ, cum diximus ex jure eos ſolum ex defectu lenitatis fieri Irregulares, qui ex officio ad mortem cooperantur, neceſſe eſt dicere ex hoc capite fieri Irregularem tortorem rei, ſi confiteatur & exinde damnetur, Cuſtodes Carceris ipſum reum cuſtodientes; Præconem præcedentem, & ſententiam proclamantem; Comitantes reum ad mortem, ut ipſum cuſtodiant; ac denique Carnificem, omneſque alios, qui ſunt deputati ad mortem exequendam directe, vel indirecte, ſi proxime ad eam concurrant.

Non erunt e contra Irregulares ex defectu lenitatis, qui clamant adeſſe latrones, ex quo fiat, ut capiantur, & ſuſpendantur; qui detegunt Malefactorem morte plectendum etiam ipſis Satellitibus &c., neque etenim hi, aliique ſimiles concurrunt ad mortem Rei, ut Miniſtri Juſtitiæ: *Lay. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. n. 5.* aliique, quos ſequitur *Leander tr. 2. diſp. 7. q. 61.* Idem dicas de eo, qui accelerare facit iter, ut reus citius ad ſuplicium perveniret; qui adjuvaret Malefactorem, ut citius aſcenderet ſcalam patibuli; qui demonſtraret Carnifici modum citius illum occidendi, ſubminiſtrando etiam funem, ſeu gladium, ſi opus ſit, qui Malefactori diceret quomodo ſe accommodare debeat, ut mors ipſius exequatur. Quidquid ſit de plurimorum ſententia, qui hos omnes Irregulares declarant ex defectu lenitatis, tutiſſime ab Irregularitate excuſantur; neque enim ſunt Irregulares ex delicto, cum ſupponamus eos præfata præſtare ex juſta cauſa, & maxime ex charitate, & compaſſione erga reum; ſicut neque ex defectu lenitatis, cum, ex ſæpe dictis, Irregularitas ex hoc capite ex jure ſolum contrahatur a Miniſtris Juſtitiæ, & ab eis qui concurrunt ad probationem cauſæ criminalis: *Pal. diſp. 6. p. 14. §. 4. n. 2. Hurtad. diſp. 2. diff. 11. n. 39.* aliique, quos ſequitur *Diana 3. p. tr. 5. reſol. 39. & p. 8. tr. 7. reſol. 61.* Accedit, odia ſemper eſſe excludenda, dum adeſt opinio probabilis, qua admitti non debeant.

Q. II. Qui fiant Irregulares ex defectu lenitatis propter homicidium, vel mutilationem exequuta in bello juſto, aut propter Chirurgiam.

R. I. Pugnantes in bello juſto fiunt Irregulares ex defectu lenitatis, ſi aliquem propriis manibus non ſolum vulnerent, ſed vere occidant, aut mutilent: *cap. petitio tua de homic. & can. ſi quis diſt. 51.* Unde non ſunt Irregulares Clerici, & Religioſi, qui in bello juſto intereſſantes hortantur, & animant ad pugnandum, nam illis ſolum ex jure prohibetur propriis manibus mutilare, vel occidere: *Suar. diſp. 47. ſect. 6. n. 8. Bonac. d. 7. q. 4. p. 4. n. 7.* Immo nec fiunt Irregulares, ſi in bello juſto aliquem propriis manibus occidant in ſui defenſionem: *Clem. ſi furioſus de homic.* Idem dicas, ſi dum Laici non ſufficiant ad defendendam Eccleſiam, vel Patriam, ipſi Clerici militantes in bello juſto defenſivo aliquem occidunt; cum defenſio Eccleſiæ, vel Patriæ favorabilior ſit, quam defenſio propriæ vitæ: *Laym. lib. 3. tr. 3. c. 9. n. 2.* Nec ſine fundamento idem docent DD. dum Clericus aliquem occideret, quia ita neceſſarium eſſet ad defenſionem Regis, vel Principis: *Anton. a Spir. S. diſp. 2. n. 137. Leander diſp. 7. q. 107.*

Hic tamen advertendum, quod ſi in bello juſto non contrahitur Irregularitas, niſi aliquis propriis manibus occidatur, ſecus dicendum eſt in bello injuſto, ubi ſufficit, ſi unus occidatur, ut omnes contrahant Irregularitatem; nam omnes reputantur una cauſa moralis; nec neceſſe eſt ex jure, ut quis propriis manibus occidat: *Suar. diſp. 47. ſect. 5. n. 1. & ſect. 6. n. 5. Laym. l. 3. tr. 3. cap. 8. n. 2. Bonac. q. 4. n. 7. & 10.*

R. II. Prohibetur a jure Clericis, vel Monachis in Sacris conſtitutis ſub pœna Irregularitatis exercere artem Chirurgiæ, vel Medicinæ per Inciſionem, vel aduſtionem, quamvis hæc fiant ſecundum regulas artis, & ex motivo pietatis: *c. ſententiam ſanguinis ne Clerici, vel Monachi, c. tua nos de Homic.* Non improbabiliter tamen dicitur conſtitutum in Sacris, & exercentem Medicinam, ſive Chirurgiam per inciſionem, vel aduſtionem, non fieri Irregularem, ſi mors non ſequatur; nam non reputandum eſt inductam eſſe Irregularitatem ex defectu lenitatis ob aduſtionem, & inciſionem factas ad vitam alicujus conſervandam, dummodo mors non ſequatur: *Bonac. diſp. 7. q. 4. p. 5. n. 5.* Multo magis dicendum immunes eſſe ab Irregularitate, qui licet in ſacris conſtituti, exercent Chirurgiam cum aduſtione, & inciſione ex mera neceſſitate; nam certe non ſunt aliqua pœna plectendi ex opere, ad quod tenentur ex jure naturali, ſive Charitate: *Bonac. n. 3.* & communiter

Cæterum Monachi, & Clerici in ſacris conſtituti, non prohibentur conſulere, ſeu jubere ſecundum regulas artis inciſionem, vel aduſtionem, quia pœna lata contra facientes non ligat mandantes, aut conſulentes, ut dixi *q. 1. c. 4.* Item nullibi prohibentur exercere medicinam, ſive chirurgiam ſine inciſione, & aduſtione, ut colligitur etiam *ex cap. ad aures de ætat. & qual. Ordin.* ubi dicitur non fuiſſe Irregularem, qui exercuit diligenter medicinam, quamvis infirmus obierit, & ita docent DD. apud *Anton. a Spir. S. diſp. 2. n. 146.* Denique non invenitur prohibitum Clericis in Minoribus conſtitutis etiamſi ſint Beneficiati, Medicinam, & Chirurgiam ſecundum regulas artis exercere etiam per inciſionem, & aduſtionem. Verum tamen eſt quod ſi mors ſequatur ex eorum imperitia, vel negligentia, fierent Irregulares ratione delicti, quod verum eſt de quocumque Medico, vel Chirurgo.

Q. III. Quando conſurgat Irregularitas ex defectu Sacramenti; & quotuplex ſit Bigamia, ex qua inducitur iſta Irregularitas.

R. Ex hoc capite fit Irregularis Bigamus; cum etenim matrimonium ex Apoſtolo *ad Epheſios 5.* ſignificet conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem, & Chriſtus ſibi conjunxerit unam Eccleſiam, ab alio non aſſumptam, hanc ſignificationem deſtruit Bigamus, vel ducendo ſucceſſive duas Uxores, vel ſe conjungendo ab altero corruptæ. Quod autem Bigamus ſit Irregularis, conſtat ex toto titulo *de Bigamis non ordinandis*; & hæc Irregularitas eſt antiquiſſima, proveniens ex Apoſtolica Traditione.

Hic autem obſervandum triplicem eſſe bigamiam, ex

Digitized by Google

qua inducitur Irregularitas. Prima dicitur bigamia vera, & intervenit quando quis plures ſucceſſive duxit uxores, atque cum eis matrimonium conſummavit; nam tunc proprie in plures ſuam carnem diviſit. Contrahitur autem hæc bigamia, vel ſi plures ductæ ſint uxores ante Baptiſmum, vel poſt Baptiſmum: *can. ſi quis viduam diſt.* 34. dummodo utrumque matrimonium fuerit conſummatum; nam alias non verificaretur carnis diviſio in plures: *cap. debitum* 5. *de bigam. non ordinan.*

Secunda dicitur bigamia interpretativa, quæ proprie non eſt, ſed talis reputatur fictione, & interpretatione Juris. Hæc primo locum habet, quando quis contrahit duo matrimonia, quamvis unum ſit validum, & aliud invalidum, propter effectum, quem habet ad duo matrimonia: *cap. nuper. in fin. de bigam.* & docet D. Thomas *in* 4. *d.* 27. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 1. *& in addit. q.* 66. *art.* 2., *Sanch. l.* 7. *de matr. diſp.* 84. *num* 3. Si vero aliquis contraxerit matrimonium non affectu materiali, ſed illuſorie ad extorquendam copulam, unde fuerit nullum, non ex aliquo impedimento dirimente, ſed ex defectu conſenſus, excuſatur ab iſta bigamia a pluribus Theologis, quia deeſt affectus ad duo conjugia, qui videtur requiri citato capite *nuper: Gurtad. diſp.* 2. *diff.* 13. *n.* 41., *Sanch. loc. cit. Coninch. diſp.* 18. *dub.* 11. *n.* 101. Non improbabiliter etiam excuſatur ab hac bigamia, qui duo matrimonia invalida contraxit; ac proinde ab Irregularitate, quæ ex ea oritur. Ratio eſt, quia, dum inducitur Irregularitas ex duplici matrimonio, primum ſaltem reputatur validum in citato *cap. nuper. de bigam.*, *Coninch. loc. cit.* aliique quos ſequitur *Diana* 4. *p. tr.* 2. *reſol.* 38. Cæterum nullum dubium eſt non fieri bigamum, qui extra matrimonium cum pluribus fornicatus eſt.

Secundo, incurrit bigamiam interpretativam, & proinde fit Irregularis, qui contrahit cum Vidua, quæ matrimonium cum alio conſummavit, vel qui contrahit cum corrupta: *unic. de Cler. conjug. in* 6. *c.* 1., *c. debitum de bigam.*, *can. lector. diſt.* 34., *can. ſi quis viduam diſt.* 50., *& can. fin. diſt.* 51. Neque refert, quidquid nonnulli dicant aliquem bona fide contraxiſſe cum ea, quam putabat Virginem; nam ſi conſummavit matrimonium, non verificatur ſe conjunxiſſe cum ea, quam alter non attigerit, & ita ſemper deficit ſignificatio Sacramenti, ex cujus defectu inducta eſt Irregularitas: *Sanch. l.* 7. *de matr. diſp.* 84. *num.* 8. aliique magis communiter. Bene tamen quis excuſatur ab Irregularitate, ſi ducat eam, quam ipſe corruperat ante matrimonium; nam ſicut ad legitimandos filios natos ex tali copula fornicaria matrimonium retrotrahitur; *cap. tanta qui fil. ſint legit.* ita & fictione juris judicatur Virginem duxiſſe, cum tale matrimonium reputetur veluti factum ante copulam: *Sanch. num.* 14. Denique excuſari poteſt, qui ob impedimentum dirimens contraxit matrimonium nullum cum Vidua, vel ab alio corrupta, quia non datur defectus ſignificationis, ubi nullum datur matrimonium; & ex alia parte non reperitur expreſſum in jure ex tali matrimonio inducendam eſſe Irregularitatem: *Sanch. numer.* 11., *Navarr. in Man. cap.* 27. *num.* 195.

Tertio, habet locum bigamia interpretativa, adeoque Irregularitas, ſi vir cognoſcit uxorem, poſtquam adulterata eſt; nam ſicut illa diviſit ſuam carnem, ita & cenſetur eam dividere Maritus illam cognoſcendo, adeoque habet locum defectus ſignificationis: *can. ſi cujus*, *can. Laici diſt.* 34. Hinc ſit irregularis etiam vir, qui cognoſcit uxorem, ignorans adulterium, quia ſemper verificatur adeſſe defectum Sacramenti, *Pal. diſp.* 6. *p.* 8. *n.* 7. *Sanch. n.* 15. Idem dicendum, ſi vir cogatur reddere debitum, quia non potuit ſatis probare adulterium; viget enim ratio, quod ſemper verificatur defectus Sacramenti, ratione cujus inducta eſt hæc Irregularitas: *Sanch. n.* 17., *Dian.* 4. *p. tr.* 2. *reſol.* 41.

Quia tamen Canones loquuntur de Viro cognoſcente Uxorem poſt ipſius adulterium, ideo cenſeo, quamvis non pauci contradicant, non fieri Irregularem, ſi cognoſcat uxorem ab alio per vim corruptam; nam tunc immunis eſt a culpa adulterii: *Pelizzar. tr.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 2. *num.* 8. aliique apud Dianam *reſol.* 40. quibus non contradicit. Et quidem non eſt neceſſe dicere defectum ſignificationis Sacramenti inducere Irregularitatem, niſi in caſibus in jure expreſſis, ſumus enim in odioſis.

Tertia eſt bigamia ſimilitudinaria, & intervenit quando Religioſus Deo conſecratus per votum caſtitatis in Religione emiſſum, contrahit matrimonium, quamvis nullum; & hæc bigamia dicitur ſimilitudinaria, quia jus duplex interpretatur matrimonium, illud ſpirituale verum, aliud affectatum; unde hæc bigamia ſimilis eſt bigamiæ veræ. Ex hac autem, etſi matrimonium affectatum contrahatur, oriri Irregularitatem planum eſt *ex can. quotquot*, *& can. Monaco* 27. *qu.* 1., *juncto cap. nuper a nobis* 5., *& cap. ult. de bigam. non Ordinan.* Diſputant autem Theologi an hæc Irregularitas contrahatur a Clerico in ſacris conſtituto, qui poſtmodum contraxit matrimonium, illudve conſummavit. Neque negari poteſt majorem Theologorum partem ſtare pro ſententia affirmativa, cum re vera interveniat bigamia ſimilitudinaria; quamvis neque deſint quibus non ſatis videatur in jure expreſſa reſpectu Clerici, non Religioſi in Sacris conſtituti, ut videre eſt apud *Dian. p.* 5. *tr.* 2. *reſol.* 39.

Q. IV. Qui ſint Irregulares ex defectu Natalium.

R. Ex hoc capite ſunt Irregulares omnes illegitimi, ſive ſint naturales, nati nempe ex Parentibus liberis, ſive ſpurii, nati ſcilicet ex inceſtu, adulterio, vel ſacrilegio: *cap.* 1. *&* 2. *de fil. Presbyt.* Hos autem S. Canones voluerunt Irregulares, partim quia valde dedecet Illegitimum aſſumere ſtatum Clericalem; partim in odium paterni ſceleris; partim quia timeri poteſt hos filios & male inſtructos eſſe, ad pravos mores propenſos: *cap.* 1. *& fin. de Fil. Presbyt. in* 6., *cap. per venerabilem qui fil. ſint legit. & diſt.* 56. per plures canones.

Non reputantur vero illegitimi illi filii, qui nati ſunt ex matrimonio invalido, quod tamen ſaltem ex parte unius bona fide contractum eſt. Oportet tamen fuiſſe contractum in facie Eccleſiæ, nec malitioſe omiſſas denunciationes, tunc etenim dolus præſumeretur *cap. ex tenore*, *cap. cum inter*, *cap. Præfatum. cap. quod nobis qui fil. ſint legit.* Item non reputantur illegitimi, qui licet nati ſint ante legitimum matrimonium nihilominus poſtea Parentes illud inter ſe legitime contraxerunt; ac proinde per ſubſequens matrimonium legitimantur: *cap. tanta qui fil. ſint legit.* Oportet tamen tempore Nativitatis non eſſe inter ipſos Parentes impedimentum dirimens, unde valide non potuiſſent contrahere Matrimonium: *Baſil. l.* 11. *c.* 3. *n.* 2., *Sanch. de Matr. l.* 7. *d.* 7. *n.* 19. quamvis non obſtaret, ſi fuiſſet impedimentum ſolum impediens: *Baſil cap.* 2. *n.* 5., *Sanch. l. c. diſp.* 2. *n.* 8. Sublata autem illegitimatione per ſubſequens matrimonium, aufertur etiam Irregularitas; unde Illegitimus, qui antea illicite fuiſſet ordinatus, poſſet tunc in Ordinibus ſuſceptis miniſtrare, & aſcendere abſque diſpenſatione ad eos, qui illi deeſſent.

Denique ſaltem quoad Irregularitatem, quæ provenit ex defectu Natalium, debent reputare ab ea immunes omnes Infantes expoſiti in Hoſpitali, tum quia non eſt certum eſſe illegitimos, cum multoties filii ex legitimo matrimonio procreati Hoſpitali exponantur ob Parentum paupertatem; in dubio autem ſive juris, ſive facti, nemo debet ſe gerere ut Irregularem, ſi excipias Irregularitatem ex homicidio provenientem, ut alias dixi. Tum quia unuſquiſque præſumitur legitimus, ſi non probetur contrarium: *Baſil. Pont. l.* 2. *de matr. c.* 6. *n.* 4., *Pal. diſp.* 6. *p.* 9. *a.* 3. *& tr.* 13. *de Benef. diſp.* 4. *p.* 1. *§.* 1. *n.* 8. aliique apud Leandrum *diſp.* 3. *q.* 6. Citatur etiam Bulla Gregorii XIV., qua vult expoſitos in Hoſpitali, aut alibi, habendos eſſe pro legitimis.

Q. V. Qui ſint Irregulares ex defectu libertatis.

R. I. Servi, ſeu Mancipia, quamdiu carent libertate, ſunt Irregulares, tum quia talis ſtatus valde dedecet perſonam Eccleſiaſticam; tum quia mancipati aliorum miniſteriis, non poſſunt eſſe expediti pro miniſteriis Divinis. Hæc Irregularitas explicatur per plures Canones *diſt.* 54. ibique recenſentur pœnæ, tam reſpectu Epiſcopi, qui ſcienter Servum ordinaret, quam Servi, qui fraudulenter promoveri curaret. Quod ſi Servus, ſciente, & non contradicente Domino, conſtituatur in ſtatu Clericali, ſtatim a ſervitute liberatur: *can. ſi ſervus*, *can. nulli*, *can. quicumque ead. diſt.*

R. II. Ratione defectus libertatis intelliguntur irregulares etiam obligati ad ratiocinia, qui nempe ratione alicujus adminiſtrationis tenentur ad ratiocinia, nec poſſunt ordinari, quouſque non reddiderint rationem talis adminiſtrationis *cap. unic. de oblig. ad ratioc.*, *Suar. diſp.* 51. *ſect.* 3. *n.* 4. *Bonac. diſp.* 7. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 4. Tales proinde ſunt Theſaurarii, Depoſitarii, Actores, Procuratores, Magiſtratus, & Judices rerum temporalium: *cap. unic. de oblig. ad ratioc.*, *can.* 1. 2. *&* 5. *d.* 51. Item Tutores, Curatores, Procuratores, Pupilli: *cap. unic. cit. can.* 3. *diſt.* 54. In iis etiam comprehenduntur Judices,

Digitized by Google

tes, Tabelliones, aliique Miniſtri Fori Judicialis, ſicut & omnes publici Miniſtri; nam non ſolum tenentur ad ratiocinia, qui pecuniam adminiſtraverunt, ſed etiam qui rationem reddere debene de ſuis actionibus, an nempe eas convenienter exercuerint. In horum vero numero non comprehenduntur Adminiſtratores Bonorum Eccleſiæ, vel qui in ſua adminiſtratione exercent opus pietatis, & miſericordiæ: ut ſi quis adſiſtat Viduæ humano ſuaſidio deſtitutæ, vel ſit Tutor, aut Curator pupilli, ſeu Minoris indigentis &c. *cap. 1. ne Clerici, vel Monachi, can. Monachi 16. qu. 1., can. judicatum diſt. 89.* Si pariter qui adminiſtravit pecuniam, exhibeat idoneum fidejuſſorem, admitti poterit ad Ordines; nam tunc non amplius dolus præſumi poteſt: *Bonac. n. 5.*

Q. VI. Quando proveniat irregularitas ex defectu corporis.

R. I. Defectus ſexus facit Irregularem, adeo ut ex communiori opinione etiam hermaphroditi dicendi ſint Irregulares, ex eo quia Sacri Canones repellant ob Ordinibus corpore vitiatos, & monſtruoſos: *can. 2. diſt. 26., Palaus diſp. 6. p. 11. n. 1., Pellizar. tr. 7. c. 5. ſect. 2. n. 52. Bonac. diſp. 7. q. 2. p. 2. n. 13.* Valide nihilominus ordinabitur, ſi prævaleat ſexus virilis. Si vero ſexus fœmineus prævaleat, vel ſit æqualis, neque valide quis ordinari poſſet; nam vir, qui ſolus poteſt valide ordinari, non poteſt dici, niſi ille, in quo prævalet ſexus virilis.

R. II. Defectus Corporis facit Irregularem, vel quia deficit membrum, ſine quo Ordines non poſſunt exerceri; vel quia exerceri non poſſunt ſine quodam videntium horrore, vel abominatione: *can. Miſeratos diſt. 39. juncta Gloſſ v. Imminutos, cap. ult. de corp. vitiat., cap. ult. de Cler. Ægrot. miniſtr.* Hinc irregularis eſt totaliter cæcus, non vero ſi careat ſolo viſu etiam in oculo ſiniſtro, quem dicunt Canonis, dummodo poſſit abſque indecentia Canonem legere. Immo, quamvis *ex can. ſi Evangelica diſt. 45.* irregularis dicendus ſit ille, cui erutus eſt oculus; nihilominus videtur ceſſare talis irregularitas, ſi per oculum vitreum ea deformitas auferatur: *Tambur. tr. 4. de Irreg. c. 8. §. 5.* cum aliis ab eo citatis. Irregularis eſt non ſolum mutus, ſed etiam totaliter ſurdus; quia cum audire non poſſit vocem Miniſtri, non poteſt, ut par eſt, ſacra miniſteria exercere. Irregulares pariter ſunt non ſolum, qui carent pede, aut manu, ſed etiam qui caret ſolo pollice. Ratione vero deformitatis irregularis eſt, qui caret naſo, notabiliter eſt gibboſus, vel notabiliter claudus eſt: ut dicam uno verbo, omnes habentes tales defectus, ut regi non poſſint, & aliunde cum illis nequeant Sacra Miniſteria decenter exerceri. In dubio, an defectus ſit notabilis inducens irregularitatem, necne, pertinet hoc ad Epiſcopum determinare: *Tambur. lib. 10. tr. 4 cap. 8. n. 5., Bonac. d. 7. q. 2. p. 2. & can. 2. de corp. vitiat.* Et quamvis non pauci idem dicant, dum agitur de judicando circa deformitatem alicujus Regularis: *Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 2. allegat. 42. n. 60.*; nihilominus & id ad Prælatum Regularem pertinere alii docent, utpote qui exercet juriſdictionem in ordine ad ipſum, quamvis liberum ſit Epiſcopo illius judicium admittere: *Anton. a Spir. S. diſp. 2. n. 44.*

R. III. Defectus alicujus membri, quod aliquis ſine juſta cauſa ſibi abſcidit, vel abſcindere fecit, inducit Irregularitatem, ſed hoc oritur, quia Eccleſia voluit in iis punire ſævitiam, & malam voluntatem: *can. ſi quis abſcidit, can. hi, qui ſe, can. qui partem diſt. 55.* & hoc eſt verum, etſi non abſcindatur membrum principale, ſed ſola pars illius; ſed etiamſi in tali mutilatione non ſequatur deformitas, quia, ut notat *Gloſſa in cap. ſignificavit de corp. vitiat.* in his caſibus non punitur defectus ſed mala voluntas, & ſævitia. Propter hanc rationem, quia ſcilicet Eccleſia punire voluit ſævitiam, & malam voluntatem, magis communiter docent DD. ad hanc Irregularitatem incurrendam nil referre, an culpa, ex qua cauſata fuit abſciſſio, ſit publica, vel fuerit occulta; *Suar. diſp. 51. ſect. 6. n. 6 Garz. de Benef. p. 7. c. 12 n. 5. Palaus diſp. 6. p. 12. n. 4.* Quod ſi culpa, unde aliquis paſſus eſt aliquam mutilationem, de ſe non erat inductiva illius mutilationis, ſed per accidens evenit, tunc credo non habere locum Irregularitatem, quia non adeſt illa ſævitia; quam Canones volunt punire in tali mutilatione. Hinc contra plures cenſerem non eſſe Irregularem illum, cui a Marito amputata ſunt virilia, quia inventus eſt in adulterio cum propria uxore; nam adulterium non eſt cauſa per ſe inductiva mutilationis: *Garz. cit. n. 20. Palaus n. 3.*

Si vero aliquis ſine ſua culpa, vel juſta cauſa ſibi abſcindat, vel paſſus fuerit abſciſſionem alicujus membri, non ſit Irregularis, quia deeſt mala voluntas, & ſævitia, quarum ratione inducta eſt Irregularitas. Ita non eſt Irregularis ille, cui vel in infantia, vel poſtea ſine ſua culpa amputata fuerunt virilia, vel id ſibi fieri voluit propter infirmitatem. Sicut etiam, ſi cum haberet ſex digitos in una manu, ſextum ſibi fecerit amputare; nam potius deformitatem removit: *can. ſi quis a Medic. diſt. 55. cap. 3. & 5. de corp. vitiat.* Quod ſi alicui ſine ſua culpa amputaretur pars neceſſaria ad uſum Ordinis fiet ex alio capite Irregularis, ut paulo ante dictum eſt.

Aliqui dicunt, neque eſſe Irregularem, qui ſibi amputare facit teſticulos ad conſervandam vocem, tum quia, dicunt, textus Canonici loquuntur de eo, qui ſibi amputavit, vel amputare fecit virilia, non vero de eo, qui ſibi amputavit, vel amputare fecit teſticulos; tum quia loquuntur de eo, qui hujuſmodi præſtat ex ſævitia, & mala voluntate *cap. qui partem, can. ſi quis abſciderit diſt. 55.* Ex hoc autem deducunt non eſſe in jure expreſſam Irregularitatem reſpectu illius, qui cauſa conſervandæ vocis ſibi facit teſticulos abſcindere, adeoque de facto hunc non eſſe Irregularem, ex illo noto principio quod Irregularitas non eſt inducenda, niſi ſit in jure expreſſa: *Pelliz. tr. 7. c. 5. ſect. 2. n. 64. Palaus diſp. 6. p. 12. n. 4.* Fateor tamen quamplures refragari huic opinioni, quia cum conſervatio vocis non ſit cauſa ſufficiens ad talem actionem faciendam, videtur neque ſufficere ad excuſandum ab Irregularitate, ut colligitur *ex cap. Presbyterum, & cap. continebatur de homic. Dian. p. 10. tr. 13. reſol. 11. aliique multi apud ipſum.*

R. IV. Alter defectus corporis, ex quo inducitur Irregularitas, eſt infirmitas; quando ſcilicet talis eſt, quæ afferat notabilem virium debilitatem, aut perpetuam, & incurabilem deformitatem. Id patet ex pluribus textibus *ſub tit. de corp. vit. & de Cler. ægrot.* Inter has infirmitates præcipue recenſetur paralyſis, morbus gallicus, lepra, epilepſia. Quod ſi Sacerdos, morbo caduco laborans, raro cadat ſine notabili indecentia, & corporis agitatione, poterit privatim celebrare cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis, qui poſſit Sacrificium perficere, ſi forte ipſe deficiat: *can. nuper diſt. 7. q. 7. Bonac. d. 7. q. 1. p. 2. n. 22.* pluribus citatis. Multo magis poterit celebrare, ſi epilepſia talis ſit naturæ, ut eam patiens per aliquod tempus prævideat ſe defecturum. Cæterum, quando infirmitas talis ſit, ut inducat Irregularitatem, pertinet ad Epiſcopum judicare.

De defectu ætatis ſermo erit, ubi agitur de ætate neceſſaria ad Ordines ſuſcipiendos.

Q. VII. Unde proveniat Irregularitas ex defectu Animæ.

R. I. Non ſolum jure naturali, & divino ſunt Irregulares, qui carent uſu rationis, ſed etiam ex jure Eccleſiaſtico: *can. maritum diſt. 33.* Obſervant autem DD. ex eodem canone, quod ſi talis fuerit amentia, ut licet ceſſaverit per aliquod tempus, nihilominus timeri poſſit, ut quis in eam relabatur, perdurat Irregularitas; ſecus ſi furor, vel amentia habuerint cauſam accidentalem, ut vehementem paſſionem, febrim &c. *Suar. diſp. 5. ſect. 1. n. 4. Bonac. diſp. 7. q. 2. p. 1. n. 1.* Inter hos Irregulares recenſentur etiam Lunatici, & Energumeni, quamvis liberi ſint a vexatione: *can. Maritum 2. can. Cleric. 4. d. 33.* Si vero poſtquam aliquis poſt integrum annum non fuit a Dæmone vexatus, cum ipſo diſpenſet Epiſcopus, poterit Ordines ſuſceptos exercere: *Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 42. n. 52.*

R. II. Non ſolum jure divino, & naturali, ſed etiam jure Eccleſiaſtico ſunt Irregulares Illiterati: *can. Illiteratos diſt. 39.* Si ergo tanta ſit ignorantia, ut nec Ordo receptus congrue, & debite adminiſtrari poſſit, quoadusque perſeverat, inducit Irregularitatem, quæ impedit & Ordinem recipere, & in recepto miniſtrare. Quam autem ſcientiam optaret Eccleſia in unoquoque ad Ordines promovendo, explicat Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 4. 11. 13. 14.*

Q. Ultimo, Quis poſſit diſpenſare in Irregularitate ex defectu proveniente.

R. I. In Irregularitate proveniente ex defectu lenitatis, non pauci aſſerunt diſpenſare poſſe Epiſcopum, ſi fuerit occulta, ut videre eſt apud *Barboſ. de poteſt Epiſc. p. 2. alleg. 29. n. 47. Anton. a Spirit. S. in direct. Regul. tr. 12. d. 3. ſect. 2. n. 67.* At non video id ſatis probari, quia dum Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 24.* tribuit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in Irregularitate, loquitur de ea, quæ provenit ex delicto occulto; quæ autem provenit ex defe-

ctu

ctu lenitatia, non proveoit ex delicto: nnde multi negant Epiſcopis hanc facultatem , ut videre eſt apud Bonacinam *diſp. 7. q. 4. p. 4 n. 13.* Bene autem concedi poreſt talis facultas Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum Subditorum, eum vi ſuorum privilegiorum diſpenſare poſſint in omni Irregularitate, excepto ad ſummum homicidio voluntario, & bigamia: *Bordon. t. 1. reſol. 13. num. 14. Anton. a Spir. S. in Direct. Regul. diſp. 2. ſect. 1. n. 7.* Porro nomine homicidii venit occiſio hominis culpabiliter facta, ut notat etiam *S. Th. 1. 2. qu. 88. art. 6. ad 3.* ac proinde non venit ea , quæ oritur ex defectu lenitatia ; *Peliez. t. 2. tr. 19. c. 3. ſect. 4. n. 143. Pal. diſp. 6. p. 14. §. 5. n. 7.*

R. II. Quoad Irregularitatem contractam ex bigamia , ſi proveniat ex bigamia vera , vel interpretativa, Epiſcopus non poteſt in ea diſpenſare, nec etiam quoad primam tonſuram ſuſcipiendam, aut Beneficiom ſimplex. Ita ex pluribus deciſionibus S. Congregationis *Fagn. in cap. ſuper eo 29. &c. hoc tit. Garzias de Benef. p. 7. c. 6. n. 3. Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 49. n. 25.* Poteſt vero diſpenſare in bigamia ſimilitudinaria, ſi Clericus in ſacris Conſtitutus contraxit cum Virgine: *cap. Sacerdotes de Cler. conjug.* non vero ſi Vidua; nam tunc intervenit etiam bigamia interpretativa : *cap. fin. de Bigam.* Non immerito autem defenditur , quamvis plures contradicant , poſſe Prælatos Regulares in hac Irregularitate diſpenſare ex variis privilegiia ipſis conceſſis, ut videre eſt apud *Ant. a Spir. S. in Direct. Regul. tr. 2. diſp. 2. ſect. 2. num. 68. & 92.*

R. III. Irregularitatem provenientem ex defectu Natalium Epiſcopus diſpenſare poteſt , ſolum quoad ſuſcipiendos ordines Minores, & ad obtinendum unicum ſimplex Beneficium , ut habetur *ex cap. 1. & 2. de Filiis Presbyt.* Noo poteſt autem Diſpenſatus obtinere Beneficium ſimplex, in quo Pater immediate anteceſſit, nec in ea Eccleſia, in qua Pater Beneficium habet , *Trid. ſeſſ. 25. c. 15. de reform.* Non obſtat autem Beneficium ſimplex annexum habere Beneficium curatum, ut Epiſcopus diſpenſare valeat cum illegitimo , quia acceſſorium ſequitur naturam principalis : *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. allegat.* 45. ubi hanc materiam dilucidat. Poſtquam vero Dignitates, & canonicatus in Eccleſia Cathedrali *ex Trid. ſeſſ.* 24. *c. 12. de reform.* habent annexum Ordinem Sacrum , non amplius diſpenſare poteſt Epiſcopus cum illegitimo ad hujuſmodi obtinenda , ſicut enim nequit Illegitimos diſpenſare ad Ordines S. nec ad Beneficia illis annexa ex *cap. fin. de fil. Presb.* ita nec ad obtinenda præfata in Eccleſiis Cathedralibus.

Diſſimulare autem hic nolo non deeſſe Authores qui concedant Epiſcopo illimitatam authoritatem diſpenſandi cum illegitimo occulto, Ratio illorum eſt, quia , cum poteſtas ad diſpenſandum , utpote beneficium Principis, ſi late interpretanda, videtur poteſtas conceſſa Epiſcopis a Tridentino diſpenſandi in omni Irregularitate proveniente ex delicto occulto, extendi poſſe non ſolum ad Irregularitatem, quæ provenit ex delicto proprio, ſed etiam ex delicto alieno , ſi ſit occultum. Irregularitas autem ex defectu Natalium oritur ex delicto Parentum , ſicut Irregularitas ex bigamiu interpretativa, ſi vir cognoſcat uxorem poſt ipſius adulterium , oritur etiam ex ejuſdem delicto : unde iidem Authores cenſent & in hac Irregularitate, ſi ſit occulta, poſſe Epiſcopos diſpenſare: *Pelizz. tr. 7 c. 5. ſect. 2. n. 73.* aliique *Dianam 1. p. tr. 15. reſ. 21.*

Hæc Irregularitas , ſolummodo tamen quoad excipiendos Ordines, tollitur per profeſſionem religioſam: *cap. 1. & fin. de Fil. Presbyt. Sanc. de matr. l. 7. diſp.* 88. *num. 4. Pelizz. ſect. 1. n. 34.* At quod Prælaturas , Dignitates, ac quælibet alia Beneficia , Illegitimi indigent diſpenſatione , quam Prælati Regulares concedere poſſunt ex vi ſuorum privilegiorum , ut videre eſt apud *Anton. a Spir. S. in Direct. diſp. 2. n. 8. &c.* Immo concedi cenſetur , eo , quod aliquis ad Prælaturam eligatur ; nam præſumitur electio licite facta, & non fieret licite , ni eligentes ſimul intelligerent diſpenſare.

R. IV. Irregularitas , quæ provenit ex defectu libertatis , non ſolum amoveri poteſt per Pontificia diſpenſationem , ſed etiam , ſi ſciente, & non contradicente Domino, Servus ordinetur, quia ſtatim intelligitur acquirere libertatem : *can. ſi ſervus diſt.* 54. Ceterum ſervua ſolum eſt Irregularis, quamdiu manet in ſervitute, *ex tot. tit. de ſerv. non ordin.*

R. V. Irregularitate quæ oritur ex vitio corporis, ſolum S. Pontifex poteſt diſpenſare . In dubio autem an impediat Ordinum ſuſceptionem , eorumque exercitium , pertinet id judicare ad Epiſcopum , ut ſæpe dictum eſt . Quod ſi vitium corporis oriatur ex culpabili mutilatione, tunc attendenda ſunt quæ dixi ſupra. Etiam Prælati Regulares, ſi vitium corporis non ſit tam fœdum, ut non poſſit quis ſine indecentia, & ſcandalo ad Ordines promoveri , ac in illis miniſtrare, poterunt, cum ſuis ſubditis diſpenſare . *Anton. a Spir. S. diſp. 2. num. 62.*

R. VI. Irregolaritas ex defectu animæ, qoando oritur, ex carentia uſus rationis, utpote quia eſt de jure naturæ , a nemine removeri poteſt . Idem dicendum , ſi amentia talis fuerit , ut licet quis ad uſum rationis rediiſſe videatur, nihilominus rationabiliter timeatur iterum in amentiam relapſurum. Si vero hæc Irregularitas oriatur ex ignorantia, removeri poteſt per diſpenſationem Papæ , dummodo tanta non ſit, ut quia non videatur poſſe ſufficienter Ordinem , quem ſuſcipit, exercere, quamvis non polleat ea ſcientia, quam S. Canones requirunt.

Regulæ in praxi obſervandæ .

I. Hic iterum meminiſſe debet Confeſſarius illius tam ſæpe inculcatæ doctrinæ , qua dicitur non habere locum Irregularitatem , quoties opinio vere probabilis ſtat pro parte negativa . Hine ſine ulla perplexitata docere poteſt, nullatenus eſſe Irregulares eos, qui ſuadent Iudici, ut Malefactorem occidat , dum jura id exigunt, ſemper cum non ſint Conſiliarii deſtinati, ot ipſorum conſilio Judex proferat mortis ſententiam , Item nullatenus Irregulares judicet eos, qui comitantur Maleſactorem , ſi cauſa ipſorum mors acceleretur &c. dummodo non comitentur tamquam miniſtri Juſtitiæ. Uno verbo advertat tutiſſime poſſe judicare immunes ab Irregularitate eos omnes, qui quomodolibet concurrunt ad mortem alicujus , ſi non concurrant ut Miniſtri juſtitiæ , vel ut teſtis , Accuſator , Advocatus, Procuratot &c. ad cauſæ criminalis probationem.

Ex eodem capite judicare tuto poteſt, non eſſe Irregularem ex bigamia, qui nulliter contraxit cum Vidua, vel Corrupta; adeſt enim opinio vere probabilis in eo caſu excludens Irregularitatem . Idem dicas de Filiis in Hoſpitali expoſitis, qui debent declarari legitimi, ſaltem quoad effectum Irregularitatia excludendæ.

Nullatenus pariter judicet Irregularem illum, cui in inſantia , vel ob infirmitatem amputati fuerunt teſticuli . Examinet etiam an veram habeat probalitatem ea opinio , quæ nec vult Irregulares, qui eos ſibi amputare fecerunt ad vocem conſervandam . Et quidem etiam in tali caſu uunquam ſatis percepi habere locum eam rationem , unde S. Canones voluerunt Irregularem, qui aliquod membrum ſibi facit amputare.

Ne quæſo , poſtea tanta laboret ignorantia Confeſſarius , ut putet eum, cui amputata ſunt vitilia &c. debere hujuſmodi vel areſacta, vel in pulverem redacta ſecum deferre, ſi promotus ad Ordines velit celebrara . Sinat craſſiores Vulgi in hoc errare & legat Gloſſam in *can. Eunuchus diſt.* 55.

II. Notet Confeſſarius ex ignorantia non paocis communi , multoties titubare Eccleſiaſticos propter timorem Irregulatitatis, in denunciandia iis , quos grave aliquod malom velle perpetrare ſciunt . Dum ergo agitut de damno impediendo , quod aliqui facere intendunt , nulla datur Irregularitas , ſi, dum uon adſit aliud medium pro eo impediendo, enunciantur qui volunt malum perpetrare ; maxime præmiſſa proteſtatione ſeſe non intendere niſi gravi malo obviare. Immo hanc non eſſe neceſſariam ex plurimorum opinione , jam ſupra adnotavi.

Digitized by Google

TRACTATUS V.

DE BENEFICIIS, ET HORIS CANONICIS.

POST Tractatum de Legibus, ea, quæ pertinent ad Cenſuras, explicavi cum illæ pendeant ex diverſis Sacrorum Canonum Sanctionibus. Modo quæ de Beneficiis, & Horis Canonicis ſcitu digna ſunt ad examen revoco; earum etenim deciſio pendet ex iis, quæ S. Canones decrevere.

QUÆSTIO I.

De Eccleſiaſticis Beneficiis.

CAPUT I.

De Natura Beneficii Eccleſiaſtici, ejuſque multiplici diviſione.

Q. I. QUid ſit Beneficium; & quæ requirantur ad illud conſtituendum.

R. I. Beneficium in præſenti ita poteſt definiri: *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis propter aliquod Officium Spirituale, authoritate Eccleſiæ conſtitutum, competens Perſonæ Eccleſiaſticæ.*

Dicitur *jus*, nempe ſpirituale, quatenus eſt connexum, ſive fundatum in Officio Spirituali. Jus autem iſtud debet eſſe perpetuum, ſaltem quantum ad eum, cui confertur; nam inter Eccleſiam, & Beneficiatum eſt veluti quoddam matrimonium ſpirituale: *can. ſicut in una quaque* 21. *q.* 2, quod ex ſua natura perit eſſe perpetuum. Præterea hoc eſt diſcrimen inter Penſionem, & Beneficium quod illa durat ſolummodo ad vitam gravati vel ad ſummum Penſionarii; ac proinde dicitur extingui; Beneficium vero nunquam extinguitur, ac morte Beneficiarii dicitur ſolummodo vacare: *Azor. p.* 2. *lib.* 2. *q.* 2. *§. Ex his*, *Tyrrhus Corradus lib.* 1. *prax. Beneficiar. c.* 6 *n.* 261.

Prætarum autem jus eſt quoad *percipiendos fructus ex bonis Eccleſiaſticis propter aliquod officium Spirituale*. Ubi obſervandum ex *Barboſ. l* 3. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 4 *num.* 9 primo dari fundamentum ipſius Beneficii; nempe Officium aliquod ſpirituale, puta, obligatio recitandi Horas Canonicas, inſerviendi alicui Eccleſiæ. Poſito autem hoc fundamento; conſurgit Beneficium; nam *Beneficium datur propter officium: cap. ult. de reſcript. in* 6. Hoc beneficium proprie eſt Jus percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis, quod jus, ut dixi, ſpirituale dicitur, quia fundatur in Officio ſpirituali, & ipſi connectitur. Fructus demum percipiuntur ex bonis Eccleſiaſticis, quæ talia dicuntur, quia Eccleſiæ donata ſive Deo dicata fuere.

Inſuper quia uſque dum accedat authoritas Epiſcopi aliquod beneficium erigentis, quæ dantur Eccleſiæ, dicuntur potius piæ donationes, ſeu pia legata, hinc eſt non dari Beneficium, uſque dum jus percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis proveniat ex Eccleſiæ authoritate: *Gloſſ. in Clem* 2. *verſ. ſi benefic. in fin. de Decim. Ganz. ad regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 5. *num.* 20. *Barboſ. l.* 3. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 4. *num.* 16. Hinc Capellaniæ conſtitutæ ſub onere Miſſarum celebrandarum, ſed ſine Epiſcopi authoritate, dicuntur Laicales: *Barboſ. cit. num.* 18. *&* 19. Idem dicas, ſi quis fundaverit in aliqua Eccleſia certas miſſas ſub convenienti ſtipendio, ſed ſine Epiſcopi approbatione: atque, ut ſupra notavi, hujuſmodi non beneficia dicenda ſunt, ſed pia legata, ſeu piæ donationes: *Barboſ. cit.* Ratio autem eſt, quia pertinet ſolummodo ad poteſtatem Eccleſiaſticam conſtituere locum ſacrum, vel rem ſpiritualem: *arg. cap. ad hoc* 4. *de religioſ. domib.*

Dicitur demum in allata definitione Beneficium, ſive *jus percipiendi fructus &c.* competere debere *perſonæ Eccleſiaſticæ*; nam cum tale jus ſit ſpirituale, ſive Eccleſiaſticum, ſolummodo perſonæ Eccleſiaſticæ poteſt convenire: *cap. cauſam* 7. *de præſcrip. cap. cum adeo* 17. *junct. Gloſſ. V. ne Cleric. de reſcrip.* Hinc collatio beneficii facta ei, qui nondum prima tonſura eſt initiatus, ab omnibus dicitur ipſo jure nulla; & habetur *arg. cap. ex literis* 6. *de tranſact.*

Quod ſi velimus cum Canoniſtis breviter adnotare, quæ neceſſaria ſunt ad conſtituendum Beneficium, ea ad ſequentia revocanda ſunt. Beneficium primo debet eſſe erectum Epiſcopi authoritate. Secundo, debet habere aliquod ſpirituale annexum; nam ſi redditus Eccleſiaſtici dentur propter miniſterium mere temporale e. g. Æditup, non proinde iſte dicitur obtinere Beneficium. Tertio, Beneficium, utpote cum ſit aliquid ſpirituale, conferendum eſt non a Laico, ſed a Perſona Eccleſiaſtica: *c. ex frequentibus* 3. *de Inſtit. can. ſi quis deinceps*, *& can. nullus Laicorum* 16. *qu.* 7. Quarto conferendum eſt Clerico, utpote cui ſoli convenit præſtare officium ſpirituale annexum Beneficio. Quinto, ex dictis debet eſſe perpetuum. Ultimo, non eſt ſibi retinendum a Collatore, ſed alteri conferendum: *cap. ult. de Inſtit.* His concurrentibus, ſemper verificatur dari Beneficium, quocumque nomine velit quis illud appellare: *Barboſ. p.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſc. Pyrrh. Corrad. l.* 1. *prax. Beneficiar. cap.* 1. *num.* 12. *&c.*

Q. II. Quotuplex ſit Beneficium Eccleſiaſticum.

R. Primo, Beneficia Eccleſiaſtica diſtinguuntur in Majora, & Minora. Illa ſunt Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, quibus plures addunt Abbatiam. Cætera Beneficia Minora dicuntur. Beneficia majora in materia odioſa non veniunt communi nomine Beneficii, quia a S. Canoniſtis appellantur *Culmina dignitatum*, *cap. venerabilis de præbend.* Diſpenſatus proinde ad Beneficia obtinenda, non intelligitur diſpenſatus ad majora, quia diſpenſatio, utpote vulnerans legem, odioſa eſt, & ſtricte interpretanda: *Eaguanus in c. mandato num.* 33. *de Simon.*

Secundo, alia ſunt Beneficia Sæcularia, alia Regularia. Illud dicitur regulare, quod ſolis Regularibus convenit, ut Prioratus, Abbatia; nec, ut Beneficium regulare dicatur, ſatis eſt, quod a Religioſis præſentetur, niſi inſuper ab illis adminiſtretur: *Gonzal. ad reg.* 8. *Cancellar. gloſſ.* 8. *num.* 38. Beneficium ſæculare illud eſt, quod conferri ſolet ſolis ſæcularibus Clericis. In dubio, & uſque dum contrarium probetur, omnia beneficia reputantur ſæcularia, quia omnia præſumuntur imitari Papatum, qui eſt Beneficium ſæculare. *Barboſ. de poteſt Epiſc. allegat.* 57. *num.* 16. *Maſcard. de probat. concl.* 72. *num.* 1. & communiter. Probantur vero beneficia eſſe regularia, vel quia Fundator expreſſe voluit per Regulares adminiſtrari, vel quia per quadraginta annos pacifice illud adminiſtrarunt; nam tunc ſaltem per præſcriptionem fit regulare, ut notat *Gloſſ. in cap. cum de Benefic. de præbend. in* 6. Pariter niſi aliud probetur, Beneficia fundata in Eccleſiis Regularium, regularia præſumuntur; cum non appareat veriſimile Fundatorem voluiſſe ab eis Regulares excludere; *Maſcard. cit. concl.* 827. *num.* 17. *Engel. tit. de Capell. Monach. num.* 1. *v. porro.* Cæterum poſſeſſio Beneficii danda eſt ſecundum ultimum ipſius ſtatum; nam ratione poſſeſſionis ſecundum ipſius ultimum ſtatum judicandum eſt, donec contrarium probetur; ac proinde ſi Beneficium vacavit per obitum Regularis, judicandum eſt regulare, & e contra: *Barboſ. de poteſt. Epiſc.* 3. *p. alleg.* 57. *num.* 168. *Garzias de Benef. p.* 7. *c.* 10. *n* 34.

Re-

Remanet denique adnotare ſæcularia Beneficia conferenda eſſe ſæcularibus, & regularia regularibus *ex cap. cum ad noſtram 37., & cap. officii 38. de elect. juncto Trident. ſeſſ. 24. de reform. c. 10. & ſeſſ. 25. de Regular. c. 21.* Et re vera inconveniens videtur, ut in eadem Eccleſia ſocientur homines diſparis profeſſionis, & habitus, ut *ex Clem. 1. de elect.* communiter notant Canoniſtæ. Concedunt tamen S. Canones, ut Regularis ad dignitatem Epiſcopalem eligi poſſit: *cap. ſi Abbatem, c. ſi Religioſus, c. quorumdam de elect. in 6., & Clem. 1. de elect.* Hinc Canoniſtæ conſiderant Epiſcopatum, tanquam Beneficium abſtrahens a ſæculari, & regulari, & eo magis, quia, ut notat *Gloſſa in c. nullus Religioſus de elect. in 6.*, Epiſcopus religioſior debet eſſe Monacho. Inſuper non repugnat ut Religioſus ſit ad tempus adjutor Beneficiarii Curati, ut docent Canoniſtæ *in cap. conſultationibus de Cleric. ægrot. Azor 2. p. l. 3. c. 2. q. 8.* Neceſſaria tamen eſt non ſolum licentia ſui Prælati, ſed etiam Epiſcopi: *cap. de Rectorib. de Cleric. ægrot.*

Tertio, alia ſunt Beneficia *duplicia*, alia *ſimplicia*. Duplicia primo ſunt ea, quæ important præcedentiam cum juriſdictione. Et quidem tales haberent eſſe omnes Dignitates, ut conſtat ex *Gloſſ. in cap. 1. de conſuet. in 6. & Rebuf. in prax. Beneficiar. tit. ſæcul. benefic. quotuplex n. 7.* Nihilominus & illa cenſetur Dignitas, adeoque Beneficium duplex, quamvis careat juriſdictione, quæ ex primæva fundatione talis eſt reputanda; ut ſi in erectione alicujus beneficii cautum ſit quod ſit Dignitas: *Maſcard. de probation. concl. 515. num. 5.* Item reputatur Dignitas illud Beneficium, quod vere habet nomen, cui de jure communi Dignitas annexa eſt, quale eſt nomen Archidiaconi, quod cenſetur deſignare primam Dignitatem poſt Epiſcopum: *cap. 1. & cap. ad hæc de offic. Archidiac.* Secundo, dicitur Beneficium *duplex* illud, quod præcedentiam importat, quamvis nullam habeat juriſdictionem. Hujuſmodi beneficia appellantur *Perſonatus*, & taliter ſe habet Primicerius, cui debetur ſedere ante alios Canonicos. Tertio, dicitur Beneficium duplex illud, quod annexam habeat adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum, uti ſe habent Sacriſta, Theſaurarius &c. Diſtinctio inter Dignitates, Perſonatus, & Officia innuitur *c. de multa 28. de præbend., & cap. 1. de conſuet. in 6.* Quarto, dicitur Beneficium duplex illud, quod annexam habet curam animarum, quapropter dicitur Curatum. Quamvis autem ex textu *in cap. dudum 54. §. Sed cum in jure de elect.* videatur dici poſſe Beneficium curatum etiam illud, quod ſolum habet juriſdictionem in foro externo, ſeu contentioſo, ut notat etiam *Barboſa p. 3. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 57. n. 163.* nihilominus ſtricte illud dicitur Beneficium curatum, quod poteſtatem habet in foro pœnitentiali ligandi, atque ſolvendi, & adminiſtrandi Sacramenta ſuis ſubditis: *Maſcard. de probat. concl. 469. num. 2. Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloſs. 6. n. 69.*

Beneficium ſimplex nil habet ex iis, quæ diximus annexa eſſe Beneficiis duplicibus, ſed ſolum ſunt inſtituta ad preces Deo perſolvendas, aliaque Divina Officia peragenda. De his dumtaxat Beneficiis intelligenda ſunt reſcripta Papalia, quæ volunt cuipiam provideri de ſimplici Beneficio; & nullatenus extendenda ſunt ad Beneficia, quæ aliqua ratione ſunt duplicia, non ſolum quia diligenter obſervandi ſunt fines mandati Apoſtolici: *cap. cum dilecta 12. de reſcript.* ſed etiam quia reſcripta, quoad Beneficia obtinenda, conſiderantur ut ambitioſa: adeoque limitanda: *cap. quamvis pleniſſima 4. de Præbend.*

Quarta Beneficiorum diviſio eſt in Beneficia electiva, collativa, & mixta. Collactiva ſunt ea, quæ conferuntur libera, & abſoluta voluntate Superiorum. Electiva dicuntur ea, quæ conferuntur per electionem legitimam a Superiore confirmatam. Mixta conferuntur prævia præſentatione Patroni, & Prælati inſtitutione. Alias Beneficiorum diviſiones referunt Canoniſtæ, apud ipſos videndas, cum parum ad praxim conducant.

Q. III. Quid ſit Canonicatus, & an ſit Beneficium.

R. I. Canonicatus, ſive Canonia, eſt jus ſpirituale quod provenit ex electione, ſive receptione alicujus in Canonicum. Propter tale jus debet habere ſedem, ſive ſtallum in Choro; vox autem in Capitulo non conceditur ex jure Tridentini *ſeſſ. 22. de reform.* niſi habenti Sacrum Ordinem Subdiaconatus. Ex jure debet Canonico tribui Præbenda, ſeu competens portio fructuum canonicalium: *c. relatum 9. de Præben. cap. dilectus 10. ibid.* Quod ſi ob modicitatem fructuum Canonicalium, conſuetudo ſit in aliquibus Eccleſiis, ut aliqui Canonici careant præbenda, ſive iiſdem fructibus, id non improbatur a præfatis juribus, & ſat eſt, ſi illis conferantur ſtatim ac opportunitas tulerit.

R. II. Canonicatus obtentus ſub expectatione præbendæ, vel fructuum percipiendorum, proprie non habet rationem beneficii, cum nondum annexum illi ſit jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis propter officium ſpirituale; & id requiri ad rationem beneficii conſtat ex ipſius definitione ſupra allata. Tunc ergo proprie obtinet rationem beneficii, quando ex acceſſione præbendæ, vel fructuum canonicalium acquiritur tale jus.

Q. IV. Quid ſit Vicaria, & an ſit beneficium.

R. I. Ille dicitur Vicarius Eccleſiæ, qui vice principalis Rectoris illi deſervit. Id autem poteſt pluribus ex cauſis evenire. Primo, quia Eccleſia, vel Parochia fuerit incorporata Eccleſiæ Cathedrali, Capitulo, ſeu Monaſterio, de qua re *Trid. ſeſſ. 7. de reform., & ſeſſ. 24. c. 13. & 15. de reform.* Secundo, poteſt aſſignari Vicarius alicui Eccleſiæ, etiam vivente principali Rectore, nempe ratione ægritudinis iſtius, ut ex pluribus capitibus: *tit. de Cler. c. ægrot.*: ratione juſtæ abſentiæ Rectoris ab Epiſcopo approbatæ: *can. non oportet de conſec. d. 5.*: ratione peregrinationis ad loca Sancta: *cap. ult. de celebr. Miſſ.*: & ratione occupationum ſui muneris, & officii: *cap. 1. de celebr. Miſſar.* Ipſe Parochus non poteſt ſine licentia Epiſcopi Vicarium ad longum tempus conſtituere, bene tamen ad breve, puta quindecim dies, *cap. cum ex eo de elect. in 6.*

R. II. Vicariæ perpetuæ ſunt proprie beneficia, non vero temporales. Quod Vicariæ perpetuæ ſint vere, & proprie Beneficium, habetur per textum expreſſum *in cap. poſtulaſti de reſcript., & notat ibi Gloſſ. v. beneficium.* Hinc Vicarii perpetui Eccleſiarum Parochialium æquiparantur ipſis Parochis, *Clem. unic. de offic. Vicar.* Et re vera, quia Vicaria perpetua eſt vere beneficium, confertur cum Canonica inſtitutione, & erectione tituli Vicariæ: & canonice inſtitutus nequit amplius amoveri, niſi aliquid committat, ex quo ſit dignus depoſitione: *cap. ad hæc 3. de offic. Vicar.* Ex hoc autem inſuper ſequitur habere Vicarium jus perpetuum percipiendi ex bonis Eccleſiaſticis fructus propter officium ſpirituale, quod exercet: adeoque ex dictis ab initio hujus capitis nihil deeſt, quin Vicarius habeat veram rationem beneficii.

E contra cum Vicaria temporalis non afferat tale perpetuum jus, & poſſit talis Vicarius ad libitum amoveri, certe non habet rationem beneficii, de cujus ratione eſt, ut in eo inſtitutus perpetuo duret: *can. Sanctorum diſt. 70. & communiter.* Cæterum magis conferre videtur ad Commodum Eccleſiarum, ſi Vicarii ſint perpetui; nam tunc magis eas diligunt, cum tanquam proprias conſiderent: *Gonz. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 6. n. 206.*

Q. V. Quid ſit Capellania; & an ſit Beneficium.

R. I. Capellania eſt Beneficium ſimplex fundatum in Capella, ſeu Eccleſia cum authoritate, & conſenſu Epiſcopi. Si igitur aliqua Capellania erigatur ſine authoritate Epiſcopi, vel alterius Superioris Eccleſiaſtici, cui competat, eadem Capellania nullatenus erit Beneficium, nec vera Capellania, ſed ſolummodo pium Legatum, & pia donatio; unde Epiſcopus non habet jus inſtituendi in talibus Capellaniis &c. *Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſ. 5. n. 35.*

R. II. Si Capellania ſit perpetua fundata authoritate Epiſcopi, & conceſſa in titulum, ex pluties dictis, habet rationem Beneficii, cum importet jus perpetuum aliquid exigendi ex bonis Eccleſiæ propter officium ſpirituale. Si vero non ſit perpetua, neque habet rationem beneficii, immo ſi erat perpetua, & fiat ad nutum amovibilis, deſinit eſſe beneficium, ut notat *Fagnan. in cap. ad audientiam n. 120. de reſcript.* Ad ſummum iſtæ Capellaniæ amovibiles (idem dic de Vicariis) conſiderantur ut beneficia in materia favorabili: *Fagnan. loc. cit. n. 118.* vel etiam contrahi poterunt in diſpoſitionibus editis ob publicam utilitatem; unde poterit in eis committi ſimonia confidentialis, cum ea prohibita ſit ob publicam utilitatem: *Pyrrh. Corrad. l. 1. prax. benef. c. 6. n. 286. Garz. p. 1. de benef. c. 2. n. 69.*

Q. V. Quid ſit Commenda, & an ſit Beneficium.

R. Olim Commenda nil aliud erat, quam cuſtodia Eccleſiæ alicui commiſſa: *Gloſſ. in cap. nemo v. commendare de elect. in 6.* Hinc Commendatarius, qui erat tantum cuſtos Eccleſiæ, nullum habebat jus in Eccleſia,

nec

nec faciebat fructus ſuos, ſed quod ſupererat ad ſui ſuſtentationem, & Miniſtrorum, convertendum erat in Eccleſiæ utilitatem, ut notat *Gloſſa* citata. Eccleſiæ autem curatæ ad ſex menſes, & non ultra poterant ab Ordinariis concedi in Commendam, ſi ita neceſſitas, vel utilitas expoſcebant: *ca. nemo de elect. in 6.*

Modo ſolus Papa confert in perpetuum Perſonis qualificatis, ac de Eccleſia bene meritis Eccleſias in commendam; & id non principaliter in bonum Eccleſiarum, ob quarum utilitatem antiquitus Commendatario ipſorum cuſtodia commendabatur, ſed principaliter conferuntur Commendatario, ut ex ipſius fructibus commodius ſuſtentetur. Ex hoc autem non parum detrimenti acceſſit Monaſteriis, quæ conferuntur in commendam, non ſolum in temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus, ut notat *Fagnan. in cap. cum ad noſtram n. 14. de elect.* Eccleſiæ vero curatæ non amplius conferuntur in commendam, ſed, cum vacant, debent in eis Vicarii deſignari juxta *Trident. ſeſſ. 24. c. 18. de reform.*; & deciſum fuit a S. Congregatione, prout refert *Barboſ. in collect. ad cap. 18. cit. & Fagnan. in cap. dudum il. 2. n. 44. de elect.*

R. II. Commendæ temporales utique non habebant rationem Beneficii, ut conſtat ex ſupra dictis, unde nil obſtat, quin ab eodem una Eccleſia obtineretur in titulum, altera in commendam, ad ſimplicem nempe cuſtodiam: *cap. dudum 54. §. ſuggeſſit de elect.* Verum commandæ perpetuæ, quæ modo conferuntur a Papa, habent rationem veri beneficii, cum tribuant jus perpetuum percipiendi fructus Eccleſiaſticos propter officium ſpirituale, ob cuſtodiam nempe exhibitam Eccleſiæ: Hac ratione Tridentinum prohibet habera plura beneficia etiam *commendata: ſeſſ. 7. c. 2. & 4. ſeſſ. 24. c. 17. de reform.*, & id intelligendum eſt, quamvis unum haberetur in titulum, & alterum in commendam, ut deciſum teſtatur *Fagnan. c. dudum il. 2. n. 36. & ſeqq. de elect.*

Q. VII. Quid ſit Præſtimonium, & an ſit Beneficium.

R. I. Præſtimonia ſunt quidam annui proventus detracti ax redditibus Beneficiorum, qui ſolent dari Canonicis, vel aliis Clericis in vitæ ſubſidium, & præcipue ut operam ſtudiis impendant: *Laym. l. 4. tract. 2. cap. 5. n. 5.*

R. II. Si præſtimonia conferantur ad tempus determinatum, & limitatum, utique non ſunt Beneficia Eccleſiaſtica, ſed mera ſtipendia; cum de ratione Beneficii ſit dare jus perpetuum ad percipiendos fructus ex bonis Eccleſiæ. Si vero conſerantur in titulum, & in perpetuum, dumtaxat vacatura morte illius, cui dantur, ſunt revera beneficia, nam tunc conferunt prædictum perpetuum jus, & illud ratione ſpiritualis officii, v. g. recitationis Horarum, ad quam tenentur obtinentes hujuſmodi præſtimonia. Hinc ea inter beneficia adnumerantur: *cap. ult. de conceſſ. præbend. in 6.*, *& a Tridentino ſeſſ. 14. c. 9. de reform. & ſeſſ. 23. cap. 18.* Item quia ſunt vere Beneficia, S. Pius V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Ex proximo*, obligat habentes præſtimonium ad reſtitutionem fructuum, ſi non recitent Divinum Officium.

Q. VIII. Quid ſit Penſio, & quotuplex; & an ſit Beneficium.

R. Penſio communiter definitur: *Jus percipiendi fructus aliquos ex alieno Beneficio. Garz. de Benef. cap. 5. n. 170.*

R. II. Penſio dividitur in Laicalem, & Clericalem. Laicalis eſt, quæ confertur ob miniſterium, & cauſam mere temporalem, ſive conferatur Laico, ſive Eccleſiaſtico. Hujuſmodi eſſet penſio, quæ miniſtraretur Oeconomo Eccleſiæ, Cantori, Æditui, Pulſanti organum, &c. Penſio Eccleſiaſtica eſt, quæ ſolis Eccleſiaſticis Perſonis competit, & hæc pariter duplex eſt. Alia quæ competit ſolis perſonis Eccleſiaſticis, ſed quia datur ex titulo mere temporali dicitur mixta. Ita ſe habet penſio, quæ confertur Clerico pauperi, ut alatur, vel Parocho impotenti Beneficio deſervire. Ad hanc reducitur penſio, quæ ſi datur ob officium ſpirituale, datur tantum ad tempus, ut quæ datur Oeconomo Parochi impotentis, ut exerceat curam animarum, quoaduſque ille vivat. Alia eſt Penſio, quæ non ſolum datur ſolis Eccleſiaſticis, & ob officium Spirituale, ſed inſuper datur perpetuum titulum; ut quando ex aliquo pingui beneficio detrahitur certa portio fructuum, & aſſignatur alicui Clerico vel in perpetuum Præſtimonium, vel in titulum Beneficii perpetui e. g. Vicariæ. Hæc autem aſſignatio non obſtat S. Canonibus; nam ut bene notant Canoniſtæ, & inter alios Fagnanus *in cap. ad audientiam n. 41. de reſcript.*, S. Canones ſolum prohibent, ne tales penſiones in fraudem aſſignentur, non vero ſi intercedat aliqua juſta cauſa.

R. III. Sicut certum eſt penſiones laicales non eſſe beneficium, quia non habent ſibi annexum officium Spirituale; ita & certum eſt habere rationem beneficii eas penſiones, quæ dantur in perpetuum titulum ob officium Spirituale, ut conſtat ex ſupra dictis de Vicariis, & Præſtimoniis. De his penſionibus videndus *Fagnanus loc. cit. n. 44. & c.*

Aliæ Penſiones, quæ licet ſolis dari poſſint Eccleſiaſticis, nihilominus vel non dantur in perpetuum titulum, vel dantur ob ſolum motivum temporale, non habent rationem beneficii; quia non verificatur importare jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ propter officium aliquod ſpirituale, ut expoſcit ratio beneficii. Hinc tales penſiones non indigent inſtitutione, ſicut Beneficia; nec dicuntur, ſicut Beneficia, vacare morte poſſidentis, cum beneficia ita dicantur vacare, ut per alios poſſint poſſideri; penſio vero ceſſat morte penſionarii, & ad alios non tranſit. Quod ſi Sanctus Pius V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit *in Proximo*, obligat hujuſmodi Penſionarios, non recitantes Officium Divinum ad recitationem Officii parvi B. Virginis, cum obligatione reſtituendi fructus, ſi non recitent, hoc idem probat, hujuſmodi penſiones non eſſe Beneficium; nam ſi fuiſſent Beneficium, ante hujuſmodi Conſtitutionem Penſionarius recitare debuiſſet Horas Canonicas. Demum de hujuſmodi penſionibus, veluti de re a Beneficio diſtincta, loquitur *cap. quamvis pleniſſime 4. de præbend. in 6.*, *& Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. ſeſſ. 23. c. 18.*, *ſeſſ. 25. c. 15. de reform.*, & notat *Fagnan. in c. cum in cunctis n. 106. de elect.* Hinc quamvis ex Tridentino *ſeſſ. 23. c. 6. de reform.* nullus obtinere poſſit Beneficium ante annum 14. id non valet de penſionibus ex declaratione S. Congreg. apud eumdem Fagnanum *loc. cit. num. 12.* Remanet ergo, hujuſmodi penſiones ſolummodo in materia favorabili poſſe venire aliquo modo ſub nomine Beneficii, ut notat *Fagnan. in c. ad audientiam. l. 2. n. 17. & ſeq. de reſcript.*

CAPUT II.

De Obligationibus Beneficiatorum.

Q. I. QUÆ ſint onera, ſive obligationes Beneficiatorum.

R. Onera Beneficio annexa, ſunt ſequentia. Obtinens Beneficium debet recitare Officium Divinum, de qua obligatione infra late agemus. Tenetur facere fidei profeſſionem. Tenetur reſidere in loco Beneficii, vel etiam aſſiſtere Divinis Officiis. Tenetur recipere Ordines de jure annexos ſuo Beneficio.

Q. II. Quales Beneficiati teneantur ad Fidei profeſſionem.

R. Ex Decreto Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* tenentur ad Fidei Profeſſionem omnes Beneficiati habentes Curam animarum intra bimeſtre a die pacificæ poſſeſſionis, eamque emittere debent in manibus Epiſcopi, aut ejus Vicarii, vel Officialis. Item ex vi ejuſdem Decreti tenentur facere Fidei profeſſionem coram Epiſcopo, & Capitulo, omnes Canonici Eccleſiæ Cathedralis, & Dignitates illius. Additur inſuper præfatis hæc pœna; ut niſi intra bimeſtre a die pacificæ poſſeſſionis Fidei profeſſionem faciant, ne faciant fructus ſuos.

Hinc oritur controverſia inter DD., an omittentes dictam Fidei profeſſionem teneantur in conſcientia dictos fructus reſtituere etiam ante omnem Judicis ſententiam. Et quidem non deſunt affirmantes expectari poſſe ſententiam declaratoriam criminis, in eo fundati, quod nemo tenetur in ſe ipſum exequi pœnam a lege inflictam, niſi poſt talem ſententiam. At meo videri, potius ſequi debemus contrariam ſententiam; nam ſimiles leges non ſunt in toto rigore pœnales, ſed potius dicendum eſt inducere inhabilitatem ad aliquid conſequendum: ſicut non recitans Horas Canonicas inhabilis eſt ad obtinendam portionem fructuum eis correſpondentem. Porro dum lex aliquos inhabilitat ad aliquid poſſidendum, non debet expectare Judicis ſententiam, ut illud non percipiat, & ut illud dimittat, ſi percepit dum erat inhabilis ad poſſidendum. Et de facto vult Concilium *illis poſſeſſionem non prodeſſe*, unde eodem modo ſe habent, ac ſi poſſeſſionem Beneficii non haberent. Idem dici poteſt tales leges non eſſe pœnales, ſed conventionales, ſeu conditionales, itaut velint non poſſe aliquid adipiſci, niſi poſita

con-

Digitized by Google

conditione a lege ſtatuta; dum autem ad aliquid juſte poſſidendum deeſt conditio neceſſaria, non eſt expectanda Juris ſententia ad dimittendam rem, quam quis non poteſt obtinere ſine tali conditione: *Azor. t. 2. l. 7. c. 2. q. 1. Garzias de Benef. 3. p. c. 3. n. 45., Filiuc. tr. 22. c. 3. n. 97.* Immo, quia profeſſio Fidei conſideratur, ut conditio neceſſaria ad faciendos fructus ſuos, non deſunt qui velint a die tranſacti bimeſtris etiam inculpabiliter omittentem Fidei profeſſionem non facere fructus ſuos: *Ledeſm. 2. p. tr. 1. c. 4. concl. 10. dif. 2.* Nihilominus alius ſentiendum puto, ut in ſimili dicam infra *quæſt. 7.*, cum tunc bene poſſit præſumi aliam eſſe mentem Eccleſiæ.

Q. III. Quid importet Reſidentia, ad quam tenentur Beneficiati; qui ad eam teneantur; & quo jure teneantur reſidere.

R. I. Reſidere in Eccleſia per S. Canones, idem eſt ac eidem perſonaliter deſervire in Divinis Officiis, per *text. in cap. conquerente de Cleric. non reſid.*, ac proinde onus reſidentiæ intelligendum eſt cum effectu; *cap. relatum 4. ibid.* neque enim prodeſſet præſentia Clerici in loco Beneficii, ſi quæ ſui beneficii ſunt, non præſtaret, ut notat *Gloſſa in cap. unic. v. præſentes de Cleric. non reſid. in 6.* Neque hic valet regula 68. juris in 6. *poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.*; nam fallit hæc regula, quoties electa eſt induſtria, & fides Perſonæ, cui aliquid committitur: *cap. ult. §. Is autem de Offic. Jud. Deleg., cap. is, cui 12. eodem tit. in 6.* & in beneficiis cenſetur electa induſtria, & fides perſonæ, cui conferuntur: *cap. quia nonnulli 3. de Cleric. non reſid. junct. can. Metropolitano diſt. 64., & can. licet 8. q. 1.* Et quidem maxime ad beneficia curata, neceſſe non eſſet eligere digniores, & utiliores Eccleſiæ, ut vult Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 18. de reform.*, ſi pro inſerviendo Eccleſiæ non eligeretur fides, & induſtria Perſonæ electa.

R. II. Epiſcopi, aliique Beneficiati Curam animarum habentes, tenentur Jure Divino, & Naturali ad reſidentiam perſonalem. Ratio eſt quia cum ex pluribus S. Scripturæ locis habeatur Paſtores debere oves ſuas agnoſcere, eaſque paſcere, iſtarumque indigentiis invigilare, nec eas mercenariorum more deſerere, & cum hæc præſtare haud poſſint, ſi non reſideant, ſequitur, Paſtores jure divino naturali debere apud ſuum gregem reſidere. Hinc Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. de reform.* dicit, omnes habentes Curam animarum teneri ad reſidendum penes ſuum gregem. Notandum tamen eſt cum Fagnano *in cap. ex parte n. 18. & 19. de Cleric. non reſid* quod cum Tridentinum non poſuerit hanc doctrinam inter Canones ad dogmata Fidei pertinentes, conſequens eſt non eſſe de Fide, habentes Curam animarum jure Divino ad reſidentiam teneri. Videantur *Fagnanus loc. cit., Garzias part. 3. de Benef. cap. 2. nu. 16., Barboſ. p. 3. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg 53. n. 2.*

Ex dictis ſequitur, primo Romanum Pontificem, cum ex jure divino ſit Epiſcopus Romæ, & jure divino pariter ad ibi reſidendum teneri: *Barboſ. de poteſt. & offic. Epiſc. p. 1. tit. 3. c. 2. n. 12. & 13.* Eandem obligationem extendunt ad Cardinales S. Romanæ Eccleſiæ, utpote quia conſiderantur quaſi Compaſtores cum Papa totius Ovilis Chriſti. Secundo, jure divino tenentur reſidere Epiſcopi. Et quidem reſidere debent in loco Eccleſiæ Cathedralis, ut ex S. Canonibus animadvertunt Canoniſtæ, ex eo maxime quod cum Epiſcopus ſit Sponſus ſuæ Eccleſiæ, debet penes eam reſidere; nec ſatis eſt, ſi in Diæceſi reſideat: *Barboſ. p. 3. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 53. n. 3., Fagnan. in cap. qualiter n. 27. & 34. de Cleric. non reſid.* Quamvis autem ex quibuſdam Canoniſtis, quos ſequitur Barboſa *loc. cit. n. 13.* Epiſcopi Cardinales poſſint reſidere Romæ; & non apud ſuam Eccleſiam, nihilominus Theologi communiter docent oppoſitum, cum non omnes Cardinales neceſſarii reputentur Romæ ad aſſiſtendum Pontifici, & aliunde jus divinum obliget unumquemque Paſtorem ad ſuum gregem gubernandum. Id etiam colligitur ex Tridentino *ſeſſ. 23. c. 1. de reform.* neque ipſos Cardinales a perſonali reſidentia excuſante; & conformiter Tridentino ad reſidendum illos obligavit Urbanus VIII. in ſua Conſtit. quæ incipit: *Sancta Synodus &c.* Videatur inter alios *Hurtad. de Reſid. lib. 2. reſol. 8. n. 25.* Excuſantur tamen communiter a reſidentia illi Cardinales, qui habent ſuas Eccleſias prope Romam, nam ex una parte facile illas gubernant etiam Romæ reſidendo, & ex alia parte præſtant debitam aſſiſtentiam S. Pontifici.

Obſervare tamen eſt, extra tempus Adventus, & Quadrageſimæ, & feſtorum ſolemniorum, poſſe Epiſcopus ſpatio duorum vel trium menſium a ſuis Eccleſiis abeſſe, dummodo id ſit abſque gregis detrimento, & hoc poſſunt facere abſque ulla Superioris licentia, cum id illis concedat Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 1. de reform.* Et ratio eſt, quia talis abſentia reſpectu totius anni, ſi ex ea detrimentum gregis ſequi non poſſit, brevis abſentia reputatur: *Barboſ. in collect. ad cit. cap. Trid. n. 15. Fagnan. in cap. qualiter n. 38. & 39. de Cleric. non reſid.* Notat autem *ibid. Fagnan. n. 40. & ſeqq.* abſentiam trimeſtrem unius anni, ex declaratione S. Congregationis non eſſe conjungendam cum abſentia trimeſtri alterius anni; nam cum tunc Epiſcopus per ſex continuos menſes abeſſet, non verificaretur ipſius abſentiam eſſe brevem.

Secundo ſequitur. Parochum jure divino teneri ad reſidendum in ſua Parochia, utpote quia & ipſe eſt Paſtor qui debet cognoſcere, paſcere, & invigilare ſupra ſuum gregem. Et revera etiam quoad Parochos, omneſque curam animarum habentes, id expreſſe decrevit Tridentinum *ſeſſ. 22. c. 1. Eadem omnino de reform.* Ex hujuſmodi Conciliari Doctrina aſſerunt DD. Parochum nullatenus abeſſe debere a ſuis ovibus ſine juſta, & rationabili cauſa, qualum una certe eſt honeſta recreatio non vero animus vagandi, & multo minus extra Parochiam pergere ad ludendum. Obſervant etiam DD. æquum eſſe, ut Parochus reſideat in Parochiali domo, cum conveniat Sponſum apud ſuam Sponſam reſidere: *Barboſ. in Conc. ſeſſ. 23. cap. 1., & tr. de Paroc. p. 1. c. 8. a n. 34. & de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 53. a n. 71. Th. Hurtad. lib. 3. de reſid. Paroch. reſol. 3. n. 1.* Interveniente autem juſta, & legitima cauſa, relicto tamen idoneo Vicario, poteſt abſque alia licentia uſque ad ſeptem dies abeſſe, nam hoc videtur pauliſper abeſſe; & qui pauliſper abeſt, abeſſe non dicitur, ut dicit ipſum Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 1. de reform.* & habetur *text. leg. quidquid in calore ff. de reg. jur.* Non conceditur autem Parochis abeſſe etiam ex juſta cauſa a propria Parochia per integram hebdomadam, ſive per octo integros dies, niſi petita, & obtenta licentia ab Epiſcopo, ex declaratione S. Congregationis apud *Fagnan. in cap. relatum de Clericis non reſid. n. 33. & apud Garziam p. 3. de Benef. cap. 2. nu. 19. & 23.* Unde non amplius habere poteſt locum illa opinio, qua dicebatur poſſe Parochum ex juſta cauſa ad bimeſtre a ſua Parochia abeſſe, etiam abſque Ordinarii licentia, cum declaratum ſit ex jure non poſſe neque per integram hebdomadam abſque ſine licentia, qua vult Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 1. de reform.* non eſſe ultra bimeſtre concedendam, *niſi ex gravi cauſa*.

Inſuper advertendum in facultate eſſe Epiſcopi ſub pœna pecuniaria, non vero excommunicationis latæ ſententiæ prohibere Parochis, ne ultra biduum a ſua Eccleſia abſint. Ita declaravit S. Congregatio *apud Garz. p. 3. de Benef. c. 2. n. 23. & apud Barboſ. p. 1. de Offic. Paroch. c. 8. n. 45.* Semper tamen meminiſſe debet Parochus in ſui abſentia relinquere debere idoneum Vicarium, ut decernit *Tridentinum loc. cit.* Nec ſatis tutam judicet opinionem, qua illi conceditur abeſſe, non conſtituto Vicario per duos, aut tres dies, quamvis non ſit Infirmus in Parochia; nam ſæpe accidit in puncto, quod non contingit in anno. Hinc Barboſa, qui alias indulgentior fuerat in Parochos, neſcit laudare abſentiam Parochi vel per ſolum diem, addens eſſe gravem culpam per duos, vel tres abeſſe, etiam nullo infirmante: *p. de Offic. Paroch. c. 8. n. 44.*

Q. IV. Quæ ſint juſtæ cauſæ excuſantes a Reſidentia.

R. Juſtæ cauſæ excuſantes Epiſcopos a reſidentia, & proportione ſervata etiam Parochos, ad ſequentes reducuntur ex *Concilio Tridentino ſeſſ. 23. c. 1. de Reform.* Prima eſt *Charitas Chriſtiana*, ut ſi e. g. Epiſcopus, vel Parochus abſit a propria Eccleſia ad opitulandum alteri Eccleſiæ, quæ neceſſe habeat ipſorum prædicatione, & aſſiſtentia; ut non inficiatur hæreſi, vel ut a gravibus ſceleribus populi emendentur. Idem dicatur, ſi neceſſe foret eos abeſſe ad graves inimicitias componendas, maxime inter Perſonas Potentes. Providendum tamen interim eſt, ne propria Eccleſia grave patiatur detrimentum: *Barboſ. p. 3. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 53.*

Secunda eſt *urgens neceſſitas*, quando nempe ob ſuam valetudinem ſervandam, vel recuperandam, neceſſe haberent Epiſcopus, vel Parochus aeris mutatione, vel ob Principis, ſeu aliorum malitiam opus illis eſſet ſe ſubducere ad vitæ defenſionem. Non poſſunt autem Epiſcopus, vel Parochus ſe ſubducere, etiamſi ſint in periculo vitæ, dum ipſorum præſentia neceſſaria foret ad populos in fide confirmandos, vel ad miniſtranda ipſis Sacramenta;

atque

atque ita ſæpius S. Congregatio declaravit non poſſe Parochum tempore peſtis a ſua Eccleſia abeſſe; cum ex vi ſui paſtoralis officii teneatur ſuis ovibus etiam cum gravi vitæ diſcrimine ſuccurrere, quamvis concedat poſſe Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ per alios conferre, ut ipſe ſe ſervet incolumem ad ſuperſtites regendos, & ne Sani ab ipſo abhorreant: *Fagnan. in cap. Clericos n. 38. & ſeqq. de Cleric. non reſid.* Quod ſi Parochus cogatur abeſſe ratione gravis inimicitiæ, vult S. Congregatio, ut conſtituto idoneo Vicario, illi concedatur manere in loco tutiori ad ſex menſes; & quod eadem licentia ad alios ſex menſes prorogetur, ſi nondum ſedatæ fuerint inimicitiæ. Si vero nec intra tale tempus ita componantur res, ut Parochus tuto poſſit reſidere, tunc vult inducendum eſſe Parochum ad permutandum, vel reſignandum Beneficium, ut curæ animarum conſulatur: *Fagnan. loc. cit. n. 25. & 26.*

Tertia eſt *debita obedientia*, dum ſcilicet Epiſcopus, vel Parochus abſunt, ut pareant juſtis mandatis ſuorum reſpective Superiorum. Ubi obſervandum ſæpe declaratum eſſe à S. Congregatione, non poſſe Epiſcopum ultra bimeſtre a Concilio Tridentino permiſſum, uti opera Parochi vel in viſitatione, aut alio ſervitio ſuæ Eccleſiæ; vel in proprio, ſive etiam in ſervitio Eccleſiæ Cathedralis. Has declarationes legere eſt apud *Pignatellum tom. 7. conſult. 3. n. 3. &c. apud Barboſam p. 3. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 53. n. 86. apud Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 6. n. 258.*

Quarta *evidens Eccleſiæ utilitas*, ut quando Epiſcopus abeſt pro Synodo Provinciali, ſed Parochus pro Synodo Diœceſana. Idem dicas, ſi abſint pro lite ſuæ Eccleſiæ, pro obtinenda a Superioribus reformatione &c. Ubi notandum, quod etſi Epiſcopi abeſſe poſſint a ſuis Diœceſibus pro evidenti temporali utilitate Regni, aut Reipublicæ, id intelligi debet, ſi alii non ſint, qui æque bene præſtare poſſint munera, quæ ipſi aſſumunt: nam ſi alii idonei inveniatur, non verificatur, ipſorum abſentiam poſſe deſervire utilitati Reipublicæ. Contra hos Epiſcopos, qui ſine neceſſitate inſerviunt Principibus in negociis temporalibus, inſurgit *Trident. ſeſſ. 67. c. 1. de reform.* & Urbanus VIII. in ſua Conſtitutione incipiente, *Sancta Synodus*, & vult nulli Patriarchatum &c. licere a propria Eccleſia diſcedere, non obtenta ab ipſo Romano Pontifice licentia. Videatur *Fagnan. in cap. qualiter n. 12. & ſeqq. de Cleric. non reſid.*

An vero ſtudiorum cauſa juſta cenſenda ſit, ut poſſit Epiſcopus concedere Parochi licentiam non reſidendi in propria Eccleſia, controvertunt DD. Verum poſt Tridentinum videbatur iis ceſſare debere; nam cum velit Concilium non concedendas eſſe Eccleſias Parochiales, niſi iis qui per concurſum magis idonei judicantur, non debet eſſe neceſſitas, ut cauſa ſtudiorum poſtea recedant a ſua Eccleſia. Hinc hanc non eſſe Parocho juſtam cauſam a ſua Eccleſia diſcedendi cenſuit S. Congregatio apud *Gonzal. ſuper 8. regul. Cancellar. gloſſ. 6. n. 251. & apud Garziam de benef. 3. p. cap. 2. n. 81.* Videantur etiam *Riccius reſol. 390. 393. Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 53. n. 67. & de offic. Parochi p. 1. c. 8. n. 27.*

Q. V. Quibus pœnis ſubjaceant Epiſcopi, & Parochi non reſidentes.

R. Ultra culpam gravem, quam incurrit Parochus, ſi per tres, aut quatuor dies ſine juſta cauſa abſit, tenetur ad reſtitutionem fructuum pro rata abſentiæ. Ita *Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 1. de reform.* ubi primo vult Epiſcopum non legitime abſentem teneri ad reſtitutionem fructuum pro rata abſentiæ, ac deinde idem decernit quoad Parochum: Nec pro reſtitutione horum fructuum expectanda eſt judicis ſententia; nam vere tam Epiſcopus, quam Parochus non faciunt fructus ſuos ex defectu non adimpletæ conditionis, ſine qua non vult Concilium tales fructus acquirere; unde quod ſuum non eſt, retinere non poſſunt, ſed reſtituere debent Eccleſiæ, vel pauperibus; ſicut ſine alia ſententia reſtituere debet ille, qui non adimplevit conditionem, ſub qua Teſtator illi legatum reliquit: *Navar. in Man. c. 25. n. 118.* Quod ſi Epiſcopus non legitime abſens, monitus non reſipiſcat, vult Concilium cauſam deferendam eſſe S. Pontifici, qui poterit providere Eccleſiam de Paſtore utiliori: *Trid. ſeſſ. 6. de reform. cap. 1.* Decernit pariter Tridentinum poſſe Epiſcopum animadvertere in Parochum abſentem contumacem per cenſuras Eccleſiaſticas, ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia, uſque ad privationem.

Hinc etiam notandum, quod licet non deſint excuſantes a reſtitutione fructuum ſupradictos, ſi in Diœceſi vel Parochia reſideant, quamvis per alios omnino munera Epiſcopalia, ſive Parochialia exerceant: *Garzias p. 3. de Benef. cap. 2. n. 53.* nihilominus id ſuſtineri non poteſt reſpectu illorum, qui nec perſonaliter reſidens in loco ſui Beneficii, quamvis eſſet conſuetudo immemorabilis, ut Parochus inſerviret Beneficio curato per Vicarium, ac interim in abſentia fructus perciperet. Ratio eſt, quia contra jus divinum, quo jure tenentur Epiſcopi, & Parochi ad reſidendum, & ad exercendum per ſeipſos proprium Officium, nulla poteſt prævalere conſuetudo. Tum quia nullatenus eſt attendenda conſuetudo, quæ irrationabilis eſt, & corruptela, & talis eſſet præfata conſuetudo, utpote periculoſa animabus Parochianorum; ac proinde merito a Tridentino ſeſſ. 23. c. 1. corruptela nuncupatur: *Fagnan. in cap. ex parte n. 27. de Cleric. non reſid.*

Q. VI. An cæteri Beneficiati teneantur ad reſidentiam, & quo jure.

R. I. Ut conſtat ex *Tridentino ſeſſ. 24. c. 12. de Reform.* tenentur ad reſidendum obtinentes in Cathedralibus, aut Collegiatis, Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones. Idem dicendum de Manſionariis, & Capellanis obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis alia Beneficia; quæ ſunt perpetua, & habent annexum ſervitium in Choro; ita etenim cenſuit S. Congregatio declarans præcipitatum caput *Concilii Tridentini, ut videre eſt apud Garziam 3. p. de Benef. cap. 2. n. 475.*

Cæteri omnes obtinentes ſimplex beneficium nullum ſervitium habens annexum in Eccleſia Cathedrali, ſeu Collegiata, ad reſidentiam non tenentur, ſed poſſunt per Subſtitutum eidem beneficio deſervire, dummodo aliter Fundator diſertis verbis non præſcripſerit. Ita habetur ex generali conſuetudine totius Eccleſiæ, quidquid fuerit de jure antiquo; ut videre eſt apud *Fagnan. in c. cum omnes n. 14. de Conſtit. apud Zerolam p. 1. prax. Epiſc. v. Beneficium §. Ad ſeptimum v. octava concluſ. apud Garz. de Benef. p. 3. c. 2. n. 5. 11. 12.*

R. II. Illi Beneficiati, qui non habent actualem Curam animarum, & aliunde ex dictis tenentur ad reſidendum, hanc obligationem habent ex ſolo jure Eccleſiaſtico. Ratio eſt, quia ea non oritur ex jure divino imponente eis paſcere, & gubernare, cum non habeant oves, ſed ex jure Eccleſiaſtico, ex quo ortum habent ipſorum beneficia, & quo præſcriptus eſt modus eis inſerviendi: *Fagnan. in cap. Extirpandæ §. Qui vero n. 28. de Præbend.*

Q. VII. Quæ cauſæ excuſent a reſidentia Canonicos, aliosque Curam animarum non habentes, qui nihilominus ex dictis tenentur reſidere.

R. Ultra Cauſas ſupra allegatas excuſantes Epiſcopos, & Parochos, obſervandum eſt Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 12. de reform.* concedere Canonicis &c. poſſe abeſſe per tres menſes, & id intelligendum eſt, vel illi ſint continui, vel interpolati; *Garz. p. 3. c. 2. n. 306. Barboſ. p. 3. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 53. n. 120. Fagnan. in cap. licet n. 54. de præben.*; & cum hæc licentia concedatur a jure, ex prælatis DD. non eſt neceſſe pro ea ad Superiorem recurrere. Verum tamen eſt, quod ſi nulla alia detur cauſa abſentiæ, quam animum relaxare, pro eo tempore non lucrabuntur diſtributiones quotidianas: *Fagnan. cit. n. 92. & 93. Gonz. ad reg. 8. Cancell. §. 7. proœm. n. 82.* Ne tamen Eccleſia debito ſervitio deſtituatur, non debet eodem tempore major Canonicorum pars abeſſe; item cavere debent Canonici, ne abſint tempore maximarum Solemnitatum ut obſervavit S. Congregatio apud *Barboſam citatum n. 119.* Item vult Tridentinum, ne tanto tempore abſint, ſi Conſtitutiones particularium Eccleſiarum tale exigant ſervitium, ut non poſſint per tres menſes abeſſe. Immo ſi tunc non reſederint per totum tempus, quod exigit tale ſervitium, ſubjacent pœnis, de quibus infra: *Garzias cit. n. 144.* allegans declarationem S. Congregationis. Cæterum Epiſcopus ob legitimam cauſam poteſt concedere Canonico, ut ultra tres menſes per alterum menſem abſit. Ita ex S. Congregationis declaratione *Barboſ. de offic. Epiſc. alleg. 53. n. 123. Garz. p. 3. de Benef. cap. 2. n. 411. & 413. Fagnan. in cap. licet n. 47. de Præben.*

Poteſt pariter Beneficiatus abeſſe cauſa ſtudiorum, ſi a ſuo Prælato licentiam obtineat. Revocata quidem eſt a Tridentino facultas, quæ olim competebat Prælatis, concedendi nempe licentiam etiam Parochis ob hujuſmodi cauſam a propria Eccleſia diſcedendi, ut ſupra notavi; nihilominus quoad reliquos Beneficiatos integra perſeverat apud Epiſcopos poteſtas ipſis a jure conceſſa, ut nempe poſſint eis permittere, ut per ſeptennium abſint cauſa ſtudiorum: *cap. relatum 4. de Cleric. non reſid. &*

cap.

Digitized by Google

cap. cum ex eo 34. de elect. in 6. Ut videre tamen eſt apud *Garziam cit.* ultra licentiam Epiſcopi requiritur ut Beneficiatus non prætergreſſus fuerit annum trigeſimum, quamvis poſſit ſtudium abſolvere, ſi antea incœperit. Item oportet Beneficiatum incumbere ſtudio Theologiæ, vel SS. Canonum, & id in loco ſaltem per conſuetudinem ad publicum ſtudiorum exercitium deputato.

Item poſſunt duo Canonici abeſſe a loco ſui Beneficii, ſi abſint pro inſerviendo ipſi Epiſcopo, quatenus Epiſcopus eſt; *cap. de cætero 7. de Cleric. non reſid. & cap. ad audientiam 15. ib. Fagn. in cap. de cætero n. 4. & 12. Barboſ. de Canon. & dign. c. 25. n. 5.* Hi autem DD. cum aliis ab ipſis citatis, dicunt eſſe in poteſtate Epiſcopi non ſolum eligere duos Canonicos ex Cathedrali, ſed etiam ex alia quacumque Eccleſia Collegiata. Et merito, quia cum ita decreverint SS. Canones principaliter ob bonum Eccleſiarum, & ob ſervitium Epiſcopis præſtandum, hujuſmodi diſpoſitiones, utpote favorabiles, ſunt potius ampliandæ. An vero ratione conſuetudinis poſſint Dignitates, & Canonici abeſſe a ſuis Eccleſiis ultra tres menſes, modo negative reſpondendum eſt; cum per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 12.* ſublata fuerit talis conſuetudo, etiam immemorabilis, ut notat *Fagnan. in cap. cum omnes n. 21. & 22. de Conſtit. & Garzias p. 3. de Benef. c. 2. n. 197. ex ſent. S. Congr.* Ubi ergo recepta eſt talis Tridentini Conſtitutio, omnino negative reſpondendum eſt. Secus ſi non fuiſſe recepta, nam tunc poſſe valere talem conſuetudinem, notat etiam *Fagn. loco cit. n. 18.*

Illud certum eſt, quod ſi ſermo ſit de Beneficiis ſimplicibus quamvis in fundatione impoſita fuerit Beneficiato obligatio inſerviendi per ſeipſum, v. g. per ſeipſum Miſſas celebrandi; nihilominus adverſus talem perſonalem obligationem prævalere poteſt longæva conſuetudo legitime præſcripta, maxime ſi id non cedat in magnum Eccleſiæ præjudicium: *arg. cap. cum omnes juxta Gloſſ. in fin. de Conſt. in 6.* & pluribus citatis *Garz. ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 5. n. 107.* afferens declarationem S. Congregationis.

Q. VIII. Quas pœnas incurrant Beneficiati non reſidentes.

R. Dignitates, Canonici, aliique habentes perſonale miniſterium in Eccleſia Cathedrali, ſeu Collegiata, ſi primo anno non reſideant, privandi ſunt dimidia parte fructuum; ſi ſecundo anno, omnibus fructibus, ac denique ſi tertio anno privari poſſunt ipſis Beneficiis: *Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* Ubi obſervandum eſt non dicere Concilium hujuſmodi Canonicos non reſidentes non facere fructus ſuos, ut loquitur de Epiſcopis, & Parochis *ſeſſ. 23. c. 12.* unde cum ſolum decernit Concilium tales Beneficiatos eſſe privandos fructibus, quos fecerunt ſuos, etiam ratione Præbendæ &c. ſequitur non teneri ad eos reſtituendos ante ſententiam Judicis condemnatoriam: *Garz. p. 3. de Ben. c. 2. n. 151. Barboſ. de Canonic. c. 20. n. 32.*

Q. IX. Quam obligationem habeant Beneficiati ſuſcipiendi Ordines Beneficiis annexos.

R. I. Si Epiſcopus, poſtquam eſt electus, & confirmatus a S. Pontifice, intra tres menſes non conſecretur, debet reſtituere fructus jam perceptos; & ſi intra totidem menſes id facere negligat, ipſo jure Eccleſia ſua remanet privatus: *Trid. ſeſſ. 23. c. 2. de refor.* Neque ex dictis ſupra, expectanda videtur Judicis ſententia ad fructus reſtituendos, vel ad Eccleſiam dimittendam; nam iſtæ non tam ſunt pœnæ, quam conditiones, quas vult Concilium adimpleri, ut poſſint fructus, & Eccleſiæ retineri. Secus dicendum, ſi Epiſcopus ex infirmitate, vel alia rationabili cauſa differat conſecrationem, ut ex *can. quoniam diſt. 75.* & tradit *Barboſa de poteſt. Epiſc. p. 1. tit. 1. c. 5. num. 1. & p. 2. alleg. 2. num. 39. & 40.*

R. II. Electus ad Beneficium Curatum intra annum tenetur promoveri ad Sacerdotium, & niſi hoc faciat, nulla alia monitione præmiſſa, privatus remanet beneficio: *c. licet, & c. commiſſa 35. de elect. in 6. Garz. p. 3. c. 4. n. 3. & n. 52 Barboſ. de Parocho p. 1. c. 5. n. 1.* Ex citato autem capite *commiſſa*, annus, intra cujus terminum tenetur Parochus ad Sacerdotium promoveri, computandus eſt a tempore ſuſcepti regiminis, & illius pacificæ poſſeſſionis. Excuſandus tamen & ipſe eſſet, ſi ex juſto impedimento non potuiſſet intra annum ad Sacerdotium promoveri, nam impedito non currit tempus, ut dicitur *c. quia diverſitatem de conceſſ. præben.* Non eſſet tamen excuſandus ſi ipſe ex ſua culpa appoſuiſſet impedimentum eo fine, ut Ordinem non acciperet; nam tunc plene per ſeipſum ſtetiſſet, non potuiſſe promoveri. Secus, ſi impedimentum eo fine appoſuerit: & ita privandus non eſſet beneficio, qui ex infirmitate, quæ ex ſua culpa non provenerit, evehi non potuit ad Sacerdotium: *Barboſ. cit. num. 21.*

R. III. Habentes in Cathedralibus dignitates, Canonicatus &c. aliaque beneficia aliquem Ordinem exigentia, tenentur intra annum illum ſuſcipere. *Trid. ſeſſ. 22. de reform. c. 4.* alias habere non poſſunt vocem in Capitulo, & privandi ſunt dimidia parte diſtributionum, ut dicitur in *Clementina, ut ii &c.* quam ipſum Tridentinum innovavit. Poterit etiam Epiſcopus ſimul cum Canonicis, ut præſcribitur a *Trident. ſeſſ. 25. de reform. c. 6.* eos Beneficiis privare; nam Clementina citata alias pœnas in ſuo robore relinquit: *Garz. p. 3. c. 4. n. 16. Barboſ. de Canonic. c. 36. n. 20.*

R. IV. Dubium eſt inter DD. an debeat eſſe Sacerdos, vel ſaltem teneatur intra annum ordinari ille, cui confertur Capellania, vi cujus Capellanus debet celebrare, aut tot Miſſas dicere in ſingulis hebdomadibus. Et mihi arridet ſententia negativa; nam interpretandum eſt voluiſſe Fundatorem erigere Capellaniam juxta jus commune, & univerſalem receptam conſuetudinem, *leg. 2. ad jus retulit. C. de hæred. inſtituend.* & de jure communi eſt, ut quodcumque ſimplex Beneficium conferri poſſit habenti ætatem 14. annorum; & inſuper quod unuſquiſque ſatisfacere poſſit per alium oneribus annexis ſimplici Beneficio: *Garz. al. ad reg. 8. Cancel. num. 74. gloſſ. 5. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 24. num. 43. Laym. l. 4. tr. 1. c. 14. num. 2.* Immo *Garz. p. 7. c. 1. a num. 85.* refert deciſum a S. Congregatione neque teneri per ſeipſum celebrare obtinentem Capellaniam, in cujus fundatione diſpoſitum fuerit, ut ipſemet Rector celebret; nam oneribus Miſſarum recte ſatisfit per Subſtitutum. Contrarium vero ſenſerat S. Congregatio apud eumdem Garziam *num. 58.* in caſu, quo Fundator præſcripſiſſet, quod ad ſuam Capellaniam præſentaretur Sacerdos; nam tunc nullatenus adimpleretur voluntas Fundatoris, ſi non Sacerdos præſentaretur.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum ex jure divino teneantur Parochi reſidere; nec reſidere dicantur, ſi & ipſi per ſe parochialia munera non præſtent, videat Parochorum ruralium Confeſſarius in quanto ſalutis diſcrimine plures Parochi verſentur. Quidam ſunt, qui fere ſingulis hebdomadibus, nulla juſta cauſa cogente, ad Civitatem per duos, vel tres dies accedunt, & ita verificatur ſingulis annis per plures menſes abeſſe. Anne Confeſſarius hos in conſcientia tutos debet judicare? Alii ſunt, qui ſæpiſſime per totam hebdomadam in Civitate degunt, ut laxiorem vitam ibi protrahant, ſolumque feſtis diebus ad propriam Eccleſiam revertuntur. Et hi miſerrimi Parochi, proh dolor! habent a quo ſacramentali abſolutione donentur. Alii demum reperiuntur, qui materialiter quidem in Parochia reſident, ac totum, ſeu fere totum regendarum animarum onus aliorum humeris imponunt; & hi etiam quaſi propriæ ſatisfaciant conſcientiæ, abſolutione donantur, quotidie celebrant &c. Bene ergo animadvertat Confeſſarius hos Parochos a Sacramentis arcendos, ſi non rite munere ſuo fungantur; ſimulque cogat ad reſtitutionem fructuum pro rata, ſi ſæpe abſint ſine juſta cauſa.

Inſuper Confeſſarius moneat Parochum, quod licet ex quacumque juſta cauſa, puta inviſendi Parentes, peregrinandi &c. poſſit de licentia Epiſcopi per bimeſtre abeſſe, nihilominus ultra tale tempus abeſſe non debet, niſi ex aliqua gravi cauſa; nam ſolum, tali gravi cauſa exiſtente, adnuit Tridentinum, ut Epiſcopus poſſit illi concedere licentiam diſcedendi ultra bimeſtre.

II. Notet inſuper Confeſſarius, non ſatisfacere propriæ obligationi illos Canonicos, alioſque, qui in Cathedralibus, aut Collegiatis exhibere debent aliquod miniſterium, ſi illud non adimpleant per ſe; nam reſidentia, ad quam tenentur, exigit, ut per ſe ipſos propria munera adimpleant. Hinc Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 12. de reform.* vult quod omnes divina per ſe, & non per Subſtitutum compellantur obire officia. Quid vero dicendum de contraria conſuetudine, innuam quæſtione ſequenti.

CAPUT III.

De qualitatibus, quæ requiruntur in iis, quibus Beneficia conferuntur.

Q. I. QUÆ ſint qualitates, quæ eſſe debent in eligendis ad Beneficia.

R. Hæ qualitates reducuntur ad ſequentes. Ætas, Scientia, Probitas morum, debita Intentio, & aliquando Conſanguinitas reſpectu eorum, qui Beneficia propriis bonis fundarunt. Quando vero ratione Cenſuræ, ſeu Irregularitatis reddatur quis incapax ad Beneficia obtinenda, dictum eſt in Tractatu de Cenſuris, & Irregularitate.

Q. II. Quæ ætas requiratur in eligendis ad Beneficia.

R. I. Quoad Summum Pontificem nulla determinata ætas in jure requiritur, unde ſemper cum non habeat ex jure naturali impedimentum, & alias electus fuerit a duabus partibus Cardinalium, rite electus cenſendus eſt: *Azor. 2. p. l. 6. c. 5. q. 5.*

R. II. Eligendus ad Epiſcopatum debet habere trigeſimum annum completum: *cap. cum. in cunctis de elect. Trident. ſeſſ. 7. c. 1. ſeſſ. 22. c. 2. & ſeſſ. 24. cap. 1. de reform.* Et re vera hæc ætas neceſſaria eſt ad obtinendam eam probitatem morum, prudentiam & ſcientiam, ſine quibus ſublimia Epiſcopatus munera adimpleri rite non poſſunt: *Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 1. n. 26.* Eamdem ætatem vellet Tridentinum in promovendis ad Cardinalatum: *ſeſſ. 24. c. 1. de reform.* quamvis Sixtus V. in ſua Conſtitutione de Cardinalium numero, ordine, ætate, tempore, qualitate, & officio, non requirat in Cardinali Diacono, niſi annum 22. completum.

R. III. Pro eligendis ad Dignitates in Cathedralibus, ſi annexam habeant Curam animarum, opus eſt attigiſſe annum vigeſimum quintum; vel compleviſſe annum vigeſimum ſecundum, ſi talem curam annexam non habeant: *Trident. ſeſſ. 24. c. 12. de reform.* Eligendus in Canonicum Pœnitentiarium ex eodem Tridentino ibidem *cap* 8. debet eſſe ætatis 40. annorum, quamvis ſufficiat fuiſſe inceptos; cum nullum verbum ſit in Tridentino, quo indicetur debere eſſe completos: *Barboſ. 3. p. alleg. 55. n. 8. & in Trid. loc. cit. n.* 18. Verum tamen eſt, quod ſi in Diœceſi non reperiatur aliquis aptus ad hoc munus jam habens annos 40. tunc non eſt attendenda hæc ætas in eo eligendo: *Garzias p. 5. c. 4. n.* 218. afferens declarationem S. Congregationis. Eo ipſo autem quod aliquis electus ſit in Pœnitentiarium, tunc velut Parochus totius Diœceſis poteſt omnium confeſſiones audire, ex facultate illi tradita a Tridentino; non tamen abſolvere a caſibus reſervatis ſine licentia Ordinarii, ut aliis citatis, docet *Barboſ. p. 3. alleg. 55. n. 23. & de Canon. c. 26.*

Quoad reliquos Canonicatus in Eccleſia Cathedrali, ea requiritur ætas, ut qui electus fuerit, poſſit ſaltem intra annum promoveri ad Ordinem, quem expoſcit ille Canonicatus; & cum in Cathedralibus Canonici ſaltem Subdiaconi eſſe debeant, eligendus ſaltem inchoare debuit annum 21. *Garzias 7. p. c. 4. n. n.* 22. plures afferens deciſiones S. Congregationis: *Zerol. in prax. Epiſc. p. 1. V. Beneficium §. 2. & 3. Barboſ. de Canon. c. 13. n. 9.* Cum vero circa Canonicos aliarum Eccleſiarum nil innovaverit Tridentinum, ſi aliunde non habeant annexum Ordinem Sacrum, vel aliud non ferant ſtatuta Eccleſiarum, ſtandum eſt juri antiquo, & ſufficiet ætas 14. annorum: *Barboſ. cit. n. 14. Garzias p. 7. c. 4. num. 36. Gonzal. ſuper 8. regul. Cancell. gloſſ. 5. in princ. n. 6.*

R. IV. Eligendus in Parochum debet attingere ſaltem annum 25. *c. licet. Canon de elect.* 6. Idem dicendum de Vicariis perpetuis Eccleſiarum Parochialium *ex Clement. 1. de Offic. Vicar.* Coadjutor etiam Parochi debet eſſe Sacerdos, alias non poſſet illum adjuvare in ſuo Miniſterio, ſicut etiam obtinens aliquam Parochiam in Commendam, ut poſſit ei deſervire: *Barboſ. de poteſt. Paroch. p. 1. c. 5. n. 4. & alleg. 59. n. 23.*

R. V. Ad alia Beneficia ſimplicia, & Capellanias, ex Tridentino *ſeſſ. 23. c. 6.* requiritur ætas 14. annorum, & ſatis eſt ſi ſint incœpti. *Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 5. n. 9. Barboſ. alleg. 60. n. 78. & Concil. loc. cit.* Hoc tamen ex eodem *Gonzalez n. 91. & Barboſa in Concil. n. 7.* non attenditur, ſi Fundator præſcripſerit conferri etiam poſſe Minori 14. annorum; nam hujuſmodi Fundatorum voluntati Tridentinum non derogavit. Obſervari etiam eſt, ætatem ad beneficia requiſitam, numerandam eſſe a tempore Nativitatis. Ita declaravit S. Congregatio apud *Barboſ. tr. de Canonic. c. 13. n. 19.* Item eligendus ad Beneficium, habere debet neceſſariam ætatem tempore præſentationis, & impetrationis; nam tunc jus acquirit ad Beneficium: *Rioc. p. 4. deciſ. 343. Garzias p. 7. c. 4. n. 85. Barboſ. alleg. 60. n. 78.* Qui etiam videtur velle ætatem legitimam etiam requiri tempore oppoſitionis, nam alias non eſſet legitimus Oppoſitor. Quod ſi dies vel hora deficiat ætati, quam requirunt S. Canones, & Concilia, electio utpote facta in Perſona inhabili, nulla eſt; *c. cum in cunctis de elect. & ex Trid. ſeſſ. 22. c. 4.*

Q. III. Quæ Scientia requiratur in promovendis ad Beneficia.

R. Ex Tridentino *ſeſſ. 22. c. 2.* Epiſcopus debuiſſet eſſe ſtudiorum Magiſter in aliqua Univerſitate, ſive Doctor, aut Licentiatus in S. Theologia, vel Jure Canonico; aut ſaltem habere deberet teſtimonium alicujus Accademiæ, quo declaretur idoneus ad alios docendos; & ſi fuerit Regularis, tale teſtimonium habere debet a ſuis Superioribus. Merito autem Tridentinum hujuſmodi ſcientiam in Epiſcopis exoptat; nam idonei eſſe debent ad alios etiam in rebus difficilioribus edocendos, utpote quia ſunt judices & Magiſtri totius Diœceſis. Eamdem ſcientiam optaret Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 1.* In Cardinalibus S. Romanæ Eccleſiæ, utpote quia Coadjutores ſunt Pontificis, & Conſiliarii pro decidendis difficilioribus negociis totius Eccleſiæ.

R. II. Archidiaconi, qui in jure dicuntur oculi Epiſcopi, ex *Trident. ſeſſ. 24. c. 12. de reform.* deberent eſſe Magiſtri in Theologia, ſeu Doctores, aut Licentiati in jure canonico. At obſervant DD. hanc ſcientiam requiri in Archidiacono, qui habeat Curam Animarum, & juriſdictionem, ut ſupponitur in titulo de Officio Archidiaconi: *Barboſ. in Conc. n. 6. & de Canon. c. 5. n. 6* Vult etiam idem Concilium *ſeſſ. 23. c. 18.* Officia & Dignitates illas, quæ Scholaſticæ dicuntur, non eſſe conferendas, niſi Doctoribus, vel Magiſtris, aut Licentias in ſacra pagina, aut jure canonico, ſeu iis, qui poſſint per ſe munus illis annexum exercere; & proviſiones aliter factas annullat. Notant vero DD. quod cum ita diſpoſitum ſit in ordine ad erudiendos degentes in Seminario, diſpoſitio Tridentini non attenditur, vel ubi non eſt Seminarium, vel ubi jam deſignati ſunt alii Præceptores: *Barboſ. in Conc. n. 53. Garzias p. 7. c. 7. n. 35.*

R. III. Parochi ex eodem Tridentino *ſeſſ. 24. c. 18. de reform.* debent tali doctrina præditi eſſe, ut poſſint in Chriſtiana Doctrina oves ſibi creditas inſtruere, Evangelium ipſis declarare, rite adminiſtrare Sacramenta, & maxime Pœnitentiæ, diſtinguendo inter lepram, & lepram. Alii Beneficiarii talem habeant ſcientiam, ut poſſint ſatisfacere muneri ſuo Beneficio annexo; & ſi nullam obligationem habeant, niſi recitandi Divinum Officium, linguam ſaltem latinam ſcire deberent ut poſſint legere, & recitare ſine errore: *Garzias 7. p. c. 7. n. 8.*

Cæterum obſervare hic eſt, quod collatio Beneficii facta prorſus Illiterato, eſt omnino nulla: *can. Illiterato d. 3. can. Pœnitens d. 55. can. præcipimus d. 34.* & ex *Trident. ſeſſ. 22. c. 4* Ut autem eligendus ad ſimplex beneficium non dicatur prorſus Illiteratus, non putarem ſatis eſſe ſi ſciat ſcribere, & latine legere; ſi ulterius ſaltem mediocriter non intelligat ſignificationem eorum, quæ faciliora ſunt in pſalmis, homiliis, ſeu lectionibus, & orationibus Breviarii; nam prorſus illiteratus dicendus videtur, qui non percipit faciliora, quæ exercet in adimplendo ſuo munere: *Gonz. gloſſ. 4. n. 48. Sanch. l. 7. Conſ. c. 1. d. 45. n. 3. Barboſ. alleg. 46. n. 9.* Illiteratus pariter omnino cenſendus eſt Parochus, ſi ſaltem mediocriter neſciat per ſeipſum munus ſuum exercere, adeoque collatio Beneficii ipſi facta nulla eſt. Quod ſi Beneficium conferatur non prorſus Illiterato, quia ſaltem mediocriter ſcit quæ ſunt ſui muneris, tunc collatio non eſt irrita, ſed irritanda ex *Trid. ſeſſ. 7. c. 3. de reform.* & electus tenetur dimittere Beneficium, quia non valet, quantum ſatis eſt, ſuo muneri ſatisfacere; & ſi nolit dimittere, debet quantocyus curare ſeſe idoneum reddere: *Sanch. & Garzias cit. Barboſ. alleg. 93. n. 1.*

Q. IV. Quæ Probitas requiratur in eligendis ad Beneficia.

R. I. In eligendis ad Epiſcopatum ea deberet eſſe probitas morum, ut jam eſſent in ſtatu perfectionis; nam Epiſcopus ex vi ſui Officii debet eſſe tanquam lucerna ardens, & lucens, adeoque perfectorum operum exemplo aliis anteire. Hinc Apoſtolus ad *Timoth. 3.* vult Epiſcopum eſſe *irreprehenſibilem*, aliaſque habere præclaras virtutes, quas ibidem recenſet. Quod ſi aliqui non per-

perfecti cupiant Epiſcopi dignitatem, & recte ſe deſiderare arbitrentur, quia Apoſtolus 1. *ad Cor.* 3. dicit: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, animadvertat eo tempore appetere Epiſcopatum, non aliud fuiſſe, quam optare primum eſſe ad martyrium ſubeundum. Cæterum optare Epiſcopatum propter honorem, & bona temporalia tanquam finem, grave crimen eſſet; nam rem Spirituale ad temporalem ordinaret. Secus dicendum, ſi honor, & bona temporalia duntaxat eſſent cauſa impulſiva; at in praxi fortaſſe difficillimum erit ea conſiderari pro ſola cauſa impulſiva ab eo, qui ambitioſus eſſet, & temporalium cupidus. Præſumptuoſum eſt etiam Epiſcopatum appetere, cum onus Epiſcopale vires ita præſumentis ſemper excedat. Solummodo laudabile poteſt eſſe appetere Epiſcopatum, ut quis totus incumbat proximorum utilitati: ſi tamen & hic non appareat manifeſta neceſſitas, nec poterit talis appetitus a præſumptione excuſari, cum præſumptuoſum ſit credere ſe ea pollere probitate, ut poſſit, ſicuti Epiſcopo convenit, proximorum ſaluti deſervire. Videatur *S. Th.* 2. 2. *q.* 85. *art.* 1. De probitate, quæ in Epiſcopo requiritur; late diſſerit *Barboſa de offic. & poteſt. Epiſc. p.* 1. *tit.* 2.

R. II. Licet non tanta morum probitas neceſſaria ſit in Parocho, ac in Epiſcopo, nihilominus heu quam perperam ſibi blandiuntur Parochi, qui nullatenus ad perfectionem aſſequendam conantur? Non ſatis eſt, ſi a gravi culpa ſint immunes; nam cum ex officio teneantur populos edocere etiam vitæ exemplo, debent in ipſorum operationibus exercitia virtutum eluceſcere; & tanquam ſuper candelabrum poſiti ſanctæ converſationis luce populo ſibi credito ſalutis viam demonſtrare. Legant quæſo Parochi *Auguſtinum Barboſa de Parocho pag.* 1. *cap.* 6.

Q. V. Quæ intentio requiratur ad Beneficia recipienda.

R. I. Ex jure, ut videre eſt *cap. Commiſſa de elect. in* 6. eligendus in Parochum debet habere intentionem aſcendendi intra annum ad Sacerdotium, alias tenetur reſtituere fructus perceptos. Qui autem non haberet talem intentionem, ultra præfatam reſtitutionem, peccaret graviter, utpote non obediens in re gravi SS. Canonibus, & graviter officiens Eccleſiæ, quæ diu proprio viduaretur Paſtore; *Azor.* 2. *p. l.* 6. *cap.* 9. *q.* 9. *q.* 1. *Palaus tr.* 13. *d.* 4. *p.* 7. *n.* 3. Eodem modo diſcurrerem de eo, qui haberet animum dubium aſcendendi ad Sacerdotium, nam qui pendulus remaneret inter utramque partem, ſine ulla determinatione ad ſuſcipiendum, vel non ſuſcipiendum Sacerdotium, non verificatur habere intentionem illud ſuſcipiendi, ſicut exigunt SS. Canones. Excuſarem autem illum, qui haberet ſaltem conditionatam intentionem illud ſuſcipiendi, v. g. ſi non moriatur primogenitus, vel majus aliud commodum non accedat; nam iſte, licet non habeat intentionem perfectam, qualis eſt abſoluta, nihilominus verificatur habere intentionem: ſicut in jure reputatur vera promiſſio, quæ conditionalis eſt: *§. Omnis de verb. obl.* Præterea non eſt vero ſimile Eccleſiam concedentem integrum annum ad Sacerdotium ſuſcipiendum; ita voluiſſe arctare electum in Parochum, ut neque ob majus commodum; vel aliam juſtam cauſam poſſet Beneficium deſerere: *Leſs. de Juſt. lib.* 2. *c.* 34 *d.* 26. *n.* 131. *&* 133. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *diſp.* 5. *n.* 10.

Diſputant hic etiam DD. inter ſe more ſolito diviſi, an teneatur reſtituere fructus electus in Parochum, ſi quamvis ab initio non habuerit voluntatem aſcendendi ad Sacerdotium intra annum, mutet deinde voluntatem: Vel ſi, habita voluntate ab initio aſcendendi ad Sacerdotium, nihilominus nolit poſtea aſcendere. At ego in neutro caſu obligarem illum ad fructus reſtituendos. Non in primo, quia *cap. commiſſa* privatur fructibus beneficii, *niſi voluntate mutata* promoveatur ad Sacerdotium; cum ergo, ſi mutetur voluntas, indiſcriminatim concedantur fructus beneficii, non eſt cur aliquis obligandus ſit ad reſtituendos fructus, quos percepit antequam mutaret voluntatem: & eo maxime, quia ſermo nobis eſt de Lege pœnali; quæ non eſt extendenda ad caſum in ea non expreſſum. Ulterius, dum Parochus mutata voluntate fit intra annum Sacerdos, ceſſat fraus Eccleſiæ damnoſa, quam vitare intendit jus Canonicum, adeoque & ratio privandi ipſum fructibus perceptis: *Gloſs. in cap. commiſſa*, *Leſs. de Juſt. l.* 3. *c.* 34. *d.* 26. *n.* 133. *Garz. de Benef.* 3. *p. c.* 4. *n.* 51. & plures alii.

Non in ſecundo, quia Canones loquuntur de eo, qui recipit beneficium curatum ſine intentione aſſumendi Sacerdotium intra annum, & lex pœnalis non eſt extendenda de caſu ad caſum, etſi in utroque eadem curreret ratio, ut dixi agendo de lege pœnali. Ulterius non eſt eadem ratio in iſto caſu, ac in caſu, quo recipitur Beneficium ſine dicta intentione, nam doloſe, & non ſine gravi fraude accipitur Beneficium, dum accipitur ſine intentione recipiendi Sacerdotium: talis autem doluſ, & fraus utique non apparet in eo, qui illud recipit cum intentione aſſumendi Sacerdotium, quamvis poſtea mutet voluntatem, unde hæc mutatio, ſi fiat ſine cauſa, erit ſolum culpa venialis. Demum per mutationem talis voluntatis utique non amittit beneficium rite acceptum; & cum aliunde ex nullo texto juris ipſius fructibus privetur, non eſt cur adigendus ſit ad eos reſtituendos: *Leſs. de juſt. lib.* 2. *c.* 34. *d.* 26. *n.* 134. *Sanch. de Matr. l.* 7. *d.* 45. *n.* 11. *Palaus tr.* 13. *d.* 4. *p.* 3. *n.* 9.

Multo magis certum eſt non peccare, nec teneri ad fructuum reſtitutionem illum Parochum, qui recepit beneficium Curatum animo ad aliud tranſeundi, vel permutandi, vel reſignandi, cum ſibi bene viſum fuerit. Ratio eſt, quia nullo jure id prohibetur, & aliunde vinculum, quo Parochus nectitur ſuæ Eccleſiæ, non exigit de ſua natura perpetuitatem, ſicut vinculum matrimonii carnalis propter bonam prolis educationem, aliaſque cauſas, quæ afferuntur in tractatu de Matrimonio: *Sanch. de Matr. l.* 7. *d.* 45. *n.* 12. *Leſs. de Juſt. l.* 2. *c.* 34. *d.* 26. *n.* 136.

R. II. Eligendus ad ſimplex beneficium, cui annexus ſit Ordo Sacer, debet ſub gravi habere intentionem illum recipiendi. Ratio eſt manifeſta, quia aſſumens voluntarie aliquod munus, debet ex jure naturali, & divino velle tali muneri ſatisfacere; & cum in caſu noſtro non poſſit eidem ſatisfacere abſque eo quod aſſumat Ordinem Sacrum, inde eſt teneri ad habendam intentionem illum aſſumendi: *Sanch. cit. n.* 14. *Palaus tr.* 13. *d.* 4. *p.* 7. *n.* 14. & communiter.

R. III. Qui aſſumit ſimplex Beneficium non habens annexum Ordinem Sacrum animo illud ſolum ad tempus retinendi, ſecundum aliquos graviter peccat, ſecundum alios leviter; & ſecundum alios neque leviter. Ideo aliqui cenſent graviter peccare, quia dicunt ab his perverti ordinem naturalem, & divinum, nam Beneficia dantur, ut quis Deo famuletur, non vero ut ad tempus ipſorum fructus percipiat. Verum hæc ratio non ſatis me movet; nam ſi Beneficium non habeat annexum Ordinem Sacrum, non videtur de ſua natura expoſcere, ut quis perpetuo Deo famuletur, retinendo illud Beneficium, ſed ſolum ut præſtet talem famulatum eo tempore, quo illud retinet, quia integrum ei eſt redire ad ſtatum ſæcularem, cum Ordo minor talem libertatem relinquat: *cap. Joannes*, *c. Diverſis fallac. de Cleric. Conjug.* Meo ergo videri ſolum venialiter peccaret propter animi levitatem, ſi dum beneficium aſſumit, intenderet illud ſine prudenti cauſa dimittere. Cæterum nullus horum teneretur ad fructuum reſtitutionem, cum jus id imponat ſolum Parocho recipienti beneficium ſine animo aſcendendi ad Sacerdotium intra annum: *Sanch. l.* 7. *de Matr. d.* 45. *n.* 19. *Palaus cit. n.* 16.

Q. VI. Quæ attendenda ſint, quando vocantur ad Beneficium, ſeu Capellaniam Conſanguinei Fundatoris.

R. I. Quamvis non deſint, qui doceant ſufficere, ſi præſentetur aliquis ex Conſanguineis, nihilominus communior ſententia eſt præferendum eſſe propinquiorem Fundatori, dummodo ſit dignus; tum quia hic præſumitur ab eo magis dilectus, adeoque voluiſſe alius præferendum; tum quia cum ſit magis propinquus, reputatur majus jus habere, nam jus ad tale beneficium oritur ratione propinquitatis: *Sanch. in Conſ. l.* 2. *c.* 1. *dub.* 10. *n.* 16. *Garzias* 7. *p. c.* 15. *n.* 17. Quod ſi adinſtar Majoratuum ad hujuſmodi Beneficium vocentur per verba de futuro Poſteri de familia, & cognatione Fundatoris, tunc videretur præferendus proximior ultimo Beneficiario, ſeu Capellano: *Garzias num.* 19.

R. II. Si a Fundatore vocentur ad Beneficium a ſe Deſcendentes, poſſunt præſentari Deſcendentes, ſive ex linea maſculina, ſive fœminina, nam omnes ſunt ab eo Deſcendentes: *Sanch. cit.* Neque puto, cæteris paribus, præferendos Deſcendentes ex linea maſculina Deſcendentibus ex linea fœminina; nam hic non agitur de conſervanda agnatione, ſed de exhibendo Deo cultum, & de ſuffragando Defunctis, in quo munere pares poſſunt eſſe Agnati, ſive Cognati; adeoque præferendus ille erit, quem Patronus, ſive Patroni præſentaverit: *Garzias n.* 21. *Lambert. de Jur. patron. l.* 2. 3. *p. q.* 5. *art.* 18. *&* 21.

Quod ſi non omnia paria ſint, tunc præferendus, qui in

in aliquo aliis præeſt. Hinc præferendus, qui Fundatori duplici conſanguinitatis nexu eſt *conjunctus*, ei qui unico tantum illi conjungitur: *Garz. num.* 22. Præferendus item qui probitate, ingenio, & literis pollet, ut probat *text. in c. de multa in fin. de Præben.* & ratio etiam ſuadet, nam hi magis idonei ſunt ad Dei Miniſterium. Præferendus pariter eſt Conſanguineus legitimus Conſanguineo illegitimo, etſi iſte ſit in gradu proximiori; nam propinquitas, quæ provenit ex legitimitate eſt generis altioris, & magis repræſentat nobilitatem, & genus Fundatoris, adeoque reputatur ab eo magis conſiderata, & dilecta; *Palaus tr.* 13. *d.* 4. *p.* 9. *n.* 13. *Gutier. pract. q. q. l.* 67. *n.* 4. Porro quamvis Illegitimi non reputentur de familia, agnatione, cognatione, conſanguinitate, genera, ſtirpe, parentela &c. Fundatoris: *leg. Spurius ff. unde Cognatis*, *§. Vulgo quæſitos Inſtit. de Succeſs. Cognator*, nihilominus vere ſunt ipſius Cognati, Liberi, Nepotes, Deſcendentes, Conſanguinei, Conjuncti; unde ſi his verbis Fundator exprimat quos velit præſentari ad Beneficium, bene præſentari poſſunt etiam illegitimi, ſi auferatur impedimentum illegitimitatis. Multo autem magis id verificatur, ſi illegitimi fuerunt legitimati a Pontifice, vel a Principe, nam tunc reputantur de familia, parentela, genere, agnatione &c. Fundatoris, & ita abſolute intelliguntur vocati ad Beneficium relictum pro iis, qui ſunt de genere, & familia Fundatoris; *Garzias* 7. *p. de Benef. c.* 5. *n.* 46. *Palaus tr.* 13. *d.* 4. *p.* 9. *n.* 11.

Demum notandum eſt, quod ſi Fundator non parificaverit Agnatos, & Cognatos his præferendi ſunt Agnati. Tunc autem non reputatur parificaſſe, quando illos ſub disjunctione nominavit, vocando e. g. *Agnatos*, vel *Cognatos*; nam tunc primo nominati ſunt præferendi ſecundo nominatis, quamvis proximioribus, quia ita præſumitur mens Teſtatoris: *leg. Hæredes mei §. fin. ff. ad Trebel.* Verum talis modus graduationis potius poteſt eſſe ex phraſi Notariorum, quam ex mente Teſtatoris, unde non ſatis me convincerent iſtæ formulæ Teſtamentorum, quoties ex aliis circumſtantiis non ſatis intelligeretur præferre voluiſſe Agnatos Cognatis.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Animadvertat quæſo Confeſſarius non tam raro accidere Beneficia Curata conferri iis, qui non habent ſcientiam ſufficientem pro ſatisfaciendo ſuo Officio; nam bene accidit, ut quamvis hæc beneficia per oppoſitionem conferantur, aliquis non ſatis doctus fortuito bene reſpondeat, atque ita Beneficium Curatum aſſequatur. Si iſte Beneficii proventibus illectus illud acceptaverit, ipſius Confeſſarius curare debet, ut vel illud renunciet, vel ſtatim quam maxime ſtudeat, ut ſe reddat idoneum, alias in ſtatu æternæ damnationis verſatur. Multo autem magis id verum eſſet; ſi tam rudis eſſet ingenii, ut non poſſet aſſequi ſcientiam ſufficientem. Neque ipſi animis indulgeat, ſi quamvis capax, dum aſſequutus fuit Beneficium, negligat deinde ſtudere. Experientia conſtat iſtos Parochos oblivíſci eorum, quæ neceſſaria ſunt ad rite adminiſtranda Sacramenta, & ad alia ſua munera obeunda, adeoque non raro errant. Moneat ergo ſerio Confeſſarius hujuſmodi Parochos ſuæ obligationis; & ſi ſtudium fere omnino dimiſerit, ſine abſolutione dimittat, quoadusque reſipiſcant.

II. Probe ſcire debet Confeſſarius, quæ obſervare debent Eccleſiaſtici, & maxime Parochi, ut vitam ſuam recte inſtituant. Quantum abſtinere debent a veſte nimis ſordida, utpote quæ reddit Parochum deſpicabilem, ita a veſte uſque ad affectationem compoſita, nam hæc effæminati animi indicium eſt. Non ſolum incontinentiam, ſed etiam omnem ipſius ſuſpicionem debent evitare; unde & removere debent a ſua habitatione mulieres; vel ſuſpectas, vel juvenilis adhuc ætatis, nec debent cum fœminis ſine neceſſitate commorari. A Conviviis, ubi nimis indulgetur cibo, & potui, quam maxime abſtineant, ac abhorrere debent uſum illum; quo in Conviviis te invitant ad bibendum, illique plauditur, qui fœcundiores calices exhaurit, alioſque inebriare facit. Certe ſi Eccleſiaſticus, & maxime Parochus ſuſpectus ſit de crapula, & ebrietate, quam plurimum ſuo exemplo populo officiet: Abſtinere debent Eccleſiaſtici, & maxime Parochi a ludendo; quomodo enim hoc vitium, quod tam perniciosum eſt animabus, redarguere poterunt illi, qui per multas diei horas, & etiam ad longam noctem ludum protrahunt; Præterea an poſſit ſæpe ludere aleis ſine peccato, dicam in Tractatu de Contractibus, ubi agam de ludo. Abſint a locis, ubi aguntur choreæ, & ſaltationes, ſi non potuerunt illas impedire; dum etenim illis interſunt, eas probare videntur. Quam maxime abſtineant ab iis, quæ ingererere poſſunt ſuſpicionem illos nimiis divitiis accumulandis inhiare. Ita ſe habere negociari, quando neceſſitas ad id eos non cogeret; res proprias nonniſi rigoroſiore pretio vendere velle; non ſolum vinum ſuum vendere minutatim, quod non improbo, ſed ad illud majore pretio vendendum, quamdam Tabernæ ſpeciem in domo ſuo habere, ubi ebrietate verbiſque obſcænis, & detractoriis quam ſæpe Deus offenditur: durum ſe præbere erga pauperes; & tenaciori manu illis eleemoſynam præbere.

Hæc præcipua ſunt, quæ Confeſſarius debet ab Eccleſiaſticis, maximeque Parochis removere. Immo perpendat Confeſſarius non ſatis bene judicare, eo quod ſibi videatur Parochos in præfatis ſolum leviter peccare. Impertietur e. g. abſolutionem, quia licet Eccleſiaſticus, ſive Parochus frequenter degit cum mulieribus, non tamen turpiter agit, vel obſcæne loquitur. Quamvis frequenter bibat, non tamen uſque ad perfectam ebrietatem. Oſtendit quidem magnam propenſionem ad accumulandas divitias, ſed in vendendo non excedit limites juſti pretii &c. Profecto ſi Confeſſarius hæc ſolum attendat in gubernanda Eccleſiaſtici, & maxime Parochi conſcientia, & fallit, & fallitur. Attendere præcipue debet, ne Parochus ita ſuam vitam inſtituat, ut non poſſit ſuas oves, ut par eſt, regere, & gubernare. Utique Parochus potator vini, licet non uſque ad ebrietatem; Parochus lubentiſſime, & frequenter verſans cum Fœminis, quamvis non obſcæne; Parochus frequenter, & diu incumbens ludis, licet non prohibitis; Parochus ſordido quæſtui quamvis non injuſto addictus; Parochus, inquam, iſte fruſtra in concionando, in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ, & in quibuſvis aliis occaſionibus vitia redarguet, monita ſalutis intonabit; ſolent etenim rudes populi magis quam ad verba in eorum exempla intendere; ac ex iis ſumunt quod imitentur; Quamvis ergo ea, quæ agunt, videantur ex ſe non excedere culpam levem, nihilominus, qui reddunt Parochum inhabilem ad ſatisfaciendum ſuo officio, ideo ex hoc capite eſt in ſtatu gravis culpæ, & debet Confeſſarius illum ſine abſolutione dimittere, ſi non emendetur.

CAPUT IV.

De modis, quibus Beneficia acquirantur.

Q. I. Quot modis Beneficia acquirantur.

R. Beneficia tribus ſequentibus modis canonice acquiruntur. Præſentatione Patroni, & inſtitutione ſubſequuta; Electione, & Confirmatione, Libera Collatione; & de his omnibus in hoc capite agendum eſt.

Q. II. Quid ſit Juſpatronatus; & quomodo canonice acquiſatur.

R. Juſpatronatus communiter ita definitur: *Poteſtas nominandi, ſeu præſentandi aliquem inſtituendum ad Beneficium Eccleſiaſticum vacans.* Ita communiter DD. ut videre eſt apud *Laym. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *q.* 1. *&c.* nec talis definitio indiget explicatione.

R. II. Juſpatronatus duplex eſt, Eccleſiaſticum nempe, & Laicale. Eccleſiaſticum acquiritur, vel dum ex bonis Eccleſiaſticis fundatur, ſeu dotatur Eccleſia; vel dum annexum eſt Dignitati Eccleſiaſticæ, quam quis obtinet, vel ſi donatum eſt alicui Eccleſiæ, vel Monaſterio, quamvis ex ſua inſtitutione primo fuerit laicale. Laicale eſt, quod convenit alicui Perſonæ ſive Laico, ſive Clerico, quia ex propriis bonis aliquam Eccleſiam conſtruxerit, dotaverit &c. Docent tamen communiter Canoniſtæ ad acquiſitionem Juſpatronatus ex præfatis titulis neceſſarium eſſe Epiſcopi conſenſum, cum non conveniat, ipſo non conſentiente, Eccleſiam ſive conſtruere, ſive alterius juri ſubjicere. Sufficit nihilominus ſi accedat poſt factum, quia ex juris diſpoſitione retrotrahitur: *Barboſ.* 3. *p. de poteſt. Epiſc. alleg.* 70. *n.* 20. *Garzias p.* 5. *c.* 9. *n.* 71. *Palaus tr.* 13. *diſp.* 2. *p.* 2. *n.* 8.

R. III. Juſpatronatus primo acquiritur fundatione, ſi nempe aſſignetur fundus ad Eccleſiam conſtruendam: *c. nobis de Jur. patron.*: ac idem dicendum ſi, inſcio Domino, ac deinde annuente, in ejus fundo conſtruatur: *Barboſ. cit. n.* 3. Secundo, acquiritur conſtructione, dum nempe quis propriis ſumptibus Eccleſiam ædificat: *cap. nobis cit. can. Monaſterium*; *can. filiis* 16. *qu.* 7. Hoc

non

non verificatur de ſimplici reparatione, ſi talis non ſit, quaſi de novo Eccleſia ædificetur: *Barboſ. cit. n. 7. Lambert. l. 1. p. 1. q. 6. a. 5.* Ut acquiratur tamen Juſpatronatus ratione conſtructionis Eccleſiæ, oportet ſimul dotare, alias non haberet rationem Beneficii. Immo Fundator Eccleſiæ, vel ejus Hæredes compelli poſſunt ad eam dotandam: *Barboſ. alleg. 70. nu. 4. Ricc. in prax. reſol. 11. n. 6.* vel etiam Epiſcopus, ſi permiſit conſtrui Eccleſiam ſine dote: *Barboſ. n. 29. Azor. p. 2. l. 6. c. 19. q. 4.* Tertio acquiritur ſola dotatione: *can. nemo de conſecr. d. 1. can. filiis cit.* Quod ſi dos non ſufficiat pro qualitate Eccleſiæ, tunc eam dotans non dicitur Patronus, ſed Benefactor: *Barboſ. 3. p. de poteſt. Epiſc. alleg. 70. n. 11. & 12.* & plures ab eo citati. Cæterum vel dos aſſignetur ante, vel poſt conſtructionem Eccleſiæ, ſemper ſufficiens titulus reputari debet ad acquirendum Juſpatronatus, *Trident. ſeſſ. 13. c. 12.*

Aliis item modis acquiri, ſeu transferri poteſt Juſpatronatus. Evenire id poteſt ex ſucceſſione hæreditaria tam ex teſtamento, quam ab inteſtato; & non ſolum ad agnatos, ſed etiam ad extemos ſive maſculos, ſive fœminas. Nihilominus ut ex ſucceſſione Juſpatronatus transferatur, neceſſe eſt quod ſucceſſio ſit in univerſitate Bonorum, *arg. cap. 7. de jurepatron.* non vero ſi aliquis hæres inſtituatur in re certa, & determinata, niſi forte eidem rei certæ, & determinatæ annexum eſſet Juſpatronatus: *Barboſ. in ſeſſ. 25. Conc. Trid. c. 9. a nu. 3.* aliique apud ipſum: *Fagnan. in c. 1. de Jurespatr. a n. 3.*

Item acquiri, ſeu transferri poteſt Juſpatronatus donatione, dum nempe quis jus ſuum alteri donat. Quod ſi donet Laico, vel Clerico, ut Perſonæ privatæ, accedere debet conſenſus Epiſcopi: *cap. un. de Jur. patr. in 6. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 71. n. 2.* Hic tamen non requiritur, ſi Laicus Patronus Laico compatrono donet: *Barboſ. cit. n. 8. & ſeqq.* Multo minus requiritur, ſi donetur Eccleſiæ, vel pio loco, ut clare habetur *cap. illud 8. de Jur. patr.*

Acquiritur pariter, ſeu transfertur Juſpatronatus permutatione, non quia ipſum Juſpatronatus cum re temporali permutari valeat, quia id fieri non poteſt abſque ſimonia, ſed quia etiam abſque Epiſcopi authoritate permutari poteſt res temporalis, cui annexum ſit Juſpatronatus, & cum eadem re acceſſorie in alium tranſit: *arg. c. ex literis 7. de Jur. patr. ibique Fagnanus n. 3. & communiter DD.* Cæterum ipſummet Juſpatronatus cum alio Jurepatronatus, ſeu alia re ſpirituali poteſt commutari, accedente conſenſu Epiſcopi: *arg. c. quæſitum 5. de rer. permut.* Et putat *Barboſ. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 71. talem conſenſum non requiri, ſi ex tali permutatione Juſpatronatus transferatur in Eccleſiam ſeu locum Pium.

Demum Juſpatronatus acquiritur Venditione, non quidem quia ſine Simonia vendi poſſit jus patronatus, ſed quia vendi poteſt res, cui juſpatronatus adhæret, & tunc tranſit ad Emptorem illius rei ex communi Regula, quod acceſſorium tranſit cum ſuo principali: *arg. cap. cum ſecundum 13. & cap. ex literis 7. de Jur. patr.* ſemper tamen advertendum eſt, ne pretium augeatur ratione Juriſpatronatus. Neque, meo videri, refert annexum eſſe Univerſitati Bonorum, vel alicui rei particulari; nam etſi iſta res particularis vendatur, puta particulare prædium, neceſſe eſt verificari, & cum eo tranſire id, quod eſt illi connexum; & quia ratione in confeſſo eſt apud omnes DD. cum univerſitate bonorum etiam transferri Juſpatronatus, ratione nempe alicujus connexionis cum illis: *Barboſ. in c. ex litteris cit. n. 2.*

Q. III. An Patrono competat præſentare ad Beneficium; & quo tempore fieri debeat talis præſentatio.

R. I. Patrono competit jus præſentandi ad Beneficium, & ſemper cum idoneum præſentet, Epiſcopus, vel quivis alius, ad quem ſpectat Inſtitutio, debet eum admittere: *arg. cap. nobis, & ex tot. tit. de Jur. patron.* Ita etiam competit Patrono jus præſentandi, ut collatio Beneficii fieri nequeat ſine ipſius conſenſu: *arg. cap. minuant 14. & ibi Barboſ. n. 1. ex communi DD.* An vero collatio facta Beneficii patronati abſque conſenſu Patroni, ſit irrita, vel irritanda, non conſentiunt DD. ut videre eſt apud Barboſam *de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 72. n. 107. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Gloſſ. 56. num. 78 & c. Garz. de Benef. p. 5. c. 9. n. 232.*

R. II. Patronus Eccleſiaſticus habet ſex menſes ad præſentandum: *cap. eam te 22. de Jur. patr. & cap. unic. eod. tit. in 6.* Laicus quatuor tantum menſes: *cap. 3. & cap. cum propter 27. de Jur. patr., & cit. cap. unic. in 6.*

Si vero ſit Jus patronatus mixtum, quale eſt, quod convenit e. g. Eccleſiæ, & Laico, tunc uterque Patronus, ſi uterque eadem vice præſentet, habet ſemeſtrem ad præſentandum; nam in materia individua, quod competit privilegium uni ex ſociis, ad alios extenditur, ut pluribus exemplificat appoſite ad caſum noſtrum *Fagnanus in cap. cum propter num. 26. & c. num. 53. & ſeqq.*

Hic etiam advertendum, tempus non currere Patrono, niſi a die notitiæ certæ vacationis Beneficii: *arg. cap. præſumitur de reg. jur., Barboſ. de Offic. & Poteſt. Epiſc. alleg. 72. n. 35. & 36. & n. 134.* Item quamvis ſciverit Patronus vacationem Beneficii, tempus illi non currit, ſi fuerit impeditus a præſentando: *arg. c. 5. de conceſſ. Præben. Barboſ. cit. n. 238., & de Jur. Eccleſ. univ. l. 3. c. 12. num. 370.* Elapſo vero tempore, quod habent Patroni ad præſentandum, ſtatim pro ea vice collatio Beneficii devolvitur ad illum, ad quem pertinet inſtitutio; *cap. cum arg. cap. cum propter 27. de Jur. patron. Barboſ. cit. alleg. 72. n. 141. & 168.* neque enim convenit, ut ex diuturniori abſentia Beneficiati, Eccleſia, vel Beneficium diſpendium patiantur. Poteſt tamen Epiſcopus prorogare Patronis tempus ad præſentandum: *arg. c. 2. de ſuppl. neglig. Prælat. Ricc. in prax. reſol. 195. Barboſ. cit. n. 170.* non tamen ultra ſex menſes: *arg. cap. 3. de conceſ. præb. Palaus p. 2. tr. 13. d. 2. p. 5. n. 8.*

Notandum etiam Patronum Eccleſiaſticum variare non poſſe, ſi præſentavit idoneum, quamvis alterum adjungere poſſit, remanente Epiſcopo libertate, quem maluerit, inſtituere: *cap. cum autem 5. cap. cum autem 24. cap. paſtoralis 29. de Jur. patr.*, & ex communi *Fagnan. in cit. c. cum autem n. 6.* Ratio cur Patronus Eccleſiaſticus excludere haud poſſit primum a ſe præſentatum, eſt quia talis præſentatio, utpote facta nomine Eccleſiæ, videtur præſeferre vim electionis. Cum hæc ratio non aptetur præſentationi factæ a Laico, ideo ei competit variare electionem, tum quia cum gravetur in uno, in hoc ſcilicet, quod ſolum habeat quadrimeſtre ad præſentandum, æquum eſt in alio relevari, in facultate nempe variandi præſentationem: *lib. eum qui ff. de jurejur. & famoſ. libell.*

Q. IV. Quid ſit Inſtitutio; quomodo facienda; & a quibus.

R. Præſentationi factæ a Patrono ſuccedit Inſtitutio, Non ſumitur autem hic Inſtitutio late, ſeu prout comprehendit quodcumque jus legitime collatum in Eccleſiam, vel Eccleſiaſticum Beneficium, quomodo ſumitur Inſtitutio *reg. jur. in 6.*, ut notat ibi Gloſſa. Sermo ergo eſt de Inſtitutione proprie, & ſpecialiter accepta, & definiri ſolet: *Conceſſio Beneficii alicui facta ad Patroni præſentationem*, ut ex communi notat *Barboſ. de Offic. & poteſt. Epiſc. 4. p. alleg. 72. n. 172.* Ea autem conceſſio non eſt libera, ut evenit in ſimplici collatione Beneficii, ſed neceſſaria; nam ex dictis neceſſario inſtituendus eſt Clericus præſentatus a Patrono, ſi fuerit idoneus.

R. II. Præſentati ad Beneficia ex *Trid. ſeſſ. 7. c. 13. de Reform., & ſeſſ. 25. c. 11. de reform.* examinandi ſunt quoad ipſorum idoneitatem, antequam inſtituantur. Verum loquendo de Præſentatis ad Beneficium ſimplex, notat *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 60. n. 86.* receptiſſimum eſſe inſtitui abſque examine, quoties conſtat de ipſorum idoneitate, & certe conſtare poteſt, ſi poſt prævium examen admiſſi fuerunt ad Ordines, quos expoſcit ipſum Beneficium. Cæterum promoti ad Beneficium parochiale omnino ſunt examinandi, nec excipiendi Doctores, Licentiati in Theologia, ſive Jure Canonico, Graduati in publica Univerſitate, ut ex deciſione S. Congregationis notat inter alios *Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 3. n. 90. 91.*

R. III. De jure communi ſolus Epiſcopus inſtituere valet Præſentatos ad Beneficia: *cap. ex frequentibus 3. de inſtit. cap. cum ſatis de Offic. Archidiac.* & ex communi docet *Fagnan. in cap. eam te num. 6. de ætat. & qualit. Or. & c. auditis n. 2. de præſcript. Barboſ. 3. p. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 72. n. 175. & ſeqq.* Item ex delegatione competit Vicario Generali, nam niſi expreſſe limitetur, ſolet illi committi omnimoda poteſtas juriſdictionis, ad quam poteſtatem ſpectat inſtitutio in Beneficiis: *Gloſſ. in cap. ex frequentibus cit. v. Officialium Barboſ. alleg. 54. num. 70.* Capitulum pariter, Sede Vacante inſtituere poteſt Præſentatos ad Beneficia: *cap. unic. de inſtit. in 6.* Prælati inferiores ſolum ex privilegio, aut præſcriptione habere poſſunt jus inſtituendi in Beneficia, atque ita *c. ſuper eo 15. de Offic. Deleg.* ſupponitur inſtitutionem pertinere poſſe etiam ad Archipresbyterum, vel Archi-

diaconum, quod ut concordentur jura juribus, non poteſt intelligi ipſis convenire, niſi ex privilegio, ſeu ſpeciali commiſſione, ut *ex cap. cum ſatis 4 de Offic. Archidiac. c. ex inſinuatione 3. de Inſtit. junct. Gloſ. v. Officialium*. Quod autem obtinere poſſunt inferiores Prælati eo privilegio, idem eis competere poteſt ex legitima conſuetudine *arg. c. dilecto 15 de Offic. Archid. Fagnan. in c. eam te n. 7. de ætat. & qualitat.* ſeu etiam quocumque alio legitimo titulo: *c. cum veniſſent 6. de Inſtit.* Sancivit nihilominus Tridentinum *ſeſs 14. c. 12. de reform.* ne poſtea in caſu fundationis, ſeu dotationis, jus inſtituendi alteri quam Epiſcupo reſervaretur.

Unus ex titulis, quo Inferiores Prælati obtinere poſſunt jus inſtituendi, ex communi DD. eſt etiam præſcriptio. Quamvis autem multi velint debere eſſe *immemorabilem*, nihilominns non deſunt, qui refragentur, cum non adſit jus clarum tollens hanc prærogativam præſcriptioni quadragenariæ: *Azor. p. 2. lib. 6. c. 32. q. 3. Fagnan. in c. audientis n. 7. de Præſcript.*

Denique Inſtitutio ad Beneficia competit Prælatis Regularibus in Eccleſiis, quæ pleno jure ipſi ſunt ſubjectæ: *Clem. un. §. Quidam præterea Capellanos de exceſſ. Prælat. & c. cum & plantare 3. §. In Eccleſiis de privil. junct. Gloſ. v. pleno jure. Barboſ. 3. p. de Offic., & poteſt. Epiſc. alleg. 72. n. 18. Fagnan. in c. cum veniſſent n. 14. de Inſtit.* Porro illæ Eccleſiæ dicuntur pleno jure ad aliquem pertinere, quando eidem ſunt ſubjectæ in ſpiritualibus, & temporalibus: *Gloſſ. in d. c. cum & plantare. Barboſ. cit. alleg. 80. n. 4.*

Q. V. Quid ſit Electio; cui competat; & quomodo facienda,

R. I. Electio ex *c. Quia propter de elect.* ita communiter definitur: *Canonica vocatio alicuis Perſonæ ad Dignitatem paſtoralem Eccleſiæ vacantis, authoritate Superioris confirmandæ*. Dicitur *Canonica* vocatio, quia debet eſſe facta ſecundum Sacros Canones, tum reſpectu formæ electionis, tum reſpectu eligentium, tum reſpectu electi. Dicitur *vocatio*, quia ex electione non conſurgit jus in *re*, cum non det poſſeſſionem Beneficii, ſed ſolum jus ad rem: accedente vero Superioris confirmatione, electio habet ſuum complementum; & Electus aquirere poteſt jus in re ad Prælaturam. Eo quod addatur *ad Dignitatem paſtoralem*, ſignificatur ſecundum Sacros Canones nomine Beneficii electivi ſolum venire Prælaturas, dum ſcilicet eligitur Sponſus Eccleſiæ vacantis, ut evenit in electione Epiſcopi, vel Abbatis: *Azor. tom. 2. l. 6. c. 14. q. 2.* nihilominus, late ſumpta electione, Beneficium electivum appellatur omne illud, ad quod alicui tribuitur jus per ſuffragia, & alterius confirmationem: *Gloſſ. in c. quia propter de elect. v. Eccleſiis viduatis*. Quæ proinde dicentur de forma electionis, ſervata proportione, poſſunt, & debent aptari electionibus inferiorum Beneficiatorum.

Licet etiam hic breviter notare ſubſidium electionis adinventam fuiſſe poſtulationem. Poſtulantur autem ii, qui ſecundum Canones non poſſunt eligi, ac proinde poſtulatur a Superiore, ut cum Poſtulato diſpenſative procedat. Hinc quia Electio eſt Perſonæ habilis ad Dignitatem, dicitur quod juri innititur; Poſtulatio vero, quia eſt Perſonæ habentis aliquod impedimentum ad electionem, innititur Gratiæ. Ita Gloſſa communiter recepta *in c. unic. eligo poſtulando de poſtulat. in 6.* Advertendum etiam, quod quamvis ad legitimam poſtulationem ſatis ſit, ſi concurrat major pars Capituli, nam ordinarie ad geſta Capituli non requiritur, niſi quod major pars conſentiat: *cap. 1. de his, quæ fiunt a major. part. Capituli*, nihilominus ſi poſtulatio concurrat cum electione, quia ſcilicet una pars Capitularium quempiam poſtulet, altera alium eligat, tunc ad legitimam poſtulationem duæ ſaltem ex tribus partibus Eligentium requiruntur; *cap. ſcriptum eſt 40. de elect.*

R. II. Jus eligendi Prælatos de jure communi ſpectat ad Capitulum, Collegium, ſive Communitatem, cujus eſt Prælatus. Ita *Fagnan. in cap. cum Eccleſia Vulterana n. 39.* & alii communiter: atque ita in Germania viget conſuetudo, ut Epiſcopi a Capitulo eligantur, & circa hoc nil innovare voluit Tridentinum *ſeſſ. 24 de reform. c. 1.* Nihilominus quia ex talibus electionibus quam plurimæ diſcordiæ oriebantur, ideo, ubi talis non eſt conſuetudo, Pontifex ſibi reſervavit electionem Prælatorum ad omnes Eccleſias Patriarchales, Archiepiſcopales, & Epiſcopales: *Extra ad regimen de Præbend. & reg. 3. Cancell.* Item ſi Epiſcopus, ubi talis eſt conſuetudo, intra tres menſes a Capitulo non eligatur, illius electio ad Pontificem devolvitur: *cap. ne defectu de elect.* Ibidem etiam dicitur Abbatis electionem ad legitimum Superiorem devolvi, ſi pariter intra tres menſes non eligatur. Proviſio aliarum Dignitatum, & Beneficiorum ſub eadem pœna facienda eſt intra ſex menſes: *cap. nulla 2. de conceſſ. Præbend. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. p. 1. tit. 1. cap. 3. n. 13.*

R. III. Forma electionis ad Prælaturas, *ex cap. Quia propter 42. de elect.* ſequens eſt. Neceſſe eſt, ut Electores collegialiter, ſive capitulariter congregentur, & non ſingulariter tantum: *Fagn. in c. n. 15.* Vocandi ſunt ad electionem celebrandam omnes, qui habent jus eligendi, & ſi unus ſolus contemnatur, agere poteſt de electione irritanda: *cap. quod ſicut 28. de elect.* Illorum autem, qui intereſſe nolunt, ratio habenda non eſt: *c. cum nobis 19. de elect. Gloſſ. V. alienos*, poſſunt enim, qui volunt, juri ſuo renunciare, nec poſſunt compelli ad intereſſendum Capitulo, ſi ita non expoſceret commune bonum Eccleſiæ: *Paſſer. de elect. c. 11. q. 4. n. 28.* Item non officit electioni, quod aliqui Vocales a Capitulo egrediantur, & nolint redire, quia, ita agendo, ſe faciunt alienos a Capitulo, & a jure electionis; *c. cum nobis de elect.* unde quamvis proteſtentur, & appellent, ſi ii, qui recedunt, non ſint major pars Capitularium, illi, qui remanent, procedere poſſunt ad electionem: *Paſſer. c. 11. de elect. Cardin. de Luc. diſ. 27. de Canonic. n. 9* Idem dicendum, ſi aliqui ex vocalibus remanentes in Capitulo, nolint votare: *Barboſ. l. 1. Jur. Eccleſ. c. 19. n. 224. Card. de Luc. diſc. 53. de Regul. n. 8.* Pariter ratio habenda non eſt eorum, qui commode vocari nequeunt: *arg. cit. c. quia propter*, quod pertinet ad Judicis arbitrium decernere, ſpectatis maxime particularibus conſuetudinibus: *Barboſ. in cit. c. quia propter in Collect. n. 12.* Ubi etiam adnotandum cenſeri vocatos, qui ſciunt vacationem Eccleſiæ, & diem indictæ electionis, nam qui certus eſt, non amplius debet certiorari: *c. cum qui certus eſt 31. de reg. Jur. in 6.* & ulterius cum ſolemnitas vocationis ſuppleatur per certam notitiam aliunde acquiſitam, qui ita eſt certioratus, ſi abſit, cenſetur adeſſe noluiſſe. *Paſſer. de elect. c. 11. q. 7. num. 66.*

Eligentes capitulariter congregati eligere debent tres Scrutatores, qui debent ſecreta exquirere vota ſingulorum, ita ut nec unicum votum prætermittatur illorum, qui ſunt præſentes ad electionem; alias nulla eſſet electio, ut inter alios notat Fagnanus *in cap. quia propter num. 49.*

Publicato Scrutinio, tenentur Scrutatores, nullo actu intermedio, vel obſtaculo appellationis appoſito, ſtatim procedere ad faciendam collationem votorum: *cap. quia propter cit. junct. Gloſſ. V. Sanior, Fagnan. cit. n. 57. & 58.* Quod ſi differant electionem, Nominatus, & quicumque alius de Capitulo poteſt curare, ut compellantur Scrutatores ad procedendum ad electionem, ſimulque velle, ut quæcumque alia, quæ facta fuiſſet electio, irrita declaretur: *c. publicato 58. de elect.*

Demum ad valorem electionis requiritur, ut facta fuerit a majori, & ſaniori parte Capituli. Cum autem, ex dictis, nulla ratio habenda ſit abſentium, ſi fuerunt ſufficienter vocati, major pars Capituli cenſetur ea, ubi eſt major pars eligentium reſpectu Capituli præſentis. Sufficit autem quicumque exceſſus ultra medietatem etiam unius medii voti, nam jura volunt valere electionem factam a majori parte: *cap. humana 50. de elect. cap. ſi cui 23. de elect. in 6.*; nec uſſibi dicitur exceſſum eſſe debere integri voti: *Paſſer. de elect. cap. 29. n. 18.*

At quia non ſufficit electionem factam eſſe a majori parte Capituli, niſi etiam facta ſit a ſaniori parte, & e contra: *cap. quia propter, cap. Eccleſia veſtra 57. de elect. & cap. humana cit.* duo hic advertenda ſunt. Primum quod in dubio ea pars præſumitur ſanior, ubi major eſt numerus; *cap. Eccleſia Veſtra cit. Fagnan. in c. Dum in cunct. n. 4. de his, quæ fiunt a major. part. Capitul.* Et hoc maxime verum eſt, ſi numerus multum excedat, & Electus vere ſit idoneus; nam tunc non conſideratur qualis ſit zelus, & meritum alterius partis; *arg. c. ſi quando 9. de elect. in 6.* ibique Layman cum aliis ab eo citatis. Secundum, quod ſi numerus Eligentium parum excedat, & e contra altera pars conſtet viris majori pietate, ac prudentia præditis, ſeu qui validiori utantur ratione, ita ut Sanioritas talis partis multum excedat, nunc electio non confirmanda eſt, ſed caſſanda, utpote quæ non facta eſt a majori ſimul, & ſaniori parte: *c. Eccleſia veſtra cit. §. Vos ergo:* ſecus ſi ſanioritas pa-

rum

tum excedat; neque enim propter modicum exceſſum qui non ſolet conſiderari, recedendum eſt a generali regula quod valeant geſta per majorem partem Capitulis: *c. 1. de his, quæ fiunt a maj. part. Cap. Laym. cit.*

Cæterum in Electionibus Regularium non ſolet conſiderari niſi numerus, qui præſumendum eſt omnes moveri ex conſideratione meriti Eligendi adeoque majorem numerum ſemper etiam eſſe ſaniorem partem Capituli, niſi clare conſtet de indignitate Nominati: *Paſſer. de elect. c. 19. n. 7.* Et quidem ita certe agere deberent Regulares; memores pro Chriſto omnibus, quæ mundi ſunt renunciaſſe, Deique ſolam Gloriam præ oculis ab ipſis habendam eſſe.

Illud etiam hic obiter animadvertendum, Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 6. de Regular.* velle electionem Superiorum Regularium faciendam eſſe per vota ſecreta, ita ut ſingulorum Eligentium nomina nunquam publicentur. Bene autem poteſt ſuſtineri, ſervari formam Tridentini, etſi Eligentes viva voce vota ſua Scrutatori, ſive Scrutatoribus exprimant, ſemper cum nomina Eligentium non publicentur *Paſſer. cap. 17. de elect. n. 5. Tambur. tom. 1. de Jur. Abb. diſp. 5. qu. 6. n. 10.* cum hujuſmodi forma eligendi ſemper reputata fuerit ſecreta, & Canonica. Ita autem Tridentinum vult Superiores Regulares eligendos eſſe per vota ſecreta, ut electio aliter facta ſit irrita. Id tamen intelligendum eſt ſi vel unus ex Eligentibus votum ſuum publicet, permittente Capitulo, & non monente, ut ſecrete det votum: *Garz, pag. 5. de Benef. cap. 4. n. 183. Barboſ. lib. 1. Jur. Eccleſ. cap. 19. n. 205.* Secus, ſi unus ex Electoribus, vel per malitiam, vel per inadvertentiam publicaret ſuum votum, Capitulo non conſentiente, cum defectus clandeſtinus unius nocere haud debeat toti Capitulo ipſum ignoranti *arg. cap. ult. de Procur.* Præterea non debet eſſe in poteſtate unius malitioſe jure ſuo Electum privare: *Barboſ. num. 209. Roderic. t. 2. qq. regul. q. 52. a. 9.*

De obligatione eligendi digniorem plene agam capite ſequenti.

Q. VI. Quid præſtet confirmatio poſt electionem facienda; quomodo facienda ſit; & a quibus.

R. I. Cum electio ſolum tribuat jus ad rem, ſeu ad Beneficium, hinc eſt electum ante confirmationem nullatenus poſſe ſe ingerere Beneficii adminiſtrationi: alias remanet privatus omni jure, quod acquiſierit per electionem: *cap. noſti, cap. qualiter de elect. & cap. Avaritiæ de elect. in 6.* Hoc igitur præſtat Confirmatio, quod tribuit Confirmato plenum jus ad Beneficium, ſeu Dignitatem, ad quam fuit electus: *cap. Nihil eſt de elect.* Unde non dicitur vacare Beneficium per mortem Electi ſed ſolum ſi moriatur ille, qui etiam fuit confirmatus *Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 15. §. 2. num. 2.* Quod ſi Confirmatus poſſeſſionem etiam Beneficii acceperit, in quam tamen poſſeſſionem mittendus eſt authoritate Ordinarii: *c. cum Bertoldus de ſent. & re judic.* poteſt tunc exercere munera omnia, quæ juriſdictionis ſunt, non tamen quæ Ordinis ante conſecrationem: *cap. tranſmiſſa de elect. ibique Barboſa &c.*

R. II. Antequam Confirmator Electum confirmet, debet prius validitatem electionis explorare, & inquirere de Perſona, & qualitatibus Electi: *cap. Nihil eſt 44. de Elect.* Si id non præſtet, mortaliter peccat, eo quod ſe periculo exponat indignum confirmandi: *Tambur. tom. 1. diſp. 6. q. 2. a. 6.* & communiter. Ad confirmationem autem faciendam nulla ex jure determinata verborum formula requiritur, unde ſatis eſt ſi Confirmator aliquo ſigno demonſtret ſe confirmare electum. Tenetur tamen ante confirmationem electi conſenſum exigere, ut notat *Gloſſ. in cap. Innotuit. de elect.* ibique Canoniſtæ. Et ratio eſt, quia cum interveniat quoddam ſpirituale matrimonium inter Eccleſiam, & Electum, hujus conſenſus eſt neceſſarius. Secus dicendum de Religioſo, qui non habet velle, & nolle: *cap. ſi Relig. de elect. in 6.* Imo etiam invitus eligi, & confirmari poteſt ad Beneficia Regularia: *Tambur. de Jur. Abbat. t. 1. d. 6. q. 2. n. 13.*

R. III. Cum modo electio Epiſcoporum fere omnium pertineat ad S. Pontificem, non indiget diſtincta confirmatione, quia ſimul habet pleniſſimum jus eligendi, & confirmandi. Ubi autem adhuc viget mos, ut Epiſcopi a Capitulis eligantur, confirmandi ſunt a S. Pontifice. Illud tamen obſervandum, quod licet Inferiores Prælati negare haud poſſint confirmationem rite Electo, nam habet jus ex vi electionis ad eamdem confirmationem: *cap. cupientes 16. de elect. in 6.* Papa nihilominus, accedente præſertim rationabili cauſa, quia non habet Superiorem in terris, poteſt alteri quam Electo tribuere Beneficium; unde omnia Beneficia reſpectu Papæ dicuntur libera; *Fagnan. in cap Conſultation. n 29. de Cleric. ægrot.* Ad eumdem Pontificem, ſive ejuſdem Legatum pertinet confirmare Abbates ſæculares exemptos.

Epiſcopus confirmat Abbates Sæculares non exemptos. *Tambur. t. 1. de Jur. Abb diſ. 6. num. 1.* Ad eumdem pertinet eligere, & confirmare ad Beneficia Curata ſuæ Diœceſis, quamvis dum eligit, & confirmare intelligatur, quia in eo eſt poteſtas ad utrumque: *Tambur. cit. q. 1. nu. 22.* In electione pariter Prælatorum Regularium confirmatio non ſolet eſſe diſtincta ab electione; quamvis non in omnibus Religionibus ſit eadem praxis.

Porro quilibet Electus, præſtito conſenſu electioni de ſe celebratæ, debet intra tres menſes confirmationem petere, & ſi id abſque juſto impedimento omiſerit, electio eo ipſo redditur irrita: *cap. quam cit. §. fin. de elect. in 6.* Loquendo vero de electionibus Eccleſiarum Cathedralium, & Regularium, quarum confirmatio ſpectat ad Sedem Apoſtolicam, ipſarum confirmatio petenda eſt intra menſem a die habitæ notitiæ electionis; & ſi Electus comparere non poſſit per ſemetipſum, comparere intra tale tempus debet per idoneum Procuratorem: *c. cupientes 16. de elect. in 6. Clem. ne Romani §. fin. de elect.*

Q. VII. Quid ſit libera collatio, & qui valeat hoc modo Beneficia conferre.

R. I. Libera Collatio, ad diſtinctionem Inſtitutionis, quæ eſt collatio non libera Beneficii, ita communiter definitur: *Donatio Beneficii vacantis, libere facta ab habente legitimam poteſtatem*: *Gonzal. ſuper reg. 8. Cancell. gloſſ. n. 8.* & communiter.

R. II. Summus Pontifex, utpote habens a Chriſto Domino pleniſſimam poteſtatem in tota Eccleſia, dicitur omnium Beneficiorum Dominus: *c. 2. de præb. in 6.* unde valet derogare poteſtati conceſſæ Epiſcopis conferendi Beneficia: *cap. præſenti, cap. licet de præbend.*, & conferre ea beneficia, quæ Epiſcopus conferre poteſt; *cap. dudum 14. de Præbend. in 6.* Multo magis id verificatur, ſi Papa præveniat Ordinarium, quando & hic contulit Beneficium, nam habet majorem poteſtatem: *cap. dudum cit.*, & ulterius, qui prior eſt tempore; potior eſt jure, juxta *reg. 54. jur. in 5.* Quod ſi uterque eadem data, & die contulit Beneficium, & proviſus ab Ordinario ſit in ipſius poſſeſſione, tunc ille eſt præferendus: *cap. 1. a Sede Apoſtolica 31. de Præb. in 6.*: & merito, nam habet pro ſe æquale tempus, & præterea titulum poſſeſſionis, & ita lis deciditur in favorem poſſeſſoris: *§. Commodum Inſtit. de interd. c. 3. de prob. Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg. 57. a n. 1.*

Quamvis Epiſcopus de jure communi poteſtatem haberet libere conferendi omnia Beneficia ſuæ Diœceſis, ut late probant *Barboſ. cit. Gonzal. ſuper 8. reg Cancell. §. 1. præm. n. 21. Garz. 5. p. c. 1. n. 52.* nihilominus tot ſunt reſervationes, quas ſibi faciunt SS. Pontifices, ut talis poteſtas ſit valde limitata. De his reſervationibus expectativis &c. videantur ſcribentes ſuper regulas Cancellariæ, nam ab hujuſmodi materia, utpote non multum conferente noſtro Inſtituto, libenter ſuperſedeo.

Capitulum ſimul cum Epiſcopo poteſtatem habet conferendi Prebendas, & Beneficia Eccleſiæ Cathedralis; nam cum Epiſcopus cum ſuo Capitulo perfectum corpus conſtituant, æquum eſt ut ſimul conferat Beneficia Cathedralis: *Lotter. de re Benef. l. 2 q. 21. n. 8. Barboſ. de Canon. c. 14 n. 2.* Omnes tamen conveniunt ex conſuetudine, ſeu præſcriptione aliter poſſe obſervari. Concilium vero Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 8. de reform.* reſervat Epiſcopo electionem Canonici Pœnitentiarii; & *ſeſſ. 5. de reform. c. 1.* electionem Perſonæ, cui conferenda eſt Præbenda pro Lectoribus S. Scripturæ. Cæterum Capitulum, ſede vacante, non poteſt conferre Beneficia Eccleſiaſtica quæ Epiſcopus, ſi viveret, ex jure conferre poſſet, *cap. 2. ne ſede vacant. quanto de his, quæ fiunt a Prælat. ſine conſ. Cap.* & conſtat ex *reg. 2. Cancellariæ.*

CAPUT V.

De obligatione eligendi Digniorem ad Beneficia, & de concurſu faciendo in collatione Parochialium Eccleſiarum.

Q. I. QUi reputandi ſint Digniores in collatione Beneficiorum.

R. I. In collatione Beneficiorum ille dignior reputandus eſt, qui magis Eccleſiæ, & Fidelibus utilis eſſe judicatur; *Trident. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. D. Th. 2. 2. q. 64. a. 2.* & cum eodem communiter DD. ut videre eſt apud *Barboſam 2. p. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 60. n. 101. Hurtad. reſol. moral. pag. 2. tr. 12. cap. 1. n. 133.* Ratio autem eſt, quia Beneficia inſtituta ſunt propter utilitatem Eccleſiæ; ac proinde ille dignior reputandus eſt in ordine ad hunc finem, qui magis Eccleſiæ, & fidelium utilitatem valet promovere. Hinc non ſemper dignior eſt qui ſanctior, vel etiam qui una doctior ſit, cum poſſit utilior eſſe Eccleſiæ, qui ſufficienti præditus probitate, & ſcientia, ſanctiorem, & doctiorem prudentia non parum excederet. Ita etiam minus doctus, ſed majorem habens probitatem, præferendus eſt Doctiori, dummodo in eo ſufficiens ſcientia reperiatur; nam probitas morum multo magis quam doctrina, Eccleſiæ, & fidelium utilitatem promovet. Conducit etiam nobilitas, & potentia ad conſtituendum aliquem Digniorem; nam hi multum poſſunt ad compeſcendos populos, pacemque ſervandam, ſine quibus difficiliter Animarum cura adminiſtratur. Hinc Nobilitatem etiam eſſe attendendam in judicando de Digniore, cenſuit *Rota* apud *Pignatell. t. 1. conſ. 183.* & ſæpe declaravit S. Congregatio in una *Piſtor. die 7. Aug. 1649. in una Aretin. 9. Maii 1651.*

Q. II. An ad Beneficia curata Dignior ſemper eligendus ſit.

R. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24 cap. 1. & cap. 4.* loquendo de promovendis ad Epiſcopatum, & Cardinalatum vult eſſe eligendos digniores, & Eccleſiæ magis utiles; & cum varias interpretationes ab aliquibus fierent verbis Concilii, *Innoc. XI. ſub n. 47.* ſequentem damnavit propoſitionem: *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent; Concilium, vel primo videtur per hoc Digniores, non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo, vel ſecundo, locutione minus propria, ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concurſus.*

Scribentes deinde in præfatam propoſitionem, idem, quod de Epiſcopis, reputant de Parochis dicendum, & eidem ſubjacere damnationi opinionem aſſerentem ſufficere eligere dignos, omiſſis dignioribus, ad Beneficia curata. Et quidem id multipliciter, & invictiſſime probatur. Et revera *ſeſſ. 24. cap. 18. de reform.* vult ab Epiſcopo eligendum ad Curam animarum *quem cæteris magis idoneum judicaverit*, & paulo poſt ad eadem beneficia vult a Patrono eſſe Epiſcopo præſentandum *quem digniorem* inter probatos ab examinatoribus judicabit. Id etiam multipliciter probatur. Primo, quia Beneficia inſtituta ſunt ad Eccleſiæ utilitatem, conferenda proinde ſunt iis, qui Eccleſiæ magis utiles ſunt, adeoque dignioribus. Secundo, Beneficia ſunt bona communia Eccleſiæ, & præmia meritorum: expoſcit ergo juſtitia diſtributiva, ut juxta merita diſtribuantur, alias habebitur acceptio Perſonarum, ut obſervat *S. Th. 2. 2. q. 63. a. 2.* Tertio, qui non curat, ut committantur pauciora peccata, peccat peccato ſcandali; & ut dixit Tridentinum ſupracitatum, communicat alienis peccatis; ita autem evenit, ſi omittatur Dignior, nam minus dignus minus capax eſt populorum peccata impedire.

Quod ſi fiat concurſus ad Beneficium Curatum, ut communiter fieri ſolet, multo magis id eſt extra controverſiam, nam Eccleſia inſtituit faciendum eſſe concurſum, ut ita melius qui Dignior eſt appareat, ipſique beneficium conferatur; non vero minus digno. Ita communiter DD. qui etiam non immerito notant, quod quando exceſſus dignitatis in eo, qui prætermittitur, eſt valde modicus, ita ut parum, vel nihil ſit conſiderandus, non peccatur ſaltem graviter propter parvitatem materiæ: *Lug. de Juſt. diſp. 35. ſect. 3. n. 21. Sanch. l. 2. Conſil. cap. 2. d. 1. n. 17. Garz. p. 7. de Benef. c. 15. nu. 2.*

Q. III. Quid dicendum, ſi Beneficia curata conferenda ſint Perſonis alicujus loci, vel certo Perſonarum generi.

R. In tali caſu ſatis eſt, ſi eligatur dignior inter Perſonas vocatas a Fundatore, omiſſis dignioribus non vocatis. Quod eligendus ſit Dignior inter perſonas vocatas, conſtat ex dictis, quia is eligendus eſt de jure naturæ, qui poteſt eſſe magis utilis Eccleſiæ, & qui propter majora merita habet majus jus ad Beneficium. Quod vero non ſit neceſſe quærere digniorem extra Perſonas vocatas, patet, quia hujuſmodi Beneficia non ſunt bona communia omnibus, ſed ſolum illis, qui ex aliquo loco, vel familia ad ea vocantur; & ita velle poterat fundator nam utpote Dominus ſuorum bonorum, limitare poterat quibus vellet ea conferri. Accedit, quia ex hoc homines pii moventur ad fundandas, & dotandas Eccleſias: *Azor. p. 2. l. 6. c. 4. q. 25. Sanch. in Conſ. l. 2. c. 1. d. 10. n. 18. Garz. de benef. par. 7. c. 15. a n. 1.*

Q. IV. An Patronus teneatur Digniorem præſentare ad Beneficia curata.

R. Quamvis non deſint qui contradicant, puto quemlibet Patronum ſive Eccleſiaſticum, ſive Laicum debere præſentare Digniores ad Beneficia curata. Ratio eſt, quia ſuppoſita beneficii fundatione, quilibet Patronus habet ab Eccleſia authoritatem præſentandi, adeoque præſentare debet illum, qui majus jus habet ad bona communia Eccleſiæ, nam Eccleſia non poteſt illi dare facultatem præſentandi habentem minus jus ad eadem bona. Præterea quicumque Patronus debet ex vi proprii muneris promovere res, & utilitatem Eccleſiæ, ſicut quicumque habens aliquod officium, tenetur promovere quæ ad ipſum officium pertinent, nemo autem certe dicetur promovere utilitatem Eccleſiæ, ſi prætermittat digniorem, qui fideles notabiliter magis valet ad virtutem excitare, & ad vitia præcavenda: *S. Th. 2. 2. q. 185. a. 3. Leſſ. l. 2. c. 34. dub. 14. n. 65. Lug. de Juſt. d. 25. ſect. 4. n. 38.*

Q. V. An ſi Patronus præſentet minus dignum, debeat in Beneficio inſtitui; vel an confirmandus, ſi minus dignus eligatur.

R. Indigni præſentatio, & electio eſt ipſo jure nulla, & invalida, ut ex ſe patet, & deciſum eſt *cap. dudum 22. de elect.* adeoque extra quæſtionem eſt, an ſit inſtituendus, & confirmandus. Item certum eſt ſubſiſtere præſentationem, & electionem digni, omiſſo Digniore, adeoque nullo dubitante, talis præſentatus eſt inſtituendus, & illius electio confirmanda, & deciſum habetur *cap. cum nobis de elect.* Et revera ſi hujuſmodi præſentationes, & electiones Perſonæ dignæ nullius forent roboris, omnia implerentur litibus, & diſcordiis, adeoque ratio boni communis expoſcit validas reputari: *S. Th. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. Sanch. l. 1. Conſ. c. 1. dub. 6. n. 2. Barboſ. alleg. 60. n. 97.*

Dubium ergo ſolum poteſt eſſe, an valida ſit præſentatio, & electio digni, omiſſo digniore, ad beneficia Curata; nam ſicut certum eſt ad præſentationem validam ſequi debere inſtitutionem, ſicut & confirmationem ad validam electionem; ita & certum eſt non poſſe inſtitui invalide præſentatum, neque confirmari invalide electum: neque enim confirmatur quod nullum eſt.

Ego autem puto ſuſtinendam eſſe præſentationem, & electionem digni, omiſſo digniore. Ratio ab intrinſeco eſt, quia cum alius dignus valeat ſufficienter ſuo muneri ſatisfacere, jus naturale dictat, ob bonum commune validum etiam habendum eſſe, quod non factum eſt juxta omnes regulas rationis, ſi aliter agendo valde litibus, & diſcordiis quies perturbaretur. Ita autem eveniret, ſi, ob omiſſionem dignioris, electio Digni non ſuſtineretur; nam cum unuſquiſque digniorem ſe reputaret, continuæ lites orirentur. Et id maxime locum haberet in præſenti materia, nam dignitas Perſonæ, ex dictis initio hujus capitis, ex multis eſt conſideranda. Hanc rationem inſinuat S. Thomas loco ſupra citato, & approbatur a S. Canonibus, nam, ut dicitur *c. ad Apoſtolicam 16. de Regul. multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.*

Altera ratio eſt, quia ex utroque jure, ne actus pereat, ſuſtinendus eſt, ni clare a jure irritetur, ut dictum eſt *tr. 3. q. 4. c. 2. quæſit. 2.* at in caſu noſtro non eſt reperire jus ipſo facto irritans electionem digni, omiſſo digniore. Et primo, non ſufficienter probatur irritari a Tridentino *ſeſſ. 24. c. 18.* ubi vult habendas eſſe tamquam ſurreptitias proviſiones, ſeu inſtitutiones factas, non ſervata forma ibi præſcripta, nam commode Tridentinum explicatur de forma præſcripta quoad examen Oppoſitorum. Eodem modo explicari poteſt Conſtitutio S. Pii V. incipiens: *In conferendis &c.* nempe dici poteſt ibidem declarari *irritas, nullius roboris &c.* electiones factas contra formam Tridentini, ſi nempe omittatur concurſus. Et de facto ibi etiam præſcribitur, quod proviſus a Beneficio non amoveatur, uſque dum non revocetur electio, quod non obſcure innuit validitatem electionis. *can. nullus diſt. 61. Garzias par. 7. de benef. cap. 16. n. 18. Engel. de elect. n. 47. Lug. de juſt. diſp. 35. n. 7. Filiuc. t. 3. tr. 41. cap. 4. n. 154.*

Q. VI. An reſignans Beneficium, maxime curatum, debeat digniorem quærere.

R. Mul-

Digitized by Google

R. Multi ita affirmant, ſed non minus probabilis eſt opinio negativa, ſi Reſignatarius ſit æque moraliter dignus ac reſignans; idem dicas de renunciante, & renunciatario. Ratio eſt quia Reſignans non eſt publicus diſpenſator boni communis, ſed beneficii ſibi appropriati, adeoque non tenetur quærere digniorem, ſicut tenetur facere Collator, dum confert aliquod Beneficium per viam vacationis. Quia tamen etiam Reſignans tenetur cavere damnum Eccleſiæ, ideo curare debet ne Reſignatarius ſit ſeipſo notabiliter minus dignus, & in hoc puto convenire debere omnes Doctores. *Sanchez lib. 2. Conſil. cap. 1. dub. 7. n. 5. Lugo diſp. 35. ſect. 4. n. 50. Hurtad. tr. 17. reſol. Mor. c. 1. ampliat. 3. n. 572.*

Q. VII. An obligatio Digniores eligendi comprehendat etiam Prælaturas Regulares.

R. Semper credidi peccare graviter Electores Regulares, ſi in electione ad Prælaturas digniores omittant. Ratio eſt, quia in conferendis Beneficiis Curatis digniores ſunt præferendi, quia Collator debet attendere ad commune bonum Eccleſiæ; adeoque ſi non eligat Digniorem, reus erit & omiſſionis majoris boni, quod promoviſſet Dignior, & illarum culparum, quas idem impediſſet. Quis autem non videat etiam Electores ad Prælaturas Regulares attendere debere ad majus bonum, maxime Spirituale Communitatis, & ad impedienda damna Spiritualia ipſius? Certe ex electione minus digni (quando non graviora mala eveniunt, ut re vera quam maxima eveniunt) tepeſcet Regularis obſervantia, tepeſcent ſtudia, indocti, & terentes tempus in vanis loquutionibus, ſæpe impones erunt, & heu quot mala ex leviori etiam obſervantia, & ſtudiorum relaxatione conſurgunt! His autem malis certe communicabunt Eligentes minus Dignum, cum ea debuiſſent, & potuiſſent per electionem Dignioris impedire. Accedit, quod licet in rei veritate Prælaturæ Regulares, ſi Superior nolit æternam damnationem incurrere, ſint quotidianis anguſtiis refertæ, uti ſciunt qui experti ſunt, nihilominus conſiderantur etiam ut honores, & dignitates Religionis, ad quas ex Juſtitia Diſtributiva majus habet jus qui majus habet meritum: *Sanch. in Conſ. lib. 2. c. 5. dub. 2. n. 27. Anton. a Spir. S. in Direct. Regul. p. 3. tr. 5. diſp. 4. ſect. 2. n. 2. & alii apud ipſum, Viva in prop. 47. ex damnatis ab Innoc. XI.* Præterea Prælaturæ Regulares, quamvis ab aliquibus dicantur eſſe minus proprie Beneficia, quia vel non ſunt perpetuæ, vel ad eas electi poſſunt removeri, nihilominus nil obſtat quin dici poſſint proprie Beneficia cum ſaltem aptitudine ſint perpetuæ ut probat *Barboſa de jure Eccl. p. 2. l. 3. c. 4. n. 80.* unde & hac ratione ad eas Digniores ſunt eligendi.

Q. VIII. An etiam Beneficia ſimplicia conferenda ſint Dignioribus; ex his, qui poſſunt eligi.

R. Quamvis quoad hoc magna ſit controverſia inter DD., ego nihilominus ſemper putavi in eligendo etiam ad Beneficia ſimplicia aſſumendos eſſe Digniores, & ſententiam contrariam, ſi rationes attendantur, carere ſolida probabilitate. Obſervandum igitur eſt, ut ſupra etiam notavi, duo præcipue conſiderari poſſe in Eccleſiaſticis Beneficiis. Primum, inſtituta eſſe in Eccleſiæ utilitatem, eam etenim primo, & per ſe reſpexit Beneficii Fundator, ſive Collatores Decimarum, ex quibus fundata fuerunt beneficia. Secundum, quod beneficia ſunt bona communia Eccleſiæ, & præmia eorum, qui ipſius bonum promovent. Per electionem autem Digni, omiſſo Digniori etiam in conferendis Beneficiis ſimplicibus, hæc omnia fruſtrantur. Deeſt igitur utilitas Eccleſiæ, tum quia, quamvis Beneficia ſimplicia annexam non habeant curam animarum, nihilominus ſi relinquatur Dignior, caret Eccleſia meliori ſervitio, quod hic conferret, non ſolum ratione ſui Beneficii, ſed etiam ultronee tanquam fidelis Miniſter Peccatores ad Deum revocando. Ultraquamquod, ex hoc ſolum, quod fideles non videant in Eccleſiaſticis exemplarem virtutem, in propriis vitiis turpeſcunt: Tum quia, eo quod omittantur Digniores, multi deſpondentes animum ſeſe, a ſtudiis avertunt, & renuunt Eccleſiæ ſervitio mancipari, ex quo fit, Diœceſes multoties neceſſariis Miniſtris carere. Tum quia ex opinione, quod ad Beneficia ſimplicia ſatis ſit eligere Dignos, hoc graviſſimum conſurget incommodum, quod Eccleſia indignis Miniſtris replebitur; nam ſi qui reputantur digniores, multoties vix Digni inveniuntur, qui Digni cenſentur, Indignos facillime reperiemus: ut nimis ex ipſa experientia conſtat.

Item per electionem Digni omiſſo Digniori ad beneficia ſimplicia, perperam diſtribuuntur bona communia Eccleſiæ, nam collator cum non ſit dominus, ſed diſtributor, tenetur ex vi Juſtitiæ Diſtributivæ attendere merita, cum Dignior ad bona communia, quæ debent eſſe præmia, majus habet meritum. Ulterius quomodo Collator vitabit vitium acceptationis Perſonarum? Si etenim majora merita non reſpiciat, utique in conferendis talibus beneficiis, attendet præciſe ad Perſonam. Attendere etiam debent Collatores quam multi ſcandalizentur ex omiſſione Digniorum, videntes contra regulas Juſtitiæ minus dignos aſſumi: quod ſcandalum utique Epiſcopi removere deberent, etiam ex eo motivo, ne in multorum opinione ipſorum fama decreſcat, atque ita minus utiles Diœceſibus reddantur. Noſtra ſententia roboratur ex *c. Unic. Ut Eccleſ. benef. ſine diminut. conf. & c. Cuſtos de offic. Cuſtod.* utrobique enim magis idoneus, ſeu melior, & ſanctior dicitur promovendus. Eam etiam docent *S. Ant. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 1. Navar. in Man. c. 17. n. 75. Sanch. in Conſil. l. 2. c. 1. dub. 2. n. 16. Anton. a Sp. S. in Direct. Regul. tr. 5. diſp. 4. n. 1.* & plures apud iſtos.

Quæ dicta ſunt de conferendo Beneficio Perſonæ dignæ, omiſſa digniori, bene aptantur Patrono præſentanti dignum, omiſſo digniore, nam non agit utiliter, & fideliter negotia Eccleſiæ, ut ex vi proprii muneris tenetur. Quod ſi diverſi Patroni æquales in votis, inæquales in meritis præſentent, tunc Digniorem eſſe inſtituendum deciſum videtur *can. ſi forte diſt. 61.* Videatur *Barboſ. alleg. 72. n. 200. & in Trident. ſeſſ. 24. c. 5. n. 4 & cap. 18. de reform. n. 126.* & *in Collect. ad cap. cum nobis 19. de elect. num. 4.*

Illud etiam monitum velim contrariam opinionem fruſtra ſibi præſidium quærere ex Tridentino, eo, quod aliquibus in locis videtur tantum dicere eligendos eſſe dignos, & habiles. Mens igitur Tridentini non eſt decidere, quod ſufficiat eligere dignum, omiſſo etiam Digniore, ſed monere de obligatione excludendi indignos. Præterea, ut advertit Paſſerinus *cap. 30. de elect. n. 62.* Concilium confundit hos terminos Dignus, & Dignior, unde cum *cap. 1. ſeſſ. 24.* dixerit a principio eligendos *bonos Paſtores, & idoneos*, ſubdit graviter peccare eum, qui omittit *Digniorem, & Eccleſiæ magis utilem.*

Q. IX. Quomodo inſtituendus ſit concurſus ad conferenda Beneficia curata; & an ſemper iſta conferenda ſint habito concurſu.

R. I. Cum quam maxime expediat ut Eccleſiæ Parochiales per Digniores adminiſtrentur, hinc eſt Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 18.* ad dignoſcendos Digniores, præſcribere, ut per concurſum conferantur. Ut rite autem fiat iſte concurſus, debent ab Epiſcopo intra tempus determinatum aliqui Clerici idonei ad regendam Eccleſiam coram deputandis Examinatoribus nominari; ſeu pro more regionis vocare per edictum eos, qui volunt examinari. Tranſacto autem conſtituto tempore, examinandi ſunt ab Epiſcopo, eoque impedito, a Vicario Generali, & tribus ſaltem examinatoribus. Peracto examine renuntiandi ſunt ab Examinatoribus quotcunque ad regendam Eccleſiam idoneos invenire non ſolum ſcientia, ſed etiam *ætate, moribus, prudentia*, aliiſque neceſſariis dotibus ad regendam Eccleſiam. Denique inter illos, quos Examinatores idoneos renuntiarint, Epiſcopus debet eligere; quem judicaverit magis idoneum. Hæc omnia conſtant ex Tridentino loco citato.

Hic autem conſurgit difficultas an Examinatores debeant Epiſcopo renunciare magis idoneum, vel ſatisfaciant ſuo muneri, ſi renuncient qui ſibi idonei videantur. Quanquam autem multi putent ſatis eſſe ſi idoneos Epiſcopo renuntient: *Garc. de Benef. p. 9. c. 2. n. 108. Lug. de Juſt. diſp. 35. ſect. 5. num. 66. Barboſ. in Concil. loc. cit. n. 123.* ego nihilominus putarem, mentem fuiſſe Concilii, ut ab Examinatoribus, qui magis ſint idonei, renuntientur; nam non præſcripſit examen, ſeu concurſum, ut præciſe idonei adinveniantur, ſed ut magis idonei, ergo voluit Concilium Examinatores eſſe media, quibus Epiſcopus digniorem agnoſcat; quamquam ipſi reſervetur ultimum judicium de majori idoneitate; *Azor. 2. p. l. 6. cap. 15. q. 11. Zerola in praxi Epiſc. p. 1. V. Parochia §. 2.* & plures alii. Credo tamen non ſolere Epiſcopus ab Examinatoribus exquirere, qui ſint Digniores.

R. II. Plures dantur caſus, in quibus Epiſcopus non tenetur concurſum indicere. Primum, ſi Eccleſia ſit Juriſpatronatus laicalis, nam licet quando eſt juriſpatronatus Eccleſiaſtici, debeat ſervari aliqua forma concurſus, & Patronus teneatur præſentare, *quem digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit*, nihilominus

Pa-

Patronus Laicus, abſque eo quod plurium præmittatur examen, unum præſentat, qui examinandus eſt, an ſit idoneus *Trid. ſeſſ. 24. c. 18. de reform.* Secundo, omitti poteſt concurſus, ſi Eccleſiæ Parochiales adeo tenues ſint, ut nullus reputetur ſe velle examini per concurſum ſubjicere; vel ſi en concurſu reputentur oritura diſſidia factiones &c, *Trid. cit.* Tertio, Vicariæ perpetuæ incorporatæ aliis Eccleſiis, Monaſteriis, Collegiis &c, non ſunt conferendæ per concurſum; nam hujuſmodi Eccleſiæ Parochiales, cum ſint acceſſoriæ iis, quibus fuerunt incorporatæ, inducunt naturam Eccleſiæ principalis: *arg. Clem. per literas de Præben. Gloſſ. in cap. un. V. uniendo. Ne Sede vacante*: unde nec vacare cenſentur: *Clem. un. §. Quidam etiam Eccleſiae de exceſſ. Prælat.* Conferendæ ergo ſunt ad nominationem, ſeu præſentationem illorum, quorum Dignitati, Eccleſiæ, ſeu Monaſterio fuerunt incorporatæ: *Barboſ. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 60. num. 31.* & eſt communis. Videnda etiam quoad hoc Conſtitutio 47. S. Pii V. *ad Exequendam &c.* Quarto, Dignitates habentes curam animarum in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis non conferantur per concurſum, ut deciſum fuiſſe n S. Congregatione refert *Fagn. n. 19. & 22. in c. Cum ſit arc. de ætat. & qualit.* Et ratio videtur eſſe, quia dum Concilium diſponere vult de Dignitatibus, & Eccleſiis Collegiatis, ſolet de illis expreſſam facere mentionem. Item proinde dicendum videtur de Beneficio curato, quod vere Dignitas ſit, & de Dignitatibus, quæ acceſſorie ſibi habent unitam Eccleſiam Parochialem: *Barboſ. p. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 60. n. 25. & ſeqq. Garzias p. 9 c. 2. n. 183.* Quinto, in permutationibus Eccleſiarum parochialium non requiritur concurſus, cum conferri non poſſint, niſi volentibus permutare. Poteſt tamen examinari ille, qui permutat cum alia Parochia habente numerum valde majorem Parochianorum, vel ſi antea nunquam fuit examinatus ad curam animarum; *Garz. cit. n. 165. Barboſ cit. n. 23.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum ſoli digniori conferenda ſint Beneficia, & maxime habentia curam animarum. Confeſſarius omnino removeat a quærendis ſimilibus Beneficiis, qui poſſunt evidentiſſime ſe minus dignos, & fortaſſe indignos cognoſcere; ni forte concurrant, ut oſtendant ſuum ingenium, abſque ulla ſpe conſequendi beneficium. Nec ſatis ſe excuſant dicendo, ipſos velle concurrere, ac deinde relinquere Epiſcopo electionem. Dari etenim poteſt caſus Epiſcopum ignorare quam parum in ſtudiis profecerint, & judicium de ipſorum ſcientia formari ex reſponſionibus, quas in concurſu, ſeu examine tradidere, quibus ſolum fortuito non errarunt. Quoties etiam accidit Epiſcopum ignorare pravos ipſorum mores, cum in iis occultandis fuerint vigilantiſſimi? Quoties ipſorum latet imprudentia, dum publicam occaſionem non habuerunt oſtendendi ſe parum docilea, diſcordias non vitare; neſcire populis morem gerere, ut ipſos lenitate ad fas, & juſtum perducant? Si ergo iſti ad Beneficia concurrant, dum ſpes eſt fore eligendos ultra præjudicia, quæ Dignioribus afferunt, præbere poſſunt occaſionem, ut eligantur, maximo Eccleſiarum nocumento. Nec ſatis eſt reſpondere renunciaturos ſuæ electioni: qui enim ſunt iſti, & laudabimus eos? Certe concurſui, ſeu examini non ſe exponerent, ſi vellent renunciare. Videat ergo Confeſſarius, ut longe abſint a Beneficiis quæritandis, alias illos peccati graviſſimi reos pronunciet.

II. Advertet Confeſſarius quam plurium ſuo Officio deeſſe Patronos, qui tenentur aliquos ex agnatione, ſeu cognatione ad Beneficium nominare. Qui inter Agnatos, ſeu Cognatos, magis commendatur; qui magis diligitur ab Uxoribus Patronorum, ſeu qui habet inter ipſos majores Divitias, cæteris præfertur. Id ne eſt eligere Digniorem? Admoneantur ergo Patroni de ſua obligatione quærendi digniores ad Beneficia maxime curata, neque reſpiciendum majori clientelæ; ſicut nec præferendos eos, qui magis commendantur, præcipue a muneribus, ſed qui magis utiles eſſe poſſunt Eccleſiæ, ac promovendæ Fidelium ſaluti; alias Rei erunt ipſi illarum culparum, & peccatorum, quæ ex hujuſmodi electionibus oriuntur.

De eodem moneantur a pio Confeſſario Patroni, qui etiam entra Agnatos, & Cognatos poſſunt præſentare.

III. Admonere etiam debet Confeſſarius Patronos, & quoſcumque jus habent conferendi Beneficis, ne antequam vacent illa aliqui promittant; nam hujuſmodi pacta, cum dent occaſionem optandæ mortis Beneficiato ea poſſidenti, omnino reprobantur a jure: *cap. nulla §. t. de conceſ. præbend.* Hac in re propter ignorantiam, maxime Patroni ſæculares non raro errant.

IV. Faciliime etiam peccatur in reſignatione Beneficiorum. Multoties quod magis in iis Reſignationibus obſervatur, eſt reſignare in favorem illius, qui magis vult tribuere Reſignanti titulo alimentorum, ſeu penſionis &c. An vero Reſignatarius frequens ſe habeat inter mulieres, an luſibus addictus, an a libris abhorreat, de hoc minime curat Reſignans. Interim adveniunt complacentes Confeſſarios, qui & reſignantem, & reſignatarium, neque de culpa commiſſa, ſeu quam committere meditantur, admoneant. Aliquando etiam Confeſſarius fruſtra enititur removere Reſignatarium, quem fortaſſe, avaritia Conſanguineorum impellente, uti omnibus numeris abſolutum Ordinario repræſentarunt.

V. Mallem etiam pium Confeſſarium animadvertere quam facile committatur peccatum in conferendis etiam ſimplicibus Beneficiis, ut ab eo removere poſſit Patronos, ſi illorum confeſſiones excipiat. Validiſſimæ utique rationes probant, omnia etiam hujuſmodi Beneficia Dignioribus eſſe conferenda; & maxime ſi agatur de conferendis Dignitatibus, Canonicatibus &c. At ſi ſermo de his conferendis cum patrono inſtituatur, ſimulque Digniſſimus, qui eligi poſſit, repræſentetur, ſtatim abnuit. Quod ſi cauſa abnuendi quæratur, reſpondet eſſe quemdam inter ſuos Conſanguineos, vel affines, qui beneficium expoſcit, adeoque cæteris præferendum. At iſte juvenis craſſiſſimæ Minervæ; mores ipſius non omnimode innocentiam redolent; vel ſi parum loquatur, inſipiens, ſeu etiam inſipientiſſimus apparet. Nihil refert. Conſanguineus eſt. Affinis eſt. Et hæc ratio ſat eſt, ut Eccleſiæ beneficia ipſi tribuantur, & ut Confeſſarius ſeſe Patrono indulgentem oſtendat.

Quid poſtea dicendum, dum pinguiora etiam Beneficia non adhuc Puberibus conferrentur, qui ſolum aliena voluntate fiunt Clerici, quorum mores nondum poſſunt conſiderari, & an ſtudiis vacaturi, neſcitur? Digniores utique non ſunt: an Digni alii videant. Certe in hac noſtrorum temporum corruptela plures in his videntur egregie poſtea Cicisbejorum munera adimplere. En qui poſſident Pauperum, adeoque & J. Chriſti patrimonium.

VI. Examinatores Synodales videant tanta præditos eſſe doctrina, ut bene poſſint ſuum munus adimplere. Certe quandoque accidere poteſt ab iis approbari, qui male reſponderunt, quandoque reprobari eos, qui juxta opinionem vere probabilem reſponderunt, quam tamen Examinatores, vel ignorabant, vel non probabilem reputabant ex nimio affectu ad propriam ſententiam. In his graviter peccari poſſe nemo non videt, cum ita agendo arcere poſſint dignos, vel approbare indignos.

CAPUT VI.

De Diverſis modis, quibus vacant Beneficia.

Q. I. Quot modis vacent Beneficia.

Beneficia vacant per obitum Beneficiati, per reſignationem Beneficii, per permutationem, per contractum matrimonii, per ingreſſum Religionis, per aſſecutionem alterius Beneficii incomparabilia; per promotionem ad Prælaturas, per delicti commiſſionem.

Q. II. Quomodo per mortem Beneficiati dicantur vacare Beneficia.

R. Per mortem Beneficiati beneficia vacare dicuntur de jure, & de facto. Utique de jure, cum etenim per mortem omnia ſolvantur, ut dicitur *Auth. de Nupt. §. Deinceps collat. 4.* mortuus nullum jus retinet ad Beneficium, ut patet etiam ex *cap. ſuſceptum de reſcr. in 6.* Hinc communiter docent Doctores, quod ſi Beneficiatus mortuus miraculoſe reſurgeret, nullum jus haberet ad officium, quod antea obtinebat: *Lotter. de Benefic. l. 3. q. 10. Garz. de Benefic. p. 11. c. 2. n. 1.* Conſtat etiam vacare de facto; nam qui mortuus eſt, non amplius retinet ipſius poſſeſſionem.

Cæterum advertendum hic obiter aliquando beneficia vacare de jure, & non de facto. Vacarent e. g. de jure, & non de facto, quando quis amiſiſſet jus ad beneficium, eo quia e. g. aſſequutus eſſet aliud beneficium incompatibile cum primo, & nihilominus adhuc illud retineret. Vacaret e contra de facto, & non de jure, quando quis e. g. injuſte expoliatus fuiſſet poſſeſſione ſui beneficii, adeoque adhuc jus ad illud retineret: *cap. acceptat. cap. olim de reſtit. ſpol.*

Q. III.

Digitized by Google

Q. III. Quando intelligatur vacare Beneficium per renunciationem, ſeu reſignationem; ex quibus cauſis poſſit fieri; & coram quibus.

R. I. Tunc aliquis dicitur renunciare, ſeu reſignare Beneficium, quando voluntarie, & legitime illud coram Ordinario dimittit, unde renunciatio Beneficii ita definitur: *Voluntaria dimiſſio Beneficii, legitime facta coram Ordinario*. Tunc fit expreſſe, quando expreſſis verbis jus beneficii dimittitur: *cap. 1. de renunciat. in 6., & Clem. eod. tit.* Tunc vero tacite, quando fit aliquid cum beneficio incompatibile, ut ſi Clericus ducat uxorem, profiteatur in aliqua Religione &c.

R. II. Cauſæ, ob quas admittenda eſt reſignatio, ad ſequentes reducuntur. Si Beneficiarius ſit ſenex, valetudinarius, corpore impeditus, ſeu vitiatus, ita ut præſtare non valeat ſui Beneficii munera; vel ſi præſtet, ea non peragat ſine indecentia. Si nequeat Beneficio deſervire, puta, quia eſt bannitus; vel non debeat, quia e.g. ſcandaloſe vivat. Si commiſit crimen, ratione cujus poſſit Beneficio privari. Si cenſura eſt innodatus, cujus abſolutio ſit difficilis. Si habeat plura beneficia incompatibilia, vel quorum quodlibet ſufficiens ſit ad decentem ſuſtentationem. Si eſt proximus ad profeſſionem emittendam in aliqua Religione, de qua re infra. Si matrimonium contraxit. Si ob inimicitias non valeat tuto reſidere in loco Beneficii. De cauſis quibus poſſunt Reſignationes ab Ordinariis admitti, agitur *c. niſi cum pridem de dimitten. Eccl. Cathedr.*; & in Bulla S. Pii V. *Quanta Eccleſia*, etſi abſque aliqua ex cauſis iſtis reſignatio acceptetur, nulla eſt ex eadem Bulla. Videatur *Barboſ. lib. 3. Jur. Eccl. c. 15. a n. 69.* Jubet inſuper Pontifex ut in renuntiationibus ſequentia ſerventur. Si Reſignans eſt in ſacris conſtitutus; debet aliunde habere, ut decenter vivat. Beneficia reſignata non conferenda ſunt, vel dimittenda Conſanguineis, vel Affinibus, vel Familiaribus, alias vult collationem vires, & effectum non habere; quæ conditio certe ubi uſu recepta eſt, omnino eſt obſervanda: *Barboſ. cit. n. 48.* Reſignantes non debent deſignare ſucceſſores in Beneficiis, nec promiſſio, aut intentio ulla intercedere debet inter ipſos, & Collatores, ſeu Præſentatores.

R. III. Reſignationes conditionales, puta ut Beneficium determinatæ Perſonæ conferatur, ut reſerventur reſignanti aliqui fructus, ſeu ut illi aliqua penſio conferatur, fieri ſolum poſſunt coram S. Pontifice, & ille ſolus poteſt illas admittere: *c. cum pridem c. fin. de pact.*, *Conſtit. cit. S. Pii V.* Aliæ reſignationes puræ, & non conditionales, faciendæ ſunt coram eo, qui poteſt beneficium conferre, & adimere. Et quidem faciendas eſſe coram aliquo Ordinario conſtat ex *c. niſi cum pridem de renunt.*, & bene cautum eſt, eſſe invalidos, ſi non fiant authoritate Superioris; alias Beneficiarii libere diſpoſuiſſent de beneficiis, veluti de bonis patrimonialibus. Debet autem ille, coram quo fit reſignatio, poſſe beneficium adimere, cum ſit quædam depoſitio Beneficii. Hinc quamvis Capitulum, ſede vacante, non poſſit conferre beneficia, quæ ad Epiſcopum attinebant, quia poteſt ea adimere, valet acceptare reſignationes: *Gloſſ. in Clement. unic. de renunc. Garz. p. 11. c. 3. a n. 251. Barb. alleg. 69. n. 4.* Uſque dum autem Ordinarius acceptet reſignationem, reſignans retinet jus in Beneficio: *c. fin. de renunciat., & c. inter. 17. de Præbend.* Nec pariter amittit idem jus, uſquedum acceptetur a reſignatario, & proinde retinet Beneficii adminiſtrationem, donec hic poſſeſſionem acquirat Beneficii: *Barbaſ. alleg. 59. n. 56. & 58.* Demum poſt factam, & acceptatam reſignationem, reſignans debet ſupervivere viginti dies, computando eos de momento in momentum; idque non ſolum valet de reſignante infirmo, ſed etiam bene valente, ut ex reg. Cancellariæ edita a Bonifacio VIII. notat Palaus *tr. 13. diſp 6. p. 2. §. 3. n. 3.*, atque ita ſæpe deciſum apud Rotam Romanam referunt Authores.

Q. IV. Quid ſit Permutatio; quibus ex cauſis fieri debeat; & coram quibus.

R. I. Permutatio communiter ita definitur: *Mutua, & reciproca beneficiorum reſignatio, quæ ad invicem fit inter permutantes.* Ita communiter DD. ex *cap. unic. de rer. permut., & Clement. eod. tit.* Eo quod dicatur *mutua reſignatio*, ſignificatur beneficium vere vacare facta reſignatione ratione permutationis in manibus Ordinarii, & acceptata, ſecus ſi fiaret reſignatio in manibus Papæ, nam tunc non intelligitur auferri jus a Reſignante, ſi permutatio non habeat effectum: *Garz. de Benef. p. 11. c. 5. n. 5. & 7.* Ulterius quia reſignatio, ſeu permutatio non datur, niſi de re, quæ ſit propria, hinc eſt beneficium, quod quis vult permutare, debet eſſe proprium permutantis: *Garz. cit. a. 16. Sanch. l. 2. Conſil. c. 3. dub. 37. a. 6.* Et ulterius ita debet quis illud pacifice poſſidere; ut nullatenus ſit litigioſum, nil enim permutatur quod pacifice non poſſidetur: ultraquamquod, lite pendente, beneficia conferri non poſſunt ea *cap. 1., & 2. Ut lite pendente in 6.*, & notat inter alios *Barboſ. alleg. 69 n. 19.*

Cæterum ut ſit valida mutua reſignatio cauſa permutationis, non eſt neceſſe beneficia eſſe æqualia, ſed bene poteſt pingue beneficium cum tenui permutari, cum quilibet poſſit renuntiare juri, quod habet ad pinguius beneficium. Oportet tamen primo, ut talis permutatio non ſit fraudolenta, qualis *ex cap. ſi te Præbendam de renunt.* reputaretur permutatio facta a conſanguineo ſene de pingui beneficio cum tenui, quod poſſideret conſanguineus juvenis vel amicus: & quia fraudolenta reputatur, eſt etiam illicita. Idem dicas de ſimilibus renunciationibus: *Azor. l. 7. p. 2. c. 29. q. 10. & 30. Filiuc. tr. 21. cap. 9. q. 5. n. 11.* Secundo obſervandum eſt, ne fiat aliqua compenſatio temporalis illi, qui dimittit pinguius beneficium. Ratio eſt, quia obtinens beneficium in titulum, non eſt Dominus agrorum, & poſſeſſionum beneficii: item nec Dominus eſt futurorum reddituum, cum ſolum ſibi eos acquirat, dum retinendo beneficium, eoſdem percipit. Si ergo compenſationem temporalem exigat ratione beneficii, cum non poſſit exigere pro eo quod temporale eſt in beneficio, ut dictum eſt, exigeret ratione ipſius beneficii, adeoque ſimoniam committeret. Contraria ſententia dicitur falſa periculoſa, & plena fraudibus a *Barboſa in cap. ad quæſtiones de rer. permut.* a. 1. Secus eſſet, ſi Eccleſiæ, ſeu beneficia poſſideantur jure proprietatis, ut dum Monaſteria, Collegia, ſeu Capitula habent aliquas Parochias ſibi incorporatas; nam cum Monaſterium &c. ſit Dominus poſſeſſionum, ægrorum &c. poteſt ratione eorum temporali compenſatione paciſci. Si autem non ſiant duo contractus, in quorum uno permutentur ipſa beneficia, in altero ipſorum poſſeſſiones, in eo ſolo contractu, quo hujuſmodi permutatio perficitur, exprimendum eſt, compenſationem pecuniariam ſolummodo exigi pro abundantioribus poſſeſſionibus: *Suar. l. 4. de Simon. c. 34. n. 13.*

Additur in allegata definitione: *quæ ad invicem fit inter permutantes*, ad deſignandum Beneficia reſignata cauſa permutationis, ea reſignatione ſemel admiſſa, conferenda eſſe ab Ordinario permutantibus; hac etenim ratione reciproce beneficia reſignant; & ſi alteri conferat, ac permutantibus, collatio eſt nulla *ex Clement. unic. de rer. permut.* Si tamen permutans infirmus ſit, ſupervivere debet 20. dies poſt permutationem, alias beneficium vacat per obitum ex *reg. Cancel. de Infirm.*

R. II. Cum permutationes ſint odioſæ; & a jure prohibitæ: *cap. Majoribus de Præben.* in eis concedendis debet juxta cauſa intervenire: *cap. quæſitum de rer. permut.* alias permutatio erit nulla: *Garz p. 2. de Benef. c. 4. nu. 44. Barb. l. 3. Jur. Eccl. univ. c. 15. n. 172.* Has cauſas videre eſt quæſito ſuperiori, ubi expoſuimus cauſas admittendæ reſignationis. Cæterum non eſt neceſſe, ut aliqui opinantur, hujuſmodi cauſas eſſe debere neceſſitatis vel utilitatis Eccleſiarum, ſed ſatis eſt ſi ſit Perſonarum permutantium, & illis enim conſulere volunt S. Canones; unde *cap. univerſorum de rerum permutat.* legitur facta permutatio, eo quod *utilitati utriuſque permutantis imminere crederetur*, & tradit ibi *Gloſſ. v. utilitatem*. Videndi etiam *Garz. cit. n. 46. Barboſ. nu. 172.* Immo notat *Garzias* a. 49. ſatis eſſe ſi juſta cauſa occurrat ex parte unius tantum ex permutantibus, dummodo ex abſentia alterius, Beneficium, quod poſſidet, non patiatur grave damnum.

R. III. Cum Permutationes Beneficiorum, utpote a jure prohibitæ, non poſſint fieri propria authoritate: *c. majorib. 8. de præbend. cap. cum olim de rer. permut.* adeoque ex hoc capite privandi ſint Beneficiis, qui ea propria authoritate permutarent, ſequitur hujuſmodi reſignationes cauſa permutationis faciendas eſſe authoritate Ordinarii: *cap. quæſitum de rer. permut. v. ſi autem Epiſcopus.* Hic autem, ſi juſtam cauſam adinveniat, admiſſa reſignatione, debet permutantibus facere novam collationem Beneficiorum, quæ permutarunt: *arg. Clem. unic. de rer. permut. ipſis permutare volentibus conferantur*, & notat *Barboſ. cap. 15. cit. n. 183.* Ille autem cenſetur Ordinarius, qui habet jus conferendi, conſtituendi, & amovendi Beneficiatum a Beneficio: *cap. quæſitum de rer. permut. v. ſi autem Epiſcopus, & c. antec.*

ead.

eod. tit. in 6. & ex Bulla S. Pii V. quæſito ſuperiori citata.

Ultra authoritatem, & conſenſum Ordinarii, ſi Beneficium ſit juris patronatus, requiritur etiam conſenſus Patroni, cum æquum ſit ipſum videre cui conferatur; *Garz. p. 11. cap. 4. n. 72. Barboſ. alleg. 69. num.* 20. Quod ſi permutatio fiat, non expectato tali conſenſu, ad inſtantiam Patroni eſt annullanda, ut inter alios docent *Azor. l. 7. c. 19. q. 5. Leſſ. l. 2. cap. 34. dub. 35.*

Si velit quis permutare Beneficium cum penſione, hæc permutatio fieri non poteſt ſine Papæ authoritate; cum etenim hæc materia ſit odioſa non eſt extendenda ultra proprietatem verborum: adeoque dum permittitur Epiſcopis reſignationes cauſa permutationis admittere, id intelligendum eſſe de Beneficio cum beneficio, non vero de beneficio cum penſione: *Barboſ. l. 3. Jur. Eccl. univ. c. 15. n. 178.* Authoritate pariter ſolum S. Pontificis permutari poſſunt Beneficia ipſi reſervata: ipſe etenim ſolus poteſt ea conferre, adeoque authoritatem dare permutationi. Ubi etiam obſervandum, quod ſaltem ex ſtilo Curiæ, qui beneficium reſignat coram Papa, mentionem facere debet aliorum beneficiorum, quæ poſſidet: *Garz. p. 11. c. 4. n. 89.*

Q. V. Quando intelligatur beneficium vacare ratione contracti matrimonii.

R. Intelligitur vacare Beneficium, ſi quis valide contrahat matrimonium, non vero ſi nulliter, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter. Inter diverſas ſententias hanc ſequutus ſum, præcipue ex ea ratione, quia verſamur in odioſis, & pœnalibus, adeoque privatio Beneficii extendenda non eſt ultra caſus in jure expreſſos: *arg. can. Apoſtolus diſt. 81. junct. Gloſſ. fin. Rebuff. in prax. benef. tit. de mod. amit. benef. nu. 62. Gonzal. in reg. 8. Cancell. gloſ. 15. n. 136. citans alios:* Cum autem jura loquuntur de vacatione Beneficii ratione Matrimonii, loquuntur de matrimonio legitime contracto, ut conſtat ex *cap. 1. & cap. de diverſ. fallac. de Cleric. conjug. in 6.* Et ratio hujus vacationis eſt quia per matrimonium derelinquitur Eccleſia, & aſſumitur ſtatus incompatibilis cum Eccleſiaſtico, adeoque conveniens non eſt, ut contrahens matrimonium de bonis Eccleſiæ alatur.

Probatur ulterius non vacare beneficium ratione matrimonii, nulliter contracti, nam vacare non debet ipſo jure ratione delicti, ſi contrahatur mala fide, nam tunc ſaltem requireretur ſententia declaratoria criminis, ut dixi *Tr. 3. q. 2. c. 2. quæſ. 4.* Non vacare debet ratione ſtatus aſſumpti, quia cum matrimonium ſit nullum, non ponit in ſtatu incompoſſibili cum beneficio, nec dat poſſe vacare voluptatibus carnalibus, qua ratione Clericus contrahens matrimonium privatur beneficio; *cap. quod a te de Cler. conjug.* Et hoc magis dignoſcitur, ſi mala fide matrimonium nulliter contrahatur, nam certe tunc contrahens matrimonium non poteſt velle aſſumere ſtatum incompoſſibilem cum Clericatu, ſed potius illudere uxori. Denique non vacat beneficium per matrimonium nulliter contractum, quaſi ita contrahens matrimonium, videatur beneficio renunciare, ſi etenim *ex cap. quod in dubiis de renunciat.* non valet renunciatio expreſſa inducere vacationem beneficii, niſi fiat in manibus legitimi Superioris, multo minus eam inducere valet renunciatio tacita. *Sanch. l. 7. de Matr. diſp. 43. n. 3. Pal. tr. 13. diſp. 6. p. 3. §. 6. Fili. tr. 41. c. 8. n. 5.*

Q. VI. Quando vacet beneficium per ingreſſum in religione.

R. Beneficium Eccleſiaſticum vacat eo inſtanti, quo Clericus expreſſe, vel tacite profitetur in aliqua religione. *cap. Beneficium de Regul. in 6.* & communiter DD. ut videre eſt apud Garziam *p. 11. c. 9. n. 2.* Et quidem cum ſolemnis profeſſio veluti mors reputetur, congruum erat per eam vacare omnia beneficia: *Menoch. de præſumpt. l. 6. præſumpt. 82 Garz. cit. n. 1. Azor. Inſtit. 2. p. lib. 7. c. 16. q. 4.* Quia tamen Beneficia non vacant niſi propter religioſam Profeſſionem, ideo Novitii percipere poſſunt fructus Beneficiorum, demptis fructibus, qui conferendi ſunt Beneficio inſervientibus: *Garz. cit. n. 31. Pal. tr. 13. diſp. 6. p. 3. §. 7. nu. 5.*

Obiter hic advertas quamplures DD. velle renunciationem Beneficiorum factam a Novitiis non valere, niſi fiat intra duos menſes ante profeſſionem, & cum conditione ut non ſortiatur effectum, niſi ſequuta profeſſione; ut de renunciationibus Novitiorum decernit *Trid. ſeſſ. 25. c. 16. de Regul.* Videantur *Salmant. tr. 15. c. 3. n. 122., & tr. 28. append. de Benef. Eccl. cap. unic. punct. 16. n. 624.* Verum adhærerem contrariæ opinioni ex eo principio, quod juris correctio non eſt inducenda, ſi de ea expreſſe non conſtet, ut dixi *tr. 3. q. 4. c. 2. qu. 5.* Cum ergo jus concedat Novitio poſſe Beneficium reſignare, ut conſtat *ex cap. ex tranſmiſſa de renunt. & c. Beneficium de Regular. in 6.* neque huic juri expreſſe derogatum fuerit a Tridentino, cum commode intelligi poſſit Concilium loqui de renunciatione bonorum temporalium, optime ſuſtineri poteſt renunciatio facta Beneficii, etiam ante tempus, quod præſcribit Tridentinum: *Barboſ. alleg. 99. n. 19. in fin. Gar. p. 11. c. 9. n. 11.*

Q. VII. Quando vacet Beneficium per aſſecutionem alterius incompatibilis; & quæ ſint iſta Beneficia incompatibilia.

R. I. Quidquid fuerit de jure antiquo, ubi non ſemper per aſſecutionem ſecundi Beneficii incompatibilis vacabat prius, ſed aliquando dabatur optio unum vel alterum retinendi, ut conſtat *ex c. referente 7. de Præben.* modo ex jure novo Tridentini *ſeſſ. 7. c. 4. de reform.* dicendum eſt per aſſecutionem ſecundi incompatibilis ſemper vacare prius. Id primo conſtat, nam Concilium non ſolum ſubjicit hujuſmodi privationi habentem plura beneficia curata, ſed etiam recipientem plura beneficia *alias incompatibilia*, quæ loquutio generalis eſt, & comprehendit omnia talia beneficia. Hinc ita ſæpe declaravit SS. Congregatio apud Fagnanum *in c. de multa de Præbend. n. 3. & ſeqq.* ac proinde hanc ſuſtinet ſententiam, ſicut etiam *Barb. part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 62. n. 6. & in cit. c. de multa. Garz. p. 11. de Benef. c. 5. n. 310. Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 15. n. 16.* & docuit *Rotta p. 1. Diverſ. deciſ. 483. n. 4.*

Illud tamen obſervandum eſt, ad inducendam vacationem prioris beneficii per aſſecutionem alterius incompatibilis, neceſſe eſſe iſtius poſſeſſionem haberi: *Gloſſ. in c. de multa de Præben. V. poſt receptionem*, & notant cum aliis ibi *Barboſ. n. 9. & Fagn. n. 9. Garz. p. 11. c. 5. an. 100. Card. de Luc. de Benef. diſc. 56. n. 5.* Et ratio eſt, quia S. Canones, & Concilium Trident. *ſeſſ. 7. c. 4* volunt vacare prius beneficium, ſi *recipiatur* ſecundum incompatibile; verba autem juris intelligenda ſunt cum effectu, ut dicitur *c. relatum 4. de Cleric. non reſid. junct. Gloſ. a. cum effectu.* Item oportet talem poſſeſſionem eſſe pacificam: *cap. licet Epiſc. 28. de Præb. in 6.*, & notat *Fagnan. cit. n. 10.* Tunc autem habetur poſſeſſio pacifica, quando quis, dum adit Beneficium, vel paulo poſt, nullam patitur vel juris, vel facti controverſiam: ne autem dicantur pacifica, ſufficiunt etiam moleſtiæ extrajudiciales, ut notat *Card. de Luc. ſupr. cit.* Quod ſi quis poſt menſem e. g. ab adepta pacifica poſſeſſione, vel jure vel facto ſuper ea moleſtetur, non proinde dici poteſt pacificam poſſeſſionem non habuiſſe, ut notat *Gloſſa in c. commiſſa V. pacificam de elect. in 6.* Demum ut per pacificam poſſeſſionem poſterioris beneficii incompatibilis prius vacare intelligatur, oportet Proviſum iſtius fructus percipere poſſe *cap. ſi tibi conceſſa 26. de Præb. in 6.* & notat ibi ex communi Barboſa; neque etenim æquum eſt, ut non habeat ex quo ſuſtentetur, quod eveniret, ſi prius dimittere deberet, & fructus ſecundi non poſſet obtinere.

Verificatis autem omnibus prædictis, cum ipſo jure prius Beneficium vacet, incontinenti dimittendum eſt: *Garz. p. 11. de Benef. c. 5. n. 36.* quod licet juxta boni viri arbitrium intelligendum ſit. *arg. leg. ratum, & leg. quod dicimus ff. de ſolut.*, ægre tamen patiuntur multi DD. ad menſem ipſius dimiſſionem poſſe differri. Cæterum quanquam Collator teneatur intra ſex menſes conferre prius Beneficium, ut ſupra dimittendum: *cap. de multa 28. de Præb.* nihilominus antequam tribuat poſſeſſionem novo Beneficiario, debet Prior vacare: *cap. licet Epiſcopus 28. de Præbend. in 6*, nam poteſt dicere nondum fructus ſecundi poſſe percipere, ſeu cum ipſo diſpenſatum eſſe, ut poſſit utrumque retinere.

R. II. Beneficia incompatibilia ſunt ſequentia. Primo omnia beneficia, quæ exigunt reſidentiam; cum etenim nemo in duobus locis poſſit reſidere, neque poteſt duo hujus generis beneficia retinere. Ita ſe habent duo Epiſcopatus, duæ Abbatiæ, duo beneficia curata. Idem dicendum de duobus beneficiis ſimplicibus in diverſis Eccleſiis exiſtentibus, ſi ex fundatione, ſtatuto, aut conſuetudine exigant reſidentiam. Eadem ratione ſunt incompatibiles duæ Dignitates, Perſonatus, Canonicatus; nam ex jure reſidentiam requirunt, *cap. ad hæc. cap. præterea: cap. de multa de Præben. & Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.*

Item ſunt incompatibilia duo beneficia uniformia ſub eodem tecto. Illa autem dicuntur beneficia uniformia, quæ habent prorſus eumdem finem, & onus eodem

tem-

Digitized by Google

tempore adimplendum, ut ſunt duo Canonicatus. Secus, ſi haberent onus diverſo tempore adimplendum: & ita non diceretur habere duo beneficia uniformia, qui haberet duas Capellanias cum onere, ut in eodem etiam Altari bis ex vi unius Capellaniæ celebraretur, & ter ex vi alterius, diebus tamen diverſis: *Garz. p. 11. de benef. cap. 5. a. 225. 229. Gonz. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 10. n. 33., & 35. Laym. lib. 4. tr. 2. cap. 8. n. 7.* Tunc autem dicuntur eſſe ſub eodem tecto, quando ſunt intra eamdem Eccleſiam, vel clauſtrum, aut cæmeterium, ſi ſint Eccleſiæ contigua, ſecus ſi non ſint contigua; *Barboſ. p. 3. de offic., & poteſt. Epiſc. alleg. 62. n. 15. Garz. cit. n. 259.* Quod autem obtineri non poſſint duo hujuſmodi beneficia uniformia ſub eodem tecto habetur ex *cap. de multa §. hac idem, de Præb. ex cap. litteras 9. de conceſſ. præb. junct. Gloſſ. in Clem. ult. de præben.*, & tradunt communiter DD. qui addunt nec poſſe obtineri ex Epiſcopi diſpenſatione, utpote qui non valet diſpenſare contra SS. Canones, niſi in caſibus in jure expreſſis: *cap dilectus 15. junct. gloſſ. v. permiſſa, de temp. ordin. Barboſ. cit. n. 12.* Immo nec ſuffragari poteſt conſuetudo contraria, licet immemorabilis: *cap litteras de conceſſ. Præbend. junct. Gloſſ. V. ex conſuetudine*, nam ut corruptela conſideratur. Et merito, ſi etenim concederetur duo beneficia uniformia ſub eodem tecto, e. g. duo Canonicatus, minueretur numerus Miniſtrorum, adeoque cultus divinus: *Garz. cit. n. 180.* Hinc diſpenſatus a Papa ad habenda duo beneficia, non intelligitur diſpenſatus ad duo uniformia ſub eodem tecto, niſi manifeſte fuerit expreſſum: *Barb. p. 3. de offic., & poteſt Epiſc. alleg. 62. n. 15., & 16.*, & communiter.

Duo autem beneficia difformia ſub eodem tecto poſſunt retineri, ſi illorum unum non ſufficiat ad convenientem ſuſtentationem; nam eo ipſo quod ſint difformia, poteſt Beneficiarius utrorumque munera obire, vel quia haberent diverſa munera, vel quia ſunt diverſo tempore adimplenda. Hinc neque neceſſariam eſſe de jure communi Epiſcopi diſpenſationem ſuſtinent non pauci DD.: *Fagnan. in cap. cum jamdudum n. 45. de præb. Garz. p. 11. de Benef. c. 5. n. 231., & ſeqq.*

Item ſunt incompatibilia duo beneficia, ſi ſecundum recipiatur, habito uno, quod ſufficiens ſit ad honeſtam Clerici ſuſtentationem: *Gloſſ. in cap. dudum 2. V. retinere, de elect. Azor. p. 2. l. 6. cap. 10. q. 2. & 7. Laym. l. 4. tr. 2. cap. 8. n. 2. Barboſ. p. 3. de Offic., & poteſt. Epiſcopi alleg. 62. n. 6.* Ratio etiam ſuffragatur, quia ſi aſſecuto uno beneficio ſufficienti ad decentem ſuſtentationem, alterum quis recipiat, fit contra intentionem Fundatorum, qui Beneficia fundarunt, ut Eccleſia novum miniſtrum haberet, itemque fraudantur alii idonei Clerici, cum non poſſint obtinere Beneficium, quo idonee ſuſtententur. Hinc S. Congregatio, & Rota apud *Fagnanum in cap. de multa de Præbend. n. 3., & ſeq.*, ſæpe decidit per aſſecutionem ſecundi beneficii primum vacare; & id etiamſi ſecundum Beneficium ſit inſufficiens, ut ex eadem S. Congregatione tradit idem *Fagnanus in cap. jamdudum n. 43., & 69. de Præb.* Ibi autem etiam notat Fagnanus *a n. 96.* per aſſecutionem ſecundi beneficii ſufficientis non vacare primum, quod erat inſufficiens, nam habens Beneficium inſufficiens non poteſt dici ex avaritia, ſeu ambitione appetere ſecundum, ut evenit in eo, qui ex primo beneficio habet, unde honeſte ſuſtentetur, ac proinde per aſſecutionem ſecundi ſufficientis, non eſt dicendum vacare primum inſufficiens.

Demum jure novo Tridentini *ſeſſ. 24. c. 17.* ſi alicui habenti duo beneficia inſufficientia ad honeſtam ſuſtentationem, conferatur ab Epiſcopo tertium, per aſſecutionem iſtius, ſi ſufficiens ſit ad honeſtam ſuſtentationem, vacant duo priora, & ſi non ſit ſufficiens, proviſus debet unum ex prioribus dimittere: *Garz. p. 11 de Benef. c. 5. n. 110. Barboſ. p. 3. de offic. & pot. Epiſc. alleg. 72. n. 6. & l. 3. Jur. Eccleſ. c. 13. n. 180. Fagnan. in cap. jamdudum a n. 31. de Præb.* ex pluribus deciſionibus S. Congreg. Quamvis ergo Concilii verba loco citato quoad hoc non tam clara viderentur, nihilominus conſtat de ejus mente ex tot declarationibus S. Congregationis; unde cum dicendum ſit Concilium ſtatuiſſe niſi tria beneficia quamvis inſufficientia eſſe conferenda, remanet, ut Epiſcopus quoad hoc non poſſit diſpenſare.

Expoſtulare etiam hic quis poſſet, quid juris de eo, qui duo beneficia incompatibilia retineret. Et reſpondendum ſaltem ex jure novo Tridentini utroque beneficio ipſo jure privari, ut ponderat *Fagnan. in cap. de multa n. 7., & 8., & cap. ſuper inordinata n. 9. de Præbend.* Ideo etiam ex variis declarationibus S. Congregationis tenet *Garz. p. 11. de benef. cap. 5. a n. 94. & n. 381. Barboſ. p. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 54. n. 30. & alleg. 62. n. 29.* Quia tamen Concilium ita decernit reſpectu illius, & qui duo beneficia incompatibilia retinere *præſumit*, ideo iſte excuſaretur etiam ratione ignorantiæ craſſæ, & ſupinæ, vel etiam affectatæ, ex dictis *tr. 4. q. 1. cap. 5. quæſt. 1.*

Q. VIII. Quando vacent Beneficia ob promotionem ad Epiſcopatum, Abbatiam, ſeu prælaturam Eccleſiæ Collegiatæ, habentem quaſi Epiſcopalem juriſdictionem.

R. Quod per promotionem ad Epiſcopatum vacent omnia beneficia etiam ſimplicia, habetur ex *cap. cum in cunctis §. 2. de elect.*, ſicut etiam deficiunt penſiones, & facultas illas transferendi, ut docet *Barboſa de offic., & poteſt. Epiſc. alleg. 57. n. 71., & 73.* Item vacant per promotionem ad Abbatiam tum ſæcularem, tum regularem, & ad aliquam Prælaturam, ſi habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem: *can. Preſbyter. 16. q. 1. & reg. 1. Cancel. Garz. p. 11. de benef. cap. 7. a n. 1. Palaus tr. 13. diſp. 6. p. 5. n 7.* De jure communi non vacarent quidem alia beneficia, niſi poſt ſecutam conſecrationem electi ad Epiſcopatum, vel niſi poſt elapſum tempus præfixum ad obtinendam conſecrationem, quod eſt ſpatium trium menſium numerandum poſt confirmationem; *cap. cum in cunctis §. Cum vero de elect. Barboſ. ibid. n. 29., & p. 3. de offic., & Epiſc. alleg. 57. n. 67.* Nihilominus aliud dicendum eſt de ſtilo Curiæ, nam Papa in promotione ad Epiſcopatum conſiſtorialiter facta, decernere ſolet beneficia præhabita vacare a die promotionis: & ſi hoc decretum vacationis non intercederet, ſtandum eſſet juri communi, ut notat Barboſ. cit. Eidem jure communi ſtandum eſt circa vacationem beneficiorum propter promotionem ad Abbatiam, ſeu Prælaturam, & obſervanda quæ ſupra dicta ſunt. Cæterum, ſi promotus ad Epiſcopatum illius poſſeſſionem accipere non valeat, ut ſi quis promoveatur ad Epiſcopatum exiſtentem in terra Infidelium, vel nequeat Epiſcopatus fructus percipere, non intelliguntur vacare præhabita beneficia *Barboſ. loc. cit. n. 64. Garz. p. 11. de benef. cap. 6. n. 24.*

Q. IX. Quando intelligantur vacare beneficia ratione delicti, & quæ ſint iſta crimina.

R. I. Suppoſito quod dupliciter vacare poſſint beneficia ratione delicti, nempe ipſo jure, & per ſententiam Judicis, diverſimode de hujuſmodi vacationibus eſt diſcurrendum.

Si igitur vacent beneficia ipſo jure in pœnam commiſſi criminis, non adeſt obligatio ea dimittendi, niſi poſt ſententiam declaratoriam Judicis ſuper commiſſo crimine. Id probatur, quia non tenemur ſubire illas pœnas, quæ requirunt externam executionem, niſi accedat ſententia declaratoria criminis, ut ſæpe dictum eſt *ex cap. cum ſecundum 19. de hæret. in 6.*, & docent in præſenti inter alios *Azor. p. 1. lib. 8. cap. 13. q. 8. Zerol. in prax. Epiſc. p. 1. v. privatio §. Ad quintum.* Id autem non valet in aliquibus caſibus, & inter alios excipiendus eſt caſus, quo per ſimoniam realem aſſequutus quis eſſet beneficium, nam ſimoniaca receptio pleniſſime annullatur, & præcipue *Extra. Cum deteſtabile de Simon.* An vero ſequuta ſententia declaratoria criminis, fructus percepti ſint reſtituendi a tempore commiſſi criminis, variant DD., nam multi volunt dictam ſententiam declaratoriam quadam juris fictione retrotrahi ad tempus ſceleris commiſſi, adeoque ab eo tempore fructus eſſe reſtituendos. Cæterum etiam probabilis eſt contraria opinio, nam cum quis non privetur poſſeſſione beneficii, niſi poſt ſententiam criminis declaratoriam, non ſatis patet, maxime cum ſimus in odioſis, cur ante talem ſententiam non fecerit fructus ſuos; *Lotter. de re Benef. lib. 3. q. 18. n. 60., & q. 33. n. 72. Barboſ. alleg. 57. n. 254.* Cæterum verum eſt quod etiam non ſequuta ſententia criminis declaratoria, Beneficium ipſo jure vacans ratione delicti, non poteſt in alterius favorem reſignari, quia nemo poteſt dare reſignando, ſeu permutando, quod non habet, ut docet *Gloſſ. in can. Gratia 1. q. 2. v. poſſunt.* Item ante talem ſententiam, beneficia ipſo jure vacantia poſſunt impetrari: *cap. licet Epiſcopus 2. de Præben. in 6.*, & docet *Barboſ. alleg. 57. n. 255.*

Quod ſi beneficium non vacet ipſo jure, ſed vacare debeat per ſententiam, tunc expectanda eſt ſententia Judicis, qua aliquem in pœnam commiſſi criminis beneficio privet. Quia igitur ante talem ſententiam, neque a ju-

re

re, neque ab homine privatus eſt beneficio, ideo poteſt illud in favorem tertii reſignare, nullatenus poteſt impetrari, ac in omninm ſententia facit ſructus ſuos: *Barboſa p. 3. de offic., & poteſt. Epiſc. alleg. 57. n. 253.*

R. II. Plura dantur delicta, quorum ratione ipſo jure vacant beneficia; magis nota enumerabo. Vacant ob realem Simoniam commiſſam in conſecutione Beneficii: *Extra. Cum deteſtabilis de Simon.* ſicut & ratione Simoniæ confidentialis *ex Conſtit. 85. Pii IV Romanum Pontificem*, & ex *Conſt. 85. Intolerabilis S. Pii V.* Vacant, quamvis aliqui contradicant, ob crimen hæreſis; *cap. ad abolendam 9. cap. cum ſecundum leges de Hæret. in 6. arg. cap. ut commiſſi ibid.*, *& ex Conſtit. 29. S. Pii V. incipiente. Cum ex Apoſtolatus.* Videantur *Gonzal. ad reg. 8. Cancell gloſſ. 15. n. 65. Garz. p. 11. de Benef. cap. 10. n. 60. & 66.* Falſificantes literas Apoſtolicas ipſo jure Beneficiis privantur: *cap. Ad falſariorum de crimin. fal.* Vacant ipſo jure Beneficia percutientis, aut capientis Cardinalem &c. *cap. Felicis §. Si qua vero de Pœn. in 6.* Sicuti & percutientis &c. Epiſcopum, quoad Beneficia obtenta in ipſius Eccleſia; *Clem. de pœn.* Idipſum procedit quoad occidentem, vel mutilantem Rectorem, aut alium Clericum ſuæ Eccleſiæ: *arg. cap. in quibuſdam §. Sacris de Pœn.* Id tamen intelligas de Beneficiis, quæ habet in ea Eccleſia, quam offendit, percutiendo alias Rectorem, ſeu Clericum. Vacant ipſo jure Beneficia Clerici ob crimen Aſſaſſinii etiam procurati, vel mandati: *Cap. 1. de homic. in 6.* Item ſi offendantur litigantes in Romana Curia, eorumque Judices, Procuratores, Advocati, teſtes &c. *Ex Conſt. Alex. VI. In Eminenti §. 4.* Item vacant beneficia Clerici inferioris Clericum carceratum tenentis, ſeu captivum, donec reſignet ſuum Beneficium; vel ne citatus venire poſſit ad Sedem Apoſtolicam: *Clement. Multorum §. Quod ſi inferiores de pœn.* Vacant ipſo jure Beneficia ob nefandum Sodomiæ crimen, Clerici hoc crimine inquinati ſunt degradandi, & tradendi brachio ſæculari, *ex Conſt. 72. Horrendum illud S. Pii V.* Vacant ipſo jure Beneficia illorum, qui pro obtinendis Beneficiis pro aliis, ſeipſos pro illis examini ſupponunt: *ex Conſt. Pauli IV. Inter cæteras.* Vacant ipſo jure Beneficia, & penſiones Clerici tonſuram, & habitum Clericalem non deferentis, *ex Conſt. Sixti V. Cum Sacroſanctum.* Vacant ipſo jure beneficia collata a Pontifice, ſi quis ante expeditionem literarum, ſeſe in illius poſſeſſionem intrudat, *ex Conſt. Julii III. Sanctiſſimus.* Similiter vacat Beneficium, ſi electus, poſt conſenſum præſtitum electioni, illius confirmationem non expoſcat: *cap. quam ſit §. Cæterum de elect. in 6.*, vel ſi intra menſem a die electionis, vel a tempore ſibi præſtito, non conſenſerit electioni: *ibid. §. Electus vero:* Similiter vacat ipſo jure beneficium, ſi Beneficiarius, ommiſſa neceſſaria ſolemnitate, alienet res Eccleſiæ, ſive ipſius Beneficii; *Extr. Ambitioſæ, §. Inferiores de reb. Eccl. non alien.* De his, aliiſque criminibus, quorum ratione vacant ipſo jure Beneficia, videndi *Barboſ. p. 3. de Offic., & poteſt. Epiſc. alleg. 57. Gonzal ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 15. Azor. 2. p. l. 7. cap. 16. Garzias &c.*

Crimina vero, ob quæ Clerici per ſententiam privandi ſunt beneficiis, ſunt perjurium, blaſphemia, induratio ultra annum in excommunicatione, ſacrilegium ob Clerici percuſſionem, perſeverantia in concubinatu poſt tertiam monitionem, nolle reſidere &c. De his, aliiſque agit *Gonzal. cit. Garz. p. 11. cap. 10. Azor. cit. cap. 18.*

Quæſtio autem eſt inter DD. an privatio Beneficiorum inducenda ſit ex cauſis in jure expreſſis. Et videtur adhærendum ſententiæ negativæ: *arg. can. Apoſtolus diſt. 81. junct. Gloſſ. fin.* tum quia ex notis regulis juris odia ſunt reſtringenda, & in pœnis benignior interpretatio facienda eſt.

CAPUT VIII.

Quo jure prohibita ſit pluralitas Beneficiorum: quibus in cauſis poſſit cohoneſtari: ad quos pertineat circa eamdem diſpenſare.

Q. I. QUO jure fuit prohibita Beneficiorum pluralitas.

R. I. Negari non poteſt pluralitatem Beneficiorum eſſe jure Canonico prohibitam. Id primo conſtat ex iis Canonibus, ubi dicuntur ſingula beneficia ſingulis eſſe conferenda: *can. Sanctorum diſt. 60. can. ſingula diſt. 89.* Item quia apud SS. Canones pluralitas Beneficiorum dicitur continere certum periculum animarum: *can. Clericus cum ſeqq. 21. q. 1. cap. quia in tantum 5.* Expreſſe autem pluralitas Beneficiorum reprobatur a Jo: XXII. *Extr. Execrabilis*, & a *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 7. de reform.*

R. II. Pluralitas Beneficiorum ſecundum ſe accepta jure naturali prohibetur. Id tam validis rationibus ſuadetur, ut non videantur attendenda, quæ aliqui dicunt pro contraria opinione. Primo ergo negari non poteſt de jure naturali eſſe ſervandum id, quod intellexit Fundator in fundatione Beneficii: conſtat autem, fundando Beneficium de ſe ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem, velle Eccleſiam novum habere Miniſtrum, qui illi inſerviat, quod omnino fruſtratur, ſi in una Perſona plura beneficia coacerventur. Ex hac altera ſimilis ratio conſurgit, nempe de jure naturæ eſſe, ut uni non conferantur, quæ pluribus debentur vel tamquam ſtipendia, vel tanquam præmia; ita autem ſe habent beneficia, quæ debentur pluribus; & ſi uni plura aſſignentur, neceſſe eſt plures Clericos literatos, & pios multoties carere neceſſaria ſuſtentatione, quando forte aliqui indocti, & parum honeſti, non pie diſpenſant redditus quamplorimorum beneficiorum. Ex jure item naturæ eſt Eccleſiam habere Miniſtros ſibi debitos, alias ipſius cultus minuitur; unumquodque autem Beneficium ſuum expoſcit Miniſtrum, unde ſi uni plura aſſignentur, caret Eccleſia illis miniſtris, qui ei deberent deſervire.

Demum jus naturæ expoſcit; ut ea removeantur, quæ origo ſunt plurium inconvenientium; quam maxima autem oriuntur ex pluralitate beneficiorum, ut obſervat Jo: XXII. in Extravaganti citata, & ea ſunt quod plura beneficia conferantur uni, cui vix unum debetur, quod exinde plures optimi Clerici mendicent, quod Miniſtrorum diminutione, & Divinus cultus minuatur, quod dum unus plura habet beneficia, parum curet de ſervandis eorum juribus, de reparandis Eccleſiis. Quis præterea non videat multiplicitatem Beneficiorum ingens fomentum eſſe ambitionis, & ut Beneficiarii vitam in deliciis agant, omni commoditati, & aliquando etiam vitiis indulgeant? Hinc pluralitatem beneficiorum eſſe contra jus naturæ docet *S. Th. quodl. 9. art. 15. Azor. 2. p. l. 6. c. 11. q. 5. Flamin. Pariſ. l. 5. de reſign. Benef. q. 7. n. 115. Barboſ. q. 3. de offic., & poteſt. Epiſc. alleg. 62. n. 9.*, & plures apud ipſum.

Q. II. Ex quibus cauſis cohoneſtari poſſit pluralitas beneficiorum.

R. I. Obſervare primum eſt, quod licet jus naturæ prohibeat pluralitatem beneficiorum, hæc tamen non ita eſt mala, ut non poſſit ex pluribus circumſtantiis cohoneſtari. Quapropter S. Thomas ſupra citatus dicit, quod ſicut jus naturæ vetat homicidium, nihilominus in diverſis circumſtantiis eſt licitum, ita ex diverſis circumſtantiis licita reddi poteſt pluralitas beneficiorum.

Et quidem primo licita eſt pluralitas Beneficiorum, ſi non expoſcant reſidentiam, quando unum non eſt ſufficiens ad neceſſariam ſuſtentationem, nam æquum eſt, ut qui Eccleſiæ inſervit, ab eadem ſufficienter ſuſtentetur. Hanc Beneficiorum pluralitatem concedit *Trid. ſeſſ. 24. c. 17. de reform.* Ex hac ratione, ubi viget conſuetudo, permittitur aliquem habere in eadem Eccleſia Dignitatem, ſeu Perſonatum &c. & ſimul Canonicatum, ut nempe obtinentes Dignitates decentius ſuſtententur: *Garz. de Benef. p. 11. c. 5. n. 246., & ſeqq.* Ex eadem ratione Tridentinum *ſeſſ. 24. de reform. cap. 15.* concedit Epiſcopo, ut ſi in Eccleſia Cathedrali, ſeu Collegiata præbendæ adeo ſint tenues, ut ſimul cum diſtributionibus non ſufficiant ad decentem Clericorum ſuſtentationem, poſſint aliqua ſimplicia beneficia eis uniri, unde tunc poterunt duo beneficia retineri.

R. II. Si Epiſcopus tanquam Delegatus Sedis Apoſtolicæ, ex aliqua cauſa a jure permiſſa, uniat duo beneficia ſive curata, ſive non curata, ut expreſſe illi concedit Tridentinum *ſeſſ. 21. cap. 5. de reform.* tunc utrumque poteſt retinere, neque etenim amplius conſiderantur ut duo beneficia, ſed ut unum, quia beneficium acceſſorie unitum, induit naturam illius, cui unitur.

R. III. Licita eſt pluralitas Beneficiorum, ſi accedat diſpenſatio ratione neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ, ſeu ob evidentem prærogativam meritorum: *arg. can. tali conjugio 1. qu. 7.* Et quidem ſi aliqua ex præfatis cauſis detur, cum tunc dictet ratio bonum eſſe alicui plura conferre beneficia, non eſt quare tunc pluralitas beneficiorum ſit improbanda. Tunc daretur neceſſitas uni conferendi duo beneficia incompatibilia, quando non eſſent alii Sacerdotes, quibus conferrentur, vel ſi eſſent, non eſſent idonei. Tunc interveniret utilitas, quando ſtatus alicujus beneficii expoſceret, ut conferretur alicui

ſin-

ſingularis prudentiæ, authoritatis, ſeu potentiæ, & alii non eſſent, qui poſſent talibus prærogativis beneficium ſuum administrare &c. Intervenit demum evidens prærogativa meritorum, dum aliquis eſſet valde de Eccleſia benemeritus, vel multa doctrina, prudentiaque præſtaret; convenit enim Eccleſiam horum meritis gratificari: *Abbas in cap. de multa n. 7. de præb. Azor. p. 2. lib. 6. c. 12. n. 6. Laym. l. 4. tr. 2. c. 8. n. 2.*

Q. III. An propter longævam conſuetudinem licitum ſit plura Beneficia retinere?

R. I. Loquendo de pluralitate Beneficiorum Curatorum, non video quomodo ratione conſuetudinis etiam immemorabilis ſuſtineri poſſit pluralitas talium beneficiorum. Jam vidimus ſupra in electione ad beneficia curata eligi induſtriam Perſonæ, quæ illis inſerviat &c. & proinde hoc eſt de jure naturæ; dum jus naturæ dictat, ut quis ſatisfaciat per ſe officio, quod aſſumpſit, ſi illud expoſcat, ut adimpleatur per eamdem perſonam, quæ illud habet. Præterea vidimus eſſe de jure divino Parochum ex ſemetipſo deſervire ſuo beneficio. Cum igitur id præſtare non poſſit, ſi duo habeat beneficia curata diſparata maxime, & inter ſe abſentia; neſcio video quomodo excuſari poſſit ratione cujuſvis immemorabilis conſuetudinis, cum omnis conſuetudo contra jus naturale, & divinum, ſit irrationabilis, & manifeſta corruptela, adeoque reprobata: *cap. ult. de conſuet. cum concord. Abbas in cap. cum inpendat in reſcript. §. qui vero n. 56. de Præben. Rebuff. in prax. benef. tit. Diſpenſatio de non reſidendo n. 68.* Ac proinde *Fagn. in cap. Relatum n. 37. de Cleric. non reſid.* vult habendam ut corruptelam, conſuetudinem immemorabilem inſerviendi beneficio curato per Vicarium; & hujuſmodi immemorabiles conſuetudines, utpote reprobatas ab omni jure, non habere vim privilegii, docet in *cap. cum contingat n. 8. & 11. de For. compet.* Numquam proinde probabilem quoquomodam contrariam opinionem reputavi.

R. II. Neque etiam ex immemorabili conſuetudine licitum eſt retinere, duos Canonicatus, duas dignitates, duas Præpoſituras &c. nam hujuſmodi pluralitas corruptela vocatur: *cap. 1. de conſuet. in 6. ibique Gloſſ. & communiter DD.* Et quidem cum hujuſmodi beneficia reſidentiam expoſcant, repugnat duo retineri, cum utrique non poſſit unus deſervire. An vero ſimul cum Dignitate liceat habere Canonicatum, dictum eſt ſupra.

R. III. Neque conſuetudo immemorabilis ſuffragari poteſt, ut quis retineat duo beneficia, ſi illorum unum ſufficiat ad honeſtam ſuſtentationem. Ratio eſt, quia talis conſuetudo, utpote repugnans juri naturali, ex dictis ſupra, & utpote inducens multa inconvenientia, eſt manifeſte irrationabilis corruptela, adeoque imprætcriptibilis: *Fagnan. in cap. quia in tantum nu. 17. de præb. Flamin. Pariſ. l. 5. de reſig. benef. q. 6. n. 115. Barboſ. p. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 62. n. 9.* Quæ vero attendenda ſint in determinanda congrua ſuſtentatione, dicam in *Tract. de Juſt. & Jur.* ubi de Dominio Clericorum in bona Eccleſiaſtica.

Q. IV. An Papa poſſit quacumque ex cauſa diſpenſare in pluralitate beneficiorum; & an obtenta diſpenſatio reddat diſpenſatum tutum in conſcientia.

R. I. Certum eſt, poſſe Papam ex quacumque juſta cauſa diſpenſare in Beneficiorum pluralitate; nam ſi adſit aliqua juſta cauſa, ut vidimus ſupra, ceſſat illa deordinatio, quæ conſurgit ex pluralitate beneficiorum contra jus divinum, & naturale. Aliunde autem Papa habet in beneficiis pleniſſimam poteſtatem, & plenariam diſpoſitionem: *cap. 2. de præb. in 6., & Clem. Unic. § fin. ut lite pendent.* Porro juſta cauſa ſemper præſumitur adeſſe cum Papa diſpenſat motu proprio; *can. ſi Papa diſt. 50.* & notant Canoniſtæ, & præcipue *Piaſecius par. 2. prax. Epiſc. cap. 5. art. 3. n. 76.* Secus ſi diſpenſatio conceſſa fuerit ad inſtantiam partis, ſemper enim tunc ſubintelligitur ea conditio, *ſi preces veritate nitantur: cap. ex parte 2. de reſcrip.*

R. II. Ubi non adſit juſta cauſa diſpenſandi, diſpenſatio in conſcientia non ſuffragatur pro retinendis pluribus beneficiis incompatibilibus, ſeu pluribus, quorum unumquodque ſufficiat ad honeſtam ſuſtentationem. Ratio eſt, quia hujuſmodi pluralitas ex validiſſimis rationibus eſt contra jus naturale, & divinum, in quo neque valide poteſt diſpenſare Pontifex, niſi aliqua detur cauſa, ſeu circumſtantia, cujus ratione ceſſet illa deordinatio, quæ conſurgit ex pluralitate beneficiorum: *Abbas in cap. conquerente n. 2. de Cleric. non reſid., & in cap. quia in tantum n. 2. de Præb. Fagnan. ibid. n. 15., & 19. Azor. p. 2. lib. 6. c. 12. q. 7. Tolet. lib. 5. de Inſtr. Sacerd. c. 8. n. 4. Bellarm. in Inſtr. ad Nepot.* Neceſſe fert quandoque conferri plura beneficia, quæ ſupponant neceſſariam Beneficiarii ſuſtentationem; nam ut notat cum aliis *Garzias de benef. p. 11. c. 5. n. 330.* id faciunt Superiores, quia non poteſt aptari regula certa pro congruenti ſuſtentatione; unde id relinquunt conſcientiæ Beneficiarii.

Q. V. An Epiſcopus ex juſta cauſa diſpenſare valeat circa pluralitatem beneficiorum.

R. Ut conſtat *ex can. Sanctorum diſt. 70.* olim Epiſcopus poterat diſpenſare quoad duas Eccleſias curatas retinendas, quia expoſcere poterat publica utilitas, ut diverſæ Eccleſiæ curatæ uni Paſtori qualificato gubernandæ traderentur; at non poterat diſpenſare quoad diverſas Præbendas retinendas, quia hæ reſpiciunt privatam Canonici utilitatem.

Modo tamen Epiſcopus non poteſt diſpenſare circa plura beneficia curata, circa plures Dignitates, ut Perſonatus etiam curam animarum non habentes, nam *cap. de multa 28. § fin. de Præb.* dicitur circa hæc diſpenſandum *per ſedem Apoſtolicam, cum ratio poſtulaverit.* Ex hoc autem ſequitur per inferiores prælatos non poſſe diſpenſari; nam quod de uno conceditur, de altero negatur, ut bene *Barboſ. ibid. n. 23. & alleg. 196. n. 20. Garz. p. 11. de Benef. c. 5. n. 237. Azor. p. 2. l. 6. c. 12. q. 6.* Quapropter *Tridentinum ſeſſ. 24. c. 17. de reform.* vult habenti unum Beneficium non ſufficiens ad congruam ſuſtentationem, ſolum aliud Beneficium ſimplex addi poſſe.

Poteſt vero Epiſcopus concedere ob juſtam cauſam, e. g. ob inſufficientiam honeſtæ ſuſtentationis, ut quis ſimul cum Præbenda canonicali habeat Dignitatem, Præpoſituram &c. Niſi velimus dicere nec eſſe neceſſariam diſpenſationem, cum ex jure conceſſum videatur: *c. unic. de conſuet. in 6. junct. Gloſſ. V. niſi Unicum, Rebuf. in prax. Benef. tit. de diſp. n. 29. Laym. l. 4. tr. 2. c. 7. n. 9.*

Item poteſt Epiſcopus habenti unum Beneficium non ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem aliud ſimplex addere, ut concedit *Trid. ſeſſ. 24. cap. 17. de reform.* Non tamen debent iſta duo beneficia eſſe uniformia ſub eodem tecto; nam id a S. Canonibus prohibetur, nempe. *cap. de multa 28. §. Hoc idem, de Præben. & cap. literas 6. de conceſſ. Præben.* Epiſcopus autem non valet diſpenſare contra ſacros Canones, niſi in caſibus a jure permiſſis, ut alias dictum eſt, & tradunt in præſenti *Barboſ. p. 3. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 62. n. 12. Azor. p. 2. lib. 6. c. 11. q. 4.* Ultra duo autem beneficia, quamvis ſufficientia non eſſent ad congruam ſuſtentationem non poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut tria retineantur. Obſervat igitur *Fagnanus in cap. Dum jamdudum n. 51. & ſeqq. de Præb.* quod dum *Trident. ſeſſ. 24. c. 16. de reform.* ſtatuit; *ut in poſterum* habenti Beneficium non ſufficiens ad congruam ſuſtentationem *aliud ſimplex* addi poſſit, jus novum conſtituit, adeoque quidquid fuerit de jure antiquo, modo tertium ab Epiſcopo addi non poſſe. Et quando verba Concilii omnino clara non eſſent, modo de ejus mente dubitari non poteſt, cum pluries id declaratum fuerit a S. Congregatione, ut videre eſt apud eumdem *Fagnan. apud Garz. p. 11. de Benef. c. 5. n. 30. & apud Barboſ. p. 3. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 62. n. 5. & lib. 3. Jur. Eccleſ. cap. 13. num. 180.*

Poteſt tamen Ordinarius habenti duo beneficia tertium conferre, dum poſt adeptam hujus pacificam poſſeſſionem, unum ex prioribus dimittat. Ita etiam declaraſſe S. Congregationem refert *Garzias loc. cit. n. 6.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

Cum Pluralitas Beneficiorum, ſi non ſuffragetur illi vera, & juſta cauſa, tam validis rationibus impugnetur, & tam male audiat apud S. Canones, & SS. Patres, ideo ſemper ſuaderem Confeſſario, qui excipit Confeſſiones illorum Beneficiariorum, qui inſimul plura beneficia poſſident, ut bene examinet, an revera reditus Eccleſiaſtici illis ſuperſint; & in eo caſu optarem non facilem eſſe in concedenda illis ſacramentali abſolutione. Meminerit animadvertere Authores non ſatis tutum eſſe in conſcientia ob obtentam diſpenſationem, cum Diſpenſator relinquat conſcientiæ diſpenſati conſiderare, an plus quam æquum ſit de Eccleſiaſticis bonis obtineat. Inſuper non tam facilis ſit in credendo vere probabilem eſſe quamcumque opinionem, quæ in contrarium afferatur; nam bene examinatis ipſius fundamentis, ruinoſam eſſe fortaſſe adinveniet. Ego utique inter meos Pœnitentes hujuſmodi Eccleſiaſticos non admitterem:

Alia,

Google

Alia, quæ de beneficiis tractant præcipue Canoniſtæ, ut de eorum extinctione, alteratione, aliiſque, videri poſſunt apud eoſdem; neque enim multum conducunt ad neceſſariam inſtructionem Confeſſarii.

QUÆSTIO II.

De Horis Canonicis.

CUM Beneficia obtinentes Horas Canonicas debeant recitare, hinc quæſtioni de Beneficiis, quæ de obligatione recitandi Horas Canonicas ſcire debet Confeſſarius, annecto. Verum tamen eſt non ex ſolo titulo Beneficii hujuſmodi conſurgere obligationem.

CAPUT I.

De obligatione publice recitandi Officium Canonicum, qui ad illud teneantur; & quomodo hujuſmodi obligationi ſatisfaciendum.

Q. I. AN extet præceptum publice recitandi Horas Canonicas; & qui ad eas publice recitandas teneantur.

R. Cum inſtituta ſit publica Horarum recitatio non ſolum ad promovendam Eccleſiaſticorum devotionem, ſed etiam ad excitandum populum, ut Deum laudet &c. hinc eſt Eccleſiam voluiſſe publice a ſuis miniſtris Divinum Officium recitari: & id non ſolum conſtat ex receptiſſima conſuetudine, ſed etiam ex *cap. dolentes de celebr. miſſ. & Clem. 1. eod. tit.*

R. II. Attento rigore juris Divinum Officium publice dicendum eſſet in omnibus Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, Regularibus, & Parochialibus. Ita ex ſupracitatis juribus, & *ex cap. 1. de celebr. Miſſ.*, & *can. ult. 92. diſt.* Quia tamen hoc habetur ex jure poſitivo, ideo bene potuit prævalere adverſus illud conſuetudo, qua vel ob tenuitatem ſtipendii, vel ob paucitatem miniſtrorum in aliquibus Eccleſiis, & maxime in Parochialibus, omnino ceſſaverit talis obligatio, vel ſolummodo partialiter eidem ſatisfit: *Suar. l. 4. de Hor. Canon. cap. 10. num. 3. Palaus t. 2. 2. tr. 7. de orat. diſp. 3. p. 1. num. 4. Bonac. de Hor. Canon. diſp. 2. q. 1. p. 1. n. 2.*

Illud autem hic obſervare eſt, quod licet ſinguli Beneficiarii Choro deputati habeant in particulari obligationem publice recitandi horas Canonicas, quia ſinguli in ordine ad hunc effectum diſtributiones recipiunt, reſpectu nihilominus Regularium hæc obligatio ſolum reſpicit Communitatem, non vero Religioſos in particulari. Et re vera, id non conſtat ex jure; etenim qui afferuntur Canones, loquuntur de præfatis Beneficiariis; neque reſpectu Regularium inducta eſt conſuetudo obligans ſub gravi niſi Communitatem: *Suar. cit. n. 16. & 18. Palaus n. 12. Bonac. n. 10. & 11.* Immo, ſi vel tam pauci ſint Religioſi in aliquo Monaſterio, ſeu ita impediantur infirmitatibus, aut alia juſta cauſa, ut quatuor ſaltem, vel quinque non ſint expediti ad perſolvendas Horas Canonicas, ceſſat obligatio eas recitandi; dum etenim ſaltem non ſint quatuor, non cenſetur ſufficiens Communitas ad intentum: *Bordon. reſol. 30. num. 8. Ant. a Spir. Sanct. in direct. tract. 3. diſp. 6. n. 159.*

Q. II. Quo ordine, & tempore recitandæ ſint in Choro Horæ Canonicæ, & quod peccatum ſit debitum ordinem, & tempus non ſervare.

R. I. Non ſolum *ex cap. 1. dolentes, & Clem. I. de celebr. miſſ.*, ſed etiam ex Conſtitutione S. Pii V. *Quod a nobis* in præfata Horarum recitatione ſervandus eſt ordo, & tempus. Ordo conſiſtit, ut recitentur Horæ Canonicæ juxta ordinem præſcriptum, adeoque prius recitetur Matutinum, deinde Laudes, poſtea Prima &c. Tempus ita deſignatur *in Clem. cit.* Matutinum cum laudibus recitandum eſt a ſolis occaſu uſque ad ortum, immo proxime poſt mediam noctem. Prima poſt ortum ſolis. Tertia, Sexta, & Nona ante, ſeu circa meridiem, excepto tempore Quadrageſimæ. Veſpera inclinante jam die. Completorium prope noctem. Ratio autem cur ſervandus ſit talis ordo, & tempus, eſt, quia in Horis Canonicis mentio fit temporis, in quo decantandæ ſunt: unde eſt quædam incongruentia quod alio tempore decantentur, ut obſervant *S. Th. quodl. 3. art. 29.* Præterea quælibet Hora deſignat aliquod myſterium Paſſionis Chriſti; unde recitanda eſſet circa illud tempus, in quo venit. Myſteria autem, quæ deſignantur ab Horis Canonicis; declarantur a *Gloſſ. in cap. dolentes cit. ſequentibus verſibus.*

Hæc ſunt, ſeptenis propter quæ pſallimus horis.
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat.
Prima replet ſputis: cauſam dat Tertia mortis.
Sexta cruci nectit: Latus ejus Nona bipartit.
Veſpera deponit; tumulo Completa reponit.

R. II. Ubi invaluit conſuetudo, ut publica Horarum recitatio non fiat tempore ſupradicto, ut fere ubique evenire ſolet quoad Matutinum, Primam, & Completorium, nullum peccatum eſt non ſervare tale tempus; nam quod hoc, vel illo tempore Horæ Canonicæ recitentur, eſt a jure poſitivo, contra quod potuit legitima conſuetudo prævalere: *Tamb. tom. 2. diſp. 19. q. 4. n. 3. Regnal. in prax lib. 18. n. 179.* Item puto nullum eſſe peccatum per horam prævenire, aut poſtponere Horarum Canonicarum recitationem; nam tempus talis recitationis habet latitudinem, & uſus obtinuit, ut quæ recitantur horæ in una Eccleſia, in alia vel jam fuerint recitatæ, vel poſtponantur, & id non tam in Eccleſiis Sæcularibus, quam Regularibus.

Multo minus erit peccatum non ſervare tempus, & ordinem, ſi adſit juſta cauſa. Item ſine juſta cauſa invertere vel tempus, vel ordinem non plus, quam ter, vel quater in anno, communiter DD., præciſo ſcandalo, a culpa gravi excuſant.

Difficultas igitur reducitur ad hoc, an notabilis inverſio ordinis, vel etiam temporis contra conſuetudinem officium recitandi, crebro facta, ſit grave peccatum; ſentientibus multis non excedere culpam levem, quia ordo, & tempus, vel non cadunt ſub præcepto, vel ſunt puræ cæremoniæ accidentales, quarum inobſervantia non videtur importare gravem deformitatem. Verum in publica Horarum recitatione non ſatis agnoſco quomodo præfata inverſio ſatis excuſari poſſit a culpa gravi. Ratio eſt, quia ordo eas recitandi, & tempus, ut juxta conſuetudinem recitentur, expreſſe præcipitur in juribus ſupra citatis, aliunde non videtur tale præceptum eſſe de re levi, cum ſit de modo publice orandi ad excitandam etiam devotionem fidelium; valde proinde, & ſæpe invertere talem ordinem grave quid videtur. Præterea notabilis antepoſitio, vel poſtpoſitio temporis in re tanti ponderis, non video quomodo excuſari poſſet a notabili deformitate, & Scandalo: *Suar. tom. 2. de relig. l. 4. c. 15. n. 11. Azor. p. p. l. 10. c. 9. q. 1. Tamb. t. 2. diſp. 10. q. 6. n. 4.*

Propter notabilem etiam deformitatem, ſcandalum, quod facile apprehenditur in non recitando publice, ut par eſt, Horas Canonicas, merito cenſent plures Theologi, quod ea ommiſſio, quæ in privata recitatione levis eſſet, gravis ſit in eadem publica recitatione: *Pal. t. 2. tr. 7. d. 3. p. 5. n. 1. Suar. de relig. t. 2. l. 4. c. 10. n. 3.*

Q. III. Quo in loco publice recitandæ ſint Horæ Canonicæ.

R. Adeſt præceptum de publica horarum recitatione facienda vel in Choro, vel in Eccleſia: *can. fin. 52. diſt. Clement. I. de celebr. miſſ.* Hinc niſi gravis neceſſitas, vel conſuetudo aliud ſuadeat, in Sacriſtia, vel alibi non ſunt perſolvendæ. Si tamen Sacriſtia, ita ſit Eccleſiæ conjuncta ut moraliter pars ipſius Eccleſiæ reputetur, tunc ibi poſſent perſolvi Horæ Canonicæ; nam pars in toto reputatur juxta *reg. 86. Jur. in 6.* Et id maxime locum haberet, ſi aliqua interveniat juſta cauſa, qualis eſt etiam aſperitas brumalis. Inſuper hanc obligationem de recitandis Horis Canonicis vel in Choro, vel in Eccleſia reputant eſſe gravem DD., cum Eccleſia non mota ſit ex levibus momentis ad id præcipiendum, ob majorem nempe Dei cultum, & Fidelium ædificationem. *Sanch. conſil. tom. 2. l. 8. c. 2. dub. 44. Palaus de orat. diſp. 3. p. 5. n. 2. Bonac. diſp. 1. q. 3. p. 5. n. 1.*

Q. IX. Quinam teneatur recitare in Choro Horas Canonicas; & an huic obligationi ſatisfieri poſſit per alium.

R. I. Quidquid ſit de jure antiquo, contra quod prævalere potuit contraria conſuetudo, modo certum eſt, ut ſupra etiam notavi, Canonicos, & Præbendatos Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum teneri ad recitandas Horas Canonicas in Choro juxta conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ; ad hunc etenim effectum accipiunt ſtipendium, & diſtributiones, ac proinde ex juſtitia tenentur Choro intereſſe: *Suar. lib. 4. c. 10. n. 17. Palaus diſp. 3. p. 1. n. 13. Bonac. diſp. 2. q. 1. p. 3., & 4.*

Quamvis autem non pauci excuſent a peccato mortali Canonicum, & Præbendatum, ſi abſit a Choro animo

non

Digitized by Google

non percipiendi diſtributiones, meo videri, excuſari non poteſt, ſi tam jus, quam ratio attendantur. Si attendatur jus, ſuſpendi poteſt, & excommunicari Clericus Choro non aſſiſtens in ſua Eccleſia; immo & valde reprehenditur, ſi tarde accedat ad Chorum, & officium in Choro mutilet, aut recitet ſyncopando, aut confabulando: *cani relatis diſt. 91. can. ſi quis Presb. diſt. 92. cap. dolentes de celeb. Miſſ. & Clem. 1. eod. tit.* Hæc autem omnia ſupponunt gravem obligationem Choro intereſſendi. Concilium item Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 1. ſeſſ. 20. c. 3. ſeſſ. 22. c. 3. ſeſſ. 23. c. 1.* obligat ſub gravi Beneficiarios, & Præbendatos ad reſidendum in propria Eccleſia, & vult cogi poſſe etiam ſub pœna excommunicationis, & privationis Beneficii; hæc autem gravis obligatio reſidendi non reſpicit niſi obligationem Choro intereſſendi. Ratio etiam id ſuadet; quia Præbendati, & Beneficiarii non ſolum tenentur ad Chorum ratione diſtributionum, ſed etiam Beneficii, cum primo, & per ſe fundatum fuerit, ut publice in Eccleſia Divina Officia perſolverentur; non eximuntur proinde ab hac obligatione eo quod intendat non recipere diſtributiones: *Suar. l. 4. c. 10. n. 17. & c. 13. n. 5. Palaus diſp. 3. p. 2. n. 3. Garz. de Beneſ. p. 3. c. 2. n. 322.* Cum tamen hæc obligatio Choro intereſſendi non adeo ſtricta ſit, ſicut obligatio recitandi Horas Canonicas; ac proinde a jure concedatur abſentia a Choro tribus menſibus in anno; hinc eſt non reputandam gravem culpam ter, aut quater in anno ultra tempus prædictum, a Choro abeſſe.

R. II. Ex jure obligatio Choro aſſiſtendi eſt perſonalis: ac proinde *Trid. ſeſſ. 24. c. 12. de reform.* vult Canonicos compellendos eſſe, ut per ſe ipſos aſſiſtant, & inſerviant. Fatendum tamen eſt contra tale jus poſitivum prævalere potuiſſe conſuetudinem, nam cultui Divino, & ſervitio Eccleſiæ parum obeſt, quod interſint vel unus, vel alter Canonicus, & æque bene poteſt unus alterius miniſterium ſupplere. Et ita, ſi prævaluit contraria conſuetudo, poſſunt dari diſtributiones abſentibus, ſi per alium inſerviant: *Palaus diſp. 2. p. 3. n. 5.* & alii, quos refert, & ſequitur *Bonacina diſp. 2. q. 2. p. 5. & q. 5. p. 6. n. 17.* Adderem tamen ego hanc conſuetudinem ſuſtineri non poſſe, ſi nimis eſſet frequens abſque juſta cauſa; nam Canonici, & Beneficiarii Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum tenentur ex jure per ſeipſos Eccleſiæ inſervire, ac proinde ſi valde frequenter inſervirent omnino per alios, tali conſuetudo ut irrationabilis, & ut corruptela eſſet conſideranda. Vide etiam quæ dicam *cap. 3. quæſ. 2.*

Q. VI. Quomodo perſolvendæ ſint in Choro Horæ Canonicæ.

R. I. Tenetur Beneficiarius Choro addictus ita canere, ſi ex aliqua cauſa non impediatur, ut ab altera parte poſſit audiri. Multi refragantur huic obligationi, cum ſatis illis ſit, ut illa pars Chori, in qua iſte reperitur, ita dicat, ut ab alia audiatur; nam tunc cenſentur omnes ita dicere cum mutua communicatione ſe juvent. Verum hæc ratio non ſatis me convincit; nam addictus Choro, ut ſatisfaciat ſuo muneri, ac proinde diſtributiones percipiat, debet Choro inſervire, prout exigit tale ſervitium autem Chori expoſcit, ut ita quis recitet, ut ab altera parte poſſit audiri. Prætarea quilibet addictus miniſterio alicujus Communitatis debet ex ſua parte tali miniſterio conferre, ita autem certe non facit, qui ita dicit Horas Canonicas, ut non poſſit audiri a comparte. Ex his rationibus communis opinio eſt ſaltem non ſatisfacere publicæ recitationi, qui ita ſubmiſſa voce recitat, ut perinde ſe habeat, ac ſi privatim recitaret; ac proinde privandus eſſet diſtributionibus. *Bonac. diſp. 2. q. 3. p. 2 §. 1. n. 16.*

R. II. Canonichus in Choro canere debet cum aliis, niſi aliud probetur ex legitima contraria conſuetudine. Ratio eſt, quia Chorus inſtitutus eſt, ut commune etiam aliis ſit Divinum Officium: ſi proinde quis non cantet, dum officium ſolemniter canitur, vel clara voce non recitet, dum verſatim recitatur, jam non ſatisfacit Chori obligationi, enim non reddat aliis commune D. Officium. Hinc hujuſmodi obligationem, quam habent Canonici per ſeipſos canendi, ſæpe ſæpius S. Congregatio confirmavit, ut notat *Garz. p. 3. de Beneſ. cap. 21. n. 324. Barb. cap. 20. de Can. n. 7. & c. Fagn. in c. licet. n. 89. de Præb.* Quia tamen ſolemniter canere de jure mere Eccleſiaſtico ſtatutum eſt, ideo potuit contra hanc obligationem conſuetudo prævalere, ut de facto prævaluit in pluribus Eccleſiis, in quibus ſunt Miniſtri, & Capellani deputati ad pſallendum, alii autem ad aſſiſtendum & decorandum ſua præſentia cantum Divinorum Officiorum: Id poinde nullam videtur indecentiam præſeferre, ſed potius ſplendorem ſpecialem in ipſis Eccleſiis: *Sanch. in Conſ. t. 1. lib. 2. c. 2. dub. 99. Suar. t. 2. l. 4. cap. 12. num. 11. Palaus diſp. 7. tr. 7. p. 3. num. 5.*

Ex eadem ratione non tenentur Canonici canere dum Capellani, & Manſionarii ſolent canere ſoli Antiphonas, Reſponſoria, Verſiculos &c. & in Miſſa Graduale, Offertorium, &c. ſicut inter alios advertit *Moneta de Diſtrib. p. 3. q. 2. num. 8.*

Q. VII. An Recitantes in Choro Divinum Officium debeant attendere ad eam partem, quæ in alio Choro recitatur.

R. I. Cum Beneficiarii, ſive Religioſi debeant totum Officium ſive canere, ſive recitare, neceſſe eſt facere ſuam etiam partem, quam alter Chorus recitat; illam autem non poſſunt facere ſuam, ſi ad eam non attendant, cum illam non recitent. Eodem modo tenentur attendere ad illos verſus, quos Cantores alta voce pronunciant, dum pulſantur organa; & ſi non eſſent Cantores, qui eos pronunciarent, ex communiori opinione deberent id ſinguli facere ſubmiſſa voce, cum totum officium ſit recitandum. Excuſarem tamen illum, qui faceret quantum poſſet ut aliam partem audiret, & tamen non poſſet vel ex ſtrepitu, qui ſupervenit, vel quia ſurdus eſt; nam non videtur eſſe mens Eccleſiæ, quod iſti & teneantur in Choro recitare, & ſimul aliam partem audire, quando ſine propria culpa impediuntur. Ceterum ſi ſurdus poſſet privatim matutinum recitare, non bene ageret cum alio recitando, quem non poteſt ullo pacto audire, quia tunc nil communicat de ea parte, quam alter recitat. Secus ſi ſaltem audiat in confuſo: *Sanch. t. 2. conſil. lib. 7. cap. dub. 13. n. 1. Trullench. lib. 1. in Decal. cap. 7. dub. 19. num. 9. & c.*

Item omnino excuſantur ab attendendo parti, quam recitat alter Chorus, qui impediuntur ob aliquod ſervitium, quod præſtant in Choro, puta pulſando organum, libros transferendo, thurificando &c. Immo ex communiori doctrina non tenentur hi poſtea ſupplere eam partem, quam ob has cauſas omittunt, vel non audiunt. Ratio eſt, quia cum occupentur in his, quæ pertinent ad D. Officium, intelliguntur illi ſatisfacere adimplendo munus, quod ipſis incumbit; neque etenim veroſimile eſt velle Eccleſiam ſimul adimpleri duo munera incompoſſibilia: *Laym. lib. 4. tr. 1. c. 5. n. 7. Azor. p. 1. lib. 10. c. 13. q. 20. Anton. a Sp. S. in Direct. Regal. tr. 3. diſp. 6. n. 1599.* An vero non attendentes recitatione Officii lucrentur diſtributiones, dicam infra de iis agendo.

Q. Ultimo. An ultra conſuetas Horas Canonicas detur obligatio aliqua alia in Choro canendi.

R. Qui utuntur Breviario Romano poſſunt ſine peccato omittere Officium defunctorum, & B. M. V. diebus in eo præſcriptis, cum talem obligationem abſtulerit S. Pius V. in Bulla, quæ initio Breviarii ſolet apponi. Remanet ergo ſolum obligatio recitandi in Choro, & extra Chorum Officium Defunctorum die 2. Novembris, & Litanias de S. Marci, & diebus Rogationum. Conſtat id ex receptiſſima conſuetudine, ex qua tales preces reputantur, ut pars Officii illius diei.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Confeſſarius Beneficiariorum, ſi diligenter proprio muneri ſatisfaciat, facile aliquos adinveniet, qui vel, ut rure degant, vel ob aliam cauſam neque per ſe, neque per alios Choro aſſiſtunt, & tutos ſe putant in conſcientia, quia animum habent dimittendi diſtributiones. Hæc opinio neque authoritate, neque ratione ſatis fulcitur; ac proinde diligens ſit Confeſſarius in præſentando hujuſmodi Beneficiariis ſuam obligationem; nec facile in ea adimplenda negligentes abſolvat.

II. Utinam & non darentur Beneficiarii, etiam ita irreverentes, & irreligioſi, ut crebro in Eccleſia, ſeu choro fabularentur, ac magna oculorum libertate omnes Eccleſiæ angulos perluſtrarent. Id maxime ſequitur illis feſtivitatibus, quibus in cantu figurato aliqua Officii pars perſolvitur, vel dum Manſionarii, & Capellani Antiphonas, Reſponſoria &c. canunt. Moneant Confeſſarii hujuſmodi Beneficiarios duplici gravi culpa poſſe ſuam conſcientiam illaqueare, & quia non perſolvunt, uti convenit, Horas Canonicas: & quia retinent omnes diſtributiones, quas retinere non poſſunt, cum non adfuerint præſentia ſaltem externe pia, & humana, ut amplius infra explicabo. Non facile etiam admittant hos pœnitentes, nam hu-

juſmodi indevotio deſignat aliis pluribus vitiis eſſe Inquinatos.

CAPUT II.

De Cauſis, quæ excuſant abſentes a Choro, ne diſtributiones amittant.

Q. I. QUæ ſint cauſæ, quæ excuſant abſentes a Choro.

R. Tres adinveniuntur cauſæ apud SS. Canones, quibus quis abeſſe poteſt a Choro, abſque eo quod deperdat diſtributiones: infirmitas; juſta, & rationabilis corporis neceſſitas: evidens utilitas Eccleſiæ; *cap. un. de Cleric. non reſid. in 6.* His addendum privilegium Choro non intereſſendi, & quædam aliæ cauſæ, de quibus in fine hujus capitis.

Q. II. Qualis debeat eſſe infirmitas, ut aliquis abeſſe poſſit a Choro, & inſuper lucrari diſtributiones.

R. Quamvis apud SS. Canones dicatur debere eſſe gravis, nihilominus fatendum eſt omnem infirmitatem non permittentem ſine gravi incommodo ad Chorum accedere, ad hunc effectum gravem reputari; nam lex Eccleſiæ cum tali gravi incommodo non obligat. Inter has infirmitates recenſetur podagra, quæ ex motu poteſt augeri, & gravem dolorem afferre; gravis ſenectus; ſicut & cæcitas. Non facile autem excuſarem ſurdum, quia hic videtur poſſe intereſſe ſine gravi incommodo: *Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 53. n. 166. Monet. de diſtr. p. 2. q. 6. Bonac. d. 2. q. 5. p. 1. Dian. p. 5. tr. 6. reſ. 14.* In dubio autem an infirmitas judicanda ſit gravis, vel levis, ad hunc effectum ſtandum eſt arbitrio boni viri, vel Medici; & ſi res in judicio agatur, tunc de ea debet judicare Judex competens, adhibito conſilio Medici &c. *Monet. cit. num. 24. Menoch. l. 1. de arbit. caſ. 429. num. 14.*

Puto autem quod ad effectum lucrandi diſtributiones debeat etiam conſiderari an infirmitas ſit cauſa non intereſſendi Choro; nam ſi ex ea non oriatur abſentia a Choro, non video quomodo poſſit eſſe titulus ſufficiens ad percipiendas diſtributiones. Id meo videri, quidquid plures in contrarium aſſerant, evenit in eo, qui non eſt ſolitus Choro intereſſe, nec interveniret, etiamſi non eſſet infirmus *Barboſ. cit. Monet. de diſtrib. p. 2. q. 5. num. 22. Bonac. cit. num. 19. Leander. diſp. 6. quæſt. 55. & plures apud ipſum. Gutier. Can. qq. l. 1. c. 3. q. num. 138.* Hinc ſi Canonicus infirmetur illis tribus menſibus, quibus ex Tridentino licet a Choro abeſſe, adeoque abeſſe volebat, non poteſt ratione infirmitatis diſtributiones percipere, utpote quia infirmitas non eſt cauſa cur abſit a Choro. Bene vero ratione infirmitatis percipere poſſet ſi morbus ultra tres menſes duraſſet. Ita ex declaratione S. Congreg. *Fagnanus in cap. licet de Præb. num. 140. & 149.* ſuppoſito tamen quod poſt dictos tres menſes infirmus ad ſervitium Chori rediiſſet. Si vero infirmus non conſuetus intereſſe Choro in infirmitate, ita mutaret propoſitum, ut vere intereſſet Choro, ſi convaleſceret, percipere tunc poſſet diſtributiones; nam, mutato propoſito, vera cauſa non intereſſendi Choro eſſet infirmitas: & ita retinere in conſcientia poſſet diſtributiones correſpondentes tali tempori. Cæterum non mihi ſatis probatur non poſſe percipere diſtributiones illum, qui infirmatur extra locum Beneficii, a quo abeſt extra tres menſes vacationis, vel abſque legitima cauſa; nam ſi vere, dum infirmitate retinetur, rediiſſet, & Choro intereſſet, præciſe verificatur ab infirmitate impediri ne Choro inſerviat, in quo caſu nolunt SS. Canones privandum eſſe diſtributionibus. Solum ergo infirmus abſens a loco Beneficii non debet obtinere diſtributiones, quando ita abeſt, ut etiam ſanus Choro non deſerviſſet: *Fagn. cit. n. 148. Barboſ. in cap. un. de Præb. in 6. num. 16.*

Addunt communiter DD. non eſſe privandum diſtributionibus, qui cauſam dedit propriæ infirmitati intemperate e. g. vivendo &c. cum re vera abſit ratione infirmitatis; alias aperiretur via pluribus ſcrupulis: *Garzias de beneſ. p. 3. cap. 2. num. 362. & c.* ubi affert declarationem S. Congregationis: *Monet. de diſtr. p. 2. quæſt. 6. num. 12. Bonac. diſp. 2. quæſt. 5. p. 1. num. 7. Fagnan. in c. licet de Præb.* Addit Bonacina non amittere diſtributiones, qui data opera infirmatur, ne Choro adſiſtat, quia adhuc verificatur abeſſe ratione infirmitatis, quam jura reſpexerunt. Verum cum omnia jura clament fraudem, & dolum nulli debere patrocinari, & ex Eccleſiæ diſpoſitione proveniat, infirmum abſentem lucrari diſtributiones, non ſatis video quomodo intendere poſſit Eccleſia hujuſmodi doloſam infirmitatem infirmo ſuffragari.

Q. III. Quæ corporalis neceſſitas excuſet a præſentia in Choro.

R. Per corporalem neceſſitatem, qua quis poteſt a Choro abeſſe, abſque eo quod amittat fructus beneficii, & diſtributiones, intelligitur grave damnum imminens Præbendato in vita, honore, aut fortunis, ſi Choro aſſiſtat. Hujuſmodi neceſſitatem patitur, qui diſceſſit ob timorem peſtis; qui timet inſidias inimici, ſi ad Chorum pergat, qui injuſte detinetur in carcere, aut probabiliter timet ne injuſte incarceretur; qui injuſte cogitur exulare; qui injuſte eſt excommunicatus, ac proinde non poteſt Choro aſſiſtere. Hi omnes legitimum habent impedimentum, adeoque privandi non ſunt nec fructibus beneficii, nec diſtributionibus.

Si vero aliquis juſte timeat incarcerari, vel ſi juſte fuit incarceratus, expulſus in exilium, ſive excommunicatus, aut ſuſpenſus, vel interdictus, bene privatur diſtributionibus, quia non abeſt a Choro ob corporalem neceſſitatem, ſed ob ſuam culpam, & malitiam. Quod ſi aliquis detentus fuit in carcere ob ſuſpicionem commiſſi criminis, & poſtea innocens reperiatur, tunc concedendæ illi ſunt omnes diſtributiones, quia re vera per ipſum non ſtetit quin Choro intereſſet; & ita declaravit S. Congregatio apud *Garziam p. 3. c. 2. num. 352.* Plures etiam volunt, excommunicatum illicite choro aſſiſtentem, non eſſe ipſo jure privatum diſtributionibus, ſed ſolum eiſdem privandum. Verum huic opinioni videtur omnino refragari caput *paſtoralis §. Verum de appellat.* & Canoniſtæ in illud ſcribentes.

Ad hanc corporalem neceſſitatem reduci poteſt ſumptio medicinæ, convaleſcentia, gravis ſenectus, ad balnea, ſeu ad ſalubriorem aerem, per aliquod tempus ſe conferre. Melius tamen, meo videri, hujuſmodi reducuntur ad cauſam infirmitatis. Quoad ſupradicta videantur *Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 53. n. 159. Garz. cit. Monet. de diſtrib. p. 2. q. 5. & 6. Bonac. d. ſp. 2. q. 5. p. 2. & ſeqq. Fagn. in c. licet de Præb. a n. 150.*

Q. IV. Quando abſens ob utilitatem Eccleſiæ non amittat diſtributiones; & quando cenſeatur hanc utilitatem adeſſe.

R. I. Ut initio hujus capitis innui, qui a Choro abeſt pro Eccleſiæ utilitate non amittit quotidianas diſtributiones; cum æquum non ſit, ut damnum reportet propter ſervitium præſtitum propriæ Eccleſiæ. Dixi propriæ Eccleſiæ, nam ſi ob ſervitium alterius abeſt, ab ea ſtipendium accipere debet, & ita etiam colligitur *ex cap. de cætero & cap. ad audientiam de Cleric. non reſid.* Secus dicendum, ſi abeſſet ob ſervitium Eccleſiæ univerſalis; nam bonum, & utilitas Eccleſiæ univerſalis ad Eccleſias etiam particulares pertinere reputatur: *Monet. p. 2. de diſtrib. q. 11. n. 33. Bonac. q. 5. p. 3. n. 5.* Cæterum, ſi abſit a Choro ob bonum, & utilitatem ſuæ Eccleſiæ, non adhærerem illis, qui volunt non abeſſe debere a loco Beneficii. Ratio mihi eſt, quia, *cap. unic. de Cleric. non reſid. in 6.* abſque ulla limitatione conceduntur diſtributiones Clerico abſenti ob utilitatem ſuæ Eccleſiæ. Huic doctrinæ refragari videtur *cap. cum non deceat. de elect. in 6.*, in quo auferuntur diſtributiones Canonico, qui acceſſit ad Sedem Apoſtolicam pro utilitate ſuæ Eccleſiæ. Verum ex declaratione S. Congregationis apud *Fagn. in cap. licet de Præb. n. 150.* textus capitis citati intelligendus eſt, quando adeſt conſuetudo, ut abſentes ob Eccleſiæ utilitatem diſtributiones non percipiant. Ubi advertendum, quod licet per ſtatutum Capituli non poſſent ob recenſitas cauſas abſentibus auferri diſtributiones, quia Inferior non valet Juri communi derogare, bene tamen illi derogare poteſt conſuetudo legitima, quia includit conſenſum ſaltem legalem Principis, ut ſuo loco dictum eſt, ac proinde præfatam conſuetudinem admiſit S. Congregatio apud *Garz. p. 3. de Benef. c. 2. num. 361.*

R. II. Cenſetur abeſſe ob utilitatem ſuæ Eccleſiæ, qui abeſt miſſus a ſuo Epiſcopo ad Limina ad inſtruendum Pontificem de ſtatu Diœceſis, ut ex Conſt. 17. Sixti V. & ex deciſione S. Congreg. docet *Garz. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 349.* Id vero locum non habet ſi mittatur ad Limina ab alio quocumque Epiſcopo, quam ab eo in cujus Diœceſi habet beneficium: *Garz. cit. num. 350. Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 53. num. 159.* Jam autem ibi *num. 158.* adnotaverat, non amittere diſtributiones, qui mittitur a Capitulo ad Concilium Generale,

ſeu

Digitized by Google

ſeu Provinciale, ut Theologus, Canoniſta, vel Procurator ſuæ Eccleſiæ. Idem dicendum, ſi ferat conſuetudo, ut in aliquibus circumſtantiis aliquis Canonicus mittatur a Capitulo, ut Legatus ad Pontificem vel alium Principem; hi etenim omnes abeſſe cenſentur ob Eccleſiæ utilitatem.

Item, ut de ſe patet, cenſetur abeſſe ob Eccleſiæ utilitatem, qui tempore Chori occupatur in ſumendis de mandato Capituli rationibus reddituum, bonorum Eccleſiæ, vel in defendendis juribus Eccleſiæ, ſicut etiam in defendendis juribus ſui beneficii, quia id reſultat in utilitatem Eccleſiæ. Non vero ſi defendat jus, quod habet ad Beneficium adverſus alterum, quia tunc vere abeſt ob propriam utilitatem: *Barboſ. alleg. 53. n. 172.* Volunt quamplures: abſentem ob dictas cauſas lucrari diſtributiones, etiamſi alio tempore poſſet id commode præſtare, cum ſemper verificetur abeſſe, quia eo tempore occupatur in Eccleſiæ utilitatem: *Monet. p. 2. de diſtrib. q. 5. n. 48. Palaus diſp. 3. p. 9. §. 3. n. 6. & 13. Bonac. diſp. 2. q. 5. p. 3. n. 11. & 16.* Verum hæc opinio una ex eis eſt, quæ nunquam ſatis mihi placuit. Cum etenim ita abſentes habeant a S. Canonibus poſſe lucrari diſtributiones, non videtur ea potuiſſe eſſe mens Conciliorum, & Pontificum, ut ſuffragari voluerint illi, qui poteſt alio tempore commode promovere Eccleſiæ utilitatem, & de induſtria expectat tempus Chori, ut ita ab intereſſendo eximatur. Id autem magis mihi imperceptibile redditur in caſu quo quis habet ſtipendium ſui laboris.

Licet Vicarius Epiſcopi, ſi ſit Canonicus, non lucretur diſtributiones, quando impeditus a proprio officio abeſt a Choro, quia potius Epiſcopo quam Eccleſiæ deſervit, nihilominus eas obtinere debet Vicarius electus a Capitulo, ſede Epiſcopali vacante, nam iſte proprie occupatur in deſerviendo Eccleſiæ. Nec refert, ſi obtineat ſalarium pro ſuo munere exercendo, nam illud datur pro laboribus ſui muneris, non ut amittat diſtributiones ex jure ſibi debitas: ita etiam de Beneficiato, qui habet ſalarium pro defendendis Eccleſiæ juribus docent communiter DD.

Demum cenſetur abeſſe ob utilitatem Eccleſiæ, qui abeſt ob exercendam curam animarum, ſi hæc annexa ſit ſuæ Præbendæ, ut habetur ex Tridentino *ſeſſ. 22. c. 1. de reform.* & ex S. Congr. apud *Garz. p. 3. de benef. c. 2.* Ille vero qui abeſt, ut confiteatur ſua peccata, vel cauſa voti adimplendi, vel etiam celebrandi Miſſam, non intelligitur abeſſe ob Eccleſiæ utilitatem. Non negaverim tamen legitimam dici poſſe eam conſuetudinem, qua aliquis ex Beneficiariis Miſſam celebrat tempore Chori, maxime ſi non eſſet qui tunc in Eccleſia celebraret, & ita fideles ab audienda Miſſa deberent abſtinere. Cæterum ſi abſque ulla neceſſitate Canonici, ſeu Beneficiarii vellent tempore Chori Miſſam celebrare, non eſſet id, niſi perverſus abuſus valde officiens ſervitio Chori, adeoque non excuſans, nec tolerandus.

Q. V. An detur aliquod privilegium non intereſſendi Choro; & quis concedere valeat hoc privilegium.

R. I. Jam ut alias dictum eſt, Canonici, & Præbendati poſſunt ſingulis annis per tres menſes a Choro abeſſe, abſque eo quod amittant fructus ſuorum Canonicatuum, aut Præbendarum: *Trident. ſeſſ. 23. c. 1. de reform. & ſeſſ. 24. c. 12.* Nec expoſcit Tridentinum ullam Ordinarii licentiam, ſicut & pluries declaravit S. Congregatio apud *Garz. p. 3. de Benef. c. 2. n. 314. & Barb. de poteſt Epiſc. alleg. 53. n. 118.* Nec refert an hæc abſentia ſit continua, vel interpolata, dummodo non accidat in majoribus ſolemnitatibus, ut monet eadem S. Congregatio apud *Garz. n. 16.* Item eadem S. Congregatio apud eumdem *n. 311.* vult privilegium Tridentini ſolum habere locum in illis Eccleſiis, in quibus abeſt obligatio reſidendi pro toto anno. Hinc ſi quis accepiſſet Beneficium, jam medio anno elapſo, ſolum abeſſe poſſet uno menſe cum dimidio: *Bonac. diſp. 2. q. 5. p. 4. n. 9.* Denique ex deciſione ejuſdem S. Congregationis apud *Garz. 197. & Zerol. in prax. Epiſc. p. 1. V. primum dubium*, Canonicus, ſeu Præbendatus abſens per tres menſes a Concilio conceſſos poteſt quidem percipere fructus præbendæ; non tamen diſtributiones quotidianas. Si vero non alii ſint fructus, quam diſtributiones quotidianæ, tunc putarem in abſentia prædicta percipi poſſe, nam tunc loco fructuum ſuccedunt; *Barboſ. alleg. 53. n. 123. Bonac. diſp. 4. p. 1. n. 10.*

R. II. Poteſt Pontifex concedere, ut quis in abſentia Chori lucretur fructus ſui Beneficii, & diſtributiones, nam quod hæc habeantur propter præſentiam in Choro, provenit ex jure poſitivo, in quo poteſt Pontifex diſpenſare. Epiſcopus, & Capitulum diſpenſare non poſſunt, niſi in caſibus a jure permiſſis, vel ad breve tempus; cum non poſſit diſpenſare in lege Superioris. Inſuper ex vi talis diſpenſationis ad breve tempus non poſſet Beneficiarius percipere diſtributiones quotidianas, cum ex jure non poſſit abſens illas lucrari; niſi adſit aliqua ex cauſis initio hujus capitis allegatis: *Barb. alleg. 53. n. 13.*

Hujuſmodi autem privilegia ſtrictiſſime ſunt interpretanda, quia cedunt in diminutionem cultus divini. Hinc diſpenſatus ut in abſentia fructus Beneficii percipere valeat, non intelligitur diſpenſatus, ut percipere valeat diſtributiones quotidianas, ni forte Beneficium non haberet fructus ab iis diſtinctos: *Barboſ. alleg. 55. n. 124.* Item diſpenſatus ut percipere poſſit in abſentia etiam diſtributiones quotidianas, non intelligitur diſpenſatus ad percipienda quæ proveniunt ex mortuariis, anniverſariis &c. nam hujuſmodi ſunt veluti ſalaria, & eleemoſynæ, quæ non quotidie diſtribuunt, nec pendent ex beneficio, ſicut diſtributiones quotidianæ, quæ ab eo pendent, & quotidie diſtribui poſſunt; unde præfata in rigore non veniunt ſub nomine diſtributionis quotidianæ: *Gonz. ad reg. 8. Cancell. n. 177. Moneta c. 2. q. 14. n. 21. Bonac. diſp. 2. q. 5. p. 4. n. 6.*

Q. VI. Quibus aliis de cauſis tempore abſentiæ diſtributiones acquirantur.

R. I. Ex *Tridentino ſeſſ. 24. cap. 8. de reform.* Canonicus Pœnitentiarius Cathedralis cenſetur præſens in Choro ad effectum omnia lucrandi, ſi tempore Divinorum Officiorum audiat confeſſiones, quod verum eſt, etſi vel ibi loquatur cum Pœnitentibus de rebus ad profectum in via Domini pertinentibus, & id enim pertinet ad munus Confeſſarii; id dicendum, ſi moretur in Confeſſionarios, ut Pœnitentes expectet. Id autem privilegium, cum cedat in bonum animarum, tam late interpretatur, ut Canonicus Pœnitentiarius præfata in Eccleſia præſtans cenſeatur etiam adeſſe proceſſionibus exequiis mortuorum &c. Ultra caſus prædictos non lucraretur diſtributiones: *Palaus diſp. 3. p. 9. §. 4. Bonac. diſ. 2. q. 5. p. 3. §. 5.* Quod dictum eſt de Canonico Pœnitentiario, habet locum etiam reſpectu Subſtituti ſi Pœnitentiarius abſit, infirmetur, vel mortuus ſit; ſicut & reſpectu illorum Confeſſariorum, quos Superior ob multitudinem Pœnitentium daret in adjutorium Pœnitentiarii. Ratio eſt, quia Subrogatus ſapit naturam illius, in cujus locum ſubrogatur, & multo magis ſi non ſubrogetur, ſed ſimul cum illo in eodem munere conſtituatur, quia non poteſt illi plene ſatisfacere. Ita communiter DD. apud Monetam *de diſtrib. ib. p. 2. p. 11. n. 68.*

R. II. Canonicus habens præbendam Theologalem cenſetur præſens in Choro, dum legit, aut concionatur in propria Eccleſia. Item excuſatur ab intereſſendo Choro per eam ſolam diem, qua legit, aut concionatur; cum hujuſmodi actio ſit laborioſa, & præparationem requirat. Ita ex conceſſ. Gregor. XIII. & ex declaratione S. Congreg. communiter DD. apud *Fagnan. in cap. licet. de Præben. c. 115. & 169.*

R. III. Alii ſunt, qui in abſentia lucrari poſſunt fructus præbendæ, non vero quotidianas diſtributiones. Hujuſmodi ſunt Vicarius Epiſcopi, ejus Familiares, Examinatores Synodales, Viſitatores Diœceſis, duo Canonici, qui ex jure poſſunt in ſuo ſervitio deputari. Item Canonici & præbendati inſervientes Summo Pontifici in officio Capellani, Camerarii, Secretarii: &c. *Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 52. n. 142. & 155. Garz. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 354.* Item qui abeſt a Choro cauſa publice docendi in aliqua Univerſitate, ſeu ſtudio generali, debet tamen docere Jus Canonicum, aut Theologiam; non vero percipit fructus, ſi alias ſcientias doceat. Excipitur ſolummodo docens in aliqua Univerſitate Grammaticam, ſi non ſit Parochus, maxime ſi alius non ſit, qui eam doceat, cum neceſſaria ſit ad Theologiam, & Jus Canonicum: *Gonzal. in reg. 8. Cancell. Barb. de poteſt. Epiſc. alleg. 56. n. 24. Monet. p. 2. q. 10. n. 10.*

Item percipit fructus Præbendæ, non diſtributiones quotidianas, qui majori parte, anni ſcholas frequentando, ſtudet juri Canonico, aut Theologiæ, non vero ſi ſtudeat aliis ſcientiis in aliqua Univerſitate: *cap. de privil. in 6. cap. Sane de Cleric. non reſid. Monet. cit. n. 19. Bonac. diſp. 2. q. 5. p. 3. §. 9. n. 9. Palaus diſp. 3. p. 9. §. 9. n. 5.* Quamvis autem, qui abeſt cauſa docendi in aliqua Univerſitate, ut dictum eſt, non indigeat licentia Ordinarii, cum habeat a jure: *Barboſ. de poteſt. Epiſc. alleg.*

leg. 56. *n.* 24. eadem indiget, qui vult abeſſe cauſa ſtudii ex Bulla S. Pii V. *Ad Aures*. Æquum etenim eſt, ut Ordinarius videat, an habeat capacitatem, & ætatem ad ſtudia an Eccleſia privetur neceſſario cultu &c. Si vero Ordinarius in eo adinveniat qualitates neceſſarias, tenetur licentiam impertiri, quia, ſuppoſito juris privilegio non eſt gratia, ſed juſtitia: *Garz. de Benef. p.* 3. *c.* 2. *a n.* 87. *Barboſ. de poteſt. Epiſc. alleg.* 56. *n.* 28. Apud eumdem vero *Garziam nu.* 102. declaravit S. Congregatio non poſſe concedere hanc licentiam, niſi ad quinquennium, quia ita habetur *cap. fin. de Magiſt.*, quamvis alii dicant concedere poſſe ad ſeptennium, quia præfato capiti derogari videtur *cap. cum ex eo de elect. in* 6. Declaravit pariter S. Congregatio apud eumdem *n.* 87. cauſam ſtudii non eſſe gravem cauſam, qua Epiſcopus concedere poſſit Parocho, ut abſit a propria Eccleſia ultra tempus ei conceſſum a jure, & tenet inter *Barb.* alios *alleg.* 56. *n.* 3. Quod ſi Parochus abeſſe velit, ut doceat in aliqua Univerſitate Theologiam, aut jus Canonicum, quæ abſentia illi etiam a jure conceditur, tenetur tamen obtinere licentiam a ſuo Ordinario, quia ita de eo expreſſe decernit *Tridentinum ſeſſ.* 23. *c.* 1. *de reform.*

Prædicti omnes, non obſtante abſentia, percipiunt fructus Præbendæ, non vero quotidianas diſtributiones, quia non cenſentur abeſſe ob propriam Eccleſiæ utilitatem *cap. fin. de Magiſtr. cap. licet de Præb.* Poſſent & has percipere, ſi haberent privilegium; vel de eis percipiendis adeſſet conſuetudo legitime introducta. Quod ſi Beneficium non habeat fructus diſtinctos a quotidianis diſtributionibus, tunc hæ loco fructuum ſuccedunt, dempta tertia parte, ut de abſente cauſa ſtudii declaravit S. Congregatio apud *Garz. de Benef. p.* 3. *c.* 2. *n.* 113. *Barb. alleg.* 56. *n.* 16. *&* 20. *Pagn. in cap. licet de Præb. a n.* 124.

De quibuſdam aliis, qui ex privilegio poſſunt etiam percipere diſtributiones, agit *Barboſ. de poteſt. Epiſc. alleg.* 53. *a n.* 165. *Moneta p.* 2. *q.* 11. *a n.* 111.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Non tam facilis ſit Confeſſarius in permittendo, ut diſtributiones retineat, qui eas ratione infirmitatis percepit, dum aliunde ſanus Choro non interfuiſſet. Hæc quorumdam praxis omnino rationi adverſari mihi videtur; nam Sacri Canones, ideo infirmo diſtributiones concedunt, quia ſupponunt ratione infirmitatis abeſſe. Ita etiam ſemper credidi nunquam S. Canones voluiſſe diſtributiones concedi illi, qui aliunde, etiam non infirmus, Choro non deſerviret.

Non ſit aliunde Confeſſarius nimis ſcrupuloſus in ordine ad eos, qui fortaſſe Choro intereſſe potuiſſent, & nihilominus non adſuerunt, quia illis non ſatis convaluiſſe videbatur. Neque enim videtur eſſe mens piæ Matris Eccleſiæ, ut dum quis adhuc timet nocumentum ex Chori labore, velit ad illud accedere. Scio quandoque aliquos reperiri multa melancholia tabeſcentes, & ſolummodo á Choro abeſſe, quia ſibi obfuturam imaginantur. At & ipſa melancholia morbus exiguus non eſt, adeoque & hi non facile condemnandi.

II. Animadvertat Confeſſarius, abſentes ob Eccleſiæ negocia, non raro tempus negociorum protrahere, maxime ſi ruri ſint, ac proinde abeſſe a Choro pluſquam Eccleſiæ utilitas requireret. Hi ſunt omnino increpandi, & cogendi ad reſtitutionem diſtributionum pro illis diebus, quibus abſuerunt abſque neceſſitate, eo quod, adhibita convenienti diligentia, multo citius potuiſſent demandata negocia expedire; maxime ſi abſtinuiſſent a commeſſationibus cum Amicis, a ludis &c. Scio alicubi vigere conſuetudinem, ut qui debet alio proficiſci ob utilitatem ſuæ Eccleſiæ, quibuſdam diebus ante diſceſſum, poſſit abſtinere a Choro, ut paret neceſſaria itineri, ac negociis expediendis: ſicut etiam quod poſſit a Choro abeſſe quibuſdam diebus poſt reditum, ad vires reſumendas propter itineris incommoda. Hæc utique conſuetudo non reprobatur: *Azor. p.* 2. *l.* 7. *q.* 5. *Palaus diſp.* 3. *p.* 9. *§.* 12. *num.* 16. Sed puto attendendum, quando qualitas negociorum, & itineris ita expoſcat.

III. Si Confeſſarius examinet ſuum Pœnitentem, qui alias teneretur Choro intereſſe, facile adinveniet tempus Chori expectare ad expedienda ſibi commiſſa negocia, quando aliunde commodiſſime alio tempore expedire potuiſſet. Animadvertat id omnino alienum eſſe a mente Eccleſiæ illum excuſantis ab intereſſendo Choro, quoties ad id cogat utilitas Eccleſiæ, & ad id non cogere omnino dicendum eſt, ni velimus ludere verbis, quoties commode utilitas Eccleſiæ alio tempore poteſt promoveri. Multo magis increpandi illi, qui de induſtria expectant tempus Chori ad Miſſam celebrandam.

CAPUT III.

De Diſtributionibus.

Q. I. Quid intelligatur nomine diſtributionis quotidianæ.

R. Obſervare eſt apud S. Canones, Collectionum omnium fructuum ad totum Capitulum pertinentium appellari menſam communem: *cap. cum M. Ferrarien.* 9. *de Conſtit.* Ex his autem fructibus dividendis inter Canonicos, alii vocantur fructus annui, ſed fructus Præbendæ: *cap. cum M. Ferrarien. cit.*, *&* *cap. cum dilectus* 19. *de Præben.* & hi dantur propter reſidentiam in loco Canonicatus, & percipiuntur etiam ab illis Canonicis, qui ex cauſa legitima, & a Superiore approbata ab eo abſunt. Alii vero vocantur victualia: *cap. de cætero de Cleric. non reſid.*, ſeu etiam manualia beneficia: *cap. un. eod. tit. in* 6. & ſunt illæ diſtributiones quotidianæ, quæ ex iiſdem fructibus dantur iis Beneficiariis, qui actualiter præſentes ſunt Divinis Officiis celebrandis. Hæ autem quotidianæ diſtributiones inſtitutæ fuerunt in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, ut Clerici habentes ex eis unde ſuſtententur, & aliqualem remunerationem, ſollicitiores ſint in promovendo cultu divino; *Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 4. *de reform.* Quod ſi in aliqua Cathedrali, ſive Collegiali Eccleſia hujuſmodi diſtributiones non ſint, ſeu valde tenues, præcipit *Tridentinum ſeſſ.* 21. *cap.* 3. *de reformat.* ut in eas convertatur tertia pars fructuum Canonicatuum, & aliorum Beneficiorum exiſtentium in Eccleſia Collegiata, aut ipſis unitorum.

Q. II. Quibus debeantur quotidianæ diſtributiones, & an ex aliqua conſuetudine lucrari poſſint ab abſentibus.

R. I. Jam dictum eſt hujuſmodi diſtributiones inſtitutas fuiſſe ab Eccleſia ob decentem ſuſtentationem actualiter Divina Officia perſolventium, & ut cultus divinus non negligatur; adeoque ſolummodo actualiter Choro intereſſentibus ſunt elargiendæ, niſi abſentes excuſari poſſint aliqua de cauſa capite ſuperiori explicata. Immo ex jure abſentes diſtributiones reſtituere debent, ſi forte receperint: *cap. unic. de Cleric. non reſid. in* 6., *Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.*

R. II. Ratione conſuetudinis etiam ſtatuto firmatæ, generaliter introduci non poteſt, ut abſentes lucrentur diſtributiones. Ratio eſt, quia Bonifacius VIII. non ſolum derogat conſuetudini recipiendi diſtributiones in abſentia, ſed etiam reſiſtit tali conſuetudini, eamque ut iniquam, & irrationabilem reprobat; nunquam autem valere poteſt conſuetudo irrationabilis, & iniqua, quamvis immemorabilis: *cap. cum venerabilis* 7. *& cap. ult. de conſuet. Barboſ. in cap. un. ſupra citatum nu.* 83. *Fagn. in cap. licet de Præb. num.* 77. *&* 79. ubi etiam affert deciſionem S. Congregationis.

Dixi etiam non valere præfatam conſuetudinem, quamvis ſtatuto firmatam; nam ultraquamquod hujuſmodi Statuta ſublata fuerunt a *Tridentino ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.* ſive hoc ſtatutum ab Epiſcopo, vel a Capitulo derivaret, ſemper eſſet nullum, cum Inferior nequeat tollere legem Superioris, qualis eſt lex auferens diſtributiones abſentibus.

R. III. Si aliqua conſuetudo legitima videatur, & rationabilis, ea poteſt attendi in concedendis diſtributionibus etiam abſentibus. Ratio eſt quia tunc non inducitur aliquid aperte contrarium juri communi, ſed ex uſu declaratur quid faciendum ſit. Hinc licet ex rigore juris non dandæ ſint diſtributiones Canonicis tempore peſtis abſentibus, nihilominus voluit S. Congregatio attendendam eſſe contrariam conſuetudinem; nam abeſſe ob grave periculum mortis, videtur rationabilem reddere talem conſuetudinem: *Fagn. in cap. licet nu.* 95. *de Præben. Garz. p.* 3. *de Benef. cap.* 2. *nu.* 362. *Barb. p.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 53. *n.* 170.

Inter has honeſtas conſuetudines illa reputatur, quod adquirat diſtributiones ille, qui Miſſam celebrat tempore Divinorum Officiorum: *Garz.* 3. *p. c.* 2. *n.* 401. *Palaus tr.* 3. *diſp.* 3. *p.* 9. *§.* 12. Id autem intelligendum vellem, ut dixi ſupra, ut non celebratur major Miſſarum numerus, quam expoſcat ſervitium Eccleſiæ, & populi concurſus, alias cum ex tali conſuetudine minueretur cultus divinus, & relaxationes foverentur, neſcirem ſatis

co-

cognoſcere quomodo honeſta foret, & rationabilis. Eodem modo diſcurrendum de ea conſuetudine, qua tribuuntur diſtributiones Canonico ex induſtria audienti confeſſiones tempore Divinorum Officiorum.

Rationabilis etiam reputatur ea conſuetudo, qua non ſolum fructus præbendæ, ſed diſtributiones etiam quotidianæ conceduntur iis, qui inſerviunt Pontifici, vel Epiſcopo, vel etiam iis, qui ſtudent, vel docent in aliqua Univerſitate, de quibus omnibus dictum eſt capite ſuperiori. Et quidem, ſi ex jure poſſunt hi omnes fructus præbendæ percipere, dici poteſt legitimam eſſe conſuetudinem, qua conceduntur illis diſtributionea, quaſi fructus convenientes decenti ſuſtentationi illius, qui ex conſenſu Eccleſiæ occupantur in aliqua re, quæ redundat, vel redundare poteſt in ipſius Eccleſiæ ſervitium: *Garz. n. 333. Monet. de diſtrib. 2. p. q. 12. n. 42.*

Idem dicendum de conſuetudine, qua dantur diſtributiones etiam tempore vacationis; nam ubi viget conſuetudo, ut Canonici, & Beneficiarii alternatim quindecim diebus Choro inſerviant, dicendum eſt, diſtributiones correſpondere illi tempori, quo inſerviunt; nam uniuſcujuſque Canonici eſt æqualis ratio. Præterea ſervitium Chori, alternatim præſtandum, potuit legitime introduci; nimia enim eſt defatigatio ſingulis diebus inſervire; adeoque & legitime introduci potuit conſuetudo eo tempore lucrandi diſtributiones. Nullatenus autem approbarem conſuetudinem concedentem omnes diſtributiones ſolum matutinis intereſſentibus; nam ex ea quam maxime divinus cultus minueretur.

Difficultas autem eſt circa eam conſuetudinem, qua dantur diſtributiones illi, qui per alium Choro inſervit. Scio, quamplures hanc ſuſtinere conſuetudinem; nam ex una parte Eccleſia non fraudatur debito, ſervitio; & ex alia conſuetudo inſerviendi Choro per ſeipſum, ſemper cum Chorus debito ſervitio non fraudatur, ſolummodo eſt de jure poſitivo, contra quod prævalere potuit conſuetudo, quam non excludit *Tridentinum ſeſſ. 24. c. 12. de reform.*, ſed etiam duntaxat, quæ ante ipſum vigebat: *Leſſ. l. 2. c. 34. dub. 33. n. 158. Monet. 2. p. q. 11. n. 48. Bonac. diſp. 2. q. 1. p. 5. & q. 5. p. 6. n. 17.* Videtur nihilominus contrarium ſenſiſſe S. Congregatio apud *Fagnan. in c. licet de Præben. n. 82.* ubi tamen notat, eamdem S. Congregationem cenſiſſe poſſe Epiſcopum concedere, ut quis inſerviat per Subſtitutum, dummodo tali licentia non abutatur. Quod ſi aliquis ita per Subſtitutum inſerviat, ut poſtea totidem diebus Choro aſſiſtat pro eodem Subſtituto, tunc nulla viderem difficultatem, quare non percipere poſſet omnes diſtributiones; nam de facto Choro inſerviret omni tempore, quo inſervire teneretur, licet variato ordine temporis, quod de materiali ſe habet.

Idem Fagnanus notat, S. Pontificem cenſuiſſe tolerandam eſſe conſuetudinem, qua dantur diſtributiones iis, qui abſunt a Choro, poſtquam per quadraginta annos Eccleſiæ inſervierunt. Item noluiſſe S. Congregationam decidere, an ſublata ſit ea conſuetudo, qua dantur diſtributiones abſentibus ultra tempus a jure permiſſum, quia Fundatos beneficii talem abſentiam conceſſit. Talem autem conſuetudinem omnino ſuſtinendam opinor, qui præſumi non poteſt voluiſſe Concilium invertere Teſtatorum voluntates; nam hoc Fundatores averteret a promovenda Eccleſiæ utilitate; & ulterius cedit in utilitatem Eccleſiæ habere beneficium potius cum aliqua reſidentia, quam cum nulla.

Ultimo advertendum, ſuſtineri a Canoniſtis eam conſuetudinem, qua Infirmi privantur diſtributionibus, ſi domo egrediantur, vel de ſua infirmitate non moneant Capitulum, & id ad evitandas multas fraudes. Cæterum ſi talis ſit infirmitas, ut clare conſtet, non poſſe aliquem Choro inſervire, bene tamen aliqualiter egredi domo ob aliquod levamen, iniquum eſſet velle illum cogere ad domi permanendum ſub pœna amittendarum diſtributionum &c.

Q. III. Quibus accreſcant diſtributiones amiſſæ per Canonicos non intereſſentes Divinis Officiis.

R. Præfatæ diſtributiones accreſcunt intereſſentibus. Ultra alia jura, habetur id ex Trid. *ſeſſ. 21. cap. 3. de reform.* Cum igitur diſtributionea quotidianæ aſſignatæ ſint, ut Canonici excitentur ad adſiſtendum Divinis Officiis, conveniens fuit, ut quas deperdunt abſentes, intereſſentibus tribuantur, ut diligentiores ſint, & percipiant aliquod præmium laboris, quem ſuſtinere detractant abſentes: *Barb. de Can. & dig. c. 22. n. 14. Azor. p. 2. lib. 7. c. 7. q. 8. & 9. Garz. p. 3. de Benef. c. 2. a n. 445.*

Præfata tamen intelligenda ſunt de diſtributionibus proprie dictis, de ea nempe portione, quæ ſingulis non eſt aſſignata, ſed remota de communi menſa relinquitur diſtribuenda omnibus, & ſolis intereſſentibus Divinis Officiis. Hinc ſi detur aliquid detractum ex fructibus debitis alicui Dignitati, vel ob ejus abſentiam, vel aliam ob cauſam, id non venit nomine diſtributionis dividendæ inter præſentes, unde hujuſmodi eſſent appellanda Eccleſiæ, vel alio pio loco: *Trid. ſeſſ. 22. c. 3. de reform.* Item non veniunt nomine diſtributionis proprie dictæ certæ quantitates, aut portiones ſingulis aſſignatæ, ut ſi cuilibet aſſignatus ſit e. g. nummus aureus, aut tanta quantitas panis in ſingulos dies; nam tunc intereſſenti eſt ſua portio determinata, & nihil datur abſenti: unde tunc portio abſentium pertinet ad utilitatem Eccleſiæ, vel remanet in menſa communi: *Garz. pag. 3 c. 2. a n. 443. Barboſ. de Can. & Dig. c. 22. n. 16.* Ultimo, advertendum, diſtributiones quotidianas tunc ſolum accreſcere præſentibus, quando amiſſæ ſunt ob abſentiam a Choro, non vero ſi ob aliam cauſam, puta ob aliquod crimen; iſtæ enim applicandæ ſunt Eccleſiæ, vel alio pio loco: *Barboſ. 3. p. al. 53. n. 150. Garz. cit. n. 246.* Secus dicandum, ſi conſuetudo foret, ut tribuerentur Choro intereſſentibus.

Solet hic etiam inquiri, an nomine præſentium, quibus accreſcunt diſtributiones abſentium, veniant etiam illi, qui ob legitimam abſentiam ut præſentes reputantur, ac proinde diſtributiones percipiunt. Secluſa autem contraria conſuetudine, reſpondere negative; nam privilegium, quod habent abſentes percipiendi diſtributiones, utpote cedens in diminutionem Divini cultus, eſt ſtricte interpretandum; unde intelligi poteſt de ſolis diſtributionibus illis obventuris, ut inſinuari videtur *cap. un. de Cleric. non reſid. in 6. & a Trid. ſeſſ. 21. c. 3. & ſeſſ. 24. c. 12. Bonac. d. 2. q. 7. p. 1. in fin.*

Q. IV. An præſentes remittere poſſint abſentibus diſtributiones, quas ob abſentiam deperdunt.

R. *Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* vult, abſentes privandos diſtributionibus *quavis colluſione, aut remiſſione excluſa*: quibus verbis ſignificat, nolle ut ſibi invicem mutuo remittantur; tunc enim daretur *colluſio*; nec quod præſentes concedant abſentibus diſtritiones, ad quas ipſi jus habent ratione ipſorum abſentiæ; nam tunc daretur *remiſſio*. Inſuper dicendum videtur, talem colluſionem, & remiſſionem non ſolum eſſe illicitam, ſed & invalidam; nam vult Concilium, non poſſe tales diſtributiones retineri, & S. Congregatio declaravit eſſe reſtituendas, ſi quis eas perceperit: *Gar. 3. p. c. 2. n. 431. Sanch. Conſil. t. 1. l. 2. c. 2. dub. 108. Bon. d. 2. q. 5. p. 7. n. 1.* Immo eadem S. Congregatio declaravit quod Canonici hujuſmodi diſtributiones ſibi invicem remitterent, tunc Epiſcopus in eorum pœnam debeat applicare fabricæ Eccleſiæ, vel alteri loco pio: *Fagn. in c. licet de Præben. n. 91.*

Quamvis autem aliqui dicant, Concilium intelligendum eſſe de diſtributionibus amittendis, non vero de amiſſis; meo tamen videri id dicitur contra mentem Tridentini; nam generaliter reprobat omnem colluſionem, & remiſſionem, adeoque de diſtributionibus etiam amiſſis venit intelligendum. Accedit, hujuſmodi præceptum eſſe favorabile Eccleſiæ, ac Divinum cultum fovens; unde non eſt ſtricte interpretandum, quamvis videatur odioſum quatenus adimit poteſtatem cedendi juri ſuo, & annulat actum alias validum; *Garz. 3. p. cap. 2. n. 431. Barb. de poteſt. Epiſc. 3. p. al. 53. n. 140. Palaus tr. 7. diſp. 3. pag. 8. n. 6.* Cæterum quamvis præſentes non poſſent concedere abſentibus diſtributiones, quas vice eorum ipſi lucrantur, antequam eas poſſideant, quia tunc proprie remiſſio interveniret, nil prohibet quod poſtquam ſunt intereſſentibus aſſignatæ, & mediante Depoſitario eas poſſidente poſſint tunc abſentibus donare; nam donatio non eſt per Tridentinum prohibita: *Palaus cit. n. 3. Monet. de diſtr. 3. p. q. 5. n. 6.*

C A P U T VI.

De his, qui tenentur in particulari recitare Horas Canonicas; & de obligatione reſtituendi, quam habent Beneficiarii eas omittentes.

Q. I. AN Clerici teneantur quotidie Horas Canonicas recitare.

R. Quamvis Clerici in minoribus conſtituti non teneantur ex vi ſuorum Ordinum ad Horas Canonicas, ad

eas tenentur omnes, qui Ordinem Sacrum receperunt, nempe Subdiaconatum. Id autem non tam probatur ex pluribus Canonibus, cum non ita clare loquantur, ut non poſſint intelligi vel de Presbytero Parocho vel de Rectore Eccleſiæ, vel de officio publico, vel de Beneficiario; quam ex receptiſſima conſuetudine, quæ jura, imponentia obligationem recitandi Horas Canonicas, extendit ad omnes habentes Ordinem Sacrum: *Suar. de relig. t. 2. l. 4. de orat. c. 16. n. 2. Leſſ. de Juſt. l. 2. c. 87. dub. 9. n. 45.* Cum igitur ſaltem ex recepta conſuetudine obligatio recitandi Horas Canonicas a receptione Ordinis Sacri incipiat, hinc communiter DD. dicunt recipientem Ordinem Sacrum teneri ad recitandam partem Officii, quæ correſpondet tempori ſequenti poſt ſuam ordinationem; unde ſi fuit ordinatus poſt Nonam, tenetur eo die ſolummodo recitare Veſperas, & Completorium. An vero Ordinatus teneatur ſub gravi recitare Nocturnum, quem Epiſcopus injungit, variant DD. Probabilius reputarem teneri ſub gravi ad illud recitandum, nam materia de ſe gravis eſt, & aliunde Epiſcopus habet obligandi poteſtatem; nec poteſt ex aliqua re argui eam recitationem ſolummodo ſub conſilio imponere: *Suar. cit. n. 15. Leſſ. cit. n. 46. Laym. lib. 4. tr. 1. c. 4. n. 6.*

Docent autem communiter DD. Excommunicatos, Suſpenſos, Interdictos, Degradatos, teneri ad Horas Canonicas, ne commodum ex ſuo delicto reportent. Nec Epiſcopus hos, & quoſcumque initiatos Sacris Ordinibus ab obligatione recitandi Divinum Officium poteſt diſpenſare; neque enim Inferior poteſt diſpenſare in lege Superioris, qualis reputatur lex de recitandis Horis Canonicis, cum ex conſuetudine ſaltem ita interpretante textus Canonicos, talis obligatio ex iiſdem naſcatur. Secus dicendum in caſu, quo non facilis eſſet acceſſus ad Papam, vel ſi verificentur ea, de quibus *tr. 3. q. 5. c. 2.* Solummodo multi DD. excuſant a recitatione D. Officii damnatos ad triremes, ita interpretantes mentem benignæ Matris Eccleſiæ, quæ non videtur velle cum tali obligatione addere afflictionem afflicto, & ludibrio exponere Ordinem Eccleſiaſticum, quod ſequeretur dum viderentur damnati ad triremes Divinum Officium recitare: *Anton. a Spir. S. in direct. tr. 3. diſp. 6. n. 1607. Salm. t. 4. tr. 16. c. 2. p. 1. n. 4.* & alii.

Q. II. An Religioſi teneantur Divinum Officium recitare.

R. Utriuſque ſexus religioſi Choro deputati a tempore profeſſionis tenentur, ſive in Choro ſive private officium recitare. Oritur autem hæc obligatio ex recepta conſuetudine ad culpam gravem obligante, ut communiter tenent DD. apud *Salm. loc. cit. p. 2. n. 11. & apud Dian. p. 4. tr. 12. de Hor. Can. reſol. 17.* Hinc contra aliquos omnino puto teneri ad recitandum D. Officium illum Religioſum, qui extra Monaſterium ex legitima cauſa degeret, quamvis non eſſet Sacris Ordinibus initiatus, quia adhuc verificatur eſſe Religioſum Choro deputatum, quamvis extra Clauſtra degeret: *Suar. de relig. t. 2. l. 4. c. 17. n. 8. Sanch. in Conſil. t. 2. l. 7. c. 2. dub. 4. n. 9. & alii.* Eadem ratione tenetur ad Horas Canonicas Monachus fugitivus, quidquid aliqui ſentiant in contrarium. Addendum, nunquam eſſe mentem S. Matris Eccleſiæ, ut aliquis ex ſuo delicto eximatur ab aliqua obligatione, niſi aliqua particularis ratio id ſuadeat, ut dixi de damnato ad triremes: *Salm. tr. 16. de Hor. Canon. c. 2. p. 2. n. 10. in fin.* Ibidem autem concedunt exemptionem a recitandis Horis Canonicis ejecto in perpetuum a Religione, ſi non ſit in Sacris conſtitutus, cum non videatur velle S. Eccleſia novum onus imponere iis, qui gravem ejectionis pœnam tolerant.

Novitii, quamvis Choro deputati ex communi DD. non tenentur recitare Divinum Officium; nam reſpectu eorum non eſt introducta conſuetudo inducens obligationem. Eadem ratione non tenentur illud recitare Religioſi Choro non deputati, uſque dum ſacris Ordinibus non initientur. Idem dicendum de eo, qui ex diſpenſatione, vel alia de cauſa redit ad ſtatum Laicorum; cum etenim non amplius ſit Religioſus, non viget pro eo conſuetudo Horas Canonicas perſolvendi, *Azor. Inſtit. moral. part. 1. lib. 10. c. 6. q. 8. Sanch. t. 2. Conſil. l. 7. cap. 2. dub. 4. num. 7.*

Q. III. An Beneficiarius teneatur Divinum Officium recitare, quæ requirantur, ut habeat talem obligationem.

R. I. Beneficiarius, etiam in ſacris non conſtitutus, tenetur ſub mortali quotidie recitare Horas Canonicas. Ita Conc. Lateran. ſub Leone X. *ſeſſ. 9. de reform. Curiæ*, S. Pius V. in ſua Conſtit. *Ex proximo Lateranenſi*, & habetur etiam ex *cap. per ambitioſam de reſcript. in 6.* aliiſque juribus. Et hic argo habet locum illud effatum, beneficium datur propter officium; officium autem eſt Beneficiarii etiam recitare Horas Canonicas. Præfatus autem S. Pius V. habenti penſionem Clericalem injunxit Officium B. Virginis, ad quod tenetur, ſi Divinum Officium non recitet: *Suar. de relig. l. 2. l. 4. c. 22. n. 6. Garz. de Beneſ. p. 3. c. 2. n. 17. Bon. de Hor. Can. d. 1. q. 7. p. 4. n. 2. & 8.* Notant autem hi DD. Penſionarium habentem habitum alicujus Ordinis militaris ſatisfacere ſolum recitando Pater noſter, & preces a ſua regula injunctas. Porro quid ſit Beneficium, & quid penſio Clericalis dictum eſt *q. 1. c. 1.*

R. II. Ut Beneficiarius teneatur Horas Canonicas recitare, oportet non recepiſſe Beneficium coactive, vel ex gravi metu reverentiali; nam nemo tenetur ad onus, quod libere non ſuſcepit, ſi alias ſuſcipere non tenebatur. Si tamen frui velit fructibus Beneficii, Horas Canonicas perſolvere tenetur: nam tunc cenſetur coactioni renunciare: *Salm. t. 4. tr. 16. c. 2. p. 3. n. 26.*

Secundo, oportet Beneficiarium poſſeſſionem habere Beneficii; unde ab alio impeditus a poſſeſſione capienda non tenetur Horas Canonicas recitare, nam non debet certum onus ſubire pro incerto ſtipendio: *De Lugo in reſp. mor. lib. 5. dub. 6. n. 2. Filiuc. t. 2. tr. 23. cap. 5. n. 159.* Teneretur tamen Beneficiarius, qui ob ſuam culpam poſſeſſionem non reciperet, cum ob ipſius culpam Beneficium debito obſequio privandum non ſit. Item teneretur Clericus, qui non bona fide, ſed injuſte alium impediret a Beneficii poſſeſſione; nam debet ipſe præſtare Eccleſiæ obſequium, quod injuſte impedit. Ita DD. citati. Cæterum, ſi ille, qui non recitavit ob litem pendentem circa poſſeſſionem Beneficii, poſtea vincat, poteſt facere ſuos fructus correſpondentes tempori, quo non recitavit; nam æquiparatur illi, qui per primos ſex menſes a receptione Beneficii non recitat, vel ei, qui bona fide putavit ſe non teneri ad recitandum, cum de facto teneretur: ſicut etenim hi, qui non peccant, omittendo recitationem Officii ad reſtitutionem non tenentur, ita & illi, qui eamdem recitationem omittunt, quia a Beneficii poſſeſſione impediuntur: *De Lug. in reſp. moral. l. 5. dub. 5. n. 5. Bon. de Hor. Canon. d. 2. q. 2. p. 5. n. 2. & 5.*

Aliqui etiam putant non teneri ad recitationem Divini Officii Beneficiarium, qui licet habeat poſſeſſionem Beneficii, eam tamen non habet pacificam, nec percipit fructus ſequeſtratos, cum æquum non ſit illi injungere onus certum pro incerto ſtipendio: *Barboſ. in cap. dolentes n. 3. de celebr. Miſſ.* & alii apud ipſum. Verum hæc ratio non valet, vel ſi interim ex functionibus, & ſervitio, quod præſtet Beneficio, cujus habet poſſeſſionem, emolumentum aliquod accipiat, quo privari non timeat; vel ſi habeat ſpem, & moralem certitudinem ſibi applicandos ſaltem fructus debitos pro obſequio præſtito; nam tunc non verificatur aſſumere onus certum pro incerto ſtipendio: *De Lugo loc. cit. n. 9. Salm. t. 4. tr. 16. c. 2. p. 3. n. 38.* Eadem doctrina applicanda illi Beneficiario, cui poſt habitam pacificam Beneficii poſſeſſionem intentatur lis, & fructus Beneficii ſequeſtrantur. Iſte igitur tenebitur recitare Horas Canonicas, ſi, ut dictum eſt, interim recipiat emolumentum, quo non poſſit privari, vel moraliter certus ſit ſaltem ſe recepturum pro ſervitio, & obſequio, quod præſtat Beneficio; ſecus ſi deficiat omnis certitudo præfata percipiendi; nam tempore litis perfectus Beneficiarius non reputatur.

Tertio, ut Beneficiarius ratione Beneficii ad Horas Canonicas teneatur, oportet fructus Beneficii poſſe percipere, cum hanc obligationem habeat, quia aliquam ſaltem ſuſtentationem ab Eccleſia reciperet. Hinc non tenetur recitare Divinum Officium, qui eo, quod ex cauſa legitima non reſideat, fructibus privatur: *Salm. tr. 16. c. 2. p. 3. §. 4. n. 40.* Item, qui a Judice etiam ob propriam culpam fructibus beneficii privatur, cum per ipſum non ſtet, quin fructus poſſit percipere: *Sach. Con. lib. 2. c. 2. dub. 74.* Idem docent *dub. 77.* de eo, qui abſque ſua culpa non poteſt propter defectum e. g. ætatis ad Ordines promoveri, quapropter cogitur tradere alteri omnes fructus, ut iſte Beneficio inſerviat. Propter rationem primo loco adductam, nec tenetur Divinum Officium recitare, qui injuſte impeditur ad omnium fructuum conſecutione: *Leſs. de Juſt. p. 4. c. 34. n. 168. Bonac. de Hor. Canon. diſp. 1. q. 2. l. 2. n. 25.* Item dicendum de eo, qui propter ſterilitatem, vel alluvionem nullum fructum a ſuo Beneficio perciperet; *Salm. tr. 16. c. 2. p. 3. n. 43.*

Non

Non vero immunis eſt a recitatione Divini Officii qui ob ſuam culpam directe fructuum perceptionem excludentem, vult illis carere; ut ſi quis ſit excommunicatus, & non curet de abſolutione obtinenda. Vel ſi quis cum eſſet inhabilis, Beneficium nihilominus ſibi tradi curavit, vel acceptavit, unde poſtea tenetur omnes fructus dare illi, qui beneficio inſervit. Hi tenentur Officium recitare, quia ex una parte beneficii poſſeſſionem habent; & ex alia non percipiunt fructus propter culpam, quæ directe illorum perceptionem excludit: *Leſſ. de Juſt. l. 2. c. 34. num. 168.*

Duo ſuperſunt examinanda. Primum, an teneatur Divinum Officium recitare Beneficiarius, ſi conſuetudo e.g. ſit, quod primo anno nullos percipiat fructus, ſed in aliquem alium uſum applicentur. Secundum, an eamdem obligationem habeat, qui fructus ita exiguos a ſuo Beneficio percipit, ut non ſufficiant ad bonam partem ſuſtentationis.

Ad primum videtur omnino affirmative reſpondendum, quia ſciens, & volens tale Beneficium recepit; unde cum voluntarie ſe ſubjecerit fructuum privationi, non videtur eſſe immunis ab obligatione Divinum Officium recitandi. Deinde vel tales fructus applicantur Fabricæ, & ita perſolvunt, quod in ſequentibus perſolvere deberent. Vel pro Beneficiario poſt ejus mortem ſunt expendendi, & tunc non poteſt dici fructus non lucrari. Vel denique diſtribuuntur inter alios Præbendatos; & cum debeat ipſe poſtea percipere fructus Beneficiariorum ingredientium, datur compenſatio fructuum, quos primo anno amittit: *Garz. de Benef. p. 3. c. 1. n. 62. Laym. l. 4. tr. 2. cap. 4. num. 5. Bonac. de Hor. Can. d. 2. q. 2. p. 4. n. 21. Leſſ. de Juſt. l. 2. c. 34. dub. 31. nu. 170.*

Ad ſecundum multi reſpondent negative, tum quia Beneficium tenue reputatur quaſi non eſſet beneficium: *cap. tis, cui 19. de Præb. in 6.* tum quia Beneficiarius non obligatur ratione ordinationis, ſed ratione mercedis, quam obtinet ab Eccleſia, unde ſi Eccleſia illum non ſuſtentet, nec videtur velle illi imponere grave onus Officium recitandi. Verum iſtæ rationes non ſatis convincunt; nam jura imponunt Beneficiario onus recitandi, non diſtinguendo inter Beneficium pingue, & tenue, ut videre eſt ex juribus initio hujus capitis citatis; qui ergo accipit Beneficium quamvis tenue, intelligitur & acceptare onus illi annexum, quamvis non recipiat mercedem ipſi oneri correſpondentem. Ita qui nomen dedit militiæ propter exiguum ſtipendium, non proinde eximitur a gravibus militiæ laboribus; & qui ducit uxorem exigua dote contentus, non proinde eximitur a gravi onere illam ſuſtentandi. Et ratio omnium eſt, quia cum talia onera voluntarie ſuſcipiant, cedunt juri, quod haberent ad majorem mercedem. Accedit, dici non poſſe habentem Beneficium tenue non accipere ab Eccleſia compenſationem correſpondentem oneri recitationis. Sicut enim in Sacris ordinatus obligatur ab Eccleſia ad recitandum Divinum Officium, quia compenſatur tale onus exemptionibus, honoribus, & privilegiis ipſi conceſſis, multo magis tenebitur Beneficiarius, qui ulterius aliquos fructus ratione beneficii percipit: *Suar. de Relig. t. 2. l. 4. c. 21. n. 3. Garz. de Benef. 3. p. c. 1. nu. 30. Laym. l. 4. tr. 2. cap. 5. n. 4. Barboſ. in c. Dolentes n. 4. de celebr. Miſſ.*

Illud ſolum concederem, non teneri nempe ad recitandum D. Officium illum Beneficiarium, qui licet aliquos fructus ex beneficio recipit, illos tamen omnes inſumit in ſatisfaciendo oneribus Beneficii, nam Beneficium non cenſetur valere ſuo poſſeſſori, niſi quoad id, quod ſupereſt Beneficiario, deductis expenſis: *Leſſ. de Juſt l. 2. cap. 34. n. 172.* Si proinde nulli ſuperſint fructus, deductis oneribus, perinde eſt ac ſi Beneficiarius Beneficium non haberet. Id tamen puto non valere reſpectu illius, qui ex reſignatione acciperet titulum, & adminiſtrationem Beneficii cum onere reddendi omnes fructus in penſionem reſignati. Ratio eſt, quia eo ipſo, quod iſte adminiſtrationem Beneficii accipiat, videtur acceptare etiam omnia onera illi annexa, & cedere debito ſtipendio; ſicuti ſine eo adminiſtrationem ſuſcepit. Alias ſequeretur Eccleſiam debito obſequio fraudari; nam neque ipſe D. Officium recitaret, neque Penſionarius; cum iſte ſolummodo teneretur ad Officium parvum B. Virginis. Secus dicendum, ſi ſolummodo beneficii titulum acciperet, relictis penſionario fructibus, & adminiſtratione, ſicut patet ex ſupradictis: *Suar. cit. c. 20. nu. 2. Garz. cit. n. 54. Barboſ. n. 9. Bonac. d. 1. q. 2. p. 4. n. 22.*

Q. IV. Quot peccata committat Beneficiarius omittens D. Officium; & ad quam reſtitutionem teneatur.

R. I. Beneficiarius omittens Divinum Officium, quamvis in Sacris conſtitutus, unicum tantum grave peccatum committit, nam ſicuti Eccleſia ex motivo Religionis imponit conſtituto in Ordine Sacro recitationem D. Officii, ita & Beneficiario, ſuppoſito titulo Beneficii: non multiplicantur autem peccata ratione plurium præceptorum aliquid præſtandi, ſi ſub diverſis motivis non præcipiatur, ut dixi *tr. 2. q. 1. c. 2. quæſt. 1.* Ita quamvis Sacerdos religioſus omitteret Divinum Officium, unum tantum committeret peccatum quamvis ad illud teneatur, & quia Sacerdos, & quia Religioſus. Si vero talis Beneficiarius vellet fructus beneficii retinere, tunc aliud peccatum contra juſtitiam committeret: & in hoc ſenſu datur Beneficium propter officium, ut qui nempe onus non adimplet, non faciat fructus ſuos: *Garz. de benef. t. 1. p. 3. c. 1. n. 125. Azor. 2. p. l. 4. c. 3. q. 6. Anton. a Sp. S. tr. 3. c. 6. nu. 1644.* Neque excuſatur a gravi culpa Beneficiarius omittens D. Officium cum intentione fructus reſtituendi; nam datur per ſe obligatio, qua tenentur Beneficiarii D. Officium perſolvere, eaque primario voluit Eccleſia, ut Beneficiarii omnes cultum Deo exhiberent D. Officii recitatione. Hæc fuit primaria obligatio independens ab onere reſtitutionis, quam poſtea Concilium Lateranenſe, & S. Pius V. impoſuit non recitantibus.

R. II. Quamvis Beneficiarius peccet mortaliter omittens D. Officium primis ſex menſibus, nunc tamen ad reſtitutionem non tenetur. Si vero poſt præfatos ſex menſes officium non recitet, ita reſtituere tenetur. Si omittat totum Officium, reſtituere tenetur fructus omnium Beneficiorum, quæ habet correſpondente illi diei, quo Officium omittit. Si Matutinum cum laudibus omittat, debet reſtituere dimidiam partem fructus diei; & idem ſi alias Horas omittat, recitato Matutino, & laudibus. Si vero unam ex ſingulis horis omittat, ſextam partem reſtituere tenetur. Ita S. Pius V. in ſua Conſtitutione ab initio citata. Quia tamen ibi excuſantur a reſtitutione omnes habentes legitimum impedimentum, ideo nihil reſtituere tenetur, qui Officium vel in totum, vel in partem omitteret ex infirmitate, oblivione, & quocumque alio legitimo impedimento, & de facto æquum non eſſet ut reſtitutione gravaretur qui ſine gravi culpa D. Officium omitteret: *Suar. de Hor. Canon. lib. 4. cap. 30. num. 17. Leſſ. de Juſt. lib. 2. cap. 34. num. 181. & 184. Bonac. de Hor. Can. diſp. 1. qu. 1. p. 2. n. 24.* Nunquam tamen adhæſi iis, qui excuſant a reſtitutione Beneficiarium una, vel altera die omittentem Officium; ſicut enim, inquiunt, Dominus temporalis nullam exigit reſtitutionem a famulo, qui una, aut altera die ceſſat a debito obſequio, ita dicendum videtur de benigna Matre S. Eccleſia reſpectu præfati Beneficiarii. Verum omnino rejicienda iſta ſententia; cum S. Pius V. in ſua Conſtitutione 138. obliget ad reſtitutionem, *qui Horas Canonicas, uno, vel pluribus diebus intermiſerit.* Sicut ergo teneretur ad reſtitutionem Servus, cui Dominus expreſſiſſet velle non acquirere ſtipendium, ſi vel una die a ſervitio ceſſaret, ita dicendum in caſu noſtro. Accedit S. Matrem Eccleſiam ſuam benignitatem oſtendere remittendo reſtitutionem fructuum primis ſex menſibus, & concedendo Beneficiariis multas exemptiones, & privilegia: *Suar. cit. n. 9. Bon. q. 5. a. 2. & 8. Azor. part. 1. l. 10. c. 14. q. 7.*

Duo tamen hic obſervanda ſunt. Primum, portionem fructuum correſpondentem recitationi unius diei tam exiguam eſſe poſſe, ut non ſit obligatio ſub mortali reſtituendi. Secundum, quod licet omittens notabilem partem unius horæ juxta probabiliorem ſententiam reſtituere teneatur, ac ſi totam Horam omiſiſſet, ſicuti dicitur omiſiſſe Miſſam, qui notabilem ejus partem omittit; nihilominus qui in ſingulis Horis levem partem omitteret, quamvis graviter peccaret nil reſtituere teneretur, quia non verificaretur aliquam Horam omiſiſſe, in quo ſolum caſu S. Pius V. impoſuit onus reſtituendi. *Filiuc. c. 10. quæſ. 7.*

R. III. Non deſunt DD. qui velint Beneficiarium, habentem alia onera, ſi non recitet, reſtituere debere omnes fructus Beneficii illi diei correſpondentes, cum S. Pius V. nulla facta diſtinctione inter ſimplex beneficium, non habens aliud onus niſi recitationis D. Officii, & beneficia habentia etiam alia onera, univerſaliter dicat, non recitantem non facere *ſuos fructus Beneficii, vel Beneficiorum.* At fatendum eſt congruum eſſe æquitati, ita explicandam eſſe mentem Pontificis, ut velit Beneficiarium reſtituere debere

omnes fructus recitationi correſpondentes, non vero aliis oneribus, durum enim eſſet eamdem imponere obligationem Beneficio plura onera habenti, ac ſimplici Beneficiatio, non aliud habens onus, niſi Divinum officium recitandi. Hinc Epiſcopum, vel Parochum non recitantem dicunt debere reſtituere quartam, vel quintam partem; Canonicum qui reſidere debet, & Choro aſſiſtere, tertiam, vel quartam partem; Capellanum, val Beneficiarium habentem alia onera præter recitationem, tertiam partem; ſimplicem Beneficiarium non habentem niſi onus recitandi, omnes fructus. Ita pariter tenentur præfati omnes fructus beneficii ſimplicis reſtituere, ſi præter Beneficium alia onera habens, hujuſmodi etiam ſimplex Beneficium obtineant: *Sanch. Conſ. tom. 1. l. 2. cap. 2. dub. 8. numer. 3. Salmant. tract. 16. cap. 2. pag. 4. a numer. 58.* aliique apud ipſos.

Q. IV. An reſtituere teneatur Beneficiarius recitans D. Officium voluntarie diſtractus.

R. Omnes quidem conveniunt, quod ſi Beneficiarius ſaltem externe devote Officium non recitet, ad reſtitutionem teneatur; nam tunc nullo pacto ſatisfacit obligationis recitationis ipſi injunctæ ab Eccleſia. At ſi externe devote recitet, multi excuſant ab onere reſtituendi, quamvis ſit voluntarie diſtractus; cum dicant, præceptum reſtitutionis impoſitum eſſe præciſe non recitantibus, non vero diſtracte recitantibus: *Tolet. lib. 2. cap. 12. num. 16. Laym. lib. 4. tract. 1. cap. 5. n. 10.* Ego vero numquam ſatis acquieſcere potui huic opinioni: nam ut dicam capite ſequenti, Eccleſia dum impoſuit recitationem D. Officii, impoſuit recitationem, quæ non fieret animo voluntarie diſtracto, cum autem voluit Beneficiarium non recitantem non facere fructus ſuos, videtur intellexiſſe de non recitante eo modo, quo illa præſcripſit: *Leſſ. de Juſt. lib. 2. cap. 37. dub. 21. numer. 67. Garzias de Benefic. pag. 3. cap. 1. numer. 186. Bonac. diſp. 1. quæſt. 5. pag. 2. num. 17.*

Major difficultas eſſe poteſt quoad Beneficiarium Choro intereſſentem, & externe devote recitantem, ſed mente omnino voluntarie diſtractum. Quamplures huic diſtributiones concedunt, cum illa externa devota aſſiſtentia videatur ſatis Choro deſervire. Verum ego, iterum dico, non ſatis percipere poſſum, mentem eſſe Eccleſiæ hujuſmodi Beneficiarium ſuo munere ſatisfacere, cum illa recitatio facta ſine neceſſaria attentione, vera Deo diſpliceat: cum proinde videatur omnino dicendum, Eccleſiam imponere recitationem Deo gratam, conſequens eſt hujuſmodi Beneficiarium non ſatisfacere obligationi ab Eccleſia ſibi impoſitæ, adeoque non facere ſuos fructus ſive diſtributiones: *Navarr. cap. 13. num. 15. Bonac. de Hor. Canonic. diſp. 1. q. 3. part. 2. §. 2. n. 10.*

Q. IV. An Beneficiarius expectare debeat ſententiam Judicis antequam reſtituat; vel an ſatisfecerit huic obligationi per alias elemoſynas ab ipſo factas.

R. I. Ad faciendam præfatam reſtitutionem non eſt expectanda Judicis ſententia, quapropter Alexander VII. ſub n. 20. ſequentem damnavit propoſitionem: *Reſtitutio a Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit pœna.* Scribentes in præfatam propoſitionem duplici fundamento demonſtrant ipſius falſitatem. Primum eſt, quia lex, quæ præſcribitur, Beneficiarium non facere fructus ſuos, non eſt mere pœnalis, ſed etiam conditionalis, quatenus non vult fructus Beneficiario conferri, ſi Horas omittat. Sicut ergo legatum ſub conditione relictum non acquiritur, niſi adimpleta conditione, ita nec acquiruntur fructus Beneficii, niſi adimpleta conditione recitationis Divini Officii. Secundum eſt, quia etiam pœna exigens hominis actionem a reo per ſeipſum perſolvenda eſt, ſi difficillima non ſit, non expectata Judicis ſententia, quoties velit Legislator, illam incurri, ea non expectata. Id autem in caſu noſtro verificatur; nam cum tam Concilium Lateranenſe, quam S. Pius V. dicant, injuſte fructus retineri poſt omiſſam recitationem, ſatis explicant abſque alia ſententia velle eſſe reſtituendos: *Viv. in propr. XX. ex damnatis ob Alexandro VII.*

R. II. Idem Alexander VII. ſub numero 33. ſequentem damnavit propoſitionem: *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum, ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerat.* Et quidem imperceptibile eſt per eleemoſynam, quæ jam tranſierat in abſolutum dominium pauperis, ſatisfieri poſſe obligationi poſtea contractæ; cum etenim dum facta eſt eleemoſyna, nulla adfuerit obligatio, neceſſe eſt dicere omnino liberalem fuiſſe, adeoque nullum debitum potuiſſe extinguere. Quod ſi fiat eleemoſyna poſt contractam obligationem reſtitutionis, tunc dici probabiliter poſſet per talem eleemoſynam talem obligationem extingui, cum donans immemor debiti ſaltem implicite cenſeatur velle ſuis oneribus ſatisfacere. De hac re tamen item redibit ſermo in Tractatu de Juſtitia, & Jure.

An vero ſe eximat ob obligatione reſtituendi ille, qui die ſequenti etiam officium die præcedenti omiſſum recitat, eſt in controverſia apud DD. nec deſunt qui partem affirmativam defendant. Ego vero negativæ omnino adhærerem opinioni; nam Concilium Lateranenſe, & S. Pius V. volunt Beneficiarium omittentem D. Officium non facere fructus ſuos pro rata temporis, quo illud omittit. Statim ergo ac una die D. Officium omiſit, deperdidit fructus illi diei correſpondentes; neque poteſt dici illos iterum acquirere, ſi die ſequenti recitet Officium omiſſum; nam Eccleſia intendit Beneficiatium fructus acquirere, ſi recitet, quando illa præcipit recitationem, non vero ſi ex ſuo libito. Unde non valet in præſenti paritas de illo, qui differt in diem ſequentem Miſſam, quæ diei præcedenti erat alligata. Non tenetur hic utique reſtituere eleemoſynam pro ea Miſſa acceptam, quia non præſumitur dantem eleemoſynam velle ut ſibi reſtituatur per hoc quod Miſſa in diem ſequentem fuerit dilata. At ſicut talis eleemoſyna eſſet reſtituenda, ſi illam dans expreſſe dixiſſet velle ſibi reſtitui, ſi tali die Miſſa non fuerit celebrata, ita videtur dicendum in caſu noſtro; cum non poſſim credere mentem eſſe Eccleſiæ, ut iterum acquirantur fructus jam deperditi per recitationem, quæ non imponitur ab Eccleſia quia fructus correſpondent recitationi ab ea præſcriptæ; *Peliz. tr. 9. c. 8 n. 221. Dian. 2. p. t. 12. reſol. 24.*

Q. VII. Quibus facienda ſit præfata reſtitutio; & quomodo fieri poſſit.

R. I. Præfata reſtitutio fieri poteſt Fabricæ Eccleſiæ, in qua eſt Beneficium, ut dicitur in Bulla S. Pii V. adeoque facienda non eſt Fabricæ alterius Eccleſiæ. Poteſt etiam Beneficiarius impendere fructus, quos reſtituere tenetur in reparanda domo Beneficii, vel in præſtando alia, quæ ipſi Beneficio utilia ſint: *Suar. de relig. t. 2. l. 4. cap. 30. n. 19. Palaus tr. 7. diſp. 2. p. 7. Bonac. de Hor. Can. d. 1. q. 5. p. 4. n. 2.* Secundo, poteſt reſtituere dando fructus deperditos quibuſvis pauperibus, adeoque & ſuis conſanguineis, vel etiam ſibimetipſi, ſi vere ſecundum ſuum ſtatum ſit pauper; cum vere tunc veniat nomine pauperum, quibus fieri poteſt reſtitutio. Quia tamen tunc ſibi applicaret fructus deperditos nomine S. Pontificis, qui præſcribit eos vel Fabricæ, vel pauperibus eſſe reſtituendos; ideo non poſſet ſibi, vel ſuis, etiamſi pauperes eſſent, applicare, quoties prætermitteret Horas Canonicas cum hac intentione quod fructus ſibi, vel ſuis applicabit; nam tunc non poteſt præſumi velle Pontificem, ut ſibi, vel ſuis applicentur: *Tolet. l. 2. cap. 12. n. 5. Bonac. cit. nu. 9.* Idem dicunt communiter DD. ſi extet ſpeciale ſtatutum, aut conſuetudo, ut tales fructus alicui particulari neceſſitati applicentur; nam non præſumitur Pontificem has leges, vel conſuetudinem tollere voluiſſe.

R. II. Hæc reſtitutio ex dictis fieri poteſt primo actualiter, quando fructus deperditos vel Fabricæ, vel pauperibus. Secundo, illos applicando in quolibet pio opere, nam iſtud etiam ſub nomine pauperum intelligunt DD. Veniunt etiam ſub eorum nomine animæ Purgatorii, nam vere pauperes ſunt, unde non ſolum dari poſſunt in eleemoſynam pro ipſis, ſed etiam ut pro eis aliqua fiant ſuffragia. Sicut autem Beneficiarius ſatisfaceret dando aliis fructus deperditos, ut recitarent e. g. Officium Defunctorum, aliaſque orationes pro animabus Purgatorii, ita & poterit pro ſe retinere, ſi eadem perſolvat ſuffragia. Hac ratione non refragaret, quin recitando officium omiſſum pro animabus Purgatorii, excuſaretur a fructuum reſtitutione: *Palaus tr. 7. d. 2. p. 7. n. 12. Reginald. in prax. l. 32. ſect. 4. n. 45. Bonac. de Hor. Can. diſp. 1. q. 5. pag 4. n. 4.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Accidere poteſt in praxi, ut propter aliquod infortunium,

ſtium, vel propter expenſas neceſſario ratione beneficii faciendas, aliquis Beneficiatus in aliquo anno nullum emolumentum ab eodem beneficio obtineat. Ratio tunc Confeſſarius ab Officii recitatione illum excuſat, propter ignorantiam eorum, quæ capite ſuperiori dicta ſunt. Sciat proinde illum non teneri ad recitationem D. Officii ſi non ſit in ſacris conſtitutus, adeoque caveat, ne ob ſuam ignorantiam, Beneficiarii conſcientiam illaqueet.

II. Animadvertat deinde Confeſſarius ex Conſtitutione S. Pii V. etiam Penſionarium non recitantem Officium B. Virginis ad reſtitutionem teneri pro rata temporis quo illud omittit. Ex ignorantia hujus obligationis quidam Penſionarii nimis indulgentes ſæcularibus oblectamentis, & Officium B. Virginis omittunt, ſimulque reſtitutionem. Moneat ergo illos Confeſſarius & de peccato ob Officium omiſſum, & de reſtitutione facienda.

III. Quia etiam Confeſſarius a nimio rigore debet abſtinere, dum audit Parochum, Beneficiatum Choro addictum, vel habentem alia onera, præter D. Officii recitationem, Officium omiſiſſe, non ſtatim intonet ſub gravi teneri ad reſtitutionem. Facillime accidet, tertiam, aut quartam partem fructuum, quam pro Officio aliqua die omiſſo reſtituere tenetur, ita eſſe exiguam, ut non capax ſit gravis obligationis. Idem dicendum reſpectu illius, qui teneretur reſtituere omnes fructus correſpondentes tempori omiſſionis Officii, ſi portio illi correſpondens pro ſua pravitate gravis obligationis non ſit capax.

IV. Tandem conſideret Confeſſarius, quam perperam ſibi blandiantur illi indevoti Parochi, & Beneficiarii, qui ita recitant D. Officium, ut nec externe appareat aliqua religioſa recitatio; & ita evenit reſpectu illorum, qui illud recitant in loco, ubi neceſſario aliorum collocutionibus, vel occupationibus diſtrahuntur. Ultraquamquod iſti peccant propter defectum attentionis, de qua capite ſequenti, tenentur ex communi ſententia ad reſtitutionem, quia neque externe, ut par eſt, Officium recitant. Videat etiam ne nimis facile abſolvat a reſtitutione Beneficiarium, qui exterae tantum aliqua devotione recitat, ſed voluntarie diſtractus; nam plures DD. merito dicunt opinionem illis faventem ſibi diſplicere.

CAPUT V.

De iis, quæ ſervanda ſunt, ut D. Officium rite perſolvatur.

Q. I. AN D. Officium ſit pronunciandum; & quomodo.

R. I. Cum Eccleſia non præcipiat actus mere internos, immo cum expreſſe præcipiat vocalem Officii recitationem, hinc eſt hujuſmodi recitationi non ſatisfieri per mentalem recitationem. *Sanch. Conſ. t. 2. l. 7. c. 2. d. 8. a. 3. Tambur. de Jur. Abb. t. 2. diſp. 10. q. 9. n. 1.*

R. II. Recitatio primo talis debet eſſe, ut ſaltem ab eodem recitante poſſit audiri. Scio, multos huic refragari opinioni, at videtur eidem ratio manifeſte ſuffragari, etenim iſta recitatio debet eſſe oratio vocalis *ex cap. 1. & c. dolentes de celebr. Miſſ.* de ratione autem orationis vocalis eſt, quod ſit ab aliquo ſenſibilis, alias poſſet ſolo corde fieri, adeoque debet ſaltem poſſe ab ipſo recitante audiri. Si proinde quis expoſcat, ubi detur hoc præceptum, ut recitatio debeat ſaltem percipi ab ipſo recitante, reſpondendum eſt contineri in præcepto de recitatione vocaliter facienda: *Reginald. in prax. l. 18. n. 74. Filiuc. tr. 23. cap. 3. n. 117. & cap. 7. qu. 8. & alii apud Dianam p. 6. tr. 7. reſol. 10.* Dixi, ut ſaltem ab eodem recitante poſſit audiri? nam non eſt neceſſe, ut audiat ſeipſum, ſi e. g. ſit ſurdaſter, ſi adſit magnus ſtrepitus, vel ſi non advertat ad ſenſibilem recitationem, quia e. g. mente totus eſt in Deum, vel etiam, quia eſt involuntarie diſtractus. Ratio eſt, quia in his & ſimilibus caſibus non poteſt eſſe mens Eccleſiæ præcipientis vocalem recitationem, ut actu audiat ſeipſum.

Secundo, ita recitandum eſt Divinum Officium, ut notabiliter verba non truncentur, vel ſincopentur. Scio non deeſſe, qui velint ſatisfieri præcepto de recitandis Horis Canonicis, quamvis verba truncentur, & notabiliter ſincopentur, ſi verborum ſenſus aliquo modo retineatur. Verum, ſi non excuſet inadvertentia, vel linguæ impedimentum, non excuſarem a peccato gravi ſincopationem, & truncationem verborum in notabili quantitate. Ratio mihi efficaciſſima eſt, quia dum Eccleſia præcepit hanc recitationem per modum orationis vocalis, dicendum eſt voluiſſe, ut pronuncientur omnia, quæ pertinent ad talem orationem; ac proinde notabiliter voluntarie deficere in pronunciandis omnibus, quæ ad eam pertinent, erit deficere in materia gravi.

Q. II. An Officium poſſit interrumpi.

R. Non eſt dubium poſſe Matutinum a Laudibus ſeparari, & ita in primitiva Eccleſia Matutinum canebatur in tribus vigiliis noctis, & Laudes in quarta: *Sanch. t. 2. conſil. l. 7. c. 2. n. 20. Filiuc. tr. 23. c. 9. n. 235.* Quando autem Matutinum a Laudibus ſeparatur, non eſt neceſſe illum terminare oratione diei, niſi in nocte natalis Domini, propter ſpecialem rubricam. Item conſuetudo erat in primitiva Eccleſia, ut Nocturna ſepararentur, quod demonſtrat non fuiſſe ab Eccleſia ita connexa, ut non poſſint diviſim recitari: *Bonac. de Hor. Canon. diſp. 1. q. 3. p. 3. n. 13.*

Aliæ Divini Officii partes, ſi ſeparentur ſine cauſa, erit peccatum veniale; nam eſt quædam erga Deum irreverentia interrumpere orationem, quam Eccleſia per modum unius inſtituit, uti ſe habet quodlibet Nocturnum, & quælibet Hora, adeoque & erit aliqua inobedientia eidem Eccleſiæ. Communiter tamen docent non eſſe grave peccatum etiam per tempus notabile omittere pſalmum in medio; nam quilibet verſiculus habet ſuam completam ſignificationem, ſicut etiam quælibet pars Lectionis ita continet moralem inſtructionem, vel S. Hiſtoriam, ut commode poſſit etiam poſt aliquod tempus ſuppleri quod omiſſum eſt. Non ergo in his interruptionibus; etiam ſine cauſa factis, gravis indecentia reperitur, ſemper cum habetur intentio integre poſtea ſatisfaciendi Horis Canonicis, & re vera poſtea ſatisfit: *Sanch. t. 2. conſil. l. 7. cap. 2. dub. 19. Laym. l. 4. tr. 1. c. 1. n. 6. Palaus tr. 7. diſp. 2. p. 3. n. 3. Bonac. diſp. 1. q. 3. p. 2. §. 1. n. 27.* Nullum autem erit peccatum præfata interruptio, ſi aliqua juſta cauſa intercedat qualis eſſet dicere Miſſam, audire concionem, obedire Superiori, vel aliquid facere ſibi, aut proximo neceſſarium, ſeu utile, ut docent communiter DD.

Q. III. Quo ordine recitandæ ſint Horæ Canonicæ.

R. Ordo, quo recitandum eſt Divinum Officium, appareat ex Breviario. Si abſque cauſa invertatur, erit peccatum veniale; quia irrationabiliter mutatur quod præſcripſit Eccleſia. At talis inverſio, quæcumque illa ſit, excuſatur a peccato mortali; nam cum quælibet pars Officii habeat ſuam ſignificationem independenter ab alia, & potius unum quid ſiut per aggregationem, quam per continuationem, non elucet gravis indecentia, & irreverentia per hoc, quod ordo invertatur. Ita non peccaret graviter, qui, ſecluſo contemptu, etiam ſine cauſa Lectiones ante Matutinum recitaret, Laudes ante Matutinum, unum pſalmum ante alium, præces ante Pſalmos, inchoaret Matutinum diei ſequentis, antequam Officium antecedentis fuerit abſolutum &c. Hujuſmodi autem ordinem cum cauſa invertere nullum eſt peccatum; nam tunc motivum rationabile aufert omnem indecentiam; quæ in tali inverſione poteſt apparere; *Suar. t. 2. de relig. l. 4. c. 24. a n. 3. Leſſ. de Juſt. l. 2. c. 37. dub. 12. n. 80. Palaus tr. 7. diſp. 2. p. 3. n. 4. Anton. a Sp. S. in direct. tr. 3. diſp. 6. nu. 1621.*

Q. IV. Quo loco, & tempore perſolvendum ſit Divinum Officium.

R. I. Officium privatum ubique poteſt recitari, & quamvis non pauci dicant, nullum eſſe peccatum, illud etiam in latrinis recitare, ego tamen ſemper id diſſuaderem. Communiter autem DD. docent recitare ſtando, quando flectendum eſt, vel ſedendo, quando ſtandum eſt, nullum eſſe peccatum, ſecluſo contemptu, quia id non præcipitur, ſed ſuadetur ad majorem devotionem.

R. II. Cum divinum Officium ſingulis diebus ſit recitandum *c. 1. de celebr. Miſſ.* & cum dies ex uſu Eccleſiæ incipiat a media noctæ, & duret uſque ad mediam noctem ſubſequentem, ſequitur obligationem recitandi officii eſſe a puncto mediæ noctis diei antecedentis uſque ad punctum mediæ noctis diei ſubſequentis: *Azor. Inſtit. Moral. l. 10. c. 9. q. Gavant. t. 2. Theſaur. ſect. 1. cap. 5. tit. 6. n. 2.* Aliqui dicunt ſatisfacere præcepto recitandi Horas Canonicas, qui incipit illas recitare paulo ante mediam noctem diei ſequentis, quamvis poſtea poſt mediam noctem completam proſequatur; cum etenim omnes ſeptem horæ ſint unica, & individua oratio eodem præcepto impoſita, ſateſt ſi tempore debito incipiatur; ut dicatur rite fieri, quamvis tempore ſequenti proſequatur. Hæc nihilominus opinio non ſatis probabilis apparet, nam actus tribuitur tempori, quo perficitur; atque ideo

docent

docent Juriſperiti, teſtamento ante mediam noctem inchoato, & poſt mediam noctem completo, diem ſequentem eſſe adjiciendum: *Bald. in leg. ſi quis ff. de vulg. & pup.* Hinc ſi quis aliquam partem officii recitet poſt mediam noctem diei ſequentis, nunquam dicetur ſatisfeciſſe obligationi diei antecedentis. Docent proinde paſſim DD. quod ſi aliqua Hora non fuerit recitata in puncto mediæ noctis, non ſatisfit præcepto, ſi elapſa media nocte recitetur: *D. Anton. 2. p. tit. 13. l. 4. §. 4. Navar. in Manual. c. 25. n. 97. Trull. in Decal. l. 1. c. 7. dub. 18. n. 8.* Quod & alia ratione probatur, quia Eccleſia obligationem recitandi Horas Canonicas affixit diei, unde eo elapſo, non eſt amplius locus obligationi ſatisfaciendi. Neque hic habet locum paritas, quæ aſſeritur pro contraria ſententia, de Sacerdote inchoante Miſſam ante meridiem, & poſt meridiem illam proſequente; nam hora celebrandi Miſſam ab Aurora uſque ad meridiem juxta rubricas Miſſalis, eſt moraliter accipienda, adeoque latitudinem admittit. At obligatio recitandi Officium eſt quotidiana, adeoque incipit a puncto mediæ noctis hodiernæ, & definit in puncto mediæ noctis craſtinæ.

Quoad recitationem autem Matutini, conſuetudo invaluit, ut poſſit die præcedenti anticipari. Omiſſis autem tot diverſis opinionibus quoad horam, qua die antecedenti recitari poteſt, mihi valde probabilis eſt ea opinio, quæ affirmat recitari poſſe hora, qua primæ Veſperæ dicuntur. Ratio eſt, quia tunc incipit dies feſtivus craſtinus, adeoque recitari poterit Matutinum cum laudibus talis diei. Præterea nullum inconveniens eſt, ſi dum jam incœpta eſt craſtina dies feſta, anticipetur Matutinum illius diei: *Sanch. conſil. t. 2. l. 7. c. 3. dub. 27. n. 3. Anton. a Sp. S. in Direct. tr. 3. diſp. 6. n. 1641.* Nullatenus tamen adhæro iis, qui ob præfatam rationem dicunt ex tunc poſſe totum officium anticipari. Ratio eſt, quia anticipatio Matutini cum laudibus fundatur in conſuetudine, quæ rationabilis reddita eſt ob jam incœptum diem feſtum ſequentem; at nulla conſuetudo eſt, ut cæteræ horæ anticipentur, adeoque perſolvendæ ſunt intra diem Eccleſiaſticum, ut ab initio notatum eſt.

An vero ſit peccatum hujuſmodi Horas omnino extra tempus conveniens, quamvis intra diei latitudinem, recitare, omnino contra aliquos dicendum eſt eſſe peccatum veniale. Quis enim non videat aliquam indecentiam eſſe notabiliter ordinem ab Eccleſia præſcriptum pervertere? ut ſi e. g. a puncto mediæ noctis omne officium recitetur; ſi Veſperæ & Completorium in mane, ſeu Prima, aliæque Horæ Veſpere recitentur? quæcumque autem rationabilis cauſa a tali peccato excuſabit, ut ſi non recitentur tempore debito ob majorem ſtudendi commoditatem, ob majorem devotionem, ob ſuperveniutum negotium &c.: *Sanch. l. 7. Conſil. c. 2. dub. 36. n. 4. Azor. p. p. l. 10. c. 9. q. 8. Leſſ. l. 2. c. 37. n. 78. Anton. a Sp. S. tr. 3. diſp. 6. n. 1621. & 1637.*

Q. V. Qua integritate D. Officium ſit perſolvendum; & quod peccatum ſit illud non integre recitare.

R. I. Unuſquiſque obligatus ad Horas Canonicas debet eas ſingulis diebus integre recitare, ita enim præſcribunt S. Canones ſuperius citati, & Bulla S. Pii V., quæ apponi ſolet initio Breviarii. Cum autem unicuique diei correſpondeat ſuum Officium ſpecialiter recitandum, ut conſtat ex Breviario, non poteſt unico Officio duplici ſatisfieri præcepto; unde damnata fuit ab Alexandro VII. illa propoſitio: *Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti & craſtino.* Item cum iſta obligatio ſit perſonalis, ut conſtat etiam ex *Tridentin. ſeſſ. 24. c. 12.*, non poteſt illi per alium ſatisfieri; adeoque idem Pontifex ſequentem damnavit propoſitionem: *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.* Nec refert ex titulo ſtudii Beneficiarium a reſidentia poſſe excuſari; nam ſtudium, & reſidentia ſunt incompoſſibilia, non vero ſtudium, & Divini Officii recitatio.

Ita etiam aliqui interpretabantur obligationem Horas Canonicas integre recitandi, ut qui non poſſet majorem partem recitare, ad minorem non teneretur. Sed hanc doctrinam proſcripſit Innocentius XI. damnando ſub numero 54. ſequentem propoſitionem: *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars ad ſe trahit minorem.* Ratio etiam demonſtrat illius falſitatem; etenim ſemper cum veroſimile eſt intendere Legiſlatorem partem præcepti eſſe adimplendam, quamvis totum adimpleri non poſſit, illa utique pars eſt adimplenda. In noſtro autem caſu dicendum eſt Eccleſiam velle, ut qui non poteſt totum Officium recitare, ad illius partem teneatur, cum etenim ſingulæ Horæ integram quamdam orationem conſtituant, adeoque poſſint ſeorſim recitari, non eſt cur præſumatur, Eccleſiam diſpenſare ab aliqua horarum recitanda, ſi non poſſint cæteræ recitari; cum unaquæque ſit ab alia diviſibilis. Præterea, quando etiamſi dubium eſſet, an Eccleſia ab ea recitanda eximeret, omnino foret recitanda; nam lex eſt in poſſeſſione: *Suar. tom. 2. de relig. l. 4. c. 28. n. 26. Sanch. l. 1. Sum. c. 19.* Quid autem reſpectu infimi dicendum ſit, capite ſequenti explicabo.

Tunc autem veroſimile eſt, Legiſlatorem non intendere ad partem præcepti obligare, ſi non poſſit totum adimpleri, quando materia præcepti eſt individua, quando ſcilicet pars, quæ poneretur, quia neceſſario pendet ab alia comparte, nil reddit completum. Si proinde præſcriberet jejunium, in ea opinione quod abſtinentia a carnibus ſit de eſſentia jejunii, qui non poſſet ab iis abſtinere, neque abſtinere teneretur a quantitate, quia una pars ab alia dependet in conſtituendo jejunio. Qui teneretur recitare ſeptem pſalmos Pœnitentiales, qui ipſorum partem notabilem non poſſet recitare, nullos recitare teneretur, quia omnes pſalmi ſunt pars ſubſtantialis talis præcepti, & ſi pars notabilis omittatur, deeſt eſſentia præcepti. Idem dicendum, ſi pars major unius Horæ non poſſit recitari, quamvis aliqui velint etiam tunc reliquum ipſius Horæ eſſe recitandum. Illud admitterem, quod ſi quis non poſſit recitare lectiones Matutini, adhuc teneatur ad ipſius pſalmos præſertim Feriæ, & Sancti Simplicis, cum lectiones non reputentur pars ſubſtantialis matutini, nec ex Eccleſiæ inſtitutione conſtent Horam Matutini. E contra qui non poſſet pſalmos, nec teneretur Lectiones recitare. Cæterum cum tam ſingula Nocturna, quam Laudes quam cæteræ Horæ ita præcipiantur ab Eccleſia recitandæ, ut poſſint ſeparari, ut jam dictum eſt, una pars ab alia non dependet in ratione integræ orationis, adeoque nullum eſt fundamentum dicendi Eccleſiam excuſare a recitatione cæterarum Officii partium illum, qui non poteſt majorem partem recitare.

Fundamentum contrariæ ſententiæ, quod ſcilicet major pars trahit ad ſe minorem, apud S. Canones locum habet in electionibus, non vero in materia diviſibiliter præcepta; & ita qui non poteſt majorem Quadrageſimæ partem jejunare, ad minorem tenetur. Neque etiam ſuffragatur tali opinioni illud axioma: *acceſſorium ſequitur naturam principalis*; nam inter alios caſus hoc axioma non verificatur de iis, quæ ſunt inconnexa; adeoque qui deberet Vaccam, & ipſius Vitulum, non eximeretur a dando vitulo, eo quod non poſſet Vaccam. Hic potius attendendum illud axioma: *qui non poteſt ſolvere totum quod debet, tenetur ſolvere totum quod poteſt*, ſi hoc ſit ſeparabile; & ita qui non poteſt ſolvere aureos centum, & poteſt quinquaginta, ad hos ſolvendos tenetur.

R. II. In aſſignanda parvitate materiæ excuſante a gravi culpa illum, qui non integre Officium recitat, valde diſcrepant DD. Non pauci apud *Dianam p. 2. t. 12. reſol. 41.* putant, materiam parvam cenſeri, ſi aliquid minus dimidiæ partis Horæ brevioris omittatur, puta Tertiæ, ſeu quantitas illi æquivalens. Verum non ſine probabili ratione aſſeritur, ſolum eſſe materiam gravem integram Horam omittere, vel quantitatem illi æquivalentem. Et quidem integram Horam omittere non eſt reputanda materia levis; etenim quamvis levis reputari poſſet comparatione ad totum, in ſe tamen non eſt exigui momenti, adeoque ſaltem intenſive gravis materia eſt reputanda. Eo autem ipſo quod materia gravis ſit reputanda, nullum fundamentum habemus dicendi Eccleſiam noluiſſe ad eam ſub gravi obligare: *Sanch. t. 2. Conſil. l. 7. c. 2. dub. 11. num. 2. Leſſ. l. 2. cap. 37. dub. 9. n. 52. Bonac. diſp. 1. q. 5. p. 1. a. 2.*

R. III. Omittens totum Officium unicum peccatum committit. Quidam putarunt, tot committi peccata, quot ſunt Horæ Canonicæ, cum judicaverint quamlibet diverſo præcepto imperari. Verum præcepta non ſunt multiplicanda abſque manifeſta lege, & ratione: in noſtro autem caſu iſta diverſa præcepta non apparent, cum tam *cap. dolentes de celebr. Miſſ.* quam in Bulla S. Pii V. ſimul, & ſimpliciter præcipiatur Officium nocturnum, pariter & diurnum. Neque diverſitatem præceptorum, expoſcit diverſitas Horarum; etenim cum unicum conſtituant Officium, unico præcepto imperari potuerunt: *Sanch. cit. dub. 12. n. 2. Bon. n. 8. Garz. de Beneſic. p. p. c. 1. num. 133. Anton. a Sp. S. tr. 3. diſp. 6. num. 1643.* Verum

tamen

tamen eſt eo gravius futurum peccatum, quo major Officii pars omittitur.

Q. IV. An liceat loco Officii currentis Officium diverſum recitare.

R. S. Pius V. in Bulla poſita initio Breviarii expreſſæ, præcipit, ut recitetur Officium Canonicum juxta formam præſcriptam in ipſo Breviario, adeoque ibi inter alia verba leguntur: *Statuimus quoſcumque, qui tenentur ad Horas Canonicas, teneri ad dicendum ex præſcripto hujus Breviarii, & neminem ex his, niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe.* Si autem præceptum eſt de recitando Officio juxta præſcriptum Breviarii, erit pariter præceptum de quantitate Officii recitandi; dum enim præſcribit tali die recitandum eſſe Officium de Dominica, vel de Sabbato, infimul præſcribit, quæ in iis ſint recitanda: ſicut etiam erit præceptum de qualitate Officii recitandi, nam Breviarium modo præſcribit Officium de Sancto, modo de Feria.

Stante igitur hoc præcepto, quo non ſolum imperatur recitatio Officii in genere, ſed in ſpecie, & in particulari quale Officium ſit recitandum, primo conſtat loco Officii longioris, non poſſe valde brevius ſubrogari, nam tunc omittitur ſaltem notabilis quantitas Officii, quæ eo die a Breviario præſcribebatur, adeoque ejus integra recitatio præcipiebatur. Hinc ab Alexandro VII. ſub numero 34. ſequens damnata fuit propoſitio: *in die Palmarum recitans Officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.* Prætcrea ex *regula 81. juris in 6.*, quæ ſunt ſpeciali nota digna non veniunt in diſpoſitione generali: ac proinde etiamſi valeret illa multorum opinio, quæ dicitur, officium pro officio valere, hoc non intelligendum eſſet de Officiis extraordinariis, ſimulque valde brevioribus Paſchæ, & Pentecoſtes.

At ſi attendatur ratio intrinſeca, ad quid nempe obliget ſupra explicatum præceptum, puto, præfatam opinionem nullatenus poſſe ſuſtineri. Ratio eſt, quia dum S. Pius præcepit Officium celebrandum juxta Breviarium, neceſſe eſt dicere, etiam præcepiſſe, an Officium ſit celebrandum de Sancto, de Feria &c. cum Breviarum horum Officiorum diverſitatem præſcribat; variare ergo Officium eſt hujuſmodi præcepto contraire, Ex quo etiam patet, ruere fundamentum contrariæ opinionis, neque enim verum eſt ſolum præcipi, ut ſeptem Horæ Canonicæ recitentur, & ritum celebrandi hoc vel illud Officium eſſe quid accidentale, & extra præceptum. Authores utriuſque ſententiæ videre eſt apud *Salmant. l. 4. tr. 17. cap. 2. p. 4. n. 18. & 20.*

Fateri tamen primum debeo, quod ſi quis ter, aut quater in anno ritum Officii mutaret, meo videri, non niſi venialiter peccaret, nam talis mutatio reſpectu totius anni, quid parum videtur. Neque hic valet paritas de eo, qui unico die non jejunaret, vel Miſſam non audiret; cum etenim re vera jejunium, & Miſſam omitteret, non poteſt a culpa gravi excuſari. At in caſu noſtro vere Officium recitaret, quod ſuppono non debere eſſe valde brevius currente, & ſolum ritus mutaretur.

Secundo, puto quod qui per inadvertentiam, ſeu errorem Officium non recitandum recitaverit, neque ſub veniali teneatur etiam Officium diei currentis recitare; nam non poteſt præſumi Eccleſiam velle, ut iſte bis Officium Divinum recitet. Si vero advertat, ſe erraſſe poſtquam notabilem Officii partem recitavit, poteſt vel idem Officium finire, vel complere cum Officio, quod illa die erat recitandum. Cæterum quoad illam partem, quam ex errore recitavit, poterit, ſed non tenetur, ſupplere quod eſt proprium Officii illius diei.

Aliqui dicunt, quod qui ex errore non recitavit officium proprium alicujus diei, poteſt altera die illud recitare, ne privet Sanctum jure, ut quotannis de illo recitetur. Verum ego potius conſulerem, ut diebus ſequentibus officia currentia recitaret. quamvis Officium jam dictum deberet repetere; alias enim faciendo, non ſe conformat communi ritui Eccleſiæ, & bis erraret; *Lug. in reſponſ. Moral. l. 5. dub. 8. Trullench. in Decal. l. 1. cap. 7. d. 14. num. 11.*

Tertio, mihi certum eſt, quod qui tenetur in aliqua Eccleſia, veluti ipſius Parochus, Miſſam ſpecialem celebrare, poſſit recitare Officium Miſſæ correſpondens, nam tam ex Bulla S. Pii, quam ex rubrica Miſſalis. Miſſa, & Officium debent concordare. Hinc Capellanus Monialium: qui Miſſam celebrat Conventualem, adeoque debet eam celebrare de Sancto Ordinis, quem Moniales profitentur, poterit & Officium ejuſdem Sancti recitare. Ita pariter Regularis, ſi Eccleſiæ ſæculari præficiatur, in recitando Officio Canonico; ſequi poterit conſuetudinem Eccleſiæ, cui inſervit: *Gloſſ. in cap. dierum de celeb. Miſſ. Reginal. l. 8. n. 169. Suar. de Hor. can. l. 4. c. 23. n. 9. Bonac. d. 1. q. 3. p. 1. n. 6.* eo enim ipſo, quod doceant poſſe Beneficiarium recitare juxta morem Eccleſiæ, in qua reſidet, quamvis in alia habeat Capellaniam, idem dicere debent de Regulari addicto ſervitio Eccleſiæ ſæcularis.

Inquiri etiam hic ſolet, an qui tenetur recitare juxta Breviarium Romanum, ſi illud non habeat, teneatur juxta alterius Breviarii ritum recitare. Et quamvis non deſint, qui partem negativam tueantur, ego tamen omnino affirmativæ adhæreo. Et ratio apud me validiſſima eſt, quia non poteſt præſumi S. Matrem Eccleſiam hunc ab onere Divini Officii abſolvere ex eo, quod recitare non poſſit, niſi ſub diverſo ritu. Ita qui tenetur aliquid ſolvere in aliquibus ſpecialibus monetis, non proinde liberaretur a reſtitutione, ſi eas adinvenire non poſſet, quia in tali caſu præſumitur creditorem velle ſolutionem ſaltem in æquivalenti; *Anton. a S. S. tr. 3. d. 6. n. 2611.* aliique apud ipſum.

Q. VII. Quæ Intentio, & Attentio requirantur in recitatione Divini Officii.

R. I. Quoad intentionem utique non eſt neceſſarium velle præcepto ſatisfacere, ſed ſatis eſt velle rem præceptam adimplere, hæc etenim eſt, quæ præcipitur. Hanc autem habet, qui intendit orare, vel Deum colere, vel etiam ſuo muneri ſatisfacere. Neque opus eſt hanc intentionem eſſe actualem, & expreſſam, ſed ſatis eſt, ſi ſit virtualis, & implicita, quam intelligitur habere qui more ſolito Breviarium aſſumit ad Horas recitandas.

R. II. In perſolvendis Horis Canonicis aliqua requiritur attentio. Ratio eſt, quia Eccleſia præcipit recitationem Divini Officii per modum orationis, hæc autem non datur ſine aliqua attentione; nam potius videtur Deo illudere qui recitat orationem, & ad eam nullatenus attendit. Hac ratione *cap. Dolentes* præcipitur ut Officium Divinum *ſtudioſe, ac devote recitetur*; nempe, ut explicat Gloſſa ſecundum affectum mentis. Fundamentum vero contrariæ ſententiam, quod nempe Eccleſia præcipere non poſſit actus internos, omnino corruit ex dictis *tr. 3. q. 1. cap. 5. quæſt. 2.* nam ibi vidimus poſſe ab ea præcipi omnes actus internos, qui neceſſarii ſunt ad eſſentiam actus externi, qui cadit ſub ipſius juriſdictione, Porro ad eſſentiam orationis neceſſaria eſt aliqua attentio, alias non eſſet ullo pacto elevatio mentis in Deum; & parum a Pſittaci oratione differret: *Sanch. conſ. tom. 2. l. 7. c. 2. dub. 38. num. 9. Filiuc. tr. 23. cap. 3. qu. 2, & cap. 6. q. 3. & c. Bonac. diſp. 1. q. 3. p. 2. §. 2. n. 4.*

Sufficiat autem attentio virtualis ex dictis *tr. 1. & q. 2. cap. 1. quæſt.* 1: Item quamvis attentio ad Deum optima ſit vel etiam ad ſenſum verborum, quamvis ſuperiori imperfectior, ſufficiens nihilominus eſt attentio ad verba, ne quis in eis erret, id enim etiam in Dei cultum, & honorem reſultet: *D. Th. 2. 2. q. 83. a. 13.* Hac ratione putant Salmanticenſes *tr. 16. cap. 3. p. 5. n. 28.* in hac materia penes Theologos ſolum eſſe in verbis diſcrepantiam; nam cum omnes dicant ſaltem neceſſariam eſſe intentionem ponendi rem præceptam, & attentionem ad verba ſaltem exterius devote, & ſtudioſe recitanda, velint, nolint, admittunt neceſſariam eſſe attentionem, quæ de ſe eſt ſufficiens.

Q. VIII. Quæ attendenda ſint, dum Officium cum ſocio recitatur.

R. In recitatione cum ſocio alternatim proferendi ſunt verſus pſalmorum, ita etenim fert Eccleſiæ conſuetudo. Nec poſſunt ita tres recitare pſalmos, ut unuſquiſque illorum ſuum verſiculum dicat, nam id nunquam in uſu fuit in Eccleſia, quæ potius vult ſe aſſimilare illi, quæ ſurſum eſt Hieruſalem, in qua chori Angelici alternatim dicuntur modulare: *Suar. t. 2. de relig. cap. 25. n. 5. Palaus diſp. 2. p. 3. n. 8.* Reſponſoria, Capitula, Antiphonæ, Orationes, & Lectiones, poſſunt ab uno ex ſociis recitari, ita enim etiam in Choro dicuntur. Alter autem ſocius debet ea ſibi facere propria audienda: *Ant. a Sp. S. diſp. 3. ſect. 3. n. 91.* Secundo, ita unuſquiſque debet ſuum verſiculum recitare, ut illum incipiat, poſtquam alter ſuum verſiculum abſolvit. Ratio eſt, quia recitatio alterius ſuccedit loco illius, quam ego facere debebam; unde ſi fiat, quando ego recitare illam non poteram, quia alter aliquid ſui verſiculi pronunciat, dum adhuc ego meum verſiculum non abſolvi, non poteſt loco illius ſuccedere. Hinc damnantur peccati mortalis ille, qui recitando cum ſocio frequenter & in magna quantitate

Digitized by Google

ritate verſuum, incipit antequam ſocius finiat ſuum verſum, ex parvitate autem materiæ erit ſolum peccatum veniale, ſi raro fiat, & ſolſummodo incipiat antequam ſocius ultimam verſus ſyllabam protulerit: *Palaus diſp. 2. p. 3. n. 9. Tamb. l. 2. in Decal. c. 5. §. 3. n.* 8. Tertio, recitans cum ſocio debet illum audire; cum etenim verificari debeat integrum Officium perſolvere, ſicuti partem illius facit ſuam recitando, ita aliam partem ſuam faciet audiendo, & ita in recitatione cum ſocio auditus loco prolationis ſubcogatur: *Palaus diſp. 2. p. 3. n. 8. Bonac. diſp. 1. q. 3. ſ. 1. n.* 11. Id proinde debent valde attendere recitantes Officium in Choro, quamvis ſatis ſit, ſi aliquem audiant alterius partis, quamvis non omnes: *Azor. p. 1. l. 10. c. 6. q. 7. Reginal. in prax. l.* 18. *n.* 158. Quamvis autem contradicat Bordon. *in Conſ. reg. t. 2. reſol.* 77. *n.* 39. ego excuſarem ſurdum, qui tenetur ex propria obligatione Officium dicere in Choro, ſed aliam partem non poteſt audire. Ratio mihi eſt, quia quum id ex ipſius defectu non oriatur, & aliunde teneatur in Choro Officium recitare, non debet præſumi velle S. Eccleſiam, ut bis recitet: *Suar. t. 4. de relig. l. 4. cap. 28. num.* 18. *& alii apud Dianam part. 9. tr. 9. Miſcell. 4. reſol.* 28. Ultimo recitans cum ſocio notet, quod ſi ſocius habeat privilegium dicendi Officium diverſum, poteſt ſe illi accommodare; nam uni ex correlativis conceſſum ad alterum correlativum extenditur: *Portel. in dub. Reg. V. Horæ Canonicæ num.* 8. *Henr. l. 7. c. 30. num.* 8.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Si Pœnitens credat talem debere eſſe recitationem, ut poſſit audire ſeipſum, ſicuti & ego affirmavi, non facilis ſit Confeſſarius in oneranda ipſius conſcientia, ſi timeat ita recitaſſe, ut non audierit ſeipſum; nam ut plurimum id evenit, quia non reflectitur circa ipſam recitationem, & ſi advertiſſet, ſeſe audire potuiſſet; & hoc ſatis eſt;

II. E contra non nimis laxet Confeſſarius habentes in ordine ad illos Pœnitentes, qui indevote recitant Horas Canonicas. Moneat graviter peccare poſſe, quia nimis celeriter recitando turpiter truncat verba. Item quia ex nimia feſtinatione, dum illas recitant cum ſocio, incipiunt fere ſemper ſuum verſiculum, antequam a ſocio ſuus abſolvatur, Item quia non curant attendere vel in Choro, vel extra Chorum ad eam partem, quam Socius recitat. Item quia multoties recitant Divinum Officium in loco, ubi & quæ videntur, & quæ audiuntur, moraliter incompoſſibilia ſunt etiam cum neceſſaria attentione ad ipſa verba. Hos graves defectus facile adinveniet pius Confeſſarius in iis, qui indevote recitant Divinum Officium, adeoque omnino curabit, ut ab iis emendentur.

III. Alios adinveniet Confeſſarius in perſolvendis Horis Canonicis nimis ſcrupuloſos. Si e. g. etiam ex cauſa rationabili interrumpant Matutinum, vel aliquam Horam, iterum ab initio incipiunt, quod non raro ſequitur ob ignorantiam Confeſſarii, & pœnitentis, qui alias nollet onerari iterata recitatione. Alii item ſunt infinite ſcrupulizantes, quia putant non ſatis ad recitationem attendere. Et quidem in hoc, qui non ſunt laxæ conſcientiæ difficile peccant, quia quamvis diſtracti recitent, non advertunt ab attentione Officii eſſe diſtractos, adeoque ſemper perſeverat in ipſis attentio virtualis. Item quia licet quandoque per tranſennam in aliqua re occupentur, dum Officium recitant; non aſſumunt talem occupationem, ut ſaltem ad verba attendere non poſſint. Non nego tamen non debere Confeſſarium illos admonere, ut a quacumque non neceſſaria occupatione abſtineant, nam forte venialiter peccabunt, non orando ea reverentia, quia convenit. Alii etiam dantur, qui eo quod ex errore unum Officium pro alio recitaverint, putant iterum teneri ad recitationem Officii currentis, a qua tuto poſſent abſtinere; & ſi Confeſſarius ſciret quantum neceſſe eſt, illos ab hac exoneraret obligatione.

Videat ergo Confeſſarius, ne in Officii recitatione nimis permittat Indevotis: vel e contra ne nimis oneret timoratorum conſcientias.

CAPUT VI.

De cauſis excuſantibus ab Officii recitatione.

Q. I. Quæ ſint Cauſæ excuſantes ab Officii recitatione.

R. Prædictæ cauſæ ad ſequentes reducuntur. Infirmitas, gravis, & repentina occupatio, Impotentia, Legitima Diſpenſatio. Communis autem ſententia eſt, quod qui ex juſta cauſa, recitatione excuſatur, non tenetur eam per alias preces ſupplere: *Sanch. Conſil. t. 2. l. 7. c. 2. dub. 49. & 50. aliique apud Salmanticenſes tr. 16. c. 3. p. 6. n.* 33. Et quidem nullum extat jus tunc impones hujuſmodi obligationem.

Q. II. Quando infirmitas excuſet a Divini Officii recitatione.

R. Quando clarum eſt talem eſſe infirmitatem, ut non permittat Officium recitare, unuſquiſque poteſt abſque alterius conſilio, & conſenſu recitationem omittere; nam S. Mater Eccleſia non vult addere afflictionem afflicto, nec intendit ad eam cum gravi incommodo obligare. Adverrendum tamen eſt, quod aliqua infirmitas, quæ reſpectu alicujus non impediret Officii recitationem, eadem reſpectu alterius erit cauſa ſufficiens, ut abſtineat ab Officio: Ita dolor ſtomachi, ſeu capitis non multum vexans: febris terriana, aut quartana reſpectu hominis validi, & robuſti non erit cauſa ſufficiens officium omittendi, bene vero reſpectu hominis gracilis &c. Attendendum proinde eſt, an reſpectu illius, qui aliqua laborat infirmitate, recitatio Officii grave incommodum ſit allatura, vel poſſit reddere morbum diuturniorem, & tunc utique erit cauſa ſufficiens ad Officium omittendum.

In dubio adhibendus eſt Medicus: *cap. fraternitatis de frig. & malef.* & ſi iſte vel ob paupertatem, vel ob aliam cauſam haberi non poſſit, bene poteſt quis acquieſcere judicio prudentis; nam ipſius judicium dat ſufficiens motivum bona fide operandi: *Bonac. de Hor. Can. q. 6. p. 1. n.* 4. Item in dubio, an recitatio poſſit graviter Officere, omitti tuto poteſt Divinum Officium; nam non intendit S. Mater Eccleſia, ut infirmus ſeſe periculo exponat gravis nocumenti. Si vero non timeatur illud grave nocumentum, ſed ſolum dubium ſit, an adſit cauſa ſufficiens D. Officium omittendi, non nego tunc prævalere obligationem legis, cum de ea conſtet, & non conſtet de ſufficienti cauſa excuſante. Hoc tamen verum eſt ſolum, quando neque ex alterius authoritate, neque ex aliquo motivo prudenti dubium deponi poteſt: *Suar. t. 2. de Relig. l. 4. c. 28. a n.* 21. Cæterum in dubio, an cauſa ſit ſufficiens, convenit Superiorem diſpenſare ad conſulendum paci conſcientiarum, ut dixi *tr. 3. q. 5. cap. 1. reg.* 3.

Illud autem animadvertendum reſpectu infirmi, non eſſe tum rigore conſiderandum; an poſſit partem ſaltem Officii recitare, Utique qui non laborat ægritudine, nec poteſt totum recitare Officium, tenetur ad partem illius, nam non incidit in gravem perplexitatem; quæ enim gravis perplexitas eſt, ſi quis per totam diem aliis neceſſariis diſtractus occupationibus, ſolum recitet partem Officii, dum non ſupereſt tempus aliam recitandi? Quæ item perplexitas, ſi ſolum habens Breviarium, quo poſſit Horas recitare, & non Matutinum, illas judicet eſſe recitandas? At ſi Infirmus debeat conſiderare quouſque Officium poſſit recitare ſine gravi incommodo, incidet in graves animi perplexitates, ac infinitos ſcrupulos, cui animi anguſtiæ non eſt veroſimile velle Eccleſiam infirmum ſubjicere: *Viv. in prop. 54. ex damnat. ab Innoc. XI.*

Q. III. Quæ occupatio excuſet a D. Officii recitatione.

R. Certum eſt occupationem neceſſariam, quæ non poteſt omitti ſine ſcandalo, aut notabili detrimento ſui, vel proximi, eſſe juſtam cauſam omittendi Officium, ſi ſit cum ea incompoſſibile. Ratio eſt non ſolum, quia præcepta humana admittunt benignam interpretationem, & quia præcepta Eccleſiæ non obligant cum gravi incommodo, ſed multo magis quia, dum cum onere Officium recitandi concurrit præceptum Charitatis de præcavendo grave noſtro damnu vel ſpirituale, vel temporale, vel de removendo illud a proximo, utique prævalere debet poſitivæ obligationi non omittendi Officium. Et quamvis in ordine ad præcavendum proprium damnum temporale raro quis teneri poſſit ad omittendum Officium, quia poteſt tali damno renunciare

Digitized by Google

ciare; nihilominus conſtat ex ſe eſſe ſufficiens motivum, ut poſſit omitti.

Facilius id venira poteſt ob obligationem Proximo opitulandi; ut ſi neceſſaria eſſet opera Parochi ad ſedanda aliqua jurgia exorta in Communitate, ad aſſiſtendum pluribus Infirmis &c. ita ut commodum tempus non habeat Officium recitandi. Idem dicas de quocumque alio, qui in iis, aliiſque operibus Charitatis occuparetur; ut ſi inſervire deberet Infirmo, illique aſſiſtere, quia ſine ipſo vel in graves animæ anguſtias incideret, vel a morbo graviter affligeretur. Ubi advertendum, quod licet Authores dicant hujuſmodi occupationes cum Officio Divino incompoſſibiles, non eſſe voluntarie ſuſcipiendas, ſed eis ex officio eſſe ſatisfaciendum; nihilominus notant ea, quæ fiunt ob charitatem publicam, vel privatam, exigentem noſtram operam, dici poſſe fieri ex officio, cum unicuique incumbat hæc præſtare. Addunt quodammodo dici poſſe ex officio fieri, quæ ad grave noſtrum commodum aſſumuntur; ut qui ita occuparetur in diuturnis theſibus ſuſtinendis ad lauream Doctoratus ſuſcipiendam, ut exinde non poſſet D. Officium recitare: *Suar. t.2. de Relig. l.4. c.28. n.32. Laym. lib.4. tr.2. c. t. a. t. Anton. a Spir. S. tr.3. diſp.6. n. 1650.*

Cæterum advertere eſt, quod qui prævidet in decurſu diei ſuperventuram occupationem, vel impedimentum, unde non poſſet Officium recitare, tenetur recitationem anticipare. Scio multos aſſerere non teneri, niſi recitare eam partem Officii, quæ correſpondet tempori, quo liber eſt ad recitandum. Sed omnino puto tenendam contrariam ſententiam, quam Authores probant; quia Officii recitatio præcipitur ſub mortali intra latitudinem totius diei, & hanc eſſe ſubſtantiam præcepti, circumſtantiam vero, ut hac, vel illa hora recitetur, eſſe quid accidentale, & eam non attendendam, quando eſt juſta cauſa omittendi. Cum proinde de ſubſtantia præcepti ſit intra diei latitudinem obligare conſequens eſt, quod ſi intra diei latitudinem tempus adeſt illud adimplendi, non ſit eo tempore omittendum: *Sanc. Conſil. p.2. l.7. dub. 53. a.6. Salm. tr. 16. c.3. p.6. §. t. a. 38. & §. 2. a. 50.* Maxime autem apud me iſta ſententia probatur, ſi conſideretur, qualis debeat præſumi mens Eccleſiæ D. Officium præcipientis. Meo videri non poteſt rationabiliter præſumi excuſare ab ipſius recitatione illum, qui poteſt eam anteponere, vel poſtponere, cum unica ratio præſumendi eam diſpenſare ab obligatione ſuorum præceptorum, videatur eſſe, ſi non poſſint ſine gravi incommodo adimpleri.

Q. IV Quando impotentia excuſet a Divini Officii recitatione.

R. Quando impotentia ſive intrinſeca, ut eſſet cæcitas, ſive extrinſeca, ut eſſet carentia Breviarii, reddit impoſſibilem, vel valde difficilem Divini Officii recitationem, tunc excuſat ab eo recitando. Illud tamen advertendum, quod ſi habentes talem impotentiam memoriter ſciant aliquam Officii partem, tenentur eam recitare ex dictis capite ſuperiori. Item putarem, quod ſi Cæcus poſſet facili negocio memoriæ pſalmos commendare, ad id teneretur; quia poſſet ſine gravi incommodo præcepto Eccleſiæ ſatisfacere. Illud etiam omnino tenendum contra aliquos credo, quod ſi cæcus, vel alter, qui non poteſt ſolus recitare, & poteſt recitare ſine gravi incommodo cum Socio, omnino ad id teneatur. Ratio eſt, quia qui poteſt adimplere præceptum, aliqua adhibita diligentia, non poteſt dici impotens ad illud adimplendum, cum unumquodque præceptum ſecum afferat obligationem, moralem diligentiam adhibendi, ut illi ſatisfiat. Neque apud me habet aliquid roboris ratio contrariæ opinionis, ſcilicet recitare cum Socio eſſe privilegium, quo nemo uti tenetur: *leg. ſi Judex ff. de minorib. & leg. ſi quis C. de Epiſc.* Contra etenim eſt, quia uſus Socii non eſt privilegium, cum ex jure communi, & communi conſuetudine ſit introductus: *Garx. de Benef. p.3. cap. t. n. 214. Palaus tract. 7. diſp. 2. p. 6. n. 13. aliique.*

Q. V. Quis poſſit legitime diſpenſare, a recitandis Horis Canonicis.

R. Cum obligatio recitandi D. Officium ſit de jure Eccleſiaſtico, utique poteſt Summus Pontifex ampliſſime circa eam diſpenſare. Poterit item Epiſcopus diſpenſare in caſibus particularibus, & frequentibus ex dictis *tr. 3. q. 5. c. t. q. 4.* Id etiam competit Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum Religioſorum, quod bene contra aliquos intelligi poteſt etiam de Superioribus localibus, ex traditis a *Bord. t. 1. reſol. 36. n. 17. Anton. a Sp. S. tr. 3. diſp. 6. n. 1651.* nam omnes hi reſpectu ſuorum Subditorum habent quaſi Epiſcopalem juriſdictionem.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Non raro Confeſſarii ſunt perplexi quoad judicandum, que recitare debeant D. Officio Infirmi, & Convaleſcentes. Quoad Convaleſcentes ſuadeo, ut ſi nimio timore in morbum reincidendi vexentur, moneat eos paulatim reſumere Horarum Canonicarum recitationem, docendo quod uno pſalmo recitato, poſſunt quieſcere, antequam iterum D. Officium reſumant. Moneant pariter, ut Socium adhibeant, & ita ſuaviter illos inducant ad reſumendam D. Officii recitationem. Idem advertant quoad laborantes febri tertiana, & quartana, a qua non nimis vexantur. Cæterum ſi timor in morbum reincidendi, vel nimis caput defatigandi non ſit ſine fundamento, noret prudens Confeſſarius illam doctrinam, qua bene aſſeritur hujuſmodi convaleſcentem, vel infirmum, non eſſe in anguſtias reducendum quoad examinandam quam partem Officii ſine gravi damno poſſit recitare, adeoque totum poteſt tuto omittere.

Vidi quandoque etiam viros doctos obſtupeſcere Divinum Officium omitti ab iis convaleſcentibus, & infirmis, qui non parum cum adſtantibus loquuntur, vel etiam aliquem librum legunt ad animi relaxationem. At non ſemper merito obſtupeſcunt; nam præfata attentionem non requirunt, nec afferunt eam moleſtiam, quæ afferri poteſt ab attentione in Divino Officio recitando; unde bene notant DD. ex prædictis non ſemper bene argui poſſe Divinum Officium recitari; *Ant. a Spir S. in Direct. tr. 3. d. 6 num. 1649.*

II. Raro quidem evenire poteſt, ut tantæ ſint occupationes, ut non poſſit Divinum Officium recitari. Advertat nihilominus Parochus, ut ſi ex multitudine Infirmorum quam maxime occupatur, non debet ab aſſiſtendo illis ceſſare, ut Divinum Officium perſolvat. Si id faceret, ſcrupulus non omittendi Officium ex ignorantia orietur. Item notet quod ſi ex prædicta cauſa ſit quam maxime defatigatus, unde non poſſit ſine gravi incommodo Divinum Officium recitare, poteſt tuto illud omittere, Accidere item poteſt, ut qui tenetur ad Horas Canonicas, ſi infirmum graviter ægrotantem dimittat, id ſit ipſi valde moleſtum; unde & iſte, ne deficiat Charitati, poterit eas omittere. Idem dicas de quibuſcumque aliis ſimilibus caſibus, in quibus non poſſet Officium recitari.

CAPUT ULTIMUM.

De Privilegiis Regularium circa Divini Officii recitationem.

Q. I. QUÆ ſint Privilegia Regularium quoad Divini Officij recitationem.

R. I. In Compendio Privilegiorum Ordinum Mendicantium *v. Officium D. 1. §. 9.* recenſetur privilegium Leonis X. quo conceſſit Minoribus, & per participationem aliis Regularibus in privilegiis communicantibus, ut recitando mentaliter ſatisfaciant præcepto Divini Officii recitandi, ſicuti & poſſe recitare mentaliter, quæ in Miſſa ſecrete dicuntur. Cum iſtud privilegium fuerit vivæ vocis oraculum, putant non pauci illud non ſubſiſtere, quia omnia vivæ vocis Oracula revocata fuerunt a Gregorio XV. & ab Urbano VIII. Verum tuto Regulares uti poſſe hoc privilegio alii non pauci tenent apud Salmant. *tr. 16. c. 3. p. 7. a. 52.* Conſiderant itaque iſtud vivæ vocis Oraculum tranſiſſe in privilegium bullarum; cum S. Pius V. hoc, & alii vivæ vocis oracula ſua Conſtitutione confirmaverit, ut videre eſt apud Peyrin. *tom. 3. priv. c. 12.* Præterea hoc oraculum conſideretur ut declaratio juris communis: *c. dolent. de celebr. Miſſ.* fere autem omnes admittunt non fuiſſe revocata vivæ vocis oracula juris communis declaratoria.

Idem Pontifex conceſſit Fratribus, ut Officia prolixiora Feriarum poſſint anticipare diebus, quibus ſunt otioſi, & reſervare breviora in illos dies, quibus credunt ſe eſſe occupatos in concionibus, aut confeſſionibus audiendis. Item vivæ vocis oraculo conceſſit Minoribus, quod ſi recitent cum malis pronunciantibus, aut ſurdis, ita ut plura non intelligantur, vel ob aliquam aliam rationem non recte audiantur, non teneantur repetere quæ non intellexerunt, vel audierunt. Item eiſdem conceſſit, ut Divino Officio ſatisfaciant illud recitando ſedendo, ambu-

bu'ando, verba integre non proferendo, etſi id eveniat ex negligentia, imperitia &c. dummodo non fiat malitioſe, id eſt, cum plena advertentia. Demum conceſſit quibuſcumque obligatis ad recitandas Horas Canonicas, ut ſupplere poſſint defectibus humana fragilitate in recitatione commiſſis, dicendo devote illam orationem: *Sacroſanctæ, & individuæ Trinitati &c.* De his omnibus privilegiis agunt Salmanticenſes ubi ſupra.

R. II. Extat Conſtitutio 38. Clementis VII. qua conceditur Clericis Regularibus Theatinis, ut inſiſtentes prædicationi, audientiæ Confeſſionum, lectioni S. Theologiæ, aut ſacrorum Canonum, vel ſtudio, ſicut etiam occupati pro ſalute animarum, vel ſervitio Infirmorum, poſſint a ſuis Superioribus diſpenſari ſuper recitationem Divini Officii, aſſignando illis recitationem ſex, aut ſeptem Pſalmorum, ac ſepties orationis Dominicæ & Symboli Apoſtolorum. Graviter autem ægrotantibus ſatis eſt, ſi aſſignent ſemel orationem Dominicam, & ſemel Angelicam Salutationem. Optimum eſſet, ſi aliqui Superiores, minus docti, & ſcrupuloſi ſcirent adeſſe hoc privilegium, de quo & alii Regulares ſolent participare; nam tunc ſine hæſitatione ſuos ſubditos infirmos pluribus anguſtiis liberarent. Et notare debent attendendum hoc privilegium, quando occupationes de ſe non ſunt ſufficientes ab excuſando a recitatione Divini Officii, nam dum ſunt ſufficientes, privilegium non eſt neceſſarium. Legant Salmanticenſes loco citato, & *Aſcanium Tamburinum de Jur. Ab. t. 1. diſp. 10. q. 1. num. 8.*

Refertur etiam a Miranda in *Manual. t. 1. q. 37. art. 16.* privilegium Eugenii IV. pro Monachis S. Benedicti Congregationis Hiſpaniæ, quo conceditur Prælatis diſpenſare cum ſuis Monachis, qui non poſſunt ſine tædio dicere Horas Canonicas; ſicut etiam Infirmis, & Convaleſcentibus præſcribere aliquas orationes loco Divini Officii. Simile privilegium conceſſit Martinus V. Fratribus S. Hieronymi; & refertur in Compendio Privilegiorum Mendicantium *V. Infirmi Fratres num. 11. & 12.* Iſtud autem etiam ad ſenes extenditur, & in eo non ſolum Prælatis, ſed etiam Confeſſariis conceditur aliquas orationes præſcribere loco Divini Officii. Quamvis autem hujuſmodi privilegia fuerint vivæ vocis oracula, nihilominus adhuc valere ſuſtinent plures DD. non ſolum propter ea, quæ ſupra dicta ſunt, ſed etiam quia cenſent ſolum ſublata fuiſſe vivæ vocis oracula aliis præjudiciabilia; *Bordon. reſol. 30. num. 33. & reſol. 31. num. 2.*

R. III. Extant etiam aliqua privilegia conceſſa Monialibus. Innocentius IV. per Bullam XII. *c. 3.* conceſſit Monialibus S. Claræ, ut quæ ex cauſa rationabili legere non poſſunt Horas Canonicas, ſatisfaciant dicendo Pater noſter, quos ſolent ex obligatione Regulæ recitare Sorores. Dicitur vero habere cauſam rationabilem illa, quæ nimis eſſet circa Officium ſcrupuloſa, vel non ſine difficultate legeret, vel alia ratione eſſet defatigata. Simile privilegium conceſſit Clemens VIII. vivæ vocis oraculo, ut videre eſt in Compendio privilegiorum Minorum *V. Moniales §. 3.* Obſervandum eſt tamen in eo concedi quidem imperitis recitare Divinum Officium, ut recitare poſſint ea, ad quæ tenentur Sorores laicæ ex vi regulæ; at ad hujuſmodi recitationem, cum ſubſtituta ſit Horis Canonicis, tenentur ſub mortali, quamvis ſub hac gravi obligatione Laicæ non teneantur. *Salmant. tr. 16. de Hor. Canon. cap. 3. p. 7. num. 61. & 62.* Ubi obſervant hujuſmodi privilegia communia etiam eſſe Religioſis, ſicut & Moniales fruuntur privilegiis Fratribus conceſſis.

Regula in praxi obſervanda.

Unicam hic noto regulam, de qua admonere debet Confeſſarius ſuum Pœnitentem. Advertat ergo quod ut ei remittantur peccata venialia commiſſa in recitatione Divini Officii, illam dicendo Orationem: *Sacroſanctæ, & individuæ Trinitati*, cum verſiculo: *Beata viſcera &c.* non ſolum debet eſſe in gratia, ſed ulterius debet præmittere vel actum amoris Dei, vel contritionis, vel ſaltem attentionis. Ratio eſt, quia prædicta Oratio non poteſt habere majorem efficaciam, quoad remiſſionem venialium, iiſdem Sacramentalibus, quæ nullatenus ſine aliquo ex actibus præfatis valent venialia remittere. Utinam aliqui tam celeriter, & indevote præfatam Orationem non recitarent, ut novum veniale peccatum non committerent.

TRACTATUS VI.

DE FIDE, SPE, ET CHARITATE.

Quia pracepta Fidei, Spei, & Charitatis ſunt, juxta *D. Thom. 2. 2. quæſt. 16. art. 5. & quæſt. 22. art. 5.* quædam præambula ad Legem; in poſterum Decalogum explicaturus, præmitto Tractatum præfatarum Theologicarum Virtutum. Bene autem præambula ad Legem dicuntur, quia ſine illis Lex non ſubſiſteret, Non ſubſiſteret, inquam; neque enim datur Lex, niſi adeſſe intelligantur Subditi, qui eam acceptent, ac ipſi ſubdantur Legiſlatori. Conſtat autem hominem fieri Deo ſubditum per Fidem, juxta illud Apoſtol. ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere*, ſicut etiam per Spem, & Charitatem; ſubditur enim Divino Legiſlatori, eo quod ab ipſo præmium ſperet; ex quo etiam ad illum amandum excitatur.

QUÆSTIO I.

De Neceſſitate Fidei.

CAPUT I.

De Fide, & ejus Objecto.

Q. I. R. Quotupliciter Fides ſumatur. Nomen Fidei primo ſumitur pro fidelitate, ſeu veritate in ſervandis promiſſis, quo ſenſu dicitur Fidelis, ſive ſervare fidem, qui ſtat ſuis promiſſis. Secundo, pro conſcientia, ejuſque dictamine, ſic communiter intelligitur illud Apoſtoli *ad Rom. 14. Omne, quod non eſt ex Fide* (hoc eſt juxta Conſcientiæ dictamen) *peccatum eſt.* Hujuſmodi acceptio familiaris eſt apud Juriſtas dicentes illum eſſe bonæ Fidei poſſeſſorem, qui bona conſcientia putat aliquid eſſe ſuum, & hic dicendi modus ex jure deſumptus, in uſu etiam eſt apud Theologos. Tertio, Fides ſumitur pro fiducia, ſive ſpe aliquid conſequendi; quam fiduciam cum non haberent Apoſtoli, illos reprehendit Chriſtus *Matth. 14.* illis verbis: *Modicæ Fidei quare dubitaſti?* Quarto, ſumitur pro fidei objecto, quo ſenſu legimus in fine Symboli, quod S. Athanaſio tribuitur: *Hæc eſt Fides Catholica &c.* hoc eſt hi ſunt articuli Fidei Catholicæ firmiter credendi &c. Denique proprie ſumitur pro Virtute Theologali, qua aſſentimur prædictis articulis, & de ea juxta hanc acceptionem eſt modo loquendum.

Q. II. Quid ſit Fides.

R. Fides bene deſcribitur ab Apoſtolo, dum dicit *ad Hebr. 11. Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Id demonſtratur obſervando duo præcipue eſſe Fidei tribuenda. Primum eſt, quod ſi habitus ſupernaturalis, faciens noſtrum intellectum fir-

firmiter adhærere rebus obſcuris, ab eo non ſcitis: & hoc ſignificatur per illa verba: *argumentium non apparentium*, ideo enim Fides dicitur *argumentium non apparentium*, quia facit intellectum firmiter adhærere veritatibus Fidei non apparentibus: ac proinde ſumitur argumentum pro argumenti effectu, per argumentum enim inducitur intellectus ad aſſentiendum alicui veritati. Secundum quod habet Fides eſſe baſim totius fabricæ ſpiritualis, in qua fundatur ſpes Gloriæ. Hoc autem innuitur per illa Apoſtoli verba: *ſubſtantia ſperandarum rerum*, ita enim dicitur, quia per aſſenſum Fidei inchoamus prædictam fabricam ſpiritualem, unde poſtea conſurgit Spes. Videatur *S. Th.* 2. 2. *q.* 4. *a.* 1. ubi etiam reducendo verba Apoſtoli ad ſtrictiorem definitionem, ita Fidem definit: *Fides eſt Habitus Mentis, qua inchoatur Vita Æterna in nobis, faciens intellectum aſſentire non apparentibus.* Clarius etiam patet Fidei eſſentia, ſi dicatur, *Fides eſt Habitus, quo firmiter aſſentimur veritatibus a Deo revelatis, & ab Eccleſia propoſitis.* Quæ continentur in hac definitione, magis patebunt ex ſequentibus.

Q. III. Quale ſit objectum fidei.

R. I. Objectum formale *quod* Fidei eſt ſolus Deus. Ita manifeſte habetur ex ſola explicatione terminorum, etenim illud dicitur objectum *formale quod* alicujus habitus, aut potentiæ, quod per ſe ab iſta attingitur, cætera vero ratione illius; quid autem eſt, quod primo, & per ſe attingitur a Fide, niſi ſolus Deus? cum de Deo principaliter ſit divina revelatio, & de Creaturis ſolum ſit ſecundario, quatenus ſcilicet ad ipſum Deum referuntur. Quæ igitur ad Deum pertinent primo, & per ſe creduntur a Fide, unde ſunt ipſius objectum *formale quod* ſeu primarium; quæ vero Fides credit de creaturis, ab ipſa reſpiciuntur ſecundario, & quatenus ad ipſum Deum referuntur; ac proinde ſunt objectum ſecundarium ipſius Fidei.

R. II. Objectum *formale quo* Fidei eſt prima veritas, obſcure revelans. Etiam hujuſmodi reſponſio patet ex ſola explicatione terminorum. Illud dicitur objectum *formale quo*, ſeu ratio *formalis ſub qua Fidei*, quod eſt motivum, & ratio aſſentiendi revelatis a Deo, hujuſmodi autem motivum aſt prima Veritas obſcure revelans; ita qol interrogatur e. g. cur credat Deum eſſe Trinum, optime reſpondet, dicendo: *quia Deus Prima veritas id revelavit.* Videatur *D. Th.* 2. 2. *q.* 1.

Q. IV. An Authoritas Eccleſiæ ſit ratio, ſeu motivum, cur aſſentiamur articulis Fidei.

R. Negative. Ratio eſt, quia Virtutes Theologicæ habent pro objecto immediato Deum, ad differentiam Virtutum Moralium, quæ ſolum mediate in Deum tendunt, & immediate ſiſtunt vel in cultu Dei, vel in paſſionibus moderandis &c. ſi ergo virtutes Theologicæ, inter quas eſt Fidea, immediate ſiſtunt in Deo, non eſt extra Deum quærendum motivum, ſeu ratio operandi talium Virtutum. Stante igitur, ſolam Primam Veritatem, or obſcure revelantem, eſſe rationem credendi, ſequitur Eccleſiam dumtaxat proponere articulos credendos, quibus poſtea infallibiliter aſſentimur propter authoritatem Dei revelantis. Et quidem cum Fidei Myſteria habeantur per S. Scripturam, & Traditiones, quas ab Apoſtolis ſuſcepit Eccleſia, neceſſe erat Eccleſiam ſecernere Libros Canonicos a non Canonicis, & Traditiones vere Divinas ab Apoſtolis habitas, ne ſimul cum Fidei myſteriis proponerentur etiam plures errores credendi. Eo ipſo autem, quod poſtea Eccleſia proponat credenda myſteria, quæ continentis in Libris vere Canonicis, & Traditionibus Divinis, quamvis Eccleſia proponat, movemur ad credendum ſolum, quia Deus revelavit ea, quæ in præfatis Libris, & Traditionibus continentur. Ad eum modum quo, ſi ego proponerem dictum alicujus omni exceptione majoris, poſtquam conſtaret illud dictum vere eſſe talis Viri, aſſentiremur tali dicto, non quia a me propoſito, ſed quia eſſet viri exceptione majoris.

Juxta allatam explicationem intelligendus eſt S. Auguſtinus dum *lib. cont. Epiſt. Manich. cap.* 5. ait: *Ego vero Evangelio Dei non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas.* Significare voluit Auguſtinus, quod cum Eccleſiæ ſit judicare, an Evangelia, quæ ex quatuor Evangeliſtis habemus, ſint Canonica, ad contradiſtinctionem quorundam Evangeliorum, quæ erant Apocrypha, Evangelio credebat, quia ipſius Eccleſiæ authoritate, ut verum Chriſti Evangelium proponebatur, quæ vero in Evangelio continentur, ideo credebat, quia Chriſtus revelaverat. Et quidem omnino deferendum eſſe Eccleſiæ authoritati, ipſiuſque definitionibus omnino conſtat, quia Deus voluit apud ipſam eſſe Fidei Depoſitum. undi dicebat Apoſtolus 1. *ad Timoth.* 6. *O Timothee depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates*: tum quia eſt *columna*, & firmamentum veritatis, ut habetur 2. *ad Tim.* 3.: tum quia Chriſtus ſe illam perenniter gubernaturum promiſit, dum dixit *Matth.* 18. 20. cum ea ſe futurum *uſque ad conſummationem ſeculi*; tum denique quia *Matth.* 18. vult, quod habeatur, *ut Ethnicus, & Publicanus*, qui eam non audierit.

Q. V. Quidnam ſint motiva, quæ reddunt noſtram Fidem evidenter credibilem; & quænam ſint.

R. I. Motiva credibilitatis noſtræ Fidei, ſunt argumenta petita ex ratione invicta, & evidenti, ex quibus intellectus convincitur credibile eſſe quodcumque ad credendum proponitur ab ipſa Eccleſia tanquam revelatum a Deo; unde dicitur *Pſal.* 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Hinc ſequitur, quod quamvis Fides eſſentialiter ſit obſcura, & aſſentiamur Divinis Miſteriis propter Dei revelationem, habemus tamen rationes, quibus convincimur Fidem Chriſtianam eſſe admittendam &c.

R. II. Plura ſunt motiva, quæ reddunt noſtram Fidem evidenter credibilem. Primum petitur ex vaticiniis Prophetarum, qui pleraque Fidei noſtræ Myſteria prænunciarunt, & ſpecialiter de Chriſti Nativitate ex Virgine, de ejus Paſſione, & morte, de Miſſione Spiritus Sancti &c. ex his autem vaticiniis hujuſmodi conflatur argumentum. Myſteria noſtræ Fidei, cum ſint ſupra naturam, non poterant prævideri in cauſis naturalibus, ergo ſolus Deus, qui ſolus ſupra naturam eſt, poterat ipſorum cognitionem habere, & facere, ut multo tempore antequam evenirent, a Prophetis enunciarentur, ergo ſolus Deus eſt noſtræ Fidei Author. Videatur S. Auguſt. *lib. de Fide rerum, quæ non videntur cap.* 2.

Secundum petitur ex miraculis factis a Chriſto Jeſu, & mediantibus Apoſtolis, aliiſque viris Sanctis, ut crederent ii, quibus Fidem noſtram enunciabant. Cum autem conſtet ſolum virtute divina fieri poſſe miracula, jam ſequitur Deum ipſum noſtram Fidem miraculis confirmaſſe, adeoque eſſe veram, neque enim Deus fallere, aut falli poteſt. Quod ſi Infidelis negaret prædicta miracula facta eſſe; *Hoc unum nobis grande miraculum ſufficit, quod Terrarum Orbis ſine ullis miraculis credidit*, ajebat *D. Aug. l.* 22. *de Civit. Dei cap.* 5. Inter maxima item miracula recenſendus eſt hominum conſenſus in Religionem, proponentem multa ſenſibus repugnantia, ſuperantia rationem, ardua paſſionibus &c.

Tertium motivum, quod ad ſuperius reduci poteſt, deſumitur ex qualitate ipſorum, qui Evangelium enunciarant, erant quippe pauperes, ignobiles, nulla ſapientia & facundia præditi; quod explicans Apoſtolus 1. *ad Cor.* 1. inter alia hæc habet: *Quæ ſtulta ſunt Mundi elegit Deus, ut confundat Sapientes: & infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia Mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret.* Quis igitur non videat hujuſmodi homines ſolum potuiſſe ex divino afflatu homines non ſolum ſimplices, ſed etiam ſapientiſſimos ad Chriſtianam Religionem perducere? Videatur *D. Aug. l.* 22. *de Civit. Dei cap.* 5. *& lib. de fide earum, quæ non videntur, cap.* 1.

Quartum argumentum ex conſtantia ſumitur Martyrum, de quo hæc pauca ex Minutio felice excerpta in *Octavio* libeat conſiderare: *Pueri, & Mulieres noſtræ cruces, & tormenta, feras, & omnes ſuppliciorum terricular inſpirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis, o Miſeri, neminem eſſe, qui aut ſine ratione velit pœnam ſubire, aut tormenta ſine Deo poſſit ſuſtinere.* Si ergo conſideretur, nonniſi Deo adjuvante, potuiſſe tot Martyres tanta, & tam gravia ſupplicia ſuſtinerer, jam conſtat pro vera Fide ſupplicia pertuliſſe. Ultra quam quod pertinuiſſet ad Divinam Providentiam tot homines, tot ſanctis moribus præditos, ab errore revocare illoſque e manibus Tortorum eripere, ſi pro vera Sanctiſſima Fide non occubuiſſent.

Quintum argumentum habetur ex Sanctitate Doctrinæ Chriſtianæ: ea enim eſt ſanctitas Legis noſtræ, ut non ſolum tendat ad reformandos externos hominum mores corruptos, ſed etiam emendare intendat pravas internas Concupiſcentias, imperans ſanctimoniam corporis, & animæ. Hinc exigit divitiarum contemptum, patientiam in adverſis, carnis macerationem, humilitatem, modeſtiam, beneficentiam, dilectionem inimicorum &c. Patet autem quod Lex tam ſancta, & immaculata convertens animas, eſſe non poteſt niſi a ſolo Deo ſanctitatis Authore. De Sanctitate Doctrinæ Chriſtianæ optime diſſerit Auguſtinus *lib. de Morib. Eccl. Cathol. cap.* 30.

Hæc

Hæc ſunt principaliora motiva, quæ reddunt noſtram Fidem evidenter credibilem, ad quæ reduci poſſunt omnia alia argumenta, quæ pro eadem credibilitate aſferuntur. Hujuſmodi autem motiva, quamvis ſuadeant, credibile eſſe quodcumque a noſtra fide proponitur credendum, attamen vere non ſunt cauſæ, cur Fidei Myſteriis aſſenſum præbeamus. Ad eum modum, quo, ſi nolenti obedire edicto Principis, ego exponam jus, quod habet Princeps, ut unuſquiſque ipſi parere debeat, dum poſtea obediat, motivum obediendi eſt jus Principis patefactum; ita præfata argumenta ſolum nobis habent demonſtrare myſteria noſtræ Fidei eſſe a Deo revelata, ac proinde poſtea credimus, quia Deus revelavit.

Q. VI. Quæ obſervanda ſint ex propoſitionibus damnatis circa præſentem materiam.

R. I. Obſervare eſt ab *Innoc. XI. n. 19.* damnatam fuiſſe illam propoſitionem: *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus Fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.* Cum igitur rationes. & motiva credibilitatis, quamvis impellant ad judicandum, neceſſe eſſe credere, quæ fides dictat, quia nihilominus non credimus Fidei Myſteria propter illa motiva, & rationes naturales, ſed propter revelationem Divinam, conſequens eſt, iſtud motivum ſupernaturale dignum eſſe firmitate majori ea, ad quam inclinare poſſunt motiva, & rationes naturales. Accedit, in obſcuris poſſe intellectum pia voluntatis motione inclinari ad unam partem præ altera; unde cum credamus Fidei Myſteria propter ſolam Dei revelationem, poteſt ex pia motione voluntatis intellectus firmius adhærere iiſdem Myſteriis, quæ ſunt ſupra ſuum captum. Hinc habetur, quod licet actus Fidei ſupernaturalis ſit actus intellectus præbentis aſſenſum propter Dei revelationem, prærequiritur nihilominus actus voluntatis moventis ad prædictum aſſenſum: etenim quamvis intellectus motivis credibilitatis convincatur; adhuc tamen hæret propter difficultates, quas videt ex parte articuli credendi; unde opus eſt, ut voluntas libere ſuo imperio moveat eumdem intellectum ad præbendum firmum aſſenſum.

R. II. Optime etiam damnata fuit ab eodem Pontifice propoſitio vigeſima, quæ erat hujuſmodi: *Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.* Hæc propoſitio eſt veluti concluſio deducta ex ſuperiori, ut patet ex particula *hinc*; unde cum verum ſit, eam voluntatis motionem, ut conſtat ex dictis, poſſe facere intellectum firmius aſſentiri Myſteriis revelatis propter divinam revelationem. Sequitur non amplius nos habere poteſtatem prudenter repudiandi aſſenſum firmiſſime præſtitum ex motivo divinæ revelationis. Quis enim dicat, me prudenter diſſentiri poſſe iis, quibus judicavi adhærendum propter Deum revelantem? Ultra quam quod, ut ſtatim dicam, ad eliciendum actum Fidei debet mihi eſſe evidenter credibile, quod Deus ſit loquutus, nemo autem repudiare poteſt id, quod ſibi evidenter credibile eſt fuiſſe a Deo revelatum.

R. III. Juſte damnata fuit ab eodem Innoc. XI. propoſitio vigeſima prima, quæ ita ſe habet. *Aſſenſus Fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem, ſtat cum notitia ſaltem probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, an Deus ſit loquutus.* Vidimus ſupra antequam firmum præbeamus aſſenſum divinis Myſteriis, præſupponi motiva, & argumenta, quæ reddunt noſtræ fidei articulos evidenter credibiles, hoc eſt, dant evidens fundamentum judicandi eſſe a Deo revelatos, unde per hujuſmodi motiva fit, notitiam revelationis non eſſe probabilem, ſed evidentem; adeoque excludentem omnem formidinem, qua timeamus, an Deus ſit loquutus. Quoadusque autem non datur prædicta evidentia, ſed duntaxat probabilitas de divina revelatione, non poteſt dari aſſenſus Fidei ſupernaturalis, cum debeat eſſe firmiſſimus, & talis eſſe non poteſt cum ſola probabili notitia divinæ revelationis; nam tunc adhuc datur locus formidini, quod Deus non revelaverit: quæ formido excludit præfatam firmitatem.

Neque huic doctrinæ obſtat damnatio quartæ propoſitionis inter proſcriptas ab Innoc. XI., ubi dicitur: *Ab Infidelitate excuſabitur Infidelis, non credens ductus opinione minus probabili.* Verum igitur eſt, haberi ex condemnatione iſtius propoſitionis reum eſſe infidelitatis illum, qui non credit, dum habet majorem probabilitatem pro noſtra Fide; at non ideo peccat. quia non ſtatim ex illa majori probabilitate firmum præbeat aſſenſum, ſed quia cum noſtra Fides ei appareat probabilior, tenetur ad diligens examen revocare argumenta pro, & contra: quod ſi præſtabit, Myſteria Fidei ipſi apparebunt evidenter credibila, & tunc demum poterit ipſis firmiſſimum præſtare aſſenſum.

Cæterum advertendum, non eamdem in omnibus exposci evidentiam credibilitatis Myſteriorum Fidei. Docti, & ſapientes certi ſunt, ipſiſque evidenter conſtat, Deum Fidei noſtræ Myſteria revelaſſe, eo ipſo quod penetrent motiva, & argumenta ſupra adducta, quæ reddunt eamdem Fidem evidenter credibilem. Rudes vero, ac pueri ſufficienter efformant judicium evidens de credibilitate Myſteriorum, quæ ipſis proponuntur, eo ipſo quod audiant, ea docuiſſe Chriſtum Dominum, a quo quamplura facta ſint miracula, ſive quia audiant ſibi proponi Fidem, quam Patribus Noſtris Viri Sancti tradiderunt. Poteſt etiam ſufficere, ut ipſis appareat evidentia credibilitatis noſtræ Fidei, adeoque eſſe a Deo revelatam, ſi iſti conſiderent, Parochos eſſe Miniſtros Eccleſiæ Chriſti, ſive viros Pios, & doctos. Si etenim hoc conſiderent, ſtatim ſine formidine judicant, ſtandum eſſe, & teneri ad credendum quidquid dicit Parochus; apud ipſos etenim evidenter credibile eſt, quidquid dicit Miniſter Eccleſiæ, ſive Vir pius, & doctus. Videantur Cardenas, Viva, aliique ſcribentes in præſatas damnatas propoſitiones.

Regulæ in praxi obſervandæ.

Ut bene pueri, aliique practice inſtruantur ad eliciendum actum Fidei, hæc ex dictis ſunt obſervanda. Primo, monendi ſunt, Myſteria, quæ proponuntur credenda, non docuiſſe homines, nec rationem naturalem; qui etenim moveretur ad credendum hominis authoritate, haberet tantum Fidem humanam, vel ſcientiam naturalem, ſi moveretur ex naturali ratione. Secundo, monendi ſunt, Myſteria noſtræ Fidei proponi ab Eccleſia, quam Chriſtus voluit eſſe infallibilem, ſeu Columnam veritatis, & eadem Myſteria fuiſſe poſt Chriſtum ab Apoſtolis propoſita, ſive ab aliis viris piis, & doctis, & omni tempore confirmata fuiſſe miraculis. Vel ſaltem edocendi ſunt Pueri a Parochis, ſe proponere articulos, quos debent credere, quia illos proponunt, ut Miniſtri Eccleſiæ, quæ edocta fuit a Chriſto Domino ita enim fiet, ut ſibi perſuadeant eos edocere veram Jeſu Chriſti Fidem. Demum advertere debent Curatores Animarum, ut plene inſtruantur rudes, quod ea, quæ eis firmiter proponuntur credenda, credere debent, non quia ea proponit Eccleſia, ſed quia quæ proponit Eccleſia, fuerunt a Deo revelata ipſi Eccleſiæ. His addere poſſunt, ut aſſenſum omnino firmum præſtent, Deum infinite ſapientem omnia ſcire adeoque falli non poſſe, & quia ulterius eſt infinite verax, & bonus, aliter loqui non poteſt, quam ſciat, ideoque non poteſt fallere. Demum ita edoceant actum Fidei efformare: *Credo Deum eſſe Trinum, & unum, quia ipſe Deus revelavit*; & ita de ſingulis articulis.

CAPUT II.

De Neceſſitate Fidei ad ſalutem: & de Myſteriis explicite credendis.

Dupliciter aliquid eſt neceſſarium ad Salutem, ſcilicet neceſſitate medii, & præcepti. Primum eſt illud, quod ſive inculpabiliter, ſive culpabiliter omittatur, ſalutem conſequi non poſſumus: ita ſe habet Baptiſmus in re ſuſceptus reſpectu infantium. Secundum, cum ſolum ſit neceſſarium ex vi præcepti Superioris, non impedit ſalutem, ſi omiſſio ſit inculpabilis. Sic quamvis neceſſarium ſit præcepto divino, & naturali ad ſalutem reſtituere injuſte ablata, & ex præcepto Eccleſiæ audire ſacrum die feſto, nihilominus, ſi ex impotentia, vel oblivione prætermittantur, non impeditur ſalus.

Item aliud eſt explicite, aliud implicite credere. Tunc datur fides actualis explicita alicujus articuli, quando creditur in particulari, & in ſe ipſo: ut quod *Chriſtus Deus, & Homo in Cruce obierit, &c.* Tunc vero datur Fides ſolummodo implicita, quando aliquid creditur in alio, in quo continetur. Si quis generaliter tenet Fidem, quam unicuique Fideli proponit S. Mater Eccleſia, implicite credit omnes articulos Fidei. Cum autem evidens ſit hujuſmodi Fidem implicitam neceſſariam eſſe de omni articulo unicuique Fideli, ſolum poteſt eſſe quæſtio de Fide explicita.

Digitized by Google

Q. I. An ad ſalutem neceſſaria ſit Adultis Fides actualis neceſſitate medii.

R. Quamvis pueris decedentibus ante uſum rationis ſufficiat ad ſalutem fides habitualis in Baptiſmo infuſa, neque enim ſunt capaces Fidei actualis; nihilominus adultus ſine fide actuali non poteſt conſequi ſalutem. Id plane evincunt quamplures Textus Divinæ Scripturæ; etenim ad Galat. 3. dicitur: *Juſtus ex Fide vivit*, Joan. 10. *Dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus*, ad Hebr. 11. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo*. Ad Rom. 3. *Arbitramur juſtificari hominem per Fidem*. Et ſicut non conſurgit fabrica, niſi prius fundamentum ponatur, ita in nobis non poſſumus juſtificationem concipere, niſi prius Fides præſupponatur, ut initium juſtificationis. Id perpendens Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 8.* ita explicat verba allata ex Apoſtolo ad *Rom. 3. Per Fidem idco juſtificari dicimur, quia Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad Filiorum ejus conſortium pervenire*. Conſtat ex his, ex vi præſentis Providentiæ Salutem haud conſequi nos poſſe ſine exercitio Fidei. Ratio autem eſſe poteſt, quia nemo Gratiam Sanctificantem, & ſupernaturalem Beatitudinem conſequi valet, niſi ſit ad illas ordinatus, & diſpoſitus; cum autem actus pure naturales, utpote improportionari, non poſſint nos diſponere, & ordinare ad id, quod eſt ſupernaturale, ſequitur neceſſarium eſſe actum Fidei ſupernaturalis, ut diſponamur, & ordinemur ad Gratiam ſanctificantem, & Beatitudinem ſupernaturalem.

Dices ſaltem verificari debere in aliqua hypotheſi, Adultum ſalutem conſequi ſine actu Fidei. Hujuſmodi hypotheſis tunc daretur, quando puer baptizatus moreretur ſtatim poſt adeptum uſum rationis, etiamſi actum fidei non eliceret. Imo idem videtur dicendum de homine baptizato, qui aliquo tempore poſt annos diſcretionis viveret in Gratia, & eo tempore nihil audierit de rebus credendis. Verum juxta hanc hypotheſim primo probabiliter dici poteſt de prædicto puero ſtatim decedente poſt adeptum uſum rationis, ſine Fide actuali ſervandum; quia cum nihil audiſſet de rebus credendi, neque tempus habuiſſet actum Fidei eliciendi, non ut adultus, ſed ut puer moreretur. Idem nonnulli Theologi dicunt de Adulto baptizato, qui non amiſit Gratiam, & nihil audivit de articulis Fidei, unde non potuit actu credere.

Illi vero reſpondent, quod eum juxta præſentem Providentiam neceſſaria ſit ei, qui adeptus eſt uſus rationis, Fides actualis, ut ſalvetur, pertinebit ad eamdem Dei Providentiam ordinariam facere, ut qui aliquo tempore poſt annos diſcretionis vixit, ſufficienter de Fide inſtruatur, ſi bene vivat, ut optime docet S. Thomas *de Verit. q. 14. art. 11. ad* 1. Cæterum illi Theologi, qui in quacumque hypotheſi volunt, nullum Adultum poſſe ſalvari ſine fide actuali dicunt quod etiamſi prædicti dicantur perſeverare in Gratia per Baptiſmum adepta, adhuc tamen non conſequerentur ſalutem, quia Filius adoptivus non habet jus ad hæreditatem, niſi adimpleatur conditio ſub qua promiſſa eſt; hujuſmodi autem conditio eſt quod eliciat actum Fidei. Cum autem ex alia parte non eſſet damnandus, quia obiret in Gratia, dicunt quod ſpectaret ad divinam Providentiam de eo diſponere modo extraordinario. Cæterum mihi magis arridet illa opinio, qua dicitur, hujuſmodi Adultum etiam ſine fide actuali ſalvandum; ſuppoſito enim quod nihil audierit de rebus credendis, reſpectu credendorum ſe haberet ut puer, qui nondum uſum rationis eſt aſſequutus.

Q. II. An ſufficiat ad ſalutem Fides late dicta ex teſtimonio Creaturarum.

R. Innocentius XI. ſub n. 23. damnavit hanc propoſitionem. *Fides late dicta ex Teſtimonio Creaturarum, ſimilive motivo, ad juſtificationem ſufficit*. Cum igitur, quæ naturalia ſunt non poſſint nos inducere in cognitionem rerum ſupernaturalium, & Fides, quæ ad Juſtificationem requiritur ſit de objectis ſupernaturalibus, conſequens eſt, non ſufficere ad ſalutem Fidem, quæ innitatur motivo naturali. Ulterius, quamvis verum eſſet ex cognitione creaturarum poſſe nos aſſurgere in cognitionem Dei, (hæc autem cognitio non poteſt eſſe, niſi Dei ut Authoris naturalis) attamen talis cognitio eſt ſcientifica, unde Theologus ex exiſtentia Creaturarum acquirit ſcientiam de Dei exiſtentia; eo autem ipſo quod ſcientifica ſit, non poteſt eſſe actus Fidei obſcurus, quem Apoſtolus requirit ad juſtificationem, dum ad eam expoſcit Fidem, quæ ſit *argumentum non apparentium*. Demum Fides, neceſſaria ad juſtificationem, eſt actus ſupernaturalis, quia eſt initium juſtificationis, ſicut etiam liber, utpote de rebus non evidentibus; ac proinde Tridentinum dicit, homines diſponi ad juſtificationem, dum *excitati Divina Gratia, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt*. Quæ autem ex Creaturis cognoſcimus de Deo, non cognoſcimus per cognitionem ſupernaturalem, neque etiam libere iis aſſenſum præbemus; cum ſaltem, ut plurimum, ea, quæ cognoſcimus de Deo, cognoſcimus cognitione evidenti, & ſcientifica, adeoque neceſſaria. Item, ut patet ex prædictis verbis Concilii, homines diſponuntur ad juſtificationem credentes, *quæ divinitus revelata ſunt*, ergo requiritur ad juſtificationem Fides ſtricte ſumpta, qua ſcilicet credimus Fidei articulos propter Dei revelationem.

Q. III. Quæ Myſteria explicite credenda ſint neceſſitate medii.

R. I. Neceſſe eſt credere Deum eſſe, & eſſe Remuneratorem, & Authorem bonorum ſupernaturalium. Ita habemus ex Apoſtolo ad Hebr. 11. his verbis: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quod inquirentibus ſe Remunerator eſt*. Contrariam ſententiam damnavit Innoc. X. nam damnavit ſub n. 22. hanc propoſitionem: *Non niſi Fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris*. Cum autem in præſenti Providentia voluerit Deus non dari juſtificationem ſine Fide explicita Dei ut Remuneratoris, hæc poteſt eſſe ratio: quia nempe, ſi homo non explicite crederet Deum ut Remuneratorem, jam in eo nulla eſſet Spes præmii, adeoque nec pœnæ timor; ſi enim non credatur Deus ut Remunerator, neque etiam peccati Vindex credetur; ad eumdem enim ſpectat largiri præmia bonis, & punire Malefactores. Ulterius, ſi non eſſet in homine Fides de Deo Remuneratore, nihil de Animæ Immortalitate, nihil de Vita futura cogitaret, non adverteret ad Deum eſſe preces fundendas, & Sacrificiis placandum; ac demum Deum, a quo nihil ſperaret, non inquireret. Cum igitur Fides Dei ut Remuneratoris tam neceſſaria ſit ad componendam, prout oportet, noſtram Vitam, nil mirum eſt Deum voluiſſe præſenti Providentia neceſſariam eſſe neceſſitate medii ad ſalutem: *Sanch. in Decalog. l. 2. c. 2. n. 5. Canus lib. 12. de loc. Theolog. cap. 4. Cardenas, & Viva in ſupradictam damnat. propoſ.*

Dices poſſe Cathecumenum doceri ſolummodo de exiſtentia Dei, ut ſumme boni, & tunc ſtatim in actum dilectionis erumpere; adeoque in tali caſu juſtificandum ſine Fide Dei ut Remuneratoris; neque enim ſtat aliquem amare Deum ſuper omnia, & non juſtificari.

Verum obſervandum eſt, quod quamvis phyſice poſſibile ſit quod dicitur de præfato Cathecumeno, adhuc tamen juxta Leges præſentis Providentiæ non eveniret, quia cum noluerit Deus nos juſtificari ſine Fide ipſius ut Remuneratoris, antequam habeat prædictam Fidem, non conferet Cathecumeno auxilia neceſſaria ad ipſum amandum ſuper omnia. Non per hoc tamen Deus permitteret illum mori ſine neceſſaria inſtructione, ſi ſervaret legem naturæ, ut diximus ſupra, & poſt neceſſariam inſtructionem illi conferret auxilia ſaltem ſufficientia ad eliciendum actum amoris Dei ſupra omnia.

Hic tamen adnotare oportet, quod dum dicitur primo neceſſarium eſſe ad ſalutem credere Deum eſſe, id intelligendum eſt de exiſtentia Dei ut Authoris ſupernaturalis Gratiæ &c. Id probat *S. Thomas quæſt. 14. de verb. art. 9. ad* 8. quia de exiſtentia Dei ut Authoris naturalis homines ut plurimum habent evidentiam, ex creaturis enim evidenter cognoſcimus Deum eſſe: quæ autem ſunt Fidei, ſunt ſupra noſtrum captum, & pertinent omnimode ad ordinem ſupernaturalem: *Deum eſſe unum*, ex verba S. Doctoris, *prout eſt demonſtratum, non dicitur articulus fidei, ſed præſupponitur ad articulos .... Sed unitas Divinæ eſſentiæ talis, qualis ponitur a Fidelibus, ſcilicet cum omni potentia, & omnium providentia, & aliis hujuſmodi; quæ probari non poſſunt articulum conſtituit.*

Eadem ratione, dum ſecundo dicitur neceſſarium eſſe ad ſalutem Fidem explicitam Dei Remuneratoris, id non eſt intelligendum de Deo Remuneratore operum naturalium, ſed de Deo Remuneratore ſupernaturali. Et quidem dum Apoſtolus *ad Hebr.* 11. dixit Fidem eſſe ſubſtantiam ſperandarum rerum, argumentum non apparentium, ſignificare voluit res ſperandas, quas per fidem credimus, futurum eſſe noſtrum præmium, non eſſe

Digitized by Google

apparentes rationi naturali, adeoque fidem de Deo Remuneratore reſpicere debere præmium ſupernaturale ab eodem Deo conferendum.

R. II. Poſt Evangelii promulgationem, *per ſe loquendo*, neceſſaria eſt neceſſitate medii ad ſalutem Fides explicita Chriſti. Probatur autem ratione deſumpta a S. Thoma *2. 2. q. 2. art. 7.* quæ ſic poteſt efformari. Ante Evangelii promulgationem erat neceſſaria ad ſalutem Fides ſaltem implicita Chriſti, ergo poſt Evangelium promulgatum neceſſaria erit Fides Chriſti explicita. Antecedens probatur, quia cum poſt Adæ peccatum nemo ſalutem ſit conſequutus niſi ex meritis Chriſti, oportebat, omnes habere ſaltem Fidem implicitam medii, per quod debebant ſalvari; adeoque oportebat ſaltem credere Deum aliquo modo futurum ipſorum Liberatorem &c. Modo probatur conſequentia, quia cum ſtatus Legis Evangelicæ ſit ſtatus perfectior, clariorem etiam expoſcit notitiam myſteriorum, quæ ſunt fundamenta totius noſtræ ſalutis; & ita ſe habet Miniſterium Chriſti per quem fuimus redempti; ſicut etiam, ut videbimus Myſterium Trinitatis; in cujus nomine ſuimus baptizati. Hinc Apoſtolus ſine ulla exceptione Fidem Chriſti neceſſariam ad ſalutem eſſe dicit *ad Gal. 2.* dum ait; *Non juſtificatur homo niſi per Fidem JeſuChriſti: Azor. t. 1. l. 8. c. 6. qu. 6. Canus in relig. de Sacr. p. 2. concl. 3.*

Dixi in reſponſione, *per ſe loquendo*; nam puto per accidens poſſe aliquem ſalvari etiam in ſtatu legis Gratiæ ſine Fide explicita Chriſti. Ratio mihi eſt, quia non minus in S. Scriptura dicitur neceſſarius ad ſalutem Baptiſmus, ac Fides in Chriſtum: & tamen quamvis Baptiſmus dicatur neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medii, evenire tamen poteſt, ut eum ſolo Baptiſmo in voto aliquis juſtificetur: ita ſalvatur Cathecumenus non habens a quo baptizetur, vel ſi ei non fuiſſet ſufficienter expoſita neceſſitas Baptiſmi, & ipſe aliunde amaret Deum ſuper omnia, habendo voluntatem generalem adimplendi quidquid neceſſarium eſſet ad ſalutem conſequendam. Pari ergo ratione ſi daretur caſus, in quo aliquis habens notitiam Dei, ut Authoris ſupernaturalis, ipſum a Gratia adjutus ſuper omnia amaret, per accidens juſtificaretur, quamvis non haberet Fidem explicitam Incarnationis, ſuppoſito quod de ea nihil audiverit. Ita et iam ſentire videtur S. Thomas; nam *2. 2. q. 2. art. 7. ad 3.* loquens de Gentilibus, quibus non fuit explicite explanata Incarnatio, ait: *Si qui tamen ſalvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt ſalvati abſque Fide Mediatoris: quia licet non habuerint fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina Providentia, credentes Deum eſſe Liberatorem hominum.* Accedit textus Scripturæ loquentes de neceſſitate Fidei in Chriſtum, probabiliter explicari neceſſitate præcepti; ſicuti eos explicant non pauci Theologi non infimæ notæ; adeoque etiam ex hoc capite valde probabile reputandum, ſaltem per accidens poſſe aliquem ſalvari ſine Fide explicita Chriſti: *Suar. d. 12. ſect. 4. n. 18 Veg. l. 6. in Trid. c. 20. Pal. tr. 4. d. 1. p. 9. n. 7.*

R. III. Etiam Fides explicita Myſterii Sanctiſſimæ Trinitatis poſt promulgationem Evangelii neceſſaria eſt neceſſitate medii ad ſalutem. Iſta reſponſio ſequitur ex præcedenti; nam ſi neceſſaria eſt neceſſitate medii Fides explicita Incarnationis, neceſſaria eſt etiam Fides explicita Trinitatis; neque enim ſtat poſſe ſufficienter credi Myſterium Incarnationis ſine Myſterio Trinitatis, ut de ſe patet. Probatur etiam ex rationibus ſupra adductis, quia ſcilicet in ſtatu Legis Evangelicæ, utpote ſtatu perfectiori, dicendum videtur, neceſſitate medii explicite credenda eſſe etiam Myſteria, quæ ſunt noſtræ ſalutis fundamentum, adeoque & Myſterium Trinitatis. Hinc nomine S. Trinitatis baptizamur, ut præcipitur *Matth. 28.* & *Marc. 16.* dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* Non per hoc tamen negatur, ſine Fide explicita Trinitatis poſſe aliquem per accidens ſalvari, ut dixi paulo ante de Fide explicita Incarnationis. *Sanch. l. 2. Decal. c. 2. n. 10. Palaus cit.*

Q. IV. Quæ Myſteria neceſſario credenda ſint neceſſitate præcepti; & quæ unuſquiſque fidelis ſcire debeat.

R. I. Omnes Fideles credere debent *quoad ſubſtantiam* omnes articulos Fidei, prout continentur in Symbolo Apoſtolorum. Ratio eſt, quia cum Apoſtoli præfatos articulos univerſæ Eccleſiæ, adeoque omnibus Chriſti fidelibus credendos propoſuerint, non eſt cur aliquis poſſit eximi ab obligatione eos addiſcendi. Hic non reputatur ſufficienter diſpoſitus ad Baptiſmum recipiendum adultus, qui ignorat Symbolum Apoſtolorum; ut habetur ex *cap. Ante Baptiſmum, & ex c. baptizandos*; ſicut nec admittitur ad Sacramentum Pœnitentiæ *ex can. Deus, qui de Pœnit. & remiſſ. Suar. de Fid. diſp. 13. ſect. 4. Palaus tr. 4. d. 1. p. 10. n. 3. Bonac. de Fid. d. 3. q. 2. p. 3. n. 13.*

Dices, quædam eſſe in Symbolo Apoſtolorum capta difficilia; ut eſt articulus de Communione Sanctorum; quædam vero, quæ non neceſſario videntur explicite credenda, ut, eſt circumſtantia mortis Chriſti ſub Pontio Pilato, circumſtantia Crucifixionis, & ſepulturæ Chriſti. Item non ſolum explicite, ſed nec videtur neceſſarium eſſe quocumque modo credere Chriſtum ad inferos deſcendiſſe: eo enim ipſo quod ſolum ſciamus Chriſtum mortuum fuiſſe pro nobis, ſufficienter apprehendimus noſtram redemptionem, abſque eo quod circumſtantias mortis ipſius conſideremus. Idem videtur dicendum de articulo explicante Chriſtum ſedere ad dexteram Patris &c.

Verum prædicta non enervant noſtram reſponſionem. Et primo, ut notavi in eadem reſponſione, loquendo de communi cætu Fidelium, non tenentur ſcire Symbolum Apoſtolorum niſi *quoad ſubſtantiam*, hoc eſt, quantum neceſſarium eſt ad cognitionem Myſterii, abſque eo quod ſciant ſubtilitates, de quibus ſermo eſt in Schulis. Exempli gratia, ſi aliquis inſtruendus ſit circa Myſterium Trinitatis, abſque eo quod interrogetur de diſtinctione Perſonarum a Natura Divina, aliiſque ſimilibus ſubtilitatibus, ſatis eſt, ſi inſtruatur quod in una Natura ſunt tres Perſonæ diſtinctæ realiter, eaſque non eſſe tres Deos, ſed unum Deum. Pariter, ſi aliquis inſtruatur de Myſterio Incarnationis, non opus eſt illius torquere ingenium, exponendo eſſentiam, & naturam Unionis hypoſtaticæ, ſed ſat eſt ſcire Verbum Divinum carnem ex Maria Virgine aſſumpſiſſe, ac proinde Chriſtum ſimul eſſe verum Deum, & hominem ex Spiritu Sancto, non ex viro conceptum, & natum eſſe ex ea, quæ fuit Virgo ante partum, in partu, & poſt partum. Similiter licet articulus *de Communione Sanctorum* ſub talibus verbis forte a pluribus non agnoſcatur, attamen pauci, aut nulli ſunt, qui ipſum quoad ſubſtantiam ignorent. Et quidem cum unuſquiſque exoptet alios pro ſe orare, & ſe commodet Sanctorum Interceſſionibus, eo quia putat valde apud Deum valere, jam ſcit in Eccleſia varia, & multiplicia dona eſſe communia, & aliorum orationes applicari quoad fructum ſingulis Fidelibus. Ex hoc autem ſatis conſtat, præfatum articulum quoad ſubſtantiam non ignorari. Hinc diſcant Confeſſarii non interrogare Illiteratos interrogationibus ſuperantibus eorum captum, & facile adinvenient ſatis eſſe inſtructos eos, quos aliqui nimis rigidi, ut laborantes gravi ignorantia, a Pœnitentiæ Sacramento rejiciunt.

Ad illud autem, quod dictum eſt, quædam eſſe in Symbolo Apoſtolorum, quæ non ſunt neceſſario credenda, reſpondeo, quod licet non ſit neceſſarium ſcire, an Chriſtus condemnatus fuerit a Pontio Pilato, id enim parum conducit ad excellentiam Redemptionis, cætera tamen ſupra adducta ſunt neceſſaria ſcitu. Circumſtantia Crucifixionis eſt neceſſario ſcienda; mors enim tam atrox, & ignominioſa valde commendat nimiam illam charitatem, qua dilexit nos Deus. Item licet circumſtantia ſepulturæ non videatur eſſe ſub gravi præcepto credenda explicite, ſatis enim videtur credi, ſi credamus Chriſtum mortuum fuiſſe, nihilominus eſt ſub gravi præcepto credendus deſcenſus ad Inferos. Ratio eſt; quia deſcenſus Animæ Chriſti ad Inferos, ita ut ipſi ſimulque Corpori ſemper fuerit unita Divinitas, non eſt ſola circumſtantia alterius articuli, ſed ex ſe importat veritatem ab aliis articulis diſtinctam. Accedit quod ex eo magis innoteſcit univerſalitas, & efficacia Redemptionis, eruendo etiam animas Sanctorum Patrum ex Limbo. Denique eſt etiam explicite credendum quod Chriſtus *ſedeat ad dexteram Patris*; quod enim his verbis declaratur, æqualitas ſcilicet gloriæ, quam Chriſtus ut Deus habet cum Patre, & ſuprema poteſtas, quæ illi, ut homo eſt collata fuit ſuper omnes Creaturas, unde ait, *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & terra*, non declaratur in aliis articulis.

Quod ſi poſtea expoſcatur, an neceſſe ſit memoriter ſcire articulos Symboli eo ordine, quo poſiti ſunt in Symbolo Apoſtolorum, dicendum videtur, *per ſe loquendo*, non niſi venialiter peccaturum, qui illos memoriter ordine præfato non ſciret. Ratio eſt, quia ſaltem ſub gravi non videtur obligandus fidelis ad ſciendos articulos Symboli, niſi quoad ſubſtantiam, ſi enim ita ſciat, ſufficienter inſtructus videtur quoad ea, quæ credere debet,

& ad

& ad quam credenda tenetur ſub gravi. Dixi *per ſe loquendo*, nam *per accidens* poteſt quis teneri ſub gravi memoriter ſcire articulos Symboli, & eo ordine, quo ibi poſiti ſunt, quod quidem evenire poteſt in Ruſtico, qui ſi memoriter neſciat, facila explicabit eoſdem articulos impropriis verbis, vel etiam ſenſum contrarium habentibus: unde facile erraret, & ignoraret articulos etiam quoad ſubſtantiam; *Suar. diſp. 13. de Fid. ſect. 5. n. 8. Sanch. l. 2. Sum. c. 3. n. 8. Laym. l. 2. tr. 1. c. 9. n. 4. Fagund. l. 1. in Decalog. c. 2. n. 62.*

Hinc etiam notandum eſt, melius eſſe, ſi rudes, & indocti ſciant memoriter Symbolum idiomata vulgari; ad quid enim illud addiſcere idiomate, cujus ſignificationem ignorant? Certe profiteri non poſſunt Ruſtici ſa credere Symbolum, quod didicerunt latino idiomate, ſi de ejus articulis non inſtruantur; non faciles autem exunt inſtructionem percipere eorum, quæ dumtaxat latino idiomate ſciunt.

R. II. Unuſquiſque Fidelis tenetur credere Sacramenta Eccleſiæ. Cum igitur Fidelas non ſolum teneantur credere, ſed etiam operari, unuſquiſque tenetur credere, & ſcire, quæ neceſſaria ſunt ad Vitam Chriſtianam rite inſtituendam. Hinc ſequitur unumquemque teneri credere, & ſcire, quæ pertinent ad tria Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ; hujuſmodi enim Sacramenta nemo eſt Fidelium, qui non recipiat. Et quamquam verum ſit, Baptiſmum communiter recipi ſtatim a nativitate; nihilominus ubi quis uſum rationis acquirit, tenetur ejus effectus addiſcere, ut ſciat quas obligationes contraxerit. De reliquis Sacramentis dicendum eſt, teneri unumquemque ſcire eorum effectus, & quæ requiruntur ad valide, & licite ea ſuſcipienda, quando de facto ſuſcipienda ſunt: *Sanch. cit. n. 9. Suar. ſect. 4. n. 12. Lugo d. 13. ſect. 5. n. 116. & ſeqq.*

R. III. Unuſquiſque neceſſitate præcepti tenetur habere explicitam notitiam præceptorum Decalogi, & Eccleſiæ, ſicut etiam ſcire Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam. De præceptis Decalogi, & Eccleſiæ de ſe patet, quia unuſquiſque tenetur ſcire legem in qua vivit. De Oratione Dominica item probatur, quia omnes tenemur ſcire Deum eſſe orandum, & ab eo eſſe petenda omnia bona tum ſpiritualia, tum temporalia; & cum docuerit nos Chriſtus modum, quo ea petere debemus in Oratione Dominica, debemus conſequenter eam ſcire, ut eo modo, quo Chriſtus voluit, petamus. Quia tamen nullum eſt præceptum expreſſum obligans ſaltem ſub gravi ad eam memoriter ſciendam, ſufficiet eam ſcire quoad ſubſtantiam, & ſolum per accidens tenebuntur Fideles ad eam memoriter addiſcendam eo modo, quo ſupra de Symbolo dictum aſt. Quod dixi de Oratione Dominica, non pauci Theologi proportionabiliter dicunt de Angelica Salutatione; nam eſt modus ſingulariſſimus, & oratio, qua Eccleſia Beatiſſimam Virginem ut communem Advocatam colit, & reveretur ob excellentiſſimam Dignitatem Maternitatis: adeoque ſub culpa levi tenentur eam addiſtere Fideles, ut eadem oratione SS. Virginem ſalutent: *Suar. t. 2. de relig. cap. 6. au. 10. Lugo de Fide d. 13. ſect. 5. n. 134. Laym. l. 2. tr. 1. c. 9. n. 4.* Addunt Theologi, unumquemque Fidelium ſub veniali ſcire debere ſe ſigno Crucis munire; hæc tamen ignorantia apud Chriſtianos non invenitur; *Sanch. l. 2. c. 3. n. 14. Azor. l. 8. c. 6. q. 3.*

R. IV. Ultra prædictum, majorem Fidei notitiam tenentur habere Sacerdotes, Curati, Confeſſarii, & Epiſcopi. Ut probetur, quod diximus in hac reſponſione, obſervandum eſt cum S. Thoma 2. 2. *quæſt.* 2. *a.* 6. quod ſicuti Angeli Superiores illuminant Inferiores, & hi, quæ Dei ſunt, manifeſtant hominibus, ita in Eccleſia, qui ſunt in gradu ſuperiori, debent Inferiores illuminare, & hi cœtum Fidelium inſtruere. Sicut igitur Angeli Superiores, quia Inferiores illuminant, habent majorem notitiam de rebus Divinis, & Angeli Inferiores majorem, quam homines, quos ſæpe eaſdem res divinas edocuerunt; ita primo, Epiſcopi, quia debent inferiores Parochos, & Confeſſarios inſtruere, & illuminare, debent majorem habere Myſteriorum Fidei notitiam; & Parochi, & Confeſſarii majorem quam communis cœtus Fidelium, cum iſta ab illis Fidei declarationem expectet.

Hinc ſequitur, Epiſcopos tali ſcientia debere eſſe præditos, ut non ſolum valeant edocere oves ſibi creditas, quæ ad Fidem pertinent, ſed etiam ipſam vindicare ab argumentis, & fallaciis Hæreticorum; ad ipſos enim, ut Apoſtolorum Succeſſores, pertinet ex officio Fidem non ſolum explicare, ſed etiam defendere, omneſque, ſi opus ſit, plene illuminare. Sacerdotes vero, Curati, & Confeſſarii debent ſaltem ſcire exponere articulos Fidei juxta communem declarationem, quæ maxime habetur in Romano Cathechiſmo; pertinet enim ad officium Paſtoris nutrire oves ſibi creditas pabulo neceſſariæ doctrinæ, quod utique præſtare non poteſt, ſi ſaltem juxta communem declarationem, & explanationem neſciat Myſteria Fidei explanare. Quę hucuſque diximus, tradit etiam S. Thomas *in ſuppl. q. 37. ar. 2.* ubi poſtquam dixit ſimplices Sacerdotes non habentes curam Animarum, ſatis eſſe ſi ſciant, quę requiruntur ad conficienda Sacramenta, quia ab aliis lex non requiritur, aum ſolum habeant actum circa Corpus Chriſti verum, ita ſubdit: *Alii promoventur ad alium actum, qui eſt ſupra corpus Chriſti Myſticum, & a talium ore Populus legem, requirit, unde ſcientia Legis in eis eſſe debet, non quidem, ut ſciant omnes difficiles legis quæſtiones, quia in his debet ad Superiores recurſus haberi, ſed ut ſciant ea, quæ populus debet credere, & obſervare de Lege: ſed ad Superiores Sacerdotes, ſcilicet Epiſcopos, pertinet, ut etiam ea, quæ difficultatem in lege facere poſſunt, ſciant, & tanto magis, quanto in majori collocantur.* Vide etiam quę dixi *tr. 5. q. 1. c. 3. quæſ. 3.*

Hinc tamen advertendum eſt, illam ſcientiam, quam dixi debere eſſe in Epiſcopis, non ita neceſſariam eſſe, ut quandoque, omiſſis doctis, non poſſint minus docti ad gradum Epiſcopalem aſſumi. Quando igitur non ita immineat necaſſitas, ut Epiſcopi tueantur Fidem adverſus hęreticos, ſeu Infideles, & aliunde aliquis tanta polleat ſcientia, ut poſſit utcumque obligationes ſui muneris adimplere; tunc ſi in ipſo eluceat prudentia in gubernando, authoritas ad compeſcendos ſubditos, & potentia, ſi opus ſit, ad reſiſtendum, poterit iſta prę aliis Doctis, in quibus hujuſmodi non eluceant, ad Epiſcopatum aſſumi. Ratio eſt, quia defectus majoris ſcientię non difficiliter ſuppletur, difficillime vero defectus prudentię, authoritatis, & potentię; & hac ratione, relictis Doctoribus, multoties aſſumuntur ad dignitates Eccleſiaſticas, Nobiles & Potentes: *Lugo d. 13. ſect. 5. n. 150. Pal. tr. 4. d. 1. p. 10. n. 11.*

R. V. Pręter cognitionem Myſteriorum Fidei, quam ſupra dixi juxta diverſos gradus diverſam quoque eſſe debere, unuſquiſque debet ſcire, quę pertinent ad proprium ſtatum. Ratio eſt, quia nemo conſequi poteſt ſalutem, niſi ſatisfaciat obligationibus, ad quas juxta ſuum ſtatum tenetur; cum autem illis non poſſit ſatisfacere, ſi illas ignoret, ſiva ſi ignoret modum, quo tenetur eas adimplere, ſequitur dabere a ſe removere talem ignorantiam. Hinc Confeſſarius tenetur addiſcere omnia ea, quę ſunt ſui muneris, ſaltem quoad ea, quę ut plurimum accidunt. Paterfamilias tenetur ſcire quas obligationes habeat erga uxorem, quas erga Filios, maxime quantum ad eos ſaltem per alios idoneos inſtruendos, quoad ea, quę pertinent ad Vitam Chriſtianam. Mercator ſcire debet quale ſit juſtum rerum pretium, ſicut & pretium legitimum non admittere magis, & minus: atque ita diſcurrendum de cęteris juxta proprium cujuſcumque gradum.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Dum rudes & Indocti admonentur de eliciendo actum Fidei circa exiſtentiam Dei, & circa articulum de Deo ut Remuneratore, excitandi ſunt ad credendum Deum Authorem Gratię, &c. & Datorem pręmii ęterni; etenim, ut dictum eſt, hujuſmodi per ſe reſpicit Fides, & aliunde rudes quandoque credunt, Deum eſſe ex rebus naturalibus, quę vident: ſicut etiam multoties in praxi non ſolent ab ipſo expectare, niſi bona naturalia, ſcilicet ubertatem fructuum &c.

II. Pœnitens ignorans articulum vel de Dei exiſtentia, vel de Deo Remuneratore, nullatenus eſt capax abſolutionis: etenim iſta explicite credere eſt in omnium ſententia de neceſſitate medii ad juſtificationem, unde etiamſi quis ea inculpabiliter ignoraret eſſet capax acquirendi Gratiam in Sacramento Pœnitentię.

III. Si Pœnitens ignoret Myſteria Trinitatis, & Incarnationis, obſervandum diligenter eſt, an ea ignoraverit vincibiliter, vel invincibiliter. Si vincibiliter, utpote cum ſemper fuerit in ſtatu peccati gravis, non addiſcendo ea, ad quę ſub gravi tenebatur, cogendus eſt ad repetendas omnes anteactas Confeſſiones. Si vero invincibiliter, tunc Confeſſarius non cogere debet Pœnitentem ad repetendas pręteritas Confeſſiones, cum enim probabile ſit, notitiam prędictorum Myſteriorum non eſſe neceſſariam neceſſita-

te medii ad ſalutem, valde etiam probabile eſt, ſi aliud non obſtet præteritas Confeſſiones fuiſſe validas, adeoque non eſſe repetendas. Antequam tamen iterum abſolvat, debet Confeſſarius Pœnitentem circa præfata Myſteria inſtruere; etenim dum agitur de Sacramento conficiendo, ſequi debemus opiniones tutiores, & contrarium damnavit Innocentius XI. in prima propoſitione; & proinde, ne exponat periculo nullitatis Sacramentum, ſi forte notitia Trinitatis, & Incarnationis ſit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, debet pœnitentem de iis, antequam abſolvat, inſtruere. Hic etiam adnotare oportet Innocentium XI. ſub n. 64. ſequentem damnaſſe propoſitionem: *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. Chriſti.*

IV. Si Pœnitens ignoret culpabiliter, ea, quæ tenebatur ſcire neceſſitate præcepti, tunc, ſi cum tali ignorantia alias confeſſus eſt, debet iterum eadem peccata confiteri, & dolere de ignorantia graviter culpabili, cum propoſito addiſcendi ea, ad quæ tenetur; neque enim valide, & licite confeſſus eſt ſua peccata, cum ratione talis ignorantiæ eſſet in ſtatu peccati mortalis. Si vero inculpabiliter ignoraverit, quia e. g. numquam advertit ſe neſcire ea, ad quæ ſcienda ſub gravi tenebatur, tunc ſi habeat verum propoſitum addiſcendi, poteſt abſolvi antequam inſtruatur, etenim ſine notitia eorum, quæ tenemur ſcire neceſſitate præcepti, poſſumus conſequi Gratiam virtute Sacramenti. Cæterum, ſi Pœnitens bis, aut ter admonitus de obligatione addiſcendi ea, quæ tenetur ſcire neceſſitate præcepti, negligat huic obligationi ſatisfacere, non eſt abſolvendus, donec prædicta ſciat, quia dedit juſtum motivum ſuſpicandi de veritate ſui propoſiti; & quia valde neceſſarium eſt, ut ex dilatione abſolutionis moveatur ad cogitandum quam grave malum ſit ignorantia, qua laborat.

V. In caſu, quo Confeſſarius inſtruere deberet Pœnitentem conſtitutum in articulo mortis, omnino curet inſtruere circa Myſteria neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, & ab ipſo actum Fidei explicitum de iiſdem Myſteriis exigat. Non opus eſt deinde, ut defatigetur Infirmus ea memoriter addiſcendo, ſed excitandus eſt ad actum doloris de præterita negligentia, tum in iis addiſcendis, ſicut in addiſcendis iis, ad quæ tenebatur neceſſitate præcepti, & ad propoſitum emendationis, & poſtea auditis, quantum fieri poteſt, aliis peccatis, non eſt differenda abſolutio.

VI. Curare debet doctus Confeſſarius, Pœnitentes plene inſtrui de obligationibus ſui ſtatus, ut illis poſſint ſatisfacere; & ſi iſti, poſtquam fuerunt admoniti, ſint negligentes in iis addiſcendis, debent arceri a Sacramentis, uſque dum a ſe repellant ignorantiam. Id autem maxime advertere debet in audiendis Confeſſionibus aliorum Confeſſariorum. Solet non raro accidere quod aliqui poſtquam fuerunt approbati, vel adepti aliquod Beneficium, parum, ſeu nihil ſtudeant morali Theologiæ, adeoque paulatim obliviſcantur eorum, quibus jam ſtuduerunt, cum maxime plura pendeant a Legibus poſitivis. Hinc videmus quandoque Rectores Animarum maxima laborare ignorantia in propriæ, aliarumque Animarum perniciem. Serio igitur, & graviter admonendi ſunt; & ſi ſtudio, quod neglexerunt, iterum incumbere nolint, utpote impares ad ſatisfaciendum ſuo muneri, non ſunt capaces Sacramentalis abſolutionis.

VII. Cum ex ſupradictis viderimus unumquamque Fidelem plura ſcire debere ſub gravi culpa, ſequitur, Confeſſarium teneri non raro interrogare Pœnitentem de Doctrina Chriſtiana; cum enim interrogare teneatur de peccatis, quæ prudenter timere poteſt commiſiſſe Pœnitentem, pluries interrogare tenebitur de Doctrina Chriſtiana, ut cognoſcat, an Pœnitens ejuſdem habeat ignorantiam graviter culpabilem. Quamvis autem, ordinarie loquendo, de ea non ſint interrogandæ Perſonæ frequenter ad Confeſſionem accedentes, literis vacantes, honeſte educatæ, ſicut etiam Nobiles, nihilominus quoad duo ultima genera perſonarum hujuſmodi regula non eſt univerſaliter vera. Poteſt igitur accidere, quod vir alias honeſte educatus, ſeu Nobilis poſt adoleſcentiam diu ſe cœno vitiorum inquinaverit; ac proinde ratione peccatorum, quæ mentem excæcant, & deſidiæ in legendo ſanctos libros, oblitus ſit eorum, quæ didicit in pueritia.

Curet autem Confeſſarius interrogare Pœnitentes de doctrina Chriſtiana, quoad fieri poteſt, clare, breviter, & diſtincte, ne nimis terreantur. Exempli gratia, ſi interrogetur ruſticus quæ Perſona fuerit Incarnata, fortaſſe ſeu primam, ſeu tertiam reſpondebit: ſed ſi iterum interrogetur, an Pater, ſeu Filius carnem aſſumpſerit, facile reſpondebit Filium. Alia exempla ſuperadedi de eo qui ignoraret articulum *Communionis Sanctorum* ſub his vocibus, quem tamen ſciret, ſi alio modo interrogetur.

CAPUT III.

De præcepto credendi, & quando præceptum affirmativum Fidei obliget tum ad actus internos, tum ad externos.

PRæceptum Fidei, de quo ſtatim agemus, duplex eſt; aliud affirmativum, aliud negativum. Affirmativum importat credere omnia, quæ ab Eccleſia, ut a Deo revelata, proponuntur. Quia tamen præcepta affirmativa obligant quidem ſemper, ſed non pro ſemper, ideo præceptum affirmativum Fidei obligabit tantum pro determinato tempore, & in quibuſdam particularibus caſibus, & circumſtantiis. Negativum vero importat nunquam diſſentire rebus Fidei, & nunquam credere Dogmatibus Fidei noſtræ contrariis: juxta naturam autem præceptorum negativorum obligabit ſemper, & pro ſemper. In præſenti igitur agemus de præcepto affirmativo, acturi poſtmodum de negativo.

Advertendum etiam, præcepta quandoque obligare *per ſe*, quandoque *per accidens*. Tunc aliquod præceptum obligat *per ſe*, quando ſervandum eſt non ob exercendas alias virtutes, ſed quia independenter a quocumque alio, adeſt obligatio ſervandi ipſum præceptum. Tum vero obligat *per accidens*, quando ejus obſervantia eſt neceſſaria ad exercitium aliarum virtutum quarum aliquis actus hic & nunc cadit ſub præcepto. His poſitis.

Q. I. An detur præceptum per ſe obligans ad eliciendum actum Fidei internum?

R. Certum eſt, fideles teneri ad eliciendos actus Fidei internos, unde Alexander VII. ſub n. 1. ſequentem damnavit propoſitionem: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium:* & Innocentius XI. ſub n. 16. ſequentem: *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe*. Quam merito vero damnatæ fuerint præfatæ propoſitiones habetur primo, ex pluribus S. Scripturæ textibus, ex quibus innoteſcit præceptum credendi divina myſteria fide ſupernaturali: Marc. ult. *Qui non crediderit, condemnabitur*. Jo. 13. *Creditis in Deum, & in me credite*. 1. Jo. 3. *Hoc eſt mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus*. Ad Hæbr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo &c.* Habetur ſecundo, ex ratione, nam datur præceptum de apponendis mediis neceſſariis ad ſalutem, ſed actus Fidei ſunt neceſſarii ad ſalutem, ut vidimus capite ſuperiori, & patet etiam, quia Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 6.* dicit eſſe diſpoſitiones neceſſarias ad ſalutem, ergo dicendum eſt actus fidei cadere ſub præcepto: *Sanch. lib. 2 Sum. cap. 1. num.* 1. Cardenas, & Viva in ſupradictas damnatas propoſitiones.

Quod ſi expoſcas, an hujuſmodi præceptum ſit naturale, an poſitivum, reſpondendum eſt cum diſtinctione. Si ideo velit dici naturale, quia ſtatus naturæ ſecundum ſe conſideratæ importet hoc præceptum, in hoc ſenſu falſum eſt dici poſſe naturale: quia natura conſiderata ſecundum ſe, & non ut elevata ad ordinem ſupernaturalem, non poterat importare præceptum de rebus ſupernaturalibus. Si vero ideo naturale dicatur, quia ratio naturalis dictat, quod, ſuppoſita Dei revelatione, ſaltem aliquando Deo credendum eſt, in hoc ſenſu nihil repugnat, quin dici poſſit naturale. Cæterum, abſolute loquendo, præceptum credendi eſt præceptum poſitivum divinum, ut patet ex textibus S. Scripturæ ſupra allatis, & ita eſt ſupernaturale tum ex parte principii, quod eſt Deus ipſe ut Author ſupernaturalis, tum ex parte objecti, & quod ſunt res ſupernaturales. Poteſt etiam dici præceptum poſitivum Eccleſiæ, quatenus etiam Eccleſia vult nos addiſcere Symbolum, Orationem Dominicam, præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, Sacramenta, &c. *Suar. d.* 13. *ſect.* 4. a. 13. *Filiuc. tr.* 22. *c.* 2. *q.* 7. *num.* 48.

Q. II. An præceptum credendi ſæpe obliget.

R. I. Non ſatis eſt actus Fidei ſemel in vita elicere, ut aſſerebat propoſitio 17. ex damnatis ab Innocentio XI. & propoſitio 65. qua dicebatur ſufficere ad ſalutem myſteria Trinitatis, & Incarnationis ſemel crediſſe. Ratio autem poteſt eſſe, quia Fidei actus per ſe ſunt neceſſarii ad bene vivendum, ergo non ſufficiet eos elicere ſemel tantum in vita. Probatur antecedens, quia non poteſt

homo

Digitized by Google

homo bene vivere, niſi non raro convertatur in Deum ultimum finem; ſi enim Dei, ut ultimi finis obliviſcatur, alia ut ſuum finem ultimum reſpiciet, & ita neceſſe erit ipſum labi in plura peccata. Cum igitur non poſſit ſe homo convertere in ultimum finem, niſi præſuppoſito actu Fidei, ſequitur, actus fidei non raro eſſe eliciendos. Ulterius, ſi raro actus fidei exerceantur, facillime homo obliviſcetur, vel non cogitabit de Vita Æterna, de turpitudine peccati, de Deo, ut ſummo bono &c. ad iſta enim aſſurgimus mediantibus Fidei actibus; poſito autem quod diu homo de hujuſmodi non cogitet, non poterit chriſtiane vivere, ac proinde, cum non raro elicere actus Fidei ſit ad ſalutem neceſſarium, conſequens eſt, non raro eſſe eliciendos. Hinc D. Paulus ad *Rom.* 1. ait; *Juſtus ex fide vivit*, quo datur intelligi, quod ſicut frequens cibus neceſſarius eſt ad ſuſtentandum corpus, ita Fides neceſſaria eſt animæ nutriendæ.

Rationes ſupra adductæ probant nec ſatis eſſe elicere actum Fidei ſingulis quinquenniis, ut aliqui dicebant de actu Charitatis, ac proinde damnati fuerunt ab Innocentio XI. cum ſequentem propoſitionem in ordine ſextam proſcripſerit: *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum.* Id inquam, evincunt prædictæ rationes; ſi enim ad quinquennium, vel etiam quadriennium, & triennium actus Fidei differantur, impoſſibile erit hominem chriſtiane vivere, ut unicuique conſideranti conſtabit. Videantur Viva & Cardenas in ſupracitatas damnatas propoſitiones.

Q. III. Quando *per ſe* obliget præceptum de eliciendis Fidei actibus internis.

R. I. per ſe obligat ſtatim ac puer, qui pervenit ad uſum rationis, ſufficientes inſtructus eſt circa Fidei myſteria, quod idem dicendum eſt de adulto Infideli. Et quidem quod Fidei præceptum obliget puerum ſtatim ac fuerit ſufficienter inſtructus, innuit *S. Th.* 2.2. *q* 82. *ar.6.* & probatur, quia, dum puer eſt ſufficienter inſtructus, cognoſcit ſe ordinatum eſſe ad finem ſupernaturalem propriis actibus acquirendum, ergo debet per actum Fidei ſupernaturalem ſe, & omnia ſua in eumdem finem dirigere. Præterea ea, quæ pueris credenda proponuntur, illis proponuntur, ut credenda ex præcepto divino, ideo enim Deus voluit ſtatim ab uſu rationis inſtrui, ut credant, ergo tenentur ex Fidei præcepto credere: *Sanch. l.* 2. *Sum. cap.* 1. *n.* 3. *Bonat. de Fid. diſp.* 3. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 8.

Hac ratione inexcuſabilis eſt infidelis adultus, ſi non credat ſtatim, ac myſteria Fidei ſunt ipſi ſufficienter propoſita; ſicut enim Chriſtus Dominus voluit ſtatim teneri ad credendum illos Infideles, quibus per Apoſtolos ſufficienter Fides propoſita fuit, unde de iis ait *Marc.* 16. *Qui vero non crediderit, condemnabitur*, ita dicendum de illis, quibus ſufficienter eſt Fides propoſita, ſive per Epiſcopos Apoſtolorum Succeſſores, ſive per alios Fideles. Confirmatur, quia ſi dum ſufficienter Infideli propoſita eſt Fides Chriſtiana, poſſet illam non amplecti, ſequeretur non habere obligationem ſe convertendi, & procurandi ſuam ſalutem, quod dicere omnino eſt abſurdum: *Pal. trat.* 4. *d.* 1. *p* 12. *n.* 4. *Azor. l* 8. *c.* 27. *q.* 8. *Reginal. l.* 17. *c.* 2. *ſect.* 1. *n.* 16.

R. II. Obligat *per ſe* præceptum Fidei ad eliciendos actus internos, dum alias gravis tentatio vinci non poteſt, ſicut etiam in articulo mortis. Quod detur hujuſmodi præceptum in caſu gravis tentationis *alias inſuperabilis*, inde conſtat, quia idem præceptum, quo præcipitur credere, præcipitur Fidem eſſe ſervandam; adeoque ſi neceſſarius eſt Fidei actus ad tentationem ſuperandam, id præſtandum eſt ex vi talis præcepti. Dixi *alias inſuperabilis*, quia, ordinarie loquendo, ſi internæ tentationes oriantur ex ſcrupulis, potius augeri ſolent, ſi quis velit eas ejicere ſolicite eliciendo actum Fidei eis contrarium. Conſultius igitur erit vel cogitationem alio divertere, vel ſolum elicere in genere actum Fidei. Si quis e.g. graves patiatur tentationes circa Chriſti realem præſentiam in SS. Euchariſtia, melius erit, ſi alio ſe divertat, vel ſi in genere eliciat actum Fidei, dicendo: *Credo quidquid credit S. Mater Eccleſia*; nam ſolicite elicere actum expreſſum Fidei circa realem præſentiam, forte tentationem augebit. Cæterum id præſtare tenetur ex vi præcepti Fidei, ſi alias ſuperare non poſſet prædictam tentationem. Pertinebit ergo ad prudentem Confeſſarium, juxta Penitentium diverſorum ſtatum, illos inſtruere de modo, quo ſe gerere debent tempore tentationis *Leander d.* 2. *q.* 39.

Idem vero præceptum urgere in articulo mortis probatur, quia ideo ſtatim poſt aſſequutum uſum rationis, & ſufficientem habitam inſtructionem, obligat præceptum de eliciendo actu Fidei interno, quia tenemur nos conjungere Fini ſupernaturali, ad quam fuimus ordinati; ſed hoc a fortiori obligat in periculo mortis, neque enim eſt excogitabile tempus magis neceſſarium ad ſe conjungendum Deo per actus excellentiores Virtutum Theologicarum. Addendum, hominem tunc ſe debere munire, quo magis fieri poteſt, adverſus Diaboli tentationes, quod melius facere non poteſt, quam exercendo actus virtutum Theologicarum: *Suar. d.* 13. *ſect.* 5. *Sanch. l* 2. *Decalog. c.* 1. *n.* 3. *Azor. t.* 1. *l.* 8. *c.* 7. *q.* 6.

R. III. Crebro in vita obligat *per ſe* præceptum eliciendi actus fidei internos. Ut id demonſtretur, obſervandum eſt non raro obligare, ut ſupra dixi, fidei præceptum, quia ſi non aliqua frequentia homo aſſurgat in Deum, credendo ipſum eſſe ſuum ultimum finem, præmii ſupernaturalis largitorem &c. non poterit chriſtiane vivere; & ſe in gravi periculo peccandi conſtituet. Id autem probat non ſine aliqua frequentia teneri ad hujuſmodi actus eliciendos; ſi enim longum tempus inter ipſos intercedat, prædictum periculum non evadet.

Mihi quandoque arridebat illa opinio, qua dicebatur ſatisfieri præcepto fidei, ſi ſemel in anno illius actus elicerentur, ſicut fit ſatis preceptis Confeſſionis, & Communionis, ſi ſemel in anno hujuſmodi Sacramenta ſuſcipiantur. Re autem melius conſiderata, crebrius obligare judicavi; potuit enim rarius obligare præceptum Confeſſionis, & Communionis, quia poſſunt per alios actus ſuppleri eorum effectus, per actus nempe Virtutis Pœnitentiæ, Charitatis & aliarum virtutum; & ita fuerunt qui in deſertis locis ſancte vixerunt, licet etiam pluribus annis fuerint impediti ab hujuſmodi Sacramentis ſuſcipiendis. At actus fidei, utpote qui ſunt initium, & fundamentum cæterorum bonorum actuum ſupernaturalium non poſſunt per alios ſuppleri; ac proinde cum neque poſſit, ex dictis, ſine ipſis diu homo ſine peccato eſſe, qua ratione dicit Apoſtolus, Juſtum ex fide vivere, ſequitur non ſufficere ſemel in anno actus elicere fidei.

Quamvis igitur non credam adeſſe obligationem eliciendi actum Fidei ſingulis diebus, ut aliqui dixerunt, neque ſingulis diebus Dominicis, ut voluit Scotus, id enim non ſufficienter probatur authoritate aliqua Scripturæ, Conciliorum, & PP. puto ſaltem intra quodcumque bimeſtre actum Fidei eſſe eliciendum; nam ſi ſaltem intra bimeſtre homo non aſſurgat per actum fidei in ultimum finem, difficillimum erit, ut non labatur in peccata.

Q. IV Quando præceptum de eliciendis actibus Fidei internis obliget *per accidens*.

R. Præceptum de eliciendis actibus Fidei internis, ex prænotatis initio hujus capitis, per accidens obligat, quando id neceſſarium eſt ad eliciendos actus alterius virtutis, qui hic, & nunc exercendi ſunt. Hinc quando e.g. adeſt præceptum de eliciendis actibus Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ, ſimul per accidens obligabit præceptum de actu Fidei eliciendo; actus enim præfatarum virtutum ſupponunt Fidei actus. Cum igitur nemo ſperare poſſit a Deo æternam retributionem, niſi credat Remuneratorem, nec amare, niſi credat Summum Bonum, nec pœnitere ſicut oportet, niſi credat a Deo juſtificari impium per infuſionem gratiæ ex meritis Jeſu Chriſti, conſequens eſt tales actus, actus etiam Fidei præſupponere.

Hic tamen aliquis inquirere poſſet, an ad prædictos actus eliciendos, & ad alios, quibus Fides prærequiritur, neceſſarius ſit actus Fidei formalis, vel ſufficiat virtualis.

Supponendum igitur eſt, quod actus formalis Fidei eſt actus præſens ejuſdem Fidei, actualiter tendens in objectum revelatum; ut dum quis actu crederet Deum miſericordem, quia ipſe Deus dixit. Actus vero virtualis dicitur ille, qui, poſt habitum actum explicitum Fidei, perſeverat in aliquo effectu, relicto ab eodem actu explicito, & formali. Id explicat S. Th. 2.2. *q.* 1. *ar.* 6. *ad* 3. exemplo itinerantis, qui licet non ſemper cogitet de Patria, quo tendit, adhuc proſequitur ſuum iter; unde virtualiter dicitur velle ad patriam pergere, quia quamvis actu non cogitet de ipſa, adhuc tamen voluntas ad patriam redeundi in ſuo effectu perſeverat, nempe in ipſo actuali itinere, quod fuit effectus explicitæ, & formalis volitionis ad patriam revertendi. Applicando modo dictam doctrinam homini, quem penitet ſui peccati, dicendum eſt, tunc habere actum Fidei formalem, & explicitum

Digitized by Google

quando, quia Deus revelavit, crederet, Deum miſericordem velle impio pœnitenti Gratiam Sanctificantem ex meritis Chriſti conferre. Tunc vero haberet actum Fidei virtualem, quando ex deſiderio redeundi in Gratiam Dei relicto prædicto actu Fidei formali; vel ex timore pœnarum gehennæ, qui remanſit ex actu Fidei, quo credidit æterna ſupplicia; vel ex deſiderio placendi Deo ſumme Bono, relicto ex actu explicito, quo Deum, ut ſumme Bonum credidit, moveretur ad dolendum de ſuis peccatis; cum enim moveretur ad dolendum de peccatis ex effectibus relictis ab actu explicito, & formali Fidei, moveretur ex dictis ab actu Fidei virtuali. His ſuppoſitis.

Dicendum eſt ſufficere, ſi Penitens fidelis, ſe diſponens ad Sacramentum Penitentiæ habeat actum Fidei virtualem; iſte enim ſufficiens eſt, ut vero & ſupernaturali dolore doleat de ſuis peccatis. Id patet, ſi conſideretur, illum, qui ſe vult perfecta contritione diſponere ad Sacramentum Penitentiæ abſque eo quod actu credat Deum ſumme Bonum, quia ſic ipſe revelavit, poſſe dolere ſe ſummum Bonum offendiſſe, ex eo quod talem eſſe ex fide jam cognoverit, abſque eo quod hic, & nunc renovet talem actum. Nec obſtat Tridentinum *ſeſſ.6.c.6.* recenſere actus formales Fidei, & Spei tanquam diſpoſitiones prævias ad juſtificationem; etenim Tridentinum loco citato docet ea, quæ ſolent, non quæ debent ſemper præire juſtificationem. Id conſtat, quia ibi inter actus diſponentes ad juſtificationem ponit etiam timorem de divina juſtitia; nemo autem dixerit, peccatorem non juſtificari abſque tali timore, ſi ex motivo perfectæ contritionis de peccatis doleat.

Q. V. An detur præceptum divinum externæ Fidei confeſſionis.

R. Dari hujuſmodi præceptum conſtat ex illo ad *Rom.* 10. *Corde creditur ad Juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*; ſi igitur confeſſio oris eſt neceſſaria ad ſalutem, ſequitur eam cadere ſub divino præcepto.

Q. VI. Quando obliget præceptum divinum de Fide exterius confitenda.

R. Ex *D. Thoma* 2. 2. *q.* 2. *a.* 2. primo obligat, quando ex omiſſione externæ confeſſionis ſubtraheretur honor Deo debitus, hoc eſt, non quando mere negative ſubtraheretur, ſed contrarie, vel quia ceſſaret honor Deo debitus, vel ignominia afficeretur. Secundo, quando ſubtraheretur utilitas proximi, hoc eſt, quando eſſet neceſſaria externa Fidei confeſſio, ut alii ad Fidem converterentur, vel ad impediendum, ne aliquis Fidem negaret. In his autem caſibus obligat per ſe præceptum externæ Fidei confeſſionis; neque enim ſolum reſpicit proprium cujuſcumque utilitatem, ſed præcipue Divinum honorem, ſicut etiam proximorum ſalutem. *Sanch. l.* 2. *Sum. c.* 4. *n.* 4. *Azor. t.* 1. *l.* 8. *c.* 7. *q.* 7.

Ex his inferendum primo, fidelem a perſona privata interrogatum de ſua Fide, teneri reſpondere, ſi ex ſua taciturnitate, vel Deo honor eſſet ſubtrahendus, vel id exigeret proximi ſpiritualis utilitas. Exemplum ſit in Chriſtiano apud Turcas captivo, qui ſuper alios fulgeret dignitate, doctrina &c. ſi iſte interrogatus de ſua fide a perſona privata, videat ex ſua taciturnitate alios concaptivos ſcandalum paſſuros, & multo magis, ſi videat in fide vacillaturos, vel etiam Chriſtianos conviciandos, & Fidem noſtram a circumſtantibus ridendam; tenetur reſpondere. Secus, ſi hæc incommoda non ſequantur, quia taciturnitatem non eſt neceſſe ſemper ſumi pro Fidei negatione, ſed bene ſumi poteſt pro deſpectu interrogantis; unde qui interrogatus a Perſona privata tacet, idem eſt ac ſi diceret: *Quid ad te? quid tua intereſt? S. Th.* 2. 2. *q.* 3. *ar.* 2. *ad* 2.

Inferendum ſecundo, quod, quando quis interrogatur de ſua Fide a perſona publica, *ut talis eſt*, & maxime *in odium Fidei*, tenetur reſpondere. Contrarium opinionem damnavit Innoc. XI. ſub *n.* 18. dum hanc damnavit propoſitionem; *Si a poteſtate publica quis interrogetur, Fidem in genere confiteri, ut Deo, & Fidei glorioſum conſulo, tacere ut peccaminoſum per ſe non damno.* Ratio autem eſt, quia ex publica confeſſione, facta coram publica poteſtate, magnus in Deum redundat honor, & ex taciturnitate magnus e contra ſubtraheretur honor, & in Fidei contemptum cederet; unde non licet tacere, quia in tali caſu ex taciturnitate magnus Deo honor ſubtrahitur, & fides eſſet contemnenda. Et quidem, ſi quandoque obliget præceptum Fidei confitendæ, tunc maxime dicendum eſt urgere, quando quis de ſua Fide a Tyranno, vel Judice interrogatur. Dixi nihilominus in reſponſione, ſi quis interrogetur a perſona publica, *ut talis eſt*: ſi enim Judex interroget, ut perſona privata, diſcurrendum eſt, ſicut ſupra diximus de eo, qui a perſona privata interrogatur. Addidi *maxime in odium Fidei*: ſi enim fidelis ſecreto interrogetur a Judice de ſua fide, ſolummodo ad extorquendas pecunias, puto poſſe tacere, vel verbis æquivocis eum illudere; neque enim, ita tunc ſe gerendo, ſubtrahit Deo honorem, nec ſpirituali proximorum utilitati præjudicat.

Inferendum tertio, debere Fidem publica confeſſione defendere illum, qui videret ab Infidelibus Chriſtum contumeliis affici, vel S. Imagines calcari: cum enim tunc deſpiciatur Fides noſtra, & Deo magnus honor ſubtrahatur, publica Fidei confeſſione eſt reſarciendus; vel etiam vi injuriæ Deo, & S. Imaginibus illatæ propulſandæ: *Sanch. l.* 2. *Sum. c.* 4. *n.* 5. *Filiuc. tr.* 22. *c.* 3. *q.* 4. *n.* 74. *Bonac. de Fid. diſp.* 3. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 13.

Q. VII. An licite ſe prodat Fidelis cum periculo ſuæ vitæ, ſine ratione neceſſitatis, aut ſecuturæ utilitatis.

R. S. Thomas 2. 2. *qu.* 3. *a.* 2. aſſerit, non eſſe laudabile cum turbatione Infidelium fateri apud ipſos fidem, ſi non oriatur aliqua utilitas ipſius Fidei, vel fidelium. Immo poteſt eſſe id illicitum, quia temere ſe prodendo poteſt quis ſe exponere periculo Fidem negandi; ultra quam quod homo, cum non ſit Dominus ſuæ vitæ, non debet illam exponere ſine magna cauſa propriæ utilitatis ſpiritualis, proximorum, aut honoris Dei. Quod ſi alias quandoque videatur feciſſe aliquis Martyr, vel dicendum eſt id feciſſe ſpeciali S. Spiritus inſtinctu; vel ſi bene perpendatur, apparebit id feciſſe, quando Fides ex ipſius confeſſione erat magis dilatanda, & Dei honor maxime augendus.

Conſtat ex his, bene potuiſſe quandoque Sanctos viros in perſecutione fugere exemplo Chriſti, D. Pauli &c. Ratio eſt, quia fugere, & ſeſe occultare tempore perſecutionis, non eſt Fidem negare, cum potius ille qui fugit, indicet ſe eſſe Chriſtianum. Aliunde autem ſupponitur præſentiam illius, qui fugit, non eſſe neceſſariam ad Fidem promovendam, imbecilles roborandos &c. nam tunc non poſſet fugere: *Lugo d.* 14. *ſect.* 2. *nu.* 42. Id etiam licite præſtarent Paſtores, ſi ipſi ſolummodo ad necem quærerentur, etenim ita agendo poterunt in melioribus circumſtantiis ſe reſtituere ſuo gregi: & e contra, non fugiendo populi privarentur ſuo Paſtore. Si vero non ſolum Paſtor, ſed grex etiam ad necem quærerentur, tunc non liceret Paſtoribus fugere, quia maxime tempore perſecutionis tenentur ex officio Subditorum ſaluti proſpicere; unde ait Chriſtus Joan. 10. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis, Mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit*: *D. Th. in cap.* 10. *Jo. lect.* 3. *Suar. d.* 14. *ſect.* 3. *n.* 12. *Lugo loc. cit.*

Q. Ultimo an detur præceptum Eccleſiæ de Fide externe confitenda.

R. De præcepto Tridentini de Fide profitenda a Proviſis de Beneficiis, Curatis &c. egi tr. 5. q. 1. c. 2. qu. 2. Aliud habetur Decretum ejuſdem Concilii *ſeſſ.* 25. *c.* 2. *de reform.* quo præcipitur promovendos in Patriarchas, Archiepiſcopos, vel Epiſcopos facere debere profeſſionem Fidei in prima Synodo Provinciali, cui interfuerint. Item Greg. XIV. in Decreto incipiente: *Onus Apoſtolicæ Sedis &c.* abſolute obligat omnes Epiſcopos ad faciendam Fidei profeſſionem. Pius IV. idem præcipit omnibus Prælatis Regularibus in ſua Conſt. *Injunctum nobis &c.* & Pius V. in motu proprio *In Sacroſancta &c.* vult id præſtandum eſſe etiam ab omnibus Doctoribus, Magiſtris, Regentibus, aliiſque Profeſſoribus Artium Liberalium &c.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quando præceptum Fidei obligat per ſe, tunc non exercere Fidei actum, eſt ſpeciale peccatum contra Fidei Virtutem, cujus præceptum non obſervatur: quando vero obligat per accidens, cum non obliget niſi ratione alterius virtutis, quæ non poteſt ſine Fidei actu exerceri, ejus omiſſio non eſt ſpeciale peccatum, ſed ſolum peccatur adverſus Virtutem, ad cujus actum quis tenebatur. Hinc ſi quis, dum tenebatur ad eliciendum actum Charitatis, omiſit actum Fidei, qui ad actum charitatis prærequiritur, ſufficit ſi in confeſſione ſe accuſet de omiſſione actus Charitatis. Hæc ſi non obſervet Confeſſarius, non poteſt rectum judicium facere de ſuo penitente.

II.

II. In praxi non niſi rariſſime peccant Fideles contra præceptum de eliciendis actibus Fidei, vel quia non fuerunt inſtructi de tali obligatione, vel quia illius obliviſcuntur, vel quia de facto ſæpius actus Fidei internos eliciunt. Quis enim eſt, qui dum recipit ſacramenta, dum Miſſam audit &c. Fidei actum non exerceat, quamvis multoties ad illum non attendat?

CAPUT IV.

De præcepto non negandi externe Fidem.

Q. I. AN detur præceptum negativum obligans ſemper, & pro ſemper ad non negandum externe Fidem.

R. Id negaverunt Priſcillianiſtæ, aliive Hæretici, at conſtat, dari hujuſmodi præceptum ex *cap. 10. Matth.* ubi dicitur: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo:* & ex *D. Paul. 2. ad Timoth. 2. Si negaverimus, & ipſe negabit nos.* Ratio autem eſt, quia qui negaret externe Fidam, vel id faceret etiam cum animo interiori, vel non. Si cum animo interiori, jam eſt manifeſte Infidelis, & ſe opponit Dei veracitati, quia negat quæ Deus revelavit. Si non, dicit graviſſimum mendacium, negando etenim externe Fidem, negat Deum revelaſſe, quæ vere credit revelaſſe, quod non poteſt eſſe ſine magna Dei irreverentia; eſt etenim idem ac externe dicere, falſum eſſe aliquid, quod Deus revelavit.

Dices licere homini ob aliquem finem honeſtum genuflectere coram Idolo, ut fecit Naaman Syrus, de licentia Eliſei, ut habetur 4. *Reg.* 5. item ſimulare ſe velle Idolo ſacrificare, ſic Jehu 4. *Reg.* 10. ſimulavit ſe velle ſacrificare Baal, ut poſſet illius Prophetas occidere: ergo ſi poteſt quis falſam ſimulare Religionem, poterit etiam veram negare verbis, idem enim eſt mentiri factis, ac verbis.

Contra tamen eſt, quia eodem modo illicitum eſt verbis negare Fidem, ac factis falſam Religionem ſimulare: eo enim ipſo, quod aliquis falſam ſimulet religionem externe negat veram Fidem, unde directe agit contra præceptum de non neganda externa Fide. Confirmatur quia externe ſimulare falſam religionem aſt exhibere cultum Idolo, quod apud profitentes illam religionem veneratur, numquam autem licitum eſt Idolo cultum tribuere &c. Ad illud, quod dicitur de Naaman Syro, reſpondetur non petiiſſe licentiam ſimulandi adorationem Idoli; ſed Regem in Templo comitandi; & quamvis ibi genuflexerit, nihilominus non id fecit, ut Idolum adoraret, ſed ut Regem adorantem ſuſtineret, unde ibi præſtitit actionem mere politicam. Jehu vero, ut dicit *S. Thom. 2. 2. qu. 111. a. 1. ad* 2. non fuit immunis a peccato, dum ſimulavit Baal ſacrificare; ideo autem fuit laudatus a Deo, quia deſtruxit cultum Baal, qua ratione temporaliter fuit remuneratus. Idem jam docuerat *D. Auguſt. l. contra mend. cap.* 2.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Dum nomen Chriſtiani, Papiſtæ &c. aſſumitur *ut nomen Religionis*, non licet explicite negare ſe eſſe Chriſtianum, ſeu Papiſtam; etenim qui negat ſe eſſe Papiſtam &c. negat ſe adhærera Fidei Eccleſiæ Romanæ. Hinc neque licitum eſt affirmare ſe eſſe Turcam, Calviniſtam &c. quia hoc idem eſt ac dicere, ſe negare Fidem Catholicam. Dixi, ſi aſſumatur *ut nomen Religionis*, nam ſi quis e. g. tempore belli interrogaretur a Turca an ſit Chriſtianus non eſſet proprie inquirere de ipſius Fide, ſed potius an ſit Turcarum hoſtis; unde tunc negare ſe eſſe Chriſtianum, non eſſet negare Fidem Chriſtianam.

II. Non licet Chriſtiano, occulte degenti apud Idololatras, thus adolere Idolo, ne detegatur; cum etenim talis actio ſit de ſe primo inſtituta ad ſignificadum cultum Religioſum, quia talia ageret, ſignificaret externe illud Idolum dignum eſſe cultu, quod eſt idem ac externe factis profiteri falſam religionem, & externe negare Fidem Chriſtianam; cum non poſſit externe approbari falſa religio, quin ſimul religio vera ipſi contraria reprobetur.

III. Non licet Catholico ad ſe occultandum uti veſtibus Infidelium per ſe primo inſtitutis ad proteſtationem falſæ religionis, ut eſt veſtis Summi Sacerdotis apud Judæos, & quædam veſtes habentes depictas Imagines Mahumethi, vel alicujus Idoli apud Turcas, & Gentiles. Ratio eſt, quia, licet uſus talium veſtium de ſua natura eſſet actio indifferens, attamen cum de ſe primo inſtitutæ ſint ad falſam fidem proteſtandam, idem eſſet ſe talibus veſtibus induere, ac factis profiteri illam religionem. Ad eum modum quo, licet Cœna Calviniſtica ſit de ſe actio indifferens, attamen non licet Catholicis illi intereſſe, utpote per ſe primo inſtitutæ a Calviniſtis ad proteſtandam ſuam Sectam, & non eſſe Chriſtum realiter præſentem in Euchariſtia.

Dumtaxat ergo licitum erit Chriſtianu deferre in ipſorum regionibus veſtes Infidelium, quæ ſolummodo ſunt propriæ illius nationis, & non ſunt falſæ religionis indicativæ. Secundo licitum erit ob honeſtam cauſam deferre veſtes Infidelium, quibus diſcernuntur homines unius ſectæ ab alia, ut ſunt Tobalia apud Turcas, quæ deferunt Exploratores Chriſtianorum, & alii, qui ſe volunt in eorum terris occultare. Ratio eſt; quia ſicut licitum eſt ob honeſtam cauſam uti verbis æquivocis, licet non in vero ſenſu ſumantur ab audientibus, dummodo ea proferens intendat proferre juxta veram ſignificationem, ita poterit quis uti ob honeſtam cauſam veſtibus Infidelium ob finem ipſorum primarium, qui eſt tegere corpus, relicta quaſcumque alia ſignificatione. Addendum quod, licet ratione ipſarum veſtium diſtinguatur e. g. Turca a Chriſtiano, non tamen ullo pacto eædem veſtes uſurpantur ad proteſtandam falſam Mahurpeti religionem, ſed ad diſtinguendos ſubditos Magni Turcæ ab aliis. Ad eum modum, quo geſtantes Romæ pileum flavum diſtinguuntur a Chriſtianis; at geſtatio illius pilei non eſt ſignum proteſtativum Judaiſmi: ſi hoc enim eſſet, non poſſent Pontifices præcipere Judæis, ut illud ſignum geſtarent.

IV. Licitum eſt Catholico curioſitatis gratia ingredi Templum Hæreticorum, & Synagogas Judæorum, dummodo eorum cæremoniis, vel precibus peculiaribus illius ſectæ nullatenus communicat. Ratio eſt, quia de ſe hujuſmodi ingreſſus non eſt proteſtatio falſæ religionis, dum enim Judæi vident Catholicum ſuam Synagogam intrare, & Hæretici ſuum templum, interpetrantur id facere, ut de eorum ritibus certiores fiant. Id tamen verificatur quando hujuſmodi ingreſſus non aſt frequens; nam tunc; qui ita ſe gereret, ſe periculo perverſionis committeret, ſcandalum præberet, & glorioſiores redderet Hæreticos, ſive Judæos. Advertendum etiam eſt ne Principes hæretici cogant Catholicos adire Templa, & audire conciones hæreticorum in honorem ſuæ falſæ religionis; id enim, ultra periculum perverſionis, & ſcandali, non eſſet ſina plauſu, honore, & incremento hæreſis, quod eſt intrinſece malum. Hinc Paulus V. in Bulla edita anno 1606. definivit, Catholicos non poſſe præfatis Principibus obtemperare.

V. In gravi neceſſitate licitum eſt Catholico, ut ſe occultet apud hæreticos, veſci carnibus diebus ab Eccleſia prohibitis, quia Eccleſiæ præcepta non obligant cum gravi incommodo; & aliunde de ſe eſus carnium non eſt proteſtatio falſæ religionis; cum etiam inter Fideles, abſque eo quod arguantur erroris in Fide, quando que comedantur a guloſis diebus prohibitis. Nec refert, comeſtionem carnium uſurpari apud hæreticos in ſignum adeptæ libertatis a jugo Eccleſiæ Romanæ; remoto etenim ſcandalo, & veræ religionis contemptu, talis comeſtio de ſe primo eſt ordinata ad naturæ ſuſtentationem qua ratione dicit *S. Thom. in 4. d. 38. qu. 2. art. 4. q. 3. ad 3.* licitum eſſe veſci Idolothyto, quando id ſit neceſſarium ad ſui ſuſtentationem, & non adſit religionis contemptus. Verum in praxi puto difficillime licere Catholicis veſci carnibus diebus prohibitis coram hæreticis, quando id cum eis præſtent hæretici in proteſtationem ſuæ Sectæ; ſicut enim nunquam licet intereſſe Cœnæ Calviniſticæ, quia quamvis comeſtio de ſe primo ordinata ſit in ſubſtentationem naturæ, attamen præfata Cœna a Calviniſtis ordinata per ſe primo eſt ad proteſtationem ſui erroris, idem dicendum eſt de uſu carnium in præfatis circumſtantiis.

VI. Ultima regula ſit, non poſſe dari externam Fidei negationem, quæ non ſit peccatum mortale. Ratio eſt, quia, ideo dictum eſt numquam licitum eſſe externe Fidem negare, quia id eſſet taliter mentiri, ut externe diceretur falſum eſſe id, quod Deus revelavit, quod in quacumque materia dicatur, non eſt ſine gravi irreverentia contra Deum Primam Veritatem.

Digitized by Google

CAPUT V.

De Peccatis Fidei oppoſitis, & præcipue de Hæreſi, ejuſque pœnis.

Q. I. **Q**Uid ſit Infidelitas; & quotuplex.

R. I. Peccatum, quod Fidei opponitur, eſt Infidelitas, unde in præſenti non ſumitur pro ea infidelitate, qua aliquis non ſervat promiſſa, ſed qua ſe opponit Fidei Theologicæ.

R. II. Infidelitas duplex eſt, alia negativa, alia poſitiva, ſeu contraria. Infidelitas illorum, quibus non fuit ſufficienter propoſita Fides, dicitur negativa; cum etenim non fuerit illius Fides, ſufficienter propoſita, non poſſunt dici Fidei poſitivam habere repugnantiam. Hinc, ut docet *S. Th.* 2. 2. *qu.* 10. *a.* 1. talis infidelitas non eſt peccatum; fieri enim non poteſt, ut Infidelitas ſit peccatum; ſi non ſit in poteſtate noſtra illam vitare; non poteſt autem eſſe in poteſtate infidelis ſuam vitare Infidelitatem, ſi non ſufficienter illi vera fuerit Fides propoſita. Unde dicebat Apoſtolus ad *Rom.* 10. *Quomodo credent in eum, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine Prædicante?* Contrarium docuit Michael Bajus; unde S. Pius V. & Gregor. XIII. hanc ejus propoſitionem 67. damnarunt: *Infidelitas pure negativa in iis, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.* Notat vero idem S. Thomas hujuſmodi Infideles juſte damnandos ob aliis peccatis; quæ committent; quæ ſi non commiſiſſent, recte vivendo juxta leges Naturæ, Deus vel immediate per ſe, vel per aliquem Angelum, ſeu hominem illis ſuccurriſſet, ut ſaltem inſtruerentur de neceſſariis ad ſalutem.

Infidelitas poſitiva, ſeu contraria eſt voluntaria adhæſio alicui errori Fidei oppoſito, poſtquam iſta ſufficienter fuit propoſita; unde conſurgit, quia voluntas poſtquam Fides fuit ſufficienter propoſita, adhuc vult adhærere falſæ Religioni. Hinc graviſſimum eſt peccatum contra Fidei præceptum, auferens medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem.

Q. II. Quot ſint ſpecies Infidelitatis.

R. A S. Thoma, loco citato, tres ſpecies aſſignantur infidelitatis, Paganiſmus nempe, Judaiſmus, & Hæreſis. Dicitur Paganus, ſeu Gentilis negans utrumque Teſtamentum. Judæus admittit Vetus, & negat Novum. Qui vero aliquid tantum negat de Novo, ſive Veteri Teſtamento, dicitur Hæreticus. Sive, dicas, reſpuentem totaliter Fidem nunquam ſuſceptam eſſe Paganum, pertinaciter adhærentem Fidei ſuſceptæ in figura, eſſe Judæum, ex parte reſpuentem Fidem jam ſibi manifeſtatam, eſſe hæreticum. His ſpeciebus addit S. Thomas *q.* 12. Apoſtaſiam, quæ revera eſt Paganiſmus, vel Judaiſmus, & ſolum differt ab his ex circumſtantia Perſonæ; nam Pagani, & Judæi ſolent dici, qui nunquam Fidem receperunt; Apoſtata vero dicitur ille, qui Fidem jam ſuſceptam in totum reſpuit, & declinat vel ad Paganiſmum, vel ad Judaiſmum.

Q. III. Quid ſit hæreſis.

R. Hæreſis *eſt error intellectus voluntarius contra aliquam Fidei veritatem, cum pertinacia in eo, qui Fidem ſuſcepit.* Dicitur *error intellectus*, nempe judicium erroneum; ſicut enim actus Fidei completur in intellectu, ita & error ipſi contrarius. Dicitur *voluntarius*, hoc eſt, *liber*, alias non eſſet culpabilis. Additur *contra aliquam Fidei veritatem*; hæreſis enim in parte Fidei opponitur. Ulterius debet eſſe error *cum pertinacia*, ſcilicet contra veritatem revelatam ſufficienter propoſitam; unde hæreticus eſt, qui cognoſcit aliquid eſſe contra Fidem, quam docet Eccleſia, & nihilominus ſentit contra talem veritatem. Demum dicitur, *in eo, qui Fidem ſuſcepit*; qui enim per Baptiſmum non intravit in Eccleſiam, non poteſt ab Eccleſia ut hæreticus puniri, quamvis hæreticus eſſet coram Deo aliquam ex Fidei veritatibus negando.

Quod ſi expoſcas, an pro hæretico habendus ſit, qui tantum dubitat de aliqua Veritate revelata, reſpondendum eſt affirmative, ſive dubium ſit poſitivum, judicando propoſitionem de Fide eſſe dubiam; ſive negativum, ſuſpendendo aſſenſum judicii circa talem propoſitionem. Ratio eſt, quia cum ratio formalis credendi ſit Divina revelatio, non ſolum ipſi repugnat non credere, ſed dubitare etiam de iis, quæ revelata ſunt; nam cum certum, & infallibile ſit, Deum vera dicere, ſumme injurioſum ipſi eſt, vel judicare dubiam eſſe propoſitionem revelatam, vel judicare poſſe circa illam ſuſpendi aſſenſum judicii, quaſi non ſatis fidat teſtimonio Dei dicentis. Hinc *c.* 1. *de Hæret.* abſolute dicitur: *Dubius in Fide eſt Infidelis: Suar. diſput.* 19. *de Fid. ſect.* 4. *nu.* 12. *Petr. Hurtad. de Fid. diſp.* 80. *ſect.* 4. *§.* 22. *Coninch. de Act. ſupern. diſp.* 18. *d.* 7. *nu.* 102. Quod ſi hujuſmodi dubia ſint involuntaria, & illa patiens curet ſe alio divertere, nullo modo in his adeſt peccatum. Signa defectus conſenſus ſunt dolor, & moleſtia, quam quis patitur in iſtis dubiis; recurſus ad Deum pro his repellendis &c.

Q. IV. Quæ ignorantia ab hæreſi excuſet.

R. I. Non eſt dubium ignorantiam inculpabilem ab hæreſi excuſare, quia excuſat a peccato quocumque: Item excuſat ab hæreſi ignorantia leviter culpabilis; neque enim datur peccatum mortale, ſi ignorantia ſit leviter culpabilis, adeoque nec peccatum hæreſis. Quæſtio ergo ſolummodo eſſe poteſt de ignorantia craſſa & ſupina, & de ignorantia affectata: de quibus dictum eſt *tr.* 5. *q.* 2. *c.* 3. *quæſ.* 1.

R. II. Qui errat in Fide ex ignorantia craſſa, vel ſupina, excuſatur ab hæreſi; nam qui ita ignorat non habet affectum ad peccatum; ſed ſolum ex deſidia, & negligentia non vult a ſe repellere ignorantiam, quæ eſt cauſa peccati. Exemplum ſit in Viro Eccleſiaſtico, qui ex ignorantia craſſa & ſupina neſcit quæ pertinent ad ſuum ſtatum; iſte non cupit male adminiſtrare e.g. Sacramenta, ut de facto evenit propter ſuam ignorantiam; ſed potius vellet ea rite adminiſtrare, & ſolum eſt culpabilis, quia non vult a ſe excludere deſidiam, & torporem in addiſcendo. Cum igitur, qui ignorat ex ignorantia craſſa, & ſupina, non habeat affectum ad peccatum, quod ex ea ſequitur, hinc evenit errantem in Fide ratione talis ignorantiæ non amare ſuum errorem; unde paratus erit ad ſe corrigendum ſtatim ac ſufficienter proponetur ipſi Veritas fidei, circa quam errat. Ex hoc autem clare conſtat non eſſe hæreticum: hæreticus enim eſt, qui vult, ſeu eſt pertinax in ſuo errore, etiam poſtquam Fides eſt ipſi ſufficienter propoſita: *Lugo de pœnit. d.* 16. *ſect.* 4. & *de Fid. d.* 20. *ſect.* 6. *Hurtad. d.* 82. *§.* 50. *Palaus de Fid. d.* 3. *p.* 2. *num.* 3.

Ex his conſtat cur ignorantia craſſa, & ſupina in aliis materiis non excuſet a peccato, quod ex ea ſequitur, bene vero excuſet a peccato hæreſis. Ratio diſcriminis eſt, quia ad peccandum in aliis materiis non requiritur pertinacia, ſed ſatis eſt ſi actio peccaminoſa ſit voluntaria in ſe, vel in ſua cauſa. At ut quis formaliter peccet contra veritatem revelatam, & ab Eccleſia propoſitam, quod eſt peccare peccato hæreſis, oportet quod ſit pertinax, nempe quod nolit credere, etiam poſtquam eadem Veritas fuerit illi ſufficienter propoſita; quod non ſequitur, ex dictis in eo, qui ignorat myſteria Fidei ex ignorantia craſſa, & ſupina. Hic igitur non peccabit directe contra Fidem, ſed contra obligationem ſciendi res Fidei, & neceſſaria ad ſalutem.

R. III. Qui ex ignorantia affectata errat in Fide, excuſari non poteſt a peccato hæreſis, ſi nolit ex ſuo errore diſcedere, quia parvipendat authoritatem Eccleſiæ, nam tunc convincitur eſſe in ſuo errorem pertinacem: *Maſtr. in Theol. Moral. d.* 10 *num.* 24. Si vero velit ignorare veram Fidem, non quia eam, ſive Eccleſiam parvipendat, ſed quia timet ex cognitione veræ Fidei ſe impediendum a diſſolutionibus in ſua Secta permiſſis, hic non videtur hæreticus; potius etenim videtur conſenſurus, ſi cognoſceret, & ideo vult ignorare, Cum igitur in eo deſit pertinacia, quæ conſurgit eo, quod reſpuatur articulus Fidei ſufficienter propoſitus; neque datur proprie hæreſis: *p. damnamus*: 2. *de Sum. Trini. can. dixit Apoſtolus* 24. *q.* 3.

Q. V. Quæ ſint pœnæ contra Hæreticos latæ.

R. I. Jam de Excommunicatione, quæ contrahitur ob crimen hæreſis, & quando contrahatur dixi *Tr.* 4. *q.* 2. *c.* 1. *quæſ.* 2. Item de Irregularitate annexa crimini hæreſis egi *ibid. q.* 7. *c.* 4. *quæſ.* 4. Pariter quando Hæreticus privetur Beneficio, & juriſdictione dictum eſt *q.* 2. *c. un. quæſ.* 7. & 8. Denique privandum Eccleſiaſtica ſepultura dixi *ibid. quæſ.* 6.

R. II. Etiam pœnæ temporales ſunt in multiplici differentia. Prima eſt, quod filii hæreticorum non poſſunt admitti ad officium Eccleſiaſticum, vel publicum. Secunda, confiſcatio bonorum. Tertia, incapacitas ſucceſſionis, hæreditatis, legati, donationis, &c. Quarta, privatio Dignitatum. Quinta, exemptio Filiorum a patria poteſtate. Sexta, privatio dominii in ſervos ſuos. Ultima

pœna

Digitized by Google

pœna carceris, flagellationis, exilii, mortis &c. De his omnibus late dixerunt Canoniſtæ.

Q. VI. Ob quam hæreſim incurrantur prædictæ pœnæ.

R. Qualiter ſe debeat habere peccatum hæreſis ad incurrendas pœnas contra Hæreticos latas dixi *Tr. 4 qu. 3. c. 1. quæſ. 2.*

Q. VII. Quæ verba, aut ſigna ſufficiant ad manifeſtandam hæreſim internam.

R. Talia eſſe debent, ut ex ſe, vel ex conſuetudine, vel ex aliis circumſtantiis, præcipue ex qualitate Perſonæ complete, & integre exprimant hæreſim internam; ſi enim non ſint, non poſſunt complete externam reddere hæreſim, adeoque neque propter eam poſſunt incurri pœnæ, quæ incurruntur ab hæreticis externis. Additur, verba, ſeu ſigna manifeſtativa hæreſis debere eſſe peccatum grave in materia hæreſis, alias non haberet locum excommunicatio contra hæreticos lata, utpote quæ non incurritur niſi ob culpam gravem externam hæreſis. *Suar. d. 21. ſect. 2. Palaus tr. 4. d. 3. p. 3. n. 1.*

Difficultas autem eſt, an ſi verba ſint æquivoca, ita ut ultra ſenſum hæreticum, habeant etiam catholicum, ſufficiant ab incurrendas dictas pœnas. Et quidem loquendo de foro externo, puto præfata verba non eſſe ſufficientia ad infligendas pœnas, quibus plectuntur hæretici; nam verba æquivoca ſolum denotant delictum incertum, unde eis correſpondere non poteſt pœna certa. Præterea omnia jura volunt, abſolvendum eſſe reum, cujus delictum non ſatis probatur, at non ſatis probatur crimen hæreſis prolatæ verbis æquivocis. Denique odia, quoad fieri poteſt, ſemper ſunt reſtringenda; unde &c. *Palaus loc. cit. n. 3.*

Quoad forum vero internum, dico, quod qui protulit verbis æquivocis hæreſim, quam vere habet in corde, incidit in excommunicationem contra hæreticos latam. Ratio eſt quia, quamvis verba æquivoca habeant alium ſenſum, tamen habent etiam ſenſum quo plene manifeſtant internam hæreſim, & ita fit externa, adeoque obnoxia pœnis hæreticorum. Confirmatur, quia, licet hæreſis externa ſit occulta, ut dum quis ſolus in cubiculo eam proferret, attamen ex communi Theologorum incurritur excommunicatio: *Suar. de Fid. d. 21. ſect. 2. n. 6. Sanch. l. 2. Decal. c. 8. n. 6. Barb. de poteſt. Epiſc. alleg. 49. num. 9.* unde ex paritate rationis idem dicendum in caſu præſenti; quamvis propter æquivocationem hæreſis remaneant occulta. Probatur autem paritas, quia ideo in primo caſu incurritur excommunicatio, quia hæreſis vere eſt externa; & ulterius dum exercetur punitiva juriſdictio per ſententiam generalem, maxime in pœnis ſpiritualibus medicinalibus, ſatis eſt delictum innoteſcere peccanti, etiamſi actualem ipſius cognitionem non habeat Judex. Hinc dum per ſententiam generalem fertur excommunicatio in illum, qui hoc, vel illud fecerit, ad eam incurrendam ſufficit ſi quis externe delinquat contra talem ſententiam, abſque eo quod id ſciat Judex. Cum igitur proferens verbis æquivocis ſuam internam hæreſim, externam illam reddat, & ſciat ſe hæreſim internam protuliſſe, fecit quantum oportebat ad incurrendam excomunicationem & *Suar. cit. n. 10. Sanch. cit. nu. 26. Bonac. de Cenſ. d. 2. q. 5. p. 2. num. 6.* Vide etiam quæ dixi *tr. 4. q. 3. c. 1. quæſ. 2.*

Hinc tamen advertere oportet ad effectum incurrendi pœnas non poſſe dici hæreticum externum, qui ſuam hæreſim ſacramentaliter confitetur, vel de ea conſulit virum Doctum. Ratio, eſt, quia in utroque caſu facit actionem bonam; unde propter illam non poteſt eſſe obnoxius alicui pœnæ, & maxime excommunicationi: *Suar. ibid. Sanch. n. 19. Azor. t. 1. l. 8. c. 10. q. 5.*

Q. VIII. An licitum ſit Catholicis diſputare de rebus Fidei cum Infidelibus, ſeu Hæreticis.

R. *In cap. Quicumque §. Inhibemus de Hæret. in 6.* extat prohibitum Laicis publice, vel privatim diſputare de rebus Fidei ſub pœna excommunicationis, quæ tamen non eſt latæ, ſed ferendæ, & patet ex litera textus, & ex Gloſſa verb. *immodetur*. Cum tamen odia ſint reſtringenda, hoc pœnale decretum intelligendum eſt de diſputatione formali, quæ fit ad defendendam, vel perſuadendam veritatem, non vero de diſputatione materiali, quæ habetur exercitii gratia, vel ad acuendum ingenium. Hæc igitur diſputatio materialis, ſi non fiat coram illiteratis, qui facile decipiuntur, unum pro alio intelligendo, ſive ſi non oriatur ex dubitatione de aliquo articulo Fidei, licita eſſe poteſt, quia fieri poteſt ex optimo fine, ſcilicet ad doctrinam capeſſendam, ad inveſtigandas ſolutiones argumentorum &c.

Difficultas major eſt, an Laici docti comprehendantur in ſupradicto decreto. Et quidem, ſi ſermo ſit de locis, ubi admixti ſunt hæretici cum Catholicis, ibi conſuetudo invaluit, ut etiam Laici continuas diſputationes habeant de rebus Fidei. Extra prædicta loca, utique etiam Laicis doctis licita eſt prædicta diſputatio, ſi adeſſet magna neceſſitas Fidem tuendi, & nullus eſſet Clericus, qui id vellet, ſeu poſſet præſtare, tunc enim ſupracitata prohibitio eſſet Fidei nociva, adeoque non attendenda. Hinc communiter dicitur, quod quando finis legis ceſſat contrarie, ipſa etiam lex ceſſat.

Extra prædictum caſum puto probabilius eſſe, non licere Laico etiam docto diſputare de Fide cum Adverſariis Fidei. Ratio mihi eſt, quia, quamvis finis intentus a Lege in aliquo caſu particulari non habeat locum, adhuc tamen non ceſſat lex; nam Leges non feruntur de iis, quæ raro, ſed de iis, quæ communiter, & ut plarimum accidunt, ut habetur *leg. nam ea ff. de leg.* & dixi *Tr. 3. q. 4. c. 1.* Porro finis legis prohibentis laicis diſputare de fide cum Hæreticis, & Infidelibus, fuit amovere periculum perverſionis, & Fidei contemptum, qui finis, licet ceſſaret, diſputante Laico docto, adhuc tamen ut plurimum adeſt, dum diſputant Laici; unde remanet in ſuo robore lex prohibens Laicis diſputare de Fide cum noſtris Adverſariis: *Paſſerin. in cap. quicumque 2. de hæret. n. 22. & ſeqq.*

Remanet ergo, ut ſolum licitum ſit de rebus Fidei diſputare iis, qui veniunt nomine Clericorum. Advertere tamen oportet, quod ſi hi ſufficienti ſcientia non polleant illicite id præſtarent, quia exponerent Fidem Infidelium ludibrio, dum viderent tam male tueri; & ulterius eſſet periculum perverſionis in illiteratis, qui audirent. Regulæ pro praxi in fine ſequentis capitis legendæ ſunt.

CAPUT VI.

De Obligatione Hæreticos denunciandi.

Q. I. AN omnes Fideles teneantur denunciare Hæreticos.

R. I. Omnes Fideles tenentur denunciare Judicibus hæreticos, ſi ſint publici: *can. quapropter 2. q. 7. & cap. 2. de hæret.* Id etiam probat S. Thomas 2. 2. *qu. 33. art. 7.* quia quando peccatum eſt publicum, non ſolum eſt neceſſarium remedium propter neceſſitatem ſpiritualem illius, qui peccavit, ſed etiam, ne alii inducantur in errorem; hoc autem remedium non poteſt convenienter adhiberi niſi per denunciationem.

R. II. Denunciandi ſunt hæretici etiam occulti, quamvis ipſorum delictum non poſſit probari. Contraria opinio fuit damnata ab Alexandro VII., dum ſub numero 5. hanc damnavit propoſitionem: *Quamvis evidenter conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.* Ratio autem eſt, quia quamvis accuſator, cum ſit pars in judicio petens, teneatur probare delictum, de quo aliquem accuſat, id tamen non tenetur præſtare Denunciator, cum ſolum patefacit Judici crimen, abſque eo, quod petat, ſicut Accuſator vindictam a Judice, relinquendo ipſius conſcientiæ, ut procedat quo melius procedendum eſſe ipſi videbitur: *cap. ſuper his de accuſ.*, & ibi communiter Canoniſtæ; unde cum denunciator non teneatur probare delictum, non poterit ſe excuſare a denunciatione per hoc, quod illud non valeat probare. Confirmatur, quia, ut bene diſcurrit S. Thomas loco ſupra citato: *Quædam peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel ſpirituale, puta, ſi aliquis occulte tractet, quomodo Civitas tradatur hoſtibus, vel ſi hæreticus privatim homines a Fide avertat. Et quia, qui ſic occulte peccat, non ſolum in ſe peccat, ſed etiam in alios, oportet ſtatim procedere ad denunciationem, ut hujuſmodi nocumentum impediatur.*

Accedit, denunciationem criminis occulti, quod non poſſet probari, non eſſe inutilem, ut dicebant Authores contrariæ ſententiæ. Primo, utilis eſt Eccleſiæ; cum etenim Judex Eccleſiaſticus poſſit ex denunciatione procedere ad inquirendum de tali crimine, & diligentius obſervare actiones perſonæ denunciatæ, impeditur ne hæreſis creſcat. Secundo eſt utilis Delinquenti, etenim a Judice admonitus fortaſſe a peccato commiſſo emendabitur: *Azor. t. 1. l. 8. cap. 19. q. 9. Suar. d. 20. ſect. 4. nu. 7.*

R. III. Nullus excuſatur a denunciando hæretico, ſive publico, ſive occulto, etiamſi ſit Filius, Uxor,

Soror

Soror &c. Quamvis igitur non deſint Authores contrarium ſuſtinentes, noſtra tamen reſponſio videtur tenenda, ſi obſervetur, jus naturale, & divinum velle, ut bonum commune anteponatur unicuique bono particulari; cum igitur ratione hæreſis, quæ ſemper, ut cancer ſerpit, periclitetur bonum commune Fidei, ſequitur huic malo ſemper occurrendum eſſe, non obſtante quocumque damno, quod etiam ipſi Patri poſſit evenire. Confirmatur, quia Filius tenetur manifeſtare Patrem proditorem Principis, aut Patriæ, & ex hoc nullam incurrit infamiam; *leg. quiſquis §. ult. cap. ad Legem Juliam Majeſtatis*, & id, quia periclitatur bonum publicum, & commune, ergo multo magis denunciandus eſt hæreticus Dei proditor, & Catholicæ Religionis deſtructor. Non habet proinde hic locum ea doctrina, qua dicitur, præcepta Eccleſiæ non obligare cum gravi incommodo; nam in caſibus ſupradictis obligatio denunciandi oritur etiam ex jure naturali, & divino, quod obligat ad ſuccurrendum bono communi etiam cum vitæ periculo: & eo maxime dum agitur de bono Religionis, quod ſemper hæretici ſive manifeſti, ſive occulti curant deſtruere: *Navar. in Sum. cap. 15. Tolet l. 5. cap. 1. num. 1. Sanch. t. 2. Conſil. l. 6. cap. 2. dub. 19. num. 3. & 6. Bonac. de oblig. denunciat. diſp. 6. p. 1. §. 3. nu. 6. & p. 2. nu. 3. Bordon. t. 1. c. 31. n. 11. Barboſ. de Offic. Epiſc. p. 3. all. 96. n. 56.*

Q. II. An Denunciationi præmittenda ſit privata correctio.

R. Ante denunciationem non eſt neceſſarium præmittere privatam correctionem. Non pauci ex motivo præmittendæ correctionis fraternæ ſe retrahebant a denunciandis hæreticis, vel committentibus alia crimina ſpectantia ad Tribunal S. Inquiſitionis, ſed hanc opinionem improbabilitatis nota inurit Alex. VII. ſpeciali bulla, quæ eſt nonageſima octava hujus Pontificis, ut videre eſt in Bullario. Ratio igitur, cur non ſit præmittenda correctio denunciationi, eſt quia Tribunal S. Inquiſitionis imponens denunciationem judicialem, non ſolum habet pro fine emendationem Delinquentis, ſed etiam publicam correctionem, & ſecuritatem aliorum Fidelium; quamvis autem quis emendaretur privata correctione, ex alio capite, nempe ob publicam punitionem, neceſſaria eſt denunciatio: *Barboſ. cit. nu. 69.* Præterea non facile eſt credere, hæreticum fore emendandum ea privata correctione, ſed potius juſte timendum eſſet eum fingere emendationem, ne denuncietur, & aufugiat pœnas hæreticorum. Demum non ſatis eſt privata fraterna correctio ad emendationem eorum, quos fortaſſe ſecreto in errorem duxit; unde iſti perſeverarent in ſuo errore, ſi non viderent punitum, & publice correctum Magiſtrum ſui erroris.

Ex his conſtat, non habere locum in præſenti præceptum de correctione fraterna latum a Chriſto Domino Matth. 18. illis verbis: *Si peccaverit in te frater tuus vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Primo, quia præceptum correctionis habet locum, quando ſperatur aliquis fructus; experientia autem conſtat, ſimplicem correctionem ſolum deſervire, ut tales homines in poſterum occultentur. Secundo, non urget præceptum fraternæ correctionis, quando aliud expoſcit bonum publicum; id autem expoſcit ut hæretici ſecreto non corrigantur, ne occultentur, & quod judicialiter denuncientur, ut publica criminis vindicta alios reddat cautos. Pariter neceſſaria eſt denunciationem non ſolum, ut ab Eccleſia corrigantur illi, qui hæreſim docuerunt, ſed etiam, ut corrigantur illi, quos ipſe denunciandus in errorem induxit: *Suar. de Fid. diſp. 20. ſect. 4. num. 11. Azor. t. 1. l. 8. c. 19. q. 9. Sanch. l. 2. c. 32. n. 47. Barb. 3. p. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 97. n. 69.*

Q. III. An ſit denunciandus Hæreticus, qui emendatus reputatur.

R. Eſt denunciandus Hæreticus, etiamſi emendatus reputetur. Iſta reſponſio patet ex jam dictis, nam præceptum denunciandi non ſolum reſpicit emendationem Delinquentis, ſed inſuper publicam correctionem, & ſecuritatem aliorum; ac proinde non ceſſat per emendationem ipſius Delinquentis; quia hæc non eſt finis adæquatus præcepti, ſive Legis imponentis denunciationem. Confirmatur, quia, quamvis lex fundata in præſumptione facti ceſſet, quando falſa eſt præſumptio, non tamen ceſſat lex fundata in præſumptione periculi, licet illud, quod timetur, non adſit in aliquo caſu particulari. Hinc, quia lex Tridentini irritantis matrimonia clandeſtina fundatur in præſumptione periculi, quod adſint multæ fallaciæ in iis celebrandis, non ceſſat, licet in aliquo particulari matrimonio clandeſtino ceſſarent omnino hujuſmodi fallaciæ. Cum ergo lex de denunciandis Hæreticis præcipue fundetur in periculo perverſionis aliorum, non ceſſabit a ſua obligatione iſta lex, quamvis propter emendationem in aliquo caſu particulari non timeatur prædicta perverſio: *Barboſ. cit.*

Denique addi poteſt, quod cum nunquam poſſit eſſe omnino certa emendatio hæretici, quia hæreſis eſt error in intellectu, in quem nullus homo valet introſpicere, & aliunde hujuſmodi homines ſint valde callidi; & cum e contra certum ſit adeſſe præceptum de denunciandis Hæreticis; poſſeſſio ſtabit pro præcepto, quod proinde eſt adimplendum: *Suar. cit. num. 13. Azor. loc. cit. Bordon. t. 1. c. 31. n. 4.*

Q. IV. An denunciandi ſint quos putamus eſſe hæreticos ex levibus indiciis; vel quia audivimus a Perſonis parum fide dignis; vel quia credere poſſimus erraſſe ex ignorantia, lapſu linguæ, metu &c.

R. I. Cum unuſquiſque ſit in poſſeſſione ſuæ famæ, non eſt ea expoliandus, ipſum tanquam hæreticum denunciando ex levibus indiciis, quæ nequidem parere valent prudentem ſuſpicionem; & ſic nullatenus attenduntur in quocumque Tribunali. Item non poteſt eſſe mens S. Inquiſitionis, ut quis abſque ſufficienti fundamento exponatur periculo infamiæ: *Bonac de Cenſ. d. 2. q. 6. p. 1. num. 13. Navar. in cap. inter verba num. 292. Sanch. de Matrim. l. 3. d. 13. num. 7.*

R. II. Quamvis alias probabile crediderim denunciandum eſſe illum, quem audivi eſſe hæreticum a Perſonis parum fide dignis, modo tamen dico etiam eſſe probabile in prædicto caſu non adeſſe onus denunciationis, quia tales Perſonæ non præſtant prudens fundamentum ad ſuſpicandum aliquem eſſe hæreticum; unde ex eorum teſtimonio non eſt exponendus periculo infamiæ: *Navar. l. 5. Conſil. tit. de hæret. conſil. 3. Sayrus in Clavi regia l. 12. c. 14. n. 3. Leſſ. l. 2. c. 30. d. 6. num. 7. Fagund. de præcept. Eccl. l. 4. c. 3. n. 31.*

R. III. Non ſunt denunciandi, qui ex ignorantia, lapſu linguæ &c. protulerunt aliquam hæreſim. Ratio eſt, quia lex de denuntiandis hæreticis intelligenda eſt de hæreticis; qui proprie ſunt tales, nempe de iis, qui ſunt culpabiles, & pertinaces in ſuo errore, quales non ſunt, qui hæreſim ex ignorantia protulerunt; nam corriguntur ſtatim ac cognoſcunt ſuum errorem: ſicut idem præſtant, qui hæreſim lapſu linguæ pronuntiarunt. *Navar. c. 17. n. 115. Gibal. de Cenſ. d. 2. q. 6. n. 18.*

Q. V. An Hæreticus teneatur ſeipſum, vel ſocios denuntiare.

R. Semper cum juridice non interrogetur, non tenetur denunciare ſeipſum, quia præcepta poſitiva debent eſſe humanæ fragilitati accommodata; nec tale reputaretur hujuſmodi præceptum. Hinc *can. quid aliquando de pœnit. diſt.* 1. illa regula habetur: *Non dico, ut te prodas.* Eadem ratione non tenetur ſocios ſuæ hæreſis denuntiare, cum id ordinarie fieri non poſſit, niſi ſimul manifeſtaret ſeipſum: *Trullench. l. 1. in Decal. cap. 2. dub. 6. n. 4. Dian. tr. de Denunc. reſol. 8.* & ſolum teneretur ſeipſum, & ſocios denuntiare, quando ita ob bonum commune expediret, in quo caſu ceſſat obligatio ſervandi ſecreti naturalis, & ſolummodo nullus adſtrui poteſt caſus, in quo non ſit ſervandum ſecretum ſacramentale: *D. Th. 2. 2. qu. 70. a. 1. ad 2.*

Q. VI. Quas pœnas incurrant non denuntiantes.

R. Ex edicto S. Inquiſitionis ipſo facto incurritur excommunicatio reſervata, a qua omittens denunciare non poteſt abſolvi uſquedum denuntiet. Eadem pœna renovatur in noſtro Synodo, ubi fertur excommunicatio reſervata contra eos, qui intra quindecim dies non denuntiant.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Si aliquis ſe accuſat in Sacramento Pœnitentiæ de aliqua hæreſi, ſeu blaſphemia hæreticali, primo interrogandus eſt, an in eam inciderit ex ignorantia inculpabili, vel etiam craſſa, & ſupina; nam tunc non ſubjacet pœnis latis contra hæreticos. Si vero non excuſetur ratione ignorantiæ, interrogandus eſt, an vere crediderit hæreſim, de qua ſe accuſat, & credidit, an externe protulerit; nam ſi dumtaxat interne fuit hæreticus, poteſt a quocumque abſolvi. Quod ſi credidit, & etiam externe protulit, quamvis nullo præſente, iterum interrogandus eſt, an ſciverit adeſſe excommunicationem reſervatam latam contra hæreticos. Si neſcivit,

ad-

Digitized by Google

adhuc poteſt a quocumque abſolvi, nam cenſura non ligat ignorantem eamdem cenſuram, ut habetur *cap. Ut animarum de Conſt. in 6.* Si vero non ignoraverit Cenſuram, non poteſt niſi de licentia Summi Pontificis abſolvi. Quod ſi non credidit hæreſim, ſive blaſphemiam hæreticalem, quam externe protulit, tunc denuo interrogandus eſt, an illam protulerit coram aliis; & ſi alter non adfuit, poteſt a ſimplici Confeſſario abſolvi, neque enim eſt obnoxius pœnis hæreticorum, qui etiam non habet hæreſim internam. Si vero protulit coram aliis, non poteſt abſolvi a ſimplici Confeſſario, propter primum Caſum reſervatum in noſtra Diœceſi.

II. In peccato hæreſis nulla datur parvitas materiæ; in quacumque enim re, quæ alias parvi momenti reputaretur, non credere Deo revelanti, ut facit hæreticus, eſt illi facere gravem injuriam. An vero detur parvitas materiæ in lectione libri Hæreticorum; & quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum eo, qui legit, ſeu retinet hujuſmodi libros, & quoſcumque alios libros prohibitos, dixi *tract. 4. q. 3. c. 1. qu. 2.*

III. Cum dixerim non eſſe denunciandos eos, qui lapſu linguæ, vel ex ignorantia pronuntiaverint aliquam hæreſim, hinc primo non ſunt denuntiandi illi, qui in decurſu ſermonis aliquid dicunt contra Fidem, at ſtatim ſe emendant; unde faciunt cognoſcere ſe ex lapſu linguæ erraſſe. Idem dicendum, ſi dum audientes illos advertant hæreſim protuliſſe, affirment id non conſideraſſe, & ſtatim ſe corrigant. Secundo, non ſunt denunciandi Concionatores aliquam propoſitionem hæreticalem proferentes; non poteſt enim prudenter præſumi ex animo dixiſſe, ſed ex incuria, aut inconſideratione, vel etiam ex ignorantia; non pauci enim ex iis, qui toti ſunt in concionibus conficiendis, ſcientiarum ſtudium negligunt. Quod ſi hujuſmodi Concionator non ſemel hujuſmodi propoſitiones protuliſſet, vel aliquid ſuſpicionis eſſet de puritate ipſius Fidei tunc utique eſſet denunciandus; ac idem dicendum de prædictis.

Ratione ignorantiæ non ſunt denunciandi homines ſimplices, maxime ſi pii ſint, mulieres, ruſtici &c. qui hæreſim etiam ex animo protulerunt, dum, ſi admoneantur, ſtatim ſe corrigant. Quamvis autem non præſumatur ignorantia, ſed malitia, dum quis errat in iis, quæ paſſim, & communiter non ignorantur ab hominibus illius qualitatis; nihilominus hoc generaliter non eſt verum. Exemplum ſit in ruſtico, qui interrogatus de Perſona Divina, quæ carnem aſſumpſerit, reſpondeat eam fuiſſe Patrem, vel Sp. S., ut quandoque michi etiam accidit. Certum eſt hunc articulum communiter a Ruſticis non ignorari; & nihilominus non ex hoc ſequitur, præfatum ruſticum non erraſſe ex ignorantia; Maxima igitur prudentia requiritur in audientibus, ut non ſæpe ſe eximant a denuntiando propter præſumptionem ignorantiæ in eo, qui hæreſim protulit; & e contra, ut non denuncient eum, quem quiſquis prudens cognoſcere poteſt ex ignorantia erraſſe.

Q U Æ S T I O II.

De Spe.

POſito Fidei fundamento ſuper ipſum Spem conſurgere conveniens eſt; etenim cum S. Fides edoceat, quæ nobis bona ſint in Cœlis parata, ad illa aſſequenda aſſurgere, mediante Spei Virtute, debemus.

C A P U T I.

De Spe, & præcepto illius.

Q. I. QUid ſit Spes.

R. In præſenti non ſumitur Spes pro objecto ſperato, quo ſenſu dicitur ad Tit. 2. *Expectantes beatam ſpem*, nec pro eo, in cujus auxilio ſperamus, unde dicitur pſalm. 21. *Tu es, qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea*, ſed pro habitu ſupernaturali, qui per ſuos actus tendit in æternam beatitudinem. Hunc habitum dari patet ex Apoſtolo ad Corinth. 13. ubi ait: *Manent nunc Fides, Spes, Charitas.* Spes ita accepta dicitur: *Habitus ſupernaturalis, quo ſperamus beatitudinem ſupernaturalem, conſequendam auxiliis nobis collatis ex meritis Chriſti, & noſtra cooperatione, quia Deus eſt Fidelis, Miſericors, & Omnipotens.*

Dicitur *habitus ſupernaturalis*, quia non eſt habitus acquiſitus noſtris actibus, ſed nobis a Deo infuſus. Additur, *quo ſperamus beatitudinem ſupernaturalem*, nempe poſſidere Deum, mediante ipſius viſione, cum enim ſperemus beatitudinem omnino ſatiativam noſtri appetitus, hæc eſſe non poteſt, niſi Deus per viſionem poſſidendus. Quia tamen nec Deum aſſequi poſſumus ſolis auxiliis Gratiæ, nihil ex parte noſtra operando, quia ex infinitis S. Scripturæ locis, Deus futurus eſt merces etiam noſtrorum bonorum operum, & quia nec ſola noſtra bona opera ſine Gratiæ auxiliis valent aſſequi Deum, cum operibus naturalibus debita non ſit beatitudo ſupernaturalis, ideo ponitur in definitione Spei, quod Deus, ut eſt noſtra beatitudo, eſt aſſequendus *auxiliis Gratiæ collatis ex meritis Chriſti, & noſtra cooperatione.* Demum dicitur *quia Deus eſt Fidelis, Miſericors, & Omnipotens.* Hæc verba explicant motivum, cui innititur Spes, qua firmiſſime confidimus beatitudinem nos obtenturos. Sicut igitur movemur ad ſperandum aliquid ab amico, quia credimus eum velle, & poſſe id nobis dare, ita ex his motivis ſperamus a Deo beatitudinem. Hanc autem concipimus eum velle nobis dare, quia eſt fidelis, hoc eſt, quia non poteſt non adimplere ſua promiſſa, tum quia eſt infinite Miſericors; ſicut etiam ſcimus poſſe nobis dare, quia eſt Omnipotens: *S. Th. 2. 2. q. 17. a. 5.*

Q. II. Quale ſit objectum Spei Theologicæ.

R. I. Objectum *formale quod* Spei Theologicæ eſt ipſe Deus, ut a nobis per viſionem poſſidendus. Ratio eſt, quia objectum *formale quod*, ut diximus agentes de objecto Fidei, eſt illud, in quod primo, & per ſe tendit aliqua potentia, vel habitus; unde objectum formale quod Spei erit illud, in quod primo, & per ſe ipſa ſpes fertur: cum autem ſpes ſupernaturalis feratur in objectum ſupernaturale omnino ſatiativum appetitus, quod non poteſt eſſe niſi Deus, ut a nobis poſſidendus, ſequitur, ipſum ut a nobis poſſidendum eſſe objectum formale quod Spei.

Hinc habemus, Spem eſſe virtutem Theologicam, cum immediate verſetur circa Deum; etenim illius objectum eſt ipſe Deus per beatitudinem conſequendus. Speramus quidem a Deo etiam alia bona, & præcipue auxilia Gratiæ; at quia in hæc non fertur Spes primo, & per ſe, ſed dumtaxat quatenus ad Deum aſſequendum referuntur, ideo hujuſmodi bona ſunt objectum ſecundarium ipſius ſpei.

R. II. Objectum *formale quo* Spei eſt ipſe Deus, ut fidelis, miſericors, & omnipotens. Id etiam conſtat ex dictis in explicando Fidei objecto, ibi enim diximus, *objectum formale quo*, ſeu rationem *formalem ſub qua* eſſe illud, quod nos movet ad aliquid agendum. Sicut igitur diximus objectum *formale quo* Fidei eſſe Primam Veritatem, ut revelantem, quia divina revelatio movet nos ad credendum, ita cum moveamur ad ſperandam Dei conſequutionem ex divina Fidelitate, Miſericordia, & Omnipotentia, ſequitur ex his conſtitui objectum *formale quo* ipſius Spei.

Q. III. An detur præceptum de eliciendis actibus ſpei; & quando obliget.

R. I. Certum eſt dari hujuſmodi præceptum, quapropter Alexander VII. hanc primam propoſitionem damnavit: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Si ergo tenetur homo aliquando elicere actus ſpei, ſignum eſt de illis dari præceptum. Et quidem dari hujuſmodi præceptum probatur authoritate, & ratione. Authoritate, inquam, cum pſalm. 4. dicatur. *Sperate in Domino*, pſalm. 33. *Beatus vir qui ſperat in eo*, 1. ad Timoth. 6. *Præcipe non ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vero.* Ratione etiam probatur, quia unuſquiſque tenetur tendere in finem ſupernaturalem, ad quem fuit elevatus, ſed tendere in ipſum importat etiam actum Spei, contendentis aſſequi prædictum finem, ergo actus ſpei tendentis in finem cadit ſub præcepto.

R. II. Iſtud præceptum aliquando obligat *per ſe*; aliquando *per accidens*, ut diximus de Fidei præcepto. obligabit *per ſe*, dum quis aſſequutus eſt uſum rationis, quia tunc homo tenetur ſtatuere velle conſequi finem ſupernaturalem, ad quem fuit elevatus, quod fieri nequit ſine actu Spei. Item *per ſe* obligabit, quando aliquis non poſſet vincere tentationem contra ſpem, niſi actum ſpei eliciendo, quando eſt in articulo mortis; ac denique non ſemel in anno. Hæc omnia conſtant ex dictis de Fidei præcepto. Obligabit vero *per accidens*, quando actus ſpei ſunt neceſſarii ad ſatisfaciendum aliis præceptis, quæ ſine actibus ſpei non valent adimpleri. Hinc *per accidens* obligabit præceptum

Spei,

Digitized by Google

ſpei, quando obligat præceptum orationis, quia hoc adimpleri non poteſt ſine actu Spei; quando homo tenetur de anteacta via pœnitere, quod non fit ſine ſpe veniæ; quando actus Spei eſſet neceſſarius ad vincendas tentationes in aliis materiis &c.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Ut homo rudis excitetur ad actum Spei eliciendum, debet edoceri, Deum non ſolum eſſe fidelem in obſervandis ſuis promiſſis, & miſericordem, adeoque velle dare nobis ſaltem auxilia ſufficientia ad aſſequendam ſalutem; ſed etiam eſſe Omnipotentem, & per conſequens poſſe eam nobis conferre. Inſuper eſt edocendus, prædicta auxilia nobis Chriſtum Dominum promeruiſſe, quibus tamen addenda eſt noſtra cooperatio; cum Vita Æterna ſit merces noſtrorum bonorum operum, quæ Dei ſupernaturali auxilio adimplemus. Poſtquam vero ita fuerit inſtructus, Rector animatum ipſum ita edoceat actum Spei efformare: *Spero auxilio mihi collato ex meritis Chriſti ac meorum bonorum operum cooperatione, me conſequuturam Vitam Æternam, quia Deus eſt Fidelis, Miſericors, & Omnipotens.*

II. Edoceat ſecundo, quod quamvis actus Spei oriatur ex amore concupiſcentiæ, ſive proprii ſpiritualis intereſſe, non tamen ſiſtendum eſt, tanquam in Fine ultimo, in Deo, ut bono nobis; talis enim actus eſſet peccaminoſus, quia perverteremus rationem Finis ultimi omnium noſtrarum operationum, qui eſt Deus ipſe independenter a quocumque noſtro intereſſe. Quamvis igitur adſit præceptum ſperandi Vitam Æternam, dum tamen ipſam inquirimus, & ſperamus, non debemus ulteriorem finem excludere, ſed debemus ultimo referre in ipſum Deum, & ipſius Gloriam; ac proinde ultimo eamdem beatitudinem inquirere, ut majori libertate poſſimus ipſum Deum amare, glorificare &c. Hanc tamen relationem noſtræ Beatitudinis in ipſum Deum, licet optimum ſit eſſe actualem, ſufficit tamen ſi ſit habitualis, non excludendo ipſam relationem in Deum, ut ultimum finem, in quem ex natura ſua tendunt omnes ſupernaturales operationes.

III. Denique hic habent locum fere omnes illæ regulæ, quas in ſuperiori quæſtione adnotavimus, agentes de præcepto Fidei, ſcilicet tunc ſpeciali peccato infringi præceptum Spei, quando obligat per ſe, non vero quando obligat per accidens; raro peccari contra hujuſmodi præceptum; vel quia rudes tempus, quo obligat, ignorant: vel quia ſepæ eliciuntur hujuſmodi actus, dum otamus; & animadvertendum quoque, quod dum dicimus præceptum Spei *per accidens* obligare, ſufficit actus virtualis illius, ut diximus in tertio quæſito capitis tertii ſuperioris quæſtionis de actu Fidei.

C A P U T II.

De Timore.

CUM S. Thomas, poſtquam 2. 2. *qu.* 17. egit de Spe, deinde *qu.* 19. agat de dono Timoris, ideo cum pluribus Theologis illius veſtigiis inhærendo, hanc materiam breviter elucidabo, eo maxime, quia nonnulla neceſſario in praxi addiſcenda continet.

Q. I. Quid ſit Timor, & quale ejus objectum.

R. I. Timor, ex D. Thoma *p.* 2. *qu.* 42. *ar.* 3. poteſt ita definiri: *Timor eſt fuga mali ardui futuri, quod non poteſt facile vitari.* Dicitur quod ſit de malo arduo; parva enim mala non timentur. Additur *quod non facile vitari poteſt*; unde ſupponitur hoc malum, non quidem adhuc veniſſe, ac proinde dicitur *futurum*, ſed nihilominus imminere a potente illud infligere, & nos non habere vires ad illud facile vitandum; ſi enim incutiatur timor vel ab eo, qui non eſt potens malum inferre, vel habeamus vires ad illud facile vitandum, nulla eſt juſta cauſa timendi.

R. II. Ex definitione hucuſque explicata facile eſt cognoſcere quale ſit objectum timoris. Iſtud igitur objectum primo, erit malum, quod homo refugit; quia tamen iſtud malum conſideratur tanquam nobis imminens ab aliqua cauſa, quæ cauſa reſpectu pœnæ debitæ peccatis, eſt Deus ipſorum vindex, ſequitur, completum objectum timoris eſſe ipſam pœnam, ut a Deo infligendam. Hinc in S. Scriptura pluries Dei timor proponitur; quamvis enim, ut dicit *S. Th.* 2. 2. *qu.* 19. *art.* 1. Deus timeri non poſſit quatenus eſt ſumma bonitas, poteſt tamen eſſe objectum timoris, quatenus eſt peccatorum Vindex.

Q. II. Quotuplex ſit timor.

R. D. Thomas loco ſupra citato, quem ſequuntur omnes Theologi, quatrupliciter dividit timorem, nimirum in mundanum, ſervilem, initialem, & filialem. Timor mundanus eſt ille, quo propter mala temporalia, quæ timemus, Dei infringimus præcepta, qui timor reprehenditur *Matth.* 10., ubi dicitur: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Ille etiam dicitur timor mundanus, quo aliquis taliter ex horrore pœnæ vitat culpam, ut habeat effectum conditionatum ad peccatum, quod ſcilicet committere vellet, ſi pœna non adeſſet. Timor ſervilis appellatur ille, qui nos movet ad inhærendum Deo ob gehennæ timorem. De hoc timore dicitur Matth. 10. *Timete eum, qui poteſt animam, & corpus mittere in gehennam.* Ideo autem talis timor ſervilis appellatur, quia proprium eſt ſervorum non operari ex amore erga Dominum, ſed ex timore pœnæ, & ſupplicii. Timor initialis ille eſt, quo propter timorem culpæ, & pœnæ a peccato recedimus, qui timor non obſcure ſignificatur *Eccleſ.* 2. illis verbis: *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Ideo autem *initialis* appellatur quia communiter adeſt initio converſionis, ſternendo viam ad timorem filialem. Denique qui vitant peccatum, ac Deo firmiter adhærendum decernunt, quia ipſum peccatum conſiderant uti offenſa Patris Cœleſtis, hi dicuntur habere timorem filialem: boni enim filii eſt ob hnc unicum motivum Patris offenſam timere: De hoc timore loquens Apoſtolus *ad Rom. Non accepiſtis ſpiritum ſervitatis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis Filiorum.*

Q. III. An omnes ſupradicti timorea ſint honeſti, & laudabiles.

R. I. Certum eſt, timorem mundanum eſſe malum, & peccaminoſum; ſi quis enim, ne amittat temporalia, infringat Dei præcepta, jam reus eſt legis violatæ, & ulterius magis exiſtimat mundana, quam Dei legem, bona cœleſtia &c. Pariter ſi abſtineat a peccato propter timorem Inferni, taliter ut ſi non eſſet Infernus vellet peccare, peccat, quia conſervat affectum ad peccatum, & ulterius pœnam præfert culpæ, quod eſt maxime iniquum, cum ſuper ipſam Inferni pœnam, magis, ſit timenda Dei offenſa &c.

R. II. Timor ſervilis eſt actus bonus, & ſupernaturalis. Ut id probetur, ſuppono, timorem ſervilem non comparare pœnam cum culpa, illam magis æſtimando; hic enim eſſet actus malus, & proprius timoris, quem alii appellant ſerviliter ſervilem. Suppono ſecundo, quod qui ex tali timore gehennæ vitat peccatum, non excludat poſitive alium finem, ex quo fortaſſe moveretur ad vitandum peccatum, ſi hic & nunc non illud vitaret ex timore Inferni. Hic igitur eſt taliter affectus, quod licet hic & nunc vitet peccatum ob timorem Inferni, non tamen excludit aliud motivum, ex quo illud poſſet vitare, ſed ab eo præſcindit. Hoc poſito.

Probatur honeſtas timoris ſervilis, quia, ut vidimus in ſuperiori quæſito, commendatur in Evangelio, unde Concilium Tridentinum *ſeſſ.* [6.] *can.* 8. ita habet: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad Dei miſericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut Peccatores pejores facere anathema ſit.* Eamdem tradit doctrinam *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Hinc Alexander VIII. ſub n. 14. ſequentem damnavit propoſitionem: *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis:* & ſub n. 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.*

Ratione vero probatur, quia recta ratio judicat pœnam Inferni eſſe fugiendam, odio dignam &c., ergo fugere peccatum, ut illa vitetur eſt operari juxta rectam rationem, adeoque laudabiliter. Cum vero ipſa Fides dictet, talem pœnam a Deo Vindice paratam eſſe peccato mortali, ſequitur, ita operantem ex motivo ſupernaturali Fidei, habere non ſolum actum bonum, ſed etiam ſupernaturalem. Neque ſequitur, fugientem peccatum propter pœnam, vel magis æſtimare pœnam, quam culpam: vel peccare velle, ſi non eſſet Infernus. Non ſequitur primum, quia, qui ex motivo pœnæ fugit culpam, non comparat illas inter ſe; magis culpam æſtimando, ſed ſolum aſſumit motivum ſufficiens, & honeſtum ad culpam vitandam, quod licitum eſt. Item non ſequitur, quod vellet peccare, ſi non eſſet Infernus, quia,

cum

Digitized by Google

cum non excludat, ſed præſcindat ab aliis motivis, quæ illum retrahere poſſent a peccato, bene poſſet ex alio motivo honeſto, e. g. ex turpitudine peccati, ex timore amittendæ gloriæ &c. peccatum non committere, quamvis Infernum non eſſet.

Hoc totum confirmatur exemplo illius, qui refugit peccatum, ne æternam beatitudinem amittat. Utique hic honeſte operaretur, quia recta ratio dictat, proſequendam eſſe æternam beatitudinem; ac proinde Alexander VIII. hanc ſub n. 13. damnavit propoſitionem: *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.* Et tamen utique male operaretur, ſi ita eſſet effectus, ut nollet bene operari, ſi non eſſet æterna merces, quia tunc parvipenderet alia motiva excellentiora, nempe obedientiam Deo debitam infinitam Dei bonitatem, cui famulari deberemus, quamvis nullum conſtituiſſet nobis præmium. Sicut igitur qui vitat peccatum intuitu mercedis non amittendæ, dicitur bene operari, quia non excludit motiva præſtantiora, quibus fortaſſe moveretur ad vitandum peccatum, etiamſi non eſſet Æterna merces; ita avenit in caſu noſtro.

R. *III.* Super omnes alios timores excellentior eſt timor caſtus, & filialis. Iſta reſponſio de ſe patet; nihilominus probanda eſt dumtaxat ad bene percipiendum quid ſtricte timor caſtus, & filialis. Timor igitur filialis refugit culpam, quatenus inducit ſeparationem Dei ab homine, ipſum privando Gratia, & aliis donis, quæ ſeparatio explicat pœnam omnino oppoſitam Charitati; ac proinde, cum iſte timor oriatur ab eadem Charitate, qua quis vellet Deum ſibi unitum, non poteſt non eſſe optimus, & conſequenter recenſetur inter dona Spiritus Sancti. Sic igitur timor ſervilis oritur ab amore concupiſcentiæ & intereſſato; timet enim peccatum ex deſiderio fugiendi pœnam nobis ſumme nocivam; ſic timor filialis oritur ex amore perfectæ charitatis, dum quis refugit peccatum, ne ſeparetur a Patre Cœleſti ſumme dilecto.

Cum timor initialis partim habeat de timore ſervili, partim de filiali, ſatis conſtat ejus bonitas, per quod demonſtrata remaneat bonitas, & honeſtas utriuſque timoris.

Regula in praxi Obſervanda.

Cum ut plurimum rudes odio habeant peccata ex gehennæ timore, ut ſe præparent ad juſtificationem in ſacramento aſſequendam per actum attritionis, debet Rector Animarum illos graviter admonere, maxime dum edocet doctrinam Chriſtianam, nil deſervire hujuſmodi timorem, ſi affectus ad peccatum in eorum corde perſeveret; quod evenit, quando ita ſunt diſpoſiti, ut ſi non eſſet Infernus, peccarent. Ad vitandum hoc periculum, optimum erit, ſi excitentur ad dolendum de ſuis peccatis propter offenſam Dei ſumme dilecti.

Id autem maxime advertendum eſt, dum auditur confeſſio alicujus moribundi, qui non chriſtiane vixit, vel protrahendo uſque ad illud tempus reſtitutiones, quas tenebatur in vita facere; vel quia nunquam ex corde inimico pepercit, ſive domi habuit concubinam, aut continuas proximas peccandi occaſiones. Communiter dicunt Sancti PP., potius peccata hos moribundos deſerere, non vero ex corde deſeri ab his moribundis, cum dumtaxat de illis doleant propter ſupplicium, quod ſibi imminere vident, alias ſua ſcelera non odio habituri. Quantum igitur fieri poteſt, ad actum contritionis ſunt excitandi, ne maximo diſcrimini ipſorum ponatur ſalus, quia, ut dixi, ſi dumtaxat doleant ex gehennæ timore, valde timendum eſt, ut affectum ad peccatum non dimittant.

CAPUT III.

De peccatis oppoſitis Spei.

Q. I. Quot ſint peccata Spei oppoſita.

R. Vitia, ſive peccata Spei oppoſita ſunt duo, nempe Deſperatio, & Præſumptio. Sicut igitur principale motivum ſperandi eſt Divina Miſericordia, & Omnipotentia; ita ſi non eo modo, quo fieri debet, reſpiciantur hujuſmodi motiva, conſurgunt duo prædicta peccata. Qui ergo male ſentit de Divina miſericordia, & Omnipotentia, vel non vult ipſis fidere, incidit in Deſperationem; qui in iiſdem nimis confidit, incidit in Præſumptionem.

Q. II. Quid ſit Deſperatio; & quale peccatum.

R. I. Deſperatio eſt *voluntas efficax, qua Peccator ſtatuit non proſequi Vitam Æternam ex Divina Miſericordia conſequendam.* Bonitas hujus definitionis exinde patet quod cum Spes habeat tendere ad conſequendam Beatitudinem, licet arduam, ex divino auxilio conſequendam, deſperatio ipſi contraria habebit eamdem beatitudinem reſpuere, quod oriri poteſt, vel quia Peccator credat Deum impotentem ad ipſum ſalvandum; vel quia judicet eſſe moraliter impoſſibile conſequi veniam ob multitudinem ſuorum peccatorum; unde decernit non apponere media ad eam conſequendam.

R. II. Deſperatio eſt peccatum mortale, quia opponitur Divinæ Miſericordiæ, & Omnipotentiæ, quod non eſt ſine gravi Dei injuria. Sentit vero S. Thomas 2. 2. *q.* 20. *a.* 3. quod licet deſperatio ſit peccatum gravius cæteris peccatis, quibus contra alias Virtutes morales operamur, lædit enim ſpem theologicam, quæ præfatis virtutibus eſt excellentior, attamen ſit minus peccatum odio Dei, quod opponitur Charitati, & infidelitate, quæ opponitur Fidei: *Infidelitas*, ait S Doctor, *& odium Dei ſunt contra Deum, ſecundum quod in ſe eſt: Deſperatio autem ſecundum quod ejus bonum participatur a nobis. Unde majus peccatum eſt, ſecundum ſe loquendo, non credere Dei veritatem, vel odiſſe Deum, quam non ſperare Gloriam conſequi ab ipſo.* Cum hoc tamen ſtat, deſperationem eſſe periculoſiorem ex parte peccatoris; ſublata enim ſpe, homines effrænate in vitia ruunt.

R. III. Deſperatio aliquando eſt conjuncta cum peccato hæreſis, aliquando non. Poteſt igitur quis ex duplici motivo incidere in peccatum deſperationis. Primo, ſi judicet, quod etiamſi conetur ſe diſponere ad gratiam, Deus nolit, vel non poſſit illum ſalvare; & cum hoc judicium contineat hæreſim, ſequitur, tunc deſperationem eſſe cum hæreſi conjunctam. Secundo, poteſt quis deſperare, non quia judicet Deum nolle, nec poſſe illum ſalvare, ſed quia judicat ſibi utile, ſeu jucundum deſperare ob aliquem finem, quem intendit, puta, ut liberius peccet &c. Ad eam modum quo, qui furatur non judicat ſibi eſſe licitum furari, ſed furatur, quia e. g. judicat furtum ſibi utile ad laute vivendum, ludendum &c. In hoc igitur caſu patet, ſtare deſperationem ſine hæreſi.

Q. III. Quid ſit præſumptio, & quale peccatum.

R. I. *Præſumptio eſt inordinata confidentia in Divina Miſericordia, ſive in propriis operibus factis ex ſolis naturæ viribus.* Advertendum igitur eſt, Deum in præſenti Providentia decreviſſe non ſalvare nos ſine nobis, hoc eſt, ſine noſtra cooperatione, ut ſupra dictum eſt. E contra, cum bona opera naturalia nullam dicant proportionem ad Beatitudinem ſupernaturalem, iiſdem bonis operibus ſine auxilio gratiæ non poſſumus ſaltem adipiſci, & contrarium dicere fuit error Pelagianorum. Vel igitur ſperamus Gloriam ſine noſtris meritis ex ſola Dei Miſericordia; vel ex ſolis noſtris operibus naturalibus ſine auxilio ſupernaturali Gratiæ, dicimur ſemper præſumere, quia tendimus in Beatitudinem ea ratione, & modo, quo in præſenti Providentia non eſt ab Adulto aſſequibilis.

R. II. Peccatum Præſumptionis grave ex ſe eſt, ſed minus grave peccato Deſperationis, quod ita probat S. Thomas 2. 2. *q.* 21. *art.* 2 *Dicendum quod omnis motus appetitivus, qui conformiter ſe habet ad intellectum falſum, ſecundum ſe malus eſt, & peccatum: præſumptio autem eſt motus appetitivus, quia importat quamdam ſpem inordinatam; habet autem ſe conformiter intellectui falſo, ſicut & deſperatio. Sicut enim falſum eſt, quod Deus pœnitentibus non indulgeat, vel quod peccantes ad pœnitentiam non convertat, ita falſum eſt quod in peccato perſeverantibus veniam concedat, & a bono ceſſantibus opere, gloriam largiatur: cui æſtimationi conformiter ſe habet præſumptionis motus, & ideo præſumptio eſt peccatum. Minus tamen, quam Deſperatio, quoniam magis proprium eſt Deo miſereri, & parcere, quam punire &c.*

R. III. Peccatum Præſumptionis aliquando eſt conjunctum cum hæreſi, aliquando non. Si igitur aliquis ſperaret cum Pelagianis conſequi Gloriam ſolis propriis viribus; vel putaret cum pluribus ex Proteſtantibus, non eſſe neceſſaria bona opera ad aſſequendam Beatitudinem, hic utique hæreticus eſſet. Quod ſi aliquis non conſiderando, Fidem docere non poſſe, aſſequi Gloriam ſine Dei auxilio, & noſtra cooperatione, adhuc ſperaret Gloriam, quamvis nollet recedere a peccato, iſte peccaret peccato præſumptionis, ſed non eſſet hæreticus, quia non attenderet ad ea, quæ Fides dictat, neque judicaret, Salutem ſibi eſſe futuram abſque Gratia, & bonis operibus, in quo judicio proprie conſiſtit hæreſis. Be-

ne

ut autem notat *Suarez. de Spe diſp. 2. ſect. 1. n. 2.* raro dari peccatum præſumptionis ſine hæreſi, cum difficile ſit hæc duo conjungere: credere nempe Gloriam non poſſe aſſequi ſine Gratia, ſimulque bonis operibus, & ex alia parte præſumere illam aſſequi vel ſine Gratia, vel ſine bonis operibus.

Q. IV. An proprie peccet peccato præſumptionis, qui differt pœnitere de ſolis peccatis uſque ad mortem.

R. Huic quæſito ſolutionem dat S. Thomas 2. 2. *qu. 21. a. 2.* ubi ſic ait. *Peccare cum propoſito perſeverandi in peccato ſub ſpe veniæ ad præſumptionem pertinet; & hoc non diminuit, ſed auget peccatum. Peccare autem ſub ſpe veniæ quandoque percipiendæ, cum propoſito abſtinendi a peccato; & pœnitendi de peccato, hoc non eſt præſumptionis, ſed peccatum diminuit, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.* Qui igitur, licet nolit hic & nunc recedere a peccato, adhuc tamen habet propoſitum reſipiſcendi ante mortem, & propter hoc ſperat conſequi Gloriam, non peccat proprie peccato præſumptionis, quia ipſius ſpes adhuc innititur Dei auxilio; & bonis operibus, quæ ſperat facere, dum reſipiſcet; adeoque cum innitatur motivo proprio ipſius ſpei, non habet actum ipſi contrarium. Iſte igitur nimis differendo pœnitentiam, potius peccat contra præceptum, quo prohibemur non illam nimis procraſtinare. Solum ergo peccat peccato præſumptionis proprie dictæ, qui perſeverat in peccato ſine animo pœnitendi, & adhuc ſperat beatitudinem.

Regula in praxi obſervanda.

I. Qui incidit in peccatum Deſperationis, vel præſumptionis, ſi non excuſetur a gravi culpa ex defectu deliberationis, non eſt excuſandus ex parvitate materiæ; deſperans etenim de ſua ſalute injuriam facit Dei Miſericordiæ, & Omnipotentiæ, & qui præſumit, injuriam facit ſaltem Juſtitiæ Dei Vindicativæ, unde tales injuriæ, quæ immediate reſpiciunt Divina Attributa, non poſſunt leves exiſtimari.

II. Si aliquis conjungat peccatum Deſperationis cum hæreſi, tunc non poteſt a ſimplici Confeſſario abſolvi, niſi hæreſis fuerit mere interna, vel ſi fuit externa, niſi peccans ignoraverit cenſuram latam in Bulla Cœnæ contra hæreticos, ut alias dictum eſt.

Q U Æ S T I O III.

De Charitate.

C A P U T I.

De Eſſentia, & Objecto Charitatis, & de Præcepto diligendi Deum.

Q. I. Quid ſit Charitas.

R. Charitas, quæ aliis Theologicis virtutibus major eſt, juxta illud Apoſtoli 1. *ad Cor. 3. Major horum eſt Charitas*, recte definitur: *Habitus ſupernaturalis, a Deo infuſus, quo diligimus Deum propter ſe, & Proximum propter Deum.* Dicitur *habitus ſupernaturalis infuſus*, quia a Deo infunditur juxta illud Apoſt. ad Rom. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum.* Additur *quo diligimus Deum propter ſe*, ſcilicet, quatenus eſt ſumma Bonitas, & ſuper omnia amabilis. Illa vero verba, & *proximum propter Deum*, ſignificant nos debere amare proximos ex aliquo motivo reſpiciente ipſum Deum, ut ſtatim dicam. At cum Charitas proximos etiam reſpiciat, ideo in ſequentibus Capitibus ad quid obliget explicabo.

Q. II. Quale ſit objectum Charitatis.

R. I. Objectum formale *quod* Charitatis eſt Deus infinite Bonus. Ratio eſt, quia cum Charitas, omnium Virtutum Regina, inclinet ad perfectiſſimam dilectionem, habebit etiam pro objecto formali *quod* perfectiſſimum diligibile; at iſtud perfectiſſimum diligibile eſt Deus infinite Bonus. Hinc habetur, Proximum, qui ex charitate amatur, eſſe objectum ſecundarium ejuſdem Charitatis; etenim illud eſt objectum ſecundarium, in quod aliquis non tendit, niſi in ordine ad objectum formale *quod*, ſeu objectum primarium; charitas autem non reſpicit proximum propter ſe, ſed in ordine ad Deum, quatenus ad ipſum pertinet, vel ut Servum, vel ut Amicum, & Filium &c.

R. II. Objectum *formale quo* Charitatis eſt ipſa Infinita Bonitas Divina. Ratio eſt, quia Charitas tendit in Deum perfecto amore amicitiæ; cum autem amor amicitiæ amet Amicum, non propter intereſſe Amantis, ſed propter ipſum Amicum, & ejus bonitatem, ſequitur, Charitatem moveri ad amandum Deum ratione ipſius bonitatis Divinæ. Hinc S. Thomas 2. 2. *quæſt. 23. art. 6.* notat quod Fides, & Spes attingunt Deum, quatenus ex ipſo nobis aliquid provenit; Fides enim attingit Deum, quatenus ex ipſo nobis provenit cognitio veri; Spes quatenus Deus habet nobis dare promiſſam beatitudinem; Charitas vero non fertur in Deum, quia ex ipſo aliquid nobis proveniat, ſed quia in ſe eſt infinite bonus, adeoque ſuper omnia amabilis, etiamſi nil nobis vellet elargiri.

Eo ipſo autem quod Charitas moveatur ad amandum Deum ratione infinitæ ſuæ Bonitatis, ex eodem motivo inclinabitur ad amandum proximum; dum enim quis amat Amicum propter Amici amabilitatem, movetur ex eodem amore amicitiæ ad amandum quod pertinet ad ipſum, & ad volendum quod ipſi placet. Cum igitur omnes proximi pertineant ad Deum, vel ut Servi, vel ut Filii, & quatenus voluit, omnes eſſe capaces ſuæ beatitudinis; & ulterius placeat Deo, ut omnes amentur, inde eſt, quod qui amat Deum amore charitatis, adeoque amore perfectæ amicitiæ, movetur ex ipſius bonitate ad amandum etiam omnes proximos, cum ad ipſum pertineant, & gratum illi ſit, ut amentur.

Q. III. An detur præceptum amandi Deum, & quando obliget.

R. I. Non eſt dubium, dari præceptum de amando Deum, unde dicitur Deuter. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, quod præceptum Matth. 22. dicitur primum, & maximum mandatum. Cum autem detur hujuſmodi præceptum, conſequens eſt, quandoque obligare; unde Alexander VII. ſub n. 1. ſequentem damnavit propoſitionem: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore, tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium.*

R. II. Præceptum diligendi Deum obligat pluſquam ſemel in vita; unde Innocentius XI. ſub n. 5. hanc damnavit propoſitionem: *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Item obligat ut ſæpius quam ſingulis quinquenniis eliciamus actus Charitatis; quod patet ex condemnatione ſextæ propoſitionis, quæ ita ſe habet: *Probabile eſt ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum.* Demum certum eſt, teneri nos ad eliciendum actum amoris Dei, etiam extra illud tempus, quo neceſſarius eſt ad noſtram juſtificationem; unde idem Pontifex hanc ſub n. 7 damnavit propoſitionem: *Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.*

R. III. Præceptum diligendi Deum, ut tradit S. Thomas 1. 2. *q. 89. art. 6.* primo obligat per ſe cum homo pervenit ad uſum rationis. Id autem probatur, quia iſtud eſt primum, & maximum præceptum noſtræ Legis, & proinde inter prima præcepta eſt adimplendum; & cum debeamus incipere adimplere Dei legem in primo inſtanti rationis, ſequitur, tunc primo adimplendum eſſe tale præceptum. Confirmatur, quia, dum homo, aſſequuto uſu rationis, cognoſcit, ſe eſſe ordinatum ad Deum ultimum Finem, debet deliberare de illo aſſequendo, & in ipſum ſe, ſuoſque actus dirigere; at ſine amore illius ultimi finis non poteſt velle ipſum aſſequi, & ad ipſum ſe, & omnia ſua dirigere, ergo neceſſarius eſt talis amor. Secundo, præfatum præceptum obligat per ſe aliquoties in anno, quia, ut diximus, agentes de præceptis Fidei, & Spei, ſi non ſæpius, quam ſemel in anno, exerceantur actus Virtutum Theologicarum, non poſſet Vita ſupernaturalis conſervari. Tertio obligat *per ſe* in puncto mortis, quia tunc inſtat neceſſitas conjungendi ſe Deo, & conſummatio Charitatis. Demum obligat *per ſe*, dum urget gravis tentatio odii Dei, quæ non facile ſuperari poſſet, niſi eliciendo actum Charitatis; nam unaquæque virtus obligat *per ſe* ad abigendum quod ſibi contrarium eſt: nihil autem magis contrarium eſt charitati, quam odium Dei: *Sanch. l. 2. in decal. cap. 35. n. 9. Anton. a Spirit. Sanct. in Direct. tr. 2. diſp. 2. ſect. 1. n. 12.*

R. IV. Præceptum de Deo diligendo quandoque etiam obligat *per accidens*. Tunc obligat *per accidens* ex dictis de præceptis Fidei, & Spei, quando neceſſe eſt adimplere hoc præceptum, ut obſerventur alia præcepta, quorum obligatio hic, & nunc urget. Hinc præceptum Charitatis obligabit *per accidens*, ſemper cum ne-

neceſſarius erit actus amoris Dei, ne alia præcepta tranſgrediantur. Pariter obligabit *per accidens*, dum quis non habet copiam Confeſſarij, cui confiteatur aliquod peccatum mortale, & aliunde eſt in neceſſitate vel adminiſtrandi, vel recipiendi Sacramenta. Cum etenim debeat conari ad juſtificationem aſſequendam, quam conſequi nemo poteſt extra Sacramentum ſine actu contritionis includentis actum amoris Dei ſuper omnia, conſequens eſt, tunc eliciendum talem actum.

Q. IV. Quomodo ex vi præcepti Charitatis teneamur Deum diligere ſuper omnia.

R. I. Deus eſt amandus ſuper omnia objective. Tunc igitur aliquis ſuper omnia objective amatur, quando illi volumus, & optamus majora bona, quam cæteris omnibus, quos diligimus. Jam autem Deo ſumme dilecto debemus velle plura, & majora bona, quam cæteris omnibus Creaturis, quia cum ſit infinita Bonitas, plura, & majora bona ipſi debentur; ſicut & debemus gaudere de beatitudine infinita ipſi eſſentiali, cujus non ſunt capaces Creaturæ.

R. II. Deus eſt amandus ſuper omnia appretiative, Tunc aliquis dicitur appretiative amari ſuper omnia, quando nullus illi anteponitur, nec magis æſtimatur, adeo ut ſi inter plures, quos amamus, non omnes amplius poſſent amari, ille ſuper omnes appretiative amaretur, cujus amorem retineremus, relicto amore cæterorum. Ita autem ſuper omnia amandum eſſe Deum per ſe patet, quia ille magis eſt amore æſtimandus, in quo magis relucet bonitas, ſed hæc eſſentialiter, & infinito modo in Deo, ergo Deus eſt ſuper omnia appretiative amandus. Confirmatur, quia magis appretiative æſtimandus, & amandus eſt qui eſt per ſe amabilis, quam ea, quæ non ſunt propter ſe diligibilia; at Deus, utpote infinite bonus, & ultimus finis, eſt propter ſe diligibilis, & amabilis, creaturæ vero ſolummodo diligibiles in ordine ad ipſum Deum.

R. III. Licet optimum ſit amare Deum etiam intenſive ſuper omnia, id tamen non cadit ſub præceptu. Amare aliquem intenſive ſuper omnia eſt ipſum amare majori conatu, ac actu intenſiori, & ferventiori, ita ut talis amor habeat majores gradus intenſionis, ſive fervoris ſupra cæteros amores, quibus alia amantur. Quod ita intenſive amare Deum ſuper omnia optimum ſit, de ſe patet. Quod vero hujuſmodi amor non cadat ſub præcepto, probatur, quia præceptum de diligendo Deum non reſpicit majorem, vel minorem intenſionem amoris, ſed ſolum obligat ad amandum Deum ſuper omnia. Confirmatur, quia, ut fiat ſatis præcepto de diligendo Deo ſuper omnia, ſatis eſt illum ſuper omnia appretiative amare: hoc enim poſito, jam amor Dei præfertur cuicumque Creaturæ, ita ut quantumvis magnus eſſet amor Creaturæ, adhuc tamen qui amat Deum appretiative ſuper omnia, paratus eſt creaturam deſerere, quoties ſit neceſſarium, ne offendatur Deus.

Ex hoc autem nova adducitur ratio pro noſtra reſponſione. etenim ille amor Dei cadit ſub præcepto, ex quo movemur ad obſervanda omnia alia præcepta; unde in Evangelio dicitur, quod in amore Dei, & proximi tota lex continetur: eo autem ipſo quod Deus ſuper omnia appretiative ametur, jam ex tali amore inferri poteſt obſervatio omnium præceptorum, cum ita amans ſit ita diſpoſitus; ut potius res omnes velit amittere quam Deum non amare, vel offendere. Exemplificatur in illa Matre, quæ intenſive magis amaret Catulum, quam Filium, adhuc tamen quia appretiative plus iſtum amat, data neceſſitate, potius perdit Catulum quam Filium.

Regula in praxi obſervanda.

Cum amor Charitatis feratur in Deum ex affectu amicitiæ, adeoque amet Deum propter Deum, ſive propter ipſius infinitam bonitatem ſuper omnia amabilem, inde pendenter a quocumque noſtro intereſſe, ſequitur quod qui vult aliquem excitare ad habendum proprie actum charitatis, non debet illi proponere Deum ut Creatorem, Redemptorem &c. hic enim amor, quamvis bonus ſit, reſpicit noſtrum intereſſe. Debet igitur proponere Deum ſumme amabilem independenter a quocumque beneficio nobis collato, quia eſt infinite Bonus, & in praxi illum edoceat, quod ſi vult actum Charitatis elicere, ita debet illum efformare: *Amo Deum, quia eſt ſumme bonus &c.*

CAPUT II.

De Præcepto diligendi Proximum.

Q. I. AN detur præceptum diligendi proximum; & ad quid obliget.

R. I. Certum eſt dari præceptum de proximo diligendo; dicitur enim Matth. 22. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, & 1. Jo. 4. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & proximum ſuum.* Porro proximi nomine veniunt omnes, qui ſunt Beatitudinis capaces adeoque cum aliquo modo ad Deum pertineant, ſunt amore charitatis diligendi, ut enim dixi capite ſuperiori, dum quis amat amicum, etiam amat omnia ea, quæ ad ipſum ſpectant.

R. II. Præceptum Charitatis non ſolum obligat ad amandum proximum per actus externos benevolentiæ, & miſericordiæ, ſed etiam ad amandum ipſum amore interno, Hinc Innoc. XI. ſub. n. 10. & 11. ſequentes damnavit propoſitiones. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.... Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.* Et quidem cum in S. Scriptura præcipiatur dilectio proximi, conſequenter præcipitur actus internus dilectionis; in hoc enim vere, & formaliter conſiſtit ipſa dilectio.

Non immorabor autem in determinando tempus, quando proximus eſt diligendus, cum illud arguere ſolummodo videatur in caſibus neceſſitatis ſpiritualis, vel corporalis ipſius proximi: his autem occurrentibus, ſicut tenemur auxilium proximo præſtare, ita & debemus habere voluntatem ipſi ſuccurrendi, quæ non datur ſine formali amore proximi.

Q. II. An ex vi ſupradicti præcepti teneamur inimicum diligere; & quæ ipſi ſint præſtanda.

R. Tenemur inimicum, ut eſt noſter proximus, diligere, cum dixerit Chriſtus Dominus Matt. 5. *Ego autem dico vobis; diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos.* Ratio autem eſt, quia inimicus eſt capax beatitudinis, ergo ex dictis in ſuperiori quæſito, eſt amandus amore charitatis: *S. Th.* 2. 2. *q.* 25. *a.* 8.

R. II. Tenemur inimico exhibere ſigna dilectionis, quæ omnibus ſunt communia; *ſi enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ*, ait *S. Th.* 2. 2. *q.* 25. *a.* 9. Hinc non poſſumus excludere inimicum a noſtra oratione, dum pro populo oramus; nec a beneficio, auxilio, aut opere facto in gratiam totius Communitatis: *Palaus tr. 6. d. 1. p. 5. n. 4. Anton. a Sp. S. tom. 1. tr. 2. d. 2. ſect. 3. n. 24.* Item eſt reſalutandus inimicus ſalutans, quia tunc ſalutatio eſt ſignum commune benevolentiæ. Pariter eſt ſalutandus, ſi ſalutatio ſit ſignum commune benevolentiæ, quod exhiberi ſoleat aliis perſonis, quæ ſunt ejuſdem gradus, & conditionis, in qua eſt inimicus. Et revera dum Theologi docent, non eſſe obligationem inimicum ſalutandi, loquuntur in ſuppoſitione, quod ſalutatio ſit ſignum ſpeciale. *Azor. t. 2. l. 12. c. 3. q. 6. Anton. loc. cit. n. 24. Bonac. t. 2. d. 3. q. 4. p. 3.* Poſſet nihilominus quis excuſari a ſalutatione, ſi paulo poſt ac fuit offenſus, illi occurrat inimicus, dummodo ſalutationem non omittat ex odio, & vindicta, ſed ex juſto dolore receptæ injuriæ.

Hæc tamen doctrina patitur limitationem reſpectu Superioris, Patris familias &c. quæ perſonæ poſſunt Subdito, Filio &c. qui illos injuria affecerant, negare etiam ſigna generalia, dum id præſtent non ex odio, ſed ad juſtam reprehenſionem, & objurgationem injuriæ illatæ, ut non ita facile deinceps ſint ad injuriandos Superiores, Patrem, &c.

R. III. Non tenemur exhibere inimicis ſigna particularia benevolentiæ, alias ratione illatæ injuriæ melior fieret eorum conditio; ac proinde omnes cenſent, talia ſigna eſſe ſolummodo de conſilio, & perfectione, non autem de præcepto: *D. Th.* 2. 2. *q.* 25. *a.* 9. Ex hac doctrina ſequitur, homines non teneri ad orandum ſpecialiter pro inimicis, illos hoſpitio recipere, cum illis familiaritatem habere, ægrotos inviſere, mæſtos ſolari &c. Advertendum tamen eſt, hæc ſigna, quæ reſpectu plurium perſonarum ſunt particularia, adeoque non eſt neceſſe illis exhibere, ſi ſint inimici, reſpectu tamen aliquorum ſunt generalia, unde reſpectu ipſorum ſunt de præcepto. Signum e. g. particulare benevolentiæ eſt inviſere perſonas, quæ ad nos non attinent, dum ægrotant; ſicut etiam cum illis quamdam familiaritatem habere, at reſpectu Patris, Fratrum, Sororum, & plurium Conſan-

Digitized by Google

ut autem notat *Suarez. de Spe diſp. 2. ſect. 1. n. 2.* raro dari peccatum præſumptionis ſine hæreſi, cum difficile ſit hæc duo conjungere: credere nempe Gloriam non poſſe aſſequi ſine Gratia, ſimulque bonis operibus, & ex alia parte præſumere illam aſſequi vel ſine Gratia, vel ſine bonis operibus.

Q. IV. An proprie peccet peccato præſumptionis, qui differt pœnitere de ſuis peccatis uſque ad mortem.

R. Huic quæſito ſolutionem dat S. Thomas 2. 2. *qu. 21. a. 2.* ubi ſic ait. *Peccare cum propoſito perſeverandi in peccato ſub ſpe veniæ ad præſumptionem pertinet; & hoc non diminuit, ſed auget peccatum. Peccare autem ſub ſpe veniæ quandoque percipiendæ, cum propoſito abſtinendi a peccato, & pœnitendi de peccato, hoc non eſt præſumptionis, ſed peccatum diminuit, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.* Qui igitur, licet nolit hic & nunc recedere a peccato, adhuc tamen habet propoſitum reſipiſcendi ante mortem, & propter hoc ſperat conſequi Gloriam, non peccat proprie peccato præſumptionis, quia ipſius ſpes adhuc innititur Dei auxilio; & bonis operibus, quæ ſperat facere, dum reſipiſcet; adeoque cum innitatur motivo proprio ipſius ſpei, non habet actum ipſi contrarium. Iſte igitur nimis differendo pœnitentiam, potius peccat contra præceptum, quo prohibemur non illam nimis procraſtinare. Solum ergo peccat peccato præſumptionis proprie dictæ, qui perſeverat in peccato ſine animo pœnitendi, & adhuc ſperat beatitudinem.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Qui incidit in peccatum Deſperationis, vel præſumptionis, ſi non excuſetur a gravi culpa ex defectu deliberationis, non eſt excuſandus ex parvitate materiæ; deſperans etenim de ſua ſalute injuriam facit Dei Miſericordiæ, & Omnipotentiæ, & qui præſumit, injuriam facit ſaltem Juſtitiæ Dei Vindicativæ, unde tales injuriæ, quæ immediate reſpiciunt Divina Attributa, non poſſunt leves exiſtimari.

II. Si aliquis conjungat peccatum Deſperationis cum hæreſi, tunc non poteſt a ſimplici Confeſſario abſolvi, niſi hæreſis fuerit mere interna, vel ſi fuit externa, niſi peccans ignoraverit cenſuram latam in Bulla Cœnæ contra hæreticos, ut alios dictum eſt.

QUÆSTIO III.

De Charitate.

CAPUT I.

De Eſſentia, & Objecto Charitatis, & de Præcepto diligendi Deum.

Q. I. Quid ſit Charitas.

R. Charitas, quæ aliis Theologicis virtutibus major eſt, juxta illud Apoſtoli 1. *ad Cor. 13. Major horum eſt Charitas*, recte definitur: *Habitus ſupernaturalis, a Deo infuſus, quo diligimus Deum propter ſe, & Proximum propter Deum.* Dicitur *habitus ſupernaturalis infuſus*, quia a Deo infunditur juxta illud Apoſt. ad Rom. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum.* Additur *quo diligimus Deum propter ſe*, ſcilicet, quatenus eſt ſumme Bonitas, & ſuper omnia amabilis. Illa vero verba, & *proximum propter Deum*, ſignificant nos debere amare proximos ex aliquo motivo reſpiciente ipſum Deum, ut ſtatim dicam. At cum Charitas proximos etiam reſpiciat, ideo in ſequentibus Capitibus ad quid obliget explicabo.

Q. II. Quale ſit objectum Charitatis.

R. I. Objectum formale *quod* Charitatis eſt Deus infinite Bonus. Ratio eſt, quia cum Charitas, omnium Virtutum Regina, inclinet ad perfectiſſimam dilectionem, habebit etiam pro objecto formali *quod* perfectiſſimum diligibile; at iſtud perfectiſſimum diligibile eſt Deus infinite Bonus. Hinc habetur, Proximum, qui ex charitate amatur, eſſe objectum ſecundarium ejuſdem Charitatis; etenim illud eſt objectum ſecundarium, in quod aliquis non tendit, niſi in ordine ad objectum formale *quod*, ſeu objectum primarium; charitas autem non reſpicit proximum propter ſe, ſed in ordine ad Deum, quatenus ad ipſum pertinet, vel ut Servum, vel ut Amicum, & Filium &c.

R. II. Objectum *formale quo* Charitatis eſt ipſa Infinita Bonitas Divina. Ratio eſt, quia Charitas tendit in Deum perfecto amore amicitiæ; cum autem amor amicitiæ amet Amicum, non propter intereſſe Amantis, ſed propter ipſum Amicum, & ejus bonitatem, ſequitur, Charitatem moveri ad amandum Deum ratione ipſius bonitatis Divinæ. Hinc S. Thomas 2. 2. *quæſt. 23. art. 6.* notat quod Fides, & Spes attingunt Deum, quatenus ex ipſo nobis aliquid provenit; Fides enim attingit Deum, quatenus ex ipſo nobis provenit cognitio veri; Spes quatenus Deus habet nobis dare promiſſam beatitudinem; Charitas vero non fertur in Deum, quia ex ipſo aliquid nobis proveniat, ſed quia in ſe eſt infinite bonus, adeoque ſuper omnia amabilis, etiamſi nil nobis vellet elargiri.

Eo ipſo autem quod Charitas moveatur ad amandum Deum ratione infinitæ ſuæ Bonitatis, ex eodem motivo inclinabitur ad amandum proximum; dum enim quis amat Amicum propter Amici amabilitatem, movetur ex eodem amore amicitiæ ad amandum quod pertinet ad ipſum, & ad volendum quod ipſi placet. Cum igitur omnes proximi pertineant ad Deum, vel ut Servi, vel ut Filii, & quatenus voluit, omnes eſſe capaces ſuæ beatitudinis; & ulterius placeat Deo, ut omnes amentur, inde eſt, quod qui amat Deum amore charitatis, adeoque amore perfectæ amicitiæ, movetur ex ipſius bonitate ad amandum etiam omnes proximos, cum ad ipſum pertineant, & gratum illi ſit, ut amentur.

Q. III. An detur præceptum amandi Deum, & quando obliget.

R. I. Non eſt dubium, dari præceptum de amando Deum, unde dicitur Deuter. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, quod præceptum Matth. 22. dicitur primum, & maximum mandatum. Cum autem detur hujuſmodi præceptum, conſequens eſt, quandoque obligare; unde Alexander VII. ſub n. 1. ſequentem damnavit propoſitionem: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore, tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium.*

R. II. Præceptum diligendi Deum obligat pluſquam ſemel in vita; unde Innocentius XI. ſub n. 5. hanc damnavit propoſitionem: *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Item obligat ut ſæpius quam ſingulis quinquenniis eliciamus actus Charitatis; quod patet ex condemnatione ſextæ propoſitionis, quæ ita ſe habet: *Probabile eſt ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum.* Demum certum eſt, teneri nos ad eliciendum actum amoris Dei, etiam extra illud tempus, quo neceſſarius eſt ad noſtram juſtificationem; unde idem Pontifex hanc ſub n. 7 damnavit propoſitionem: *Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus.*

R. III. Præceptum diligendi Deum, ut tradit S. Thomas 1. 2. *q. 89. art. 6.* primo obligat per ſe cum homo pervenit ad uſum rationis. Id autem probatur, quia iſtud eſt primum, & maximum præceptum noſtræ Legis, & proinde inter prima præcepta eſt adimplendum; & cum debeamus incipere adimplere Dei legem in primo inſtanti rationis, ſequitur, tunc primo adimplendum eſſe tale præceptum. Confirmatur, quia, dum homo, aſſequuto uſu rationis, cognoſcit, ſe eſſe ordinatum ad Deum ultimum Finem, debet deliberare de illo aſſequendo, & in ipſum ſe, ſuoſque actus dirigere; at ſine amore illius ultimi finis non poteſt velle ipſum aſſequi, & ad ipſum ſe, & omnia ſua dirigere, ergo neceſſarius eſt talis amor. Secundo, prælatum præceptum obligat per ſe aliquoties in anno, quia, ut diximus, agentes de præceptis Fidei, & Spei, ſi non ſæpius, quam ſemel in anno, exerceantur actus Virtutum Theologicarum, non poſſet Vita ſupernaturalis conſervari. Tertio obligat *per ſe* in puncto mortis, quia tunc inſtat neceſſitas conjungendi ſe Deo, & conſummatio Charitatis. Demum obligat *per ſe*, dum urget gravis tentatio odii Dei, quæ non facile ſuperari poſſet, niſi eliciendo actum Charitatis; nam unaquæque virtus obligat *per ſe* ad abigendum quod ſibi contrarium eſt: nihil autem magis contrarium eſt charitati, quam odium Dei: *Sanch. l. 2. in decal. cap. 35. n. 9. Anton. a Spirit. Sanct. in Direct. tr. 2. diſp. 2. ſect. 1. n. 12.*

R. IV. Præceptum de Deo diligendo quandoque etiam obligat *per accidens*. Tunc obligat *per accidens* ex dictis de præceptis Fidei, & Spei, quando neceſſe eſt adimplere hoc præceptum, ut obſerventur alia præcepta, quorum obligatio hic, & nunc urget. Hinc præceptum Charitatis obligabit *per accidens*, ſemper cum ne-

neceſſarius erit actus amoris Dei, ne alia præcepta tranſgrediantur. Pariter obligabit *per accidens*, dum quis non habet copiam Confeſſarii, cui confiteatur aliquod peccatum mortale, & aliunde eſt in neceſſitate vel adminiſtrandi, vel recipiendi Sacramenta. Cum etenim debeat conari ad juſtificationem aſſequendam, quam conſequi non poteſt extra Sacramentum ſine actu contritionis includentis actum amoris Dei ſuper omnia, conſequens eſt, teneri eliciendum talem actum.

Q. IV. Quomodo ex vi præcepti Charitatis teneamur Deum diligere ſuper omnia.

R. I. Deus eſt amandus ſuper omnia objective. Tunc igitur aliquis ſuper omnia objective amatur, quando illi volumus, & optamus majora bona, quam cæteris omnibus, quos diligimus. Jam autem Deo ſumme dilecto debemus velle plura, & majora bona, quam cæteris omnibus Creaturis, quia cum ſit infinita Bonitas, plura, & majora bona ipſi debentur; ſicut & debemus gaudere de beatitudine infinita ipſi eſſentiali, cujus non ſunt capaces Creaturæ.

R. II. Deus eſt amandus ſuper omnia appretiative. Tunc aliquis dicitur appretiative amari ſuper omnia, quando nullus illi anteponitur, nec magis æſtimatur, adeo ut ſi inter plures, quos amamus, non omnes amplius poſſent amari, ille ſuper omnes appretiative amaretur, cujus amorem retineremus, relicto amore cæterorum. Ita autem ſuper omnia amandum eſſe Deum per ſe patet, quia ille magis eſt amore æſtimandus, in quo magis relucet bonitas, ſed hæc eſſentialiter, & infinito modo in Deo, ergo Deus eſt ſuper omnia appretiative amandus. Confirmatur, quia magis appretiative æſtimandus, & amandus eſt qui eſt per ſe amabilis, quam ea, quæ non ſunt propter ſe diligibilia; at Deus, utpote infinite bonus, & ultimus finis, eſt propter ſe diligibilis, & amabilis, creaturæ vero ſolummodo diligibiles in ordine ad ipſum Deum.

R. III. Licet optimum ſit amare Deum etiam intenſive ſuper omnia, id tamen non cadit ſub præcepto. Amare aliquem intenſive ſuper omnia eſt ipſum amare majori conatu, ac actu intenſiori, & ferventiori, ita ut talis amor habeat majores gradus intenſionis, ſive fervoris ſupra cæteros amores, quibus alia amantur. Quod ita intenſive amare Deum ſuper omnia optimum ſit, de ſe patet. Quod vero hujuſmodi amor non cadat ſub præcepto, probatur, quia præceptum de diligendo Deum non reſpicit majorem, vel minorem intenſionem amoris, ſed ſolum obligat ad amandum Deum ſuper omnia. Confirmatur, quia, ut fiat ſatis præcepto de diligendo Deo ſuper omnia, ſatis eſt illum ſuper omnia appretiative amare: hoc enim poſito, jam amor Dei præfertur cuicumque Creaturæ, ita ut quantumvis magnus eſſet amor Creaturæ, adhuc tamen qui amat Deum appretiative ſuper omnia, paratus eſt creaturam deſerere, quoties ſit neceſſarium, ne offendatur Deus.

Ex hoc autem nova adducitur ratio pro noſtra reſponſione, etenim ille amor Dei cadit ſub præcepto, ex quo movemur ad obſervanda omnia alia præcepta; unde in Evangelio dicitur, quod in amore Dei, & proximi tota lex continetur: eo autem ipſo quod Deus ſuper omnia appretiative ametur, jam ex tali amore inferri poteſt obſervatio omnium præceptorum, cum ita amans ſit ita diſpoſitus; ut potius res omnes velit amittere quam Deum non amare, vel offendere. Exemplificatur in illa Matre, quæ intenſive magis amaret Catulum, quam Filium, adhuc tamen quia appretiative plus iſtum amat, data neceſſitate, potius perdit Catulum quam Filium.

Regula in praxi obſervanda.

Cum amor Charitatis feratur in Deum ex affectu amicitiæ, adeoque amet Deum propter Deum, ſive propter ipſius infinitam bonitatem ſuper omnia amabilem, independenter a quocumque noſtro intereſſe, ſequitur quod qui vult aliquem excitare ad habendum proprie actum charitatis, non debet illi proponere Deum ut Creatorem, Redemptorem &c. hic enim amor, quamvis bonus ſit, reſpicit noſtrum intereſſe. Debet igitur proponere Deum ſumme amabilem independenter a quocumque beneficio nobis collato, quia eſt infinite Bonus, & in praxi illum edoceat, quod ſi vult actum Charitatis elicere, ita debet illum efformare: *Amo Deum, quia eſt ſumme bonus &c.*

CAPUT II.

De Præcepto diligendi Proximum.

Q. I. AN. detur præceptum diligendi proximum; & ad quid obliget.

R. I. Certum eſt dari præceptum de proximo diligendo; dicitur enim Matth. 22. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, & 1. Jo. 4. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & proximum ſuum.* Porro proximi nomine veniunt omnes, qui ſunt Beatitudinis capaces adeoque cum aliquo modo ad Deum pertineant, ſunt amore charitatis diligendi, ut enim dixi capite ſuperiori, dum quis amat amicum, etiam amat omnia ea, quæ ad ipſum ſpectant.

R. II. Præceptum Charitatis non ſolum obligat ad amandum proximum per actus externos benevolentiæ, & miſericordiæ, ſed etiam ad amandum ipſum amore interno. Hinc Innoc. XI. ſub. n. 10. & 11. ſequentes damnavit propoſitiones. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.... Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.* Et quidem cum in S. Scriptura præcipiatur dilectio proximi, conſequenter præcipitur actus internus dilectionis; in hoc enim vere, & formaliter conſiſtit ipſa dilectio.

Non immorabor autem in determinando tempus, quando proximus eſt diligendus, cum illud arguere ſolummodo videatur in caſibus neceſſitatis ſpiritualis, vel corporalis ipſius proximi: his autem occurrentibus, ſicut tenemur auxilium proximo præſtare, ita & debemus habere voluntatem ipſi ſuccurrendi, quæ non datur ſine formali amore proximi.

Q. II. An ex vi ſupradicti præcepti teneamur inimicum diligere; & quæ ipſi ſint præſtanda.

R. Tenemur inimicum, ut eſt noſter proximus, diligere, cum dixerit Chriſtus Dominus Matt. 5. *Ego autem dico vobis; diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos.* Ratio autem eſt, quia inimicus eſt capax beatitudinis, ergo ex dictis in ſuperiori quæſito, eſt amandus amore charitatis: *S. Th. 2. 2. q. 25. a. 8.*

R. II. Tenemur inimico exhibere ſigna dilectionis, quæ omnibus ſunt communia; *ſi enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ*, ait *S. Th. 2. 2. q. 25. a. 9.* Hinc non poſſumus excludere inimicum a noſtra oratione, dum pro populo oramus; nec a beneficio, auxilio, aut opere facto in gratiam totius Communitatis: *Palaus tr. 6. d. 1. p. 5. n. 4. Anton. a Sp. S. tom. 3. tr. 2. d. 2. ſect. 3. n. 24.* Item eſt reſalutandus inimicus ſalutans, quia tunc ſalutatio eſt ſignum commune benevolentiæ. Pariter eſt ſalutandus, ſi ſalutatio ſit ſignum commune benevolentiæ, quod exhiberi ſoleat aliis perſonis, quæ ſunt ejuſdem gradus, & conditionis, in qua eſt inimicus. Et revera dum Theologi docent, non eſſe obligationem inimicum ſalutandi, loquuntur in ſuppoſitione, quod ſalutatio ſit ſignum ſpeciale. *Azor. t. 2. l. 12. c. 3. q. 6. Anton. loc. cit. n. 24. Bonac. t. 2. d. 3. q. 4. p. 3.* Poſſet nihilominus quis excuſari a ſalutatione, ſi paulo poſt ac fuit offenſus, illi occurrat inimicus, dummodo ſalutationem non omittat ex odio, & vindicta, ſed ex juſto dolore receptæ injuriæ.

Hæc tamen doctrina patitur limitationem reſpectu Superioris, Patris familias &c. quæ perſonæ poſſunt Subdito, Filio &c. qui illos injuria affecerunt, negare etiam ſigna generalia, dum id præſtent non ex odio, ſed ad juſtam reprehenſionem, & objurgationem injuriæ illatæ, ut non ita facile deinceps ſint ad injuriandos Superiores, Patrem, &c.

R. III. Non tenemur exhibere Inimicis ſigna particularia benevolentiæ, alias ratione illatæ injuriæ melior fieret eorum conditio; ac proinde omnes cenſent, talia ſigna eſſe ſolummodo de conſilio, & perfectione, non autem de præcepto: *D. Th. 2. 2. q. 25. a. 9.* Ex hac doctrina ſequitur, homines non teneri ad orandum ſpecialiter pro inimicis, illos hoſpitio recipere, cum illis familiaritatem habere, ægrotos inviſere, mæſtos ſolari &c. Advertendum tamen eſt, hæc ſigna, quæ reſpectu plurium perſonarum ſunt particularia, adeoque non eſt neceſſe illis exhibere, ſi ſint inimici, reſpectu tamen aliquorum ſunt generalia, unde reſpectu ipſorum ſunt de præcepto. Signum e. g particulare benevolentiæ eſt inviſere perſonas, quæ ad nos non attinent, dum ægrotant; ſicut etiam cum illis quamdam familiaritatem habere, at reſpectu Patris, Fratrum, Sororum, & plurium Con-

ſan-

ſanguineorum ſunt ſigna generalia; ac proinde ob injuriam acceptam, hujuſmodi ſigna iis negare, eſt peccatum grave ex dictis in ſuperiori reſponſione. Si tamen qui alium injuria affecit, nolit injuriati viſitationem, & colloquium admittere, & primus alloqui offenſum, (offenſor tenetur primus petere pacem ab offenſo, ſi non ſit conditionis valde ſuperioris; vel ſi ipſe non paſſus ſit graviorem injuriam ab eodem offenſo) iſte ſatisfacit ſuæ conſcientiæ, dum ſit paratus inviſere inimicum ægrotum, cum ipſo alloqui &c.

Ulterius eſt advertendum, quod cum regula generalis ſit, nos teneri ad removendum ſcandalum, & ad ſuccurrendum ſaluti corporali, & ſpirituali proximi, ſemper cum id præſtare poſſumus ſine gravi noſtro incommodo; exinde ſequitur, quod ſi poſſumus ſine gravi noſtro incommodo exhibere ſigna particularia benevolentiæ, erit obligatio ea præſtandi, quando ex ipſorum negatione orietur ſcandalum; vel quando ea exhibendo orietur ſalus ſpiritualis, vel corporalis inimici: *Azor. & Bon. loc. cit. Palaus tr. 6. d. 1. p. 5. n. 12.*

Quæri etiam hic ſolet, an offenſus teneatur etiam remittere actionem coram Judice. Et quidem communior ſententia eſt, quod hujuſmodi actionem non tenemur remittere, etiamſi inimicus pacem poſtulet, & velit totam ſatisfactionem exhibere. Sicut enim Judex ex motivo juſtitiæ vindicativæ non ſolum poteſt, ſed debet delinquentes punire, ut exemplo punitionis arceantur Malefactores; ita ex eodem motivo poterit offenſus juſtitiam petere. Fateor tamen in praxi id valde periculoſum eſſe, quia ut habet *Rom. Cath. de 5. præcept. cap. 6.* ulciſcendi libido hominum mentibus valde infixa eſt, unde difficile redditur non ex odii, & vindictæ affectu actionem injuriarum proſequi coram Judice. Hinc offenſo ſemper conſulendum eſt præfatam actionem remittere; & maxime, ſi agatur de pœna valde gravi condonanda, nam difficile eſt velle eam proſequi ſine livore vindictæ.

Q. III. An ex vi præcepti de proximo diligendo teneamur ipſi ſuccurrere cum vitæ, & bonorum periculo.

Ante reſolutionem hujus quæſiti, ſupponendum eſt, triplicem dari neceſſitatem, extremam, gravem, & levem. Extrema eſt, quando quis eſt in periculo vitæ &c. & non poteſt ſine noſtro auxilio liberari. Non eſt autem neceſſe iſtud periculum eſſe certum, ſed ſufficit, ſi ſit valde probabile; ut enim habet *S. Th. in 4. d. 15. q. 2. art. 1. qu. 4.*, ſi expectanda eſſet ultima neceſſitas fruſtranee ut plurimum proximo opitularemur. Ad neceſſitatem extremam reducitur periculum ſatis proximum infirmitatis incurabilis, carceris perpetui &c. Gravis neceſſitas tunc datur, quando Proximus non eſt in tam proximo periculo, ac in extrema neceſſitate, ſed adhuc nihilominus eſt in valde probabili periculo ſubeundi damnum notabile in corpore, honore, ſtatu, vita, vel re familiari. Denique neceſſitas levis datur, vel quia licet timeatur damnum grave, poteſt unuſquiſque ſine magna difficultate ſe ab eo liberare; vel quia non timetur grave damnum. In ordine vero ad ſuccurrendum pauperibus, conſideratur alia neceſſitas, quæ dicitur communis, ea nempe, quam patiuntur communiter pauperes, cui aliquali morali diligentia poſſunt occurrere; adeoque vere eſt levis. Quod ſi hujuſmodi neceſſitas ſit ſpiritualis, tunc erit extrema, quando quis non poteſt ſine noſtro auxilio ab æterna damnatione, quæ ipſi imminet, liberari. Gravis, ſi poſſit liberari, ſed cum magna difficultate &c., & levis, ſi ſine magna difficultate.

Supponendum eſt ſecundo, neminem ob ſalutem non ſolum corporalem, ſed neque ſpiritualem proximi, & etiam totius mundi, poſſe leve peccatum committere. Ratio eſt; quia Charitas diligit Deum ſecundum quod eſt principium boni, de quo bono prius unuſquiſque vult participare, & poſtea in eadem participatione conſocios habere proximos, ergo eſſet contra ordinem charitatis, ut alii participent de illo bono, velle per peccatum nos ipſo eodem bono privare. Ultraquamquod peccatum eſt ab intrinſeco malum, & ſemper eſt offenſa Dei; nunquam autem offendi debet, qui ſuper omnia debet amari, ut aliis auxilium præſtemus; unde dicebat Apoſtolus ad *Rom. 3. Non faciamus mala, ut eveniant bona.* Videatur *D. Th. 2. 2. qu. 26. art. 4.* Quod ſi aliqui Sancti videntur voluiſſe deleri de Libro vitæ pro ſalute proximi; vel loquuti ſunt per exagerationem, & ſpecialem confidentiam ut explicat S. Auguſt. *in Exod. q. 147.* vel de carentia Beatitudinis pro aliquo tempore ut dicit *S. Th. 2. 2. qu. 27. art. 8. ad 1.* quæ temporanea privatio ſufficienter compenſatetur incremento meriti, & gloriæ. Cæterum pro bono ſpirituali, & etiam corporali proximi poteſt quis ſe privare bonis ſpiritualibus non neceſſariis ad ſalutem; & ſic Filius tenetur Religionem non ingredi, ut alat non ſolum Parentes, ſed etiam Avum neceſſitate oppreſſum, Fratres, & Sorores, ſi ſint in pueritia &c. *D. Th. 2. 2. q. 18. a. 6. & q. 101. art. 4. & quodl. 10. a. 9. Suar. t. 3. c. 5. n. 11. Sanch. l. 5. Sum. c. 20. n. 3.* His poſitis.

R. I. Tenemus cum periculo vitæ ſubvenire proximo exiſtenti in extrema neceſſitate ſpirituali. Ratio eſt quia datur præceptum de exponenda vita pro ſalute proximi; dicitur enim 1. Jo. 3. *Sicut Chriſtus animam ſuam poſuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Cum igitur hoc præceptum in aliquo caſu obliget, alias fuiſſet fruſtraneum, non alius caſus adinveniri poteſt, in quo magis obliget, quam in extrema ſpirituali neceſſitate proximi. Ulterius ordo charitatis expoſcit, ut majus bonum minori bono anteponatur, *ſed* ſpiritualis ſalus proximi eſt bonum longe majus, *ac* noſtra ſalus corporalis, ergo hæc illi poſtponenda; *S. Th. 2. 2. q. 26. art. 5.* Quod ſi vita ſuccurrentis neceſſaria eſſet bono communi, tunc non habet locum prædicta doctrina, ut bene obſervat idem S. Doctor *2. 2. qu. 185. art. 5.* cum bonum commune particulari ſit anteponendum. Quod ſi non ſolum periclitaretur vita corporalis, ſed etiam ſpiritualis ſuccurrentis, ut eveniret, ſi qui opem ferret proximo exiſtenti in extrema neceſſitate, eſſet in peccato mortali, tunc non deberet ei opitulari, ſi difficilis ipſi redderetur contritio; in pari enim periculo debet præponere propriam ſalutem ſpiritualem. Ex hac doctrina, quæ etiam eſt S. Thomæ *in 3. diſt. 29. art. 8. q. 2. ad 2.* pariter infertur invalum poſſe occidere invadentem, quem putat in ſtatu peccati mortalis, quia ordinarie multi timent periculum damnationis ex morte ſubitanea. Ultraquamquod hujuſmodi neceſſitas proximi invadentis non poteſt dici extrema, poteſt enim facile ſe liberare, deſiſtendo ab invaſione: *Palaus tr. 6. d. 1. p. 9. n. 3. Trullench. l. 1. Decal. c. 5. dub. 6. n. 10.*

R. II. In gravi neceſſitate perſonæ particularis nemo, ſi non teneatur ex officio, tenetur ipſi ſuccurrere cum gravi periculo vitæ, aut gravi diſpendio rerum temporalium, famæ &c. bene vero ſi exiſtat in gravi neceſſitate aliqua Communitas. Quod perſona particularis non teneatur in præfatis circumſtantiis ſuccurrere proximo exiſtenti in gravi neceſſitate ſpirituali, probatur, quia in hujuſmodi neceſſitate proximus abſolute poteſt ſe liberare a periculo damnationis, quamvis id præſtare non poſſit ſine magno conatu; ſi autem abſolute poteſt ſe liberare, licet non ſine magna difficultate, non poteſt conſurgere in perſona particulari gravis obligatio ei ſuccurrendi cum gravi diſpendio bonorum, cum periculo vitæ &c. *S. Th. 2. 2. q. 26. c. 5. ad 3.*

Dixi, ſi non teneatur ex officio, ſtipendio &c. nam qui obligatur ratione officii vel ſtipendii, ſtrictius, quam alii obligatur, ergo ſi alii obligantur in extrema neceſſitate, qui obligabitur ex ſtipendio, ſeu officio tenebitur etiam in gravi. Quapropter, ut docet *D. Th. 2. 2. q. 185. art. 5. & opuſc. 18. cap. 16.* Paſtores Animarum etiam cum vitæ periculo tenebuntur ſuccurrere ſuis ovibus exiſtentibus in gravi neceſſitate. & adimplere id, quod dicit Chriſtus Dominus Jo: 10. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*: *Suar. de Char. d. 9. ſect. 2. num. 4. Pal. cit. n. 2. Coninch. d. 25. d. 7. n. 101.* Cæterum, ſi ad ſuccurrendum proximo exiſtenti in gravi neceſſitate, ſolummodo leve damnum immineat, omnes tenebuntur ei ſuccurrere, quia neceſſitas ſpiritualis, cum ſit ordinis ſuperioris, præferri debet levi damno corporali: *Suar. cit. n. 4. Coninch. n. 99.*

Addidi in concluſione unumquemque etiam cum periculo vitæ &c. teneri ſuccurrere Communitati exiſtenti in gravi neceſſitate ſpirituali. Ratio autem eſt, quia bonum commune ſpirituale Communitatis quam maxime præponderat bono privato, adeoque ratione conſervationis propriæ vitæ non debet quis eam relinquere in gravi ſpirituali periculo. Addatur nunquam ſequi, aliquam Communitatem eſſe in gravi ſpirituali neceſſitate, quin multi particulares ſint in extrema. Exemplum ſit in caſu, quo aliquis diſſeminaret falſa dogmata in aliqua Civitate; licet tunc multi poſſint ſe liberare a gravi ſpirituali periculo, adhuc tamen multi ex plebe, & indocti non valebunt cognoſcere fraudes, & fallacias Seductoris, ſi ab aliquo non detegantur. In tali igitur caſu, ſi aliquis ſit, qui poſſit hoc præſtare, & ſperet ſuum auxilium profuturum, id præſtare tenebitur etiam cum periculo vitæ;

Digitized by Google

te ; *D. Th. 2. 2. q. 26. a. 5. ad 3. Suar. d. 9. ſect. 1. num. 4. Bonac. d. 3. q. 4. num. 2. & 5.*

R. III. Licet unuſquiſque teneatur ſuccurrere proximo exiſtenti in gravi, vel extremo periculo corporali, ſi id poſſit ſine gravi incommodo ; id tamen non tenetur præſtare cum periculo vitæ, aut valde gravi jactura bonorum temporalium. Prima pars de ſe conſtat, quia comparetur graviſſimum damnum ſive in vita, ſive in bonis fortunæ imminens proximo cum levi meo incommodo, quod perferre deberem, ut ipſi ſuccurrerem, ſtatim conſtat damnum graviſſimum proximi eſſe meo levi incommodo præferendum, adeoque me teneri ex Charitate ad illi opem ferendam. Quod ſi ſermo eſſet de gravi, vel extremo periculo boni communis, deberem ipſi ſuccurrere, etiamſi mihi æquale immineret damnum, quia quælibet pars politica eſt propter corpus civile; unde ſicut pars corporis naturalis exponi debet propter conſervationem totius, idem dicendum in caſu noſtro.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia obligatio de ſuccurrendo proximo exiſtenti in extremo periculo corporali, non debet eſſe nimis dura, ſed accommodanda humanæ conditioni; nimis autem durum eſſet, ſi pro ſalvanda vita corporali proximi, deberet quis ſubire graviſſimum onus amittendi magnam partem bonorum temporalium, juxta dicenda capite ſequenti, & multo magis amittendi vitam. Confirmatur, quia illud præceptum Matth. 22. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*; ſignificat juxta explicationem D. Thomæ 2. 2. *qu. 26. art. 4.*, quod amori, quem habemus erga nos, debet aſſimilari amor, quem habere debemus erga proximum, unde prius ſtat, nos debere vitæ noſtræ providere, & deinde vitæ proximi: *Tolet. l. 4. c. 10. num. 4. Navar. c. 24. num. 9.*

Per hoc tamen non nego, quod poſſit quis, quamvis ad id non teneatur, ex aliquo vero motivo virtutis, vitam certo mortis periculo exponere. Ratio eſt, quia dum quis ex motivo virtutis exponit certo periculo ſuam vitam, ut Proximo ſuccurrat, non comparat propriam vitam cum vita alterius, tunc enim eſt propria vita alterius vitæ præferenda, ſed comparat propriam temporalem vitam cum honeſtate virtutis; ac proinde præfert bonum ſuum ſpirituale, quod conſiſtit in exercitio virtutis, bono temporali. Hinc poterit aliquis, ne proximus pereat, tradere panem ſibi neceſſarium ad vitam ſuſtentandam; poterit quis in naufragio alteri tradere tabulam, quæ ſibi eſſet neceſſaria ad mortem evadendam; poterit quis pro ſalvando Amico ſe mortis periculo exponere, dummodo hæc omnia fiant ex motivo vel fortitudinis, vel pietatis, vel obſervantiæ, vel amicitiæ &c. unde dicitur Jo. 15. *Majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Suar. diſp. 9. de Char. ſect. 3. n. 7. Palaus tr. 6. d. 1. p. 8. num. 5. & 6.* Cæterum, ſi quis exponeret propriam vitam ex ſolo motivo vitam proximi ſalvandi, non eſſet damnandus gravis culpæ, quia ordo de anteponenda propria vita vitæ proximi, non videtur ſub gravi obligare.

Q. IV. Quis ordo ſervandus ſit in proximo diligendo.

R. Hujuſmodi ordo ex *D. Th. 2. 2. q. 26. a. 6.* attendendus eſt penes majorem conjunctionem, adeo ut illi ſint in dilectione præferendi, qui nobis magis ſunt conjuncti; in eos etenim magis inclinat natura, quam non deſtruit, ſed perficit Gratia. Ex hac ratione Uxor videtur omnibus præferenda, quia eſt veluti una caro cum Marito; ſecundo Filii, quia amor naturalis, qui eſt inſtar ponderis, magis in ipſos quam in Parentes videtur inclinare; tertio Parentes, & inter hos magis Pater quam Mater, quia ille habet excellentiorem rationem principii; quarto Fratres, & Sorores; quinto Conſanguinei juxta ſuum gradum; ſexto Amici, & Benefactores; ſeptimo Concives. Cum hoc tamen ſtat, bene dixiſſe S. Thomam 2. 2. *q. 26. art. 9. & art. 11. ad 2.* quod in extrema neceſſitate cæteris præferendi ſint Parentes. Ratio pro ipſis peculiaris eſt, quia ipſis debitores ſumus vitæ, unde in extrema neceſſitate congruum eſt, ut tantumdem illis rependamus.

Obſervandum tamen eſt, prædictum ordinem ſervandum eſſe, ſi cætera ſint paria. Hinc licet plus debeamus Patri, quam Matri, ſi tamen hæc ſit in extrema neceſſitate, & Pater in gravi neceſſitate, poteſt Mater præferri Patri, ac ita diſcurrendum de cæteris. Pariter quamvis Conſanguinei præferendi ſint Amicis, & Benefactoribus, bene tamen in aliquo caſu præferri poteſt inſignis Benefactor, qui nobis e. g. Vitam conſervavit, Conſanguineo, maxime ſi ab eo nullum beneficium, vel exigui momenti acceperimus.

Regula in praxi obſervandæ.

I. Cum ex dictis debeamus amare inimicos, ac illis ſaltem ſigna generalia exhibere benevolentiæ, ſequitur, nullatenus eſſe abſolvendum, qui hujuſmodi nollet inimico præſtare, quamvis diceret, ſe nullatenus illum odio habere. Quod ſi ignoretur quis cœperit injuriare, adeoque non facile ſit alicui perſuadere, ut primus alterum ſalutet, alloquatur &c. tunc cogendus eſt uterque ad ſe mutuo ſalutandum &c., & ſi ita ſe gererent Confeſſarii, non diu foverentur apertæ inimicitiæ inter aliquas familias, & perſonas cum magno aliorum ſcandalo &c.

II. Ex doctrina ſupra firmata ſuccurrendum eſſe proximo in extrema ſpirituali neceſſitate conſtituto, ſequitur, ab unoquoque etiam cum periculo vitæ defendendum eſſe dormientem, quem certo ſcitemus eſſe in peccato mortali: baptizandum infantem, cui mors immineret; Obſtetricem, etiam cum periculo vitæ amittendæ, debere detegere ſuum crimen, ſi aliquos pueros invalide baptizaverit; non ſolum Parochos, ſed & quemcumque Confeſſarium cum eodem gravi periculo excipere confeſſionem moribundi, a quo fuit vocatus, ſi, eo quod ſit ruſticus, & ignarus, difficillimum illi ſit actum contritionis elicere. Et ratio eſt, quia ſupradicti verſantur in extrema ſpirituali neceſſitate, quibus proinde eſt ſuccurrendum, etiamſi foret amittenda Vita corporalis.

III. Cum major ſit obligatio illorum, qui tenentur alteri ſuccurrere ex officio, vel ſtipendio, ac proinde ex dictis teneantur ſuccurrere proximo etiam in gravi neceſſitate ſpirituali conſtituto, ſequitur, Parochos etiam cum periculo ſuæ vitæ teneri miniſtrare Sacramenta neceſſaria ſuis ovibus, quamvis nonniſi in gravi verſentur neceſſitate. Hinc debent adulto, peſte, vel alio morbo contagioſo laboranti, quo moraliter certum eſt inficiendum etiam ipſum Parochum, Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare; quamvis enim adultus poſſit ſibi actu contritionis providere, adhuc tamen, cum valde difficile ſit actum contritionis elicere juſtificantem, non ſequitur non eſſe in gravi neceſſitate, cui proinde teneatur ſuccurrere Parochus cum periculo ſuæ vitæ &c.

CAPUT III.

De Eleemoſyna corporali.

CUm eleemoſyna tendat ad alterius miſeriam ſublevandam, & hæc miſeria duplex ſit, corporalis ſcilicet, & ſpiritualis, ſequitur, duplicem dari eleemoſynam, corporalem ſcilicet, & ſpiritualem, quarum unaquæque habet ſeptem actus. Eleemoſyna ſpiritualis explicatur nomine correctionis, de qua capite ſequenti: corporalis vero abſolute dicitur eleemoſyna, & definitur a S. Thoma 2. 2. *quæſt. 32. art. 1. Opus, quo datur aliquid indigenti ex compaſſione propter Deum.* His verbis datur intelligi, eleemoſynam eſſe actum miſericordiæ verſantem circa ſublevandam alterius indigentiam. Quod ſi eliciatur ex motivo placendi Deo ſuper omnia amabili, imperabitur a Charitate; ſi ordinetur ad Dei cultum, imperabitur a Religione; ſi vero per talem actum intendat quis ſatisfacere pro ſuis peccatis, erit actus imperatus a Pœnitentia. Porro actus eleemoſynæ corporalis ſequenti verſiculo continentur;

Viſito, poto, cibo redimo, tego, colligo, condo.

His poſitis.

Q. I. An detur præceptum elargiendi eleemoſynam.

R. Non poteſt dubitari dari præceptum de eleemoſyna elargienda; nam Matth. 25. dicit Chriſtus Dominus: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus; eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum &c.* Ex his patet, fore aliquos condemnandos, quia non fecerunt eleemoſynam, adeoque eleemoſyna eſt de præcepto, cujus tranſgreſſio poteſt eſſe peccatum grave. Hinc *S. Th. 2. 2. q. 32. a. 5.* ita habet: *Ad dilectionem pertinet, ut non ſolum proximo velimus bonum, ſed etiam illud operemur, juxta illud* 1. Jo. cap. 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate. Sed ad hoc, quod velimus, & operemur bonum proximi, requiritur quod ejus neceſſitati ſubveniamus, quod fit per eleemoſynam.*

Q. II. Quando obliget præceptum de eleemoſyna elargienda,

Suppono hic primo, quæ dixi capite ſuperiori de triplici proximi neceſſitate. Deinde ſuppono, bona temporalia

alia eſſe neceſſaria ad conſervandam vitam propriam, & ipſorum, quibus aliquis tenetur providere; alia eſſe neceſſaria ad conſervationem ſui ſtatus, unde, iis amiſſis, aliquis non poſſet decenter, & cum debito decore vivere, quamvis alias haberet neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem; alia vero ſuperflua ſtatui, qui etam ſine illis conſervaretur debitus decor, & decentia, quæ alicui juxta ſuum ſtatum conveniret. His poſitis.

R. I. Quando proximus eſt in extrema neceſſitate, tenemur illi elargiri eleemoſynam, etiam cum aliquali proprii ſtatus diminutione; non vero tenemur ipſi dare, quæ neceſſaria ſunt ad propriam, vel noſtrorum conſervationem. Ratio primæ partis eſt, quia certum eſt aliquando obligare præceptum de eleemoſyna elargienda, at nullo tempore aptius obligat, quam in extrema, ſeu quaſi extrema proximi neceſſitate: *D. Th. 2. 2. q. 32. a. 5. ad 3., Sanch. in Conſ. p. 1. l. 1. c. 5. d. 3. nu. 24. Pal. tr. 6. d. 2. p. 2. n. 5.*

Neque dicas nimis grave eſſe obligare ad elargiendam eleemoſynam cum aliqua proprii ſtatus diminutione, adeoque non dari hanc obligationem etiam in extrema proximi neceſſitate. Contra enim eſt, quia ſi eo majus incommodum preferre debemus, quo major eſt proximi neceſſitas, ſequitur, quod ſi, ut videbimus, in gravi proximi neceſſitate tenemur ipſi ſuccurrere ex ſuperfluis ſtatui, in extrema tenebimur cum aliquali ipſius diminutione. Ulterius modica ſtatus diminutio apud Virum cordatum non poteſt nimis grave incommodum reputari; dum illud ſit perferendum ob proximi Vitam ſalvandam, vel illum a graviſſimo malo liberandum: immo judicabit ordinem charitatis expoſcere, ut vita hominis &c. tali incommodo præferatur. Hinc contrariam ſententiam non pauci inhumanam appellant.

Dixi teneri ad ſuccurrendum proximo exiſtenti in extrema neceſſitate, etiam *cum aliquali ſtatus diminutione*; nam ſi quis deberet, vel in totum, vel pro majori parte cadere a ſtatu, non tenetur in prædictis circumſtantiis proximo eleemoſynam alargiri. Ratio eſt, quia ſicut non tenetur homo conſervare propriam vitam cum amiſſione proprii ſtatus, ut fert communis ſententia, quia tale præceptum aptandum eſt humanæ conditioni, eadem ratione multo minus tenebitur id præſtare pro conſervanda vita proximi; ordo enim charitatis prius reſpicit conſervationem propriæ vitæ, quam aliorum.

Hinc etiam ſequitur quod in ſupradicta reſponſione diſerui, ſcilicet neminem teneri ad ſuccurendum proximo in extrema neceſſitate, ex neceſſariis ad ſui, ſuorumque ſuſtentationem, cum unuſquiſque teneatur prius ſibi providere.

R. II. Omnes tenentur ad eleemoſynam elargiendam in gravi proximi neceſſitate, ſi habeant ſuperflua ſtatui. Hæc reſponſio, quæ eſt juxta doctrinam S. Thomæ *2. 2. q. 32. a. 5. ad 3.* innititur en principio, quod quando commode poſſumus, tenemur ſaltem ex charitate tueri vitam, honorem, & bona proximi; at ſemper cum ſolummodo erogare debemus ſuperflua ſtatui; poſſumus ſine gravi incommodo opitulari proximo exiſtenti in tali neceſſitate, adeoque de iis tenemur ipſi eleemoſynam facere. Hinc *Matth.* 18. legimus damnatum fuiſſe eum, qui in gravi ſui Conſervi neceſſitate noluit illius miſereri: *Sanch. in Conſil. t. 1. l. 1. c. 5. dub. 5. num. 34. Azor. t. 2. l. 12. c. 7. q. 4. Palaus tr. 6. d. 2. p. 2. n. 13.*

R. III. Etiam in communibus pauperum neceſſitatibus divites tenentur ex ſuperfluis eleemoſynas elargiri. Hæc etiam aſſertio eſt D. Th. citata *q. 32. a. 7.* & poteſt duplici ratione probari. Prima eſt, quia diviſionem rerum cenſendum eſt factam fuiſſe ſine gravi pauperum præjudicio; at ſi divites non tenerentur in communibus pauperum neceſſitatibus ex ſuperfluis eleemoſynas elargiri, præfata diviſio non fuiſſet ſine gravi pauperum præjudicio; ergo cenſendum eſt, divites ex ſuperfluis teneri eleemoſynas elargiri. Secunda eſt, quia communes pauperum neceſſitates conſtituunt gravem neceſſitatem in Republica, huic enim nimis oneroſum eſſet omnes communes neceſſitates ſublevare; cum ergo unuſquiſque pro ſua parte teneatur gravem Reipublicæ neceſſitatem ſublevare, & tenebitur eleemoſynas pauperibus elargiri. Et de facto hoc expoſtulare ordinem charitatis innuitur *1. Jo. 3.* illis verbis: *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo?* Charitas ergo vult ſubveniendum eſſe communibus pauperum neceſſitatibus? *Pal. cit. nu. 15. Sanc. nu. 37. Bonac. d. 3. q. 4. p. 6. nu. 8.*

Dices difficile eſſe reperire aliquem habentem ſuperflua proprio ſtatui, quia quamvis habeat aliquid ſuperfluum ſtatui præſenti, nihil tamen erit ipſi ſuperflui in ordine ad ſtatum altiorem, quem juſte poteſt acquirere. Contra tamen eſt, quia hæc replica continet doctrinam ſaltem implicite damnatam ab Innoc XI. dum ſub n. 12. hanc proſcripſit theſim, *vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatus, & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatus.* Et quidem fruſtraneum omnino redderetur præceptum de eleemoſyna elargienda, ſi ſubſiſteret præfata doctrina; unuſquiſque enim nihil ſuperflui habere contenderet, eo quod altiorem vellet ſtatum adipiſci. Ut igitur ſubſiſtat præceptum de eleemoſyna elargienda, dicendum eſt, ſuperfluum conſiderandum eſſe in ordine ad ſtatum præſentem, non ad ſtatum futurum, & in hoc ſenſu dicitur Luc. 11. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*, & 1. Timoth. 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe, facile tribuere.* Conſtituendum tamen eſt diſcrimen inter Laicos, & Eccleſiaſticos, quod ſcilicet iſti totum, quod ſuperfluum eſt, tenentur in pios uſus erogare; ut dicam in Tractatu de Juſtitia; & inſuper, cum ſint Patres pauperum, tenentur pauperes inquirere, ut illis opitulentur. Laici vero, cum juſte poſſint propriis bonis altiorem gradum adipiſci, ſufficit ſi aliquid ex ſuperfluis præſenti ſtatui conferant pauperibus. Ubi tamen advertendum eſt quod, licet non dicantur ſuperflua proprio ſtatui, quæ conſervantur pro neceſſitate futura, quæ probabiliter timeatur, pro dote Filiarum &c.; ea tamen, quæ reſervantur ad meliorem ſtatum acquirendum ſuperflua dici debent, utpote quæ ſtatui præſenti, & neceſſitatibus, quæ probabiliter timeri poſſunt, non ſunt neceſſaria: *Palaus tr. 6. d. 2. p. 2. n. 12.* aliique apud ipſum.

Q. III. An pauperi indigenti ſufficiat aliquid mutuo dare; vel potius ſit obligatio elargiendæ eleemoſynæ.

R. Dum aliquis ſimpliciter eſt pauper, non fit ſatis obligationi de eleemoſyna elargenda mutuando, nam tunc urget præceptum erogandæ eleemoſynæ, quæ non eſt ſine donatione. Si vero aliquis eſt pauper *ſecundum quid*, quia ſcilicet non habet bona hic, bene vero alibi; tunc ſatis erit illi mutuare; re vera enim non eſt pauper. Idem cum magna probabilitate dici poteſt; dum agitur de ſubveniendo illi, qui licet hic, & nunc vere ſit pauper, nihilominus cito eſt habiturus bona vel ex ſua induſtria, & labore, vel ex hæreditate certo ei obventura; neque enim Charitas videtur obligare ad ſuccurrendum gratis ei, qui non eſt abſolute pauper in ſpe, ſed faciliime reſtituere poteſt, quæ dantur ad ei ſubveniendum; Unde S. Th. *quodl. 5. a. 17.* dicit ſatisfieri præcepto charitatis, ſi, tradendo mutuum aliquis a morte liberetur: *Anton. in direct. tr. 2. d. 2. c. 10. num. 67.* & alii apud ipſum.

Q. IV. Qui poſſint facere eleemoſynam, quando, prout in ſuperioribus diximus, urget illius præceptum.

R. In gravibus, & communibus neceſſitatibus, ſolum illis poſſunt, & tenentur facere eleemoſynam, qui habent propria, & ipſorum habent liberam adminiſtrationem. Dixi, ſi habeant bona propria, nemo enim poteſt aliena ſurripere, ut indigentem ſublevet. Ulterius debent habere ipſorum liberam adminiſtrationem; ſi etenim ea careant, non poſſunt de iiſdem bonis diſponere; & ita qui ſunt ſub tutela, non poſſunt facere eleemoſynas, niſi de bonis, quæ ipſis ad uſum liberum impendenda tribuunt Tutores, & potius iſtis competit facere modicas eleemoſynas ex bonis, quæ adminiſtrant, quales faciendæ eſſent ab ipſis, quorum ſunt bona: *Azor. 2. p. l. 12. c. 10. q. 5. Bonac. d. 3. q. 4. p. 6. n. 26.*

Dixi etiam in reſponſione in gravibus & communibus neceſſitatibus, nam ſi ſermo ſit de neceſſitate extrema, poterit quis, ſi propria non habeat, etiam ex alterius bonis, exiſtentem in tali neceſſitate ſublevare, tunc enim omnia bona ſunt communia: *Pal. tr. 6. d. 2 p. 12. u. 1. Anton. t. 2. d. 2. ſect. 15. n. 93.*

Quas autem eleemoſynas poſſint facere Uxores, Filiifamilias, Servi, Ancillæ, eſt alterius loci conſiderare.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum omnino conſtet dari præceptum obligans ſub gravi de eleemoſyna elargienda, debet Confeſſarius, qui divitis confeſſionem excipit, caute illum admonere de hujuſmodi obligatione; ipſumque edocere non ſatisfieri ab ipſo huic præcepto, per hoc quod ſuperflua proprio ſtatui impendat vel in conſtruendis domibus, vel in plu-

Digitized by Google

pluribus famulis alendis &c. affirmando ita ab ipſo ſublevari pauperum miſerias. Ita, inquam, agendo, non ſatisfacit præcepto de eleemoſyna elargienda, quod importat dare aliquid gratis, & liberali donatione. Quod vero tribuitur famulis, domorum conſtructoribus &c. tribuitur ex obligatione juſtitiæ. Recte tamen ſe gerer, ſi bene valentibus, qui poſſunt ſuis laboribus ſibi neceſſaria comparare, nil in eleemoſynam tribuat, potius enim id eſſet ipſorum ignaviam fovere.

II. Cum omnes ex ſuperfluis proprio ſtatui teneantur eleemoſynas quaſdam facere, ſequitur non eſſe tutos in conſcientia etiamſi omnia ſuperflua velint in alios pios uſus erogare. Hinc male ſe gerunt illi Eccleſiaſtici, qui in puncto mortis, timentes defeciſſe obligationi pie impendendi ea, quæ ex proprio beneficio ipſis ſupererant, fundant Capellanias &c. & nil pauperibus relinquunt; tenebantur enim aliquam partem redditnum beneficii, qui proprio ſtatui erant ſuperflui, pauperibus elargiri. Quæ vero pars a Divitibus ex ſuperfluis proprio ſtatui ſit in eleemoſynam eroganda, non tam facile eſt aſſignare. Communior videtur illa opinio, quæ obligat Epiſcopum habentem ſuperflua, ad tribuendam pauperibus quartam partem annui redditus beneficii, alios vero Eccleſiaſticos ad quintam, vel ſextam partem, dummodo aliud, quod ſuperfluum eſt congruæ ſuſtentationi, erogent vel in Dei cultum, val in uſus pios. Quoad Laicos habentes ſuperflua proprio ſtatui, ſunt qui putant ab ipſis ſatisfieri obligationi de eleemoſyna elargienda, ſi pauperibus diſtribuant quinquageſimam partem annui redditus, cæteris reſervatis ad altiorem ſtatum adipiſcendum. Talis opinio, meo videri, nimis favet Divitibus; unde conſulerem, ut liberaliores eſſent erga pauperes, ne verificetur facilius eſſe Camelum transſire per foramen acus, quam Ipſos intrare in Regnum Cœlorum.

III. Ultimo notet prudens, & doctus Confeſſarius, quod dum dicitur ex ſuperfluis impendi poſſe in alios uſus, quam in eleemoſynas, hoc intelligendum eſt, dum non ſit neceſſitas ſubveniendi gravibus pauperum neceſſitatibus. Quis enim non videat, quam Deo diſpliceret fundare Eccleſias, Beneficia, ornamenta Altaribus &c. ſuppeditare, dum interim pauperes graviter indigentes in ſuis miſeriis tabeſcerent? *Bon. diſp. 3. qu. 4. de Car. p. 6. n. 9.*

QUÆSTIO IV.

De Eleemoſyna ſpirituali, hoc eſt, de Præcepto Correctionis fraternæ.

QUamvis etiam eleemoſynæ ſpirituali ſeptem aſſignentur actus, qui ſequenti verſiculo continentur.
Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora,

Nihilominus ſpecialiter inſtruitur ſermo de fraterna correctione; & quidem non de judiciali, quæ adhibet remedium peccato Delinquentis, quatenus ex iſto oritur malum aliorum, & nocumentum communis boni, ſed de correctione fraterna, quæ juxta D. Th. 2. 2. *q. 33. art. 1. & 3.* adhibet remedium peccato, in quantum peccatum eſt malum ipſius peccantis.

Q. I. An detur præceptum naturale correctionis fraternæ, & quos obliget.

R. I. Datur præcitatum præceptum, & evidenter patet Eccleſiaſt. 19. *Corripe proximum tuum, ne iteret: corripe Amicum tuum, ne iterum addat facere*: & Math. 18. *Si peccaverit in te Frater tuus, vade, & corripe illum inter te, & ipſum ſolum.* Ratio autem evidens eſt, quia, ſi ex præcepto naturali, & Divino tenemur ſuccurrere proximo exiſtenti in corporali neceſſitate, utpote quia ad nos quodammodo pertinet, ut diximus agentes de proximi dilectione, quis dubitare poteſt multo magis dari tale præceptum, dum agitur de ſublevanda Proximi ſpirituali indigentia, quæ tam prævalet corporali?

Et quidem hujuſmodi obligatio erit de ſua natura mortalis; etenim ſi non ſublevare proximum in gravi corporali neceſſitate conſtitutum mortale eſt, multo magis mortale erit ipſum non ſublevare in gravi ſpirituali neceſſitate: *Trullench. l. 1. Decal. c. 5. dub. 13. n. 2.*

R. II. Præceptum correctionis fraternæ obligat omnes. Ratio eſt, quia tale præceptum oritur ex præcepto charitatis, quæ vult ab omnibus proximum eſſe amandum, & ei ſubveniendum præcipue in ſpirituali neceſſitate. Hinc cum ſubditi teneantur præcepto charitatis Superiores diligere pariter, ut notat S. Thomas 2. 2. *q. 33. art. 4.* tenebuntur & ipſos corrigere, quamvis cum magna manſuetudine, prudentia, & reverentia, & ſecreto, ſi peccata Superioris non ſint publica, & ſcandaloſa: *Regin. t. r. l. 4. c. 25. n. 330. Pal. tr. 6. d. 3. p. 7. num. 10.* Si tamen ſubditus ſit vilis conditionis, non tenetur, nec debet Superiorem per ſe ipſum corrigere; ſed ſuæ obligationi ſatisfacit, ſi id faciat per perſonas digniores, facilius enim ita aſſequetur finem fraternæ correctionis.

Item peccator tenebitur corrigere alium delinquentem ex ratione jam dicta. Ut plurimum tamen publici peccatores eximuntur a tali obligatione, tum quia potius ad oſtentationem, quam ad emendationem viderentur corrigere; & correctus poſſet ipſi reſpondere juxta illud Matth. 7. *Hypocrita quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* Cæterum ſi publicus peccator procedat cum humilitate, & emendationem ſperet, tenebitur Delinquentem corrigere: *D. Th. 2. 2. quæſt. 33. art. 4. Palaus loc. cit. n. 2.*

Super omnes autem tenentur Superiores ad correctionem fraternam; cum ad eam teneantur ex vi ſui officii: *D. Th. 2. 2. q. 33. art. 3. ad 1.* Si vero in hoc præſtando deficiant, mihi probabilius eſt non ſolum peccare contra charitatem, ſed etiam contra juſtitiam, cum proprio officio non ſatisfaciant: *Sanch. in Conſil. p. 2. l. 6. c. 2. d. 9. n. 3. Pal. tr. 6. d. 6. p. 7. n. 8. Trullench. l. 1. c. 5. d. 15. n. 1.* Hinc Prælati tenentur corrigere Subditos, Parentes Filios, Mariti Uxorem, Dominus Famulos, Magiſter Diſcipulos, Tutor Pupillum, Curator Minorem, Parochus ſuas oves, Confeſſarius Pœnitentes &c.

Ulterius prælati, & Magiſtratus non ſolum tenentur ad corrigendos, quos noſcunt delinquentes, ſed tenentur hoc inquirere vel per ſeipſos, vel per ſpeculatores, quos tamen debent curare præditos eſſe prudentia, charitate, & juſtitia, ne mendaciis ipſorum aures impleant, & pluſquam par eſt, aliena crimina extollant. Dixi teneri per ſe ipſos, vel per ſpeculatores ſubditorum crimina inquirere; tum quia tamquam Patres, & Judices tenentur de Subditorum vita inquirere; ut adhibeant convenientia remedia ad ipſorum correctionem; tum quia cum ad ipſos pertineat bonum commune promovere, id expoſcit ut majori diligentia de Subditorum vita & moribus inquirant, mediis tamen ordinariis, non extraordinariis: *D. Th. 2. 2. q. 33. a. 2. ad 4. Laym. l. 2. tr. 3. c. 7. n. 2. Dian. p. 1. tr. 2. reſol. 42.* Hujuſmodi inquiſitio non eſt licita Subditis, quia per ipſam pax Reipublicæ turbaretur, unde dicitur Proverb. 24. *Ne quæras impietatem in domo juſti, neque vaſtes requiem ejus.* Videatur *S. Th. 2. 2. quæſt. 33. a. 2. ad 4.*

Q. II. Quæ peccata ſint materia Præcepti Correctionis.

R. I. Peccatum mortale non emendatum eſt materia præcepti correctionis. Ratio eſt, quia Peccator exiſtens in peccato mortali eſt in gravi ſpirituali neceſſitate, adeoque illi eleemoſyna ſpirituali eſt ſubveniendum. Ulterius Chriſtus Dominus impoſuit præceptum correctionis fraternæ, ut lucremur fratrem noſtrum, ut deducitur ex illo *Matth. 18. Lucratus es fratrem tuum:* dum ergo frater perit per peccatum, eſt obligatio illum lucrandi mediante correctione. Demum, ut bene advertit *S. Th. 1. 2. q. 109. art. 8.* eſt moraliter impoſſibile hominem diu exiſtere in peccato mortali abſque nova culpa; ut enim habet S. Gregorius lib. 25. Moral. c. 19. *Peccatum quod mox per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit.* Cum ergo omnes aſſerant obligare præceptum correctionis, dum eſt periculum reincidentiæ, & hujuſmodi periculum ſemper adſit, ſi peccatum præteritum non ſit emendatum, ſequitur ex peccato præterito non emendato conſurgere obligationem fraternæ correctionis: *Suar. de Char. d. 8. ſect. 3. n. 8. Bon. d. 3. q. 4. p. 7. n. 4. Hurtad. d. 26. ſect. 7. §. 68.*

Dices fere nunquam poſſe conſurgere hujuſmodi obligationem, quia ſemper poteſt præſumi emendatio illius, qui peccavit. Contra tamen eſt, quia dum certo moraliter ſcitur commiſſum fuiſſe peccatum, & aliunde, qui peccavit, non det ſigna emendationis, puta adeundo Confeſſarium, faciendo reſtitutionem, non frequentando Dominum, in qua peccavit, loquendo cum illo, quem injuriis laceſſivit &c. dat prudens fundamentum credendi parum curare de ſua emendatione, & ita datur locus morali certitudini de perſeverantia in peccato. Cæterum perſona particularis non tenetur corrigere quæ per dubia ſigna cognovit, vel quæ ſcit per incertum rumorem, ſeu audivit a Perſonis, quibus non ſit neceſſe omnino credere, tunc enim correctio potius noceret, quam eſſet proficua:

Sanchez. t. 2. Conſil. l. 6. d. 1. n. 5. Dian. p. 7. tr. 3. reſol. 6. Prælatus vero poteſt etiam dubia peccata corrigere, exponendo tamen illi, qui timetur deliquiſſe, non eſſe certum de ſuo crimine, nam hoc pertinere videtur ad eam vigilantiam, quam ſupra Gregem ſuum habere debet. Unuſquiſque etiam privatus teneri videtur, ut dubia, repræſentare crimina, de quibus habet ſuſpicionem, ſi ex his immineat grave damnum bono communi, & aliunde ſit ſpes emendationis; nam tunc periculum boni communis, ſeu etiam vitæ proximi, videtur ſtrictius obligare ad removendum crimen, quamvis non certum: *Filiuc. t. 2. tr. 28. c. 6. q. 3. & 4. Trull. l. 5. c. 5. d. 14. n. 1.*

R. II. Unuſquiſque tenetur ſub veniali peccata venialia habitualia proximi corrigere, non vero quæ oriri ſolent ex Fragilitate. Ratio primæ partis eſt, quia, cum peccata venialia habitualia conſtituant hominem in aliqua ſpirituali miſeria, adeſt obligatio illum ab ea liberare. Ratio ſecundæ partis eſt, quia non ſolum impoſſibile eſt cognoſcere omnia peccata quæ ex fragilitate oriuntur, ſed etiam communiter ab eis homines non ſe corrigunt: *Pal. tr. 6. d. 3. p. 3. n. 3.*

Quod ſi ſermo eſſet de Prælatis Regularibus, quamvis poſſint quandoque diſſimulare aliquos defectus occultos, nihilominus tenentur ut plurimum ſub gravi levia peccata corrigere, quia ex iſtis graviter læditur Regularium diſciplina, & valde impediuntur Religioſi a perfectione acquirenda; unde ſi ipſa non corrigant, graviter in ſuo munere deficiunt: *Suar. de Char. d. 8. ſect. 2. n. 6. Pal. d. 3. p. 3. n. 6. Reginal. l. 4. c. 25. n. 333. Anton. a Spir. S. tr. 2. dub. 2. ſect. 18. n. 124.*

R. III. Etiam peccata per ignorantiam commiſſa ſunt materia correctionis, ſi ignorantia ſit vincibilis; vel, ſi ſit invincibilis, fructus ſperetur. Certe ſi ignorantia ſit vincibilis, ſeu culpabilis, pro comperto eſt omnes teneri ſic delinquentem corrigere, cum talis ignorantia a peccato non excuſet. Si vero ſit invincibilis, adeſt obligatio correctionis, dum ſperatur fructus, alias ſi ex correctione nocumentum proximo adveniret: *can. ſi quis autem de pœnit. diſt. 7.* Aliqui dicunt id eſſe verum, quando delinquens, qui invincibiliter ignorat, peccat contra jus poſitivum, ſecus ſi peccet contra legem naturalem. Sed ego non video ſufficientem diſparitatem; etenim ſi corrigo invincibiliter delinquentem contra legem naturalem, dum fructus non ſperetur, nil aliud facio quam reddere formaliter peccantem illum, qui tantum materialiter peccabat, quod eſt idem ac reddere illum reum Gehennæ.

Q. III. Quando obliget præceptum fraternæ Correctionis.

R. I. Præceptum de correctione obligat non ſolum in extrema, ſed etiam in gravi proximi neceſſitate. Ratio eſt, quia, non ſolum quando proximus eſt in periculo damnationis, ſed etiam quando vel eſt in periculo committendi grave peccatum, vel in illo perſeverat, imminet illi grave ſpirituale damnum, nos autem debemus grave ſpirituale damnum proximi removere, ſemper cum poſſumus, ut explicatum eſt ſupra. Ita docet S. Thom. *2. 2. q. 33. art. 2.* ubi etiam advertit expectandam eſſe temporis opportunitatem, ne correctio pernicioſa evadat.

R. II. Non adeſt obligatio proximum corrigendi, niſi ſit probabilis ſpes emendationis. Advertendum igitur ex S. T. loc. cit. correctionem judicialem faciendam eſſe ſine tali ſpe, nam hæc primo, & per ſe conſiderat publicum bonum. Quapropter Superiores tenentur corrigere publicos defectus, etſi non ſperent Delinquentes emendandos, quia ex omiſſione talis correctionis rueret publicum bonum. Cum vero e contra correctio Fraterna per ſe reſpiciat emendationem peccantis, ceſſante tali ſpe ceſſat illius obligatio.

Non opus tamen eſt, ſpem emendationis eſſe certam, alias fere nunquam daretur præceptum correctionis. Sufficit igitur ſi ſit probabilis; dum enim ſpero prudenter, meam correctionem profuturam; adeſt quidquid requiritur, ut movear ad ſuccurrendum meo proximo. Ubi etiam advertendum, quod quamvis aliqui non ſtatim emendentur, dum corriguntur, nihilominus fructus correctionis ſequitur poſt aliquem temporis decurſum, & id ſatis eſt ut non teneamur a correctione ceſſare: *Suar. diſp. 8. ſect. 3. n. 3. Palaus tr. 6. d. 3. p. 5. n. 1. Anton. a Spir. S. t. 3. tr. 2. diſp. 2. ſect. 118. n. 126.* Item advertendum quod mœror, triſtitia, vel ira, quæ forſaſſe conſurgent ex correctione in correcto, non debent nos deterrere ab obſervatione præcepti de corrigendo proximum, ſed ſolum ſi prudenter timeatur proximum ex correctione ſumpturum occaſionem novum committendi peccatum, aut ſequuturam obſtinationem in præcedenti. Adderem ſaltem in extrema neceſſitate non abſtinendum eſſe a proximo corrigendo, quamvis dubitarem, an correctio fructum, vel potius nocumentum ſit allatura; nam tunc videtur tentandum etiam remedium dubium, ne proximus damnetur.

Q. IV. Qualis ordo ſervandus ſit in correctione fraterna, & an ſemper obliget.

R. I. In correctione fraterna ſervandus eſt ordo, quem docuit Chriſtus Dominus *Matth. 18.* Igitur ſecreto Delinquens, ſecreto corrigatur. Secundo, ſi talis monitio ſecreta non proſit, corrigatur coram teſtibus etiam delicti ignaris. Tertio, ſi hujuſmodi non proſint, denuntietur Prælato; quem ſi non audiat, habeatur ſicut Ethnicus, hoc eſt, corrigatur per pœnas Eccleſiaſticas. Quamvis autem videantur quidam innuere hunc ordinem eſſe dumtaxat de conſilio, non de præcepto; nihilominus omnino tenendum eſt eſſe de præcepto, ac ita manifeſte docet S. Thomas *2. 2. quæſt. 33. art. 7. & 8.* Id autem probat S. Thomas exemplo Medici corporalis; ſicut enim iſte tenetur, ſemper cum fieri poteſt, conferre ſanitatem ægroto abſque membri abſciſſione, pari ratione per correctionem fraternam ita tenemur ſpirituali proximi neceſſitati mederi, ut illius fama conſervetur: *Suar. t. 4. de Relig. l. 10. c. 7. n. 10. Pal. tr. 6. d. 3. p. 8. n. 4.* & communiter Theologi apud Dianam *p. 5. tr. 15. reſol. 42.* Et hoc puto obſervandum, etiamſi aliquis ob bonum finem juri ſecretæ correctionis ceſſiſſet, etenim perſeverat præceptum, ſemper cum illius primarius finis perſeverat: finis autem primarius ſecretæ correctionis a Chriſto impoſitæ, eſt Fratris emendatio, ac proinde ſervandus eſt, ſemper cum ſpes emendationis effulget. Præterea experientia docet, quod dum non ſervatur ſecreta correctio, non emendatio, ſed peccantis perturbatio oritur.

Ex hoc infertur, minime licere deferre peccatum Subditi ad ipſius Prælatum, vel Parochum, quando ſecretum eſt, dum quis probabiliter ſperat ſufficere ſuam privatam correctionem ad emendationem peccantis: & hoc verum eſt, etiamſi quis intendat deferre occultum crimen Prælato, ſeu Parocho, ut Patri. Ratio eſt, quia ita agendo, non conſulitur bono ſpirituali proximi ſine ipſius gravi detrimento; pluris enim Subditi, & Parochiani æſtimant conſervare bonam famam apud Prælatum, & Parochum. Ulterius ex hujuſmodi modo agendi ſolent oriri rixæ, & odia inter correctum, & deferentem; ac proinde non ſequitur emendatio peccantis, ſed potius præbetur occaſio novis peccatis: *Palaus pag. 11. num. 7. Anton. a Spir. S. t. 3. tr. 2. d. 2. ſect. 16. num. 129.* Præfatam autem doctrinam puto attendendam, quamvis credatur correctio Prælati melius profutura; etenim lex naturalis dictat, correctionem faciendam cum minori proximi detrimento; ac proinde nunquam videtur infamandus apud Prælatum, & Parochum quoties ſperatur ex privata correctione emendandus: *Anton. in Direct. Regul. p. 3. tr. 4. d. 3. ſect. 2. n. 57.* & alii apud ipſum.

R. II. Quando peccata ſunt notoria, non eſt obligatio ſervandi ordinem ſupradictum correctionis fraternæ, niſi forte, ut dicit S. Thomas *2. 2. q. 33. art. 7. aliquis firmiter exiſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet hujuſmodi mala impedire.* Si igitur quis non *firmiter exiſtimaret* poſſe *ſtatim* peccantem ad meliorem frugem reducere, poteſt illum quantocius ad Superiorem deferre; etenim eo ipſo, quod publice peccet, publice ſe infamat, & facit cognoſcere, ſe renunciare juri ſecreti. Præterea, quomodo ſperari poteſt profuturam ſecretam correctionem reſpectu illius, qui publice peccando, facit cognoſcere ſe hominum præſentiam parvipendere? Stet ergo peccatum notorium, ſive *facto*, quia in multorum præſentia eſt commiſſum, ſive *jure*, quia manifeſtum fuit per ſcientiam Judicis, ſive *fama*, quia illius notitia ad plures pervenit, poſſe ſtatim ad Superiorem deferri.

R. III. Si quis velit committere peccatum, quod cedat in damnum tertiæ privatæ perſonæ, ut ſe habent furtum, homicidium &c. tunc diſtinguendum eſt. Si igitur certa ſit ſpes emendationis, teneor paratum ita delinquere ſecreto corrigere; tunc enim ſine damno peccantis poſſum damnum tertiæ particularis perſonæ impedire. Si vero non ſit certa ſpes emendationis, tunc teneor delinquentem denuntiare Superiori. Ratio eſt, quia, ſi certam

tum non ſit ſpes emendationis, poteſt grave damnum tertiæ innocenti perſonæ imminere, unde, ut hoc a Superiore impediatur, poſſum delinquentem ipſi manifeſtare; ſemper enim bonum Innocentis bono delinquentis eſt præferendum. Notandum proinde hic eſt diſcrimen, quod intercedit, quando corrigendus eſt Delinquens, qui tantum committere vult peccata, quæ ſunt in damnum ſui, ac quando vult peccata committere in damnum tertii. In primo caſu, ut ſit obligatio illum ſecreto corrigendi, ſatis eſt ſi ſit ſola probabilis ſpes emendationis, ut dictum eſt ſupra. At dum agitur de corrigendo Delinquente, qui committit peccata, ſeu vult committere peccata in damnum tertiæ perſonæ, tunc ſi non ſit certa ſpes emendationis, denunciandus eſt Superiori, omiſſa fraterna ſecreta correctione; ita enim expoſtulat ratio vitandi damnum innocentis. Quod ſi non poſſim ſuperiorem adire poſſum, & debeo ipſum innocentem admonere, ut ſibi caveat; & ſi opus ſit, etiam denunciare ipſi non entam, ut poſtulet a Judice auxilium: *Sanch. in Conſil. p. 2. l. 6. c. 2. dub. 5. n. 8. Tirull. tr. 28. c. 7. q. 3 n. 153. Pal. tr. 6. d. 3. p. 13. n. 8.*

Quod vero omitti debeat ſecreta correctio; & denunciatio fiat lædentis falſa doctrina &c. bonum publicum, dixi ſupra *qu. 1. c. 6.* Eadem doctrina applicatur reſpectu graviter delinquentium contra bonum publicum uti ſe habent Proditores, Falſificantes monetas &c.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum præceptum correctionis obliget de ſe ſub mortali, debet prudens Confeſſarius advertere, ne Pœnitentes huic muneri deficiant, ſub prætextu quod adipſos non attinet corrigere eos, qui non ſunt ipſorum ſubditi, Domeſtici &c. ſi enim peccatum ſit grave, & detur probabilis ſpes emendationis, tenetur unuſquiſque quærere opportunitatem temporis, ut proximum a ſpirituali ſublevet miſeria, alias difficile excuſabitur a gravi culpa, ut patet ex dictis.

II. Si aliquis non conſtitutus ſit a Superioribus ſpeculator actionum proximi, non poteſt propria authoritate alienos defectus inquirere, etiamſi ſibi proponat pro fine illos corrigere; nam ex hujuſmodi inquiſitione facta a particularibus perſonis pax Reipublicæ, & Communitatis turbatur. Hinc patet, quàm male ſe gerant illi, qui ſola curioſitate moti, die, noctuque vigilant, ut ſcire valeant, quo aliquis eat, ubi commoretur, ſi domos ſuſpectas frequenteret &c. Immo admonent Doctores ipſos Superiores, quibus licet adhibere etiam Zelatores vigiles, ne modis extraordinariis propriis Subditis inſidientur.

III. Si Superior manifeſtari præcipiat crimen occultum, quando prius præmittenda eſt fraterna ſecreta correctio, quam diximus cadere ſub præcepto, tunc non eſt ei parendum; ſed prius facienda eſt fraterna correctio, quæ ſi non proſit, tunc crimen deferendum eſt Superiori. Audiatur S. Thomas 2. 2. q. 33 a. 5. ad 5. ubi ſic habet. *Prælato non eſt obediendum contra præceptum Domini ſecundum illud Actor 5. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Et ideo, quando Prælatus præcipit, ut ſibi dicatur, quod quis ſciverit corrigendum, intelligendum eſt præceptum ſane, ſalvo ordine correctionis fraternæ, ſive præceptum fiat communiter ad omnes, ſive ad aliquem ſpecialiter. Sed ſi Prælatus expreſſe præciperet contra hunc ordinem a Domino inſtitutum & ipſe peccaret præcipiens, & ei obediens, quaſi contra præceptum Domini agens.* Si igitur aliquis a Superiore interrogetur de peccato occulto, quod cedit in damnum ſolius Delinquentis, ſi nondum ſecreto illum correxerit, poteſt reſpondere ſe neſcire, quia ita reſpondendo, reſpondet ad mentem interrogantis, cum præſumatur interrogare de peccato, quod dicere teneatur

IV. Bene notet Confeſſarius multos deficere in adimplendo præcepto de fraterna correctione, quia non ſibi certo videtur delinquens emendandus, vel emendandus ſtatim; quapropter monere debet ſuum pœnitentem obligare hoc præceptum, dum eſt probabilis ſpes emendationis; vel dum ſperatur correctio aliquando profutura. Alii ceſſant a correctione, quia vident delinquentem eſſe perturbandum, ſed neque hoc motivum excuſat a correctione, quoties fructus ſperetur. Alii pariter credunt, hoc præceptum urgere, quando ſciunt, aliquem deliquiſſe, cum revera Charitas expoſcat etiam corrigendum illum, qui eſt in periculo peccandi, vel quia e. g. habet malos ſocios, vel quia nimis familiariter incipit cum mulieribus agere &c. Moneat inſuper Confeſſarius quoſdam Zeli nimis ferventis, ut ad proximum corrigendum opportunum tempus expectent.

CAPUT V.

De Vitiis oppoſiti Charitati.

Q. I. **Q**Uot ſint vitia oppoſita Charitati.

R. Cum Charitas Deum reſpiciat, & Proximum, illa vitia erunt ipſi oppoſita, quæ Dei, & Proximi amori opponuntur, Decem autem enumerantur a S. Thoma 2. 2. q. 34. a. 4. Odium Dei, & Proximi quod vitium immediate ipſi Charitati opponitur, quatenus dicit dilectionem. Cum autem Charitas etiam gaudeat de bono Divino, & Proximi, ipſi primo erit oppoſita *Acedia*, ſecundo *Invidia*. Præterea cum unio effectus ſit Charitatis, ipſi erit contraria *Diſcordia*; ſicut etiam quia ex amore ſequitur Pax, ipſi opponuntur *Diſcordia, Contentio, Schiſma, Bellum, Rixa, Seditio*. Denique, cum Charitas inclinet ad benefaciendum, ipſi erit contrarium *Scandalum*, de quo capite ſequenti.

Q. II. Quid ſit odium Dei, & quotuplex, & quale peccatum.

R. I. In præſenti non ſumimus odium Dei pro odio generali incluſo in omni peccato, quatenus ſcilicet dicitur odio habere Deum ille, qui per peccatum mortale avertitur ab ultimo fine, & convertitur ad creaturam; hoc enim odium, cum ſit incluſum in omni peccato mortali, non conſtituit ſpecialem malitiam, diſtinctam ab illa, quæ eſt in eodem peccato.

R. II. Cum, ut bene advertit S. Thomas loco ſupra citato *art. 1.* Deus non poſſit odio haberi, quatenus in ſe bonus, & ut Author aliquorum effectuum non contrariorum voluntati creatæ, ita enim nihil dicit, quod diſſonet, & repugnet noſtro appetitui, ſequitur; ſolummodo poſſe odio haberi, ut eſt Prohibitor, ſeu Vindex peccatorum; ſub hac enim ratione explicat aliquid repugnans inordinatæ peccantium voluntati. Hinc odium Dei poteſt definiri: *Averſio a Deo, in quantum prohibet peccata, vel eadem peccata punit.*

R. III. Odium Dei duplex eſt, abominationis ſcilicet, & inimicitiæ. Odio abominationis deſiderat peccator, ut Deus non ſit; odio vero inimicitiæ optat illi aliquod malum.

R. IV. Odium Dei eſt peccatum omnium graviſſimum, tum quia opponitur nobiliſſimæ omnium Virtuti; tum quia ipſi opponitur ſecundum actum primarium, ſcilicet ſecundum quod dicit Dei dilectionem. Cum autem quodcumque malum, quod Deo velimus, non poſſit non eſſe culpa graviſſima, ideo non poteſt dari in odio Dei peccatum leve ex parvitate materiæ. Dicitur etiam peccatum in Spiritum Sanctum, quia directe opponitur Dei Charitati: *Laym. l. 2. tr. 3. c. 8. Bon. d. 3. q. 4. p. ult. n. 3.*

Q. III Quid ſit odium Proximi, & an omnia odia proximi ſint ejuſdem ſpeciei.

R. I. Odium proximi eſt expreſſe exoptare malum proximo. Quamvis autem ſit ex genere ſuo mortale, unde dicitur Jo: 3. *Omnis, qui odit Fratrem ſuum homicida eſt*, nihilominus poteſt eſſe veniale ex imperfecta deliberatione, vel quia malum proximo exoptatum ſit exiguum. Quod ſi proximo non velimus malum ſub ratione mali, ſed ob amore boni, tunc nullum eſt peccatum; ut ſi proximo aliquod exoptem infortunium, ut ad Deum redeat, ne ſeducere poſſit Innocentes, nocere bono publico &c. *Tolet. l. 4. Sum c. 11. Navar. in Sum. c. 15. n. 10. Bon. de Char. d. 3. q. 11. p. ult. a n. 7.*

R. II. Probabile eſt, omnia odia mere interna proximi eſſe ejuſdem ſpeciei. Ratio autem eſt, quia ſicut omnia furta ſunt ejuſdem ſpeciei in ratione furti, quamvis diverſis mediis fiant, quia omnia tendunt ad lædendum proximum in bonis fortunæ; ſicuti cenſent non pauci Doctores eſſe ejuſdem ſpeciei diverſas detractiones, quia omnes conveniunt in lædendo proximum in bonis famæ, ita poteſt dici omnia interna odia, quamvis diverſa mala proximi reſpiciant, eſſe ejuſdem ſpeciei, quia omnes conveniunt in ratione malevolentiæ, qua proximo malum exoptamus. Dixi, probabile eſt, quia ita convincit ratio allata, authoritas multorum Doctorum, & nimis videtur grave obligare Confeſſarium ad inquirendum, quale ſpeciale damnum exoptaverit proximo ille, qui ipſum odio habuit *Lug. de Pœn. diſp. 16. ſect. 5. n. 259. & ſeq. Bon. t. 2. d. 3. q. 4. p. ult. §. 1. n. 10.* Cæterum e contra mihi apparet difficile in genere moris adinvenire

Sanchez. l. 2. Conſil. l. 6. d. 1. n. 3. Dian. p. 7. tr. 3. reſol. 6. Prælatus vero poteſt etiam dubia peccata corrigere, exponendo tamen illi, qui timetur deliquiſſe, non eſſe certum de ſuo crimine, nam hoc pertinere videtur ad eam vigilantiam, quam ſupra Gregem ſuum habere debet. Unuſquiſque etiam privatus teneri videtur, ut dubia, repræſentare crimina, de quibus habet ſuſpicionem, ſi ex his immineat grave damnum bono communi, & aliunde ſit ſpes emendationis; nam tunc periculum boni communis, ſeu etiam vitæ proximi, videtur ſtrictius obligare ad removendum crimen, quamvis non certum: *Filiuc. t. 2. tr. 28. c. 6. q. 3. & 4. Trull. l. 5. c. 5. d. 14. n. 1.*

R. II. Unuſquiſque tenetur ſub veniali peccata venialia habitualia proximi corrigere, non vero quæ oriri ſolent ex Fragilitate. Ratio primæ partis eſt, quia, cum peccata venialia habitualia conſtituant hominem in aliqua ſpirituali miſeria, adeſt obligatio illum ab ea liberare. Ratio ſecundæ partis eſt, quia non ſolum impoſſibile eſt cognoſcere omnia peccata quæ ex fragilitate oriuntur, ſed etiam communiter ab eis homines non ſe corrigunt: *Pal. tr. 6. d. 3. p. 3. n. 5.*

Quod ſi ſermo eſſet de Prælatis Regularibus, quamvis poſſint quandoque diſſimulare aliquos defectus occultos, nihilominus tenentur ut plurimum ſub gravi levia peccata corrigere, quia ex iſtis graviter læditur Regularium diſciplina, & valde impediuntur Religioſi a perfectione acquirenda; unde ſi ipſa non corrigant, graviter in ſuo munere deficiunt: *Suar. de Char. d. 8. ſect. 2. n. 6. Pal. d. 3. p. 3. n. 6. Reginal. l. 4. c. 25. n. 333. Anton. a Spir. S. tr. 2. dub. 2. ſect. 18. n. 129.*

R. III. Etiam peccata per ignorantiam commiſſa ſunt materia correctionis, ſi ignorantia ſit vincibilis; vel, ſi ſit invincibilis, fructus ſperetur. Certe ſi ignorantia ſit vincibilis, ſeu culpabilis, pro comperto eſt omnes teneri ſic delinquentem corrigere, cum talis ignorantia a peccato non excuſet. Si vero ſit invincibilis, adeſt obligatio correctionis, dum ſperatur fructus, alias ſi ex correctione nocumentum proximo adveniret: *can. ſi quis autem de pœnit. diſt. 7.* Aliqui dicunt id eſſe verum, quando delinquens, qui invincibiliter ignorat, peccat contra jus poſitivum, ſecus ſi peccet contra legem naturalem. Sed ego non video ſufficientem diſparitatem; etenim ſi corrigo invincibiliter delinquentem contra legem naturalem, dum fructus non ſperetur, nil aliud facio quam reddere formaliter peccantem illum, qui tantum materialiter peccabat, quod eſt idem ac reddere illum reum Gehennæ.

Q. III. Quando obliget præceptum fraternæ Correctionis.

R. I. Præceptum de correctione obligat non ſolum in extrema, ſed etiam in gravi proximi neceſſitate. Ratio eſt, quia, non ſolum quando proximus eſt in periculo damnationis, ſed etiam quando vel eſt in periculo committendi grave peccatum, vel in illo perſeverat, imminet illi grave ſpirituale damnum, nos autem debemus grave ſpirituale damnum proximi removere, ſemper cum poſſumus, ut explicatum eſt ſupra. Ita docet S. Thom. *2. 2. q. 33. art. 5.* ubi etiam advertit expectandam eſſe temporis opportunitatem, ne correctio pernicioſa evadat.

R. II. Non adeſt obligatio proximum corrigendi, niſi ſit probabilis ſpes emendationis. Advertendum igitur ex S. T. loc. cit. correctionem judicialem faciendam eſſe ſine tali ſpe, nam hæc primo, & per ſe conſiderat publicum bonum. Quapropter Superiores tenentur corrigere publicos defectus, etſi non ſperent Delinquentes emendandos, quia ex omiſſione talis correctionis rueret publicum bonum. Cum vero e contra correctio Fraterna per ſe reſpiciat emendationem peccantis, ceſſante tali ſpe ceſſat illius obligatio.

Non opus tamen eſt, ſpem emendationis eſſe certam, alias fere nunquam daretur præceptum correctionis. Sufficit igitur ſi ſit probabilis; dum enim ſpero prudenter, meam correctionem profuturam; adeſt quidquid requiritur, ut movear ad ſuccurrendum meo proximo. Ubi etiam advertendum, quod quamvis aliqui non ſtatim emendentur, dum corriguntur, nihilominus fructus correctionis ſequitur poſt aliquem temporis decurſum, & id ſatis eſt ut non tenear a correctione ceſſare: *Suar. diſp. 8. ſect. 3. n. 3. Palaus tr. 6. d. 3. p. 5. n. 1. Anton. a Spir. S. t. 3. tr. 2. diſp. 2. ſect. 18. n. 156.* Item advertendum quod mœror, triſtitia, vel ira, quæ fortaſſe conſurgent ex correctione in correcto, non debent nos deterrere ab obſervatione præcepti de corrigendo proximum, ſed ſolum ſi prudenter timeatur proximum ex correctione ſumpturum occaſionem novum committendi peccatum, aut ſequuturam obſtinationem in præcedenti. Adderem ſaltem in extrema neceſſitate non abſtinendum eſſe a proximo corrigendo, quamvis dubitarem, an correctio fructum, vel potius nocumentum ſit allatura; nam tunc videtur tentandum etiam remedium dubium, ne proximus damnetur.

Q. IV. Qualis ordo ſervandus ſit in correctione fraterna, & an ſemper obliget.

R. I. In correctione fraterna ſervandus eſt ordo, quem docuit Chriſtus Dominus *Matth. 18.* Igitur ſecreto Delinquens, ſecreto corrigatur. Secundo, ſi talis monitio ſecreta non profit, corrigatur coram teſtibus etiam delicti ignaris. Tertio, ſi hujuſmodi non proſint, denuntietur Prælato; quem ſi non audiat, habeatur ſicut Ethnicus, hoc eſt, corrigatur per pœnas Eccleſiaſticas. Quamvis autem videantur quidam innuere hunc ordinem eſſe dumtaxat de conſilio, non de præcepto; nihilominus omnino tenendum eſt eſſe de præcepto, ac ita manifeſte docet S. Thomas *2. 2. quæſt. 33. art. 7. & 8.* Id autem probat S. Thomas exemplo Medici corporalis; ſicut enim iſte tenetur, ſemper cum fieri poteſt, conferre ſanitatem ægroto abſque membri abſciſſione, pari ratione per correctionem fraternam ita tenemur ſpirituali proximi neceſſitati mederi, ut illius fama conſervetur: *Suar. t. 4. de Relig. l. 10. c. 7. n. 10. Pal. tr. 6. d. 3. p. 8. n. 4.* & communiter Theologi apud Dianam *p. 5. tr. 15. reſol. 42.* Et hoc puto obſervandum, etiamſi aliquis ob bonum finem juri ſecretæ correctionis ceſſiſſet, etenim perſeverat præceptum, ſemper cum illius primarius finis perſeverat: finis autem primarius ſecretæ correctionis a Chriſto impoſitæ, eſt Fratris emendatio, ac proinde ſervandus eſt, ſemper cum ſpes emendationis effulget. Præterea experientia docet, quod dum non ſervatur ſecreta correctio, non emendatio, ſed peccantis perturbatio oritur.

Ex hoc infertur, minime licere deferre peccatum Subditi ad ipſius Prælatum, vel Parochum, quando ſecretum eſt, dum quis probabiliter ſperat ſufficere ſuam privatam correctionem ad emendationem peccantis: & hoc verum eſt, etiamſi quis intendat deferre occultum crimen Prælato, ſeu Parocho, ut Patri. Ratio eſt, quia ita agendo, non conſulitur bono ſpirituali proximi ſine ipſius gravi detrimento; pluris enim Subditi, & Parochiani æſtimant conſervare bonam famam apud Prælatum, & Parochum. Ulterius ex hujuſmodi modo agendi ſolent oriri rixæ, & odia inter correctum, & deferentem; ac proinde non ſequitur emendatio peccantis, ſed potius præbetur occaſio novis peccatis: *Palaus pag. 11. num. 7. Anton. a Spir. S. t. 3. tr. 2. d. 2. ſect. 16. num. 129.* Præfatam autem doctrinam puto attendendam, quamvis credatur correctio Prælati melius profutura; etenim lex naturalis dictat, correctionem faciendam cum minori proximi detrimento; ac proinde nunquam videtur infamandus apud Prælatum, & Parocham quoties ſperatur ex privata correctione emendandus: *Anton. in Direct. Regul. p. 3. tr. 4. d. 3. ſect. 2. n. 57.* & alii apud ipſum.

R. II. Quando peccata ſunt notoria, non eſt obligatio ſervandi ordinem ſupradictum correctionis fraternæ, niſi forte, ut dicit S. Thomas *2. 2. q. 33. art. 7. aliquis firmiter exiſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet hujuſmodi mala impedire.* Si igitur quis non *firmiter exiſtimaret* poſſe *ſtatim* peccantem ad meliorem frugem reducere, poteſt illum quantocius ad Superiorem deferre; etenim eo ipſo, quod publice peccet, publice ſe infamat, & facit cognoſcere, ſe renunciare juri ſecreti. Præterea, quomodo ſperari poteſt profuturam ſecretam correctionem reſpectu illius, qui publice peccando, facit cognoſcere ſe hominum præſentiam parvipendere? Stet ergo peccatum notorium, ſive *facto*, quia in multorum præſentia eſt commiſſum, ſive *jure*, quia manifeſtum fuit per ſcientiam Judicis, ſive *fama*, quia illius notitia ad plures pervenit, poſſe ſtatim ad Superiorem deferri.

R. III. Si quis velit committere peccatum, quod cedat in damnum tertiæ privatæ perſonæ, ut ſe habent furtum, homicidium &c. tunc diſtinguendum eſt. Si igitur certa ſit ſpes emendationis, teneor paratum ita delinquere ſecreto corrigere; tunc enim ſine damno peccantis poſſum damnum tertiæ particularis perſonæ impedire. Si vero non ſit certa ſpes emendationis, tunc teneor delinquentem denuntiare Superiori. Ratio eſt, quia, ſi certam

tam

Digitized by Google

tam non ſit ſpes emendationis, poteſt grave damnum tertiæ innocenti perſonæ imminere, unde, ut hoc a Superiore impediatur, poſſum delinquentem ipſi manifeſtare; ſemper enim bonum Innocentis bono delinquenti eſt præferendum. Notandum proinde hic eſt diſcrimen, quod intercedit, quando corrigendus eſt Delinquens, qui tantum committere vult peccata, quæ ſunt in damnum ſui, ac quando vult peccata committere in damnum tertii. In primo caſu, ut ſit obligatio illum ſecreto corrigendi, ſatis eſt ſi ſit ſola probabilis ſpes emendationis, ut dictum eſt ſupra. At dum agitur de corrigendo Delinquente, qui committit peccata, ſeu vult committere peccata in damnum tertiæ perſonæ, tunc ſi non ſit certa ſpes emendationis, denunciandus eſt Superiori, omiſſa fraterna ſecreta correctione; ita enim expoſtulat ratio vitandi damnum innocentis. Quod ſi non poſſim Superiorem adire poſſum, & debeo ipſum innocentem admonere, ut ſibi caveat; & ſi opus ſit, etiam denunciare ipſi nocentem, ut poſtulet a Judice auxilium: *Sanch. in Conſil. p. 2. l. 6, c. 2. dub. 5. n. 8. Tirull. tr. 28. c. 7. q. 3. a. 153. Pal. tr. 6. d. 3. p. 13. n. 8.*

Quod vero omitti debeat ſecreta correctio; & denunciandi ſint lædentes falſa doctrina &c. bonum publicum, dixi ſupra *qu. 1. c. 6.* Eadem doctrina applicatur reſpectu graviter delinquentium contra bonum publicum uti ſe habent Proditores, Falſificantes monetas &c.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum præceptum correctionis obliget de ſe ſub mortali, debet prudens Confeſſarius advertere, ne Pœnitentes huic muneri deficiant, ſub prætextu quod ad ipſos non attinet corrigere eos, qui non ſunt ipſorum ſubditi, Domeſtici &c. ſi enim peccatum ſit grave, & detur probabilis ſpes emendationis, tenetur unuſquiſque quærere opportunitatem temporis, ut proximum a ſpirituali ſublevet miſeria, alias difficile excuſabitur a gravi culpa, ut patet ex dictis.

II. Si aliquis non conſtitutus ſit a Superioribus ſpeculator actionum proximi, non poteſt propria authoritate alienos defectus inquirere, etiamſi ſibi proponat pro fine illos corrigere; nam ex hujuſmodi inquiſitione facta a particularibus perſonis pax Reipublicæ, & Communitatis turbatur. Hinc patet, quàm male ſe gerant illi, qui ſola curioſitate moti, die, noctuque vigilant, ut ſcire valeant, quo aliquis eat, ubi commoretur, ſi domos ſuſpectas frequenteret &c. Immo admonent Doctores ipſos Superiores, quibus licet adhibere etiam Zelatores vigiles, ne modis extraordinariis propriis Subditis inſidientur.

III. Si Superior manifeſtari præcipiat crimen occultum, quando prius præmittenda eſt fraterna ſecreta correctio, quam diximus cadere ſub præcepto, tunc non eſt ei parendum; ſed prius facienda eſt fraterna correctio, quæ ſi non profit, tunc crimen deferendum eſt Superiori. Audiatur S. Thomas 2. 2. *q. 33 a. 5. ad 5.* ubi ſic habet. *Prælato non eſt obediendum contra præceptum Domini ſecundum illud Actor 5. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Et ideo, quando Prælatus præcipit, ut ſibi dicatur, quod quis ſciverit corrigendum, intelligendum eſt præceptum ſane, ſalvo ordine correctionis fraternæ, ſive præceptum fiat communiter ad omnes, ſive ad aliquem ſpecialiter. Sed ſi Prælatus expreſſe præciperet contra hunc ordinem a Domino inſtitutum & ipſe peccaret præcipiens, & ei obediens, quaſi contra præceptum Domini agens.* Si igitur aliquis a Superiore interrogetur de peccato occulto, quod cedit in damnum ſolius Delinquentis, ſi nondum ſecreto illum correxerit, poteſt reſpondere ſe neſcire, quia ita reſpondendo, reſpondet ad mentem interrogantis, cum præſumatur interrogare de peccato, quod dicere tenetur

IV. Bene notet Confeſſarius multos deficere in adimplendo præcepto de fraterna correctione, quia non ſibi certo videtur delinquens emendandus, vel emendandus ſtatim; quapropter monere debet ſuum pœnitentem obligare hoc præceptum, dum eſt probabilis ſpes emendationis; vel dum ſperatur correctio aliquando profutura. Alii ceſſant a correctione, quia vident delinquentem eſſe perturbandum, ſed neque hoc motivum excuſat a correctione, quoties fructus ſperetur. Alii pariter credunt, hoc præceptum urgere, quando ſciunt, aliquem deliquiſſe, cum revera Charitas expoſcaret etiam corrigendum illum, qui eſt in periculo peccandi, vel quia e. g. habet malos ſocios, vel quia nimis familiariter incipit cum mulieribus agere &c. Moneat inſuper Confeſſarius quoſdam Zeli nimis ferventis, ut ad proximum corrigendum opportunum tempus expectent.

CAPUT V.

De Vitiis oppoſiti Charitati.

Q. I. Quot ſint vitia oppoſita Charitati.

R. Cum Charitas Deum reſpiciat, & Proximum, illa vitia erunt ipſi oppoſita, quæ Dei, & Proximi amori opponuntur, Decem autem enumerantur a S. Thoma 2. 2. *q. 34. a. 4.* Odium Dei, & Proximi, quod vitium immediate ipſi Charitati opponitur, quatenus dicit dilectionem. Cum autem Charitas etiam gaudeat de bono Divino, & Proximi, ipſi primo erit oppoſita *Acedia*, ſecundo *Invidia*. Præterea cum unio effectus ſit Charitatis, ipſi erit contraria *Diſcordia*; ſicut etiam quia ex amore ſequitur Pax, ipſi opponuntur *Diſcordia, Contentio, Schiſma, Bellum, Rixa, Seditio.* Denique, cum Charitas inclinet ad benefaciendum, ipſi erit contrarium *Scandalum*, de quo capite ſequenti.

Q. II. Quid ſit odium Dei, & quotuplex, & quale peccatum.

R. I. In præſenti non ſumimus odium Dei pro odio generali incluſo in omni peccato, quatenus ſcilicet dicitur odio habere Deum ille, qui per peccatum mortale avertitur ab ultimo fine, & convertitur ad creaturam; hoc enim odium, cum ſit incluſum in omni peccato mortali, non conſtituit ſpecialem malitiam, diſtinctam ab illa, quæ eſt in eodem peccato.

R. II. Cum, ut bene advertit S. Thomas loco ſupra citato *art. 1.* Deus non poſſit odio haberi, quatenus in ſe bonus, & ut Author aliquorum effectuum non contrariorum voluntati creatæ, ita enim nihil dicit, quod diſſonet, & repugnet noſtro appetitui, ſequitur; ſolummodo poſſe odio haberi, ut eſt Prohibitor, ſeu Vindex peccatorum; ſub hac enim ratione explicat aliquid repugnans inordinatæ peccantium voluntati. Hinc odium Dei poteſt definiri: *Averſio a Deo, in quantum prohibet peccata, vel eadem peccata punit.*

R. III. Odium Dei duplex eſt, abominationis ſcilicet, & inimicitiæ. Odio abominationis deſiderat peccator, ut Deus non ſit; odio vero inimicitiæ optat illi aliquod malum.

R. IV. Odium Dei eſt peccatum omnium graviſſimum, tum quia opponitur nobiliſſimæ omnium Virtuti; tum quia ipſi opponitur ſecundum actum primarium, ſcilicet ſecundum quod dicit Dei dilectionem. Cum autem quodcumque malum, quod Deo velimus, non poſſit non eſſe culpa graviſſima, ideo non poteſt dari in odio Dei peccatum leve ex parvitate materiæ. Dicitur etiam peccatum in Spiritum Sanctum, quia directe opponitur Dei Charitati: *Laym. l. 2. tr. 3. c. 8. Bon. d. 3. q. 4. p. ult. n. 3.*

Q. III. Quid ſit odium Proximi, & an omnia odia proximi ſint ejuſdem ſpeciei.

R. I. Odium proximi eſt expreſſe exoptare malum proximo. Quamvis autem ſit ex genere ſuo mortale, unde dicitur *J. 3. Omnis, qui odit Fratrem ſuum, homicida eſt*, nihilominus poteſt eſſe veniale ex imperfecta deliberatione, vel quia malum proximo exoptatum ſit exiguum. Quod ſi pro imo non velimus malum ſub ratione mali, ſed ob amore boni, tunc nullum eſt peccatum; ut ſi proximo aliquod exoptem infortunium, ut ad Deum redeat, ne ſeducere poſſit Innocentes, nocere bono publico &c. *Tolet. l. 4. Sam. c. 11. Navar. in Sum. c. 15. n. 10. Bon. de Char. d. 4. q. 11. p. ult. a n. 7.*

R. II. Probabile eſt, omnia odia mere interna proximi eſſe ejuſdem ſpeciei. Ratio autem eſt, quia ſicut omnia furta ſunt ejuſdem ſpeciei in ratione furti, quamvis diverſis mediis fiant, quia omnia tendunt ad lædendum proximum in bonis fortunæ; ſicuti cenſent non pauci Doctores eſſe ejuſdem ſpeciei diverſas detractiones, quia omnes conveniunt in lædendo proximum in bonis famæ, ita poteſt dici omnia interna odia, quamvis diverſa mala proximi reſpiciant, eſſe ejuſdem ſpeciei, quia omnes conveniunt in ratione malevolentiæ, qua proximo malum exoptamus. Dixi, probabile eſt, quia ita convincit ratio allata, authoritas multorum Doctorum, & nimis videtur grave obligare Confeſſarium ad inquirendum, quale ſpeciale damnum exoptaverit proximo ille, qui ipſum odio habuit *Lug. de Pœn. diſp. 16. ſect. 5. a. 259. & ſeq. Bon. t. 2. d. 3. q. 4. p. ult. §. 1. a. 10.* Cæterum e contra mihi apparet difficile in genere moris adinvenire

quamdam communem menſuram ſpecificam omnium malorum, quæ poſſunt proximo exoptari, ita ut idem ſpecie peccatum ſit exoptare e. gratia alicui æternam mortem, ac exoptare jacturam bonorum temporalium; *Tal. d. 4. p. 1. num. 7.*

Pariter dixi in reſponſione, omnia odia mere interna proximi probabile eſſe quod ſint ejuſdem ſpeciei; nam ſi deſiderium non fuit ſimplex, ſed ulterius aliquo pacto influxit in executionem ſive conſiliando; ſive aliud medium apponendo, tunc certum eſt, iſta odia, prout reſpiciunt executionem, deſumere ſpeciem a malo deſiderato, adeoque eſſe diverſæ ſpeciei; quando mala deſiderata ſunt diverſæ ſpeciei. Hac ratione aliud ſpecie diverſum peccatum eſt ex odio curare, ut proximo auferatur fama, aliud curare: ut auferantur bona fortunæ &c. *Lug. & Bon. loc. cit.*

R. III. Quando odium etiam internum eſt circa perſonam, quam ſpeciali virtute debemus proſequi, explicanda eſt Perſona, quam odio habuimus, alias tunc non ſolum læditur Charitas, ſed etiam illa virtus, pietas e. g. vel Obſervantia; quæ vult ex ſpeciali motivo, nos tales perſonas proſequi debere. Hinc in peccatis odii declaranda eſt conjunctio perſonæ, quæ odio habetur, ut ſi ſit Parens, Conjux, Prælatus, inſignis Benefactor, Sacerdos, Princeps, ſive perſona aliquo modo conjuncta lædenti: *Lug. de pænit. d. 6. ſect. 6. Coninck. d. 25. de Char. dub. 9. n. 156. Bon. in 4. Decal. præc. d. 6. q. un. p. 3.*

De Acedia, & invidia jam dictum eſt *T. 2. q. 2. cap. ult.* Sicut etiam *cap. 1.* explicando ſextam ſuperbiæ filiam; innui quid ſit *Diſcordia*, & *Contentio*. Solummodo hic adnotare volo non eſſe laude dignos illos contentioſos Scholaſticos, qui in publicis, quas habent in Templis, diſputationibus, ultra modum vocem attollunt, non ſine ſacri loci irreverentia. Quam bene ſe gererent, ſi ſervarent quæ præſcribit Tridentinum *ſeſſ. 2.* in gravibus Fidei, & morum controverſiis. En ejus verba: *In ſententiis vero dicendis, juxta Toletani Concilii ſtatutum, in loco benedictionis conſidentibus Domini Sacerdotibus, nullus debeat aut immoderatis vocibus perſtrepere, aut tumultibus perturbare, nullus etiam falſis, vaniſve, aut obſtinatis diſceptationibus contendere, ſed quidquid dicatur, ſic mitiſſima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti judicii acies perturbato animo inflectatur.*

Q. VI. Quid ſit Schiſma.

R. Schiſma definitur a S. Th. 2. 2. q. 39. a. 1. *Voluntaria ſeparatio ab unitate Eccleſiæ*; ſchiſmaticus enim ſe ſeparando a Capite Eccleſiæ, ſcindit ipſius unitatem. Hinc patet, quod licet omnes hæretici ſint Schiſmatici, cum omnis hæreticus ſe ſeparaverit a Capite Eccleſiæ, adeoque ab ipſius unitate, non tamen omnes ſchiſmatici ſunt hæretici; quia bene poſſunt credere omnes veritates Fidei, ipſumque Pontificem eſſe verum Petri Succeſſorem, & nolle nihilominus ei obedire. Cæterum in praxi difficile eſt adinvenire Schiſmaticum, qui non ſit hæreticus: *D. Th. in reſponſ. ad 3. Sanch. l. 2. Decal. c. 36. n. 1. & ſeq.* Ex his patet, ſchiſma ſemper eſſe graviſſimum peccatum; cum non poſſit dari caſus, quo leviter Charitas offendatur in ſeparatione membrorum a Capite.

Q. VII. Quid ſit bellum; & quæ ſint juſtæ cauſæ bellandi.

R. I. De bello agit S. Th. 2. 2. q. 40. & poteſt definiri. *Diſſidium inter Principes, ordinatum ad pugnam, multitudine armata.*

R. II. Ex ſola opinione probabili quod aliquod Regnum, ſeu Provincia &c. ad aliquem Principem pertineant, puto non licere hujuſmodi Principi indicere Bellum poſſidenti. Ratio eſt, quia non licet alicui propria authoritate ex opinione pure probabili ſententiam dicere, quod aliqua bona ſint ſua, & illam executioni mandare, expoliando poſſidentem; adeoque neque ex mera opinione probabili licebit indicere bellum; hoc enim idem eſt ac proferre ſententiam, illamque executioni propria authoritate mandare. Hinc patet, quod licet quis poſſit ex opinione probabili movere litem, quia id non eſt expoliare bonis poſſidentem, ſed inquirere cujus ſint, & deinde expectare Judicis ſententiam, nihilominus hujuſmodi doctrina non poteſt favere illi; qui ex opinione pure probabili vult bellum indicere. Præterea non poteſt juſtum eſſe bellum, niſi clare fiat injuria invadenti; hujuſmodi autem clara injuria non datur dum ſolum habet rationes probabiles, nam tunc etiam alter habet jus fundatum, & ulterius ipſi favet poſſeſſio.

Ex hac ratione non pauci Theologi volunt, non licere etiam habenti opinionem probabiliorem indicere bellum poſſidenti; quia uſque dum illius rationes non excedunt lineam probabilitatis, non fit a Poſſidente certa injuria habenti rationes probabiliores; & ulterius titulus poſſeſſionis elidit, ex communiori Theologorum, etiam rationes probabiliores. Quod ſi his addantur damna irreparabilia, quæ ex bello inferuntur Religioni, Innocentibus, honori Virginum, & Nuptarum, apparebunt taliter præponderare rationibus pure probabilibus, ut difficile poſſit judicari ex talibus rationibus juſtitia belli: *Sotus de Juſt. lib. 3. qu. 6. Lezan. t. 2. q. Regul. v. Bellum n. 4. Tal. t. 1. d. 2. p. 7. num. 6.*

Inferri etiam ex dictis poteſt quod ſi aliquando datur bellum ex utraque parte juſtum, id non oritur quia utraque pars habeat rationes probabiles, ſed quia ex invincibili ignorantia utraque pars certo putat ſibi aliquid deberi.

Q. VIII. Quid ſit Rixa, & Seditio.

R. I. *Rixa eſt privatum bellum commiſſum privata authoritate, quo unus alterum lædit.* Qui ſe defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ nullum committit peccatum, ut de ſe patet. Quia tamen de his agere ſolent Theologi in quintum Decalogi præceptum, ideo modo ſuperſedeo ab ulteriori examine.

R. II. *Seditio eſt tumultus, quo una pars Republicæ contra aliam inſurgit ad pugnam.* Si fiat contra Principem dicitur Rebellio, includens inobedientiam adverſus Principem; quæ non datur, dum una pars populi adverſus aliam inſurgit.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Dum quis ſe accuſat in Confeſſione ſe odiſſe Proximum, primo interrogandus eſt a Confeſſario de malo proximo exoptato; nam ex hoc capite odium, ut vidimus, poteſt eſſe peccatum leve. Secundo, ſi credat Confeſſarius non omnia odia interna eſſe ejuſdem ſpeciei, interrogare debet Penitentem de ſpecie mali quod exoptavit, nam tunc aliud eſſet ſpecie peccatum exoptaſſe malum privans boni fortunæ, aliud ſi privet bonis famæ, ſeu vitæ. Tertio, interrogandus de Perſona, cui malum exoptavit; nam ſi illam tenebatur proſequi peculiari virtute, duplex commiſit peccatum.

II. Quando Pœnitens ſe accuſat de peccato Invidiæ advertere debent Confeſſarii, multoties nullum committere peccatum; neque enim ægre ferunt Proximum aliquod bonum habere, ſed dumtaxat & ipſi eadem bona deſiderarent. Pariter eſt conſiderandum id, de quo tanquam de peccato Invidiæ ſe accuſant, eſſe peccatum odii, quia nollent Proximum aliquibus bonis frui eo quia inter ipſos fuerint inimicitiæ &c. Quod ſi reſpondeant ſe ægre ferre in proximo bonum, quia ea ratione vident ſe minoris æſtimari &c. tunc proprie peccant peccato Invidiæ, ut ſuo loco dictum eſt.

CAPUT VI.

De Scandalo. & de Operationibus, quæ hoc peccatum continent.

Q. I. QUid ſit ſcandalum, & quotuplex.

R. I. Scandalum, quod eſt idem ac *offenſio*, definitur *dictum, vel factum minus rectum, præbens occaſionem ſpiritualis ruinæ*. Per *dictum*, *ſeu factum* intelligitur verbum ſeu actio externa. Additur *minus rectum* ad ſignificandum, illam actionem externam vel eſſe malam, vel habere mali ſpeciem. Eo ipſo autem quod dicatur, *præbens occaſionem ſpiritualis ruinæ*, primo ſignificatur, ad peccandum peccato ſcandali non eſſe neceſſarium ſequi peccatum, ſed ſatis eſſe, ſi detur occaſio lapſus. Significatur etiam non eſſe neceſſe ad peccandum peccato ſcandali aliquem eſſe cauſam mortalem, v. g. conſulendo furtum &c. ſed ſatis eſt, ſi ſit *occaſio*, quatenus intendit, vel prævidit ſua prava actione aliquem eſſe ad peccatum inducendum. Hinc patet, peccatum ſcandali opponi Charitati, & Correctioni fraternæ, cum deſtruat, vel deſtruere intendat in proximo bonum ſpirituale, quod Charitas, & correctio fraterna vellent in ipſo conſervari: *D. Th. 2. 2. q. 43. a. 1. & 2. Sanch. in Dec. l. 1. c. 6. n. 1. Anton. a Sp. S. in Direct. Conf. t. 3. tr. 2. d. 3. ſect. 5. num. 161.*

R. II. Scandalum aliud dicitur activum, aliud paſſivum. Scandalum activum eſt illud, quod in ſuperiori reſponſione explicatum eſt. Scandalum paſſivum eſt ipſa ruina Spiritualis, quæ ſequitur in aliquo proximo, occa-

ſione

Digitized by Google

ſione accepta, ex dicto, vel facto alterius. Item ſcandalum aliud eſt Phariſaicum; aliud Puſillorum. Scandalum phariſaicum datur, quando quis ex propria malitia ruit, nulla habita occaſione; denominatione accepta a Phariſæorum exemplo, qui ex propria malitia ſcandalizabantur ex bonis operibus Chriſti, & Apoſtolorum. Dum vero ruina ſpiritualis proximi, nulla habita occaſione dicti, vel facti minus recti oritur non ex malitia, ſed ex infirmitate, vel ignorantia, tunc dicitur Scandalum Puſillorum, Sit exemplum in eo, qui labitur, viſo decenti ornatu alicujus fœminæ. Item ſcandalum poteſt eſſe *per ſe, vel per accidens*. *Per ſe* datur, quando vere intenditur ruina proximi. Poteſt dici etiam ſcandalum *per ſe*, quando, licet non intendatur Proximi ruina, adhuc tamen cognoſcitur opus tale eſſe, ut ex natura ſua incitet proximum ad peccatum; ut ſi quis coram alio cum muliere peccaret. Poteſt, inquam, dici ſcandalum *per ſe*: quamvis enim non intendatur a peccante ruina ſpiritualis proximi, attamen ſequitur ex natura operis. Scandalum pure *per accidens* datur, quando quis non intendens ſpiritualem ruinam proximi, & in occulto peccans, videtur nihilominus ab aliquibus per accidens, unde ſumunt occaſionem peccandi: *Sanch. & Anton. loc. cit.*

Q. II. Quando ſcandalum ſit ſpeciale peccatum aperiendum in confeſſione,

R. Non pauci ſentiunt, tunc ſolummodo ſcandalum eſſe ſpeciale peccatum oppoſitum Charitati, & fraternæ correctioni, quando dicto, vel facto minus recto expreſſe intenditur ruina ſpiritualis proximi; adeoque volunt quod, ſi hæc non intendatur, ſit ſolummodo ſcandalum generale non conſtituens ſpeciale peccatum aperiendum in Confeſſione. At, meu videri, valde probabilior eſt contraria ſententia, quæ aſſerit conſurgere ſpeciale peccatum ſcandali, etiamſi non expreſſe intendatur Proximi ſpiritualis ruina, ſi quis faciat, vel dicat aliquid, ex quo probabiliter videat ſequuturam illius ſpiritualem ruinam. Hæc opinio videtur fuiſſe S. Thomæ 2. 2. *q* 43. *art.* 1. *ad* 4. ubi ſic ait: *Quando aliquis ſuo malo facto, vel verbo intendit alium ad peccatum inducere, vel etiamſi ipſe hoc non intendat, & ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet, quod ſit inductivum ad peccatum: puta cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati, & tunc ille proprie dat occaſionem ruinæ: unde vocatur ſcandalum activum*. Idem docet *art.* 6. En igitur quod S. Doctor cognoſcit peccatum ſcandali, non ſolum quando prava operatione intenditur proximi ſpiritualis ruina, ſed etiam quando aliquid fit, quod de ſe eſt inductivum ad peccatum.

Ratio autem eſt, quia ſemper cum fit aliquid, quod de ſe cognoſcitur deſtructivum objecti alicujus virtutis, offenditur illa virtus, etiamſi hoc non intendatur. Exemplum ſit in eo, qui non intendens nocumentum Proximi, adhuc tamen ponit cauſam talis nocumenti; nemo dicet hunc non offendere etiam juſtitiam commutativam. Pariter, qui ſolum intendens vindictam, vulnerat inimicum in Eccleſia, non ſolum peccat contra juſtitiam, ſed etiam contra religionem, quia fecit opus etiam contra talem virtutem, quamvis eam offendere non intenderit. Pari igitur ratione, qui committit peccatum, evidens futurum occaſionem ruinæ ſpiritualis proximi, licet eam non intendat, de facto ponit ex parte ſua quod deſtruit bonum ſpirituale proximi, adeoque offendit Charitatem, ſive correctionem fraternam, quæ reſpiciunt idem bonum ſpirituale; *Lugo de pœnit. d.* 16, *ſect.* 4. *Conınch. d.* 32. *n.* 45. *Navar. in Man. c.* 6. *n.* 19.

Cæterum, quidquid diverſimode ſentiant Authores, in explicando quando ſcandalum ſit ſpeciale peccatum, omnes videntur fateri debere, quod faciens aliquod malum ex quo videt ſequuturam proximi ruinam ſpiritualem, duplex ſaltem peccatum numero diſtinctum committat, *Sanch. l.* 1. *Decal. c.* 6. *num.* 3. *Ledeſm. t.* 2. *tr.* 4. *cap.* 5. *concl.* 5. *&* 7. *diſp.* 1. In ſententia, quam probabiliorem diximus, tria committere peccata. Unum contra Charitatem, quatenus eſſet occaſio ruinæ ſpiritualis proximi, aliud e. gratia contra juſtitiam, quatenus e. gratia ipſe furaretur, & tertium pariter contra juſtitiam, quatenus furando coram aliis, ipſis præberet ſuo malo exemplo occaſionem furandi, unde & ipſi eſſet imputabile furtum iſtorum. Quia tamen non eſſet cauſa, ſed ſolum occaſio, non tenetur ad reſtitutionem, ut dicitur in Tractatu *de Juſtit. & jur.* In ſententia vero illorum, qui volunt tunc tantum dari ſpeciale peccatum ſcandali, quando fit malum, intendendo ruinam ſpiritualem proximi ſolam, committere duo ultima peccata.

Q. III. An ſit peccatum ſcandali ſuadere minus malum parato gravius committere.

R. Id eſſe illicitum conſtat, ſi alia via poſſit quis divertere proximum a graviori malo perpetrando, vel ſi parato inferre gravius damnum uni, detur conſilium, ut inferat minus malum alteri; quia conſulens eſſet cauſa iſtius mali, cum de illo non cogitaſſet, qui volebat gravius malum facere. Quod ſi aliquis ſit paratus, & determinatus uni inferre gravius malum; tunc licitum erit illi conſulere, ut minus inferat: v. gratia parato occidere Petrum, licitum eſt ſuadere, ut tantummodo brachium amputet. Ratio eſt; quia, neque minus malum abſolute ſuadetur, ſed tantum ſub conditione; idem enim eſſet ac dicere: *ſi determinatus es ad committendum majus malum, melius tibi eſt, & proximo, ut minus malum eligas*. Hoc conſilium continet puram veritatem, & non inducit ad peccatum, ſed potius ad bonum; quia bonum eſt, ut determinatus ad malum perpetrandum, inter duo mala quod minus eſt eligat: *Sanch. de Matr, l.* 7. *d.* 11. *nu.* 15. *Palaus tr.* 6 *diſp,* 6. *p.* 6. *num* 6. *Bonac. de Reſt. diſp.* 1. *q.* 2. *p.* 7.

Q. IV. Quando actiones, alias indifferentes, omittendæ ſint, quia ex illis ſequitur ſcandalum in Proximo.

R. I. Quando actiones ſunt indifferentes, tum de ſe, tum attentis circumſtantiis, in quibus fiunt, non eſt neceſſe eas omittere; ſi grave incommodum oriatur ex illarum omiſſione, etiamſi ratione illarum aliquis ſit peccaturus, Ratio eſt, quia per hoc, quod attentis omnibus circumſtantiis, ſint indifferentes, de ſe non ſunt inductivæ ad peccatum. Eo ipſo autem quod non poſſint ſine gravi incommodo omitti, ſequitur unumquemque habere jus ad illas patrandas, & per conſequens, ſi ex ipſis ſequatur alterius peccatum, dici permiſſum, non volitum. Plura dabimus exempla in regulis infra apponendis.

Dixi, *ſi grave incommodum oriatur ex illarum omiſſione*: nam cum *unicuique mandaverit Deus de proximo ſuo* ut habetur Eccleſ. 17. Charitas expoſcit, ut impediatur peccatum Proximi ſemper cum fieri poteſt ſine gravi incommodo. Si ergo ex actionis indifferentis omiſſione grave incommodum non ſequatur, nemo jus habet ad illam exercendam; adeoque ſi exerceat, convincitur non ſolum permittere, ſed velle peccatum proximi: cum facile poſſet illius occaſionem amovere, & non amoverit: *Sanch. l.* 1. *Decal. cap.* 6. *num.* 17. *Pal. tract.* 6. *d.* 6. *p.* 7. *num.* 3. *Dian. p.* 5. *tr.* 7. *reſol.* 31.

Hic etiam advertendum quod, quo peccatum proximi eſt gravius, eo major cauſa requiritur, ut quis poſſit ponere actionem indifferentem, ex qua prævidetur ſequuturum. Ratio eſt, quia Charitas expoſcit, ut juxta gravitatem peccati conſideretur incommodum ſubeundum ad ipſum impediendum. Hinc communiter Theologi docent quod illud incommodum, quod me excuſat, ſi ponam actionem indifferentem, unde aliquis ſumpturus ſit occaſionem peccandi contra temperantiam, poteſt me non excuſare, ſi ex ea aliquis peccaturus ſit contra Juſtitiam, cum tunc lædatur jus tertii.

R. II. Si actiones de ſe ſint indifferentes, & remote tantum concurrant ad peccatum Proximi, tunc licite fiunt, ſi adſit juſta cauſa, vel neceſſitas. Ratio eſt, quia qui remote concurrit per actionem indifferentem ad peccatum, nec ſubminiſtrat peccati materiam, nec occaſionem de ſe inducentem ad peccatum, quamvis talis poſſit eſſe ex alterius malitia. Exemplum ſit in eo, qui locat domum Meretrici: hic utique remote concurrit ad ejus peccatum, locando illi domum, at neque ſubminiſtrat materiam peccati, neque dat occaſionem inducentem ad peccatum; niſi forte illa domus ratione ſitus aptior eſſet ad peccata committenda. Cum autem habet juſtam cauſam domum locandi, ne, ſi aliam non habeat perſonam, cui locet, careat fructu locationis, ſequitur per hujuſmodi locationem non peccare. Quod ſi non adſit juſta cauſa, vel neceſſitas, Charitas obligat nos, ut neque remote concurramus ad alterius peccatum: *Sanch. lib.* 1. *c.* 7 *num.* 20. *Azor. t.* 2. *l.* 12. *c.* 18. *q. Dian. p.* 5. *tr.* 7. *reſol.* 26.

R. III. Si Actiones, quæ alias poſſent eſſe indifferentes, ſatis ſint proximæ alterius peccato, ita ut proxime ipſi cooperentur, non poſſunt excuſari etiam ratione gravis mali imminentis. Ut hujuſmodi reſponſio bene percipiatur, notandum eſt nomine actionum, de quibus modo loquimur, venire illas, quæ, etſi in aliis circumſtantiis exercitæ, poſſent eſſe bonæ, vel indifferentes; nihilominus hic & nunc talibus actionibus aliquis cooperatur alterius actioni intrinſece malæ: ut ſi aliquis exempli gratia

comitaretur latronem, ut eum defenderet, vel ipſum adjuvaret ad furandum. Reſponſio hoc modo explicata probatur, quia actio intrinſece mala nullo modo poteſt cohoneſtari, ergo neque ullo pacto poſſunt excuſari, qui proxime ad illam cooperantur, ſemper enim convincitur male agere, qui eſt cauſa proxima actionis intrinſece malæ. Hinc Innoc. XI. ſequentem damnavit propoſitionem ordine 51. *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtram ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.* Quamvis autem propoſitio loquatur de famulo ſupradicta præſtante, *ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur*; nihilominus dicendum eſt non poſſe ea præſtare etiam metu mutilationis, aut mortis, Id autem convincitur, quia ingredi aliquam domum ad ſtuprandam virginem, ad fornicandum &c. eſt actio intrinſece mala: ergo erit intrinſece malum cooperari proxime hujuſmodi actioni; cauſæ enim proximæ ſemper imputatur effectus, qui ſequitur: *Viva in præfatam propoſitionem num. 4. Salmant. tr. 21. cap. 8. num. 75.* Alia exempla de iis, quæ licet, vel non licet præſtare, quando alterius peccato cooperamur, dabo in regulis infra apponendia, de quibus videri poſſunt *Sanch. l. 1. cap. 7. Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 13. Bonac. de Matr. qu. 4. p. 14. Ledeſm. tom. 2. tr. 27. cap. 9. concl. 6.*

Q. V. An peccent peccato ſcandali contra caſtitatem mulieres ſuperflue ſe ornantes, vel oſtendentes nuda pectora, & mamillas.

R. I. Mulieres ſe ornantes juxta conditionem ſui ſtatus, & honeſtum morem Patriæ, non peccant, nam illis competit ita ſe ornare. Quod ſi mulier prævideat exinde aliquem occaſionem ſumpturum illam turpiter adamandi, debebit utique ex charitate quantum poteſt ſe ab illius aſpectu ſubtrahere; ſed quia non convincitur illi præbere occaſionem, quia talis ornatus eſt honeſtus, & illi debitus, non poteſt dici cauſa peccati, quod aliquis ex ſua fragilitate, ſeu malitia committeret; *Navar. in Sum. c. 23. art. 29. Sanch. l. 1. Decal. c. 6. num. 17. Pal. tr. 6 diſp. 6. p. 7. num. 3.*

R. II. Ornatus ſuperfluus ſemper eſt peccatum, quia ſemper fit ex quadam vanitate, & levitate, qui tamen finis non videtur excedere culpam venialem: *D. Th. 2. 2. q. 169. art. 1. & 2.* Poteſt autem eſſe culpa mortalis, primo, ſi mulier exinde cognoſceret ab aliquo eſſe turpiter adamandam, nam tunc convinceretur præbere illi occaſionem, cum adhiberet ornatum, ad quem nullum jus haberet. Secundo, quando ornatus eſſet meretricius, quia tunc habet dare aſpicientibus occaſionem peccandi. Tertio, ſi ornatus ſit valde nimius, & præter conſuetudinem; nam qui illum introducit, Author eſt conſuetudinis, quæ non ſolet eſſe ſine plurimis peccatis; *Salm. tr. 21. c. 8. p. 5. §. 2.*

R. III. Non poſſunt mulieres ad ſui ornatum nuda pectora, & mamillas oſtendere. Ut id ad evidentiam demonſtrem hac unica utor ratione. Negari non poteſt, graviter peccare peccato ſcandali contra caſtitatem, qui aliquid facit, ex quo præbere poſſit aliis gravem occaſionem peccandi, maxime ſi ad illud faciendum nullum jus habeat; cum autem ita ſe habeant mulieres nudo pectore incedentes, ſequitur, nullatenus a gravi culpa eſſe excuſandas. Quod notabiliter nudas mamillas oſtendere habeat inducere grave periculum peccandi in aſpicientibus, demonſtrant SS. PP. qui tam gravibus verbis hujuſmodi morem reprehendunt; non certe autem tam graviter inclamarent contra uſum, qui ſolum inferret culpam venialem, ut bene obſervat Carthuſianus in *Direct. Vit. Nobil. art. 14.* Id ipſum oſtendunt, dum hujuſmodi morem meretricium appellant, quod dici non poteſt de re dumtaxat leviter ad malum excitante. Id ipſum demonſtrant quamplures Synodi jubentes, ut talibus mulieribus Sacramentalis abſolutio denegetur, & a S. Communione arceantur. Has Synodos recenſet Natalis Alexander *lib. 4. de Decal. art. 5. reg. 8. de ſcandal.* atque etiam ita præſcribunt Conſtitutiones, & Inſtructiones Synodicæ Sancti Franciſci Saleſii. Compertum autem apud omnes eſt, nullatenus fore eis deneganda Sacramenta, ſi propter hujuſmodi nuditatem non præberent gravem peccandi occaſionem. Confirmatur, quia non defuerunt præſules, qui inter caſus reſervatos ſequentem eſſe voluerunt. *Mulierum inverecundia, quæ pectus, vel humeros in loco publico notabiliter denudant, vel tranſparentibus ſolum velis cooperiunt.* Ita Ceſenæ Epiſcopus ſub num. 7. Non reſervantur autem, niſi peccata, quæ gravia ſunt, vel ex ſe, vel e. g. ratione gravis ſcandali, quod aliis præbetur. Demum ſi repertus eſt Confeſſarium, qui judicio SS. PP. tot Synodorum, & Præſulum non acquieſcat, & putet cum aliquibus Theologis, præfatam nuditatem immunem eſſe a ratione gravis ſcandali, facile deponere poteſt ſuum falſum judicium, ſi velit ad examen ſevocare originem multorum peccatorum carnalium, quæ audit in Confeſſione. Si hoc præſtet, videbit ex procaci obtutu erga pectus ſœminarum non modeſte coopertum, quamplura luxuriæ peccata oriri. Conſulat & ipſe ſuam conſcientiam, & videat, ſi aſpiciendo maxime cum aliqua mora in ea parte ſœminas, credat non ſe exponere gravi periculo turpis delectationis. Non eſt ergo acquieſcendum quibuſdam ſpeculativis ratiocinationibus, dum experientia tot virorum, qui ex tali aſpectu in peccata prolabuntur, ſcimus, hunc morem præbere gravem occaſionem peccandi.

Ex dictis etiam conſtat, nullatenus attendendam illorum rationem, qui excuſant a gravi culpa mulieres ita incedentes, quia nempe, dum adeſt talis conſuetudo, habere videntur jus ſe illi accommodandi. Atqui ſo poteſt ne quæcumque vel immemorabilis conſuetudo dare jus ad id, quod alias de ſua natura præbet gravem peccandi occaſionem? Utique ſi ex tali conſuetudine aliquod jus conſurgeret, poſſet conſuetudo prævalere non ſolum contra legem poſitivam, ſed etiam divinam, & naturalem. Hinc futilem omnino eſſe præfatam rationem demonſtravit S. Antoninus *p. 2. titul. 4. cap. 5.* ubi ait: *Si de uſu patriæ eſt, ut mulieres deferant veſtes verſus collum ſciſſas, & apertas; uſque ad oſtentationem pectoris, & mammillarum, valde turpis, & impudicus eſt talis uſus, & ideo non ſervandus.*

Futiliſſimam etiam puta rationem illorum, qui dicunt hujuſmodi pectoris nuditatem non eſſe damnandam peccati gravis, quia alias etiam mulier pulchra in publicum procedens eſſet ſimilis culpæ rea; cum naturalis mulierum pulchritudo valde ſoleat ad venerem allicere. Sed quis non videat latiſſimam diſparitatem? Si quis ex pulchritudine mulieris occaſionem ſumat peccandi, non poteſt id mulieri imputari, cum non poſſit a ſe removere motivum, ex quo illam videns in peccatum prolabitur. At dum præbet alteri occaſionem peccandi indecenti pectoris nuditate, peccatum eſt illi imputabile, utpote quæ ſine ſuo incommodo occaſionem removere poterat, & debebat, & noluit. Immo retorqueri poteſt hujuſmodi ratio; ſi etenim mulier pulchra ſeme[illegible] iterum tenetur ſe domi continere, ita dictante Charitate, ne ſe offerat aſpectui illius, a quo ſcit ſe turpiter adamari, quamvis nullam illi præbeat occaſionem ſibi voluntariam peccandi, quis negare poteſt, velle Charitatem, ut removeat quidquid inducere poteſt [illegible]res ex aſpicientibus in peccatum, quando id facil[illegible] removere poteſt, & laudabitur ut mulier prude[illegible] & honeſta? Non nego tamen, dari in hoc non poſſe materiæ parvitatem, ſi nempe pectus modice ſit diſcoopertum, ita ut non poſſit, niſi leviſſime ad malum provocare. Hanc materiam diffuſe diſcutiunt Albertus de Albertis in *Paradox. Moral. de ornat. mul. diſp. 2. cap. 1. per totum* Joſeph. Boccaſul. *in prax. Theol. Moral. t. 2. l. 4. in 6. præc. Dec. cap. 4. numer. 238.* Jo: Maria de Caſtillento *in Theol. Moral. tom. 1. v. conſuetudo diff. 22.* Nec deſunt adnotare Superiores tam Eccleſiaſticos, quam Laicos teneri ad extirpandam ſub gravi culpa conſuetudinem, qua mulieres incedunt pectore detecto.

Q. VI. Quando parato committere aliquod peccatum licitum ſit præbere occaſionem illud committendi.

R. Id licitum eſt, ſi id, quod petitur, poteſt bene, & male fieri, & ſimul ad illud petendum impellit juſta cauſa, vel neceſſitas. Primo igitur, non licet petere actionem, a qua hic & nunc non poſſit ſeparari malitia, etiamſi alias quis paratus eſſet illam facere. Ratio de ſe eſt manifeſta, quia petere aliquod ex objecto malum, eſt invitare ad malum, & inducere ad malum ſemper eſt peccatum. Hinc patet, non ſolum peccari peccato ſcandali, quando inducitur ad peccandum ſœmina parata, ſed etiam, ſi invitetur ad cœnam paratus ſolvere jejunium; cum talis actio in circumſtantiis, in quibus urget præceptum jejunii, non poſſit expoliari ab omni malitia. Nec refert dicere invitari ad peccatum perſonam jam paratam,

nam,

nam, ultraquamquod ſemper mala ſit actio, quæ hic, & nunc eſt de re, a qua non poteſt ſeparari malitia, ulterius iſtud particulare peccatum oritur ab illo, qui invitat paratum ad peccandum, cum non cogitaſſet de illo particulari peccato, ſi non fuiſſet invitatus, ſeu ab alio ſcandalum non accepiſſet, *Pal. tr. 6. d. 6. p. 10. n. 2. & p. 14. n. 2. Diaa. p. 5. tr. 7. reſol. 13.*

Licitum e contra erit dare occaſionem parato ad peccandum, ſemper cum id, quod petitur, poteſt etiam bene fieri; & ulterius adeſt juſta cauſa, vel neceſſitas petendi. Et quidem ſi non adſit juſta cauſa, vel neceſſitas, id illicitum eſſe ex eo patet, quia Charitas graviter obligat vitare damnum ſpirituale proximi, quando id commode poſſumus. Dum vero adſit juſta cauſa, vel neceſſitas, id, quod poteſt bene, vel male fieri, poſſe peti ab eo, quem ſcimus male facturum, probatur, quia ſemper cum bene fieri poteſt, quod male fiat provenit ex malitia operantis; cum autem aliunde nemo teneatur cum gravi incommodo impedire alterius peccatum, ſemper cum iſte poteſt a ſemetipſo illud omittere, ſequitur, urgente juſta cauſa, vel neceſſitate, non teneri illud impedire. Hinc S. Th. 2. 2. q. 78. art. 4. loquendo de illo, qui petit mutuum ab eo, quem ſcit nolle dare, niſi ſub uſuris, aſſerit licite operari, ſemper cum id præſtet ad ſubveniendum propriæ, vel alterius neceſſitati: *Navar. c. 14. n. 39. Sanchez l. 1. Dec. c. 7. n. 15. Bonac. d. 2. de pecc. q. 4. p. 2.*

Q. VIII. Quando ob vitandum ſcandalum alterius, ſint dimittenda bona ſpiritualia, quæ cadunt ſub præcepto.

R. I. Præcepta, quæ nunquam poſſunt omitti ſine peccato, non ſunt prætermittenda ob alterius ſcandalum, ſive phariſaicum, ſive puſillorum, non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Hinc nunquam ob alterius ſcandalum licet tranſgredi præcepta naturalia negativa; v. gr. *non occidendi, non furandi, &c.*; hujuſmodi enim tranſgreſſio ſemper eſt intrinſece mala. Pari ratione non licet omittere præcepta Fidei, & Sacramentorum neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem conſequendam: *D. Thom. 2. 2. qu. 43. art. 7.*

R. II. Præcepta naturalia affirmativa, & alia juris poſitivi non ſunt omittenda ob ſcandalum phariſaicum, bene vero aliquando ad vitandum ſcandalum Puſillorum. Non eſt igitur neceſſe ceſſare ab obſervatione prædictorum præceptorum ob ſcandalum phariſaicum, acceptum ſcilicet a ſola alterius malitia, cum id præſtare potius noceret communi bono; daretur enim malis occaſio impediendi malitiæ alterius bonum. Hac ratione S. Th. docet 2. 2. *qu.* 43. *art.* 8. propter hujuſmodi ſcandalum non eſſe dimittenda neque etiam temporalia; tunc enim daretur occaſio malis rapiendi &c.

Si vero ſcandalum ſit Puſillorum, hoc eſt illorum, qui peccant ſive ex ignorantia, ſive ex infirmitate; puto, ad illud vitandum, poſſe prætermitti præceptum affirmativum juris naturalis, & multo magis juris poſitivi, ſi tamen ex omiſſione non ſequatur damnum proximi. Ratio eſt, quia etiam præceptum vitandi ſcandalum eſt juris naturalis, ergo ſi ſimul concurrat cum præcepto juris poſitivi, præponderabit præceptum naturale illud vitandi. Si vero concurrat cum alio præcepto juris naturalis, præponderabit præceptum vitandi ſcandalum, ſi eo quod omittatur obſervantia illius præcepti, nullum ſequatur damnum, & econtra grave ſequatur damnum, ſi non omittatur. Hoc totum clarificabitur exemplis. Eſt præceptum juris poſitivi jejunare in Quadrageſima, & aliunde eſt præceptum juris naturalis quod mulier non det viro occaſionem ad alias divertendi. Si ergo propter jejunium taliter Uxor reddatur macerata, ut propter hoc ſit viro offendiculum, præſtabit omittere jejunium, quam dare viro occaſionem peccati. Eſt præceptum naturale corrigendi delinquentem; & nihilominus ſi ex correctione ſequuturum ſit damnum, quia ſcilicet correctus deterior evadet, præponderabit præceptum naturale non dandi occaſionem peccati; quia ex omiſſione correctionis nullum ſequitur damnum, bene vero ſequitur, ſi non omitteretur. Quamvis tamen ex correctione ſequuturum eſſet damnum correcti, nihilominus, ſi ex omiſſione correctionis grave fieret nocumentum bono communi, quatenus mali ſumerent anſam peccandi, eo quia viderent peccatum impunitum, tunc præſtaret perottere ſcandalum correcti, quia ipſius peccato præponderant graviora mala, quæ ſequerentur, ſi non corrigatur: *Suar. d. 10. de Scandal. ſect. 4. a. 9. Ledeſm. 2. p. Sum. tr. 4. c. 5. concl. 8.*

Semper cum igitur agitur de ſcandalo Puſillorum, obſervandum eſt id, quod docet S. Th. 2. 2. *quæſt.* 43. *art.* 7. ubi loquens de rebus ſpiritualibus, quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, dicit, quod ſi ex eis oriatur ſcandalum puſillorum, vel occultanda, vel differenda ſunt, uſque dum, reddita ratione ipſarum rerum, ceſſet ſcandalum. Item *art. v. & in 4. diſt. 38. qu. 2. art. 4. quæſt. 3.* ſentit differendam a Prælato exactionem debitorum ob evitandum ſcandalum ignorantium, & infirmorum, uſque dum edoceantur, & ceſſet ſcandalum. Si vero, poſtquam fuerint edocti, adhuc perſiſtere velint in ſua opinione, & ſumere ex aliorum bonis operibus occaſionem peccandi, tunc ipſorum ſcandalum orietur ex malitia, adeoque tranſiret in phariſaicum, & per conſequens non eſſet curandum.

Hic tamen ulterius eſt adnotandum, quod ſi non poſſet differri actio alias non peccaminoſa ſine gravi detrimento etiam temporali, tunc non tenemur illam omittere ad vitandum peccatum alterius, eomodo quo dictum eſt, agendo de Ordine Charitatis.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Si Confeſſarius putet, juxta ſententiam, quam ſupra docuimus, ſcandalum eſſe ſpeciale peccatum contra Charitatem, non ſolum quando aliquis ſuo dicto, vel facto intendit ruinam ſpiritualem proximi, ſed etiam quando quis ſuo exemplo, juſſu &c. movet ob propriam utilitatem, ſeu delectationem alium ad peccandum, quamvis non intendens ipſius peccatum, debet interrogare Pœnitentem, ſi ipſe alium induxerit ad peccandum, ut intelligat, an duo peccata ſpecie diverſa commiſerit. Juvenis e. g. qui peccavit cum muliere, interrogandus eſt, an ipſe eam ad venerem provocaverit; nam tunc ultra peccatum contra Caſtitatem, aliud commiſit contra Charitatem, quatenus fuit cauſa, ſeu occaſio peccati mulieris. Ulterius neceſſe eſt interrogare an conſilio, exemplo &c. induxerit ad peccatum, ad dignoſcendum numerum peccatorum; ſi etenim induxit, non ſolum eſt reus peccati fornicationis, furti &c. a ſe commiſſi, ſed etiam, ultra peccatum ſcandali, peccat in eodem genere peccati a complice perpetrati, ut dixi capite præcedenti in ſecundo quæſito. Dici etiam poteſt tot ulterius numero peccata commiſiſſe, quot perſonas ad peccandum pertraxit, vel ſaltem ipſius peccatum eo magis augeri, quo major eſt ipſarum numerus.

II. Cum dixerim non eſſe omittendas actiones omni ex parte indifferentes, propter alterius peccatum, dummodo adſit juſta cauſa illas exercendi, notet Confeſſarius, non teneri mulierem domi ſe continere, & abſtinere a decenti ornatu, quamvis ſciat, ab aliquo turpiter adamandam. Cum iſtæ actiones ſint per ſe indifferentes, & cum aliunde nimis grave eſſet hujuſmodi mulieri ſemper ſe domi continere, non eſt ex hoc capite ipſius conſcientia inquietanda. Quia tamen non eſt grave incommodum ſemel, & iterum domi manere, id teneretur præſtare mulier, ne daret alicui occaſionem peccandi; ſicut etiam adire aliud templum ob audiendum ſacrum ſi commode id facere poſſet, dum ſciret turpiter adamari in templo, in quo ſolet ſacrum audire. E contra debebit abſtinere ſub gravi ab ornatu meretricio, aut valde nimio; & multo magis, ſi ſciat exinde aliquem ſumere occaſionem eam turpiter adamandi, cum hujuſmodi carentia non poſſit prudenter grave incommodum reputari.

Ex hoc etiam, quod ad vitandum grave incommodum licitum ſit præſtare actiones indifferentes, ſequitur licitum eſſe famulis cibos concubinæ condire, miniſtrare menſæ, ipſam ornatu decenti ornare, ad ipſam deferre literas nil turpe continentes, ſed tantum ſigna urbanitatis, & alia hujuſmodi præſtare indifferentia bono, vel malo uſui; cum enim ex ſe nullum peccatum contineant, non tenetur quis ab eis deſiſtere, ſi ex hoc grave deberet incommodum ſubire.

Addendum, poſſe famulos ad vitandum grave incommodum etiam Concubinæ lectum ſternere, facem præferre, immo & ipſam ad heri domum comitari, quia hæ actiones de ſe ſunt indifferentes, & remote conducunt ad peccandum. Dum tamen dixi licere comitari Concubinam, id intelligendum volo, quando, etiam famulo non comite, domum heri adiret; nam ſi iret, quia famulum comitem haberet, alias non itura, non eſſet indifferens famulatus, ſed influeret proxime in peccatum heri: ipſe enim ad eum deferret occaſionem peccandi.

III. Proh dolor! Non deſunt Confeſſarii, qui facillime abſol-

abſolvunt mulieres, non regentes pectus, ut par eſt, vel ita tranſparentibus velis tegentes, ut ea tegumenti ſpecie magis fortaſſe ad libidinem incitent. Si nolint tot Synodis eſſe ſapientiores, ſi nolint ipſam experientiam negare, fateri debebunt, hujuſmodi fęminas gravis ſcandali eſſe culpabiles, adeoque Sacramentorum incapaces. At quando ſpeculativis aliorum rationibus vellent acquieſcere, ne has fœminas contriſtarentur ſaltem quæ ſubjungo præ oculis habeant. Iſtæ fœminæ in mane ſe ita ordinando, ut in laxiori loquar opinione, ſaltem peccaverunt venialiter ex levitate, vanitate &c. & poſtea ita immodeſte in publicum procedendo, continuarunt in tali peccato & ante Confeſſionem, & in ipſa actuali Confeſſione; quid ergo judicandum de ipſarum dolore, & propoſito? Scio dari poſſe dolorem de peccatis gravioribus, etſi non doleat quis de aliqua levi culpa: at in praxi puto difficillimum eſſe iſtas mulieres vere de cæteris culpis dolere, dum actu culpabiles ſunt de peccato in ſententia quidem multorum levi, ſed quod in veriori & omnino, meo videri, tenenda ſententia, grave eſt; adeoque Præſules judicarunt inter reſervata accenſendum. Si & ipſæ verum fateri velint, bene agnoverunt, non raro juvenes in ipſorum pectus indecenter detectum oculos intendiſſe, non raro ex hac cauſa impudicas audiiſſe æquivocationes, & fortaſſe ſermones aperte abſcænos. Et credere debeo eas vere hic, & nunc de propriis culpis dolere, quando nolunt derelinquere quod ſciunt graviter ad libidinem provocare?

IV. Cum diximus, non poſſe quacumque ex cauſa exerceri actiones proxime influentes in aliorum peccatum; advertere debet Confeſſarius, non poſſe famulos concubinæ deferre verba internuntia, quæ turpia exprimant, quia eſt proxime participare in alterius actione inhoneſta. Idem dico de ſcribentibus, & deferentibus literas amatorias, quia hæ ſunt inſtrumenta, quibus immediate Concubina inducitur ad actus inhoneſtos. Sunt qui putant, ſcribentes, vel deferentes literas amatorias poſſe excuſari, ſi id faciant metu gravis damni; at ſi id eſſet verum, putarem ex eadem ratione poſſe excuſari Officium Leonis. Quod ſi hic excuſari non poteſt, quia adhibet media ex ſua natura determinata ad alliciendum ad malum, idem dicendum in caſu noſtro. Ex hac regula ſequitur, neque poſſe famulum vi aperire januam, ut ingrediatur herus ad ſtuprandam virginem, ſeu peccandum cum Muliere, quamvis poſſet aperire domum ipſi Concubinæ, maxime, dum etiam eo non aperiente, adhue eſſet qui aperiret; nam tunc actio ipſius de ſe non conducit niſi remote ad peccandum, adeoque poteſt, urgente aliqua de cauſa, cohoneſtari. Cæterum vi aperire domum mulieris, ut aliquis ingrediatur ad peccandum, eſt actio de ſua natura ad peccatum ordinata, unde nunquam eſt licita; & hoc ſenſu intelligenda eſt propoſitio ſupra relata damnata ab Innoc. XI. dum in ea ſermo eſt de famulo aperiente januam &c. Ex dictis facile eſt deducere, quando etiam in aliis materiis cooperatio ad alterius peccatum nullo pacto valeat cohoneſtari.

V. Quia perſonæ, quantumvis paratæ ad peccandum, non licet dare occaſionem actionis, a qua ſeparari hic & nunc non valeat malitia, conſequens eſt (quidquid in contrarium non pauci dicant) non licere famulis, & Cauponibus ſubminiſtrare carnes, ſive alios cibos volentibus frangere jejunium; quia dum urget lex jejunii, iſta comeſtio non poteſt ab omni malitia ſeparari. Pariter non erit licitum parato peccare cum fœmina, adducere aliquam fœminam, cum qua peccet. Et in utroque caſu ratio mihi videtur eadem; non minus enim proxime cooperatur fornicationi, qui parato peccare cum fœmina adducit fœminam, quam qui parato ſolvere jejunium, carnes, & cibos miniſtrat. Verum tamen eſt quod quia lex de jejunio eſt Eccleſiaſtica, & in pluribus caſibus poteſt non obligare, ideo Famuli, Tabernarii &c. poſſunt multoties præſumere, petentes carnes, ſeu alios cibos vetitos, excuſari a legis obſervantia ob aliquam infirmitatem, defatigationem &c.

E contra cum, juſta interveniente cauſa, ſive ad vitandum grave incommodum, poſſit quis dare alteri occaſionem peccandi, quando id, quod petit, poſſit hic & nunc bene, & male fieri, poterit quis ab Uſurario petere mutuum, etiamſi ſciat ipſum non daturum niſi ſub uſuris, dummodo tamen petens non poſſit alia via propriæ ſuccurrere indigentiæ. Pariter volens recipere aliquod Sacramentum, quod non poſſit ita facile differre, ſi alium non habeat Miniſtrum, poterit illud petere ab eo, quem videt paratum, quamvis ſciat ipſum eſſe in peccato mortali. Et ita diſcurrendum in aliis ſimilibus caſibus.

VI. Ultima regula ſit, quod cum ad vitandum ſcandalum puſillorum bene poſſit omitti obſervantia alicujus præcepti, poterit quandoque Mulier omittere auditionem Sacri die feſto, ſi videat juvenem particularem ex ipſius aſpectu ſumpturum occaſionem peccandi. Sicut etiam Sacerdos poterit die feſto omittere Sacrum, ſi cognoſcat, concurrente Populo ad ſacrum audiendum, orituras graves rixas &c. Quod ſi omittendo obſervantiam præcepti, grave oritur incommodum vel ſibi, vel aliis, tunc niſi multo magis præponderet damnum, quod ſequeretur, ſi non omittatur, nullatenus obſervantia præcepti eſt omittenda. Ponamus exemplum, quando urgeret præceptum ſubveniendi mulieri in extrema neceſſitate: quia tunc ex omiſſione obſervandi præceptum Charitatis, graviſſimum ſequitur mulieris incommodum, ideo curare non debeo ſcandalum, quod aliquis ſumeret, videndo me ingredi ad ipſam mulierem. Si vero, ultra ſuſpicionem mali ex meo ingreſſu ad illam mulierem, plurima ſequutura eſſent homicidia, tunc videretur potius permittendam eſſe mortem corporalem ipſius mulieris, quam dare occaſionem plurimorum homicidiorum &c.

TRACTATUS VII.

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

PRimum, quod ſe offert preceptum, eſt de cultu, & adoratione Dei; & illud ſequentibus verbis traditum eſt *Exod. 20. & Deuter. 5. Non habebis Deos alienos in conſpectu tuo. Non facies tibi ſculptile, nec ſimilitudinem omnium, quæ in Cœlo ſunt deſuper, & quæ in terra deorſum, & quæ verſantur in aquis ſub terra. Non adorabis ea, & non coles.* Si bene perpendatur triplex negatio, quę eſt in hoc precepto, videbimus in prima excludi omnem falſam adorationem Deorum, etiam abſque Simulacris. In ſecunda vetari omnem cultum, qui eorum imaginibus exhibeatur. In tertia abſolute prohiberi omnem cultum Idolatricum. Ex hoc autem ſequitur, ſoli verò Deo ſupremum cultum, & adorationem deberi. Hinc in hoc Tractatu agam de Religione, ejuſque actibus, ratione etenim ipſius Deo debitum cultum tribuimus: Deinde de Vitiis eidem oppoſitis.

QUÆSTIO I.

De Religione, ejuſque Actibus.

CAPUT I.

De Religione ejuſque actibus internis. Devotione ſcilicet & Oratione: ubi de iis quos poſſumus orare, & pro quibus poſſumus orare, ſicut & de effectibus orationis.

Q.I. QUID ſit Religio.

R.I. Relicta nominis etymologia de qua varié loquuntur Authores, optime definitur Religio, ſi dicatur: *Religio* (græce idem eſt ac latria) *eſt virtus, quæ debitum cultum Deo tribuit, tanquam primo Principio omnium rerum.* Sicut igitur eos, qui inter nos ſunt aliaque ratione excellentes, colimus, & honoramus, ſic Deo, ob infinitam ejus excellentiam, cultum, & honorem tribuimus, quoenus ut primum omnium principium agnoſcimus, & confitemur, noſque illi in omnibus ſervos proteſtamur. Quamvis igitur Religio non ſit virtus Theologica, quia non attingit immediate Deum, obtinet tamen inter morales primum locum, quia habet pro objecto cultum Deo debitum; adeoque immediatius quam aliæ Deo adhæret.

Q.II. Quot ſint Actus Religionis.

R.I. Actus interni religionis ſunt Devotio, & Oratio, de quibus ſtatim.

R.II. Actus externi ſunt in triplici differentia. Primi ſunt illi, quibus homo exhibet corpus ſuum ad colendum Deum ſcilicet adoratio, de qua capite ſequenti. Secundi generis ſunt illi, quibus homo aſſumit aliquas res exteriores ad Deum honorandum, qui omnes veniunt ſub communi nomine oblationis: & hujuſmodi ſunt ſacrificium, decimę, primitiæ &c. ſed de his in præſenti non tractant Theologi. Tertii generis ſunt illi, quibus aliquid in honorem divini nominis aſſumimus, ut Sacramenta, juramentum, adjuratio, votum &c. de quibus in ſecundo Decalogi Præcepto.

Q.III. Quid ſit Devotio.

R. Juxta doctrinam S. Thomæ a. 2. *qu.* 82. *art.* 1. Devotio poteſt ita definiri: *Voluntas prompte ſe tradendi ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum.* Ly *voluntas* ſignificat actum voluntatis, quo homo redditur promptus ad famulandum Deo in omnibus, & fervidus ad exequendum quidquid in Dei cultum cedere poteſt. Hinc etiam expellit omnes vanos timores, & omnia obſtacula, quæ animum retardare poſſent ad Deo in omnibus obſequendum. Illa ergo lætitia, & ſuavitas ſpiritualis, quam aliquando Perſonæ piæ experiuntur in Dei famulatu, non eſt devotio, ſed devotionis effectus. Immo major eſt devotio in illis Animabus, quæ inter ariditates, & deſolationes verſantes, adhuc omni conatu volunt Deo famulari.

Q. IV. Quid ſit Oratio, & quotuplex.

R.I. De Oratione tractat *S. Th. a. 2. qu. 83. art. 1.* & poteſt definiri. *Petitio alicujus boni honeſti a Deo.* Dicitur *petitio boni honeſti*: nam ſolummodo in oratione petenda ſunt honeſta, & bona, quæ in bonum finem valeant referri. Additur, *a Deo*, non ſolum ad demonſtrandum. Deum eſſe ſpecialem Authorem omnium bonorum, ſed inſuper quod oratio eſt actus religionis, Ratio autem eſt, quia ad religionem pertinet quidquid ſit ad exhibendam Deo reverentiam, & honorem; Deo autem exhibemus reverentiam, & honorem, orando, quatenus ei ſubjicimur, & profitemur ipſius indigere ut Authoris omnium bonorum: *D. Th. art. 3.*

R.II. Oratio alia eſt publica, quę ſcilicet fit a publico Miniſtro ab Eccleſia deputato, & hæc non fit ſola mente, ſed etiam verbis. Alia eſt privata, & hæc eſt, quæ fit a perſona particulari, ut talis eſt. Item alia eſt oratio Mentalis, alia vocalis. Prima fit ſola mente. Secunda mente, & verbis; oratio enim non eſt, quæ ſolis verbis perficitur.

Q.V. An Oratio ſit neceſſaria neceſſitate medii.

R. Attentis Decretis præſentis Providentiæ, quibus Deus non ſolet conferre, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem; niſi media oratione, dicendum eſt, orationem neceſſariam eſſe neceſſitate medii ad ſalutem. Et ratio eſt quia ſicut nemo negare poteſt auxilia Dei neceſſaria eſſe neceſſitate medii ad ſalutem, ita & neceſſaria erit oratio, ſi abſque ipſa non conferantur. Quod vero Deus non ſoleat conferre auxilia neceſſaria ad ſalutem niſi media oratione, non obſcure tradit Tridentinum *ſeſſ. 6. cap.* 11. ubi hæc habet *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Et *Matt.* 7. dicit ipſe Chriſtus Dominus *Petite & accipietis*, quibus videtur ſignificare voluiſſe a nobis prius eſſe petenda, quæ obtinere ad ſalutem optamus. Hoc idem explicans D. Auguſtinus *lib. de Eccleſ. dogm. cap.* 56. dicit: *Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante, venire; nullum invitatum ſalutem ſuam niſi Deo auxiliante operari, nullum niſi orantem, auxilium promereri. Suar. tom. 2. de relig. tract. 4. l. 1. c. 28. n. 3. Azor l. 9. c. 34. Laym. l. 4. tr. 1. cap. 1. num. 2.*

Non per hoc tamen nego in caſu extraordinario quandoque a Deo ex mera ſua liberalitate conferri auxilia neceſſaria ad ſalutem, etiam non orantibus. Habemus exemplum in D. Paulo, qui ex plenitudine Gratiæ, ipſi non petenti, immo perſequenti Chriſtum collatæ, converſus eſt in Apoſtolum; unde *S. Thom. a. 2. qu.* 83. *art.* 2. *ad* 3. ait: *Dicendum quod Deus nobis multa præſtat ex ſua liberalitate etiam non petita.* Sicut igitur, agentes de myſteriis credendis neceſſitate medii, diximus, fidem Trinitatis, & Incarnationis eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad Salutem, quamvis in caſu raro, poſſet aliquis ſine tali Fide ſalvari, quia de rebus judicandum eſt ſecundum quod ſunt per ſe, non ſecundum ea, quæ per accidens eveniunt; ita modo dico, orationem neceſſariam eſſe neceſſitate medii ad ſalutem, quamvis aliquando etiam non orantibus Deus conferat ſua auxilia.

Q.VI.

Digitized by Google

Q. VI. An oratio neceſſaria ſit etiam neceſſitate præcepti ad ſalutem, & quando obliget.

R. I. Nullum dubium eſt, dari præceptum naturale, & Divinum de oratione facienda. Datur præceptum naturale, quia ratio dictat, homines debere in ſuis neceſſitatibus habere recurſum ad Deum, tanquam ad principium, & fontem omnium bonorum, qui recurſus non fit niſi media oratione. Quod autem detur de oratione etiam præceptum poſitivum divinum, explicat *D. Th. 2. 2. qu. 83. art. 3. ad 2.* his verbis: *Ad ſecundum dicendum, quod non ſolum petere quæ deſideramus, ſed etiam recte aliquid deſiderare, ſub præcepto cadit; ſed deſiderare quidem cadit ſub præcepto Charitatis: petere autem ſub præcepto Religionis, quod quidem præceptum ponitur Matth. 7. ubi dicitur: Petite, & accipietis.* Ulterius nullum dubium eſt eſſe etiam de præcepto, quæ ſunt de neceſſitate medii; adeoque cum dictum ſit, orationem, juxta Providentiam ordinariam, neceſſariam eſſe neceſſitate medii ad ſalutem, conſequens eſt etiam cadere ſub præcepto: *D. Th. 2. 2. q. 3. art. 2. & 3. p. q. 68. art. 1.*

Q. VII. Quando obliget præceptum orandi.

R. I. Certum eſt obligare in inſtanti uſus rationis, & in articulo mortis. Ratio eſt, quia talibus temporibus unuſquiſque petere debet media ad ſe convertendum in Deum; hujuſmodi autem media reducuntur ad auxilium ſpeciale, & efficax, quo quis eliciat actus Fidei, Spei, Charitatis &c.

R. II. Homo ſæpius tenetur ad orandum Deum, quam ſemel ſingulis annis. Ratio autem eſt, quia obligatio orandi præcipue conſurgit ex diſpoſitione præſentis Providentiæ, qua Deus ſtatuit nobis conferre auxilia ſolummodo media oratione; non videtur autem cohærens rationi, Deum hujuſmodi auxilia ſemel tantum in anno oranti velle conferre, cum potius videatur S. Scriptura inſinuare ad Deum perſeveranter eſſe recurrendum. Verum tamen eſt, communiter ſatisfieri hujuſmodi obligationi, cum difficile ſit Chriſtianum tam perditum advenire; ut ſaltem ſingulis menſibus quandoque non oret. Cæterum ſingulis ſaltem menſibus, & forte ſæpius, graviter obligare præceptum orationis autumarem; & id, quia frequenter indiget homo Dei auxilio, quod cum obtinere debeat media oratione, nimis utique videretur eam differenti qui ultra menſem protraheret. *Pal. t. 2. tr. 6. d. 1. p. 8. n. 1.*

Sicut autem præcepta Fidei, Spei, & Charitatis, ut ſuo loco diximus, quandoque obligant per ſe, quandoque per accidens, quando ſcilicet neceſſaria ſunt ad obſervantiam alterius præcepti, ita non ſolum per ſe, ſed & per accidens obligabit præceptum orandi. Dum igitur aliquis erit in gravi tentatione, vel magna populi calamitas urgebit, tunc per accidens tenebitur ad orationem; quia ſine ipſius præſidio non ſuperaretur tentatio vel non averteretur imminens malum.

Q. VIII. Quis a nobis ſit orandus.

R. I. Ut Author omnis boni, quod nobis ſit neceſſarium, ſolus Deus eſt orandus. Ratio eſt, quia nullus alius præter Deum eſt cauſa boni ſive ſupernaturalis, & ſpiritualis, ſive temporalis; unde cum ſolus ipſe poſſit ea efficere, ſolus poterit elargiri.

R. II. Ut Interceſſores apud Deum bonorum, quorum indigemus, poſſumus orare Angelos, & homines bonos, maxime beatos. Ratio eſt, quia conveniens eſt, quod hi exaudiantur, utpote Amici Dei. Præterea ad impetrandum quæ expoſcunt, multum valere poſſunt eorum merita ſuis ipſius operibus acquiſita, ſicut ille, qui fideliter famulatus eſt regi, & multa promeritus eſt, facile ratione ſuorum meritorum impetrat quæ expoſtulat. Quod ſi ratione amicitiæ, & meritorum, homines adhuc viventes plura pro aliis a Deo obtinuerunt, ut dicitur in S. Scriptura de Abraham, Iſaac, Moyſe, Jeremia &c., cur potiori ratione non valebunt impetrare homines beati, qui, finaliter perſeverando, adepti ſunt juſtitiæ coronam? Neque valet dicere, ab illis non cognoſci noſtras neceſſitate, & preces; nam, ut docent Theologi cum S. Th. 2. 2. *qu. 83. art. 4. ad 2.* competit perfectæ Beatitudini, qua SS. in Cœlo fruuntur, ut videant in Deo, quæ ad ipſos pertinent, adeoque preces, quæ ad ipſos funduntur.

Putant hæretici, orando Sanctos, fieri injuriam ipſi Chriſto, qui eſt noſter Interceſſor, & Advocatus apud Patrem. At id patet eſſe falſum; nam Sancti, dum interpellant pro nobis, principaliter Deo exhibent merita Chriſti, ut pro nobis impetrent. Præterea ipſa merita Sanctorum fuerunt effectus gratiæ ex meritis Chriſti ipſis collatæ, unde potius dignoſcitur quam magna ſint Chriſti merita, cum ratione ipſorum plura meriti ſint ipſi Sancti; ita merita Sanctorum in Chriſti gloriam redundant, ſicut excellens effectus ſemper cauſæ excellentiam demonſtrat.

R. III. Valde probabile eſt, poſſe nos invocare etiam Animas Purgatorii, ut pro nobis apud Deum intercedant. Ratio eſt, quia cum illæ animæ ſint Deo charæ, ac æquo animo ſuſtineant ſuas pœnas, non eſt, cur non poſſint Deum pro nobis orare, quatenus ipſius Dei amicitia fruuntur. Quod ſi poſſunt pro nobis orare, & poterunt invocari, ut pro nobis orent. Accedunt innumeræ privatæ revelationes, quibus habetur, Animas Purgatorii non ſolum pro ſe ipſis orare, petendo a Deo, ut nobis tribuat charitatem ad orandum, & ut pro eis ſatisfaciamus, ſed etiam plura nobis impetraſſe. Quamquam autem ipſæ videre non poſſint in Deo noſtras indigentias, & preces, adhuc tamen cognoſcunt in genere noſtras miſerias; & poſſunt etiam mediis Angelis ſcire noſtras ſpeciales petitiones. Huic opinioni refragatur S. Th. *1. p. q. 89. art. 4. & 2. 2. q. 83. art. 4. & art. 11. ad 11.* ubi videtur dicere indecorum eſſe Animas purgantes, utpote reas, & in ſtatu pœnæ, Deum pro aliis orare. At contra hujuſmodi ratiocinium poteſt inſtari ex paritate juſtorum, dum adhuc vivunt; quamvis enim habeant reatum aliquarum culparum venialium, quo liberæ ſunt Animæ Purgatorii, ſimulque reatum pœnæ, correſpondentem præfatis culpis, nihilominus, utpote Amici Dei, poſſunt pro aliis orare, & eorum orationes ſunt Deo gratæ: cur ergo & idem dicere non poterimus de Animabus Purgatorii? *Bellarm. l. 2. de Purgat. c. 15. Laym. l. 4. tr. 1. c. 1. n. 5. Pal. tr. 7. d. 1. p. 4. & p. 5. n. 8. Bonac. de Hor. Can. q. 1. p. 1. in fin.* Cæterum videntur omnes concedere debere, Angelos Animarum Purgatorii nomine ipſarum pro nobis apud Deum intercedere.

Q. IX. Qui poſſint pro nobis orare.

R. Huic quæſito patet reſponſio ex ſupradictis. Certum igitur eſt, Chriſtum etiam nunc in Cœlis pro nobis orare; nam cum ratione humanitatis ſit Patre minor, poteſt ut Homo eſſe noſter Advocatus apud Patrem. Abſtinuit tamen Eccleſia in publicis orationibus ab hac petitione: *Chriſte ora pro nobis*; cum enim oratio ſit inferioris ad Superiorem, potuiſſent rudes credere cum Ario &c. Chriſtum non eſſe Deum.

Secundo Angeli, & Animæ Beatæ poſſunt pro nobis orare; cum enim orare pro aliis ſit effectus Charitatis, ſequitur, Angelos, & Beatos in Patria orare pro nobis, cum ſint in ſtatu perfectioris Charitatis, & Deo per Charitatem conjunctiones: *S. Th. 2. 2. q. 83. art. 11.* Et de facto habemus ex S. Scriptura Angelos pluries pro hominibus oraſſe. Addit S. Thomas loco citato ad primum, Sanctos in Cœlo etiam orare pro gloria ſui corporis, qua carent.

Tertio etiam homines vivi poſſunt pro aliis orare, *maxime juſti*, quia enim ſunt Amici Dei, & eorum orationes, utpote a Gratia, & Charitate procedentes, Deo gratæ, ſunt de congruo etiam pro aliis meritoriæ, & poſſunt item eſſe ſatisfactoriæ, & impetratoriæ. Hinc Jacob. 5. dicitur: *Orate pro invicem, ut ſalvemini*. Dixi *maxime juſti*, nam etiam peccatores pro aliis poſſunt orare; licet enim ipſorum orationes non ſint meritoriæ, nec pro ſe, nec fortaſſe etiam pro aliis ſatisfactoriæ, poſſunt tamen eſſe impetratoriæ. Ratio eſt, quia oratio, quatenus impetratoria, innititur benignitati, & miſericordiæ Dei; unde non repugnat Deum pro ſua benignitate etiam Peccatores exaudire. Notat vero S. Thomas ubi ſupra *art. 4. ad 3.*; quod rogatio facta ad vivos, proprie non dicenda eſt oratio, ſed potius petitio, quia nec valent cognoſcere, ut Beati, quæ cogitamus, nec certi ſunt de ſua Beatitudine, ac proinde non habent ſupra cæteros ſuperioritatem &c.

Q. X. Pro quibus liceat orare; & quibus proſint noſtre orationes, & ſuffragia.

R. I. Licitum eſt orare pro omnibus, qui adhuc ſunt in vita mortali. Ratio eſt manifeſta, quia oratio præcipue dirigenda eſt in hunc finem, ut ſcilicet noſtri Proximi Vitam conſequantur Æternam; unde cum nullus ſit hominum viventium, qui non poſſit ſalvari, Chriſtus etenim pro omnibus mortuus eſt, conſequens eſt pro omnibus viventibus poſſe nos orare. Hinc Apoſtolus 1. *ad Timoth. 2.* ait: *Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*. Non per hoc tamen intelligo, eſſe obligationem æqualiter pro omnibus orandi, nam oratio regulanda eſt juxta ordinem Charitatis; vidimus autem agentes de Charitate, ſpecialiter aliquos eſſe diligendos,

alis

Digitized by Google

aliis vero tantom ſigna communis benevolentiæ poſſe exhiberi, & nonniſi in neceſſitatis articulo neceſſe eſſe eos ſubvenire.

Eccleſia nihilomious excludit ab orationibus communibus, Indulgentiis, & Sacrificiis, prout fiunt nomine Eccleſiæ, excommunicatos ſaltem vitandos, qua de re dixi *tr.4 q.2.c unic. q.4.*

R.II. Non debemus orare pro iis, qoi ſunt io termino; nam hi vel ſunr Beati, & nullius boni indigent; vel ſuot damnati, & cum eorom pęna ſit æterna, fruſtranea eſſet quæcumque oratio.

R.III. Orandum eſt pro Aoimabus Purgatorii. Antequam ratio hojus reſponſionis afferatur, advertendum eſt orationem triplicem habere effectum, videlicet *mereri, ſatisfacere, & impetrare*. Quantum ad meritum advertendum eſt; aliud eſſe meritum *de condigno*, aliud meritum *de congruo*. Meritum *de condigno* eſt meritum habens æqualitatem cum præmio; unde dicunt Theologi Thomiſtæ, neminem poſſe pro aliis mereri de condigno primam gratiam; nam cum non conferatur prima Gratia, ſi ſimul non deleatur peccatum mortale, quod eſt offenſæ infinitæ, ad primam Gratiam promerendam de condigno requireretur meritom infinitum, cujus non eſt capax pura creatura. Item de condigno non valet homo pro aliis mereri augmentum Gratiæ, & Gloriam, quia ipſe pro tali merito præmiatur, juxta illud: *Opera enim illorum ſequuntur illos*; unde cum ipſe pro tali merito præmiom recipiat, non poteſt aliud præmium pro aliis prætendere. Meritum *de congruo*, juxta Thomiſtas, eſt meritum, quod fundatur in amicitia, & liberalitate præmiantis; unde iſtum meritum valet etiam aliis applicari, cum deceat Deum non ſolum opera juſti remunerari, ſed etiam ipſum exaudire, dum aliis bona communicari expoſcit. Hinc opera juſtorum poſſunt *de congruo* mereri aliis non ſolum augmentum Gratiæ, & Gloriam, ſed etiam Primam gratiam, juxta illud Jacobi ult. *Orate pro invicem, ut ſalvemini, multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.*

Quod vero bona opera, & ipſa oratio ſit ſatisfactoria conſtat, quia etiam oratio eſt opus laborioſum, & Deo gratum, onde valet applicari ad ſolutionem pœnæ debitæ peccatis; ac proinde de oratione maxime unita jejunio, & eleemoſynæ, dicitur Job. 12. quod *purgat peccata*. Advertendom tamen eſt, quodcumque opus bonum, ſicut etiam ipſam orationem, non poſſe eſſe ſatisfactoriam, oiſi ſint ab homine juſto; ut enim dicit S. Thomas *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. quæſtiuncul. 2.* in tantum opera noſtra ſunt ſatisfactoria, in quantum a Deo acceptantur: Deo autem acceptare non convenit in ſatisfactionem pœnæ ea, quę ſibi a ſuo inimico offeruntur.

Denique impetrare eſt effectus peculiaris orationis, nam cum oratio ſit petitio, habet ex natura ſua inducere Deum ad dandum quod petitur: bona vero opera, quæ comitantur orationem, præſtant facilius impetrare quod expoſcit oratio. Hujuſmodi autem effectus, ut diximus ſupra, non ſupponit neceſſarium ſtatum Gratiæ, nam fundatur in liberalitate, & Miſericordia Dei, ex quo ait S. Thom. 2.2. *qu. 83. art. 16.* etiam orationem peccatoris infallibiliter conſequuturam ſuum effectum, *ſi pro ſe petat neceſſaria ad ſalutem pie, & perſeveranter*. His poſitis.

Probatur reſponſio primo ex textu, qoi habetor 2. *Mach.* 12., ubi dicitur Judas duodecim millia drachmas argenti miſiſſe Jeroſolymam, ut offerrent eas ibi pro peccatis mortuorum, *niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, ac vanum orare pro mortuis ... Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*. Accedit praxis continua Eccleſiæ, quæ in Canone mentionem facit eorum, *qui præceſſerant cum ſigno Fidei, & dormiunt in ſomno pacis*. Probatur etiam ratione, quia, licet & oratio, & quodcumque opus bonum non valeat applicari aliis, unde nec Animabus Purgatorii, in ratione meriti de condigno, valet tamen applicari aliis in ratione ſatisfactionis, & impetrationis; conveniens enim eſt, membra Eccleſiæ ſibi ad invicem communicare favores, & ſubſidia, in hoc enim conſiſtit *Communio Sanctorum*. Cum igitur Animæ Purgatorii ſint nobiſcum veluti membra colligata tum nexu Charitatis, tum quia ſuot ſub uno eodemque Capite, ſcilicet Chriſto, bene ſtat, poſſe nos eas noſtris ſuffragiis, & orationibus juvare, illiſque applicare noſtras ſatisfactiones. Omnes proinde Lithurgiæ mentionem faciunt orationis pro Defunctis, & plurima Concilia hanc catholicam veritatem docuerunt, & noviſſime Tridentinum *ſeſſ. 22. can. 3. & ſeſſ. 25. decr. 1.*

Ultimo perpendatur, pene innumeras reperiri revelationes privatas, quibus habemus, animas e Purgatorio orationibus vivorum fuiſſe liberatas; onde quando adverſus Hæreticos hæc Catholica Veritas non conſtaret ex S. Scriptura, & Traditionibus, adhuc prudenter crederetor ex innumeris pręfatis revelationibus, quas nou pauci Authores collegerunt.

Q. XI. An Orationes, & quodcumque aliud opus bonum Animabus Purgatorii oblatum infallibiliter eis proſit.

R. Lis eſt inter DD. circa hoc quæſitum, aliis affirmantibus, aliis negantibus. Ut quod probabilius mihi videtur eſſe ſeligam, duo in hac materia mihi certa videntur. Primum eſt, noſtras orationes, ſuffragia, Indulgentias &c. ſemper aliquid operari reſpectu Animarum Purgatorii. Ratio eſt, quia quod noſtræ orationes, & ſuffragia proſint Animabus Purgatorii habetur ex illo articulo: *Credo Sanctorum Communionem*, Deus autem voluit communicationem bonorum operum, ſeu ſatisfactionem, quæ continetur io tali articulo, non pendere a conditione, *ſi ipſe velit*, ſed quod abſolute habeat effectum: ita credimus, ſemper noſtra bona opera etiam aliis prodeſſe, & pro ipſis ſatisfacere, ſi facta ſint in ſtatu Gratiæ. Id etiam videtur docere Tridentinum *ſeſſ. 25. in Decr. de Purgatorio*, obi docet, ſenſum Eccleſiæ ſemper fuiſſe, noſtra ſuffragia, & præſertim Sacrificium Miſſæ Animabus Purgatorii prodeſſe: *Cum Catholica*, ait, *Eccleſia Spiritu Sancto edocta ex Sacris literis, & antiqua Patrum traditione in Sacris Conciliis, & noviſſime in hac Oecumenica Synodo docuerit, Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas Fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero acceptabili Altaris ſacrificio juvari: præcipit &c.* Videantur *Lugo de Pœnit. diſp. 26. ſect. 1. n. 5. Suar. de pœnit. d. 58. ſect. 3. n. 3.*

Secundum eſt, quod licet ſatisfactiones fidelium pro defunctis oblatæ habeant minuere eorum pęnas, attamen abſolvere a tota pœna pendet a Miſericordia Dei, & a diſpoſitione illius, pro quo offeruntur. Quod habeant aliquam pęnę partem minuere conſtat ex ſupradictis; nam cum diximus, ſemper noſtra ſuffragia aliquo pacto prodeſſe Defunctis, ſequitur, ſaltem aliquam pœnæ partem minuere. Quod vero ex Dei Miſericordia, & voluntate pendeat major, vel minor applicatio ſatisfactionum noſtrarum probatur, quia neque totus valor Sacrificii Miſſæ, quamvis de ſua natura infinitus, applicatur iis, pro quibus offertur; unde licet dicatur infinitus quoad ſufficientiam, dicitur finitus quoad efficaciam; ut dum agam de Sacrificio Miſſæ magis explicabo.

Pariter valorem ſatisfactionis quoad efficaciam etiam pendere ex diſpoſitione illius, pro quo offertur, docet *D. Thom in 4 diſt. 45. quæſt. 2. art. 1. quæſt. 2.* ubi ait: *Ad Sextum dicendum, quod ad hoc quod ſuffragium alicui valeat, requiritur & ex parte ejus pro quo fit, capacitas hujus valoris, & hanc homo acquiſivit per opera propria, quæ geſſit in vita, & ſic loquitur Auguſtinus*. Autumant autem non pauci, quod ii, qui dum erant in vita, valde fuerunt addicti cultui Sanctiſſimi Sacramenti, uberiorem præ aliis percipiant fructum Miſſarum, quæ pro illis offeruntur, dum ſunt in Purgatorio. Pariter pie, & rationabiliter credunt, Divinam Miſericordiam acceptutam vel in totum, vel pro majori parte ſuffragia, quæ fient pro iis, qui dum erant io vita, curaverunt per omnia media poſſibilia Animas Purgatorii adjuvare &c.

Q. XII. An ſuffragia pro aliis oblata æque proſint, ſi offerantur pro pluribus, ac pro uno tantum.

R. Aliter diſcurrendum eſt de ſuffragiis, ſi conſiderentur quoad ſatisfactionem, aliter ſi conſiderentur quoad impetrationem. Quoad ſatisfactionem conſiderata minus valent, ſi pro pluribus applicentur, ac ſi pro uno &c. Ita expreſſe docet S. Thomas *in 4. diſt. 45. art. 4. quæſt. 2.* *Si conſideretur*, ait, *valor ſuffragiorum, in quantum ſunt ſatisfactiones quædam, per intentionem facientis tranſlatæ in mortuos, tunc magis valet ſuffragium alicui, quod pro eo ſingulariter fit, quam quod pro eo communiter fit & multis aliis. . . & ex hoc etiam patet quare inſtitutum ſit u ſuffragia ſpecialia in Eccleſia fiant.* Ratio autem fundamentalis eſt, quia ſatisfactio, quæ exhiberi poteſt noſtris bonis operibus, eſt undequaque finita, Item ſatisfactio, quæ provenit ex ſacrificio Miſſæ, eſt quoad effectum finita, quæ ergo pluribus applicatur, minus ſingulis prodeſt: *Azor. tr. 1. cap. 33. l. 9. q. 3. Suar. t. 2. de relig. l. 1. c. 27. n. 6.*

Si.

Si vero conſiderentur noſtræ orationes quoad impetrationem, non minus prodeſſe poſſunt, ſi pro uno, ac ſi pro multis offerantur. Ratio autem eſt, quia impetratio fundatur præcipue in Dei Miſericordia, & Liberalitate; hæ autem cum ſint infinitæ, non minus ſublevare valent miſeriam unius, quam omnium hominum. Præterea idem convincitur, quamvis diceretur, impetrationem etiam fundari in Charitate, & deſiderio, quo habet orans, ut ipſius preces impetrent pro ſuis proximis; hujuſmodi enim Charitas, & deſiderium non minuuntur eo quod pro pluribus quis intelligat impetrare. Audiatur *S. Thomas in 4. diſt. 45. art. 4. in corpore: Dicendum, quod ſi valor ſuffragiorum conſideretur ſecundum quod valent ex virtute Charitatis unientis membra Eccleſiæ, ſuffragia pro multis facta tantum ſingulis proſunt, ac ſi pro uno tantum fierent; quia Charitas non minuitur, ſi dividatur effectus ejus in multos, immo magis augetur: & ſimiliter etiam gaudium, quantum pluribus eſt commune, fit majus ut dicit Auguſtinus 8. Conf. & ſic de uno bono facto lætantur tam multi in Purgatorio, quam unus.*

Q. XIII. Quæ ſint in Oratione petenda.

R. I. Nullum dubium eſt, nos poſſe, & debere petere bona ſpiritualia; cum enim Deus nos ad ſpiritualem beatitudinem ordinaverit, conſequens eſt, nos debere ab ipſo petere media neceſſaria ad illam conſequendam, quæ ſunt auxilia Gratiæ, quibus liberamur a peccatis; ac deinde ut in adepta Gratia, & ſanctificatione perſeveremus.

R. II. Bona temporalia neceſſaria ad conſervationem vitæ poſſunt abſolute peti a Deo. Id probatur, quia in quarta petitione Orationis Dominicæ abſolute petimus a Deo hujuſmodi bona, dicendo *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, & Proverb. 30. dicitur: *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi, ſed tantum victui meo tribue neceſſaria*. Ratio etiam ſuffragatur, cum enim Deus velit a nobis, ut naturam conſervemus, intelligere poſſumus, etiam velle, quod abſolute inquiramus, & petamus ea, quæ neceſſaria ſunt ad ipſius conſervationem, Dices, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *q. 83. art.* 1 ea eſſe non abſolute; ſed ſub conditione petenda; *quæ poſſunt malum eventum habere, quibus etiam homo poteſt bene, & male uti*. cum igitur bonis temporalibus, etiam neceſſariis ad conſervationem vitæ, poſſimus bene, & male uti, erunt duntaxat ſub conditione petenda.

Contra tamen eſt, quia, ſi hujuſmodi doctrina non ſatis percipiatur, ſequeretur, neque ipſam Gratiam, Auxilia, Virtutes &c. eſſe a Deo abſolute petendas, quia etiam ipſis poſſumus male uti v. g. ſuperbiendo &c. Alia ergo ſunt, quæ ex ſe malum eventum habere non poſſunt, licet illum habere poſſint ex prava intentione, & malitia operantis, alia, quæ ex ſe periculoſa ſunt, & facile poſſunt habere pravum eventum. Bona primi generis poſſent abſolute peti, quamvis ex noſtra malitia poſſimus illis male uti; & hujuſmodi ſunt, quæ ſimpliciter ſunt neceſſaria ad conſervationem vitæ, ut ſanitas, victus, veſtitus, area &c. nam hæc ex ſe non inducere valeant aliquid mali, cum ſolum ex ſe deſerviant ad conſervationem vitæ, quod optimum eſt, & ipſe Deus vult a nobis conſervari. Bona ſecundi generis ſunt tantum ſub conditione expoſcenda, unde

R. III. Quæ non ſunt neceſſaria ad vitæ conſervationem non ſunt abſolute petenda, ſed dumtaxat ſub conditione, ſi nempe conducere habeant ad Beatitudinem. Ratio eſt, quia cum hujuſmodi bona non ſint neceſſaria ad vitam conſervandam, ſed ſuperflua, ſunt ex ſe valde periculoſa; unde non debent niſi conditionate peti, alias convinceremur amare noſtrum periculum. Hinc D. Thomas exemplificans loco ſupra citato quæ bona debeant conditionaliter peti, exemplum ponit in honore, divitiis, regnis, ſplendidis conjugiis &c. Nec refert dicere, appetere divitias, Epiſcopatum, Magiſtratus, Præfecturas &c. eſſe appetere aliquod indifferens, adeoque non eſſe deſiderium pravum. Quamvis hoc verum ſit, quia tamen ex ſe hujuſmodi ſunt valde periculoſa, & non tam facile exercentur ſine peccato, hinc dumtaxat ſunt appetenda ſub hac conditione, ſi ſcilicet ea nos adjuvare debeant ad tendendum in Beatitudinem.

Regulæ in praxi Obſervandæ.

I. Cum Confeſſarius vult ad Pœnitentis emendationem remedia præſcribere, nunquam obliviſcatur inter ea ſemper aliquod orationis exercitium recenſere. Optimum e. g. eſt præſcribere Pœnitenti venereis addicto aliquas carnis macerationes &c. at cum fruſtra ſperaret, ſe cohibere ſine Dei auxilio; & hoc auxilium media oratione ſit obtinendum, patet, inter neceſſaria remedia ad emendationem cujuſcunque peccatoris ſemper ponendam eſſe orationem.

II. Multum etiam defatigantur Confeſſarii in præſcribendis mediis, quibus ii, qui gravibus vexantur tentationibus, debent eas ſuperare. Optimum unumquodque erit, ſi cum oratione conjungatur, qua Dei gratia ad reſiſtendum impetretur.

CAPUT II.

De Adoratione, & Cultu debito tam Deo, quam Sanctis eorumque Imaginibus, & Reliquiis.

Q. I. Quid ſit Adoratio, & quotuplex.

R. I. *Adoratio eſt actus, quo quis alteri ſe ſubmittit ob illius excellentiam, & ſuperioritatem.* Cum igitur illum adoremus, quem ut Superiorem cognoſcimus, qua ratione nos ei ſubmittimur, ſequitur quod licet adoratio includat honorem, quem exhibemus illi, quem adoramus, nihilominus dicat aliquid de plus, quam honor; nam, ut dixi, adoratio eſt inferioris ad Superiorem, honor autem eſt etiam inter æquales.

R. II. Adoratio eſt triplex, nempe Latria, Hyperdulia, Dulia. Ratio eſt manifeſta, quia motivum adorationis eſt eminentia, & excellentia illius, quem adoramus: hæc autem eminentia triplex eſt, nempe Increata, propria Dei; Creata, ſed valde eminens, & habens ſpecialiſſimam conjunctionem cum Deo, quæ eſt propria Beatiſſimæ Virginis, ratione Maternitatis; ac denique Creata, ſed non dicens præfatam ſpecialiſſimam conjunctionem, & hæc competit Sanctis. Cum igitur triplex ſit eminentia, quæ eſt motivum adorationis, triplex etiam eſt diſtinguenda adoratio. Ad ſignificandam adorationem Deo debitam, utuntur Theologi nomine *Latriæ*, quod nomen licet de ſua prima origine quamcumque ſervitutem etiam Sanctis præſtitam potuerit ſignificare, attamen Theologi cum D. Auguſtino *l. 10. de Civit. Dei c. 1. & l. 20. contra Fauſt. cap.* 21. eo utuntur ad ſignificandam illam omnimodam ſervitutem, & ſubjectionem, quam Deo debemus ratione ipſius increatæ eminentiæ. Ad ſignificandam vero adorationem debitam Sanctis, propter ipſorum excellentiam ordinis ſupernaturalis, quæ oritur a Gratia, Sanctitate, Beatitudine &c. utuntur nomine *Hyperduliæ*, dum explicant cultum debitum Beatiſſimæ Virgini, ideſt cultum ſupra *duliam*: nomine autem ſimpliciter *Duliæ*, quæ ſignificat ſervitutem, & ſubjectionem alteri præſtitam propter ipſius eminentiam, explicant cultum, & ſubjectionem debitam Sanctis.

Hinc autem ſatis conſtat nomen adorationis, (id notatum velim contra aliquos, qui utpote parum Theologi, tale nomen a cultu Sanctorum proſcribunt, quaſi adoratio ſoli Deo competat) proprie tribui etiam cultui, qui Sanctis debetur; nam proprie datur adoratio, dum alteri nos ſubmittimus propter ipſius eminentiam, & bene nos Sanctis ſubmittere poſſumus, ſi conſideremus ipſorum eminentiam, quæ ab ipſorum Gratia, & Gloria ortum habet.

R. III. Adoratio alia eſt interna, alia externa. Interna eſt actus virtutis religionis, quo voluntas ſubmittit ſe Deo infinite excellenti, & ſupremo principio omnium rerum. Hoc pacto Angeli, & Animæ Beatæ adorant Deum. Ab hac adoratione interna oritur, externa, qua aperitione capitis, oſculo, genuflexione &c. manifeſtamus internam ſubjectionem, & ſervitutem, quam Deo ob ejus infinitam eminentiam debemus. Sola vero ſubmiſſio externa ſine interna potius irriſio eſſet, quam adoratio.

Q. II. An detur præceptum adorandi Deum.

R. Datur præceptum Divinum, & naturale de Deo adorando. Quod detur præceptum Divinum probatur *Exod. 20.* ubi dixit Deus, *Non habebis Deos alienos coram me, nec facies tibi ſculptile*; quæ verba, ut notat S. Th. 1. 2. *q.* 100. *art.* 14. includunt preceptum adorandi Deum, quia faciunt hunc ſenſum: *Me ſolum, ut verum Deum adorabis*. Quamvis autem hoc preceptum ſit affirmativum, nihilominus fuit verbis negativis expreſſum, quia, cum unicuique inditum ſit, Deum eſſe colendum; ſufficiebat ad adimplendum hoc preceptum removere Deos alienos, & Idololatriam prohibere, ad quam Gentes, & etiam Hebrei erant tam proni: *Suar. t. 1. de Relig. tr. 2. l. 1. c. 1. c. 13. Navar. in Man. c. 31. n. 20.*

Quid

Quod vero hujuſmodi præcepeum ſit etiam naturala inde conſtat, quia ratio dictat, colendum eſſe quemcumque, in quo aliqua excellentia reperiatur, adeoqua ſupremo, & perfectiſſimo cultu Deum infinite excellentem eſſe adorandum. *Præterea* eadem ratio naturalis dictat nos debeta eſſe ſervos, & cultores Dei, cum ab eo acceperimus quidquid habemus: *S. Th. 2. 2. q. 84. a. 2.*

Q. III. Qui cultus debeatur Deo, Sanctiſſimæ Trinitati, & Chriſto Domino.

R. I. Cum adoratio debita ſit ob excellentiam perſonæ adorandæ, ſequitur quod cum in Deo, ac in unaquaque Peſſona SS. Trinitatis ſit infinita excellentia Creaturis non commuoicabilis, ac iſta excellentia eadem ſit in tribus Perſonis, ſequitur, inquam, Deo ac unicaique Perſonæ SS. Trinitatis deberi ſummam adorationem, quæ dicitur Latria, ſicut etiam omnibus Perſonis divinis eamdem deberi adorationem. Advertendum tamen eſt, quod dum una Perſona Divina ſeorſim ab aliis adoratur, ut bene poteſt fieri, ſicut & una ſeorſim ab alia concipi poreſt, aliæ explicite non excludantur, cum revera ratione circuminſeſſionis una ſit io alia.

Quia Deo debetur peculiaris cultus, & adoratio, quæ non poteſt Creaturis convenire, datur etiam in Eccleſia *peculiare* ſignum hujus adorationis, & cultus, ſcilicet *Sacrificium*, quod ſoli Deo convenit. Alia vero ſigna cultus, & adoratioois, quæ ſiunt eatra ſacrificium, hominibus etiam deferuntur, quamvis illis deſerantut in ſignum inferioris adorationis: *D. Thom. 2. 2. qu. 84. a. 1. ad 1.*

R. II. Etiam Chriſtus ut homo conſideratus. eſt adorandus adoratione Latriæ: Id nos docuerunt Magi, *qui procidentes adoraverunt eum, & obtulerunt ei munera*, ur habetut *Matth. 2.* Sicut etiam D Thomas Apoſtolus, qui exclamavitt *Dominus meus, & Deus meus*, ut dicitur *Jo. 20.* Ratio etiam id demouſtrat, quia ut aliqua ſpecia adorationis quædam perſona adoretur ſufficit io illa eſſe motivum talis adorationis, quamvis tale motivum iovanire nou ſit in omnibus partibus illius perſonæ. Hinc ad adorandum Sanctum, ſufficit in eo eſſe ſanctitatem, quæ eſt motivum adorationis, quamvis non in omnibus illius partibus v. g. manibus, & pedibus inveniatur, quæ tamen inſimul adorantur, dum ipſe adoratur pariter ad exbibendum alicui honorem, qui debetur Regi, ſatis eſt ſi vere ſit perſona Regis, quæ eſt motivum talis honoris; & tamen eodem tempore ſimul honoratur purpura, qua induitur, licet in ea perſona Rgis uon contineatur. Ut igitur Chriſtus, etiam ut homo, poſſit adoratione Latriæ adorari, ſufficir, ſi in ipſo contineatur excellentia increata, cui debetur talis adoratio, quamvis hujuſmodi excellentia non competat humanitati: ac proinde, cum ut homo ſubſiſtat per ſubſiſtentiam, ſeve perſonalitatem divinam, cui debetur adoratio Latrię, bene ſtat, poſſe tali cultu adorari: *D. Thom. 3. p. qu. 25. art.* 2t. Eadem ratione Sacramentum Euchariſtię, quia continet Deum, & Perſonas Divinas, adoratione Latrię adoiamus, ut definivit Tridentinum *ſeſſ. 13. can. 3.* Videatur *S. Thom. 3. p. q. 25. art. 1.*

Adverıendum tamen eſt, quod ſi humanitas Chriſti concipiatur ut pręciſa a Verbo, ſive a perſona Filii, tunc eſſet adoranda adoratione Hyperduliæ, non vero Latriæ. Ratio eſt, quia ſi cogitemus de Chriſti humanitate ut a Verbo præcıſa, ſolum eſſet adoranda ob ejus Gratiam habitualem, alia dona, & virtutes ſupernaturales, quibus fuit affecta; hæc autem omnia ſolummodo creatam explicant axcellentiam, non ergo poſſunt terminare adorationem Latriæ, ſoli excellentiæ Increatæ debitam, ſed ſolum Hypeıduliæ: *D. Th. loc. cit. art. 2.* Dum tamen ita quis Chriſti humanitatem adorare ob perfectiones creatas, ut fieri poſſe innuit S, Th. loco cit., vel ſimul deberet eam adorare adoratione Latriæ ob unionem cum Perſona Divina, vel eam non excludere &c.

Q. IV. Quomodo adoranda ſit Crux Chriſti, & alia inſtrumenta Paſſionis.

R. I. Tam vera Crux Chriſti, quam omnes aliæ Cruces ad ejus imaginem factæ, ſunt adorandæ adoratione Latriæ. Ratio eſt, quia Imago alicujus eſt adoranda eadem adoratioue ac Prototypus, ſed quęlibet Crux eſt imago Chriſti Crucifixi, ergo quælibet Crux eſt adoranda eadem adoratione ac adoratur Chriſtus, nempe adoratione Latrię. Hęc ratio infra magis examinabitur, dum de ſacris imaginibus ſermo erit.

R. II. Crux vera Chriſti, etiam non conſiderata ut Imago Chriſti, adoranda eſt adoratione Latriæ, ſecus vero aliæ Cruces. Ratio primæ partis hujus reſponſionis eſt quia Crux vera Chriſti, etiam non conſiderata ut ipſius Imago, eſt inſignis ejus reliquia ob phyſicum contactum ad ejus membra, & quia ejus ſanguine fuit reſperſa; cum autem reliquiæ, ut videbimus, eadem colendæ ſint adorarioae ac perſona, cujus ſunt reliquiæ, ſequitur Crucem veram Chriſti, & quæcumque ipſius fruſtra eſſe adoranda adoratione Latriæ: *S. Th. 3. p. q. 25. art. 4.* Ratio ſecundæ partis eſt, quia aliæ Cruces ſolum habent motivum adorationis, quatenus ſunt Crucifixi Imago; unde ſi per diviſionem non amplius retineant formam Crucis, amittunt quodcumque motivum adorationis. Videatur *S. Thom. 3. p. qu. 25. art. 4.* Notat etiam *opuſc. 60. art. 6.* nomina Dei, Jeſu Chriſti &c. eſſe adoranda eadem adoratione ac eorum ſignificata; cum aoim ſignificent perſonas, eadem ipſis debetur adoratio, quæ debetur ipſis perſonis.

R. II. Inſtrumenta *inanimata* paſſionis Chriſti, quæ ipſum Corpus Chriſti tetigerunt, adoranda ſunt adoratione Latriæ. Ratio eſt, quia ſunt inſignes reliquiæ ipſius Chriſti: Dixi *inanimata* quia iuſtrumenta animata, ut fuerunt labia Judę oſculantis, manus crucifigentium, ratione indecentiæ, & ſcandali, excludont a ſe omnem adorationem. Idem dicendum e. g. de Aſello, in quo Jeſus Chriſtus Hieroſolymam intravit: *Azor. l. 9. cap. 5. q. 9. Fagun. l. 1. in Decal. c. 22. n. 55. & 16.*

Q. V. Quę adoratio tribuenda ſit Beatiſſimę Virgini, aliiſqua Sanctis.

Suppono ex dictis, dum explicavi quid ſit adoratio, BB. Virginem, Angelos, ac omnes Sanctos poſſe adorari; cum enim motivum adorationis ſit excellentia perſonæ adoratæ, ac proinda cum iſta reluceat in Beatiſſima Virgine, ac Sanctis, ſequitur poſſe adorari. Quia tamen hujuſmodi eminentia eſt quid creatum, noo poſſunt ſupremo Dei cultu adorari, ſed alio longe inferiori, qui proinde non continet Idololatriam, ut hæretici cootra nos apud vulgum garriunt; idololatria enim datur, quando ſupremus cultus Deo debitus, Creaturis exhibetur. His poſitis.

R. I. Beatiſſimæ Virgini debetur cultus Hyperduliæ, hoc eſt, adoratio ſuperior ea, quæ Sanctis tribuitur, ut docet *S. Thom. 3. quæſt. qu. 25. art. 5.* Ratio eſt, quia Beatiſſima Virgo & ratione Maternitatis, & ratione valde excellentioris Gratiæ habitualis, cæterorumque donorum ſupernaturalium non parum aliis Sanctis ſuperemioet; cum ergo in ipſa ſit excellentia valde ſuperior, & ipſi etiam debetur adoratio ſuperior ea, quæ ſanctis tribuitur. Ex his patet quam juſta damnata fuerit ab Alexandro VII. *ſub n. 26.* ſequens propoſitio: *Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana eſt.*

R. II. Sanctis canonizatis, & Beatificatis deferendus eſt publicus cultus, ſive adoratio Duliæ. Reſponſio patet ex ſupradictis ubi actum eſt de adoratione, nam eo quod ſint canoniaati, vel beatificati, Eccleſia vel expreſſe, vel tacite declarat eos habere ſingularem eminentiam in Gratia habituali, cæteriſque doois ſupernaturalibus, ac ſpeciali Dei amicitia frui; eſt ergo in eis aminentia digna ſpeciali cultu, & adoratione, quæ eminentia communiter non reperitur, vel ignoramus reperiri in aliis, qui clara Dei viſione fruuntur.

Dixi Sanctis canoniaatis, & Beatificatis, quia eo ipſo quod ut tales, ſed ut colendi ab Eccleſia proponantur Fidelibus, eſſet propoſitio ſaltem ſapiens hæreſim, ſi diceretur, Eccleſiam potuiſſe errare in iis canonizandis, ſive Beatificandis; adeoque poſſe oon eſſe dignos cultu, & adoratione. Et quidem quod ita dicere ſit temerarium, nemo inficias ibit, quia eſſet contra communem opinionem Theologorum, & Fidelium: itemque ſcandaloſum eſſet; quis enim ſcandalum non pareretur, ſi audires poſſibile eſſe S. Franciſcum, S. Ignatium &c. in Inferno torqueri? Quod vero atiam ſaltem ſaperet hæreſim, probatur, quia hæreſim ſaltem ſapit, qui diceret, Papam errare poſſe in iis, quæ ad communes Eccleſiæ mores pertinent; negare etenim videretur illam ſpecialem aſſiſtentiam, quam Chriſtus promiſit ſuæ Eccleſiæ uſque ad conſummationem ſæculi: eo ipſo autem quod errare poſſet io beatificandis, vel canonizandis Sanctis, arraret in iis, quæ pertinerent ad mores totius Eccleſiæ, cum induceret totam Eccleſiam ad exhibendum cultum iis, qui non eſſent culto digni, & veneratione. *Suar de Fid. d. 5. ſect. 8. n. 8. Bannes 2. 2. q. 1. a. 1.*

Quod ſi ulterius hic quæras, au aliquis cultus deferrâ poſſit viris, aut Fœminis cum opinione ſanctitatis decedentibus, quamvis nondum ſint beatificati, vel canonizati,

gati, reſpondendum eſt, illis deferri non poſſe illum cultum, quem Eccleſia peculiariter deſignavit pro Sanctis beatificatis, vel canonizatis. Ita ſe habet celebratio Miſſæ, Officii Divini recitatio; eos nominari in Litaniis, ipſis dicare Templum, vel Altare, illos depingere cum radiis, & ſplendoribus &c. Videatur Decretum S. Romanæ Inquiſitionis, incipiens: *Sanctiſſimus Dominus noſter &c.* quod approbavit Urbanus VIII. anno 1625. die 13. Martii, & habetur in Bullario, ubi recenſentur præfati Pontificis Bullæ. Prædictis vero licite defertur cultus privatus. Et ratio eſt, quia ſi dum in terra degebant licite publice rogabantur, ut pro nobis ad Deum intercederent, ſi publice eorum manus oſculabamur &c. cur ergo potiori titulo id non fieri poteſt poſt mortem? Accedit in proceſſibus pro Sanctorum beatificatione allegaci populi concurſum ad eorum ſepulchra, ut ipſis intercedentibus impetrent ſanitatem Infirmis, & Deus miracula operetur &c. Hinc etiam licebit præfatorum Virorum, ac mulierum reliquias ſervare, & venerari, in ipſorum honorem votum privatum offerre, jejunare in eorum vigilia &c. *Barboſ in collect. ad Concil. Trid. ſeſſ. 25. Sanch. l. 2. c. 43. n. 8. Bonac. t. 2. diſp. 3. p. 2. n. 3.*

Q. VI. An Imagines ſint adorandæ, & quo cultu.

R. I. Imagines ſunt adorandæ. Iſta reſponſio patet ex pluribus definitionibus SS. Conciliorum adverſus Iconoclaſtas, ut Nicæni II. *act.* 7. Florentini *ſeſſ.* 5. & Tridentini *ſeſſ.* 25. *decret.* 2. adverſus modernos hæreticos. Probatur etiam ex dictis ſupra cum enim poſt alia Concilia Tridentinum ſeſſione citata definierit Sanctos eſſe adorandos, ſequitur, non ſolum Imaginem Dei, ſed etiam ipſorum Sanctorum eſſe adorandas; ea enim adoratio, quæ exhibetur Imaginibus, ut ibidem dicit Tridentinum, non ipſis imaginibus exhibetur, quaſi in eis ſit aliqua Divinitas, & virtus, propter quam ſint colendæ, vel quaſi ab Imaginibus ſit aliquid petendum, & fiducia in ipſis figenda, ſed quia dum coram illis caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoramus, & Sanctos, quorum ſimilitudinem gerunt, veneramur. Sicut igitur injuria facta Imagini Regis in æſtimatione prudentum reputatur facta ipſi Regi, quia ipſum repræſentat; ſic ſacer cultus Imaginibus exhibitus, iis, quos ipſæ repræſentant, tribui reputatur,

Non eſſe autem exiguas utilitates, quas ex SS. Imaginibus Fideles recipiunt, obſervat Tridentinum loc. cit. dum enim e. gr. videmus picturas exprimentes myſteria noſtræ redemptionis, confirmamur in Fide, & admonemur Beneficiorum, quæ a Chriſto nobis fuerunt collata. Ita etiam Sanctorum picturæ excitant nos ad imitandas eorum virtutes, & ad colendum, & amandum Deum, qui tam mira in Sanctis fuit operatus, & per ipſos tanta nobis contulit beneficia.

Fuerunt aliqui, ultimis etiam noſtris temporibus, qui reputarunt perperam in Eccleſiis pingi Dei Patris ſedentis ſimulacrum, unde Alexander VIII. ſequentem damnavit propoſitionem: *Dei Patris Simulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare.* Et quidem ſumma ſtultitas eſſet ita depingere Deum Patrem, & aliam quamcumque Trinitatis Perſonam; ſi hujuſmodi picturis vellemus ſignificare eſſe corporeum &c. Depingitur ergo Deus Pater ſub effigie hominis ſenis, ad oſtendendam ejus æternitatem, & authoritatem, & quod ſit prima SS. Trinitatis Perſona. Pariter ita depingitur, quia ſic viſus eſt, ut habetur *Daniel* 7. Filius etiam in pectore Patris depingitur ad oſtendendum a Patre procedere; & exprimitur Spiritus Sanctus ſub ſpecie Columbæ, quia dignatus eſt ſic apparere. Eadem ratione Angeli tanquam pulcherrimi Juvenes, & alati depinguntur, ſicut etiam ad demunſtrandam eorum agilitatem, & ætatem nunquam ſeneſcentem.

Quod ſi ulterius inquiras, an bene agant Fideles dum magis colunt unam imaginem ejuſdem exemplaris, quam aliam, & dum, omiſſis, quas apud ſe habent, ad alias longe diſtantes peregrinantur; reſpondeo id ex rationabili motivo poſſe præſtari. Primum eſt, quia aliquæ Imagines non ſolum ſunt Imagines, ſed etiam Reliquæ, utpote vel factæ Angelorum miniſterio, vel quia aliquis Sanctus illas depinxit. Secundo, quia ut experientia conſtat, Deus plura, & majora miracula in quibuſdam Imaginibus operatur, cujus rei cauſas non eſt noſtrum inveſtigare, ſed potius Divinam Sapientiam, & Providentiam admirari. Tertio, quia quædam Imagines vivius, & cum majori proprietate ſua exprimunt exemplaria; unde magis excitant eorum memoriam, & devotionis affectum erga illa. Hæ ſunt rationes, cur potius afficiamur erga unam Imaginem ejus exemplaris quam erga alias ejuſdem Exemplaris. Videatur D. Auguſtinus *epiſt.* 137 & *l.* 2. *de Civit. Dei cap.* 8. Interim animadvertant Paſtores, ne ipſorum incuria aliquid erga S. Imagines ſuperſtitioſi cultus invaleſcat.

R. II. Imagines colendæ ſunt eodem cultu, ac adoratione, qua coluntur exemplaria. Ita fere omnes Scholaſtici adverſus Bellarminum, & Suarez. Ratio eſt, quia Imago conſiderata, ut quædam res eſt, non eſt digna cultu & adoratione, & ſolum colenda eſt, quatenus in eſſe repræſentativo eſt idem cum exemplari; cum ergo tota ratio, cur adorentur Imagines, ſit ipſum exemplar, conſequens eſt, quod ſi exemplari debetur e. g. cultus Latriæ, pariter debeatur Imagini. Ita expreſſe docet *S. Th. 3. p. q. 25. a. 3.* ubi ita concludit. *Sic ergo dicendum eſt, quod Imagini Chriſti, in quantum eſt res quædam, puta lignum ſculptum, vel pictum, nulla reverentia exhibetur. Relinquitur ergo quod ei exhibeatur reverentia ſolum in quantum eſt Imago. Et ſic ſequitur quod eadem reverentia exhibeatur Imagini Chriſti, & ipſi Chriſto: cum ergo Chriſtus adoretur adoratione Latriæ conſequens eſt, quod ejus Imago ſit etiam adoratione Latriæ adoranda.* Neque dicas ex hac doctrina ſequi, quod pariſicentur exemplar, & Imago, quod patet eſſe abſurdum. Contra enim eſt, quia Imagini non competit adoratio ratione ſui, ſed ratione exemplaris, quod repræſentat; Exemplari vero competit adoratio ratione ſui, unde conſtat, magnam intercedere differentiam inter Imaginem, & Exemplar.

Q. VII. An reliquiæ ſint adorandæ; & quo cultu.

R. I. Sanctorum reliquiæ ſunt dignæ adoratione. Ita autem definivit Concilium Nicænum II. ac demum poſt alia Tridentinum *ſeſſ. 25. cap.* 2. Clare autem id probatur, quia Deus ipſe reliquias Sanctorum honorat, faciendo plura miracula, dum ipſæ reliquiæ deferuntur ad Languidos, & Infirmos. Sic etiam habemus *Actor.* 19. Sudaria, & ſemicinctia D. Pauli ad Languidas delata; & ab eis receſſiſſe languores, & Spiritus nequam. Si ergo Deus fecit quamplura miracula, dum reliquiæ venerabantur, ſignum eſt, velle eas coli, & adorari.

R. II. Sacræ reliquiæ adorandæ ſunt eadem adoratione ac adorantur Sancti, quarum ſunt. Ratio eſt, quia dum adoramus reliquias, ſemper cogitamus de illis, quorum ſunt reliquiæ; nam ipſæ dicunt relationem ad Perſonas, unde eadem adoratione adorandæ ſunt, qua adorantur Perſonæ. Confirmatur ratione S. Thomæ, quia ſcilicet dum conſervamus affectum ad aliqua, quæ ſuperſunt e. g. per mortem Amici, non amamus illa propter ſe, quia poſſunt eſſe vilia, & nullius valoris, ſed propter Amicum, quem impenſe diligebamus: ſic a pari dum veneramur corpora Sanctorum &c. & ea, quæ poſt illorum mortem ſuperſunt, adoramus, propter affectum, quem habemus ad ipſos Sanctos, ut Dei Filios, & Amicos, adeoque totus cultus, & adoratio in ipſos Sanctos refertur, ac proinde ipſorum reliquiæ eodem cultu, quo ipſi Sancti adorantur, ſunt adorandæ: *Sanch. lib. 2. Sum. c. 43. Palaus tr. 8. diſp. 1. p. 6. nu. 2.* Ex hac doctrina infert *S. Th. 4. p. q. 25. a. 4. & 6.* latria eſſe adoranda Chriſti præputium, aliaque inſtrumenta paſſionis, in quibus aliquid ipſius ſanguinis reperitur. Unde Lac, Capilli &c. Beatiſſimæ Virginis hyperdulia erunt adoranda; dulia vero corpus, oſſa, veſtes, & ſimiles partes Sanctorum. Hic tamen iterum notatum velim, res indecentes, putridas, fœtidas &c. quæ fuerunt alicujus Sancti, vel illos attigerunt, nullo pacto eſſe adorandas propter indecentiam, vel ſcandalum: tum quia in ipſis non concipitur religioſa relatio ad Sanctos, quorum ratione adorantur: *Sanch. cit. & Suar. in 3. p. diſp. 55. ſect. 1.*

Q. VIII. An liceat tangere Sacras reliquias, ſicut etiam illas formas cereas, quas communiter appellamus *Agnus Dei*. Et quid dicendum de attrectantibus vaſa ſacra, ut Calices, Corporalia, Pallas, ſicut etiam Caſulas, & alia ſacra ornamenta benedicta ab Epiſcopo?

R. I. Nullum eſt peccatum, ſi reliquiæ reverenter contrectentur a Laicis, & etiam fœminis, cum nullum ſit decretum id prohibens, & aliunde, ſi debita cum reverentia attrectentur, nullus interveniat nec tacitus, nec expreſſus contemptus. Accedit conſuetudo, nam videmus ſæculares, & Sanctimoniales reliquias tangere, maxime ſi ornari debeant, & decenter reponi intra thecas: *Sanch. lib. 2. Decal. c. 42. num. 26. 27. Dian. p. 3. tr. 6. reſol. 12.*

R. II. Quæ ſunt conſecrata, ut calix, patena, & ara, ſeu quæ immediate tangunt Corpus Chriſti, non poſſunt a Laicis, & Fœminis tangi, Id probatur, quia hujuſmodi

di tangere prohibetur *diſt.* 23. per multa capita, & præſertim capite *ſacratas*, ubi ſacræ fęminæ vel Monachæ prohibentur tangere ſacra vaſa, vel ſacras pallas. Prohibetur quidem cirata diſtinctione Laicis etiam tangere ſacras veſtes ab Epiſcopo benedictas; quia nihilominus talis prohibitio decurſu temporis abiit in deſuetudinem, ideo modo etiam Laici abſque ulla culpa, prædictas veſtes poſſunt contrectare. Quia autem Laicis prohibitum eſt calices, patenas, & aras tangere, utpote chriſmate delibuta, eadem ratione putant multi Theologi non licere eiſdem Agnos tangere. Sunt nihilominus qui affirmant, cum nullum ſit decretum id prohibens; & quia etiam uſus in cuntrarium invaluit, cum videamus Moniales prædictos Agnos tangere, ſemper cum neceſſitas ſit eos ordinandi, & accomodandi in capſis.

Quamvis autem adhuc vigere cenſeant Theologi prohibitionem tangendi, quæ ſunt chriſmate conſecrata, & quæ immediate tangunt Corpus Chriſti, ut corporalia; nihilominus communia ipſorum opinio eſt, ſolummodo venialiter peccare illum, qui, ſecluſo contemptu, hujuſmodi tangeret; ſi enim religioſe quis ſe gerat, dum ea tangit, hujuſmodi tactus non reputatur materia gravis: *Bonac. in Decal. d. 3. p. 1. q. 4.* Advertendum tamen, quod ſi Calix actu contineat Corpus Chriſti, tunc illum contingere reputatur valde indecens reſpectu illius, qui non eſſet Sacerdos, vel Diaconus; cum ad hujuſmodi munus Eccleſia conſecret Sacerdorem, & Diaconum, ac proinde alter excuſari non poſſet a gravi culpa: *Bonac. cit. Suar. in 3. p. d. 81. ſect. 8.* Idem dicas de tactu chriſmatis, Olei Sancti, & Euchariſtiæ, quæ attrectare eſt proprium muneris Sacerdotalis. Excipiendus eſt tamen caſus neceſſitatis, ut quando hujuſmodi, vel etiam ipſa Euchariſtia in terram caderent, & abeſſet Sacerdos, qui ea poſſent a terra elevare; nam tunc reverentia elevanda eſſent a Laicis, & in locum decentem reponenda. Idem dicas, ſi periculum eſſet, ut prædicta raperentur, & conculcarentur ab Hæreticis &c.: *Azor. l. 1. Inſtit. Moral. c. 9. qu. 9. Bonac. in Decal. diſp. 3. q. 1. num. 13.*

Advertendum etiam eſt, ea, quæ diximus ſupra de Calicibus, Corporalibus &c. procedere attento jure cummuni; nam attento privilegio conceſſo a Calixto III. Fratribus Laicis Ordinibus Minorum, dum Sacriſtiæ inſerviunt, & a Sixto IV., Fratribus Laicis S. Auguſtini, tam ipſi quam omnes alii Laici Religioſi, qui cummunicant eiſdem privilegiis, poſſunt prædicta tangere, dum Sacriſtiæ inſerviunt. Stante autem opinione, Sanctimoniales cummunicare eiſdem privilegiis, quæ habent alii Religiuſi, & ipſæ, dum Sacriſtiæ inſerviunt, poterunt Calices, pallas, & Corporalia tangere; & quidem currit pro eis eadem ratio ac pro prædictis Fratribus Laicis, neceſſitas ſcilicet ea miniſtrandi, reficiendi, ſervandi, abſtergendi &c. Denique ut id præſtetur ſine allo peccato, ſufficere putant nonnulli Theologi, ut quis ſit Prima Tonſura initiatus, tunc enim videtur reputandus in numero Sacrorum Miniſtrorum, quibus ſolummodo conceditur a SS. Canonibus Corporalia, Pallas, Calices &c. tangere: *Suar. loc. cit. Ledeſm. de Sacram. Euchariſt. c. 22. concl. 2. d. 2.*

QUÆSTIO II.

De Superſtitione, ejuſque ſpeciebus.

Vitia oppoſita Religiuni, cujus eſſentiam, & actus in ſuperiori quæſtione explicavi, reducuntur a *S. Th. 2. 2. q. 92. a. 1.* ad ea, quæ ipſi opponuntur per exceſſum, & ad ea, quæ per defectum. Quamvis igitur Deus coli non poſſit pluſquam mereatur; nihilominus cultus dici poteſt per exceſſum religioni oppoſitus, vel quia colitur Deus modo indebito; vel quia cultus ipſi debitus, creaturæ tribuitur. Cultus hujus generis eſt Superſtitio ſub ſe continens Idololatriam, divinationem, vanam Obſervantiam, & Magiam. Vitium oppoſitum Religioni per defectum illud eſt, quo Deo denegatur cultus debitus, vel contemnitur, & dicitur irreligioſitas; & inter cujus ſpecies ſunt Tentatio Dei, ſacrilegium, & ſimonia. Videatur *S. Th. 2. 2. q. 92. a. 1. & 2.* De prædictis omnibus ſpeciebus ſequentibus capitibus agendum eſt, ſed de Simonia ſpecialis quæſtio eſt inſtituenda.

CAPUT I.

De Superſtitione.

Q. I. Quid ſit ſuperſtitio; & quotuplex.

R. I. Ethymologia hujus nominis *ſuperſtitio*, ſi credendum eſt Lactantio *l. 4. div. Inſtit. c. 28.* orta eſt ex eo, quod homines, Diis veteribus relictis, colerent ſuperſtiem memoriam ſuorum. Placet vero *D. Th. 2. 2. q. 92. art. 1. ad 2.* deſumere hujuſmodi ethymologiam cum S. Iſidoro a verbo *ſuperſto*, eo quod ſcilicet hominis nimii eſſent in præcando, & immolando Diis, ut ſibi Filios ſuperſtites relinquerent. Quidquid autem ſit de hoc, ſuperſtitio bene definiri poteſt ex S. Th. loco citato: *vana, & falſa religio, ſeu Vitium per exceſſum religioni oppoſitum, quo vel colitur Deus modo indebito, vel tribuitur Creaturæ cultus Divinus.*

R. II. Duæ ſunt ſpecies ſuperſtitionis, ut patet ex allata definitione, una ſcilicet, qua colitur Deus cultu indebito; alia, qua colitur Creatura cultu divino. Porro Superſtitio, qua colitur Deus cultu indebito, dupliciter accidit. Primo, quando colitur Deus culto falſo, & pernicioſo; Secundo, quando colitur Deus cultu vano, & ſuperfluo. Tunc colitur Deus cultu falſo, & pernicioſu, quando vel adhibetur ad eum colendum res ipſius cultui contraria, vel non apta ad eum colendum, vel falſa. Tunc res eſſet contraria, & non apta ad ipſum colendum, quando de ſe eſſet turpis; ut ſi quis Divinis Officiis turpia miſceret. Falſa vero eſſet, quando ad colendum Deum adhiberetur res, vel non habens modo congruam ſignificationem, vel quæ falſa eſſet. Hujuſmodi genere ſuperſtitionis coleret Deum, qui modo coleret per ſacrificia, & cæremonias antiquæ Legis, nam modo illorum falſa eſt ſignificatio; ſignificabant enim Chriſtum venturum. Pariter eorum genere ſuperſtitionis coleret Deum, qui mutaret materiam, aut formas Sacramentorum; qui fingeret falſas Indulgentias, falſa miracula &c. qui ſe fingeret Sacerdotem &c. Videatur *S. Th. 2. 2. q. 93. a. 1.*

Cultus vero indebitus ratione cultus vani & ſuperflui a *S. Th. art. 2.* reducitur ad hoc, quod talis ſit cultus, ut non conducat ad ſpiritualem profectum, aut ſi præter inſtitutionem Dei, vel Eccleſiæ; aut contra communem conſuetudinem: & re vera, qui ita Deum adorat, non illum adorat in ſpiritu, & veritate, ut dicitur *Jo. 4.* Ad hoc igitur genus ſuperſtitionis reducitur oratio, quam aliquis e. g. tantum putaret faciendam aliqua determinata hora, nec proficuam crederet alio tempore factam; ſicut etiam ſi quis particulari afficeretur inclinatione erga Miſſam, quæ celebraretur a Sacerdote habente nomen *Joannes*. Idem dicendum de eo, qui vellet celebrare Miſſam tot candelis, tali colore non determinato ab Eccleſia, ſeu ceremoniis non inſtitutis ab eadem Eccleſia &c. Nec refert hujuſmodi ad ſpiritualem profectum ordinare; nam cum ſint contra conſuetudinem Eccleſiæ, & non referibilia in Deum, nunquam poſſunt excuſari a cultu indebito, adeoque ſuperſtitioſo; & ita non cultum, ſed Dei offenſam continent: *Sanch. l. 2. Decal. c. 31. a n. 1. Laym. l. 2. tr. 10. c. 1. Bonac. t. 2. 3. q. 5. p. 1.*

Secunda ſuperſtitionis ſpecies, quæ accidit, quando cultus Deo debitus creaturæ exhibetur, multipliciter dividitur ſecundum diverſos fines diverſi cultus, ut ait *S. Th. 2. 2. q. 92. art. 2.* Si igitur cultus Divinus ordinatus ad Dei reverentiam, tribuatur Creaturæ, dicitur *Idololatria*. Si ſpreto Deo, quem homo debet etiam colere, ut ab ipſo inſtruatur, conſulat Dæmones per pactum tacitum, vel expreſſum, conſurgit ſpecies ſuperſtitionis quæ dicitur *Divinatio*. Si non a Deo, ſed a Diabolo quærat dirigi, & adjuvari in ſuis operationibus, intervenit ea ſuperſtitio, quæ dicitur *vana obſervantia*. Si ab eodem mira petat, intervenit *Magia*; *Maleficium* vero, ſi petat ut aliis noceat.

Q. II. Quale peccatum ſit ſuperſtitio ratione cultus falſi.

R. Superſtitio ratione cultus falſi eſt peccatum mortale. Ratio eſt, quia mendacium in materia pertinente ad cultum Dei, ſemper grave apparet, adeoque a gravi culpa non poteſt excuſari. Et quidem quis non videat gravem religioni irrogare injuriam, qui fingeret falſa miracula, falſas indulgentias; vel proponeret falſas Reliquias populo adorandas? His mediis non indiget religio Catholica, vel ad ſui confirmationem, vel ad augendum cultum apud Chriſtianos, quapropter, non ſine ip-

ſius gravi injuria adhiberentur: *Suar. t. 1. de relig. tr. 3. l. 2. c. 2. Sanch. l. 2. Decal. c. 31. n. 8. Navar. in Man. c. 11. n. 27.* Idem conſtat, ſi turpia, & prophana adhiberentur, ſtatim etenim apparet gravem Deo irrogari injuriam, ſi quis velit illum colere iis, quibus potius offenditur.

Q. II. Quale peccatum ſit ſuperſtitio cultus indebiti.

R. Superſtitio cultus indebiti, quando ſolum continet aliud vanum, & ſuperfluum, poteſt aliquando eſſe venialis, aliquando mortalis. Tunc eſſet mortalis, quando fieret prava intentione, in contemptum ſcilicet Dei, vel Eccleſiæ; vel materia ſuperflua, & vana eſſet gravis; ut ſi quis e. g. in Miſſa magnum aliquid adderet, vel aliquid notabile detraheret, volens hoc pacto ex ſuo libito inducere in Eccleſiam novum cultum. Si vero materia ſit levis, ut additio, vel diminutio, ſeu quid aliud leviter vanum, & ſuperfluum fieret bona intentione, dumtaxat foret peccatum veniale, quia materia de ſe levi eſſet: *Sanch. cit. n. 12 Fagund. t. c. l. 1. cap. 34. num. 5.*

Regula in praxi obſervanda.

Advertere debent Confeſſarii, ut removeant a ſuis Pœnitentibus ſuperſtitiones plures cultus indebiti, in quas multoties ſolent rudes ex ſimplicitate incidere. Ita evenit dum tribuunt aliquam infallibilem virtutem orationibus, etſi de ſua natura bonis, credendo e. g. toties repetitas habere vim obtinendi, ne repente moriantur, moriendi in Gratia &c. Idem dicendum, ſi tribuant infallibilem virtutem ad aliud obtinendum, reliquiis e. g. ad collum appenſis, vel alteri rei ſacræ, quam ſecum geſtent; nam quamvis habere poſſint vim contra fulgura, mortem repentinam &c. non tamen infallibilem.

CAPUT IV.

De Idololatria & Divinatione.

Q. I. QUid ſit Idololatria, & quotuplex.

R. Non eſt hic ſermo de idololatria, quatenus ſignificat, graviter peccantem ponere ſuum ultimum finem in creatura; in quo ſenſu ait Apoſtolus de guloſis ad *Philip. 3. Quorum Deus venter eſt.* In hac acceptione idololatria per omnia peccata divagatur; unde idem Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. appellat avaritiam Idolorum ſervitutem. Sumitur ergo in præſenti Idololatria, quatenus importat tribuere Creaturæ cultum Divinum; unde communiter finitur cum *S. Thom. 2. 2. q. 94. art. 1. Cultus Divinus exhibitus Creaturæ.* Primo igitur neceſſe eſt ad Idololatriam deferre creaturæ cultum ſoli Deo debitum. Secundo, quod dum fit talis cultus, conſideretur creatura ut creatura, non vero quatenus in ea conſiderari poteſt excellentia, & imago Creatoris. Parum autem refert ad peccatum idololatriæ, quod exhibeatur cultus Divinus creaturæ materiali, ſive immateriali &c. Ex his patet quam grave ſit peccatum Idololatriæ, cum enim per illam honor Dei, & Divina Majeſtas in Creaturam transferatur, non poteſt non continere ſummam Dei injuriam; ſicut graviſſime peccaret ille, qui honorem Regi debitum alteri deferret, & hunc ut Regem reputaret. Accedit, Idololatriam Religioni adverſari, quæ eſt maxima inter virtutes morales, adeoque poſt peccata, quæ adverſantur virtutibus Theologicis, eſt peccatum cæteris omnibus gravius. Puto autem peccata contra virtutes Theologicas graviora eſſe idololatria; utpote oppoſita præſtantioribus virtutibus, & videtur clare docere D. Thomas de odio Dei 2. 2. *q. 34. a. 2.*, & de Infidelitate, & Deſperatione *q. 10. a. 3. q. 20. a. 3.*

R. II. Tripliciter committi poteſt Idololatria. Primo, quando eſt interna, & externa; quod accideret, quando quis credens Creaturam Divino cultu dignam illi externe talem honorem tribueret. Id eſt certe graviſſimum peccatum; nam cum eſſentia divina ſit Creaturæ incommunicabilis, ſumma injuria Deo irrogatur, putando Creaturam eſſe Deum, eique tribuendo Divinum honorem. Secundo, datur Idololatria pure externa, quando ſcilicet quis non credens Creaturam eſſe Deum, nihilominus illi vult tribuere honorem divinum, ut illam habeat propitiam, quo pacto Striges colunt Demones. Id etiam non eſt ſine graviſſima Dei injuria, cum alteri communicetur cultus ipſi ſoli debitus. Obſervat etiam S. Th. *2. 2. q. 94. a. 3.* difficile evenire poſſe, aliquem credere Dei cultum non convenire Creaturæ, & nihilominus illum ipſi tribuere, ſi Deum non odio habeat. Tertio, evenire poteſt Idololatria, quando quis neque credens Creaturam dignam divino honore, neque voluntatem habens talem honorem ipſi tribuendi, id tamen præſtat ex ambitione, adulatione, aut timore mortis. Quamvis autem hæc non ſit vera idololatria, ſed ficta, cum non adſit animus colendi Creaturam Divino honore; nihilominus eſt graviſſimum peccatum, quia eſt graviſſimum mendacium, generat graviſſimum ſcandalum, & ulterius importat externam negationem Fidei contra Apoſtoli præceptum *ad Rom.* 10. ubi dicit quod *ore confeſſio fit ad ſalutem.* Cæterum cum non adſit animus creaturam colendi honore divino, poteſt ex hoc capite eſſe peccatum minus grave duobus præcedentibus: *Suar. t. 1. de Relig. tr. 2. l. 2. c. 6 Sanch. l. 2. in Decal. c. 37. n. 22., & ſeqq.*

Q. II. Quid ſit Divinatio; & quotuplex.

R. I. Non eſt ſermo in præſenti de divinatione, quatenus importat prænunciationem futurorum ex cognitione cauſarum neceſſariarum, quo pacto licite prænunciant Aſtrologi eclypſes: ſicut etiam bene poſſunt per quandam conjecturam prænunciare, quæ ut plurimum eveniunt; ita ex conjunctione ſtellarum, earumque aſpectu prænunciant ſiccitates, pluvias &c. Sermo igitur in præſenti eſt de divinatione, ſeu prænunciatione eorum, quæ pendent a cauſa libera, adeoque poſſunt evenire, & non evenire. Divinatio in hoc ſenſu accepta definiri poteſt: *Prænunciatio ordinata futurorum eventuum, facta ope Dæmonis.* Ex hac definitione patet quam grave peccatum ſit; nam cum aſſumatur auxilium Dæmonis ad cognoſcendum id quod tantum curare debemus ſcire a Deo, quia omnia ipſi ſunt præſentia in æternitate, jam Dæmoni tribuimus cultum, qui ſoli Deo erat exhibendus.

Hic autem advertendum, poſſe Dæmones prædicere omnia, quæ habent cauſas neceſſarias, ut conjunctiones Aſtrorum, eclypſes &c. Imo; cum comprehendant virtutem omnium cauſarum naturalium, facile poſſunt prædicere effectus ipſarum, quamvis poſſint ab aliis impediri; atque ita valent prædicere peſtes, pluvias &c. Pariter ob incomparabilem ſui celeritatem annunciare poſſunt, quæ in longinquis fiunt. Multa ſcire poſſunt ex Divina revelatione cum ſciant quid ipſi, vel alii Dæmones ſint facturi ex divina permiſſione, unde etiam earum rerum, quarum ipſi ex Divina permiſſione poſſunt eſſe Authores, poſſunt prædicere finem, ut peſtis, pluviæ &c. ſicut etiam maleficii, cujus finis pendet a ſublatione ſigni: quod eſt in ipſorum poteſtate. Ea vero, quæ unice pendent a Divina voluntate, & libero hominis arbitrio, certo prædicere nequeunt, ut docet S. Th. 1. *p. q. 57. a. 3.* quamvis ex acumine ingenii, & hominum temperamento, & inclinatione, poſſint probabiliter conjecturare, & prædicere quid facturi ſunt homines: *S. Th. 1. p. q. 53. a. 3. & 4. Sanch. l. 2. c. 38. n. 7. Fagun. l. 1 Decal. c. 35. n. 2.*

R. II. Divinatio alia eſt per expreſſam Dæmonis invocationem, alia per tacitam. Primo modo contingit, quando quis expreſſe invocat Dæmonem, promittendo ei cultum, adorationem &c. ſi res occultas illi manifeſtet. Hoc non raro contingit, apparente Dæmone ſub forma Regis, aliis ſtipatus Demonibus, & præſcribendo formam, qua Divinator negare debeat Deum, Sacramenta &c. promittere nunquam ſe integre confeſſurum peccata &c.; & hoc pactum ſolet conſignari ſchedula conſcripta proprio ſanguine. Aliquando vero hoc pactum fit ab aliquo, dum eſt ſolus cum ſolo Dæmone; & ſi non audet coram Demone comparere prædicta promittit Demoni per alium Maleficum.

Invocatio tacita Demonis evenit, quando quis ad aliqua cognoſcenda uſurpat media vana, & inutilia; cum enim nullam habeant connexionem, & virtutem naturalem ad manifeſtandas res occultas, quarum cognitio deſideratur, neque aliunde inſtituta ſint a Deo ad illas manifeſtandas; convincitur; eum, qui utitur talibus mediis ad aliquod cognoſcendum velle a Dæmone doceri. *D. Th. 2. 2. q. 95. a 3. Suar. de Relig. t. 1. tr. 3. l. 2. c. 9. Bonac. diſp. 3. q. 5. p. 3. n. 4.*

Divinatio, quæ fit per expreſſam Dæmonis invocationem, continet ſub ſe plures ſpecies. Prima, dicitur *Præſtigium*, & evenit quando Dæmon ſe præſentat aſpectui Superſtitioſorum ſub forma alicujus corporis a ſe efformati; vel ita facit illis apparere; illudendo illorum ſenſibus, ut accidit phreneticis; ac ita apparendo docet occulta. Secunda, *Divinatio per ſomnia*, quia Divinatores non raro ſperant, ſe hoc modo a Dæmone inſtrui. Tertia, *Necromantia*, qua, adhibitis quibuſdam præcantationibus, & ſanguine, videntur mor-

tui

Digitized by Google

cui reſurgere, divinare, & reſpondere ad interrogata. Hoc autem puto evenire, vel quia Dæmon ingreditor corpus alicujus mortui, & in eo loqaitur; vel qnia illudit noſtris ſenſibus, faciendo apparere hominem, cum vere non ſit. Cæterum ſi animæ ſunt in Cœlo, non ſubjiciuntur Dæmonis poteſtati; ſicut ſi ſint in Purgatorio, non decet illis ſubjici. Si vere in Inferno, ſunt ibi divina lege alligatæ: unde non poteſt ullo pacto Dæmon veram mortui reſurrectionem facere. Non tamen aliquaodo Deum permiſiſſe animam ad corpus redire per breve tempus. Hinc nonnulli credunt animam Samuelis de qua 1. *Reg.* 28. ad corpus rediiſſe ad majorem ipſius gloriam, & punitionem Saulis; at id non cenſendum eſt fuiſſe factum, petente Pythoniſſa, ſed virtute, & juſſu Dei. Quarta, *Divinatio per Pythones*, quando ſcilicet Dæmon aliqua prænuntiat per homioes vivos, & arreptitios. Quinta intervenit, dum Dæmon aliqua occulta docet per aliqua ſigna, de quibus ſuperſtitioſus cooventionem habuit cum Dæmone. Si hæc appareant in corporibus terreſtribus inanimatis, ot ligno, ferro &c. dicitur *Geomantia*; ſi in aqua *Hydromantia*, ſi in aere *Aromantia*, ſi io igne *Pyromantia*, ſi in viſceribus animalium immolatorum in aris Dæmonom *Haruſpicium*.

Divinatio etiam, quæ ſit pet tacitam invocationem Dæmonnm plures continet ſpecies, ſcilicet *Aſtrologiam*, dum ſcilicet quis aliqua prænunciat ex motu, diſpoſitione ſyderum. *Augurium*, ſi prænunciatio ſiat ex motibus, & vocibus avium, ſternutationibus hominom, & ſimilibus. *Auſpicium*, ſi ex volatu avium, & ex motu quorumcumque animalium: *Chiromantia*, ſi ex lineamentis manuum; & *Sortilegium*, quod importat divinationem per ſortes. Hæc omnia melius infra explicabo; relinquendo tamen ea, quæ nullam patiuntur difficultatem, & ſolum explicando, quæ ad examen revocari ſolenr a Theologis.

Q. III. Au licita ſit Divinatio per aſtra.

R. Non eſt hic ſermo de aſtrologia naturali, quæ ex ſitu, motu, colore, ortu, occaſu &c. planetarum, & aſtrorum, conjecturat Eclypſes, tempeſtates, pluvias, ventos, ſterilitates &c. Hæc Aſtrologia cum valde conducat Agricultoræ, Medicinæ, navigationi &c. merito commendatur *cap. ſi quis Gram.* 37. *d.* 7. Poſſet etiam nihilominus hoc eſſe peccatum veniale, ob levitatem, temeritatem, & imprudentiam; *Suar. tr.* 1. *de Relig. tr.* 3. *l.* 2. *c.* 11. *Sanch. l.* 2. *Decal. c.* 38. *nu.* 20. *Frull. l.* 1. *Decal. cap.* 10. *d.* 3. *nu.* 2. Peccaret igitur venialiter, qoi tanquam certa affirmaret, & crederet quæ videmus experientia nihil certi habere, quia virtus aſtrorum eſt valde obſcura, & poteſt impediri a ventis, vaporibus, frigore, calore &c. Pariter difficillimum eſt ſcire, quæ ſit virtus aſtrorum in quolibet aſpectu; ſive trigono, ſive tetragono, hexagono &c.

Sermo igitur in præſenti eſt de aſtrologia judiciaria, quatenus ex aſpectu Syderum, & Planetarum prædicere præſumit præteritos, vel præſentes eventus prorſus occultos, ſive futuros eventus, & actiones pendentes a libera hominum voluntate. Hæc autem reduci poſſunt ad duo capita, ſcilicet ad Aſtrologiam, quæ prænuntiat, quæ in alicujus hominis vita eventura ſunt, ut matrimonia, liberos, uxorem pulchram, mortem tali menſe, & tali die, quæ Aſtrologia dicitur *Genethliacum*, *ſeu Magiſteria Nativitatum*. Alia eſt aſtrologia, quæ judicat quid in ſingulis caſibus, & eventibus ſit utiliter faciendum, omittendum &c., ot quod aliquis non exeat domo niſi tali hora, non adgrediatus aliquod negotium, niſi tali die &c., hæc vocatur Aſtrologia Electionum. De his duabus ſpeciebos Aſtrologiæ modo ſermo eſt, relicta ut prorſus ſuperſtitioſa Aſtrologia Imaginum fabricatarum, ut dum e g. Aſtrologi efformant figuram Sagittarii, & putant Sagittarium, quem in Cœlis commentiuntur, habere virtutem ad aliquos effectus producendos; conſtat enim nullam eſſe connexionem inter talem figuram, & eam, quam in Cœlis confingunt.

Dico igitur, etiam præfatas Aſtrologiæ ſpecies eſſe omnino ſuperſtitioſas, ſi Aſtrologi ex eis aliquid certi præſumant prædicere. Hinc hujuſmodi Aſtrologia criminatur *Deuter.* 18., & pluries apud S. S. Canones, ut videre eſt *cap. illud*, *cap. illos*, *& per plura alia capita* 26. *q.* 3. Item illam prohibuere plures Pontifices, & ſpecialiter videndus motus proprius Sixti V. *incip. Moderator Cæli*, *& Terræ*. Prohibetur etiam Jure Civili, nempe *l.* 2. 5., *&* 7. *Cod. de Maleficiis*, *& Mathem.* Ratio autem eſt, quia, ſi prænuncientur ex aſtrologia res occultæ,

ſive præteritæ, ſive præſentes, ut furtum, homicidium cum nulla ratione certo videri poſſint in aſpectu aſtrorum, ſequitur, haud cognoſci poſſe niſi ex pacto tacito, vel expreſſo cum Dæmone: Id etiam probatur reſpectu futurorum, qoæ pendent ex libera hominum voluntate, qua aſpectus Aſtrorum non eſt ſignum ioſtitutum a Deo ad cognoſceudum quid libere ſint homines facturi. Item cum aſtra ſint quid corporeum, non valent per ſe influere in voluntatem incorpoream, unde nulla ratione poteſt quis ex eorum ioſluxu certo cognoſcere; quid ſit homo facturus. Accedit, quod ſi ex aſtris poſſemus certo furura prædicere, ſtatim tolleretur e medio libertas, & induceretur fatum; unuſquiſque enim ſua crimina reduceret in neceſſitatem ex influxu aſtrorum provenientem: *Laym. l.* 2. *tr.* 10. *c.* 3. *Sanch. l.* 2. *Decal. c.* 38. *nu.* 30.

Q. IV. An probabiliter, vel ſaltem conjecturaliter prædicere poſſint Aſtrologi futuros eventus liberos.

R. Omnino certum eſt Aſtrologus nec probabiliter prædicere poſſe prædictos eventos; probabiliter enim prædicere eſt affirmare aliquid eventurum, eſto ſiat cum formidine partis contrariæ; at id fieri non poreſt ex aſpectu aſtrorum, quia corpora cœleſtia non habent, ut dictom eſt, virtutem, qua agant in intellectom, & voluntatem. Deinde ſi haberent, impediri poſſet ab aliis influxibus, cauſiſque ſublunaribus, ſicut etiam ab eademmet volontate; ergo ſolum ex pacto Dæmonis poreſt aliquid certo prædici quamvis cum formidine errandi, de futuris liberis eventibus. Hinc Sixtus V. damnat audentes prædicta affirmare, etiamſi id non certo affirmare aſſerant, aut proteſtentur: *Suar. t.* 1. *de relig. tr.* 3. *l.* 2. *c.* 6. *num.* 11. *Filiuc. tr.* 24. *c.* 4. *q.* 6. *num.* 93. *Fagund. l.* 1. *in Decal. c.* 38. *num.* 3.

Quoad prædictionem vero conjecturalem, qua nihil certi affirmatur, reſpondetur, quod cum corpora cœleſtia habeant poſſe influere in motus appetitus ſenſitivi, quibus motibus, ſeu paſſionibus pauci ſint, qui reſiſtaot, ſequitur, ut obſervat S. Th. 1. *p. q.* 115. *art.* 5. bene poſſe conjecturaliter prædicere Aſtrologum io communi actos homanos, futuras e. gr. ſeditiones, rixas &c. ex influxu planetæ alterantis iraſcibilem. Non vero eſt admittenda prædictio conjecturalis liberæ actionis alicujus hominis in particulari; quamvis enim communiter homines non reſiſtant paſſionibus, unoſqniſque tamen homo particularis valet illis reſiſtere, unde non poteſt dari prudens conjectura de iis, qoæ homines particulares ſint facturi. Accedit, difficillimum eſſe ex aſtris hominum temperamenta, & inclinationes etiam probabiliter prædicere, quia difficillimum eſt, imo impoſſibile, ſcire punctum animationis, ſeu conceptionis hominis, quo tempore aſpectus aſtrorum valde conducit ad dignoſceodas conjecturaliter inclinationes. Secundo, difficillimum eſt cognoſcere aſtra; & omnes cauſas tunc influentes &c. cum rapidiſſimus ſit Cæli motus. Juxta hanc diſtinctionem, quæ eſt S. Thomæ loco citato, intelligendi ſunt Authores, qui licitam, vel illicitam reputant prædictam conjecturalem prædictionem.

Q. V. An licita ſit divinatio per ſomnia.

R. Ut ootat S. Thomas 2. 2. *q.* 96. *art.* 6. triplex eſt ſomnium, Naturale, Divinum, & Dæmoniacom. Naturale ortum habet a cauſis naturalibus, quarum duæ ſunt intrinſecæ, & una extrinſeca. Prima cauſa intrinſeca dicitur animalis, hoc eſt, oritur ab animi paſſionibus, qua in dormientis phantaſia occurrunt ea, de quibus vigilando cogitavit, & hoc genus ſomniorum habent etiam animalia, unde canes ſolent io ſomnis latrare. Secunda cauſa dicitur corporalis, qoia oritur ex corporis diſpoſitione; ex ea enim formatur in phantaſia motus proportionatus, & conveniens tali diſpoſitioni. Hinc qui ſangoine abundat, ſomniat læta, qui atra bili, triſtia, qui flava bili, pugnas, rixas, lites, &c. qui phlegmate, aquas, fontes, imbres &c. qui melancholia, caligines, planctus, tenebras &c. Cauſa extrinſeca naturalis ſunt impreſſiones aeris, vel alicujus corporis cœleſtis, quibus immutatur imaginatio dormientis: & apparent in phantaſia aliqua conformia talibus impreſſionibus; hinc ex aeris humidi impreſſione puto cauſari poſſe ſomnia imbrium &c. Somnia Divina dantur, quando Deus aliqua per ſe, vel Angelorum miniſterio hominibus in ſomno revelat. Id aliquando facit oſtendendo Imagines ſignificantes metaphorice: ita ſuam futuram magnitudinem demonſtravit Joſeph, illi oſtendendo manipulos Fratrum ipſius manipulum adorare. Aliquando formando voces in phantaſia dormientis, ac ſi dormiens

per auditum corporis eas audiret; ita loquutus eſt Abraham *Geneſ.* 28., & S. Ioſeph miniſterio Angelorum, quando, ut patet *Matth.* 1. ipſum admonuit, ut tolleret puerum, & Matrem ejus, & fugeret in Ægyptum. Denique ſomnia dæmoniaca dantur, quando Dæmonis opera, Deo ſic permittente, aliqua apparent phantaſiæ dormientium, quibus eis aliqua occulta manifeſtat, & ſolet incitare inſimul humorum permutatione, vel ad libidinem, vel ad iram, vel ad deſperationem &c. His poſitis.

Ex ſomniis naturalibus licitum eſt obſervare cauſas, a quibus procedunt, non vero futura libera, & fortuitos eventus. Poterit igitur ex qualitate ſomniorum quis inferre qualis ſit humor prædominans in ſuo temperamento; nam, ut videmus, ex redundantia diverſorum humorum diverſa oriuntur ſomnia. Non vero ex eis poterit quis ſutura libera, & fortuitos eventus denunciare; quia ſomnia non poſſunt eſſe ipſorum cauſa; quæcumque enim interveniant ſomnia, poſſum ego aliter operari; ſicut & diverſimode poſſunt evenire, quæ fortuito accidunt.

Somnia Divina omnino ſunt obſervanda, quia ſemper fidem Deo loquenti præſtare debemus; & maxime quia, ut patet ex pluribus S. Scripturæ exemplis, Deus per ſomnia nos corrigit, docet, inſtruit &c. Verum tamen eſt, interpretationem hujuſmodi ſomniorum attendendam eſſe a pio, & docto Confeſſario.

Demum, ſicuti certum eſt, fidem præſtandam eſſe ſomniis Divinis, ita certum eſt, nullatenus credendum ſomniis Dæmoniacis: ultra enim hoc, quod eſſet ſacrilegum commercium habere cum maximo Dei inimico, exponeremus noſtram ſalutem ipſius fallaciis, & deceptionibus, cum Dæmon pater ſit mendacii.

Q. VI. Quomodo diſcernendum ſit, an ſomnium ſit a Deo vel a Diabolo.

R. Somnium reputandum eſt diabolicum, ſi ſit de re turpi, & inhoneſta, ſi ad malum impellat, ſi animum turbatum relinquat, & ad virtutes indiſpoſitum. Si vero bonos producat effectus, & animum quietum, & ad virtutem diſpoſitum relinquat, bene poſſumus judicare a Deo eſſe. Solet etiam eſſe effectus ſomnii Divini certum reddere ſomniantem, illud a Deo eſſe; unde ſuperfluum erit id indagare. Quodſi prudens, & pius Confeſſarius, a quo ſomniorum diſcretio eſt inquirenda, ſit dubius, an ſomnium ſit a Deo, vel a Dæmone, tale ſomnium omnino eſt contemnendum; tum quia, ut dixi, ſolet Deus in ſomniis a ſe immiſſis hujuſmodi dubitationes removere; tum quia in dubio ſomniis fidendo, eſt ſe ſubmittere Dæmonis diſciplinæ, cum illa ſomnia nullam connexionem habeant cum futuris liberis, & effectibus contingentibus. Si vero ſaltem probabilius credatur, ſomnia eſſe a Deo, tunc poterimus ea obſervare, quia tunc prudenter judicare poſſumus eſſe Divina; *D. Th. 2. 2. qu. 95. a. 6. Suar. t. 1. de Relig. tr. 3. l. 2. c. 13. Fagund. l. 1. in Decal. c. 39. num. 12. Barboſa de Poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 11. num.* 132.

Q. VII. An licita ſit divinatio per auguria, & alias obſervationes externarum rerum.

R. I. In præſenti non ſumo augurium ſolummodo pro avium garritu, ut antiquitus fieri ſolebat, ſed prout ſignificat divinationem per motus, aut voces avium, & quorumcumque aliorum animalium; ſicut etiam per ſternutationes hominum, ſaltus membrorum &c. Pro obſervatione vero externarum rerum in præſenti intelligo divinationem, quæ fit ex membris corporis humani, remittendo meos Auditores ad illos Theologos, quæ alia prolixe diſcutiunt. His poſitis. Ex cantu, volatu, motu &c. animalium, bene poſſumus quoſdam effectus naturales prædicere, non vero futura libera, ſeu contingentia. Pro quo obſervandum eſt cum S. Th. 22. *q. 95. art.* 7. quod cum bruta animalia non habeant, niſi animam ſenſitivam, quam maxime ſubjiciuntur influxibus corporum cœleſtium, a quibus ob carentiam libertatis, facile moventur; & gubernantur. Hoc autem non ita evenit in homine, nam anima rationalis non eſt corporum materialium influxibus ſubjecta, & a nullo neceſſitatur in operando: quamvis autem ipſius phantaſia, utpote materialis, affici poſſit a cœleſtium corporum influxibus; nihilominus poteſt voluntas illam ad alia diſtrahere. Cum igitur influxus cœleſtes, a quibus cauſantur tempeſtates, ſerenitates, venti, pluviæ &c. valde afficiant animalia, poſſunt bene cauſare in ipſis quoſdam inſolitos motus, cantus &c. ex quorum obſervatione prævideant homines pluvias, ventos &c. Hinc ex cornicula ſæpe crocitante prædicimus pluviam futuram, ex veſpertilionibus volantibus longe domibus, prædicimus ſerenitatem, idemque ex ſubmerſione avium in aqua, & oſtentatione Delphini &c. Addit D. Th. 2. 2. *q. 95. art.* 7. quod cum prædicti animalium motus ſint ex inſtinctu indito ab Authore naturæ, ſunt ſigna ab eo inſtituta ad ſignandos ſimiles effectus, quapropter illos ex eis prædicere, non excedit cognitionem naturalium rerum.

Cum vero e contra ſimiles animalium motus, cantus &c. non ſint ſigna a Deo inſtituta ad cognoſcendos noſtros actus liberos, & futura contingentia; & inſuper, cum Aſtrorum influxus, a quibus poſſunt cauſari, non valeant afficere noſtram voluntatem, conſequens eſt, ſemper eſſe ſuperſtitioſum ex eis actus noſtros liberos prædicere &c. *D. Th. cit. Fagund. in Decal. c. 39. Filiuc. tr. 24. c.* 5.

R. II. Superſtitioſum eſt conjecturare aliquid proſperum, vel adverſum ex rebus caſu contingentibus. Sic ſuperſtitioſum eſt, ſi quis infauſta ſibi ominetur, ſi mane egrediens in aliquod offendat; ſi vinum decidat ſuper ſal, ſi treſdecim menſæ accumbant; ſi aliquod opus tali die ſit aggrediendum, & plura alia his ſimilia; nam hujuſmodi nihil habent influere in eventus proſperos, vel adverſos. *Azor. l. 9. cap.* 22.

R. III. Divinare ex obſervatione membrorum corporis humani poteſt eſſe licitum, ſi ex eis prædicantur quæ cum ipſis naturaliter connectuntur; ſecus ſi prædicantur futuri eventus liberi, & caſus fortuiti.

Primus igitur modus hujus Divinationis dicitur Phyſiognomia, quæ obſervat totius humani corporis membra. Hæc naturalis, & licita eſt, ſi ex iis conjecturetur temperamentum; & naturales inclinationes. Aſtrologia vero illicita eſt, ſi tranſeat ad prædicendos eventus liberos, & caſus fortuitos. Et quidem ex bona diſpoſitione partium noſtri corporis conjecturare non raro licet bonam inclinationem, & animum ad bonitatem propenſum; unde dicitur Eccleſ. 19. *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Amictus corporis, & riſus dentium, & greſſus hominis denunciant de illo.* E contra qui ſunt a natura monoculi, claudi, manchi, gibboſi, lumine læſi, ſolent inclinationem pravam habere, unde circumfertur illud Dictum: *Cave a ſignatis.* Credo, hujuſmodi propenſionis eam poſſe eſſe rationem, quia partes corporis bene diſpoſitæ ſignum ſunt boni temperamenti; nam ex debita proportione humorum conſequuntur partes corporis rite diſpoſitæ; ubi autem eſt bonum temperamentum, ſeu debita humorum proportio, neceſſe eſt etiam eſſe bonam inclinationem. E contra defectus in corpore oriuntur ex ipſorum humorum vitio, vel quia ſcilicet non ſunt in debita quantitate, vel quia abundat calidum, humidum, frigidum &c. qua redundantia alicujus humoris præſuppoſita, neceſſe eſt etiam aliquam inclinationem naturalem, quæ ex tali oritur redundantia, eſſe excedentem, adeoque vitioſam.

Quamvis autem, ut dixi, poſſit ex prædictis conjici temperamentum, & naturalis inclinatio, nihilominus non licet ex phyſiognomia, quæ dicitur aſtrologica, prædicere actus liberos, quia, Dei Gratia adjuti; poſſumus ex noſtra libertate quamcumque inclinationem pravam ſuperare. Neque pariter licitum erit prædicere Petrum e. g. habentem talem phyſiognomiam, ducturum talem uxorem, tali morte obiturum &c., in hujuſmodi enim non certo influit naturalis inclinatio, quæ ex phyſiognomia talis eſſe judicatur, ſemper etenim poſſunt impediri a libera noſtra voluntate.

Secundus modus præfatæ divinationis dicitur Chyromantia, & licita erit, ſi naturalis; & illicita, ſi Aſtrologica. Chyromantia naturalis ex qualitate manuum, & ipſarum linearum conjicit temperamentum, & ſubinde inclinationes, quæ ex tali temperamento conſequi poſſunt. Solent e.g. conjicere naturaliter Aſtrologi ex palma longa, & digitis proportionatis bonum ingenium, & e contra ex manu brevi, & digitis longis obtoſitatem, quia in his abundat phlegma, ſicut ex manibus nimis brevibus reſpectu aliarum partium corporis, loquacitatem, & propenſionem ad dolos, ſubſannationem &c., quia in his abundat calor.

Semper tamen certum eſt; ſuperſtitioſum eſſe ex his velle futura libera, & caſus fortuitos prædicere; nam Deus non inſtituit hujuſmodi, veluti ſigna iſtorum effectuum; & aliunde, quamvis poſſint eſſe ſignum naturalis inclinationis, ſemper tamen poſſumus ex noſtra libertate aliter operari. Ex hoc conſtat, conſulere Ægiptias, vulgo *Singare*, de propria fortuna, de ſua natura eſſe pecca-

tum

tum lethale quamvis ab hujuſmodi peccato poſſit quis excuſari, ſi id faciat joci, & ridendi gratia, dummodo abſit ſcandalum: *Azor. l. 9. cap. 16. Sanch. l. 2. in Decal. c. 38. Palaus tract. 17. diſp. 1. p. 7. num. 4.*

Q. VIII. Quid ſit, & quotuplex divinatio Sortium, & an ſit licita.

R. I. Tunc intercedit divinatio per ſortes, quando aliqui conveniunt de aliqua re facienda, ut ex conſideratione ejus eventus innoteſcat aliquid occultum, v. g., an aliqua res potius uni, quam alteri debeat convenire. Poteſt etiam dari, quando homo ſolus ſecum convenit de emittenda ſorte, ut aliquid occultum cognoſcat puta, ſi emittendo taxillos, judicet, ex numero impari non ſibi bene eventurum aliquod negotium, ſecus ex numero pari *D. Th. quæſ. 95. a. 8.*

R. II. Sortes aliæ ſunt diviſoriæ, aliæ conſultoriæ, aliæ divinatoriæ, ut tradit D. Th. 2. 2. *q. 95. a. 8.* Si judicio ſortium quæratur quid tribuendum ſit unicuique, ſive illud ſit res poſſeſſa, ſive dignitas, ſive præmium, tunc ſors dicitur diviſoria. Si per ſortes quæratur quæ ſit Dei voluntas in hac, vel illa re, negotio &c. ſors dicitur conſultoria. Demum ſi quæratur a Dæmone per ſortes cognitio alicujus rei occultæ, vel contingentis futuræ, tunc datur ſors Divinatoria.

R. III. Sortes diviſoriæ licitæ ſunt, ſi non prohibeantur jure poſitivo. Ratio eſt, quia dum mittuntur ſortes, ut alicui conferatur aliqua res, dignitas, & officium &c. ad quæ plures poſſunt prætendere, nullatenus quæritur a Dæmone doceri de aliqua re occulta, vel libere futura, ſed ſolum adhibentur ad hoc, ne aliquis conqueratur, ſi illi aliqua haud conferatur dignitas, ſive ſi illi aliqua res non tribuatur, aliquod imponatur gravamen &c. Accedit hujuſmodi ſortes in rei veritate nihil aliud eſſe, quam mutuum contractum inter plures, jus habentes ad aliquam rem, quo conveniunt, ut ille e. g. cujus nomen ex urna extrahitur, habeat aliquam rem, dignitatem, ſive alicui ſuccumbat gravamini. Cum autem in hoc omnium par ſit conditio, quia uniuſcujuſque nomen poteſt extrahi ex urna, ſequitur nil mali intervenire: *D. Th. loc. cit. Fagund. in Decal. l. 1. c. 40. Laym. l. 4. tr. 10. cap. 3. num. 8.*

Hinc approbatur uſus ſortis diviſoriæ in conferendis Dignitatibus ſæcularibus, dummodo ſors ſuper indignum cadere non poſſit. Approbatur in decidendo cujus merces tempore tempeſtatis ſint in mare projiciendæ: qui medici, & Dei Miniſtri tempore peſtis infirmis debeant aſſiſtere: cui pauperi inter plures tribuenda ſit eleemoſyna, quæ non poſſit dividi: quales Malefactores inter plures morte ſint damnandi, & his ſimilia. Videatur D. Auguſtinus *epiſt.* 180. *& de Doctr. Chriſt. l. 1. cap. 28., & D. Th. loco ſupra citato.* Aliquando etiam leges volunt, hujuſmodi ſortem eſſe adhibendam ad dirimendas lites inter hæredes, legatarios, & alios: *leg. ſi cum ambo ff. de judic. leg. ſi duobus Cod. Communia de Legat.*

Dixi, *ſi non prohibeantur jure poſitivo*; nam *cap. Eccleſia de ſortil.* prohibentur ſortes diviſoriæ in electionibus ad officia, & Beneficia Eccleſiaſtica; & ratio hujus prohibitionis ea eſſe poteſt; quia ſi electio fiat per ſortem ſuper minus idoneum, cadere poteſt in præjudicium Eccleſiæ, & animarum. Cæterum nec talis electio locum habere debet, quando duo æqualibus ſuffragiis fuerunt ad Beneficium electi; nam generaliter omnis electio per ſortes prohibetur a Sacris Canonibus. Verum tamen eſt, quod ſola electio Prælati habentis juriſdictionem tam in Civilibus, quam in Criminalibus, ſi fiat per ſortes, non ſolum eſt illicita, ſed etiam nulla, quia irritatur *cap. quia propter de elect.* cæteræ vero electiones ad officia, & Beneficia Eccleſiaſtica, quamvis illicitæ ſint, quia prohibitæ, non tamen ſunt irritæ, quia in Sacris Canonibus nullum eſt reperire verbum irritans tales electiones, quamvis eas prohibeant: conſtat autem, prohibitionem ab irritatione eſſe diſtinctam: *Suar. de relig. t. 1. tr. 3. l. 2. cap. 12. num. 9. Sanch. in Decal. l. 2. c. 38. num. 83. Laym. l. 4. tr. 10. c. 3. n. 9.*

Solent etiam hic diſputare Canoniſtæ, an liceat ſortibus componere lites beneficiales; & ego breviter reſpondeo, id licitum eſſe, ſi fiat authoritate Eccleſiaſtici Superioris. Dixi id licitum eſſe; tum quia *cap. Eccleſia* ſupra citato, ſolum prohibetur electio per ſortes ad beneficium, non vero litium compoſitio; tum quia ille, ſuper quem cadit ſors, non eligeretur ex vi ſortis, ſed ex vi juris, quod habebat, remoto per ſortem impedimento alterius collitigantis. Debet tamen hoc fieri Superioris Eccleſiaſtici authoritate, quia *ex cap. fin. de pact.* ſimoniacum eſt omne pactum initum propria auctoritate circa Beneficia litigioſa. Ulterius neceſſaria eſt auctoritas Superioris ad concedendum verum titulum illi, ſuper quem caderet ſors; ſi forte verum titulum non haberet: *Suar. cit. num. 13. Sanch. num. 79. Fagund. l. 1. cap. 40. num. 79.*

R. IV. Sortes conſultoriæ poſſunt eſſe licitæ in ſequentibus caſibus. Si adſit aliqua neceſſitas gravis ſpiritualis, vel temporalis, qua deſinente, adhibere ſortes ad aliquod a Deo cognoſcendum, eſt ipſum tentare: ſi fiant cum debita reverentia, ſcilicet fuſis precibus ad Deum: ſi non mittantur ſortes ad electiones Eccleſiaſticas; hoc enim; ut dixi, prohibitum eſt. Stantibus his conditionibus, quando non ſuppetat aliud medium cognoſcendi aliquod occultum, cujus cognitio eſt ſumme neceſſaria, poſſunt cum magna fiducia adhiberi ſortes, ut per eas illud a Deo manifeſtetur. Uſus eſt hujuſmodi ſortibus Joſue ad dignoſcendum malefactorem occultum, quem reperit eſſe Acham, ut patet *Joſue* 7.; item Samuel in electione Saulis ad Regnum 1. *Reg.* 10.; pariterque Apoſtoli in electione S. Matthiæ ad Apoſtolatum *Actor.* 1. quamvis non pauci Interpretes illa verba, *cecidit ſors ſuper Matthiam*, intelligant de electione facta ſuffragiis Apoſtolorum.

Advertendum nihilominus his noſtris temporibus difficile eſſe dari caſum, quo uſus ſortium conſultoriarum ſit licitus, cum Deus ordinarie velit a nobis ſuum placitum inveſtigari ex Sacris Scripturis, Eccleſiæ oraculis doctrinam Sanctorum, & conſiliis prudentum: *D. Th. 2. 2. q. 95. a. 8. Suar. tr. 3 l. 2. de relig. c. 12. Palaus tr. 17. diſp. 2. p. 6. n. 10. Fagund. l. 1. c. 40. n. 16.*

R. V. Sortes divinatoriæ, quibus ſcilicet notitia rei futuræ ſeu occultæ expectatur a Dæmone, ſemper ſunt illicitæ, ut de ſe patet. Tunc autem dantur hujuſmodi ſortes, vel quando expreſſe per eas expoſcitur a Dæmone notitia alicujus rei, vel quando fiunt ſine conditionibus ſupra expreſſis pro ſortibus conſultoriis; nam illis deficientibus, certum eſt, Deum nolle aliquid manifeſtare per ſortes; adeoque illis uti ad aliquod incognitum cognoſcendum, eſt facto ipſo talem notitiam expoſtulare a Diabolo: Ultra peccatum vero Divinationis ſuperſtitioſæ poſſunt etiam aliam malitiam continere, v. g. injuſtitiæ, ut ſi quis forte cognoſcere velit, quis fecerit aliquod furtum, nam infamaret illum, ſuper quem caderet ſors *Pal. cit. p. 6. n. 12. Fagund. n. 10.*

Q. IX. Quid dicendum de divinatione illorum; qui ſunt morti proximi, cum, teſte experientia, ſoleant aliquando futura divinare.

R. S. Gregorius loquens de hac divinatione *l. 4. Dialogor. cap. 26., & 27.* duas potiſſimum cauſas talis Divinationis adducit. Prima eſt, quia Deus animæ jamjam de corpore exituræ, aliquando plura revelat. Secunda, quia animæ, dum eſt fere in egredi a corpore, aliquando conceditur figere oculum mentis in ſecreta cœleſtia. Hæ poſſunt eſſe cauſæ talis divinationis quoad futura libera, & res plane occultas. Si vero moribundus naturalia prædicat, id evenire poteſt quia mens, conſopitis ſenſibus ſe retrahendo ad interiora, facilius futura contemplatur. Poteſt etiam accidere, quia in tali ſtatu facilius ſentit varietatem temporum, & cœlorum influentias, ac proinde hujuſmodi prædicat. Hæc ratio etiam demonſtrat qua ratione fatui, & furentes, in quibus conſopitum eſt acumen rationis, non raro naturalia divinent. Videntur quandoque etiam libera divinare, ſed id tribuendum eſt ipſorum nimiæ loquacitati, qua fit, ut aliquando per accidens divinent, quæ poſtea eveniunt. Id pariter evenire poteſt, quia facile Dæmon mobilitati ipſorum imaginationis ſeſe immiſcet.

Q. X. An omnes Divinationes, de quibus hucuſque loquuti ſumus, ejuſdem ſint ſpeciei.

R. I. Certum eſt, Divinationes, ſive fiant per unam rem vel per aliam, non differre in genere moris, ut ſi fiant per aquam, ignem, garritum animalium &c. Ratio eſt, quia peccatum non præciſe conſiſtit in aſſumenda hac, vel illa re, ſed in aſſumenda re non apta ad aliquod cognoſcendum; qua ratione convincitur. Divinatores talem cognitionem a Diabolo expectare. Porro de materiali eſt, an hujuſmodi res non apta ut ignis, vel aqua &c. ſicut de materiali ſe habet, ſi aliquis furatus ſit centum aureos, an eos ſurripuerit, vel in auro, vel in argento &c. *Azor. t. 1 l. 9. c. 12. q. 3. Pal. tr. 17. d. 1. p. 3. n. 9. Sanch. l. 2. Decal. c. 38. num. 14.*

R. II. Per ſe nec differt ſpecie divinatio, quæ fit cum

pacto expreſſo cum Dæmone, ab ea, quæ fit cum ſolo pacto tacito. Ratio eſt, quia pactum expreſſum non differt a tacito, niſi quia eſt magis perfecta invocatio Dæmonis, quæ autem ſunt magis, & minus perfecta non differunt ſpecie; adeoque *leg. de quibus in fin. ff. de leg.* dicitur quod taciti, & expreſſi eſt eadem ratio: *Azor. Sanch. loc. cit.*, *Suar. de relig. t. 1. tr. 3. c. 10. Filiuc. tr. 24. c. 3. q. 10. n. 72.*

Dixi prælatas divinationes *per ſe* ſpecie non differre; nihilominus quia pactum expreſſum ſolent comitari plura alia peccata, ideo ordinarie loquendo, hujuſmodi pactum eſt in Confeſſione aperiendum. Talia peccata ſolent eſſe Idololatria, ſi Divinator Dæmonem tanquam quid divinum agnoſcat; vel illi tribuat cultum Divinum; Hæreſis, ſi reſponſa Demonis reputet infallibilia. Apoſtaſia, ſi neget Chriſtum ſeu Fidem; & Sacrilegium, ſi rebus ſacris abutatur. Ex his enormibus peccatis, pactum expreſſum comitantibus, conſargit neceſſitas illud explicandi in Confeſſione. Accedit; difficillime evenire poſſe aliquem facere in iis pactum expreſſum cum Dæmone, quin ſe exponat morali periculo, ne decipiatur in graviſſimum iſti, vel aliorum detrimentum; adeoque hujuſmodi peccatum ſemper eſt contra Charitatem propriam, vel Proximi, vel contra Juſtitiam.

In ſententia etiam, qua dicitur in Confeſſione eſſe aperiendas nedum circumſtantias mutantes ſpeciem, ſed etiam circumſtantias notabiliter aggravantes, aperienda eſſet etiam ex hoc capite circumſtantia pacti expreſſi habiti cum Dæmone, ut de ſe patet.

Regula in praxi attendenda.

I. Cum detur divinatio ſuperſtitioſa, non ſolum quando expreſſe invocatur Dæmon ad aliquid cognoſcendum ſed etiam quando cum eo ſit pactum tacitum, nempe quando ad acquirendam aliquam notitiam uſurpantur media vana, & inutilia; hinc eſt, Confeſſarium non acquieſcere debere dictis Pœnitentis, qui proteſtatur, ſe non intendiſſe a Dæmone edoceri, & ab eo auxilium quærere. Hujuſmodi proteſtatio eſt contra factum, eo enim ipſo quod ad aliquid cognoſcendum media vana, & inutilia aſſumpſerit, convincitur, talem notitiam a Dæmone expoſtulare, cum illam nec naturaliter talibus mediis acquirere poſſit, nec a Deo, qui rebus vanis, & inutilibus non ſe immiſcet. Verum tamen eſt, in divinatione per pactum tacitum poſſe aliquam perſonam rudem excuſari a peccato mortali ratione ignorantiæ, quæ ignorantia non poteſt contingere, dum adeſt pactum expreſſum cum Dæmone; nam tunc nimis patens eſt malitia. Excuſant etiam a mortali plures Theologi illum, qui credendo omnia eſſe falſa, ſemel, & iterum mediis inutilibus utitur ad divinandum joci cauſa, atque ita etiam obſervat ſortes, auguria &c., nam tunc divinatio non eſt perfecte ſuperſtitioſa: oportet tamen abeſſe ſcandalum. Dum autem divinatio, & quæcumque alia ſuperſtitio ex aliqua cauſa non eſt peccatum mortale, non eſt peccatum reſervatum.

II. Cum divinatio per aſtra ſit ſuperſtitioſa, quoties etiam probabiliter præſumit manifeſtare caſus fortuitos, res occultas, & futura libera, hinc eſt, de hujuſmodi non licere conſulere Aſtrologos, & eſſe ex genere ſuo peccatum mortale, quia ita faciens inducit ad rem ſuperſtitioſam. Excuſari nihilominus poſſunt perſonæ rudes propter ipſatam ignorantiam, ſi de his Aſtrologos conſultant, ut nimis frequenter accidit.

III. Cum etiam peccatum mortale ſuperſtitionis ſit fidem adhibere Somniis Dæmoniacis, conſequens eſt, non licere fidem eis adhibere; cum hoc ſit idem ac ſe ſubdere Diaboli diſciplinæ. Et hoc verum eſt, etiamſi quandoque ipſo eventu omnia comprobentur, quia, ut obſervat D. Th. 2. 2. *q. 96. a. 3.* id accidit caſu; vel curat ipſe Dæmon per eventum ſomnia comprobare, ut homines implicentur his obſervationibus, fiant curioſiores, & ita facile poſſit illos in errorem inducere. Nullum autem erit peccatum obſervare ſomnia ad detegendas fraudes Dæmonis, cum id quandoque poſſit eſſe Animæ ſalutare, & neceſſarium. Si vero nulla, vel levis credulitas ſomniis adhibeatur, & nihilominus aliqua ex eis fiant, vel omittantur, quæ non cadunt ſub præcepto id dumtaxat erit peccatum veniale: cum enim non credat quis eſſe verum, quod vidit, vel deducit ex ſomniis, non pervenit ad veram ſuperſtitionem, ſed potius vel ex levitate, vel ex nimia timiditate operatur. Idem dicas, ſi aliquis propter ſomnia aliquid faciat vel omittat, credens ſine ſufficienti fundamento, illa immiſſa eſſe a Deo nam tunc ex nimia levitate, vel ſimplicitate operatur. Cæterum ſi quis ita obſervet ſomnia, ut paſſim per illa gubernetur, convincitur nimis ſomniis credere, adeoque nulla ratione poteſt a gravi ſuperſtitione excuſari. Idem dicas de illis, qui ſe certo modo, & ſitu ſternunt, vel in aliquo loco quædam ponunt nomina, ut ſub pulvinari inter capillos &c. ad hoc, ut in ſomniis dignoſcant, an eadem nomina ſint in quibuſdam ludis extrahenda; patet etenim, eos tacite invocare Dæmonem, ut ab eo inſtruantur. Multo magis gravis ſuperſtitionis ſunt culpabiles illi, qui hæc faciunt, poſtquam admoniti fuere, non poſſe hujuſmodi fieri ſine gravi culpa. Interim prudens Confeſſarius graviter objurget etiam illum, qui ſolum leviter peccavit in obſervandis ſomniis; nam alias fiet, iſtum quandoque nimis fidere, adeoque graviter peccaturum.

IV. Circa divinationem per diſpoſitionem membrorum corporis, ac manus linearum &c. nulla eſt particularis regula adhibenda, quæ non ſtatim pateat ex ſupradictis. Quamvis autem non condemnaverimus peccati mortalis illos, qui joci, & ridendi gratia, & remoto ſcandalo conſulunt Aſtrologos, ſeu Zingaras, ut ex ſua phyſiognomia, vel lineis manuum prædicant aliquod præteritum occultum; vel aliquod futurum fortuitum, nihilominus Rectores Animarum debent eos ab his abſterrere, & maxime ſi ſint Perſonæ rudes, & indoctæ. Ratio eſt, quia non raro caſu, vel ope Dæmonis, prædicti præterita divinant, ſeu quæ ſunt in futurum eventura, ex quo fit, ut perſonæ indoctæ in poſterum nimis eis fidant; & narrando, quod ſibi accidit, ſint cauſa, ut alii fidem adhibeant hujuſmodi vanis Divinationibus.

V. Quamvis abſolvi poſſint, qui vere non credentes vanis auguriis, & tamen ex quadam animi levitate, propter eadem auguria a quibuſdam faciendis abſtinent, nihilominus Confeſſarius ab iis illos abſterreat. Quod ſi quædam fecerunt ex ſimplicitate, nihilominus ſi ſemel, vel bis admoniti Pœnitentes non reſipiſcant, Confeſſarius debet illis negare abſolutionem; ut ſi quis noluit accumbere menſæ, in qua Convivæ erant treſdecim, vere credens, intra annum aliquem ex illis moriturum; ſi, inquam, admonitus adhuc in ſua credulitate perſiſtat, & exinde nolit tali menſæ intereſſe, convincitur vere credere augurio; & poſt monitionem dictam non poteſt ex ſimplicitate peccare.

CAPUT III.

De vana Obſervantia, & Magia.

Q. I. Quid ſit Vana obſervantia, & quotuplex.

R. I. Sicut Divinatio ſuperſtitioſa datur, quando mediis improportionatis, & a Deo non inſtitutis, inquiritur rei occultæ notitia; ita Vana Obſervantia ea dicitur, quæ iiſdem mediis quædam effecta procurat. Hinc ex *S. Th. 2. 2. q. 96. art. 1.* definiri poteſt: *Superſtitio, qua mediis inutilibus, & vanis, adeoque nec a Deo, nec a natura inſtitutis, intenditur aliquis effectus.* Patet ex his ejus malitia; nam cum talia media non valeant illum effectum producere, nec appareat Deum velle iiſdem illum cauſare, conſequens eſt per pactum expreſſum, vel tacitum expectari a Dæmone.

R. II. Hujuſmodi ſuperſtitioſæ obſervantiæ tres adnumerantur ſpecies a S. Thoma. Prima dicitur *Ars Notoria.* Secunda, *Obſervantia ſanitatum.* Tertia, *Obſervantia futurorum eventuum.*

Q. II. Quæ ſit Ars notoria.

R. Ars notoria eſt ſuperſtitio, qua quis abſque labore, & induſtria credit, ſe conſecuturam aliquam ſcientiam, adhibendo quaſdam orationes, jejunia, inſpectionem quarumdam figurarum &c. Hac arte Anabaptiſtæ, ſumpto bolo ſuæ deteſtabilis carnæ, audiuntur proferre plures textus S. Scripturæ, diſputare &c. cum tamen prius eſſent omnino rudes, & indocti. Obſervandum igitur eſt, quod licet quandoque Deus abſque humana induſtria infuderit hominibus ſcientiam, ut Salomoni, Apoſtolis &c.; id tamen non diſpoſuit facere ſub certis obſervationibus, ſed juxta ſuum beneplacitum; unde, mediantibus quibuſdam orationibus &c. velle aſſequi ſine proprio labore ſcientiam, eſt eam a Dæmone expoſtulare, cum Deus non voluerit eam talibus impertiri. Præterea, ut docet *S. Thomas 2. 2. q. 109. art. 3.*, Dæmon non valet illuminare noſtrum intellectum, adeoque di-

Digitized by Google

dicendum eſt, præfatos Anabaptiſtas minime habere ſcientiam infuſam, ſed Diabolum per eos loqui, ut accidit in arreptitiis: & de facto ſtatim ac ſuam hæreſim abjurant, ſcientiam omnem deperdunt. Suppoſito autem, aliquem ope Dæmonis quædam didiciſſe, poterit hujuſmodi ſcientia uti, dummodo in uſu, & conſervari non pendeat ab ipſo Dæmone; ſcientia etenim bona eſt, & peccatum jam pertranſit: *Suar. t. 1. de relig. l. 2. c. 17. n. 1. Bonac. in Decal. diſp. 3. q. 5. p. 4. n. 6.*

Q. III. Quid ſit Obſervantia ſanitatum.

R. Obſervantia ſanitatum eſt velle obtinere ſanitatem per media vana, & inutilia, ut ſunt quædam verba, ligna, cæremoniæ &c. Ad dignoſcendum autem, an hujuſmodi media ſint vana & inutilia, obſervandum eſt, quod ſi hujuſmodi media non ſint naturalia, nec inſtituta a Deo, vel Eccleſia, ſunt ſemper vana, adeoque ſuperſtitioſa. Idem dicas, ſi precibus inſtitutis ab Eccleſia adjungantur vanæ, & inutiles circumſtantiæ, ſive nomina incognita, nihil ſignificantia, aut verba certum promittentia effectum. Idem pariter dicendum, ſi ſpes reponatur in verbis, quamvis ſacris, dum per alia verba ſacra, & æquivalentia, non ſeparetur effectus; verba enim de ſe non habent vim cauſandi ſanitatem, ſed tantummodo illam impetrandi a Deo, ſi preces pie, & religioſe adhibeantur. & ſpes reponatur in Deo.

Ex hoc inferunt Theologi, ſuperſtitioſas eſſe curationes factas per viros, & mulieres, quos Hiſpani dicunt *Empſalmiſtas*, quia quibuſdam orationibus, præcipue pſalmorum verbis compoſitis, curant morbis mederi &c. Quoties igitur, ut communiter accidit, his orationibus tribuitur virtus infallibilis ad ſanandum morbum, id nonniſi ſuperſtitioſum dici poteſt, nam alia verba ex ſe non habent naturalem virtutem ſanandi, & ulterius nec habent a Deo; nullibi enim conſtat, Deum tribuiſſe aliquibus verbis virtutem efficiendi, quod ſonant, ſi formæ Sacramentorum excipiantur. Addendum, ordinarie loquendo, Deum velle orationes fieri ſuper infirmos a Miniſtris Eccleſiæ, non vero ab Empſalmatoribus, qui ſolent eſſe homines flagitioſiſſimi: *D. Th. 2. 2. q. 96. a. 2. & 4. Hurtad. t. 1. reſol. moral. tr. 5. c. 6. reſol. 43.* Denique fere ſemper apparet ſuperſtitio in hujuſmodi orationibus, quia quædam etiam vana, & ludicra continent, vel aliæ circumſtantiæ inutiles admiſcentur, ut eſt pannum certo modo complicatum: id manifeſtat per tales orationes ſolummodo virtutem Dæmonis invocari, illique honorem deferri. Non nego nihilominus, id licere ſi hæc omnia abſint; & aliunde Empſalmus ſit tantum *invocativus*, hoc eſt oratio compoſita ex ſacris verbis, quibus vel ſalus petatur pro infirmo, vel ut aliquod nocivum Deus a proximo avertat; oportet tamen, non credi in tali oratione virtutem infallibilem, ad conſequendum effectum, ſed ſolummodo expectari a Divina Miſericordia: *Navar. in Man. c. 11. n. 36. Suar. de relig. t. 1. tr. 4. l. 2. c. 15. n. 26. Sanch. l. 2. in Decal. c. 40. n. 59. Fagund. l. 1. in Decal. c. 36. n. 1.*

Q. IV. Quid dicendum ſit de quibuſdam hominibus, qui dicuntur habere virtutem naturalem ad aliquos morbos ſanandos, v. g. morbum rabiei, ſtrumas &c., & quid virtute naturali ſolo aſpectu faſcinandi.

R. I. Virtus ſanandi aliquos morbos, ſi quæ aliquibus inſit, non eſt naturalis; nam primo non poteſt eis competere, ut homines ſunt, quia ita competeret omnibus hominibus, ſicut omnibus herbis determinatæ ſpeciei competit virtus aliquid operandi. Secundo, non competit talibus hominibus, quatenus nati ſub tali Conſtellatione habent hanc, vel illam complexionem; nam tunc competeret omnibus, qui ſub tali nati ſunt Conſtellatione, quod patet eſſe falſum. Si ergo quidam habeant virtutem aliquibus verbis medendi, dicendum eſt, hoc eſſe ex gratia gratis data; qua ratione dicitur eſſe in Rege Francorum virtus ſanandi ſtrumas, & in Rege Hiſpaniæ virtus ſanandi ſcrophas, & ad depellendos Dæmones ab obſeſſis: *Suar. t. 1. de relig. tr. 3. l. 2. c. 15. n. 25. Navar. in Man. c. 11. n. 36. Th. Hurtad. reſol. moral. p. 1. tr. 5. c. 4. reſol. 28.* Virtutem ſanandi ſtrumas aliqui tribuunt etiam ſeptimo maſculo, cujus ortus non interruperit partus fœmineus, ſed communiter dicunt Theologi, hoc aſſeri ſine fundamento. Semper ergo hujuſmodi curationes expoſitæ ſunt multis periculis, ut Diabolus ſe iis ingerat; ac proinde pertinet ad Epiſcopos, & Inquiſitores, & in horum abſentia ad Animarum Rectores videre, ne verba vana, & inutilia iis admiſceantur; tunc enim curatio eſſet omnino ſuperſtitioſa.

R. II. Datur virtus naturalis faſcinandi eos, qui videntur; & hoc ideo ſequitur, quia dantur corpora infecta, continentia in ſe venenoſas qualitates, quæ immiſſæ per oculos, nares, os, & cæteros corporis meatus, inficiunt, & corrumpunt ea, in quibus inſident tales venenoſæ qualitates: ac proinde ex tali cauſa non ſolum poſſunt exſiccari herbæ, plantæ &c., ſed etiam cauſari in aliquibus ægritudines &c. Id autem facile evenire poſſe in muliere menſtruata, communiter docent Phyſici: *D. Th. p. p. q. 117. art. 3. ad 1.* His autem morbis, utpote naturalibus, ſolum cura Medicorum occurrendum eſt; & ſummopere cavendum, ne hujuſmodi ægri oſcitationibus, aliiſque ſuperſtitionibus quarumdam peſſimarum vetularum exponantur.

Non nego tamen dari etiam faſcinationem Dæmoniacam, quando ſcilicet ſtriges, & malefici paciſcuntur cum Dæmone, ut eos faſcinet, ſive in ægritudinem conjiciat, quos iracunde aſpexerint; & id præſtant Dæmones immittendo in ipſorum corpora ſpiritus venenoſos, qui per aerem divagantur.

Dices, ſi datur faſcinatio naturalis, poterit etiam admitti, ut remedium naturale illud, quod vocant ſympathicum, ſive per pulverem ſympathicum; ſi enim faſcinari poſſunt perſonæ exiſtentes in aliqua diſtantia, ita & per dictum pulverem mederi quis poterit vulneribus eorum, qui in aliqua diſtantia a dicto pulvere verſantur.

Contra tamen eſt, quia etiam faſcinatio, quando in multa diſtantia contingit, Dæmoniaca ſolet reputari, cum intellectu difficile ſit, homines valde diſtantes faſcinari a ſpiritibus immiſſis ab aliquo corpore. A fortiori igitur videtur, non poſſe fieri ſine ope Dæmonis, quod pulvis ſympathicus applicatus panno ſanguinolento alicujus vulnerati exiſtentis valde diſtantis, vel clauſi in aliquo cubiculo ſtatim ſanguinis effluxum impediat. Et quidem nullum venenum eodem modo applicatum naturaliter obſit, non eſt perceptibile, pulverem ſympathicum in notabili diſtantia poſſe prodeſſe. Hinc communiter Theologi talem curationem, ut ſuperſtitioſam rejiciunt. Videatur P. Scotti *in ſua Magia p. 4. l. 5. c. 1.*

Q. V. Quid ſit obſervantia futurorum eventuum.

R. Iſta ſuperſtitio parum diſtat a Divinatione; & dicitur intervenire, quando ex fortuito, & caſuali occurſu *quarumdam rerum impertinentium* creditur ſequuturus aliquis effectus proſper, ſeu adverſus; ut ſi quis domo egrediens, credat iter futurum infauſtum, quia pedem offendit, ac proinde domum revertatur. Ratio quare hæc obſervatio ſit ſuperſtitioſa, patet ex pluries dictis; quia ſcilicet hujuſmodi res impertinentes nec naturaliter, nec ex Dei inſtitutione habent aliquid ſive fauſtum, ſive infauſtum producere, ſive deſignare. Hinc *D. Th. 2. 2. quæſt. 96. art. 3.* dicit, hujuſmodi obſervantias eſſe reliquias antiquæ Idololatriæ, quæ obſervabat auguria ad dignoſcendos dies fauſtos, ſive infauſtos: & S. Auguſtinus expreſſe docet, in iis ſemper pactum cum Dæmone intervenire, ut videre eſt *lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 20.*

Dixi *quarumdam rerum impertinentium*; obſervare etenim tempora, dies Lunæ pro colligendis herbis, ſecandis arboribus &c., & circa corporum infirmitates, nulla eſt ſuperſtitio, nam alio pacto influit Luna, quando creſcit, ac quando decreſcit; & quibuſdam temporibus propter temperatum, vel nimium aeris calorem, noſtra corpora ſunt magis, & minus diſpoſita ad medicamentorum virtutem. Ita videmus, vere Medicos plura infirmis præſcribere, a quibus abſtinent diebus canicularibus.

Q. V. Quid ſit Magia, & quotuplex.

R. I. Magia eſt ars quædam, mira, & inſolita faciendi.

R. II. Duplex eſt magia, alia ſcilicet naturalis, alia ſuperſtitioſa. Magia naturalis tunc datur, quando applicatione alicujus cauſæ naturalis communiter occultæ, quædam inſolita fiunt, unde admirationem inducunt; & cum hæc naturaliter fiant, conſtat, hujuſmodi Magiam nullatenus illicitam, immo honeſtam eſſe, & laudabilem. Magia ſuperſtitioſa eſt, quando ope Dæmonis aliqua inſolita fiunt. Quia tamen Magi ſemper prætendunt, naturaliter fieri ea, quæ ipſi operantur, ideo ad dignoſcendum, an Magia ſit naturalis, vel ſuperſtitioſa, obſervanda ſunt ſequentia. Primo, ſi plane conſtet, cauſam naturaliter non potuiſſe talem effectum producere, ſtatim patet, magiam fuiſſe ſuperſtitioſam. Idem dicas ſi una cum cauſa, quæ prætenditur naturalis, adhibeantur ligaturæ, verba impropria, ſive incognita, & aliæ

Digitized by Google

circumſtantiæ inutiles, nil ad effectum conducentes. Secundo, erit Magia ſuperſtitioſa, ſi operatio fiat in maxima diſtantia, vel cum extraordinaria brevitate: ut ſi graviter ægrotanti ſtatim reſtituatur ſalus &c. Tertio, idem dicendum ſi effectus productus ſuperet humanas vires; ut ſi facillime onus, alias ſupra vires plurium hominum, ab aliquo celerrime in alium locum transferretur, dummodo tamen non eſſet Gigans &c.: *Leſſ. l. 2 c. 44. d. 3. Trullench l. 1. c. 10. dub. 11.*

Quod ſi dubitetur, an effectus ſit ſuperſtitioſus necne, tunc videndum eſt qua ratione a ſuperſtitione excuſetur. Si dicatur factus ex Dei miraculo, hoc non facile eſt præſumendum; Deus enim miracula non operatur abſque graviſſima neceſſitate; unde in dubio, an effectus excedens vires naturæ ſit a Deo, vel a Dæmone, potius ab iſto eſſe præſumendum eſt. *Del Bene p. 1. dub. 228. ſect. 15.* Si vero dubitetur, an ſit a cauſa naturali; vel a Dæmone, tunc ſi nulla intervenerit circumſtantia vana, & inutilis, potius a cauſa naturali eſſe credendum eſt, cum innumeræ ſint virtutes cauſarum naturalium, quamvis & ipſi Doctoribus ignotæ: *D. Th 2. 2. q. 60. a. 4.* Plura exempla effectuum naturalium, quæ tanquam miracula habebantur, affert D. Auguſt. *lib. 14. de Civit. Dei* c. 24. ubi inter alia refert, quod virtute cauſarum naturalium ita aliquis a ſenſibus alienabatur, ut neque ignem admotum ſentiret. Scio etiam dari virtutem, qua res, alias aduſtibiles, ab igne non conſumuntur.

R. III. Magia ſuperſtitioſa item duplex eſt. Si fiat ad oſtentationem virtutis, & commodum proprium, ſive aliorum dicitur ſimpliciter *Magia*; Si vero fiat ad nocumentum aliis inferendum dicitur *Maleficium*. Maleficium item duplex eſt; quatenus nempe eo utuntur Sagæ ad nocendum hominibus, plantis, animalibus &c. dicitur *Maleficium*. Si vero ipſo utantur ad excitandum amorem carnalem, vel Odium, dicitur *Maleficium amatorium*.

Præfatum veneficium, & Maleficium Amatorium pluribus modis ſolent facere Sagæ, ſed de his conſulendi ſunt Authores, qui de iis tractant, cum hoc ſit præter noſtrum inſtitutum. Solum adverto, ita eſſe ſacrilegas, ut ad majorem Deo injuriam irrogandam, quandoque ſolent ea facere, etiam ex hoſtia conſecrata. Referunt Salmanticenſes *tr. 21. c. 11. p. 10. n. 141.* unam ex his perditiſſimis fœminis ad ſua maleficia patranda, Dæmonis conſilio una cum Buſone incluſiſſe in olla SS Euchariſtiam, eamque ſub ſtabulo tumulaſſe, & id Dominum detexiſſe ad inſtar infantis ejulando. Hoc modo infamiſſima Malefica ad Judicem delata, atrociſſimum crimen detexit. Aliquando etiam ad ſua maleficia perpetranda utuntur etiam hoſtia non conſecrata, ſed tamen oleo ſancto delibuta, & benedicta aqua luſtrali, thure, aliiſque cæremoniis: *Sayr. in Clav. Reg. lib. 4 cap. 6 num. 25.*

Q. VII. An dentur remedia naturalia contra hæc maleficia, & ad expellendos Dæmones.

Solummodo indirecte removeri poſſunt per remedia naturalia maleficia; quatenus ſcilicet poſſunt adhiberi quædam, quæ corrigant, ſive expellant malos humores, quibus Dæmon uti ſolet ad torquendos eos, quibus inſidet. Cæterum non valent res naturales directe agere in Dæmonem; cum enim ſit purus ſpiritus, eſt omnino extra ſphæram activitatis cauſarum naturalium.

Modi directe deſtruendi maleficia, & abigendi Dæmones, ſunt Fides in Chriſtum, ejuſque Sacramenta, Eccleſiæ Sacramentalia, invocatio Deiparæ, & Sanctorum, Agnus Dei, Sacræ Reliquiæ, &c.; nam Chriſtus, qui Dæmonem vicit, potuit & rebus ſacris talem virtutem communicare: *can. ſi per ſortiarias 33. q. 1. Rituul. Rom. de exorciſ. obſeſſ. a Dæmone.* Bene etiam ad depellendas tempeſtates, ſi a Dæmone fuerint cauſatæ pulſantur Campanæ, non præcise quia ex vi ſoni aer diſſipetur, ſed quia Dei nomine fuerunt benedictæ, & conſecratæ, & ita valent ſuo fragore terrere, & repellere Dæmones.

Si vero maleficium fuit amatorium, unde aliquis ſentiat ſe valde impelli ad amorem carnalem, ſive ad odium, certe liberabitur frequenti Noviſſimorum meditatione, Sacramentorum receptione, corporis maceratione &c.

Q. VIII. An liceat maleficium alio maleficio tollere.

R. Cum non ſemper exorciſmi Eccleſiæ valeant ad deprimendum Dæmonem, quantum ad moleſtias corporales, judicio Divino id exigente, ut ait *D. Th. in 4. d. 34. n. 3. ad 3.* fuerunt aliqui, qui crediderunt licitum eſſe petere a malefico, altero parato maleficium, quo maleficium auferatur. Nihilominus aſſerendum eſt, id omnino illicite fieri: etenim petere maleficium fortius ad deſtruendum aliud maleficium, eſt auxilium Dæmonis invocare mediante Maleficio, quod cum ſemper ſit intrinſece malum, nulla ratione poteſt cohoneſtari: *Navar. in Sum. c. 11. n. 29. Suar. de relig. t. 1. tr 3. l. 2. c. 18. Sanch. l. 2. Decal. c. 41. n. 5. Fagund l. 1. c. 42 n. 4.* Hinc facile eſt dignoſcere cur licitum ſit, ſtante aliqua neceſſitate, petere nummos ab Uſurario parato illos mutuare ſub uſuris; & Sacramenta ab indigno Sacerdote, parato illa adminiſtrare: non vero maleficium a Malefico parato illud facere. Ratio cur hæc licite fiant ea eſt, quia in prioribus caſibus petitur actio de ſua natura bona, & quæ ſolum male eſt ex malitia operantis; unde cum aliquod bonum petatur, poſſumus, ſtante noſtra neceſſitate, permittere alterius peccatum. At dum expoſtularetur maleficium pro maleficio diſſolvendo, expoſtularetur actio de ſua natura, & intrinſece mala, utpote quæ fieri non poteſt ſine pacto ſaltem tacito cum Dæmone; adeoque nullo modo id licite poſſumus petere.

Bene autem ex eo quod ſit licitum a prædicto Uſurario mutuum petere, & a præfato Sacerdote Sacramenta, ſequitur, licitum eſſe petere a Malefico diſſolutionem maleficii, quando ſcimus, etiam modis licitis illud poſſe diſſolvere, quamvis conſtaret, medio illicito illud eſſe diſſoluturum. Ratio eſt, quia tunc non petitur diſſolutio maleficii, a Malefico, ut Maleficus eſt, ſed quatenus poteſt illam mediis licitis præſtare; unde petitur actio de ſua natura bona, & quamvis ex Malefici malitia non ſit facienda ſine peccato, id poteſt permitti ad grave ſalutis damnum præcavendum: *Fagund. l. 1. c. 42. n. 10. Suar. loc. cit. n. 9., & 10. Sanch. de Matr. l. 7. d. 95. n. 12., & in Decal. c. 41. n. 13. Bonac. d. 3. q. 5. n. 8.* Immo in tali caſu poterit quis etiam cogere minis Maleficum, ut mediis licitis maleficium diſſolvat, quia unuſquiſque tenetur ex Charitate propriæ ſaluti providere, quando mediis licitis fieri poteſt, & peccati continuationem impedire.

Si vero dubium ſit, an Maleficus ſciat media licita ad diſſolvenda maleficia tunc puto non licere ab eo diſſolutionem maleficii expoſtulare; nam præſumptio erit, ſolum medio illicito diſſoluturum; unde in tali caſu petere a Malefico maleficii diſſolutionem, videtur idem eſſe ac virtualiter expoſcere, ut medio illicito diſſolvat.

Q. IX. An licitum ſit deſtruere ſigna maleficii.

R. Communiter Theologi docent, cuicumque licitum eſſe deſtruere, ſeu comburere ſigna maleficiorum, puta ligaturas, capillos, nodos, & quæcumque alia ſigna poſita a Maleficis, ad quarum remotionem maleficium removeatur. Id autem probatur, quia ſi id eſſet illicitum, maxime quia videretur expectari a Dæmone ſalus ægroti, ſed hoc eſt falſum; quia in caſu præſenti non expectaretur a Dæmone aliquis effectus poſitivus, ſicut nec privativus, quatenus expectaretur ab eo privatio ægretudinis, quaſi initum eſſet pactum, ut nocere deſiſteret. Ad deſtructionem maleficii expectatur futura ſalus infirmi, quatenus ex tali deſtructione Dæmon contemnitur, & removetur id, quo perſeverante, init cum Malefico pactum nocendi: *Leſſius l. 2. c. 44. dub. 6. a. n. 36. Pal. d. 1. tr 57. p. 11. n. 8., & 9. Sanch. in Decal. l. 2, c. 41. n. 19.*

Dices ex hoc ſaltem ſequi, quod ſi Maleficus duo pacta fecerit cum Dæmone, unum nocendi ad poſitionem talis ſigni, aliud ceſſandi a nocumento ad illius deſtructionem, non poterit tunc licite deſtruere ſignum; nam tunc expectaret effectum privativum, ſive ceſſationem nocumenti a Dæmone. Contra tamen eſt, quia cum ablatio ſigni fieri poſſit a Malefico ex duplici, fine, nempe vel ad deſtructionem primi pacti, & Dæmonem contemnendum, vel ad illum alliciendum, ut ſecundum pactum obſervet, non eſt neceſſe, dum vult ſigna amovere, quod id præſtet ex intentione invocandi Dæmonem, ut ſecundum pactum obſervet, ſed id poteſt facere ex ſola intentione deſtruendi primum pactum, & illius amicitiam contemnendi: unde cum hac ſola intentione poterit licite ſigna deſtruere, & maleficium removere &c.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Ex dictis de obſervantia ſanitatum plura ſunt in praxi attendenda. Primo obſervantium eſt, ſuperſtitioſum

eſſe etiam verba ſacra, reliquias, & alias preces deferre ad collum ſuſpenſas, ſi quis deferat cum certa ſpe, ut ea geſtando non morietur ſine confeſſione, non lędetur a ſclopetis, bombardis &c. Ratio eſt, quia ut tam ſæpe dictum eſt, nec a natura, nec a Deo inſtitutum eſt, ut ſimiles effectus cauſent. In deferendo ergo brevia ad collum ſuſpenſa, aliqua obſervanda ſunt ex *S. Th. 2. 2. 96. art. 4.* ut evitetur omnis ſuperſtitio. Primo cavendum, ne in eis aliquid ſit adverſus S. Scripturam. Secundo, ne contineat, quod etiam implicite ſignificet Dęmonis invocationem: ut accidere ſolet, quando repetiuntur in eis nomina incognita, & quando cum verbis ſacris verba vana, & inutilia admiſcentur. Tertio, ne in eis ſcriptum ſit, hujuſmodi geſtantem non moriturum morte violenta, repentina; immunem futurum ab hac, vel illa infirmitate &c.; nam Deus nullibi promiſit talem gratiam ſimilia geſtantibus, adeoque expectaretur a Diabolo. Si vero hujuſmodi Brevia continentia Reliquias, Agnos Dei, & alias res ſacras ad collum ſuſpendantur, eo quia reputentur valde nobis prodeſſe propter orationes Eccleſiæ in benedicendis e. g. Agnos Dei, & propter protectionem, quæ ſperatur a Sancto, cujus reliquiæ geſtantur, ſive quia Diabolus timet ſignum crucis, quod in chartulis brevibus incluſis continetur, tunc pium, & religioſum eſt talia brevia geſtare, ut de ſe patet. Hæc bene notet Rector Animarum; nam hujuſmodi brevia omnium ſaltem puerorum collo appenduntur, ac in eis aliquando chartulæ ſuperſtitioſæ includuntur.

Secundo, ſuperſtitioſum erit die alicui Sancto dicata colligere herbas ad aliquem particularem effectum, ad ſanitatem v. g. conſequendam, cum talis dies, eo quod tali Sancto ſit dicata, non proinde herbis tribuat majorem virtutem, quam ſi alia die colligantur. Hujuſmodi autem carerent omni ſuperſtitione, ſi fieret, non quia reputaretur, herbas collecta die tali ſancto dicata habere majorem virtutem, ſed ad excitandam memoriam illius ſancti: hæc omnia tamen quantum fieri poteſt a rudibus ſunt eliminanda, propter periculum, ne ſemper aliquid ſuperſtitioſi admiſceatur. Idem dicas, ſi ad obtinendum aliquid a Deo, vel mediante aliquo Sancto, neceſſarium reputetur aliquid facere tali determinato numero, v. g. quinquies, novies &c. quaſi a tali numero pendeat aliquid impetrare: cæterum ſi fiat ad memoriam excitandam alicujus ſancti myſterii, ut quando quinquies recitatur Pater Noſter ad excitandam memoriam quinque vulnerum Chriſti, tunc religioſe id poteſt præſtari.

II. Ad ſuperſtitioſam obſervantiam futurorum eventuum pertinet inter ludendum loca mutare, vel tantiſper ſurgere ad abjiciendam malam fortunam: obſervare, ne ſal, vel vinum ſuper menſam decidant ob timorem alicujus infauſti; ſicut ob mortis timorem renuere accumbere ad menſam ubi ſunt tredecim convivæ: obſervare quadam determinata die cujus viri nomen primo audiatur, ut vir talis nominis eligatur in ſponſum: obſervare dies ad aliquod incipiendum, vel deſiſtendum, quaſi alii ſint dies infauſti, alii fauſti; & ita multi ſuperſtitioſe nolunt iter aggredi die Martis, vel Veneris. Ad eamdem ſuperſtitionem pertinet nolle quibuſdam diebus præcidere ungues. Audio etiam alicubi, hanc fieri ſuperſtitionem, ſervari ſcilicet ova a Gallinis orta die S. Joannis Baptiſtæ, ac projici in aquam, ſi forte aliquis demergatur, eo fine, ut ovum ſiſtat ſuper cadaver demerſi, ſi propter aliquod impedimentum in fundo maris, vel fluminis detineatur.

III. Quamvis diximus, in dubio, an aliquid ſit ſuperſtitioſum, nec ne, poſſe illud fieri, inſtante aliqua juſta cauſa, vel neceſſitate, quia poteſt præſumi eſſe a cauſa naturali; nihilominus conveniens eſt præmittere proteſtationem non conſentiendi pacto implicito cum Dæmone, ſi caſu adſit; talis enim proteſtatio deſervit ad avertendum aliquem a ſuperſtitione, ſi forte adeſſet. Talis vero proteſtatio ad nihil deſerviret, ſi id, quod ſit, appareat eſſe ſuperſtitioſum; tunc enim, ut dici ſolet, proteſtatio eſſet contraria facto, eo enim ipſo quod adhibeatur medium vanum, & inutile ad effectum producendum, implicite invocatur Dæmon ad illum præſtandum. Si tamen id præſtetur non ad obtinendum effectum, ſed ad oſtendendam vanitatem, & ſuperſtitionem illorum, qui ex quadam ſimplicitate nimis fidunt iis rebus, tunc nullum eſſet peccatum.

Semper tamen obſervare debet Confeſſarius, an ſuus Pœnitens in ſupradictis peccaverit mortaliter; ut quidem accideret, ſi certam fidem iis præſtaret, & ſeri admonitus non deſiſteret. Cæterum evenire poteſt, plura ex dictis fieri, non quia putetur in eis eſſe aliquid mali, ſed quia tradita a Majoribus &c.

IV. Cum nunquam licitum ſit maleficium alio maleficio tollere, ſequitur, ſemper illicitum eſſe etiam admittere applicationem alicujus medicinæ ſuperſtitioſę quam vellet dare Maleficus, quamvis ab ægroto non requiſitus; eo enim ipſo quod ægrotus conſentiat, non ſolum dicitur permittere maleficium, ſed illud velle & ita etiam ille peccat peccato ſuperſtitionis.

V. Bene perpendat Confeſſarius, quod ſicut quicunque cum gravi culpa exercens actum ſuperſtitioſum, cum invocatione tacita, vel expreſſa Dęmonis, incidit in caſum ſecundum ex reſervatis in noſtra Diœceſi; ita, quamvis graviter peccare poſſit, a tali reſervatione immunis eſt, qui vere non convincitur peccatum reſervatum commiſiſſe. Tales ſunt, qui incipientes maleficium, in quo eſt invocatio tacita Dæmonis, ab illo deſiſtunt, antequam conſummetur; nam Dęmon cenſetur invocatus quando poſitum eſt totum, quod requiritur ad maleficium; & ulterius reſervatio ſolet eſſe de actu completo. Item non incidit, qui externe ſatis non manifeſtat actum ſuperſtitioſum internum; ut ſi quis ex ſomnio habito certo timens aliquid infauſtum ſibi caveret; ſed nihilominus non appareret ex actione externa credulitas ſomniis exhibita. Idem dicendum de eo, qui in ſe, vel in aliis permitteret ſortilegium, doceret, mandaret, conſuleret, quia in odioſis iſti non comprehenduntur niſi exprimantur; & ita non incideret in caſum reſervatum, qui cogeret Maleficum ad deſtruendum maleficium alio maleficio. Eadem ratione non incideret in reſervationem, qui ſolum ſubminiſtraret materiam, favorem &c ad faciendum maleficium; nam iſte revera non eſt maleficus, nec Jus, contra aliquos criminoſos pęnam præſcribens, comprehendit fautores, niſi exprimat.

Quamvis capite ſuperiori pariter dixerim, ſuperſtitioſum eſſe etiam probabiliter ex aſtris futura contingentia libera divinare; quia nihilominus non ignobiles DD. hanc probabilem divinationem non videntur omnino damnare, & dicunt, Conſtitutionem Sixti V. etiam illam damnantem, pro ſoro fori eſſe intelligendam, hic hujuſmodi divinatio, utpote dubie ſuperſtitioſa, ſub reſervatione non cadit. Eodem modo aliqui Theologi diſcurrunt de divinatione ex manuum lineamentis. Qui plura deſiderat legat P. Manſi *de Caſ. reſ. q. 2. caſ. 2.*

CAPUT IV.

De tentatione Dei, Blaſphemia, & Sacrilegio.

Q. I. Quid ſit Tentatio Dei; & quotuplex.

R. I. Tentatio Dei communiter definitur: *Experimentum, quod, nulla interveniente juſta neceſſitate, aut utilitate, fit verbis, aut factis, alicujus Divinæ perfectionis.* Dixi *experimentum, quod nulla interveniente juſta neceſſitate, ſeu utilitate &c.* nam non erat tentatio Dei, quando Sancti, aliique pii viri petebant a Deo miracula ob converſionem Infidelium, & Hæreticorum; quia tunc aderat utilitas, & neceſſitas. Addidi, quod *fit verbis, ſeu factis, alicujus Divinæ perfectionis*, quando ſcilicet aliquod fit, aut dicitur ad cognoſcendum aliquod divinum attributum, an ſcilicet Deus ſit omnipotens, ſapiens, Miſericors &c. *D Th. 2. q. 97. art. 2.*

Ex his patet quam grave ſit hujuſmodi peccatum; nam ſi quis velit experimentum ſumere de aliqua divina perfectione, qua de illa dubitet, jam tale peccatum, ultra malitiam Tentationis Dei, includit hæreſim. Si vero quis non dubitet de Divinis Perfectionibus, ſed velit illarum ſignum habere, non motus gravi neceſſitate, vel utilitate, jam petit a Deo tale mirabile ſignum ob vanum finem, ſive ob vanam curioſitatem; quod non eſt ſine gravi Dei irreverentia. Hinc puto, quidquid alii dicant in contrarium, tentationem Dei nunquam eſſe peccatum veniale ex pravitate materiæ; quamvis tale poſſit eſſe ex defectu deliberationis. Ratio mihi eſt; quia ſicut gravius perjurium eſt adducere Deum in teſtem mendacii rei levis, quam rei gravis, quia tunc debilius motivum movet ad pejerandum; ſic gravius peccatum erit, abjectis remediis naturalibus, velle e. gr. experiri Dei Omnipotentiam in levi morbo, quam in gravi, quia medio ignobiliori Divina Potentia probatur. Præterea velle a Deo miraculum ſine juſta cauſa, eſt ita agere cum illo, quaſi talis eſſet, ut ob noſtram levitatem,

vel

Digitized by Google

vel curioſitatem poſſit, & velit facere mirabilia; itaautem cum eo agere non eſt ſine gravi irreverentia: *Suar. tom.1. de regul. tr.3. l.1. c.2. n.16. Pal. tr.17. diſp.2. p.1. n.9.*

R.II. Tentatio Dei dividitur in expreſſam, & interpretativam. Expreſſa tunc datur, quando quis ea intentione aliquid facit, & dicit, ut experimentum ſumat de aliquo Divino attributo. Ut ſi quis e turri ſe præcipitem daret ad experiendum, an Deus illum liberet. Interpretativa intervenit, quando quis, licet non habeat intentionem ſumendi experimentum de aliquo Divino attributo, adhuc nihilominus, ut dicit S. Th. 2. 2. *q.* 97. *aliquid agit, vel dicit, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, niſi ad experimentum ſumendum.* Id autem intervenire poteſt, quando aliquis ſine neceſſitate ſe exponeret alicui periculo, a quo non poſſet liberari, niſi extraordinaria Dei ope. Si verò tunc non expectaret a Deo opem, non tentaret Deum, nec adverſus Religionem peccaret, ſed ſolum contra Charitatem erga ſeipſum: *Suar. & Pal. l.c. Laym. l.4. tr.10. c.5. Filiuc. tr.22. c.8. n.261.*

Diſputant Theologi, an in confeſſione explicandum ſit, ſi tentatio fuerit expreſſa, vel interpretativa, ſeu tacita. Et quidem juxta opinionem, quod ſint explicandæ circumſtantiæ notabiliter aggravantes, explicandum pariter eſt an tentatio fuerit expreſſa, vel tacita; nam peccatum valde gravius eſt habere expreſſam intentionem ſumendi experimentum de aliqua Divina perfectione, quam talem intentionem non habere, ut accidit in tentatione interpretativa. Si vero quis teneat, ſolum fatendas eſſe circumſtantias, quæ mutant ſpeciem, puto non eſſe neceſſe, pœnitentem explicare, an tentatio fuerit tacita, vel expreſſa; nam utraque videtur eſſe ejuſdem ſpeciei, cum utraque importet velle experimentum ſumere de aliqua Divina perfectione; & aliunde taciti, & expreſſi eſt eadem ratio: *leg. de quibus in fin. ff. de leg.* Si vero tentatio expreſſa oriretur ex dubio circa aliquam Divinam perfectionem, ex quo dubio non eſt neceſſe ſemper oriri, tunc neceſſario explicanda eſſet, ſed non quia eſſet tentatio expreſſa, ſed quia includeret hæreſim.

Q. II. Quid ſit blaſphemia, & quotuplex.

R.I. Cum hoc nomen blaſphemia idem ſignificet ac maledictionem, ſeu execrationem, ideo blaſphemia communiter definitur: *Verbum contumelioſum in Deum, vel in Sanctos.* Dicitur *verbum contumelioſum in Deum, vel in Sanctos;* nam cum blaſphemia virtuti Religionis opponatur, ad quam ſpectat revereri Deum, & Sanctos, conſequens eſt, illa verba continere blaſphemiam, quæ opponuntur Dei, Sanctorumque reverentiæ, & cultui.

Quamvis autem proprie dicantur blaſphemiæ verba contumelioſa in Deum, vel Sanctos prolata, non negaverim tamen ad genus blaſphemiæ reduci quædam facta, quæ æquivalent verbis contumelioſis: ut ſi quis in Dei contemptum terram pedibus conculcet, lapides, ſeu quid aliud in Cœlum projiciat, dentibus fremat &c. Idem dicendum, ſi quis pedibus Crucifixum, ſeu Sacras Imagines conculcet, percutiat, comburat, conſpurcet &c. hujuſmodi enim facta æquivalenter idem ſunt, ac in Deum, vel Sanctos verba convicioſa proferre. Imo cum facta ſint verbis fortiora, & potiora, ſequitur, hoc genus blaſphemiæ excedere in malitia blaſphemias, quæ ſolis verbis proferuntur.

Ex his conjicere eſt, quam grave ſit peccatum blaſphemiæ; nam cum illa conſiſtat in dicto, vel etiam facto verbis æquivalente, quibus Deus, vel Sancti dehonorantur, ſequitur, blaſphemiam ſemper eſſe grave peccatum oppoſitum virtuti Religionis. Hinc ſi hoc peccatum fiat veniale ex indeliberatione, & ſemiplena advertentia, non fieri poteſt veniale ex materiæ parvitate, quæcumque etenim ſit contumelia, quæ in Deum, vel Sanctos proferatur, non poteſt non continere gravem ipſorum injuriam. Idem dicas, ſi blaſphemia etiam per jocum, vel animi levitate proferatur, quia ſemper eſt contumelia in Deum, vel Sanctos; unde non poteſt a gravi peccato excuſari: *Trullench. l. 1. c. 11. d.2. Bonac. t.2. diſp.3. q.8. p.3.*

R. II. Blaſphemia principaliter dividitur in hæreticalem, & ſimplicem. Illa eſt blaſphemia hæreticalis, qua affirmatur, vel negatur aliquod contrarium articulis Fidei. Hæc igitur blaſphemia poteſt tripliciter contingere: primo, tribuendo Deo, quod ipſi non convenit: ſecundo, negando de Deo, quod ipſi convenit: tertio, tribuendo Creaturę, quod ſolius Dei proprium eſt, ut ſi quis Dæmoni tribueret omnipotentiam. Illa blaſphemia ſimplex eſt illa, quæ nihil affirmat, aut negat contra Fidem, ſed ſolum continet verbum contumelioſe, & irreverenter prolatum contra Deum, vel Sanctos. Hujuſmodi blaſphemia poteſt reduci ad duo capita. Primo, quando aliquod malum imprecatur Deo, vel Sanctis; ut ſi quis diceret: *Maledictus ſit Deus, pereat S. Petrus &c.* Secundo, quando aliquid indecore nominatur de Deo, vel de Sanctis, ut ſi quis per modum convicii vocaret Deum ſapientem, nominaret pudenda alicujus Sanctis &c. *Suar. tom. 1. de Relig. tr.3 l.1. c.5. Bonac. l. c. p.* 1. De utraque blaſphemia plura dabimus exempla in regulis infra apponendis.

Q.III. An omnes blaſphemiæ ſint ejuſdem ſpeciei.

R.I. Certum eſt, blaſphemiam hæreticalem eſſe diverſæ ſpeciei a ſimplici blaphemia; hæc etenim dumtaxat contrariatur virtuti Religionis, illa vero etiam Fidei: vel etenim ita blaſphemans credit id, quod profert, & tunc eſt infidelis, vel non credit, & tunc adhuc peccat contra præceptum Fidem externe confitendi.

R.II. Quæcumque blaphemiæ in Deum prolatæ, niſi aliqua inter ipſas ſit hæreticalis, ſunt ejuſdem ſpeciei; nam omnes adverſantur Latriæ, quæ Dei cultum reſpicit. Non eſt neceſſe proinde in confeſſione explicare verba blaſphemiæ in Deum prolatæ, ſed ſatis eſt dicere: Blaſphemavi contra Deum. Idem dicas de blaſphemiis in B. Virginem, vel Sanctos prolatis.

R III. Blaſphemię in Deum, & Sanctos prolatæ ſunt ejuſdem ſpeciei, ſi Sancti in ordine ad Deum blaſphementur; tunc enim blaſphemare Sanctos eſſet ipſum Deum, ut in Sanctis relucet, blaſphemare. Communiter tamen loquendo, puto eſſe diverſæ ſpeciei, quia dum profertur blaſphemia in Sanctos, blaſphematur abſque ordine expreſſo ad ipſum Deum. Hinc autem conſurgit diverſitas ſpecifica ipſarum plaſphemiarum; nam blaſphemando Deum fit contra cultum Latriæ, & contra cultum hyperduliæ, ſi blaſphemetur B. Virgo, ſicut contra cultum duliæ, ſi blaſphementur Sancti: cum autem hi cultus ſpecie differant inter ſe, ſequitur & ſpecie differre blaſphemias, quæ his cultibus adverſantur: *Suar. tom.1. de Relig. tr.3. l. 1. c. 5. n. 6. Sanch. l. 2. in Decal. cap. 32. num. 39. Bonac. tom. 3. d. 3. quæſt. 8. part. 4.* Hac autem doctrina poſita, ſtatim conſtat, explicandum eſſe in confeſſione, an blaſphemiæ fuerint contra Deum, vel Sanctos, cum ſit articulus fidei explicanda eſſe peccata ſpecie diverſa.

Q IV. Quid ſit Sacrilegium, & quotuplex.

R.I. Sacrilegium communiter definitur: *Violatio rei Sacræ, hoc eſt, dicatæ lege Divina, vel Eccleſiaſtica cultui Divino: D.Th. 2.2. q. 99. art. 1., & 2.* Ex hujuſcemodi definitione ſtatim patet, ſacrilegium eſſe ex genere ſuo peccatum mortale, nam cum violet rem cultui Divino dicatam, jam adverſatur Virtuti Religionis, quæ inter morales virtutes eſt præſtantiſſima. Non tamen eſt negandum, poſſe fieri veniale non ſolum ex inadvertentia, ſeu ſemiplena deliberatione, ſed etiam ex parvitate materiæ; ut ſi quis leviter percutiat Clericum; rem levem ab Eccleſia ſurripiat; votum non obſervet in aliqua parva re &c.

R. II. Sacrilegium ex S. Th. 2. *qu. 99. art. 3.* triplex eſt. Primum eſt contra Perſonam Sacram, ut ſi quis percutiat Clericum, fornicetur cum Moniali, ſeu quavis alia perſona habente votum caſtitatis. Secundum eſt contra Locum ſacrum: nomine autem loci Sacri veniunt Eccleſiæ ſaltem benedictæ, Cæmeteria benedicta, Monaſteria, Hoſpitalia, Oratoria authoritate Epiſcopi fundata &c. Tertium eſt in res ſacras, ſeu cultui Divino ſpecialiter deputatas, ut in Sacramenta, calices, veſtes ſacras, Sanctorum Imagines &c.

Q. V. Qui caſus ad primam Sacrilegii ſpeciem pertineant.

R. Ad primam Sacrilegii ſpeciem pertinet violenta Clerici percuſſio; pertractio Eccleſiaſticorum ad Judicium Sæculare; exactio vectigalium facta a Principe Sęculari ab Eccleſiaſticis; fornicatio cum perſona ratione voti Deo dicata: *D Th. art. 1. & 3. Azor. p.p. l.9. c. 27. q. 3. Bonac. d. 3. in Decal. q. 6. num. 3.* Quoad ſacrilegium commiſſum ratione voti caſtitatis, vide quæ dicam in *6. Decal. Præc. c. 6.* An vero ſit ſacrilegium, ſi Confeſſarius peccet cum filia confeſſionis, conſtat ex dictis *l. c. c. 5. q. 4.*

Sunt qui putant violationem voti paupertatis, jejunii &c. non eſſe peccatum Sacrilegii, ſed perfidiæ a ſacrilegio diſtinctæ, quatenus offenditur Deus, cui non ſervantur promiſſa. Communiter tamen (puto) cenſet, quam-

cum-

Digitized by Google

cumque voti violationem eſſe peccatum ſacrilegii, cum illud conſurgat ex eo quod violetur aliquod Deo dicatum; ac proinde cum per quodcumque votum perſona dedicetur Deo ad aliquod faciendum, puta ad abſtinendum a venereis, a divitiis, a tali cibo &c. ſequitur, violationem cujuſcumque voti ſacrilegium continere, quatenus violando quodcumque votum, fit contra ſanctitatem perſonæ, ſeu rei Deo dicatæ: *D. Th. 2. 2. q. 99. a. 3. ad 3. Azor. & Bon. loco cit.*

Q. VI. Quæ pertinaant ad ſecundam ſpeciem ſacrilegii.

R. Ad hanc ſacrilegii ſpeciem primo pertinent quæcumque ſunt contra immunitatem debitam loco ſacro; adeoque hujuſmodi peccato peccat, qui hominem violenter extrahit ab aliquo loco gaudente jure aſyli. Secundo, pertinent ad eamdem ſpeciem ſacrilegii quæcumque polluunt ſanctitatem loci ſacri. Ita ſe habet fractio deſtructio, & expoliatio loci ſacri; etſi inſimul concurrant fractio, & expoliatio, adeſt pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ: *c. conqueſti de ſent. excomm.* Sunt etiam quæ ſpecialiter ratione loci ſacri prohibentur a Sacris Canonibus, nempe homicidium voluntarium & injurioſum, injurioſa effuſio ſanguinis, illicita effuſio ſeminis humani, ac denique ſepultura excommunicati vitandi, & infidelis. Puto autem ad prædictum ſacrilegium incurrendum non eſſe neceſſe præfata eſſe notoria; quamvis enim ſint occulta, adhuc tamen cenſetur prudentum exiſtimatione locus ſacer per ea fœdatus, & ſordidatus: ac proinde non poſſunt excuſari a gravi irreverentia in eumdem locum: *Suar. l 3. de Relig. c. 2., & 6. Filiuc. tr. 24. c. 9. num.* 236. Pariter ſacrilegus eſt ratione irreverentiæ in locum ſacrum, qui in eodem habet fœda colloquia, exercet mercatus, improprias deambulationes, comeſtiones &c. abſque juſta cauſa. Dixi abſque juſta cauſa; nam ſi aliquis ratione pluviæ, frigoris, nivis &c. aliquo tempore debeat intra Eccleſiam degere, poterit intra eam, & quemcumque alium locum ſacrum, omnia ſibi neceſſaria exercere; ſicut quæcumque pertinent ad quamdam honeſtam recreationem: abſtinendum tamen ſemper eſt ab immoderato clamore, potu, comeſtione &c. Sunt etiam aliqui Theologi, qui dicunt, nullum eſſe peccatum moderatam comeſtionem in Eccleſia habere, dummodo tamen abſit quodcumque ſcandalum.

Lis eſt inter Theologos, an committant ſacrilegium in locum ſacrum; qui ex eo furatur non ſacrum, nec traditum in cuſtodiam, ſeu pignus Eccleſiæ, nam ſi res data ſit in cuſtodiam, ſeu pignus Eccleſiæ, nemo dubitat ſacrilegum eſſe, qui illam furatur. Et quidem ſententia aſſerens, ſurripientem rem non ſacram de loco ſacro, quamvis ipſi non traditam in cuſtodiam, eſſe ſacrilegum, conformior eſt juri canonico; nam *c. quiſquis inventus* 17. *q.* 4. ſine ulla limitatione dicitur etiam ſacrilegium committere illum, qui non ſacrum de ſacro furando aufert: Addo concipi, & exiſtimari ab hominibus irreverentem in locum ſacrum, qui etiam non ſacra ſurripit e loco ſacro, & ſtatim clamitant, neque reverentiam loci ſacri ipſum a peccato abſterruiſſe: ſemper autem ac concipitur irreverentia in locum ſacrum, ſtatim conſurgit ſacrilegium: *Bonac. in Decal. diſp. 3. q. 6. n.* 17.

Si vero quis in loco ſacro conſtitutus habeat voluntatem furandi, ſive aliud peccatum perpetrandi extra locum ſacrum, non proinde dicitur ſacrilegus, quia per actum internum non violatur ſanctitas loci; & aliunde objectum talis voluntatis peccaminoſæ non eſt aliquid ſacrum. E contra qui conſtitutus extra locum ſacrum habet voluntatem peccandi intra Eccleſiam, dicitur ſacrilegus, quia objectum dans ſpeciem tali actui eſt quid ſacrum, ſeu violatio rei ſacræ: *Bonacin. loc. cit. Azor. p. p. l. 9. c. 07. q.* 12.

Q. VII. Quæ pertineant ad tertiam ſacrilegii ſpeciem.

R. D. Th. 2. 2. *q. 99. art. 3.* enumerans actiones, injurioſas contra res ſacras, primo loco ponit Sacramenta, quæ ſanctitatem efficiunt; quapropter graviſſimo ſacrilegii peccato peccat, qui Sacramenta irreverenter tractat, ſive ea recipit, & adminiſtrat in ſtatu peccati mortalis. Horum omnium graviſſimum eſt prædicta facere contra Euchariſtiam: cum tendant contra ipſum Chriſtum ibidem exiſtentem.

Poſt Sacramenta ponit S. Thomas vaſa conſecrata ad ſuſceptionem Sacramentorum, imagines Sacras, & reliquiis Sanctorum. Hinc peccat peccato ſacrilegii, ſi quis abutatur ad bibendum vaſe conſecrato, aut irreverenter projiciat, conculcet &c. Quod ſi res ad ſacros uſus deſtinatæ deſtruantur, tunc nullum erit peccatum eas ad uſus profanos convertere. Hic tamen neceſſe eſt obſervare, aliquas res ſacras, ſeu benedictas ita poſſe immutari, ut ad materiam communem redeant; ſicut ſi calix igne, vel ferro ad communem maſſam argenti reducatur, ita ut nulla amplius in eo forma calicis appareat: cum tunc conſideretur ſicut quælibet alia materia argentea, nulla irreverentia eſt ex ea aliquod profanum conficere: *Barboſ. de Jur. Eccleſ. t. 2. l. 3. c. 2. n 48 Suar 3. p. d. 81. ſect. 8. Pal. t. 2. tr. 3. d. 1 p. 6. Bonac. in Decal. d. 3. qu. 1. p.* 4. Quæ vero non poſſunt totaliter immutari, quamvis vetuſtate deformata, conſciſſa &c. non ſunt in profanos uſus applicanda; & ita ex veteri e. g. caſula non ſunt profanæ veſtes reſarciendæ, ſed tantum ſacræ vel hujuſmodi igne ſunt comburenda: *D. Th. 3. p. q. 83. art. 3. ad 3. Azor. t. 2. l. 9. c. 9. q.* 7, aliique ſupra citati. Immo inter ipſos reperies docentes, non licere ſine juſta cauſa vaſa ſacra, aut veſtes benedictas vendere, aut oppignorari: videtur enim ipſis in hoc quædam eſſe irreverentia.

Item ſacrilegus eſt, qui irreverenter tractat ſacras imagines, vel indecore depingit, aut ſculpit; ut ſi quis inſtar feminæ inhoneſtæ aliquam Sacram Imaginem efformaret. Immo in hoc tacita includeretur blaſphemia; eſſet enim idem ac dicere, Sanctam ab illa Imagine repræſentatam fuiſſe meretricem &c. Pariter ſacrilegus eſt, qui indecore defert reliquias, diſſipat &c. Cæterum peccare, dum quis habet collo appenſas ſacras Reliquias, non puto continere ſpeciem ſacrilegii; nam non eſt indecora earum contrectatio, ſed dumtaxat concomitanter ſe habet ad quodcumque genus peccati: *Bonac. d. 3 q. 1. p.* 4. Ad prædictum ſacrilegii peccatum pertinet abuti verbis ſacræ paginæ, vel ad ſtabilienda mendacia contra Fidem ut faciunt hæretici, vel facetias, verba amatoria &c. *D. Th. 2. 2. q 92. a. 2. ad 1.*

Denique D. Thomas recenſendo ſacrilegia, quæ fiunt contra res ſacras, ponit peccata commiſſa *contra ea quæ pertinent ad ornatum Eccleſiæ, & Miniſtrorum &c., & contra ea quæ ſunt deputata ad ſubſtentationem Miniſtrorum*. Circa ea, quæ pertinent ad Eccleſiæ ornatum & Miniſtrorum, nil eſt addendum iis, quæ dicta ſunt de vaſis ſacris, & ſacris veſtibus. Quoad peccata vero quæ committuntur contra ea, quæ ſunt deputata ad ſubſtentationem Miniſtrorum, advertendum; crimen ſacrilegii committere, qui decimas, & bona Eccleſiæ retinet; quia hæc ſunt aliquo modo ſacra, quatenus ordinata ſunt ad cultum Dei, & Miniſtrorum Eccleſiæ ſubſtentationem: *Pal. tr. 17. diſp. 2. p. 3. §. 2. nu. 10. Leſſ. l. 2. cap. 45. dub. 3. n.* 18.

Quamvis tamen aliqui putent, etiam eſſe ſacrilegium non ſolvere legata pia, verius nihilominus puto id non eſſe ſacrilegium; cum etenim nondum ſint Eccleſiæ tradita, nequeunt dici Eccleſiæ bona: & juxta S. Canones ſolum retentio, ſeu invaſio bonorum Eccleſiæ dicitur ſacrilegium, ut videre eſt ex pluribus Canonibus 27. *q.* 4.

Regula in praxi obſervanda.

I. Cum Tentatio Dei conſurgat, quando ſine utilitate, & neceſſitate expoſcitur a Deo aliquod opus miraculoſum, ſequitur fuiſſe Dei tentationem purgationem a crimine objecto per ferrum cadens, vel aquam ferventem, quia alia media a jure ſtatuta ſufficiunt ad probandam propriam innocentiam, quapropter prædicta probatio rejicitur *can. conſuluiſti 2. quæſ.* 5., & *cap. 3. de purg. vulg.* Idem dicas, ſi aliquis oſtendere velit propriam innocentiam per duellum, expectans a Deo auxilium; unde & ſimilis Purgatio per duellum damnatur *cap. Monomachia &c.*, & *cap 1. de purgat. vulgar.*, & *a Trident. ſeſſ. 25. c. 19. de reform.*

II. Tertio pariter Dei eſt abſque prævio ſtudio, & meditatione velle concionari, confundere hæreticos &c. Tentat pariter Deum, qui abſque ſpeciali impulſu, & neceſſitate abſolute petit miracula ad hæreticos convertendos; nam primo etiam viſis miraculis, noluerunt multones veram Fidem amplecti, unde petitio miraculi eſſet ſine evidenti utilitate. Secundo, etiam eſſet ſine neceſſitate; nam ſine miraculis ad converſionem hæreticorum ſat eſt teſtimonium Eccleſiæ, & argumenta, quibus demonſtratur, noſtram Fidem eſſe evidenter credibilem. Si nihilominus daretur quandoque firmiſſima ſpes here

coa

eos convertendos viſo miraculo, tunc, ſtante tali utilitate poſſet quis petere a Deo miraculum conditionatè, ſi ſcilicet ita ipſi placeat.

III. Tentatio Dei eſt abſque juſta cauſa ſe exponere periculo mortis, aut mutilationis; ut accideret, ſi ægrotus reſpueret communia remedia, & vellet ſe tantum Divinæ Providentiæ committere. Idem dicas, ſi quis dum martirium non eſt ſub præcepto, vel conſilio, ſe offerat occidendum Infidelibus; & ultraquamquod provocaret ipſos ad peccatum mortale, Deum tentaret temere profundendo ſuam vitam. Porro martyrium eſt ſub præcepto, dum eſt neceſſarium ad Fidem, & ſalutem ſpiritualem plurimorum, & ad vitandas blaſphemias. Eſt ergo ſub conſilio, quando ex eo tantum conſequitur Dei gloria, & Fidei exaltatio.

IV. Ordinarie loquendo, non ſunt blaſphemi, qui jurant per Jovem, per Bacchum &c. quia non intendunt illis tribuere Divinum honorem, cum ſciant, nihil eſſe; quapropter deeſt animus jurandi, & tribuendi Creaturæ infallibilem veritatem.

V. Dicere *al Corpo, e Sangue di Dio*, non eſt blaſphemia, quia licet talia verba irreverenter dicantur, non dicuntur per modum contumeliæ in Deum, neque continent quid falſi; cum Deus quatenus incarnatus habeat corpus, & ſanguinem. Quod ſi hæc verba dicantur vel de Deo Patre, vel de Spiritu Sancto, tunc continerent blaſphemiam hæreticalem. Idem dicas, ſi quis hujuſmodi proferret vocibus, quæ indicarent imperfectionem: ut ſi quis diceret: *al Corpaccio di Dio, al Sanguinaccio di Dio*; nam de fide eſt, Chriſtum hujuſmodi habuiſſe ſine ulla imperfectione. Idem dicas, ſi quis quæ ad Deum, vel ad Chriſtum pertinent, ita proferat, ut in illis imperfectionem indicare ſuis verbis videatur, ut ſi diceret, *Dio poveraccio, Dio buonaccio, per la barba di Criſto &c.* quibus nonnulli addunt etiam hanc blaſphemiam; *Dio Sacratone*, Quod dictum eſt de iis, quæ competunt Deo, ſed proferentur quaſi contineant imperfectionem, cum debita proportione applicanda ſunt iis, quæ competunt Sanctis, ſed taliter proferuntur, ut cum imperfectione eis tribuantur.

VI. Hæreticaliter blaſphemat qui dicit: *Dio non ha cura di me*; cum de omnibus illi cura ſit: *Dio non è morto per me*; cum pro omnibus, ſalutem quoad ſufficientiam, mortuus ſit Chriſtus: *Dio è parziale*; cum Deus non ſit acceptator Perſonarum: *Dio non ha fatto queſto matrimonio; queſto negozio &c.* cum Deus ſit omnium rerum conditor: *Dio non ſi ricorda di me*; cum Deus nullius poſſit oblviſci Quod ſi quis hujuſmodi protulit occaſione alicujus infortunii, poteſt interpetrati, cum hujuſmodi dixiſſe in hoc ſenſu, quod ſcilicet Deus illud malum pœnæ noluerit impedire, cum potuiſſet. In hoc ſenſu talia verba non continent blaſphemiam.

Iſta verba, *al diſpetto di Dio, di Criſto &c.* puto continere blaſphemiam hæreticalem; quamvis non pauci contradicant, Ratio mihi eſt, quia talia verba prolata adverſus alium hominem, ut ſi quis dicat: *Voglio far queſto al tuo diſpetto* ſignificant, velle aliquid facere ſive ipſe velit, ſive ipſe nolit, adeoque non timere quod poſſit illi reſiſtere, Pari ergo ratione dicere: *voglio far queſto al diſpetto di Dio*, videtur ſignificare; non timere Deum poſſe illum impedire: adeoque aliquid contra ipſius omnipotentiam profert. Cæterum ſi quis per ea verba ſolum ſignificare intelligeret, ſe velle aliquid facere, Deo diſplicens, tunc blaſphemiam non proferret, ſed ſolum affectum ad peccatum, quod Deo diſplicet, indicaret.

VII. Dantur quædam blaſphemiæ, quæ dicuntur ſimilitudinariæ, ut dum quis diceret: *Rinego Dio al diſpetto di Di*, omittendo ultimam literam. Quoad has blaſphemias puto, poſſe facile excuſari eum, qui non habet conſuetudinem ita blaſphemandi, ſed hujuſmodi protulit ex quadam ira; & advertens ſe peccare conſulto abſtinuit ab illa vocali o, ut Deum non injuriaret; nam ſtatim apparet ipſum noluiſſe blaſphemare: ſcio id quandoque accidiſſe etiam reſpectu virorum timoratæ conſcientiæ. Si vero quis habeat conſuetudinem ita dicendi, videtur rejicere ultimam vocalem ad occultandum ſuam malitiam, unde non eſt blaſphemia excuſandus. Quæ dicta ſunt de ſupradictis blaſphemiis, verificantur eodem modo de eo, qui diceret, *al diſpetto di Di-*, & interim advertens, ſe male loqui, ad removendam a vero Deo injuriam, adderet *Bacco, non del buono, non del vero*. Confeſſarius vero ſemper inquirat, & examinet intentionem hujuſmodi verba proferentis, & maxime ſi habeat conſuetudinem blaſphemandi, & videat, an habuerit intentionem Deum injurandi, dehonorandi &c.

VII. Dantur etiam quædam blaſphemiæ, quæ dicuntur proteſtativæ, quia in iis additur proteſtatio nolendi Deum vel Sanctos injuriare, ut ſi quis diceret, *al diſpetto, che non voglio dire di Criſto &c.* Hujuſmodi proteſtationem non pauci putant excuſare talia proferentem a blaſphemia, ſed meo videri probabilius dicitur contrarium; nam quando poſt proteſtationem ſequitur factum, tunc proteſtatio potius dicitur deluſoria, & negotiatoria, exemplum ſit in eo, qui alicui diceret *ſalvo il tuo onore, ſei bugiardo*: ſeu in eo, qui proteſtaret, ſe nolle aliquem injuriare, & poſt proteſtationem ei impingeret alapam. Certe in his caſibus proteſtatio non deſerviret ad removendam injuriam adverſus eum, qui appellaretur mendax, vel alapa percuteretur; nam factum deſtrueret proteſtationem. Pari igitur ratione, illa proteſtatio *non voglio dire* videtur deſtrui, eo quod poſtea addatur *di Dio, della Vergine, di S. Pietro &c.* adeoque non excuſaret hujuſmodi proferentem a blaſphemia. Pro foro vero interno prudens Confeſſarius debet diligenter monere Pœnitentem, ut explicet, an vere per talem proteſtationem habuerit animum removendi a Deo injuriam nam in tali foro intentio proferentis attenditur; unde ſi aliquis ea verba, ſive proteſtationem addendo, voluerit removere a Deo, ſive Sanctis quamcumque injuriam, & contumeliam, non erit blaſphemus. Semper tamen eſt ſerio increpandus ſaltem ad removendum ſcandalum audientium, ſive periculum vere blaſphemandi.

IX. Quoad blaſphemias conditionales advertendum eſt eas eſſe in duplici ratione. Aliæ actu includunt blaſphemiam, aliæ ſolum important voluntatem blaſphemandi. Primi generis ſequentes: *Rinego Iddio, ſe la tal coſa non ſta così: Iddio, non è giuſto, ſe non caſtiga il mio nemico &c.* Secundi generis ſunt ſequentes: *Rinegherei Iddio ſe la tal coſa foſſe vera. Vorrei farmi Turco ſe la tal coſa ſtaſſe così.* De his blaſphemus certum eſt continere malitiam blaſphemiæ, quia hujuſmodi proferens habet affectum ad blaſphemandum, ſive habet de præſenti voluntatem pravam blaſphemandi: unde nullum dubium eſt, hujuſmodi loquutiones continere malitiam blaſphemiæ. An vero reputandæ ſint hæreticales, affirmative reſponderem, quia, quæcumque addatur conditio, ſemper talia verba ſignificant, Fidem noſtram non eſſe firmam, & quod poſſit ab eventu aliquo pendere. Ponamus exemplum in eo, qui diceret: *Rinegherei Criſto ſe, la tale, a tal coſa*. Hujuſmodi verba ſignificant, Fidem in Chriſtum pendere ab hac, vel illa re eventura, quod eſt hæreticaliter blaſphemare. Quamvis ergo, dum aliquis dicit *rinegherei* &c. videatur de præſenti non renegare, nihilominus quia illud verbum *rinegherei* ſignificat ab aliquo eventu pendere, inde eſt, continere hæreticalem blaſphemiam.

Ad ſummum excuſari poſſet a blaſphemia ille, qui hujuſmodi proferret ſub conditione de præterito certo, & vero, ut ſi quis diceret: *Rinego Iddio, ſe non è paſſato il giorno di jeri*: etenim dum ponitur conditio de præterito certo, & vero videtur talibus verbis velle ſignificari, quod ſicut e. g. impoſſibile eſt diem externam non præteriiſſe, ita impoſſibile eſt, ipſum Deum negare. Quod ſi intelligeret per talia verba, exiſtentiam Dei pendere a Creaturis etiam neceſſariis, non poſſet a blaſphemia excuſari, cum Deus a nulla pendeat Creatura &c.

X. Dantur etiam quædam blaſphemiæ, quæ dicuntur comparativæ, quia comparatur veritas humana cum aliqua veritate Divina, ut dum quis dicit. *Hoc verum eſt, ſicut eſt verum Evangelium: Sono innocente, come la Vergine Maria &c.* Utique tales loquutiones blaſphemiam continerent, ſi aliquis, ita loquendo, vellet ſignificare id, quod dicit, æqualiter verum eſſe, ſicut vera ſunt myſteria noſtræ Fidei, ſeu veritates Divinæ; tunc enim daret Creaturæ, quod ſoli Divinæ Fidei competit. Quia tamen per hujuſmodi loquutiones nemo ordinarie intelligit coæquare ſuam veritatem veritati Divinæ, ſed ſollummodo ſignificare certum, & firmum eſſe, quod aſſerit, hinc eſt, tales loquutiones communiter a blaſphemia excuſari.

XI. Notet denique Confeſſarius, quamcumque blaſphemiam contra Deum, Virginem, & Sanctos eſſe reſervatam in noſtra Diœceſi, ſi hæc tria concurrant. Primo, quod blaſphemia ſit peccatum mortale; poteſt etenim eſſe veniale ex defectu plenæ advertentiæ, ſicut etiam ſi ex joco proferatur, dum tamen talis non ſit, ut etiam ex

joco

Digitized by Google

ioco prolata aures valde offendat. Secundo, debet eſſe verbis prolata; unde nun ſubjacet reſervationi blaſphemia corde retenta, vel ſactis, aut ſcripto expreſſa. Tertio, debet eſſe prolata coram aliqua perſona. Hæc omnia patent ex textu primi caſus reſervati.

Ex defectu cognitionis excuſare poteſt Confeſſarius a reſervatione eos, qui licet protulerint veras blaſphemias, & quæ ratione pravæ conſuetudinis ſint graviter peccaminoſæ, adhuc tamen, dum blaſphemant, ſaltem in confuſo non cognoſcunt ſe graviter peccare; cumenim reſervatio ſit odioſa. intelligendum eſt, ſolum habere locum quoad blaſphemiam, quæ graviter ſit in ſe culpabilis, non vero tantummodo in ſua cauſa. Idem dicas de blaſphemante in ebrietate, quamvis prævideris, ſe blaſphematurum. Notet deinde Confeſſarius, quod licet blaſphemia hæreticalis ſubjacet Pontificiæ reſervationi quando id, quod dicitur, corde creditur etſi a nullo auſcultetur, ut dixi ſuo loco de hæreſi: nihilominus quoad reſervationem noſtræ Diœceſis, ut blaſphemia ſit reſervata, oportet ita proſerri, ut ab aliquo intelligatur, & inſuper percipiat, eſſe blaſphemiam: unde non caderet ſub reſervatione blaſphemia prolata coram puero, vel amente, vel ad eam non advertente. Idem dicendum, ſi proferatur coram aliquo, qui advertit, ſed deberet judicare, proferentem non habuiſſe animum blaſphemandi; ut in caſu, quo aliquis non ſolitus blaſphemare, in aliqua ſubita ira &c. blaſphemiam protuliſſet. Bene etiam P. Manſi in explicatione hujus caſus excuſat a reſervatione blaſphemiam prolatam ab eo, qui non credit, ſe ab alio audiri, quamvis de facto audiatur; quia talis blaſphemia non habet perfectam malitiam blaſphemiæ coram aliis prolatæ, ſub qua circumſtantia reſervatur. Multo magis non innodatur reſervatione, qui videretur ſolum aliorum blaſphemias referre, quamvis referret animo blaſphemandi, quia externe non conſtat, eum blaſphemare:

Ultimo advertat Confeſſarius, quod ſemper cum dubium eſt, aliqua verba eſſe blaſphemia; non habet locum reſervatio.

QUÆSTIO III.

De Simonia.

CUm agendum nobis ſit de vitiis Religioni oppoſitis, ſupererat tractare de Simonia, quæ eidem opponitur virtuti, quatenus eſt contra Dei cultum indebite tractare res divinas, & ſacras, faciendo illas venales, eaſque æquiparando vilibus rebus temporalibus. Quia tamen longiorem exigit tractationem, ideo in aliqua capita quæ ad ipſam pertinent, eſt dividenda.

CAPUT I.

De eſſentia, & Natura Simoniæ.

Q. I. QUid ſit ſimonia.

R. I. Simonia, quæ nomen accepit a Simone Mago, qui voluit pecunia emere poteſtatem conferendi Spiritum S. ut habetur *Actor.* 18. communiter ita definitur: *Studioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali adnexum, pretio temporali.*

Dicitur, *ſtudioſa voluntas*, ad ſignificandum, hoc peccatum committi, quando quis non ex ignorantia, ſed deliberate, & ſcienter vult res ſpirituales pretio temporali ſubjacere. Item dicitur *ſtudioſa voluntas &c.* ad denotandum, hoc peccatum committi etiam ſola voluntate, & animo abſque opere externo. Ille autem convincitur habere præfatam voluntatem, qui nullum habens honeſtum titulum, de quibus in ſequentibus, tradit pecuniam pro re ſpirituali; nam poſito, nullum alium habere finem, convincitur pecuniam dare, ſeu velle dare pro pretio.

Additur, *emendi vel vendendi*, quæ verba accipienda ſunt in ea ſignificatione, ut quemcumque contractum oneroſum importent; quapropter aliqui Canoniſtæ dicunt: *Simoniam eſſe ſtudioſam voluntatem contractandi rem ſpiritualem pro temporali*, quia ly *contractandi* ſignificat quemcumque contractum oneroſum, in quo debet reddi, vel præſtari aliquid loco ejus, quod datur; ut evenit in emptione, venditione, locatione, tranſactione &c.

Subjungitur, *ſpirituale, vel ſpirituali adnexum*. Porro ſimpliciter aliquod dicitur ſpirituale. Primo, ſecundum ſe, & ea natura ſua, ut Gratia ſanctificans, Dona Spiritus S. virtutes ſupernaturales, gratiæ gratis datæ &c. Secundo, cauſaliter, quia licet ſecundum ſubſtantiam ſit temporale, eſt tamen cauſa rerum ſpiritualium; hujuſmodi ſe habent Sacramenta, & Sacramentalia. Tertio, per modum effectus, quia ſcilicet eſt ex ſpiritualibus cauſatum; hujuſmodi ſunt actus procedentes a poteſtate ſpirituali, ut diſpenſare in votis, abſolvere ab excommunicatione, cantare in choro, ſepelire mortuos &c.

Tripliciter pariter aliqua ſunt ſpiritualibus adnexa. Primo antecedenter, & ſunt ea, quæ ſunt in ſe temporalia, & præcedunt ſpiritualia, quamvis ad ipſa ordinentur: ita calices, veſtimenta ſacra, &c. ſunt quid temporale, antequam ſint ſacra, quamvis ad ſpiritualia ſubinde ordinentur, ad debitam ſcilicet Sacramentorum adminiſtrationem. Secundo, concomitanter, & ita ſe habet labor neceſſarius in conficiendis Sacramentis &c. Tertio, conſequenter, & ſunt ea, quæ ſemper ſupponunt aliquod ſpirituale: ita jus, quod habent Beneficiati ad proventus Eccleſiaſticos ſupponit aliquod ſpirituale, nempe Ordinem Clericalem, & obligationem ad Divinum Officium &c. De his autem omnibus agendum eſt in ſequentibus.

Demum dicitur *pretio temporali*, quia non committit Simoniam, qui pro re ſpirituali, ſive ſpirituali annexa, aliquid dat titulo eleemoſynæ, pœnæ, congruæ ſuſtentationis &c. ſed ad committendam ſimoniam debet dare ut pretium. Pro pretio vero non venit ſola pecunia, ſed quidquid pecunia, ſeu pretio ſolet æſtimari.

Q. II Quotuplex ſit Simonia.

R. I. Alia eſt Simonia jure Divino prohibita; alia ſolo jure Eccleſiaſtico: *Gloſſ. in cap. cum pridem de pact. v. illicitæ, & in cap. ex parte il 1. de Offic. Deleg. v. dimittere.* Simonia prohibita jure Divino datur in venditione rerum, quæ de ſua natura ſunt ſpirituales, ut ſunt Sacramenta, & alia ſupra enumerata. Item ſi vendantur res conſecratæ, & benedictæ ratione benedictionis, ſeu conſecrationis, vel ſi vendantur Beneficia ratione juris ſpiritùalis, quod in illis reperitur, & in quo ipſa fundatur: in omnibus enim his venditio reſpicit aliquod ſacrum, adeoque ſumma injuria illis irrogatur, dum pro pretio temporali aliquod ſacrum venditur &c. quaſi quod eſt ſacrum poſſit pretio temporali æquiparari.

Simonia vero duntaxat jure Eccleſiaſtico prohibita, eſt venditio aliquorum Eccleſiaſticorum officiorum, quæ nullam habent ſanctitatem, nec per benedictionem, ut ſunt officia Œconomi, Sacriſtiæ, Defenſoris Eccleſiæ &c. quorum emptio prohibetur ab Eccleſia *can. Salvator. q. 3.* Quamvis autem nullam nec in ſe, nec per connexionem ad ſpiritualia habeant ſanctitatem, nihilominus horum venditio eſt peccatum ſimoniæ; quatenus ſcilicet Eccleſia ex motivo Religionis vendi prohibuit ob majorem reverentiam rerum ſpiritualium, & ad vitandam omnem ſpeciem ſimoniæ. Ad eum modum, quo peccat contra Religionem, qui reum extrahit ab Eccleſia, quia id prohibitum eſt ob motivum Religionis, ratione ſcilicet reverentiæ loci ſacri. Quid vero dicendum ſit de venditione Beneficiorum ratione temporali emolumenti, eorumque commutatione, videbimus ſuo loco.

R. II. Simonia item dividitur in mentalem, conventionalem, & realem. Mentalis dupliciter accidit. Primo quando quis habet propoſitum dandi ſpirituale pro temporali, tanquam pretium ipſius, quamvis poſtea pœnitentia ductus ſuum non exequatur propoſitum: hæc nihilominus ſimonia potius interna dici debet, quam mentalis juxta ſenſum, quo de ſimonia mentali S. Canones loquuntur. Secundo, quando revera traditur aliquod temporale cum prava intentione habendi pro eo, tamquam pro pretio illius, aliquid ſpirituale, quamvis hanc pravam intentionem non manifeſtat; ut ſi quis Epiſcopo inſerviret, ut pro ſua mercede habeat Beneficium, non manifeſtata ipſi prava ſua intentione. De hac mentali ſimonia plura habentur *cap. tua nos 34. & cap. fin. de Simon.* Conventionalis conſurgit, quando manifeſtata, prædicta prava intentione, inter partes contrahentes auditur pactum dandi temporale pro ſpirituali, quamvis poſtea executioni non mandetur. De hac Simonia ſermo eſt *cap. cum eſſet 12. de Sim.* Caſu vero, quo ex una tantum parte ſtat promiſſio dandi ſpirituale pro temporali,

&

Digitized by Google

& e contra, & ab alia non fuerit externe acceptata, hujuſmodi ſimonia reducitur ad mentalem, quia non datur conventio, & pactum niſi ſimul detur tacitus, vel expreſſus conſenſus plurium in aliquam rem: *l.* 1. *de ff.* 34. *pact.* & in caſu præfato docet Farinaccius *l.* 1. *dec.* 34. *n.* 4. Conſurgit denique Simonia realis, ſi ex utraque parte adſit prædictum pactum; & exequutioni mandetur.

Diſputant DD. an ſi ex una parte ſit tradita res ſpiritualis, & ex alia non ſit tradita, ſed ſolummodo ſit exhibita & credita pecunia, ſimonia dicenda ſit realis, vel ſolum conventionalis. Ego autem puto in ordine ad incurrendas pœnas latas contra Simoniam realem, prædictam Simoniam non intelligendam eſſe realem, cum enim odia ſint reſtringenda, ſequitur non habere locum prædictas pœnas, uſque dum Simonia non ſit perfecte ex utraque parte conſummata. In rei tamen veritate puto, præfatam ſimoniam dicendam eſſe realem; nam contractus venditionis perfecte completur per traditionem rei, habita ſolummodo fide de pretio, ut habetur *l.* 2. *ff. de contrah. emption.* §. 1. *Inſtit. de empt. & vendit.* Et quidem cum id ſufficiat, ut emptor conſtituatur in pleno dominio rei venditæ, nil deeſt ad conſummationem contractus. Pariter igitur, ſi res ſpiritualis tradatur pecunia credita, intelligitur complere conſummata ſimonia, & irreligioſa tractatio rei ſacræ. Hac doctrina poſita, ſequitur, ſimoniam conventionalem dari, quando nondum eſt data res ſpiritualis nec pretium temporale, ſed ſolummodo externum pactum de iis tradendis factum eſt. Dabitur vero realis, ſi res ſpiritualis tradite ſit pecunia credita, & multo magis ſi pecunia numerata. Ubi etiam notandum, ad ſimoniam realem conſtituendam non eſſe neceſſe, ut tradatur totum temporale, de quo initum fuit pactum, ſed ſufficit, ſi inchoate tradatur aliqua nempe illius pars, ſtatim enim verificatur, traditum eſſe pro ſpirituali aliquod temporale; *Leſſ. l.* 2. *c.* 35. *dub.* 5.

Ultra prædictas ſimonias quæri ſolet, an detur etiam ſimonia ficta, pr dum quis abſque intentione dendi, aut ſe obligandi; promittit e. g. pretium Beneficio. Quamvis autem certum ſit, iſtum graviter peccare, & ratione mendacii in materia gravi, & ratione ſcandali, eum occaſio ſit alteri committendi peccatum ſimoniæ; attamen in foro interno non eſſet formaliter ſimoniacus, quia vere non haberet voluntatem dandi temporale pro pretio rei ſpiritualis, & ſic non daretur vere emptio, & venditio. Ex hoc ſequitur, Beneficium ita obtentum poſſe retineri, dummodo ſit legitime collatum.

De ſimonia confidentali agemus, dum ſermo erit de ſimonia in Beneficiis.

Q. III. Quale peccatum ſit Simonia.

R. Simonia dicitur peccatum excedens omnia peccata, ut habetur *can. ult.* 1. *q.* 1., *& cap. ſicut de Sim.*, quod tamen dictum eſt, quia eſt pernicioſiſſimum Eccleſiæ, & quia peſſimæ ſunt radices, ex quibus procedit, nempe avaritia, & ambitio; revera etenim graviora ſunt peccata oppoſita Virtutibus Theologalibus, Cæterum ſimonia eſt graviſſimum peccatum Religioni oppoſitum, quia dare temporale pro ſpirituali eſt nimis res ſpirituales vilipendere. Ultraquamquod gratis dari debent ea; quæ gratis a Deo nobis collata ſunt. Communiter etiam docent DD., hoc peccatum excuſari non poſſe a peccato gravi ex parvitate materiæ; nam quo magis pretium, quod datur, eſt exiguum, eo magis vilipenduntur ſpiritualia, ſicut etiam ſi res ſpiritualis vendatur, quia ſit exigua, graviter vilipendi videtur, quatenus parvi æſtimetur, quia exigua, & ideo reputetur poſſe pretio diſtrahi. Nec refert quod *cap. & ſi quæſtiones de Sim.* videatur quis excuſari a Simonia ratione modici pretii collati; nam ideo excuſatur, quia pretium valde exiguum ſemper præſumitur datum liberaliter, & non ex pacto: *Sanch. l.* 1. *in Decal. c.* 4. *n.* 1. *Pal. de Sim. p.* 1. *n.* 7. *Laym. l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8.

Q. IV. Quotuplex ſit prætium ſimoniæ.

R. pretium Simoniacum, quo intelligitur quidquid poteſt pecunia æſtimari, dividitur communiter a DD. in munus a manu, a lingua, & ab obſequio, quæ diviſio habetur ex D. Gregorio *homil.* 4. *in Evang.*, *& can. Salvator* 1. *q.* 3. *& can. ſicut nonnulli* 114. *c.* 1. *q.* 1.

Pro munere a manu non ſolum intelligitur pecunia, ſive numerata, ſive promiſſa, ſed quodcumque temporale pretio æſtimabile, ut docet *S. Th.* 2. 2. *q.* 110. *ar.* 5. & habetur *can. totum* 61. *q.* 1. Hinc pro hujuſmodi munere intelligitur etiam remiſſio debiti, ſeu obligationis, quia virtualiter idem eſt ac dare pecuniam. Item pactum de non exigendo debitum niſi poſt aliquod tempus; obligatio anticipandi ſolutionem debiti, mutuandi pecuniam &c., hæc etenim omnia ſunt pretio æſtimabilia: *Navar. in Man. cap.* 23. *n.* 101. *Laym. n.* 25.

Pro munere a lingua veniunt preces, adulationes, ſupplicationes, interceſſiones, laudes &c. quæ omnia cum ſint pretio æſtimabilia, ſequitur, adeſſe ſimoniam ſi aliquod ſpirituale, vel ſpirituali adnexum conferatur cum onere hujuſmodi præſtandi: *Suar. de Sim. c.* 4. *n.* 1. *Laym. n.* 26. cum communi, *arg. can. ſicut nonnulli* 114. *cap.* 1. *quæſt.* 1.

Munus ab obſequio includit quodcumque opus, quod ordinatur ad uſum, & commoditatem alicujus conferentis ratione illius aliquid ſpirituale; ut ſi quis Collatori alicujus rei ſpiritualis famularetur, promoveret illius cauſam, doceret defenderet &c. In his omnibus intervenire ſimoniam, ſi ex pacto ſaltem tacito cum Collatore præſtentur, docent communiter DD. *arg. c. cum eſſent.* 12. *de Sim.*

Q. V. An ſemper committatur ſimonia, dum in collatione aliquorum rerum ſpiritualium aliquod ex prædictis muneribus intervenit.

R. Certum eſt, liberum eſſe a Simonia, qui libere, & ſponte aliquid dat conferenti ſpirituale, vel ſpirituali annexum; quod enim gratis datur, non datur tanquam pretium, ſive conferatur ante collationem rei ſpiritualis, ſive poſt illam. Hinc hujuſmodi donationes non reprobantur jure canonico: *can. placuit* 1. *q.* 1. *cap. dilectus* 30. *de Sim. cap. tua nos eod. tit.* Item non eſt ſimonia dare ſpirituale ratione puræ amicitie, vel conſanguinitatis, quia hæc non tollunt, quin gratis detur, quamvis ex alio capite ab Amico, vel conſanguineo Collator aliquid receperit, dummodo non fuerit traditum, vel acceptum, ut ſpirituale conferatur; *D. Th.* 2. 2. *q.* 100. *a.* 5. *ad* 3. Conſurgit ergo ſimonia, quando hujuſmodi dantur tanquam pretium rei ſpiritualis, ſed in hoc eſt difficultas, quando ſcilicet Confeſſarius timere prudenter poſſit, hujuſmodi fuiſſe collata tanquam pretium rei ſpiritualis

Primo igitur, ſi nullus erat titulus dandi rem temporalem conferenti aliquod ſpirituale, valde timendum eſt rem temporalem datam fuiſſe virtuali ſaltem intentione ut pretium rei ſpiritualis, quæ virtualis intentio ſatis eſt ut intercedat Simonia: *cap. tua nos de Sim.* Tunc autem adeſſet juſtus titulus dandi aliquid temporale, quando datum fuiſſet ad redimendam vexationem, ad honeſtam ſuſtentationem, vel pro aliquo extrinſeco labore ſuſcepto pro eo, qui dat temporale. Si autem magis detur, quam ex titulis præfatis dandum eſſet, ſtatim apparet, fuiſſe collatum pro re ſpirituali, ſive pro Beneficio obtinendo: *Leſſ. l.* 2. *cap.* 3. *dub.* 8. *num.* 36., *Suar. l.* 4. *de ſimon. c.* 63. *num.* 17. *Sanch. l.* 2. *c.* 3. *dub.* 26. *n.* 3. Item obſervare eſt an quod tribuitur magnum ſit, maxime reſpectu illius, qui dat, vel quia eſt pauper, vel quia animi non liberalis, & multo magis ſi non bonis moribus ſit præditus. Res autem parva facilius præſumitur liberaliter data, maxime ſi non ſit pecunia numerata, ſed ex eſculentis, aut poculentis. Debet etiam obſervari circumſtantia temporis, inducit enim ſuſpicionem ſimoniæ, ſi temporale, quod datur, detur ante collationem rei ſpiritualis, quia videtur tradi ea intentione, ut conferens Beneficium &c. moveatur eb illa re temporali ad illud conferendum: *cap. & ſi quæſtiones* 18. *Sim.* ibique DD. Quod ſi res tradatur poſtea, maxime poſt aliquod tempus, facilius præſumetur dari titulo puræ liberalitatis, ſeu gratitudinis.

Secundo, obſervare eſt; an illi, cui datur aliquod Beneficium, debitum eſſet aliquod ſtipendium, vel ſalarium, & talis ſit conditionis, ut non poſſit præſumi velle gratis, & liberaliter inſervire. Si iſte admittatur ad famulatum, vel obſequium non præfixo ſalario, vel certe eo valde diminuto, & poſtea illi aliquod Beneficium, ſive penſio tribuatur, convincuntur tam conferens, quam recipiens habuiſſe pactum implicitum dandi, & recipiendi Beneficium &c. pro ſalario; nam cum non eſſent talis conditionis, ut vellent, vel poſſent ſine ſalario deſervire, prudenter timeri poteſt loco ipſius dari, vel accipi Beneficium, penſionem &c. Cæterum pro foro conſcientiæ bene interrogandus eſt Pœnitens de intentione habita in iis præſtandis, & juxta eam judicandus eſt.

Tertio obſervandum, non ſufficere ad declinandam ſimoniam dicere, quod temporale datum pro re ſpirituali conſequende exhibitum ſit non tanquam pretium, ſed ſolum tanquam motivum conſequendi ſpirituale. Et quidem cum ad Simoniam incurrendam ſatis ſit virtualiter

Digitized by Google

dare pretium pro re ſpirituali conſequenda, jam qui tradit temporale tanquam motivum conſequendi ſpirituale virtualiter erogat pretium ad illud conſequendum, licet ad palliandam Simoniam, non dicatur pretium, ſed motivum. Nec refert etiamſi diceretur dari temporale ad acquirendum ſpirituale tanquam finem minus principalem; ut ſi quis daret munera Epiſcopo, habendo pro fine principali, ut ipſius ſuſtineret dignitatem, & pro fine, ſeu motivo minus principali Beneficii conſequutionem. Non refert, inquam, hoc dicere, nam id eſſet verbis ludere, quando munera eſſent talia; ut valerent allicere, & pervertere animum Epiſcopi. Ad eum modum, quo, quando quis hujuſmodi munera daret Judici, non reputaretur dare omnino gratis, ſed animo illum movendi, mediantibus talibus muneribus. A fortiori autem apparet Simonia, ſi temporale ſit motivum principale, ſeu finis principalis ad dandam rem ſpiritualem. Et primo, intercedit ſimonia, quia commutatur ſpirituale cum temporali, quamvis ad eam palliandam temporale dicatur motivum, non pretium. Secundo, pluris æſtimatur temporale, quam ſpirituale, nam finis magis æſtimatur, quam medium; unde cum ſpirituale adhiberetur, ut medium ad conſequendum temporale, hoc pluris æſtimaretur, in quo conſtat, contineri ſummam irreverentiam, & deordinationem: *Gloſſ. in cap. cum eſſent* 12. *de Sim.*, *& ibi Barboſ. num.* 4. *Navar. in Man. c.*23. *num.* 102. Contrariam opinionem damnavit Innocentius XI, *ſub n.* 45., & 46. unde videndi ſunt DD. ſcribentes in præfatas damnatas propoſitiones. Cæterum ſi vere detur temporale, non habendo pro fine, & motivo conſequi aliquod ſpirituale, ſed ſolum illud ſperetur de ſecundario, & per accidens, quia dans intenderet alium obligare neque implicite, neque explicite, neque ex juſtitia, neque ex gratitudine, videtur tunc intercedere ſimonia: *Gloſſ. in cap. cum eſſent* 12. *de Sim. ibique Barboſ., & Navar. cit. Suar. de Relig. l.*4. *c.*45. *n.*4.

Quarto, obſervandum, quod licet, qui recipit aliquod ſpirituale, teneatur ex obligatione antidorali ſe gratum exhibere conferenti rem ſpiritualem, nihilominus ſimoniacum eſſet, ſi paciſcerent de conferendo aliquod ſpirituale ex gratitudine. Ratio eſt, quia tunc ultra obligationem naturalem gratitudinis, alia conſurgeret obligatio pretio æſtimabilis vi talis pacti; & proinde qui illud non obſervaret, vel ut injuſtus, vel ſaltem ut infidelis reputaretur. En ergo quod ex vi talis pacti aliqood pretio æſtimabile fieret ad obtinendum ſpirituale. Adde, talia pacta ad nil deſervire niſi ad palliandam Simoniam: Sicut enim moraliter cenſeretur vendere domum, qui dum diceret ſe illam donare, faceret nihilominus pactum, ut ex gratitudine ſibi daretur pretium æquivalens, ita dicendum in caſu noſtro, pactum aliquid dandi ex gratitudine conferendi e.g. Beneficium, idem eſſe ac palliatam venditionem. Hinc damnavit Innoc. XI. ſub *nu.* 45. opinionem aſſerentem, dari poſſe temporale in compenſationem gratuitam pro ſpirituali, & e contra. Videantur Viva, & Cardenas in præfatam propoſitionem.

Aliqui putarunt eſſe Simoniam rogare, intercedere &c. ut ſibi, vel alteri Beneficium conferatur; ſicut etiam ſi conferatur intuitu interceſſionis, precum &c. Verum dicendum eſt, nullam eſſe Simoniam, ſi quis pro ſe, vel aliis intercedat, ſeu ſi ſpirituale, vel Beneficium intuitu precum conferatur, nam ſi re vera nihil detur, adhuc verificatur gratis expeti, & gratis dari *cap. Tua nos de Simon. arg. can. Latorem*, 12t. *c.* 1. *q.* 1., *Laym. l.*4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 26. Contrarium videtur docuiſſe *S.T.*2.2. *q.* 100. *a.*5. *ad* 3. ob præſumptionem, quod Simonia poſſit intercedere. Fatendum tamen, poſſe intervenire peccatum, quatenus Beneficium ob importunas preces detur Indigno, vel minus Digno. Idem periculum eſt, dum Beneficia Conſanguineis conferuntur.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum peccatum Simoniæ conſiſtat in tradenda re temporali pro ſpirituali conſequenda, exiſtimarem, prudentem Confeſſarium advertere debere tali peccato non ſolum offendi virtutem Religionis, ſed etiam Juſtitiæ; ſicut enim contra juſtitiam peccat, qui vendit rem, quæ non eſt pretio æſtimabilis, ſive quam non poteſt vendere; ita peccat, qui accipit temporale pro ſpirituali; nam dat pro pretio rem, quæ non eſt pretio æſtimabilis & quam non poteſt vendere.

II. Quia ex dictis eo magis conſurgit Simoniæ peccatum, quo magis temporale, quod datur, eſt minoris valoris, & pretii, ideo Confeſſarius non excuſet a Simonia illum, qui ob conſequendum Beneficium ſe offerret ad mutuo dandam aliquam ſummam pecuniæ. Quamvis igitur non eſſet uſura ſub conditione mutuare e.g. Pecuniam, ut mutuatarius triticum remittet hic, & nunc, quia non dicitur ibi aliquid ſupra ſortem pretiu æſtimabile exigi, & videtur innuere *S.Th.*2.2 *qu.*78. *a.*2. *ad*4. nihilominus dare rem ſpiritualem, quia alter e.g. offert hic, & nunc mutuo dare pecuniam, puto eſſe Simoniam, quia quo minoris hæc mutuatio æſtimatur, eo magis vilipenditur res ſpiritualis, cum detur pro temporali nullius, aut fere nullius valoris. Cæterum ſicut eſt uſura mutuare cum pacto, ut mutuatarius ſe obliget ad remutuandum, ita nulli dubium eſt eſſe Simoniam propter talem obligationem dare rem ſpiritualem.

III. Cum frequenter dentur temporalia ad alliciendum ad aliquod ſpirituale præſtandum, ſicut dum Parentes munera filiis promittunt, ut frequentent Sacramenta, Dominus Mancipio infideli, ut recipiat Baptiſmum &c., ut hæc immunia ſint a labe Simoniæ, duo præcipue ſunt attendenda. Primum eſt ut ei, cui datur temporale, nulla imponatur obligatio faciendi opus ſpirituale, ſed liber maneat ad faciendum. Sic S. Th. admittit, poſſe aliquem muneribus allici ad ingreſſum Religionis, ut videre eſt 2.2. *q.* 100. *a.* 3. *ad.* 4., nihilominus dicit ibi, & *q.* 289. *a.* 9. hoc eſſe ſimoniacum, ſi tradantur cum pacto, ut ille ingrediatur religionem, dum enim intercedit pactum, & obligatio faciendi rem ſpiritualem pro re temporali, ſtatim conſurgit contractus oneroſus adeoque ſimoniacus. Secundum eſt, quod licet donans poſſit conditionem apponere, ut ſi donatarius aliquod ſpirituale non efficiat, vel non conſequatur, vel debeat reſtituere rem donatam, quia donatio facta fuit ſub tali conditione, v.g. ſi chriſtiane vivat, ſi ingrediatur Monaſterium &c., nihilominus non debet apponere conditionem de dando, aut faciendo aliquid in propriam utilitatem, ſive in utilitatem alterius perſonæ, cujus ipſe quaſi vicem ſubeat. Exemplum ſit in eo, qui Virgini dotem promitteret ad ingrediendam religionem cum conditione ut ipſe, vel Filius, aut Conſanguineus ſuccederent in ipſius hæreditatem; nam tunc pro re temporali promiſſa peteretur ſpiritualis, exercenda in ipſius temporalem utilitatem, & ſic peteretur res ſpiritualis pro temporali aſſequenda. Aliud eſſet, ſi præfata non apponatur conditio, & libera remaneret Virgo, vel ad ingrediendam religionem, vel ad diſponendum de ſuis rebus.

IV. Cum conſurgat ſimonia etiam ex munere ab obſequio, advertere debet prudens Confeſſarius, an inſervientes Epiſcopis, ſeu Patronis Beneficiorum, id præſtent ſolummodo ad conciliandam voluntatem Epiſcopi, ſeu Patroni &c., an potius, ut ipſorum obſequiis fiat ſatis collatione Beneficii. Si inſerviant nullo, vel exiguo ſalario, & talis ſunt conditionis, ut alias ſine ſalario nollent inſervire, difficile erit, ut tam ipſi, quam Collatores immunes ſint a labe ſimoniæ; videtur enim inter ipſos tacitus contractus adeſſe, compenſandi nempe ipſorum obſequia collatione Beneficii. In caſu autem; quo nullum pactum nec tacitum, nec implicitum detur, ſemper nihilominus adeſt peccatum ſcandali; non pauci etenim crederent, fuiſſe collatum Beneficium ad ſatisfaciendum obſequiis præſtitis, & Beneficia impertiri, non juxta merita, ſed juxta obligationem privatam, ut communiter advertunt Theologi. Debent ergo Confeſſarii curare, ut pœnitentes etiam ab hoc ſcandali peccato abſtineant. Interim doceant, quod ſi etiam a ſimoniæ peccato volunt abeſſe, debent inſervire Collatoribus, Patronis &c. Beneficiorum, vel nulla habita ratione Beneficiorum, quæ poſſent conſequi, vel ſolum cum intentione ea habendi ex pura obligatione antidorali, poſtquam ſuo famulatu certificaverint Collatorem de proprio merito, capacitate &c.

V. Circa munus a lingua, ex quo conſurgere poſſe diximus Simoniam, obſervet Confeſſarius, quod ſi detur pecunia &c. intercedenti pro aliquo apud Epiſcopum, ut ipſum ordinet, diſpenſet, conferat Beneficium, *& detur præciſe propter hæc aſſequenda*, ſtatim conſurgit ſimonia ſaltem juris Eccleſiaſticis, ut patet *ex. Extra.*2. *de Sim.*, *ex can. præſentium* :*q.*1., *& can. ſtatuimus* 2. t. *q.* 1., ubi inter alias ſimoniæ ſpecies annumeratur ea, qua, licet nil detur ordinanti, confertur tamen mediatoribus. Ratio eſt, quia, ut dicit *S.Th.* 2. 2. *q.* 100. *a.* 2 *ad*

Digitized by Google

2. *ad 5. Simonia eſt ſibi parare viam ad rem ſpiritualem conſequendam*, quod facit, qui muneribus ſolicitat interceſſiones, preces, favores &c Quamplures apud Salmanticenſes *tr. 19. c. 1. ſ. 4. n. 53.* volunt, hanc ſimoniam eſſe jure divino prohibitam, adeoque ſubjacere omnibus pœnis latis contra Simoniacos. Ratio ipſorum eſt, quia dum datur pecunia Mediatori, vel interceſſori, non datur præciſe pro interceſſione ut actus naturalis, ſed quatenus connectitur moraliter cum Beneficio: unde ſicut qui vult cauſam, convincitur etiam velle effectum, qui emit eam interceſſionem ordinatam ad conſequendum beneficium, intelligitur emere ipſum Beneficium: hæc autem eſt ſimonia contra jus Divinum.

Dixi, ſi detur præciſe propter hæc aſſequenda, nam ſi aliquid detur Interceſſori, Mediatori &c. pro labore, vel damno, quod paſſus eſt, quia e. g. ut intercederet penes Epiſcopum, Patronum &c. abſtinere debet a ſuis negotiis, operibus, &c. tunc non eſſet ſimonia, quia daretur temporale pro temporali. Hoc nihilominus valde periculoſum eſt, ac proinde Confeſſarius attendere debet, an pecunia data excedat valorem laboris, & damni, & ſi excedit, clarum eſt, talem laborem pluris æſtimari ratione Beneficii obtinendi; adeoque non tantum dari ratione laboris &c. ſed etiam ratione Beneficii.

Eadem regula obſervanda, quando munera dantur Mediatori, non ut preces fundat, & intercedat apud Prælatum, Patronum &c. ſed præciſe, ut illi proponat ſua merita. Dare præciſe propter hoc, non videtur ſimoniacum, quia eſt dare alicui, ut gerat munus ſui Advocati; & aliunde quod immediate intenditur, non eſt acquiſitio rei ſpiritualis, ſed bonæ famæ apud Collatnrem. Negari tamen non poteſt, hoc eſſe periculoſum, & maxime ſi temporale, quod datur, excedat merita informantis, nam tunc videtur dari, non tantum, ut recipiens notificet Prælato ſua merita, ſed etiam exerceat officium deprecantis, exhortantis, inducentis &c.

Obſervant autem Theologi, & inter ipſos *Palaus de Sim. p. 11. n. 5.* raro in praxi evenire, ut detur temporale pro ſimplici meritorum notificatione Prælato facienda, vel pro ſolo extrinſeco labore &c. quem patiuntur, qui intercedunt, vel deprecantur, ut beneficium conferatur illi, qui dedit aliquod temporale. Jam vero ex dictis ſcire debet Confeſſarius, quod dum alicui datur temporale, ut intercedat pro conſequutione beneficii, committitur Simonia; nam preces, & interceſſio tunc non æſtimantur, niſi quatenus connexionem habent cum re ſpirituali; ac proinde datur temporale re vera ad conſequendum ſpirituale, *Laym. de Sim ſ. 6. n. 65. Barboſ. in cap. nemo de Sim. n. 4.*

VI. Quia, ut diximus, ſimonia eſt convenire, ſive pactum facere de ſatisfaciendo obligationi antidorali inter eum qui dat, & eum, qui recipit rem ſpiritualem, hinc eſt, omnino abſtinendum ab hujuſmodi pactis. Cæterum ſi dans Beneficium, ſeu aliam rem ſpiritualem dicat recipienti ſibi ex gratitudine remanere obligatum, & e contra recipiens proteſtetur ſe futurum gratum, & honorati Viri leges adimpleturum, nulla eſt ſimonia, quia ultra obligationem antidoralem, ſive ex gratitudine, nulla alia illis verbis contrahitur obligatio, ut evenit quando deducitur in pactum. Sic ſi dem alicui Sacerdoti centum aureos, & petam ex gratitudine, ut pro me offerat decem Miſſas; ſive ſi ego, volenti mihi dare centum nummos, offeram pro gratitudine pro ipſo decem Miſſas celebrare, vel alia offerre ſuffragia, nulla eſt Simonia, ut intuenti patet.

Ut vero hanc regulam tam pro praxi neceſſariam bene percipiat Confeſſarius, animadverrat, quod licet ob acceptum Beneficium ſemper conſurgat obligatio antidoralis, ſive gratitudinis: *arg. leg. ſed etſi 25. ſ. Conſulit 11. ff. de petit. hered.* hæc nihilominus obligatio non expoſcit, ut potius una res, quam altera tradatur; vel potius temporale, quam preces ad Deum fundantur. Si Collator proinde e. g. Beneficii illud recipienti, dicendo ſibi remanere ex gratitudine obligatum, aliquo modo innueret potius velle aliquid temporale, quam, ut pro ſe e. gr. oretur; & multo magis, ſi demonſtraret, ſe aliquam rem particularem temporalem velle, jam non amplius peteret ſolam gratitudinem, ſed determinate aliquid temporale, unde excuſari non poſſet a Simonia. Idem dicas de recipiente, ſi cum diceret Collatori *exhibebo me gratum &c.* demonſtraret ſe potius temporale, quam ſpirituale daturum, ſicut videtur expoſcere Collator Beneficii. Quod ſi hæc mente retineantur; dum expoſcitur, vel offertur gratitudo, dabitur ſola Simonia mentalis. Cæterum prudens, & doctus Confeſſarius debet removere a ſuis Pœnitentibus has gratitudinis expreſſiones, nam ex his facile ſcandalum oritur. Si enim e. g. Patronus alicui deprecanti, ut ipſum præſentet ad Beneficium, dicat optare ipſum eſſe gratum, nominandus in ſuo corde facillime ſtatuet aliquid temporale pro præſentatione conſerre; & e contra Patronus facillime pro re temporali ſeparata præſentabit, ſi audiat Præſentandum promittere gratitudinem &c.

VII. Ultimo obſervare eſt, quod quando temporale non datur in pretium rei ſpiritualis, ſed ex aliis titulis honeſtis, licet pactum inire de tamporali dando. Exemplum ſit in eo, qui pactum faceret de adminiſtrandis Sacramentis, & efficiendis aliis ſpiritualibus functionibus, ſi illi pecunia detur in ſui ſuſtentationem; hoc etenim titulo dantur etiam Parocho decimæ, oblationes &c. Id, inquam, licite deducitur in pactum, quia tunc non commenſuratur res ſpiritualis cum temporali, ſed expoſcitur quod ex juſtitia debetur. Addo, temporale poſſe expoſci, & deduci in pactum etiam pro labore extrinſeco; ut ſi Sacerdos non Parochus deberet iter facere, ut pergeret ad aliquam Eccleſiam ad excipiendas ibi Confeſſiones, ad aſſiſtendum funeri &c.

Idem dico de promiſſione; quæ intercederet, de danda aliqua eleemoſyna, ſive faciendo aliquo opere pio, ſi detur aliquod ſpirituale, ſive ſi aliquis intercedat pro obtinenda aliqua re ſpirituali; quia tunc tamporale, quod daretur, non daretur ut pretium rei ſpiritualis, ſed in eleemoſynam: ſicuti ſine labe Simoniæ poſſum promittere in eleemoſynam alicui pauperi aliquam pecuniam, ſi pro me oret &c.

CAPUT II.

De Materia Simoniæ, ſive de rebus, quæ, ſi vendantur, faciunt Simoniam.

Q. I. AN res pure ſpirituales ſint materia Simoniæ.

R. Pro rebus pure ſpiritualibus in præſenti veniunt illæ, quæ ex ſua intrinſeca ratione nil aliud ſunt, quam quædam res ordinatæ ad ſalutem, ut Gratia, Fides, Spes, Charitas, aliaque Dei dona. Advertendum autem eſt, res prædictas abſolute, & ſimpliciter ſumptas, eſſe non poſſe materiam Simoniæ; quia Simonia ibi tunc daretur, quando pro pretio temporali venderentur; adeoque quando, collato pretio, ipſarum dominium transferretur in emptorem. Hoc autem intercedere non poteſt in ſupradictis: nemo enim poteſt in altum transferre dominium Fidei, Gratiæ Sanctificantis, &c. quamvis ipſe eas haberet.

Si vero prædicta ſumantur in concreto, ſeu vendi velint ad venditionem alterius, in quo ſunt, hoc modo poſſunt eſſe materia Simoniæ: ita eſſet ſimoniaca venditio Chriſtianum captivum pluris vendere, quia Chriſtianus eſt, aut Deo gratus: vel ſi quis pluris venderet Sacerdotem, ratione conſecrationis, aut characteris. Idem dicendum, ſi quis pluris venderet calicem ratione conſecrationis, vel actionem productivam Gratiæ, puta baptiſmalem ablutionem, abſolutionem Sacramentalem &c., ad venditionem enim cauſæ cenſeretur vendere Gratiam baptiſmalem, Sacramentalem &c.

Q. II. An ſit Simonia vendere, aut emere Sacramenta, ſive Sacramentalia.

R. I. In Sacramentis plura ſunt conſideranda. Et primo; ſi conſideretur Sacramenta in ſeipſis, quatenus ſcilicet ſunt quædam res, & ſigna ordinata a Chriſto Domino ad ſpiritualem ſalutem, & ad cauſandam Gratiam, certum eſt, committi Simoniam jura divino prohibitam, ſi vendantur, cum tam in ſe, quam quoad effectum, ſint res ſacræ. Hinc, ſimoniam eſſe recipere pretium pro Sacramentis, habetur *cap. cum in Eccleſ. de Sim., cap. nemo Presbyterum ibid., can. baptizandis, can. nullus Epiſcop. 1. q. 5.*

Secundo, eoſſunt conſiderari Sacramenta quoad ipſorum materiam. Et quidem ſi ſermo ſit de materia proxima, puta, ablutione, impoſitione manuum, conſecratione, nullum eſt dubium committi ſimoniam, quia cum ſit pars intrinſece conſtituens Sacramentum, certum eſt, eſſe rem intrinſece ſacram, adeoque invendibilem. Si vero ſit de materia remota, puta, pane, vino, oleo, chriſmate &c. hujuſmodi bene vendi poſſunt; cum etenim ſint res naturales, & non ſint intrinſece ſacræ, uſquedum non aſſumantur ad conſtituendum Sacramentum non amittunt ſuum valorem, adeoque bene poſſunt vendi,

Ter-

Tertio, in ſacramentis conficiendis conſiderare eſt laborem corporalem Miniſtri, & hic duplex eſt. Alter intrinſecus, & eſt ille, ſine quo valide, & decenter nequeunt adminiſtrari Sacramenta, celebrari Miſſa &c. Alter extrinſecus, qui immediate non deſervit ad conficienda Sacramenta, ad celebrandam Miſſam &c. & ita ſe habet labor, quem ſubire deberet Sacerdos ambulando per aliquod ſpatium, ut pervenire poſſit ad Eccleſiam, in qua debet celebrare, excipere Confeſſiones &c. Huic æquiparari poteſt obligatio, quam aliquis aſſumeret pro tanto tempore, puta per menſem excipiendi Confeſſiones &c. & multo magis, ſi id agendo, deſiſtere deberet a ſuis utilibus operationibus. Hæc obligatio, ut de ſe patet, utique eſt extrinſeca miniſterio.

Pro labore igitur intrinſeco nil temporale accipi poteſt tanquam prætium ipſius, tum quia, cum nullo modo valeat a re ſpirituali ſeparari, reputatur cum ea unum quid moraliter; adeoque talis labor vendi non poteſt, quin ſimul res ſpiritualis vendi intelligatur. Hic proinde habet locum, quod dicitur *can. ſi quis objecerit* 1. *q.* 1. *Quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*. Tum quia labor, quem Miniſter exercet in celebrando, adminiſtrandis, ſeu conficiendis Sacramentis, nullam æſtimabilitatem habet, niſi in ordine ad rem ſpiritualem, unde, ſi venderetur, ratione rei ſpiritualis venderetur.

Pro labore vero extrinſeco licet aliquod pretium accipere; ſolum enim per accidens eſt connexus cum re ſpirituali, quæ etiam ſine illo poſſet exerceri; unde cum ſit omnino temporalis, & pretio æſtimabilis, poteſt ei correſpondere aliquod temporale, *Leſſ. l.* 2. *c.* 35. *dub.* 8. *n.* 53., *Sanch. Conſil. t.* 1. *l.* 2. *c. dub.* 10., *Laym. l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *ſ.* 4. *n.* 33.

Titulus vero magis laudabilis, ex quo Sacerdotes Sacramenta adminiſtrantes poſſunt temporalia exigere, eſt honeſta ipſorum ſuſtentatio; de jure enim divino, & naturali ſuſtentandus eſt, qui inſervit ſpiritualia adminiſtrando: adeoque tunc non ſequitur, ſpiritualia gratis non exhiberi, cum ſtipendium non detur pro ipſorum adminiſtratione, ſed pro debita honeſta ſuſtentatione. Hujuſmodi titulus approbatur a S. Canonibus, & maxime *can. ex his* 22. 12. *q.* 1., *&c. cum ſecundum* 12. *de præb.* Nec refert, S. Miniſtrum ex proprio patrimonio eſſe divitem, ſicut enim dives mercenarius eſt dignus mercede ſua, ita S. Miniſter, quamvis ex propriis bonis dives, conveniens eſt, ut ſuſtentetur ab iis, quibus inſervit: *arg. c. fin. cauſ.* 1. *q.* 2. Immo nec refert, S. Miniſtrum ſufficienter habere unde ſuſtentetur ex redditibus Eccleſiaſticis, ſi aliunde ex jure, vel conſuetudine legitime præſcripta aliquid temporale illi debeatur ob ſacras functiones, qua etiam ex officio præſtare teneatur. Ratio eſt, quia ſemper cum adeſt jus, vel legitima conſuetudo, illud temporale aſſignatum eſt ab Eccleſia titulo ſuſtentationis; per accidens autem eſt, quod unus pinguiorem, alter minorem habeat ſuſtentationem. Confirmari id poteſt, quia hujuſmodi dantur loco decimarum perſonalium: *Van. Expen. p.* 2. *tit.* 38. *c.* 4. *n.* 40. Clerici autem, quamvis ſufficienter proviſi, exigere poſſunt decimas, ut patet ex toto titulo de decimis: ſicut Epiſcopus, quamvis dives, exigit procurationes ratione viſitationis, ad quam ex officio tenetur: *Cap. conquerente de Off. Ord. cap. cum Apoſtolus, c. procuratione de cenſ.*

Adde, licere Miniſtris Eccleſiæ paciſci de ſtipendio pro honeſta ſuſtentatione; cum unuſquiſque paciſci poſſit, & ex pacto prætendere, quod ſibi ex jure naturæ debetur: *Gloſſ. in cap. ſignificatum de Præb., Laym. de Sim. ſ.* 2. *n.* 15., *Palaus de Sim. p.* 4. *n.* 4. *Gutier. Can. qq. c.* 29. *n.* 13. & plures alii. Jura, quæ in contrarium ſolent citari, explicanda ſunt de pactis inhoneſtis, ut advertit *Gloſſa in c. ult. de pact., & in can. quam pio* 2. *cauſ.* 2. *quæſt.* 2. *v. pactios*.

R. II. Sacramentalia, quorum nomi hic veniunt cæremoniæ, & benedictiones ſacræ factæ publica authoritate, & inſtituto Eccleſiæ, alia ſunt tranſeuntia, ut benedictio nuptialis, exorciſmus &c. quæ non remanent in aliqua re: alia permanentia, & ſunt ea, quæ in aliquo remanent, ut quando benedicitur aqua, calix, oleum &c. quæ res remanent poſt benedictionem. Porro quæcumque Sacramentalia, ſecundum ſe ſumpta nullo modo vendi poſſunt, nam ſuppoſita Eccleſiæ benedictione, fiunt Ordinis Divini, & ſacra, adeoque jure divino ſunt invendibilia. Cæterum ea Sacramentalia permanentia, quæ ſunt antecedenter vendibilia, ſive habent intrinſecum valorem, poſſunt etiam poſt benedictionem, ſive conſecrationem vendi ratione materiæ, quæ eſt digna Pretio; ſicut enim hæc digna pretio erat ante benedictionem, poteſt pariter pretio vendi poſt benedictionem; nam non deperdit ſuum valorem: *D. Th.* 2. 2. *q.* 100. *ar.* 4. Hinc poſt benedictionem, ſeu conſecrationem adhuc vendi poſſunt calices, Eccleſia conſecrata, aliaque ornamenta benedicta: *Suar. de Rel. t.* 1. *l.* 4. *c.* 14. *num.* 6. *Navar. in Man. c.* 23. *n.* 108.

Videtur facere aliquam difficultatem canon *ſi quis objecerit* 1. *q.* 3. ubi corporale, quod annexum eſt ſpirituali, vendi prohibetur; & hæc aſſignatur ratio, quia ſcilicet videtur vendi non poſſe corporale, quin ſimul ſpirituale vendatur. Pro quo advertendum, res corporales, quæ ſunt ſpiritualibus annexæ, eſſe in duplici differentia. Aliæ ſunt, in quibus quod ſpirituale eſt, eſt etiam prius, & principale, & huic tanquam, acceſſorium annexum eſt corporale, quod ſolum æſtimabilitatem habet in ordine ad ſpirituale. In his verificatur non vendi temporale ſine ſpirituale illi annexo; nam tota ratio æſtimandi temporale eſt res ſpiritualis. Ita ſe habet prædicatio Evangelii, & adminiſtratio Sacramentorum, ſicut etiam Beneficia, ut videbimus infra. Aliæ vero ſunt, in quibus quod eſt temporale, prius eſt, & principale, & habet æſtimabilitatem ex ſe ſine ordine ad rem ſpiritualem, quæ conſequenter ſe habet, & quaſi minus principale. In his, cum id, quod temporale eſt, habeat ſuam æſtimabilitatem independenter a re ſpirituali, jam eſt ex ſe pretio vendibile, adeoque ſi vendatur, non intelligitur ſimul cum ipſo vendi ſpirituale. Ita ſe habent calices, ſacra ornamenta &c.

Q. III. An ſit ſimonia aliquid temporale accipere pro exercitio virtutum non derivantium a poteſtate Ordinis, & Iuriſdictionis; ſive pro omiſſione actuum illarum.

R. Hujuſmodi actus virtutum, ut orare, jejunare, eleemoſynam dare pro alio, nullo pacto pretio emi poſſunt; nam ſacræ actiones ſunt, & religioſæ, impetratoriæ, ſatisfactoriæ, & meritoriæ de congruo ſalutis ſpiritualis alterius, adeoque cum ſint ordinis omnino ſupernaturalis, nullatenus poſſunt pretio æſtimari; unde, ſi vendantur, intercedet labes ſimoniæ. *D. Th.* 2. *q.* 100. *a.* 3., *Bonac. de Sim. diſp.* 1. *q.* 4. *ſ.* 5. *n.* 6. Limitanda eſt hæc doctrina in operibus miſericordiæ corporalis: quæ prout ordinantur ad commodum temporale alterius; ſunt pretio æſtimabilia, & hoc pacto vendi poſſunt. Quando igitur datur aliquod temporale, ut alter pro ſe oret, faciat actus virtutum, fiat Chriſtianus, &c. obſervandæ ſunt regulæ in fine capitis ſuperioris notatæ quod ſcilicet temporale non detur ut pretium, ſed dumtaxat ad alliciendum.

Dare vero pecuniam, ut omittantur actus prædictarum virtutum, nulla eſt ſimonia, neque enim daretur ad aliquid ſpirituale præſtandum ſed ad illud non faciendum: & ita non daretur temporale pro ſpirituali aſſequendo, ſed ibi ſolum venderetur naturalis uſus libertatis.

Q. IV. An ſit ſimonia aliquid accipere pro actibus virtutum, qui procedunt a poteſtate Ordinis, & Juriſdictionis; ſive pro omiſſione illorum.

R. I. Simonia eſt accipere aliquod temporale ut pretium actuum virtutum procedentium a poteſtate Ordinis. Ita ſe habet celebrare Miſſas, recitare Horas Canonicas, intereſſe publicis proceſſionibus, & multo magis canere ſolemniter Evangelium, exercere munus Acolythi, Exorciſtæ &c. Quod accipere aliquod temporale ut pretium horum actuum ſit Simonia ex ſe patet; cum enim ſint actiones procedentes a poteſtate ſpirituali, & ad finem ſpiritualem ordinatæ, jam ſpirituales ſunt, unde non licet pro illis aliquid temporale, tanquam ipſarum pretium exigere.

R. II. Simonia eſt aliquid exigere ut pretium actuum, qui derivantur a poteſtate Eccleſiaſticæ Juriſdictionis. Ratio eſt, quia cujuſcumque juriſdictionis ſint iſti actus, ſemper verificatur eſſe ſpirituales. Et primo, ſi loquamur de juriſdictione in foro interno, ipſius actus non ſolum ſunt ſpirituales, quatenus a poteſtate ſpirituali proveniunt, & quatenus ordinantur ad finem ſpiritualem Animarum; ſed etiam ex parte effectus, quia liberant a peccatis, conferunt Gratiam &c. Si autem loquamur de actibus juriſdictionis Eccleſiaſticæ fori externi, ſive ſit gratioſæ, ut diſpenſare in votis, legibus, irregularitatibus, ſive contentioſæ, ut abſolvere a cenſuris poſt cognitionem, diſpenſare in impedimentis, viſitare, judicare &c. ſemper verificatur hujuſmodi actus eſſe ſpirituales, & quia a poteſtate ſpirituali procedunt, & quia ad finem ſpiritualem ordinantur. Poſſunt etiam aliquando eſſe ſpirituales ex parte effectus; ut quando

qui in Irregularitate diſpenſatur, ex qua diſpenſatione proveniat habilitas ad ordines, & ad alias Eccleſiaſticas functiones &c. Hinc S. Canones pro præfatis actionibus aliquid temporale accipere non ſemel prohibent, & ut ſimoniarum damnant: *cap. non ſatis 8. cap. cum in Eccleſia 9. cap. cum ſit de Romana 10. cap. nemo 14., cap. cum ad noſtram 21. de Sim.* Qod ſi in Romana Curia temporale pro diſpenſationibus exigitur, advertendum eſt, non accipi tanquam pretium, ſed vel pro ſuſtentatione S. Pontificis, ipſiuſque Officialium; vel per modum mulctæ, cum rationabile ſit, ut qui vult eximi a lege, aliquam ſubeat pœnam; vel per modum compoſitionis, ſeu commutationis. Et quidem ſicut petenti diſpenſationem voti licet illud in aliquam eleemoſynam commutare, ita fieri poteſt reſpectu petentis diſpenſationem in impedimento matrimonii &c.: ſicut quo gravius eſt votum, eo gravior elemoſyna eſt ſubroganda, ita dicendum quo de re graviori petitur diſpenſatio. Id tamen non licet Epiſcopis, quia prohibetur a Tridentino *ſeſſ. 22. de reform. c. 5. ſeſſ. 24. c. 5., & ſeſſ. 25 c. 18.* in quo non poſſunt ipſi diſpenſare. Nec illis quæcumque conſuetudo ſuffragatur: *Garz. de Benef. p. 8. c. 1. n. 102.*

Quia quæcumque ſupradictæ poteſtates in ſe ſunt ſpirituales, & ad finem ſpiritualem ordinatæ, conſequens eſt, neque pro eis delegandis poſſe temporale pretium ſumi abſque Simonia. Hinc ſimonia eſſet velle aliquod temporale pro deleganda poteſtate ad audiendas confeſſiones, ad prædicandum, ad abſolvendum a reſervatis, a cenſuris &c., ad diſpenſandum, ad eligendum ad Beneficia Eccleſiaſtica, ad confirmandas electiones; uti expreſſe habetur *cap. 1. 2. & 3. Ne Prelati vices ſuas &c. juncta Gloſſa, cap. ad noſtram de Sim., cap licet de pœnis &c.*

R. III. Accipere aliquod temporale pro omiſſione actuum virtutum derivantium a poteſtate Ordinis, non eſt Simonia: bene vero ſi accipiatur pro omiſſione actus derivantis a poteſtate juriſdictionis.

Prima pars reſponſionis probatur, quia tales omiſſiones non ſunt exercitium poteſtatis Ordinis, nec ab ea pendet, ſed eas omittere eſt dumtaxat uſus propriæ libertatis; unde ſumere pecuniam pro talibus omiſſionibus non eſt eam ſumere pro aliqua re ſpirituali, ſed pro ſolo exercitio propriæ libertatis, adeoque non intercedit Simonia. Exemplum ſit in Sacerdote, qui omitteret celebrare ratione pecuniæ ſibi oblatæ, talis ommiſſio non derivat a charactere Sacerdotali, qui ſolum dicit influxum poſitivum ad conſecrandum Corpus Chriſti, ſed pendet a ſola voluntate Sacerdotis nolentis celebrare. Et id verum eſt, etiamſi Sacerdos teneretur ex præcepto celebrare, quia etiam tunc omittendo ſacrum, nullum uſum venderet ſpiritualis poteſtatis, ſed ſolum uſum, ſeu abuſum propriæ voluntatis: *Suar. l. 4. c. 22. n. 5. Sanch. l. 2. c. 3. dub. 22., Laym. l. 4. tr. 10. c. ult. n. 43.*

Secunda vero pars probatur, quia poteſtas juriſdictionis duo habet, ſcilicet poſſe facere actum poſitivum, illumque etiam denegare: ita a poteſtate juriſdictionis oritur abſolvere, & non abſolvere pœnitentem, ſive illios peccata retinere. Cum igitur etiam negatio e. g. abſolutionis ſit exercitium ſpiritualis poteſtatis, jam qui ratione pecuniæ illam denegaret, ſumeret temporale pro ſpirituali, adeoque adeſſet Simonia. Hinc *cap. nemo de ſim.* prohibetur dari pœnitentiam, & negari ob pretium, & aſſeritur utrumque eſſe Simoniacum: *D. Th 2. 2. q. 100. a. 3. ad. 3. Leſſ. l. 2. c. 35. dub. 11. n. 64. Suarez, aliique* ſupra citati.

Q. V. An ſit Simonia accipere pretium pro uſu Scientiarum.

R. I. Licitum eſt pro uſu ſcientiarum mere naturalium, quales ſunt Philoſophia, Aſtrologia, Medicina &c. aliquod pretium accipere. Ratio eſt, quia licet ſcientia, & veritas ſint omni pretio ſuperiores, ut dicitur *Proverb. 3.* attamen in quantum ſunt utiles ad uſus humanos, bene poſſunt pretio æſtimari. Ad eum modum quo, quamvis homo ſecundum ſe ſit toto mundo præſtantior, adeoque non poſſit pretio æſtimari; nihilominus eſt vendibilis ratione utilitatis temporalis ex ipſo provenientis. Stet ergo pro uſu ſcientiæ naturalis, quatenus utilis eſt hominibus, illoſque etiam facit nobiliores, licitum eſſe pretium ſumere: Ita Philoſophi, Juris periti &c. pro uſu ſuæ ſcientiæ habent ſtipendium, & eo majus exigunt, quo ſunt doctiores: *D. Th. 2. 2. q. 71. a. 4. & q. 100 a. 2., Laym. tr. 10. c. ult. §. 4. n. 30.*

R. II. Pro uſu ſacræ Theologiæ quoad aliquos actus licet pretium ſumere, non vero quoad omnes.

Ut bene percipiatur concluſio, advertendum eſt, in Sacra Theologia quinque poſſe conſiderari, hoc eſt deducere concluſiones ex principiis Fidei, ſive neceſſario, ſive probabiliter; interpretari Scripturas, dare reſponſa ad caſus conſcientiæ; docere doctrinam chriſtianam; concionari.

Pro primis duobus actibus Theologiæ licet aliquod pretium accipere; nam quamvis Theologia diſcurrat ex principiis ſupernaturalibus, & habeat pro abjecto Deum; nihilominus utitur principiis ſupernaturalibus, quatenus modificatis per diſcurſum naturalem; unde omnes admittunt, Theologiam eſſe habitum vere naturalem, induſtria, & ingenio comparatum. Ulterius in docendo Theologiam non habetur pro fine movere voluntatem ad pios actus, ſed dumtaxat illuſtrare Intellectum. Cum ergo Theologia, quatenus humano diſcurſu utitur principiis ſupernaturalibus ad concluſiones ex eis inferendas, & ad interpretandas Scripturas, ſit & quoad ſubſtantiam & quoad finem naturalis, bene poteſt ratione uſus ejuſdem ſcientiæ, ſive ratione utilitatis, commodi, & honoris ex illa provenientium aliquod pretium exigi: *Suar. l. 4. c. 18. nu. 7., Leſſ. l. 2. c. 35. dub. 13. num. 80. Laym. loc. cit.*

Pariter pro ſimplici reſponſione ad caſus conſcientiæ, licitum eſt pretium ſumere; quamvis etenim ex ea oriatur pax & tranquillitas conſcientiæ, quæ ſunt quid ſpirituale, ordinatum ad ſalutem animæ, nihilominus hoc non eſt ex natura actionis ſecundum ſe ſpectatæ, cum de ſe ſit inſtructio pure doctrinalis, ordinata ad illuſtrandum intellectum, & removendam ignorantiam; & ſi hoc poſſet fieri cum pretio a Juriſtis, cur non etiam a Theologo? Videatur *S. Th. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 3.* Aliud eſſet, ſi reſponſio non eſſet ſimplex conſilium, ſed daretur per modum exortationis ad vitandum peccatum, ad faciendam pœnitentiam &c.; tunc enim de tali reſponſione loquendo eſſet, ſicut dicemus de Concionibus.

Cum eadem diſtinctione loquendum eſt de munere docendi Doctrinam Chriſtianam; nam ſi hoc munus exerceatur per modum exortationis, ut quis credat myſteriis noſtræ Fidei, & Chriſtiane vivat, qualiter ſe gerunt, & gerere debent Parochi, dum docent Catechiſmum, tunc quidem præciſe ex hoc titulo pretium ſumere eſt Simonia; nam tales actus cum ſint ordinati ad noſtram juſtificationem, ſunt vere ſpirituales, adeoque non licet pro eis ſine ſimonia pretium ſumere. Si vero doceatur Catechiſmus per modum exercendi memoriam, ut facere ſolent Ludi-Magiſtri; dum pueros inſtruunt, tunc cum nihil ſpirituale intercedat, licitum erit pro tali munere pretium ſumere. *Suar. n. 24. Leſſ. n. 77., Bonac. de Sim. diſp. 1. q. 4. §. 10.*

Denique eſt Simonia aliquod pretium accipere pro concionando, ut docet *S. Th. 2. q. 100. a. 3. ad 2.* Et ratio eſt, quia concionari eſt per ſe res ſacra, quatenus procedit ab homine, ut eſt organum Spiritus S. & ordinatur non præciſe ad illuſtrandum intellectum, ſed præcipue ad æternam ſalutem audientium; per concionem etenim volumus excitare homines ad Fidem, Pœnitentiam, & ad componendos mores juxta legem Evangelii. Cum igitur omnino ſit quid ſacrum, non poterit Concionator pro munere concionandi aliquid tanquam pretium accipere abſque Simonia. Hinc Chriſtus Dominus, poſtquam dixit *Matth. 10. Euntes autem prædicate & dicite quia appropiaquavit Regnum Cælorum* ſubjunxit: *gratis accepiſtis, gratis date.* Solum ergo poterit aliquid temporale pro concione accipere, ſi attendatur labor extrinſecus, qualis eſt ille, quem patitur pro eundo ad locum concionis, ut dictum eſt ſupra de Adminiſtratoribus Sacramentorum, vel pro ſui ſuſtentatione, ſeu in eleemoſynam; ut melius dicetur in regulis infra apponendis: *Suar. l. 4. c. 8. num. 19. Filiuc. tr. 45 q. 8. num. 32.*

Q. IV. An abſque ſimonia liceat deducere in pactum aliquid temporale pro ingreſſu in Religionem,

R. I. Certum eſt, nunquam eſſe licitum ſumere aliquod temporale tanquam pretium ingreſſus in Religionem, & multo magis Religioſæ Profeſſionis. Et primo id facere eſſet ſimonia jure Divino naturali prohibita; ingreſſus etenim Religionis eſt res undequaque ſacra, & ſpiritualis, ſive conſideretur ex parte principii, quatenus ſcilicet oritur ex impulſu, & inſpiratione Spiritus S., ſive ex parte ipſius actionis, per eam enim homo ſe obligat ad famulandum Deo perpetua obſervantia Religioſa; ſive ex parte finis, cum finis talis actionis ſit amor Dei, & æternæ ſalutis conſequutio. Sæpius autem dictum eſt, eſſe ſimoniam jure naturali divino vetitam aliquid accipere

re

re ut pretium rei ex ſua natura ſacræ, & ſpiritualis, & in caſu præſenti ſupponitur: *c. Quoniam 40. de Sim. & extra. ſane de Sim.* Secundo, id eſſet ſimonia juris Eccleſiaſtici, cum pluries vetitum fuerit aliquid temporale accipere pro ingreſſu in Religionem, ut conſtat *ex can. nullus Abbas* 1. *q.* 2. *cap. non ſatis, cap. veniens, cap. quoniam de Simon.* & præcipue *ex Extra.* 1. *ſane de Sim.* ubi ſub pœna excommunicationis Papalis prohibetur exigere ab ingreſſuris in Religionem etiam prandia, Cœnas, jocalia &c.

R. II. Certum eſt, Monaſteria non habentia ſufficientes redditus pro alendis Religioſis poſſe exigere ab ingreſſuris aliquod temporale: non ut pretium, ſed titulo ſuſtentationis ipſius Religioſi. Ita aperte docet *S. Th.* 2. 2. *q.* 100. *a.* 2. *ad* 4. Et ratio eſt manifeſta, quia id nullo jure prohibetur, & aliunde tunc non datur temporale pro ſpirituali, ſive pro ingreſſu in Religionem, aut Profeſſione, ſed datur temporale pro temporali, nempe pro onere, quod ſuſcipit Monaſterium alendi novum Religioſum, quod certe eſt pretio exiſtimabile.

R. III. Licitum etiam eſt recipere ab ingreſſuro temporale per modum eleemoſynæ, ut ſi liberaliter, & gratioſe vellet dare ſua bona, vel partem illorum in eleemoſyna Monaſterio, quod illum reciperet: *Extra. ſane cit. de Sim.* Quod ſi eo quod timeret non admittendum, offerret omnia ſua Monaſterio, velut pretium admiſſionis, tunc, ut patet, eſſet manifeſta ſimonia; ſecus ſi ſimpliciter exprimeret intentionem ſuam tranſeundi ad Religionem cum ſuis bonis.

R. IV. Monaſterium dives non poteſt ſine ſimonia aliquid recipere ab ingredientibus in Religionem titulo ſuſtentationis. Ratio apud me evidens eſt, quia redditus talis Monaſterii ſunt ex natura ſua aſſignati, & determinati pro ſuſtentatione Religioſorum, vel Religioſarum ac proinde ſuppoſito, quod quis in Monaſterium fuerit receptus, jus habet, ut ex ipſius ſuſtentetur. Quomodo ergo dici poteſt exigi temporale titulo ſuſtentationis, quando novus Religioſus, vel Religioſa poteſt, & debet ſuſtentari ex ipſius Monaſterii redditibus? Præterea, ſi onus alendi ſuſceptum in Monaſterio opulento, eſſet juſtus titulus temporale exigendi, fruſtra tot S. S. Canonibus, & Conſtitutionibus prohibitum fuiſſet pro ingreſſu in Religionem aliquid exigere; nam quivis Prælatus Monaſterii etiam opulentiſſimi potuiſſet reſpondere ſe temporale exigere, titulo alendi novum Religioſum, vel Religioſam. Videantur *S. Th.* 2. 2. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 4. *March. t.* 3. *tr.* 10. *tit.* 6. *concl.* 4. & 5. *Rodrig. t.* 2. *qu.* 49. *ar.* 2. aliique plures. Ipſe Faganus, qui *in cap. non amplius de inſtit. numer.* 24. videtur favere contrariæ opinioni, revera tamen eam non admittit, niſi quatenus dos gratis offeratur; ſicut licite dicit de illa poſſe paciſci, caſu quo Monialium redditus pro nova, & quaſi ſupernumeraria non ſufficerent, ut explicat *numer.* 25.

Neque quidquam in contrarium convincunt, quæ pro contraria opinione paritates afferuntur. Prima eſt de Marito, qui licet opulentus, poteſt a Sponſa exigere dotem titulo ſuſtentationis; id enim verum eſt, quia Sponſa nullum jus habet, ut ſuſtentetur ex bonis Mariti, ſicut Religioſus jus habet, ut ex bonis Monaſterii ſuſtentetur, cum ad hunc effectum ſint deputata. Multo minus aptatur præſenti caſui, quod dicitur de Miniſtro Eccleſiæ ex propriis bonis divite, qui nihilominus poteſt exigere ab Eccleſia ſuam ſuſtentationem. Sicut enim talis Miniſter exigere poteſt ex jure naturali, & divino ab Eccleſia ſuam ſuſtentationem, quia æquum eſt, ut alatur ab Eccleſia, cui inſervit; ita æquum eſt, ut Religioſus ſuſtentetur a Monaſterio, cui inſervit, ſi id facere poteſt: ſi vero illi debetur a Monaſterio ſuſtentatio, ejuſdem ſuſtentationis titulo non poteſt Monaſterium aliquid exigere.

Quæcumque pariter ſit contraria conſuetudo, non eſt attendenda. Primo, quia ſemper, cum verificatur nil temporale Monaſterium opulentum exigere poſſe titulo ſuſtentationis, convinceretur illud exigere pro ingreſſu in Religionem, contra quam ſimoniam, cum ſit jure divino prohibita, nulla conſuetudo poteſt prævalere: *arg. cap. fin. de conſuet.* & dixi *tr.* 3. *queſt.* 4. *ca.* 1. Sed demus, Prælatum ſibi proponere nolle Religioſum ex bonis opulenti Monaſterii ſuſtentari, & velle eum ſecum deferre unde ſaltem in parte ſuſtentetur; nihilominus temporalia exigendo, adhuc committeretur ſimonia ſaltem juris Eccleſiaſtici, contra quam pariter nulla conſuetudo prævalere poteſt, utpote qui illi jus reſiſtit, & reprobata remanet tamquam abuſus deteſtabilis, & corruptela: *Extr. ſane de Sim. cap. veniens* 19. *de Sim.* ibique Gloſſa *v. conſuetudine*.

Remanet ergo, ut Monaſterium opulentum ſolummodo recipere poſſit, quæ gratis omnino, & liberaliter offeruntur, ut dicitur in ſupracitata Extravaganti. Item poſſet exigere a parentibus Religioſi aliquid, ut ſuſceptus, vel ſuſcepta in Religionem cedat omni juri hæreditatis, vel alterius temporalis emolumenti, quod eidem Monaſterio ratione talis Religioſi, vel Religioſæ poſſet obvenire.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Juſtiſſimus quidem titulus eſt, ut S. Miniſtri exercentes ſacras functiones titulo ſuſtentationis exigant temporalia: at obſervare debet Confeſſarius, ne irrepant, abuſus. Iſti autem intervenirent, quando aliquid exigerent, vel ultra taxam ſynodalem, vel, dum hæc non adeſt, ultra honeſtam conſuetudinem; nam vel ex taxa, vel ex laudabili conſuetudine regulanda eſt honeſta ſuſtentatio: *arg. cap. ad audientiam* 24. *de Sim.* Non ſinat proinde, Eccleſiaſticos, quando v. g. aliqua die feſta magis neceſſarium eſt in aliqua Eccleſia ipſorum miniſterium aliqui ultra taxam, vel piam conſuetudinem prætendere, eoque convolare, ubi majus ſtipendium, nomine eleemoſynæ palliatum, ab ipſis exigitur. Quantum exigere poſſint titulo ſuſtentationis jam a taxa, vel pia conſuetudine eſt præſcriptum: quo titulo ergo duplum aliquando audent expoſcere! Injuſtus ſaltem talis Eccleſiaſticus ſemper mihi videretur, ut dicitur de eo, qui calicem valoris decem aureorum, viginti venderet.

II. Quamvis pro adminiſtrandis cæteris Sacramentis aliquid accipere liceat titulo eleemoſynæ, ſuſtentationis &c. ut dictum eſt in regula ſuperiori; id tamen nullatenus licet in collatione Sacramenti Ordinis, nam id expreſſe jure Eccleſiaſtico vetitum fuit, ut habetur *can. nullus Abbas can. ſicut Epiſcopum* 1. *q.* 2., & *cap. in ordinando de Simon.*, & *apud Tridentin ſeſſ.* 21. *de reform.* Quod ſi Notario non ſit conſtitutum aliquod ſalarium, poterit ſtante conſuetudine pro mercede laborum, quos facit pro Ordinandis, auri decimam partem ſumere. Si vero habeat ſalarium, neque hoc poterit recipere ratione taxæ, aut cujuſvis immemorabilis conſuetudinis &c.; nam hæc omnia damnantur a Tridentino ubi ſupra.

III. Puto etiam poſſe aliquid temporale dari ſaltem in gravi, & extrema neceſſitate Miniſtro deneganti Sacramenta. Et quidem id illicite fieri, ſi daretur pro Sacramento, patet ex dictis in Superioribus, & docet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *a.* 2. *ad* 1. ubi dicit, quod in extrema neceſſitate non licet dare pecuniam pro Baptiſmo, ſi Sacerdos nollet jamjam moriturum baptizare. At quid impedit, quin detur ad removendam injuſtam vexationem, ſive a flectendam voluntatem iniqui Miniſtri nolentis baptizare, ſive excipere confeſſionem morientis, niſi oblata pecunia? Certe licitum eſt in tali caſu illicitum terrere, minitando, ad Superiorem denuntiandum, poterit ergo & muneribus quis curare, ut a prava voluntate, & iniqua vexatione recedat. Ulterius D. Thomas loco citato in reſp. ad quintum admittit, poſt jus acquiſitum licere per pecuniam removere injuſta impedimenta; Cum ergo fideles omnes ex Chriſti conceſſione habeant jus ad omnia Sacramenta, ſi circa hoc jus injuſte impediantur, poterunt injuſtum impedimentum pecunia removere, quod tamen, ut patet non erit abſque ſimonia avari Miniſtri: *Suar. l.* 8. *de relig. c.* 12. *n.* 19. *Sanch. l.* 2. *c.* 1. *dub.* 8. *n.* 2. *Laym. l.* 4. *tr.* 10. *c. ult.* §. 2. *n.* 20.

IV. Cum ſimonia ſit negare actus ſpirituales pertinentes ad poteſtatem juriſdictionis, ſequitur, ſimoniam committere Prælatum, qui ratione acceptæ pecuniæ ſubditum non corrigeret: Sacerdotem, qui confeſſione Pœnitentis audita, negaret propter pecuniam acceptam abſolutionem, & idem dicendum de negatione abſolutionis a Cenſuris: Electorem non eligentem Petrum alias idoneum ad Beneficia &c. Cum omnes hæ negationes regulentur a poteſtate ſpirituali, & ad finem ſpiritualem ordinentur, pro iis accipere pecuniam eſt pretium temporale accipere pro re ſpirituali. Quidquid etiam plures contrarium ſentiant, videtur ſimonia, ſi Parochus propter pecuniam omitteret denunciare peccatorem non communicantem in Paſchate, quia *cap. nemo de Sim.* prohibetur Presbyteris aliquid accipere a publice peccante, ut ejus peccatum celent Epiſcopo, ejuſque Miniſtris. Accedit talem Parochum ratione pecu-

nim abuti ſuo munere, & quaſi juriſdictione; cum videatur liberate dictum Peccatorem a cenſura, & abſolvere quantum eſt in ſe impœnitentem. Videatur S. Th. 2.2.*q*.100.*a*.3.*ad* 2. & ſcribentes in ſupradictum Caput *Nemo de Sim.*

V. Quia pro ingreſſu in Religionem licet aliquid exigere ſolummodo titulo ſuſtentationis, ſequitur, non facile liberari a ſimonia Monaſteria, quæ ultra taxam ſuſtentationia aliquid de plus exigunt, v.g. a Moniali, quia eſt minus nobilia, deformis, ſeu alia infamia norata. Quod ſi exinde aliquod detrimentum temporale, ſive in facultatibus, ſive in aliqua alia re temporali Monaſterio eveniret, tunc licite illud compenſaretur per majorem dotem.

CAPUT III.

De Simonia, quæ committi poteſt ratione Beneficiorum.

Q. I. AN vendi poſſint Beneficia Eccleſiaſtica ſine ſimonia.

R. I. Committeret ſimoniam jure divino prohibitam, qui venderet Beneficium Eccleſiaſticum quoad jus adminiſtrandi ſpiritualia, ſecundum quam rationem Beneficium dicitur officium. Ratio eſt, quia tale jus, & titulus ſunt quid pure ſpirituale, adeoque jure naturali, & divino invendibile.

R. II. Saltem ſimonia eſt juris Eccleſiaſtici vendere Beneficia, quatenus important jus ad percipiendos fructus, & temporalia emolumenta, quo pacto Beneficium dicitur Præbenda, ſeu etiam abſolute Beneficium. Quod etiam ſecundum hanc rationem vendere Beneficia ſit ſimonia ſaltem juris Eccleſiaſtici, patet ea *cap. ult. de pact. cap. ſuper eo 7. de Tranſact. cap. querelam* 15. *cap. Tua nos* 34. aliiſque de ſimonia.

R. III. Simonia eſt etiam juris divini abſolute vendere jus ad temporale emolumentum, quod habet Beneficiarius. Ratio eſt, quia jus ad temporale emolumentum eſt ſemper unitum, & dicit ordinem ad officium ſpirituale, ſive ad jus adminiſtrandi ſpiritualia, cum in ipſo fundetur; adeoque dicitur *cap. ult. de reſcrip. in* 6. *Beneficium dari propter officium*, hoc eſt dari jus percipiendi temporalia propter officium ſpirituale. Cum igitur in Beneficiis jus percipiendi temporalis proveniat ab officio ſacro, & in ipſo fundetur, ſequitur, non poſſe vendi jus ad percipienda temporalia, ſi inſimul non vendatur jus ad miniſtranda ſpiritualia; non ſtat autem vendi jus ad miniſtranda ſpiritualia ſine ſimonia jure Divino prohibita, ut in ſuperioribus dictum eſt. Hinc, ut alias innui, S. Th. 2,2.*qu.* 100. *art.* 4. ponit diſcrimen inter temporale, quod conſequitur ad ſpirituale, & temporale, quod antecedenter ſe habet ad ſpirituale. Temporale quod antecedenter ſe habet ad ſpiritoale, ut materia calicis, cui advenit conſecratio, vendi ſine ſimonia poteſt, quia temporale conſideratur ut principale, nec deperdit ſuum valorem, quia ipſi adveniat conſecratio, ſeu benedictio. Si vero antecedenter ſe habeat ſpirituale, adeoque etiam ſe habeat tamquam principale, in quo fundetur temporale, ſtat, jus temporale vendi non poſſe ſine ſpirituali, cui eſt acceſſorium; & ita res ſe habet in Beneficiis, nam situlua ſpiritualis, ſive jus adminiſtrandi ſpiritualia, eſt prius, & ab ipſo provenit poſtea jus ad percipienda temporalia emolumenta: *Sanch. l.*2.*c.*3. *dub.*24.*c.*1. *Azor.* 3. *p. l.* 12.*c.* 11.*q.*3., *Laym. l.*4. *tr.*10.*c.*8.*n.*44. Hinc Alexand. VII. ſequentem damnavit propoſitionem: *Non eſt contra juſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

R. IV. Si authoritate S. Pontificis ſeparetur jus percipiendi fructus a jure miniſtrandi ſpiritualia, tunc abſque ſimonia vendi poterit jus percipiendi fructus, quia nil ſpirituale venderetur.

Obſervandum igitur eſt; quod licet Prælati Inferiores non poſſint ſeparare, & dividere neque in totum, neque in partem jus percipiendi temporalia ab Eccleſiaſticis Beneficiis, maxime ſtante prohibitione juris poſitivi, quæ habetur *tit. ne beneficia cum diminut. conferantur, cap. prohiben. de cenſ. cap. Majoribus, cap. Vacante de Præb.* & alibi; id tamen ex juſta cauſa facere poteſt S. Pontifex ut ſupremus diſpenſator omnium bonorum Eccleſiaſticorum. Et ſicut potuerunt Præbendæ uniri Beneficiis, illas deputando ad Beneficia Eccleſiaſtica, ita poterunt ſeparari, & dividi, ſive in totum, ſive in partem. Hæc autem ſeparatio tribus modis fieri poteſt. Primo, deſignando redditus Eccleſiaſticos Laicis pro miniſterio temporali exercendo; ut quando Decimæ conceduntur Principibus. Secundo, extinguendo officium ſpirituale, ſive jus ad miniſtranda ſpiritualia; & tunc jus ad redditus, qui erant beneficiales, eſt mere temporale, cum amplius non ſit jus ſpirituale, in quo fundabatur. Tertio, collato alteri titulo ſpirituali, ſibi, vel alteri reſervare ſive in totum, ſive in partem jus ad fructus, ut accidit, quando S. Pontifex imponit aliquam penſionem ſuper Eccleſiaſticum Beneficium, tunc enim, relicta Beneficiario una parte, aliam ſeparat, & ſibi, vel alteri reſervat: *Sanch. n.* 2 *Laym. n.* 45.

Q. II. An vendi, & redimi poſſint penſiones abſque ſimonia.

R. I. Suppono hic ex dictis in Tractatu de Beneficiis *cap.* 1. aliam eſſe penſionem laicalem; aliam Clericalem, ſive Spiritualem, & hanc aliam eſſe ſimpliciter ſpiritualem, aliam mixtam. Quibus ſuppoſitis,

Penſiones pure laicales vendi, & redimi poſſunt abſque ſimonia; neque enim ſunt quid ſpirituale ex parte ſubjecti, cum non expoſcant Clericatum: ſicut neque ex parte finis, cum dentur ob miniſterium pure temporale. Si igitur nulla ex parte ſint ſpirituales, patet, poſſe vendi, & redimi abſque ſimonia: *Leſſ. l.*2. *c.*35. *dub.* 22. *nu.* 123. *Laym. tr.* 10. *c. ul.* §. 5. *n.* 46.

R. II. Penſiones ſive pure ſpirituales, ſive mixtæ non poſſunt vendi abſque ſimonia, Et quidem penſiones pure ſpirituales eſſe materiam ſimoniæ de ſe patet, quia cum ſint ſpirituales ex parte ſubjecti, & ulterius ad miniſterium ſpirituale ordinentur, jam ſi venderentur, daretur temporale pro pretio rei ſpiritualis. Idem modo dicendum de penſionibus mixtis: quamvis enim titulus, ob quem traduntur, videatur temporalis, puta ſuſtentatio Clerici, compoſitio litis, &c. nihilominus cum S. Pius V. in Bulla, quæ incipit *Ex proximo*, & eſt 138. illius Pontificis, illas ordinaverit ad finem ſpiritualem, cum obligaverit hujuſmodi Penſionarios ad officium parvum B. Virginis, alias non faciant fructus ſuos &c. ratione talis finis ſunt quid ſpirituale, & proinde ex jure poſitivo invendibiles. *Pal. de Simon. diſp.*3. *p.* 13. *num.* 8.

R. III. Probabilius videtur, nec poſſe abſque ſimonia authoritate privata redimi ſupradictas penſiones, quamvis non deſint qui contradicant. Ratio reſponſionis eſt, quia aliud eſt vendere fructus ſuæ penſionis, aliud redimere penſionem. Dum venduntur fructus, non transfertur in emptorem jus, & titulus penſionis, ſed hoc remanente in Penſionario, conceditur emptori, ut vice ſua exigat fructus penſionis, & ita in hujuſmodi venditione datur temporale pro temporali. At dum redimitur penſio, nihil aliud fieri videtur, niſi emptio juris, quod habet Penſionarius ad exigendos fructus; quod jus cum dixerimus eſſe ſpirituale, quia ad finem ſpiritualem ordinatur, ſequitur, temporali pretio emi quod eſt ſpirituale, & ita intercederet ſimonia. Ut igitur id præſtari poſſit abſque labe ſimoniæ, oportet, authoritate Pontificia ſeparari penſionem ab onere ſpirituali; & tunc remaneret vendibilis, tamquam res pure laicalis: *Suar. de Sim. l.* 4. *c.* 26. *n.* 24. *Tolet. l.* 5. *c.* 92. *n.* 1. *Bonac. diſp.* 3. *q.* 4. *ſ.* 13. *n.* 4.

Q. III. An vendere, & alienare jus patronatus ſit ſimonia.

R. I. Jus patronatus, quod in præſenti ſumitur pro jure conceſſo Laicis ab Eccleſia, ut præſentent ad Eccleſiaſtica Beneficia, & hoc ex gratitudine, quia ſcilicet Eccleſiam vel fundarunt, vel dotarunt &c. non poteſt vendi abſque ſimonia ſaltem juris Eccleſiaſtici, ut patet *ex cap. de jure: cap. præterea, aliiſque de jurepatronat.*

Difficultas eſt, an venditio Juris-patronatus ſit materia ſimoniæ etiam juris Divini; in qua difficultate, quamvis non pauci affirmative reſpondeant, ſentiendum nihilominus eſt cum *S. Th.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *ad* 3. negative. Ratio eſt, quia tale jus vendere eſſet ſimonia, maxime ſi tale jus eſſet ſecundum ſe ſpirituale, & ideo eſſet ſecundum ſe ſpirituale, quia ex poteſtate Eccleſiæ ordinaretur ad finem ſpiritualem, nempe ad obtinendum Beneficium; hæc autem ratio non ſufficienter convincit tale jus eſſe ſecundum ſe ſpirituale. Et primo

dici

dici poteſt, quod dum Eccleſia ex ſua poteſtate ſpirituali conſert alicui Juſ-patronatus, id non agit ratione ſpiritualis juriſdictionis, ſed ratione Poteſtatis politicæ, quæ etiam in ipſa reſidet, & qua mediante, debet favoribus humanis proſequi eos, qui ipſi obſequia, & Beneficia impendunt. Secundo, ut aliquid per ſe ſit ſpirituale, non ſatis eſt, ſi ad ſpiritualem finem ordinetur; nam jus e. g. ad dotandas Virgines, ad redimendos captivos &c. quamvis ordinetur ad finem ſpiritualem, non proinde per ſe ſpirituale eſt. Maxime igitur eſt attendenda natura juris, quod aliquis habet, & ſi eſt favor humanus communis Clericis, & Laicis, & quod poteſt tranſire ad hæredes jure ſanguinis, non eſt dicendum per ſe ſpirituale? quia ſpiritualia hoc pacto ad alios tranſire non poſſunt. Remanet ergo jus Patroni præſentandi ad Beneficia eſſe invendibile jure Eccleſiaſtico, quatenus ſcilicet ex Eccleſiaſtico jure juſpatronatus eſt annexum Beneficio Eccleſiaſtico nam Perſona præſentata, alias idonea, neceſſario eſt inſtituenda, juxta *cap. ſignificaſti*; *ſuggeſtum de jure patronat.* Independenter autem a jure Eccleſiaſtico præſentatio eſſet actus naturalis, nullam dans capacitatem ad Beneficium; & Patronus nil aliud ageret; quam apponere conditionem, qua poſita, Epiſcopus Beneficium conferret, *Navar. in Man. c. 23. n. 99. Sanch. conſil. c. 1. l. 2. c. 3. dub.* 48 *n.* 10.

R. II. Jam dixi *tr. 5. cap. 4. quaſt.* 2. diverſis modis in alios transferri poſſe Juſ-patronatus, & tunc ſolum in hoc intercedere ſimoniam, quando ratione ipſius exigitur aliquod temporale emolumentum, ſeu remiſſio debiti &c.

Q. IV. An redemptio Vexationis ſit immunis a labe ſimoniæ.

R. I. Tria hic ſunt adnotanda. Primum eſt, aliter ſe habere *jus quæſitum*, & aliter *jus acquirendum*. *Jus quæſitum* idem eſt ac *jus in re*, hoc eſt, tunc intervenit, quando vel res jam de facto habetur, vel ſi interdum nondum poſſideatur, adhuc tamen datur plenum jus ad illam poſſidendam. Ita habet *jus quæſitum* in Beneficio ille, qui ipſum jam poſſidet, vel ſi illud non poſſidet, habet jam collationem illius a legitimo Superiore, unde illi debetur ex juſtitia commutativa. *Jus vero acquirendum* importat quidem idoneitatem Perſonæ ad aliquid habendum, ſed non tamen illud eſt debitum ex juſtitia commutativa, & dici aliquando ſolet jus ad rem. Item hoc jus acquirendum, ſive ad rem, duplex eſt, remotum & proximum. Jus ad rem proximum habet ille, qui electus communibus ſuffragiis, vel præſentatus a Patrono, nondum tamen habet confirmationem, ſeu inſtitutionem. Secundo, adnotare eſt, vexationem poſſe eſſe juſtam, quæ dicitur *de jure*, & injuſtam, quæ dicitur *de facto*. Tertio, vexatio poteſt eſſe ab eo, qui poteſt ſimul obeſſe, & prodeſſe, & ab eo, qui poteſt dumtaxat obeſſe. His poſitis

Poſt jus quæſitum, indubitatum, & certum in Beneficio, licitum eſt redimere pecunia injuſtam vexationem. Ita habetur *cap. dilectus can. 1. de Sim. quæſitum 1. q. 3.* Et ratio eſt quia tunc pecunia nihil Spirituale emitur, vel acquiritur, cum jus in Beneficio jam ſit certum, & indubitatum, ſed tantum removetur impedimentum temporale injuſtum. Dixi ſi jus quæſitum ſit indubitatum, & certum nam ſi; jus ſit dubium, & circa illud ſit vexatio, jam qui daret pecuniam ad tollendam vexationem daret pecuniam pro re ſpirituali, quatenus vellet pecunia reddere firmum, & certum jus, quod habet ab Beneficium *D. Th. 2. 2. qu. 100. a. 5. ad 5. Suar. l. 4. cap. 40. Sanch. conſ. t. 1. 2. c. 3. d. 3. n. 3. & 4. Laym. tr. 10 c. ult. §. 2. n. 22. & 29.*

Idem dicas, ſi poſt jus quæſitum certum, & indubitatum detur pecunia, ne Prælatus e. g. privet aliquem Beneficio ob crimen commiſſum; nam dicet tunc jus ſit certum, eſt tamen irritabile; unde ſi detur pecunia, datur, ut firmetur in illo jure, & proinde datur pro re ſpirituali. Quapropter, ut poſt jus quæſitum certum licitum ſit pecunia vexationem redimere, neceſſe eſt, eſſe injuſtam: *Laym., & Sanch. loc. cit. Leſſ. l. 2. c. 35. dub.* 18. *num.* 107.

Solet diſputari, an habens jus indubitatum ad Beneficium per legitimam præſentationem, inſtitutionem, electionem, confirmationem &c. poſſit dare pecuniam abſque ſimonia illi, qui ipſum vexaret circa poſſeſſionem. In hac igitur quæſtione, ſi non revocetur in dubium jus, ratione cujus pretenditur poſſeſſio, probabilius cenſeo, ſine ſimonia dari poſſe pecuniam injuſte impedienti poſſeſſionem. Ratio mihi eſt, quia in tantum poſſeſſio Beneficii reputatur quid ſpirituale, in quantum annexa eſt titulo ſpirituali: cum igitur ſemper titulus, ſeu jus ad poſſidendum Beneficium, eſt indubitatum, jam habetur quidquid eſt ſpirituale; unde pecunia, quæ daretur, non eſſet pro re ſpirituali, ſed pro temporali poſſeſſione, quæ ſupponit titulum, ſeu jus ſpirituale: *Suar. l. 4. cap. 50. num. 31. Leſſ. cit. num.* 110. *Filiuc. tr. 45. cap. 11. qu. 4 numer.* 10.

R. II. Si aliquia dumtaxat habeat jus acquirendum, non poteſt dare pecuniam, ut redimat injuſtam vexationem, quando ille, qui apponit injuſtam vexationem, poſſit ſimul obeſſe, & prodeſſe, ſecus ſi tantum obeſſe poſſit.

Prima pars reſponſionis patet *ex cap. Matthæus de Sim., & cap. ſicut tua eod. tit.* Ratio etiam ſuffragatur, quia ideo poſt jus acquiſitum licet pecunia redimere injuſtam vexationem, quia jam ſpirituale habetur; unde pecuniam non emitur aliquid ſpirituale, ſed tantum tollitur impedimentum. Qui vero dumtaxat habet jus acquirendum; nondum habet titulum, ſive jus ſpirituale actuale in Beneficio; & per conſequens ſi det pecuniam ei, qui poteſt prodeſſe ad acquirendum Beneficium, puta Electori, Inſtitutori &c. jam pecunia non tantum deſervit ad redimendum Impedimentum, ſed etiam ad acquirendum jus in re ad Beneficium, adeoque etiam pro re ſpirituali daretur, ut dicit, *S. Th. 2. 2. qu.* 100. *a. 5. per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam.*

Secunda vero pars probatur, quia eo ipſo quod detur pecunia illi, quia ſolum poteſt obeſſe, & non prodeſſe, jam non datur pro re ſpirituali, cum injuſtus vexator illam conferre non valeat, ſed pro auferendo injuſto impedimento, quod eſt quid temporale: & aliunde unuſquiſque habet jus acquiſitum, ne lædatur in fama, ne ſibi aliqua fiat injuria, ne injuſte detineatur, ut impediatur, ut poſſit concurrere ad Beneficium: *Suar. l. 4. cap. 50. num. 23., Sanch conſ. t. 1. l. 2. c. 3. dub. 20. numer. 4* & 5. *Laym. tr. 3. cap. ult. §. 2. num. 22. Filiuc. tr. 45. c. 11. q 3.*

Hoc idem valet circa Electores, Inſtitutores &c. ad Beneficium, ſi impedimenta non apponant ut Elector, & Inſtitutor, ſed ut privata Perſona, aliquam e. g. injuſte deſtinendo, ſeu injuſte infamando; nam tunc cum agant ut privata Perſona, conſiderantur tanquam illi, qui poſſunt ſolum obeſſe, & non prodeſſe. Ita Authores citati.

Semper etiam advertere eſt, prædicta valere de eo, qui daret pecuniam ad tollendam vexationem injuſtam, non vero ſi vexatio ſit juſta. Hinc ſimoniam committeret, qui daret pecuniam volenti zelo juſtitiæ verum crimen manifeſtare; nam tunc, cum non poſſit dici, dari pecuniam ad removendum injuſtum impedimentum, ſequeretur, dari ad parandam ſibi viam ad Beneficium.

Q. V. An ſit ſimonia dare pecuniam Electoribus, ut non eligant indignum, ſive etiam dignum in conſpectu dignioris.

R. Cum dixerimus poſt jus quæſitum in aliqua re, licitum eſſe redimere pecunia injuſtam vexationem contra illud jus, ſequitur, quod cum Eccleſia habeat jus quæſitum, ne eligatur indignus, ſive dignus in conſpectu dignioris, ut ex *Trid. ſeſſ. 4. cap. 18. & ex propoſitione 47. ex damnatis ab Innoc. XI.* ſequitur, inquam, quod poſſit pecunia removeri talis injuſta vexatio contra jus quæſitum Eccleſiæ: *Navar. in Man. c. 23. n.* 108. *Laym. loc. cit. nu. 23., Suar. & alii apud Bonacinam diſp. 1. q. 6. p. 5. n.* 11. & 1v.

Duo tamen hic ſunt advertenda. Primum eſt, non licere dare pecuniam pro cauſa ſupradicta, ſi Electores non eſſent parati, vel inclinati ad eligendum indignum, ſive dignum in conſpectu dignioris; nam ſi non eſſent ita parati, & inclinati, non daretur pecunia pro excludendo malo injuſte inferendo contra jus quæſitum Eccleſiæ, ſed propter ipſam electionem, quod eſt manifeſta ſimonia. Secundum eſt, quod dum eſſent modo prædicto parati, non deberet dari pecunia pro eligendo e. g. Petro digniore, ſed tantum pro eligendo digniore ut ſic, abſque eo quod aliqua determinaretur Perſona. Ratio eſt, quia ſi detur pecunia pro eligendo digniore, abſque eo quod determinetur Perſona, intentio dantis per ſe primo reſpicit ſolum qualitatem Perſonæ, quam ſecundum diſpoſitionem juris inſpicere debent Electores. Si vero detur pecunia pro electione determinatæ perſonæ; e. g. Petri quamvis ſit dignior, committitur ſi-

munia, cum pecunia mediante paretur ipſi via ad Beneficium, ad quod nullum habet jus quæſitum: *Laym. ſ.2. n.23. Palaus de Sim. diſp.3. p.50. n.9.* Cæterum ſemper abſtinendum, ſi aliud non ſuaderet graviſſima Eccleſiæ neceſſitas, a dando aliquid temporale Electoribus, nam eligendo ob acceptam pecuniam ſimoniace eligerent, adeoque ipſorum electio nulla eſſet.

Q.VI. An Beneficia permutari poſſint abſque ſimonia.

R. Suppono, alias res ſpirituales, quæ non ſunt Beneficia, poſſe ad invicem abſque ullo peccato permutari. Et primo hujuſmodi permutatio non eſt contra jus divinum; nam hoc ideo prohibet pro temporali dare ſpiritualia, quia hæc tunc nimis vilipenduntur, quod non evenit, dum res ſpirituales inter ſe commutantur. Secundo, hujuſmodi permutationes non ſunt contra jus commune; nam quamvis *can. quam pia 1. q. 2. cap. ſuper eo, cap. quam pridem, & ult. de pact.* prohibeatur omnis pactio pro ſpiritualibus conſequendis, hujuſmodi jura intelliguntur de pactis dandi temporale pro ſpirituali. Advertendum tamen, ne dum commutentur ſpiritualia, quæ habent antecedenter aliquid temporale, ut calix, veſtes ſacræ &c. compenſetur exceſſus rei ſpiritualis cum materia majoris valoris: ut ſi quis permutaret Roſarium materiæ pretioſæ cum alio Roſario communis materiæ, quia hoc Roſarium majores haberet Indulgentias. Pariter obſervare eſt, quod talis permutatio debet fieri inter res ejuſdem ordinis; ita non permutaretur abſque ſimonia calix cui temporale eſt antecedenter annexum, cum Beneficio, cui temporale annectitur conſequenter. Immo dum commutantur ſpiritualia ejuſdem ordinis, poteſt licite intervenire pecuniæ compenſatio, ſi temporale eſt antecedenter annexum, ut dum commutarentur duo Calices diverſi valoris; non vero ſi temporale ſit conſequenter annexum ſpirituali, ut ſi commutaretur Beneficium tenue cum Beneficio pingui: *Suar. t. 1. de Relig. tr.3. n.5. Leſſ. l.2 c.35. dub.3. n.22. & dub. 4. n.31., Palaus diſp.3. p.15. n.1.* His poſitis,

Quamvis non eſſet ſimonia juris Divini Beneficiorum permutatio, eſſet tamen ſimonia juris Eccleſiaſtici. Quod non eſſet ſimonia juris divini, conſtat ex dictis, nam tunc datur talis ſimonia, quando datur temporale ut pretium rei ſpiritualis, quod in caſu noſtro non eveniret. Quod vero ſit ſimonia juris Eccleſiaſtici probatur, quia, ut alias dictum eſt, cum Eccleſia prohibuerit tales permutationes ex motivo religionis, & ad removendum periculum, ſpeciem ſimoniæ, tunc ex violatione talis præcepti conſurgit peccatum ſimoniæ. Cum igitur Eccleſia prohibuerit hujuſmodi permutationes, ne Clerici viderentur diſponere de Beneficiis, tamquam de rebus profanis, & ne in iis potius videretur attendi ad temporales proventus, quam ad ſpiritualia; quod non caret ſpecie mali, ſequitur, id fieri non poſſe abſque ſimonia: *Sanch. conſ. l.5 c.3. dub.24. n. 6. & dub. 37. num. 1. Suar. l.4. c 31. n.8. Laym. tr.10. c.ult. ſ. 5. n. 50.* Quod vere dicta commutatio ſit prohibita ab Eccleſia, patet ex *cap. quæſitam, cap. cum oli. de rer. permut. cap. majoris de Præb. cap. ult. de pact. cap. præterea de tranſact. cap. tua nos de bigam.*

Porro nomine Beneficiorum, quorum permutatio eſt prohibita, veniunt omnia ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa, quamvis in rigure non ſint Beneficia, qualis eſt Capellania; ſeu Vicaria etiam ad nutum amovibilis, penſio non erecta in Beneficium &c. nam *cap. quæſitam* prohibentur omnia pacta in iis, quæ ſpiritualibus annexa ſunt. Item prohibitæ tamquam ſimoniacæ omnes actiones Beneficiis annexæ, ad ipſum ordinatæ, ut ſi electores inter ſe dicant: *Tu elige hunc, & ego eligam illum: confer huic Beneficium, & ego eligam illum: renuncia mihi Beneficium ſimplex, & ego te præſentabo ad Beneficium mei juriſpatronatus &c.* Ratio eſt, quia dum hæ actiones permutantur virtualiter permutantur ipſa Beneficia ut de ſe patet. Quia tamen jura non prohibent præfatas permutationes niſi in defectu conſenſus Superioris inde eſt, partes poſſe inter ſe agere, & convenire de permutatione facienda, & de ſtando tractatui, & conventioni factæ, quando Superior conſenſerit: *Suar. l. 4. c. 35. n.7. Laym. tr.10. c.ult. ſ. 5. n. 50.* Semper tamen advertendum: ut neque pro una parte conventio exequatur, antequam accedat beneplacitum Superioris.

Nomine autem Superioris valentis admittere permutationem in Beneficiis, venit Ordinarius: *cap. inter cætera de Præb. cap. quæſitum, cap. univerſorum, cap. cum olim, & fin. l. de rer. permut. & cap. unic. eod. tit. in 6.* & quia hæc facultas competit Superiori, ſive Ordinario ratione juriſdictionis, non Dignitatis, ut notavit *Gloſſa in Clem. Unic. de rer. permut.* inde eſt, talem facultatem competere etiam Capitulo ſede vacante. Aliqui afferunt in contrarium quemdam motum S. Pii V. editum anno 1567. ſed teſtantur DD. illum fuiſſe revocatum anno ſequenti, & permitti Ordinariis admittere renunciationes cauſa permutationis juxta Canonicas Sanctiones; *Sanch. t.1. conſil. l.2. c.3. d. 28. a n. 18.* Hic etiam advertere eſt Epiſcopum non poſſe admittere permutationes Beneficiorum, quæ ſunt Sedi Apoſtolicæ reſervata, quamvis aliqui contrarium ſentiant, neque etiam concedere permutationes inter jura ad rem, ut ſi duo præſentati ad aliquod Beneficium velint viciſſim ſua jura permutare. Ratio eſt, quia Canones ſolum permittunt, permutari beneficia, de quibus habetur plenum jus quæſitum, ut *ex cap. unic. de rer. permut. in 6. Sanch. citat. dub. 37. n.6. Garz. de Benef. 2. p. c.4. n.15.*

Q. VII. An Ordinarius poſſit compenſare pecunia, aut penſione inæqualitatem fructuum Beneficiorum, quæ permutantur.

R.I. Certum eſt, non poſſe hujuſmodi compenſationem fieri pecunia; nam ille exceſſus fructuum, qui pecunia tradita compenſaretur, annexus eſt ſpirituali titulo Beneficii, adeoque ſi pecunia traderetur, jam traderetur etiam propter aliquod ſpirituale acquirendum, & ſic eſſet manifeſte ſimonia: *Navar. in Man. c. 23. n. 105. Sanch. l.5. c.3. dub.12. n.6. Filiuc. tr. 43. q.11.*

R.II. Poteſt Epiſcopus aliqua penſione facere dictam compenſationem, ſi imponat penſionem ſuper ipſis Beneficiariis, quibus proinde morientibus ſtatim ceſſet, non vero ſuper ipſis Beneficiis. Quamvis ergo magis communiter negent Authores Epiſcopo facultatem gravandi Beneficia penſionibus, ex pluribus textibus ſub titulo *ut Beneficia ſine diminutione conferantur*, non tamen neganda illi eſt facultas ex juſta cauſa gravandi Beneficiarios nam tunc ipſa Eccleſia non gravatur, quod, canones intendunt prohibere: *Barb. de offic. & poteſt. Ep. p. 3. alleg. 85. n.3. & 4. Pal. t.5. tr 13. diſp.1 p. 11 ſ. 2. n. 4.* Inter juſtas autem cauſas imponendi has penſiones una eſt inæqualitatem fructuum compenſare *cap. ad qu. 6. de rer. permut.*

Q.VIII. An ſine ſimonia fieri poſſint tranſactiones in Beneficiis.

R. Tranſactio eſt pactio non gratuita de re dubia, & lite incerta ad dirimendam litem. Quando igitur unus ex litigantibus ſine pactione oneroſa, hoc eſt, omnino gratis, cedat actioni, & juri, de quo lis eſt, proprie non dicitur tranſactio, ſed amicabilis compoſitio, ſeu gratuita donatio; & ad hanc amicabilem compoſitionem non eſt neceſſaria Superioris authoritas, ut *ex c. ſuper eo de tranſact.* Proprie igitur tranſactio intervenit, quando exiſtente re dubia, adeoque lite incerta, partes ad dirimendam litem conveniunt inter ſe de quadam permutatione facienda: *l. 1. ff. de tranſact.* Non oportet autem, motam eſſe litem; ſed ſatis eſt ſi timeatur; nam timor litis excitandæ vel de jure, vel de facto ſufficit ad validam tranſactionem: *leg. 2. cum te proponas Cod. de tranſact.*

Pariter notandum eſt, tranſactiones circa res ſpirituales nullatenus eſſe illicitas, quando res ſpiritualis cum alia re ſpirituali tranſigitur; ut ſi, ſtante controverſia circa aliquam reliquiam, ad componendam litem dividatur. Cæterum jure Eccleſiaſtico prohibetur tranſigere ſine Pontificis authoritate circa jus Decimarum cum Laicis: *can. Decimas 16. q. 7. cap. veniens de tranſact. cap. venerabilis de confirmat. atil. & inutil.* Quod ſi fiat hujuſmodi tranſactio inter perſonas Eccleſiaſticas, ſufficit conſenſus Epiſcopi: *cap. ſtatuimus de tranſact.* Denique cum jure Eccleſiaſtico, ut dixi in ſuperioribus, vetitum ſit vendere officia Oeconomi, Vicedomini, Sacriſtiæ &c. non erit licitum tranſigere circa talia officia, tradita pecunia; quæ omnia, ſi non adeſſet prohibitio Eccleſiæ, fieri poſſent abſque ſimonia. His præſuppoſitis loquendo de Beneficiis.

Nunquam licita eſt inter litigantes ea tranſactio, qua jus ſpirituale remittitur pro aliquo temporali, ut ſi componatur lis beneficiaria taliter ut retinens beneficium alteri tradat pecuniam. Ratio eſt, quia in tali caſu commutaretur res ſpiritualis pro temporali, quod non eſt ſine manifeſta ſimonia; ac proinde talis tranſactio rejicitur *cap. cum pridem de pactis, cap. fin. de rer. permut. cap. præterea 1. & 2. de tranſact. & alibi.*

In materia Beneficiaria ſimoniaca eſt etiam quæcumque alia tranſactio, ſi fiat authoritate privata; ut patet

Digitized by Google

tet *ex cap. conſtitutus de relig. domib. cap. ſuper eo de tranſact.*, *& cap. niſi eſſent de præb.* ubi admittitur quod Judex inter duos electos ad aliquam dignitatem, alterum confirmet, & alteri conſtituat penſionem, & aſſeritur, hanc aſſe pulcherrimam juris diſpoſitionem. Sicut igitur diximus ſupra authoritate Superioris licitas eſſe in Beneficiis permutationes, juſta cauſa interveniente, ita & a S. Canonibus permittuntur tranſactiones, quæ parum differunt a permutationibus: juſta autem cauſa ibi interveniens eſt bonum pacis; neceſſitas alimentorum reſpectu illius, qui cedit juri ſuo; labor, & expenſæ, quas fecit in proſequenda lite &c. Diſponit vero jus ibi, intervenire debere anthoritatem Superioris, ut omnis præſumptio malitię, & mali ſpecies removeatur; *Suar. l.2. c.51. num. 16. & 22. Bonac. de Sim diſp.1. q.4. §.15. n. 8. Garz. de Benef. p. p. c,5. a n. 348. Laym. tr. 10, c. 8. §. 5. n. 58 & 59.* Verum taman eſt, ex probabiliori opinione, & ſtylo Curiæ obligationem ſolvendi penſionem impoſitam in hujuſmodi tranſactionibus, non tranſire ad ſucceſſores Beneficii, ut habetur *cap. niſi eſſent de Præb,* ubi approbatur tranſactio, ita ut unus habeat Beneficium, & alteri quædam pecuniæ ſumma quotannis detur, dummodo remaneat onerata perſona. Beneficiarii, non ipſum Beneficium, na videatur facta diviſio Beneficii; *Garz. p. p. c. 5. n. 334. Azor. 2. p. l. 8. c. 6. q. 3. Bonac. d. 1. q. 4. §. 15. n 9.*

Advertas tamen, Judices, ſeu Arbitros in hujuſmodi tranſactionibus faciendis debere aſſe Clericos, ut patet *ex cap. 2. de Arbitr.*

Q. IX. Quando interveniat ſimonia in Beneficiorum, renuntiationibus.

R. I. Licita eſt renunciatio, ſeu abdicatio, & ceſſio Beneficii, abſolute, & libere facta coram Epiſcopo, ad quam tamen requiritur, ut ab ipſo acceptetur; *cap admonet, cap. Quod in nobis, cap. fin. de renunciat.* Hinc ſi renunciatio Beneficii pacifice acquiſiti, quamvis nondum poſſeſſi, non acceptetur, renuntians retinet illius titulum. Dixi Beneficii pacifice acquiſiti; nam ſi Beneficium ſit litigioſum, poteſt quiſque ipſi renunciare abſque Superioris authoritata. Item dicas, ſi ſolum habeatur jus ad rem ad Beneficium, & ita poteſt quis propria authoritate renunciare præſentationi, alectioni, & nominationi de ſe factæ: *cap. ad audientiam 2. de reſcript. cap. ſane de renunciat.*

Quando vero Ordinarius admittit reſignationes libere, & abſolute factas, advertendum eſt, aliquam debere intervenire cauſam, ut conſtat *ex Conſt. 58. S. Pii V. incip. Quanta Eccleſia &c.* & ſi aliqua juſta cauſa adſit, poterit Epiſcopus, cui maluerit conferri Beneficium libere reſignatum, dummodo non conferat ſuis, aut Conſanguineis Reſignantis, affinibus aut Familiaribus; nam hoc prohibetur in dicta Conſtit., & aliter factum declaratur irritum, & inane, additis pœnis contra aliter facientes. Vida etiam ea, quæ dixi *de Benef. cap. 6. qu. 3.*

R. II. Non poteſt Epiſcopus admittere renunciationes factas in favorem tertii; nam in ſupradicta conſt. interdicitur Epiſcopis, aliiſque Collatoribus admittere renunciationes factas cum pacto, ſeu conditione, vel deſignatione futuri ſucceſſoris, & inſimul irritatur aliter factum. Accedit, non poſſe Epiſcopum de novo conferre Beneficia, niſi prius vacent: *cap. unic. de rer. permut. in 6. & Clem. unic. eod. tit.* dum autem Beneficium reſignatur ſub conditione, ut alteri conferatur, non intelligitur vacans, niſi poſtquam adimpleta eſt talis conditio; adeoque, ſi conferatur, confertur quando nondum eſt vacans. Ad hanc igitur reſignationem Papæ conſenſus expoſtulatur: *Leſſ. l. 2. cap. 35. dub. 14. n 87. Azor. p 2. l. 7. c. 21. q. 2. Palaus, diſp. 3. 27. n. 3.* Verum tamen eſt, quod ſi non intercedat pactum cum Ordinario, quod acceptabit reſignationem, & conferet Beneficium Perſonæ deſignatæ, in tali reſignatione non intervenit ſimonia, quia ſine tali pactu nullus datur contractus oneroſus, & poteſt Epiſcopus talem reſignationem abjicere; ubi autem contractus oneroſus non eſt, neque eſſe poteſt ſimonia *Sanch. t. 1. Conſ. l. 2. c. 3. d. 35. n. 1. & d. 36. nu. 16. Bonac. diſp. 1. q. 4. §. 14.*

Si pariter ita reſignans Beneficium coram Ordinario dumtaxat exprimat ſuam intentionem, & ſpem, Beneficium conferendum certæ perſonæ, tunc talis reſignatio non erit ſimoniaca; nam jura ſolum prohibent pacta in ſpiritualibus ob motivum Religionis, non vero vetant, reſignantem Beneficium poſſa ſuam intentionem exprimere. Et hoc pacto intalligenda eſt Conſtitutio ſupra citata S. Pii V. *Sanch. conſil. t. 1. l. 2. c. 3. dub. 36. n. 23. Azor. q. 3. Pal n. 10.*

R. III. Reſignatio, qua aliquis coram Ordinario reſignat Beneficium cum reſervatione penſionis eſt ſimoniaca, & id probatur ex omnibus juribus, quæ ob motivum Religionis prohibent conferri Beneficia cum diminutione. Hic tamen notandum valde probabile eſſe, ſuppoſita reſignationa Beneficii, poſſe Ordinarium ex juſta, & rationabili cauſa penſionem imponere in favorem reſignantis. Quamvis igitur hujuſmodi reſignatio fieri debeat, ſecluſo omni pacto, & conditione: *Barboſ. l. 3. jur Eccleſ. c. 15. n 179.* & omnino ſimoniacum ſit paciſci de penſione apponenda Beneficio reſignando: *Fagn. c. niſi ceut n. 18. & 19. de Præb.*; jus tamen non obſtat, quin ſuper Beneficio reſignato Epiſcopus ex juſta cauſa imponat penſionem in favorem reſignantis: *cap. niſi eſſent 21. de præb. ibique Barboſ. n. 8. Fag. n. 28. Garz. de Benef. p. 2. c. 5. a n. 295. Gonzal. ad reg. 8. Cancell Gloſſ. 5. §. 5. n. 27. & apud ipſum Rota.* Verum tamen eſt, magis in jure fundatam eſſe opinionem, quæ aſſerit, ſolum Papam imponere poſſe penſionem, quæ tranſeat ad Succeſſores in Beneficio; *Cardin. de Luc. de penſ. d. 40. n. 4.*

R. IV. In renunciationibus intervenit ſimonia, ſi renuntians exigat a Renunciatario expenſas factas in conſervatione, & acquiſitione Beneficii. Id autem probatur, quia in materia Beneficiorum omnis pactio oneroſa aſt ſimoniaca, ut *ex cap. quæſitum de rer. permut. & cap. ult. de pact.* Ulterius reſignans, exigendo expenſas olim factas, quia renunciat Beneficium, exigeret temporale pro ſpirituali. Poterit igitur reſignans licite petere a reſignatario indemnitatem laboris, & expenſarum conjunctarum cum ipſa reſignatione, cum hæc omnia præſtet in commodum reſignatarii; neutiquam vero, ſi Papa admittat hujuſmodi reſignationem, expenſas factas pro acquiſitione, & conſervatione Beneficii, cum factæ fuerint in commodum ipſius reſignantis: *Leſſ. l. 2. c. 35. a n. 93., Suar. de Sim. l. 4. c. 35. num. 23. Bonac. de Sim. diſp. 1. q. 4. §. 14.*

Q. X. Quando reſignatio confidentialis ſit ſimoniaca.

R. Reſignatio confidentialis ita dicitur a confidentia, quam habet reſignans Beneficium in manibus legitimi Prælati, quod ſcilicet reſignatarium idem Beneficium iterum reſignabit ad favorem reſignantis, vel alterius ad ipſius beneplacitum; vel ſaltem aſſignabit penſionem, ſeu certam partem fructuum Beneficii. Idem dicas, ſi Patronus, ſeu Elector præſentet, ſeu eligat aliquem ad Beneficium cum ſpe, ut iterum ſibi, vel ſuis Filiis, cum nullum interim habeat capacem Beneficii, vel conſanguineis ſuis, data opportunitate, reſignabit, ſeu ſolvet penſionem, ant aliquam partem fructuum. His poſitis.

Ad incurrendam Simoniam in reſignatione confidentiali requiritur pactum expreſſum, vel tacitum, quod reſignatarius aliqua ex prædictis præſtabit; nec ſatis eſt, ſi reſignans habeat de prædictis ſolam ſpem, & confidentiam ob gratitudinem reſignatarii. Ratio eſt, quia hujuſmodi reſignationes confidentiales tamquam Simoniacas damnarunt Pius IV. in ſua Conſtit. quæ incipit *Romanum &c.* & eſt 85. illius Pontificis, & S. Pius V. in ſua Conſtit. 85. incipit. *Intollerabilis &c.* at utraque harum Conſtitutionum videtur tantum damnare reſignationes cum pacto expreſſo, vel tacito. Et quidem has damnaſſe Pium IV. patet ex prœmio ipſius Conſtitutionis, ubi dumtaxat confidentias jure antiquo illicitas damnare colligitur illis verbis: *Sane licet dudum cum certam Simoniacæ gravitatis ſpeciem, quam Beneficiorum confidentiam vocant &c.* Eaſdem confidentias damnare intendit S. Pius V., cum velit damnare confidentias *contra juris communis ordinationem*. Cum igitur jure antiquo intelligerentur prohibitæ ſolæ confidentiæ, quæ cum pacto, & animo obligandi reſignatarium fiebant; nam confidentia cum ſola ſpe in gratitudine Reſignatarii (ſi maxime primo, & unice non reſpiciat, ut vel Beneficium, vel fructus illius ex gratidine tribuat, dimittat &c. ut dixi ſupra *cap. 1. qu. 5.*) da ſe nullam pravitatem importat: in præfatis proinda Bullis ſolæ confidentiæ prohibentur, quæ fiunt cum pacto &c.

Quando igitur ſequatur reſignatio confidentialis cum prædicto pacto, tunc in dictis Conſtitutionibus ſpecialiter prohibentur reſignationes cum acceſſu, regreſſu, vel ingreſſu ad Beneficia, & omnes aliæ reſignationea, & receptiones Beneficii cum reſervatione penſionis, vel fructus &c. Porro *acceſſus* ad Beneficia dicitur, dum alicui ob ætatem, vel alia de cauſa impedito a Prælato con-

conſectur jus ingrediendi ad Beneficium, quando fuerit capax, & interim datur alicui, ut tunc illud reſignet. *Regreſſus* ad Beneficium intervenire dicitur, ſi Reſignans alteri cedat Beneficium, ſibi reſervato jure ad illud regrediendi, ſi e.g. penſionem non ſolvat, fiat Religioſus &c. *Ingreſſus* denique ad Beneficium datur, ſi Petrus e.g. ante acceptationem Beneficii ſibi collati, alteri reſignet, ſervato jure ingrediendi ad illius poſſeſſionem; ſi Reſignatarius præmorietur, fiat Religioſus &c, Hæc omnia pacta in dictis Conſtitutionibus prohibentur.

Aliqui volunt in præfatis Conſtitutionibus etiam tamquam Simoniacas prohiberi reſignationes factas abſque ullo pacto, dummodo reſignans reſignet Beneficium cum ſpe, & confidentia, quod reſignatarius iterum ſibi, vel Filio, aut Conſanguineo reſignabit, vel partem fructuum dabit &c, & id dicunt haberi ex Conſt. S. Pii V. ubi damnat confidentiam, quæ adeſt *etiam ſola dimittentis intentione*; & ulterius, *licet ipſum confidentiæ crimen alterius tantum partis conſcientia ſit admiſſum*. En igitur quod abſque pacto, quod intervenire non poteſt ſine placito, & conſenſu ſaltem duorum, *leg. 1. ff. de pactis*, damnatur confidentia, quæ eſt in ſola intentione, vel conſcientia unius. Reſpondetur nihilominus, ibi non dici ſolam intentionem unius ſufficere ad inducendam Simoniam confidentialem, ſed quod, ſi probetur talis intentio, facit præſumere adeſſe Simoniam confidentialem: & de facto uterque Pius aſſignat quaſdam præſumptiones, ex quibus in foro externo eſt præſumendum vitium confidentiæ: *Azor. 2. p. l. 7. c. 27. q. 10. & 11. Suar. t. 1. de Relig. tr. 3. l. 4. c. 44. n. 12., Sanch. Conſil. t. 1. l. 2. c. 3. d. 34. n. 2. Leſſ. l. 2. c. 35. a n. 95.* Non negaverim tamen, in praxi valde periculoſum eſſe conferre Beneficium cum prædicta intentione &c.

Q. XI. An intercedat Simonia Confidentialis, ſi Beneficium ea conditione reſignetur, ut reſignatarius aliud Beneficium, vel alios fructus refundat in reſignantem.

R. In Bullis Pii IV. & S. Pii V. ſolum fit mentio de reſignatione, collatione, vel ceſſione Beneficii ſub confidentia illud met Beneficium recuperandi, vel accipiendi ſaltem partem fructuum Beneficii, ſeu quod hujuſmodi tradantur alicui tertio deſignato a Collatore, vel Reſignante. Si ergo intercedat confidentia aliud Beneficium conſequi, vel fructus alterius Beneficii, vel alia ſpiritualia, vel temporalia, non interveniet Simonia confidentialis, de qua in præfatis Bullis. Idem dicendum, ſi conferantur, vel reſignentur penſiones, quamvis cum confidentia, ut aliquo pacto, vel in parte, vel in totum conferenti, vel reſignanti reſtituantur; nam in iiſdem Bullis ſermo eſt de confidentia in Beneficiis, penſiones autem in toto rigore non ſunt Beneficia. Advertere tamen eſt, in præfatis omnibus intercedere Simoniam conventionalem; unde habent locum omnes pœnæ, quæ poſſunt habere locum contra hanc Simoniam, non vero pœnæ inflictæ contra confidentialem. *Leſſ. l. 2. c. 35. d. 16. n. 97. Suar. l. 4. c. 43. n. 4., Pal. diſp. 3. p. 18. n. 1.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum omne temporale, quod detur ratione Beneficii obtinendi, immune eſſe non poſſit a fœdiſſima Simoniæ labe, inde eſt, in Collationibus Beneficiorum neque licitum eſſe aliquid dare pro expeditione litterarum Collationis Beneficii, pro Bullæ regiſtratione, aut ſubſcriptione, vel appoſitione Sigilii, cum quod datur, ſemper daretur ut pretium pro aſſequendo Beneficio, ſecus ſi detur pro ſalario Notarii &c. Immo ſimonia eſt etiamſi ſolum promittatur aliquid temporale pro Beneficio conferendo, ut patet *ex cap. cum eſſent de Sim.*

Idem dicas, ſi fiat ſponſio cum Collatore decem e.g. aureorum, non collaturum Beneficium ſibi, vel ſuo Amico &c. ſive etiam fiat cum aliquo valde familiari Collatori; in his enim caſibus ſub prætextu ſponſionis idem eſt ac dare temporale Collatori, ſive Mediatori pro Beneficio obtinendo, quod non eſt abſque Simonia, ut *ex textu in Extra. 2. de Sim.*

II. Cum paretur via ad Beneficium obtinendum, etiamſi temporale non detur Collatori, ſed ipſius Familiari, ſequitur, neque poſſe abſque Simonia pecuniam dari Mediatori; ut procuret Beneficium, ſemper enim verificaretur, mediante re temporali, rem ſpiritualem acquiri; unde ita habet *Can. præſentium 1. q. 5., & can. ſtatuimus 1. q. 1.* Idem dicas, ſi pecunia, ſive alia res temporalis detur Interceſſori mediato, v.g. famulo alicujus Miniſtri ipſius Collatoris, ad hoc ut intercedat apud illud Miniſtrum, & iſte apud Collatorem. Et ratio ſemper eſt eadem, quia, etiam in hoc caſu pretio paratur via ad Beneficium, ſive datur pretium pro Beneficio.

III. Cum dixerimus abſque Simoniæ labe vendi fructus penſionis; quia in tali venditione non transfertur jus, & titulus penſionis, ſed ſolum conceditur Emptori, ut nomine Penſionarii illos exigat: cum, inquam, licita ſit talis venditio, poterit Beneficiarius anticipata ſolutione emere omnes fructus durante vita Penſionarii. Hic interim retinet titulum penſionis, adeoque habet obligationem recitandi Officium; & ſi præmoriatur, Beneficiarius, ſucceſſor in Beneficio teneretur ſolvere penſionem, ſi ipſum Beneficium authoritate S. Pontificis penſione fuit oneratum, quia tunc Beneficium tranſit cum onere penſionis, quæ non fuit extincta, nec redempta. Prædictis non obſtat haud poſſe Beneficiarium vendere ad totam ſuam vitam fructus Beneficii, ut *ex Extra. Ambitioſæ de rebus Eccleſiaſticis non alien.* nam ideo Beneficiario ſolummodo conceditur locatio fructuum ad triennium, quia diuturnior locatio habet ſpeciem alienationis bonorum ipſius Beneficii, quod non intervenit in venditione fructuum penſionis ad totam vitam, nam penſio non habet bona immobilia, ſed conſiſtit in determinata portione fructuum Beneficii.

IV. Quia licitum eſt dare pecuniam ei, qui tantum poteſt obeſſe, dum injuſtum apponit impedimentum pro Beneficio acquirendo, ſequitur licitum eſſe dare pecuniam volenti injuſte aliquem infamare, ne illi Collator det Beneficium, ſive volenti illum detinere domi, ne ſe opponere poſſit, ſive concurrere ad Beneficium; ſive etiam volenti injuſte corrumpere Electores. Nunquam tamen licitum erit dare pecuniam illi, qui etiam injuſte negaret ſuffragium, electionem, inſtitutionem, confirmationem &c. nam tunc, ut conſtat ex ſupradictis, idem eſſet ac emere Beneficium, ſeu vitam ad Beneficium parare.

Cætera, quæ in praxi obſervanda ſunt pro vitanda Simonia in Beneficiis, ſatis conſtant ex dictis in corpore capituli.

CAPUT IV.

De pœnis contra Simoniacos.

Q. I. Contra quam Simoniam ſint in jure pœnæ impoſitæ; & quando incurrantur.

R. I. Quamvis *cap. ſicut, cap. hoc de Sim., & cap. ſuper de Confeſſis* aſſignentur diverſæ pœnæ infligendæ contra Simoniacos quoſcumque, nihilominus nullæ reperiuntur pœnæ ipſo facto inflictæ, niſi commiſſa ſit Simonia pro ingreſſu in Religionem, in collatione, & ſuſceptione Ordinum, & in adoptione, vel collatione Beneficii Eccleſiaſtici. In his ipſo facto incurri pœnas contra Simoniacos latas, manifeſte habetur *Extra. ſane de Sim.* Hinc ſequitur, quod qui committeret Simoniam in Sacramentis conferendis, aliiſque rebus ſpiritualibus, non incurreret ipſo facto excommunicationem, aliaſque pœnas: *Navar. in Man. c. 23. n. 111. Suar. l. 5. c. 55. n. 5. Leſſ. l. 2. c. 35. d. 23. n. 120. Laym. l. 4. tr. 10. c. 8. n. 69.*

R. II. Nulla eſt pœna externa adverſus Simoniam mentalem, nemo enim in foro externo patitur pœnam cogitationis: *can. cogitationis de pœnit. diſt. 1.* & Eccleſia quoad pœnas inferendas nullatenus judicat de actibus pure internis. Hinc qui commiſit quamcumque Simoniam mentalem non tenetur dimittere Beneficium, nec pretium acceptum: *cap. fin. de Sim.*

R. III. Nulla eſt pœna pro Simonia conventionali ex neutra parte completa, immo etiamſi ex una tantum parte ſit completa. Ratio eſt, quia uſquedum Simonia eſt ſemirealis, hoc eſt, ex una tantum parte completa, non intelligitur perfecte conſummata; cum ergo leges pœnales ſint reſtringendæ, adeoque intelligendæ ſint de delicto perfecte conſummato, ſequitur non habere locum in noſtro caſu: *Navar. cit. n. 144. Guttier. Can. qq. l. 1. c. 9. n. 10. Suar. l. 4. de Sim. c. 56. n. 33. Gonzal. de reg. Cancel. Gloſſ. 15. a n. 69.* Præterea, quidquid in contrarium dicant multi Theologi, negari non poteſt hanc ſententiam eſſe valde probabilem; dum autem ſumus in dubio propter contrarias opiniones utraſque probabiles, ſemper certum eſt pœnas non habere locum.

Dices, *c. nobis fuit de Simon.* reprobari electionem factam ſub promiſſione pecuniæ, adeoque non eſſe neceſſe ad incurrendas pœnas Simoniæ, ut pecunia ſit data, ſed ſatis eſſe, ſi ex altera parte facta ſit electio ad Beneficium. At reſponderi poteſt quod quamvis ibi dumtaxat de pecu-

niæ

Digitized by Google

niæ promiſſione fiat mentio, nihilominus ſupponitur fuiſſe ſolutam, quamvis non exprimatur. Et de facto *in Extra 2. de Sim.* ad incurrendas pœnas exprimitur actualis datio, & acceptio. Reſpondent alii quidquid ſit de jis, quæ continentur in citato *c. nobis fuit*, aliiſque juribus quæ citantur a Theologis contrariæ opinionis, talia jura non eſſe in uſu, & abrogata fuiſſe ſtylo Curiæ, & praxi Sacræ Pœnitentiariæ, in quibus nonniſi pro Simonia ex utraque parte completa judicatur habere locum pœnas contra Simoniacos. Remanet ergo pœnas latas a jure contra Simoniacos habere locum ſolum contra Simoniam realem, Excipienda tamen hic eſt Simonia confidentialis, de qua infra.

Advertere hic tamen eſt, quod ſi Simonia conventionalis ex una parte completa, collatione e.g. Beneficii, poſt aliquod tempus ex alia etiam parte compleatur, tunc retrotrahitur ad tempus initi contractus Simoniaci, & tunc locum habent omnes pœnæ contra Simoniacos latæ: *Navar. loc. cit. Leſſ. l. 2. c. 35. dub. 27.*

R. IV. Pœnæ latæ contra Simoniacos non habent locum contra Simoniam prohibitam ſolo jure Eccleſiaſtico, ſed neceſſe eſt eſſe etiam jure Divino prohibitam. Ita innui videtur *Extra 2. de Sim.* quæ ita incipit: *Cum ſcelus Simoniacæ pravitatis tam divinorum, quam ſacrorum canonum authoritas abhorreat &c.* En quod in præfatione iſtius Extravagantis ſermo eſt de Simonia etiam jure Divino prohibita; cum autem præfatio legis intellectum det toti legi, ſequitur pœnas, ibi contra Simoniacos latas, non habere locum, ſi inſimul non offendatur jus Divinum. Præterea verba abſolute pro lata accipienda ſunt pro potiori ſignificato, adeoque pœnæ contra Simoniam inflictæ intelligendæ ſaltem in dubio ſunt de Simonia jure Divino prohibita *Rodriq. t. 2. ſum: c. 64. n. 6. Sanch. t. 1. Conſ. l. 2. c. 3. dub. 108. Dian. p. 11. tr. 6. reſol. 32. & tr. 9. reſol. 155.* Accedit quod cum propter diſſidium Authorum ſimus in dubio, an pœnæ contra Simoniacos habeant locum contra Simoniam mere Eccleſiaſticam, nullatenus dicendum contra eamdem Simoniam habere locum; indubitatum eſt enim in dubio de pœna infligenda ſtandum eſſe pro excluſione ipſius pœnæ, cum odia ſint reſtringenda. In caſibus vero Simoniæ confidentialis ſolius juris Eccleſiaſtici habent locum pœnæ contra Simoniacos, de quibus infra, & ita etiam ſe habent pœnæ latæ a Tridentino *ſeſſ. 21. c. 1. de ref.* contra Officiales Epiſcopi.

Q. II. Quæ pœnæ ſtatutæ, ſint contra ſimoniam in ingreſſu Religionis, vel in receptione, ſeu collatione Ordinis.

R. I. Si committatur Simonia pro ingreſſu in Religionem, eamque committentes ſint Perſonæ ſingulares, incurrunt excommunicationem ipſo facto Papæ reſervatam; ſi vero ſit Capitulum, ſeu Conventus, ſuſpenſionem, pariter Papæ reſervatam: *Extra. 1. de Sim.* Quia tamen probabile eſt hujuſmodi pœnis non incurri, niſi in profeſſione, cum tunc conſummetur receptio ad ſtatum Religioſum, ideo ex dictis paulo ante, tenendum eſt non incurri niſi in profeſſione: *Palaus de Sim. pag. 23. n. 3.*

Altera pœna eſt quod Simoniace admiſſus eſt expellendus a Monaſterio, in quo ita fuit receptus, & detrudendus in locum arctioris regulæ: *cap. Veniens de Simon., cap. de Regul., cap. quoniam de Simoniac.* Hæc tamen pœna non incurritur ipſo jure, ſed dumtaxat poſt ſententiam.

R. II. Conferens, ſeu recipiens Ordinem Simoniace, & Mediator, ſeu Præſentator ad ſic conferendum incurrunt excommunicationem ipſo facto Papæ reſervatam, *Extra. cum deteſtabile de Sim.* Hæc tamen Excommunicatio non extenditur ad Epiſcopum, & ejus Miniſtros, ſi poſt Ordinem gratis collatum recipiant aliquid ſponte oblatum; quamvis enim id prohibeatur a Tridentino *ſeſſ. 21. cap. 1. de reform.* adeoque peccet mortaliter qui illud accipit; nihilominus pœnæ ibi enumeratæ referri tantum debent ad dantes, & recipientes Ordines ſimoniace, non ad alias actiones ibi enunciatas, ut communiter dicunt Theologi.

Ultra excommunicationem Papalem, conferentes ordinem per ſimoniam realem, ipſo facto ſunt ſuſpenſi a Collatione Ordinum, etiam Primæ Tonſuræ, ab executione quorumcumque munerum Epiſcopalium, & interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ. Quod ſi hæc non obſervaverint, ſunt ſuſpenſi etiam a regimine, & adminiſtratione Eccleſiæ: & a perceptione omnium fructuum ſuorum Beneficiorum. Præterea abſolutio harum cenſurarum, quamvis ſimonia fuerit occulta, Sedi Apoſtolicæ reſervatur. Ita fuit ſancitum a Sixto V. in ſua Bulla, quæ incipit *Sanctum, & ſalutare &c.* quam licet revocaverit Clemens VIII. non tamen quoad iſtas pœnas.

Ordinati modo prædicto, ſive Simonia fuerit publica, ſive occulta, remanent ipſo facto ſuſpenſi ab Ordinum executione: *Extra. 2. inter. communes de Sim.* Quamvis autem aliquibus videatur præfatam ſuſpenſionem intelligi poſſe ſolum quoad Ordines ſimoniace ſuſceptos, nihilominus cum Pontifex indefinite illos ſuſpendat *a ſuorum ordinum executione*, hujuſmodi ſuſpenſio ad omnes Ordines eſt extendenda: *Leſſ. lib. 2. c. 33. n. 135. Laym. l. 4. tr. 10. c. 8. n. 71.*

Cæterum advertendum, quod ſi Simonia committatur ab aliquo tertio, ignorante ipſo ordinato, non habent locum pœnæ ſupradictæ, tum quia hoc in jure non eſt expreſſum, tum quia privari non debet abſque propria culpa uſu Ordinum valide, & licite ſuſceptorum *Sanch. t. 1. conſ. l. 2. c. 3. 3. 104. n. 35. Laym. cit.* Contrarium tamen docet *D. Th. 2. 2. qu. 100. a. 6. ad 3.*

Q. III. Quæ pœnæ ſint in jure ſtatutæ contra ſimoniam realem in Beneficiis.

R. I. Prima pœna eſt excommunicatio Papæ reſervata, quæ afficit conferentes, vel procurantes alteri Beneficium, ſive eligendo, ſive præſentando, poſtulando, inſtituendo, confirmando, commendando &c. ſicut etiam omnes Mediatores, Parentes, Amicos, qui procurant, ut Beneficium ſimoniace conferatur, ac denique recipientes Beneficium vel officium Eccleſiaſticum. Ita in *extrav. deteſtabile de Sim. & in Conſt. S. Pii V. incipit. cum medium &c.*

In ordine ad incurrendas hujuſmodi pœnas, hic nomine Beneficiorum non veniunt penſiones, quæ non dantur in perpetuum titulum. Vicariæ temporales, aut Capellaniæ non collativæ, hoc eſt non fundatæ Epiſcopi authoritate; ſicut nec officium Inquiſitoris, Legati, Delegati, Vicarii &c. Ratio horum omnium eſt, quia cum excommunicatio lata ſit in obtinentes ſimoniace Beneficium, debet intelligi de Beneficio, quod tale ſit in toto rigore, quia ſumus in pœnalibus, & prædicta non poſſunt dici in rigore Beneficia.

Secunda pœna eſt annullatio ipſo jure proviſionis, & collationis ſimoniacæ factæ; unde ſimoniace recipiens Beneficium non facit fructus ſuos, ſive delictum fuerit publicum, ſive occultum, & fit perpetuo inhabilis ad illud obtinendum. Ita *in dicta extr. & cap. ex inſinuatione de Sim. & in Conſt. S. Pii V.* Ex hoc etiam ſequitur debere etiam ante omnem ſententiam Beneficium dimittere; & hoc totum verum eſt, quamvis ſimonia commiſſa fuiſſet ab aliquo tertio, ipſo ſciente, & non contradicente: *cap. non nobis 27. cap. ſicut tuis 33. de Sim.* Poſſet tamen deducere ſalarium debitum, ſi forte pro aliquo tempore Beneficio inſervivit; ſicut etiam reſtituere non teneretur fructus bona fide conſumptos: *Suar. l. 4. de Sim. c. 57. n. 36.*

Quod ſi ſimonia admiſſa fuit ab aliquo tertio, ignorante, adeoque non contradicente Beneficiario, tunc tenetur dimittere Beneficium ſtatim ac hoc illi innoteſcit, quia talis electio nulla, & irrita eſt *cap. nobis fuit de Simon. cap. penult. de elect.* Excipe ſi ſimonia forte commiſſa fuerit ab aliquo tertio in odium electi, ipſo ignorante, & neſciente, *cap. nobis fuit, cap. ſicut tuis litteris de Sim.* Id etiam verum eſt, ſi non ignorata ſimonia, quam voluit tertius committere, contradixit, dummodo neſciat, etiam ſua contradictione non obſtante, ab altero Beneficium pro eo ſimoniace obtentum: *c. ſicut tuis 33. de Sim.* Excipe etiam, ſi per triennium poſſederit bona fide Beneficium, quod per alterius ſimoniam fuit illi collatum; nam tunc prodeſt illi regula Cancellariæ de triennali poſſeſſore, ex qua non poteſt lis intentari adverſus illum, qui bona fide, & titulo colorato per triennium poſſedit Beneficium. Nec obſtat, quod videatur dicta regula ſolum prodeſſe iis, qui obtinuerunt Beneficium *abſque ingreſſu ſimoniaco*; nam id intelligendum eſt de eo, qui ante expletum triennium ſcivit ſimoniace Beneficium obtinuiſſe: *Suar. l. 4. c. 56. n. 9. Leſſ. l. 2. cap. 35. dub. 25. n. 140. Palaus de Sim. dub. 24. num. 3.*

Quamvis vero obtinens ſimoniace Beneficium, ex dictis, ipſo jure ſit illo privatus, id tamen verum non eſt primo, ſi poſt electionem, vel præſentationem legitime factam, ſimonia committatur in acquirenda confirmatione, vel inſtitutione; nam quamvis hujuſmodi, in quibus ſimonia committitur, irrita ſint, non tamen irritatur electio, vel præſentatio. Ita *cap. ſi confirmationi de elect. in 6.* caſſata confirmatione ſimoniaca, non caſſatur ele-

ctio

Digitized by Google

ctio præcedens canonice facta: *Leſſ. l. 2. c. 35. n. 138.* Secundo, pœna privationis Beneficiorum non extenditur ad alia Beneficia antea non ſimoniace obtenta; nam lex pœnalis non debet extendi. In ordina nihilominus ad alia Beneficia in poſterum obtinenda, videtur conſurgere inhabilitas ratione prioris Beneficii ſimoniace accepti, cum id habetur in Bullis S. Pii V. incipit. *Cum primum &c.* Ulterius S. Pœnitentiaria concedens abſolutionem a ſimonia occulta commiſſa in Beneficio, dat etiam diſpenſationem ad alia Beneficia obtinenda. Non deſunt tamen qui dicant, prædictam Bullam in hac parte non eſſe receptam ſaltem pro foro conſcientiæ, & diſpenſationem a Pœnitentiaria dari ob majorem ſecuritatem, ſtante probabilitate contrariæ opinionis: *Navar. conſil. 93. de Sim. Pal. de ſim. p. 25*, aliique. Iſti Theologi, qui non ſunt pauci, videntur in hac materia attendendi ex regula ſæpe citata, quia ſcilicet ſumus in pœnalibus, adeoque ſemper ſequi debemus interpretationes benigniores.

Q. IV. Quæ ſint pœnæ ſtatutæ contra ſimoniam confidentialem in Beneficiis Eccleſiaſticis.

R. Pœnæ hujuſmodi recenſentur in Bullis Pii IV. & S. Pii V. & ſunt ſequentes: Excommunicatio Papæ reſervata tam dantibus, quam accipientibus Beneficium. Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ tam Epiſcopis, quam Collatoribus, etiamſi ſint Cardinales. Irritatio, & annullatio talis reſignationis, & collationis Beneficii, & ejus collatio Sedis Apoſtolicæ reſervatur; ſicut etiam Cameræ Apoſtolicæ applicantur fructus male percepti. Denique, committens ſimoniam confidentialem privatur omnibus penſionibus, & beneficiis antea obtentis, & inhabilitatur ad alia obtinenda.

Quamvis autem hæ pœnæ ipſo facto incurrantur, & ad eas incurrendas non ſit neceſſe ſimoniam ex utraque parte compleri, hoc eſt, beneficium datum in confidentiam iterum renunciari, ſed ſufficiat ea conditione dari, & ea intentione recipi, quod reſignetur dimittenti, vel alteri, ſive illius fructus, ſeu pars fructuum ſolvantur nihilominus privatio Beneficiorum antea poſſeſſorum non eſt inducenda ante ſententiam Judicis declaratoriam. Ita expoſcit pœnæ natura, quamvis ipſo jure latæ, ſi externam requirat executionem, ut dixi agendo de lege pœnali, & docet in præſenti *Leſſ. c. 35. dub. 26. nu. 147.*

Q. V. An reſtituenda ſint acquiſita per ſimoniam; & quibus ſint reſtituenda.

R. I. Beneficium pecunia acquiſitum eſt ipſo facto dimittendum, ſive crimen ſit occultum, ſive publicum. Ratio eſt, quia quamvis jure naturali, & divino eſſet valida talis collatio, neque enim videtur jure naturali, & divino adimi a conferente poteſtatem illud alteri tradendi, eo quod pecunia conferatur; nihilominus jure Eccleſiaſtico tale Beneficium etiam ante omnem ſententiam Judicis eſt dimittendum cum fructibus injuſte perceptis, ut dixi ſupra *ex Extra. cum deteſtabile, & cap. ex infinuat. de ſim.*

Aliæ vero res ſpirituales pecunia acquiſitæ præter Beneficia, non ſunt reſtituendæ. Ratio eſt, quia licet jure divino debeant gratis conferri, nihilominus ſi a diſpenſatore mediante pecunia conferantur, non proinde eſt nulla talis diſpenſatio, quia Deus vult hujuſmodi diſpenſari, & ſolum invitus eſt quoad modum, quo diſpenſantur, cum non obſervetur debita decentia &c. Cum igitur hujuſmodi diſpenſatio non irritetur jure naturali, & divino, & aliunde nullus textus afferatur ſufficienter probans nullitatem talis diſpenſationis, ſequitur præfatas res ſpirituales, quamvis pecunia acquiſitas, poſſe retineri: *Suar. l. 4. de Sim. c. 59. Leſſ. l. 2. c. 25. dub. 29. n. 66. Bonac. de ſim. q. 9.*

R. II. Pretium ſimoniace acceptum pro receptione Ordinis, Beneficii, & Religionis eſt ſemper reſtituendum ante omnem Judicis ſententiam *ex cap. de hoc, c. veniens de Simon. & can. ſi quis dator 1. q. 43. D. Thom. 2. 2. q. 170. a 6. Leſſ. l. 2. c. 35. dub. 30. n. 369.* Generaliter etiam id probatur de pretio accepto pro quacumque re ſpirituali, quia quæ ſpiritualia ſunt, quatenus talia, non ſunt ſub hominis poteſtate, & dominio, quia illarum rerum eſt dumtaxat diſpenſator, & adminiſtrator: ſicut ergo ſine læſione juſtitiæ accipi non poteſt pretium, nec retineri pro tradenda re non ſua, conſequens eſt, pretium habitum pro tradenda re ſpirituali, ſemper eſſe reſtituendum jure naturali, & divino. Hinc videre eſt diſparitatem inter eum, qui rem ſacram obtinet mediante pecunia, quam rem ſacram non tenetur reſtituere, uti ſacere debet accipiens pecuniam. Ratio diſparitatis eſt, quia qui pecunia acquirit rem ſacram, non facit injuſtitiam, ſed eam patitur, cum cogatur eam acquirere tradita pecunia; & dumtaxat peccat contra religionem; cujus tranſgreſſio non obligat ad reſtitutionem. E contra qui dat rem ſacram propter pecuniam, violat etiam juſtitiam, ex cujus læſione conſurgit obligatio reſtitutionis. Quod ſi quis putaret non lædere juſtitiam, qui daret rem ſacram, accipiendo aliquid temporale, ut putant plures Theologi, tunc non debet illum ad reſtitutionem obligare ante ſententiam Judicis, exceptis tribus caſibus initio reſponſionis adnotatis.

R. III. Pretium ſimoniace acceptum, etiamſi datum ſit pro Beneficio conſequendo, ante ſententiam Judicis poteſt reſtitui ipſi danti. Ratio eſt, quia probabilis eſt ſententia plurium Authorum id aſſerentium, eo ducti fundamento, quod leges pœnales neminem privant re ſua ante ſententiam ſaltem declaratoriam criminis; ille autem, qui dedit pretium, adhuc ejuſdem retinet dominium, cum illius incapax ſit, qui illud recepit: eo ipſo autem quod hujuſmodi ſententia ſit probabilis, poſſumus eam ſequi, cum ex ſæpe dictis odia ſunt reſtringenda: *Palaus de ſim. p. 26. n. 5. Leſſ. l. 2. c. 35. dub. 31. n. 171.* Omnino autem certum eſſet pretium reſtituendum danti, ſi ſimonia nondum eſſet completa; reſcindendus enim tunc eſſet contractus, & reſtituendum pretium Domino. Id ipſum dicatur, ſi commiſſa ſit ſimonia in aliis rebus ſacris extra Beneficia; cum enim injuria facta ſit illi, qui dedit pretium, ei reſtituendum eſt in compenſationem illatæ injuriæ. Accedit, nullum dari textum canonicum præcipientem pretium acceptum dandum Eccleſiæ, vel pauperibus, ut videtur dici de pretio accepto pro Beneficiis: *cap. de hoc. de ſim.* quamvis, ut dictum eſt, quod dicitur in iſto capite, probabiliter explicetur habere locum poſt ſententiam. Non negaverim tamen poſſe etiam dari Eccleſiæ, in qua eſt Beneficium, cum quamplures affirment id in ſupradicto canone abſolute decerni, & docet *S. Th. 2. 2. q. 100. a. 6.*

Dices *ex leg. ſi ob turpem ff. de condict. ob turpem cauſam, & ex cap. cum ſit de Judæis* turpiter acquiſita nunquam reſtituenda eſſe tradenti. Contra tamen eſt, quia id valet in foro externo, & poſt ſententiam Judicis, quis turpiter dans non eſt ipſo facto privatus re ſua, ſed meretur per ſententiam Judicis privari. Remanet etiam hic adnotare, quod ſi quis invincibiliter ignoraſſet non peccare contra juſtitiam in aliqua re temporali ſimoniace accipienda eamque poſſediſſet tempore legitimo ad eam præſcribendam, poſſet a reſtitutione excuſari.

Q. VI. Quis poſſit diſpenſare in pœnis ſupradictis.

R. Si Simonia ſit occulta, Epiſcopus poterit abſolvere ab excommunicatione Papali, & ſuſpenſione, quæ incurruntur pro Simonia in ingreſſu Religionis Ordine, & Beneficio. Ratio eſt, quia Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* concedit Epiſcopis facultatem abſolvendi a Cenſuris, & Irregularitatibus, quæ Papæ reſervantur, ſi non ſint publicæ, & deductæ ad forum contentioſum, excepta tamen Irregularitate, quæ oritur ex homicidio voluntario. Idem quod Epiſcopi in hoc puncto, cenſent plures facere poſſe Regulares per ſua privilegia: *Palaus de Simon. p. ult. n. 1. Suar. l. 4. de Simon c. 61. n. 4.*

Major videtur difficultas, an poſſit Epiſcopus auferre ſuſpenſionem ab ordinum executione, ſicut etiam habilitare ſimoniace promotos, ut aſcendere poſſint ad Ordines ſuperiores. Et in hac difficultate, quamvis aliqui affirmative ſentiant, cenſeo negative reſpondendum, cum Sixtus V. in ſua Bulla incip. *Sanctum, & ſalutare*, contra male promotos, auferat Epiſcopis, & Regularibus facultatem tollendi pœnas prædictas.

Circa alteram pœnam contra Simoniacos, quæ eſt irritatio, & annullatio cujuſcumque proviſionis, & collationis taliter factæ, ſicut etiam inhabilitas ad alia Beneficia conſequenda, diverſimode diſcurrendum eſt. Si ſimonia fuit commiſſa ab uno tertio, id ignorante Beneficiato, Epiſcopus poterit eidem iterum conferre tale Beneficium, dummodo tamen illud prius libere reſignet, & ſit ſimplex: *Pal. cit. n. 3. & communiter ex textu cap. penult. de elect.* Si vero Beneficium ſit ex Majoribus, quando nempe eſſet Beneficium Curatum, aut Dignitas, pro illa vice non poteſt ab Epiſcopo Beneficiato conferri, ſed ſolum quando vacaverit poſt collationem alteri factam. Ita haberi *ex cap. penult. de elect.* docent quamplures Theologi. Verum ſi præfatum caput diligenter expendatur, apparebit ibi ſermonem eſſe ſolum de caſu, in quo per ſententiam ratione Simoniæ reprobata fuerit electio, vel collatio.

Si vero Simonia ſit commiſſa non a tertia perſona, (ſed ab ipſo Beneficiato) quamvis Simonia eſſet occulta,) puto

to recurrendum eſſe ad S. Pontificem pro diſpenſatione. Ratio eſt, tum quia facultas conceſſa a Tridentino Epiſcopis diſpenſandi in Cenſuris, & Irregularitatibus occultis Papæ reſervatis, quæ eſt exorbitans a jure communi, non eſt extendenda ultra Cenſuras, & Irregularitates; hujuſmodi autem non eſt inhabilitas ad retinendum Beneficium ſimoniace obtentum, ſed pœna vindicativa cujus diſpenſationem S. Pontifices ſibi reſervarunt. Tum quia facultas conceſſa Epiſcopis a Tridentino non extenditur ad caſus, quos poſtea Pontifices ſibi reſervarunt, quamvis ſint occulti, ex declaratione Gregorii XIII. *volum. q. Deciſ. Rotæ inter recollectas per Farinac. fol. 77.* Prædicta docent *Suar. l. 4. de Sim. c. 61. an. 10. Leſſ. l. 3. c. 35. n. 140. Pal. de Sim. p. ult. n. 3.*

Superfluum autem videtur aliquas regulas practicas circa pœnas adverſus Simoniacos adnotare, cum ſatis ſuperque conſtent ex ſupradictis: unde hucuſque dicta ſufficiant quoad primum Decalogi præceptum ad Gloriam Omnipotentis Dei Beatiſſimæ Dei Genitricis, ac totius Curiæ Cœleſtis,

TRACTATUS VIII.

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

SEcundum Decalogi Præceptum ita expreſſum legimus *Exod.* 20. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei fruſtra.* Prohibet igitur hoc præceptum inordinatam Divini Nominis uſurpationem; at quia potiſſimum id fit pejerando, & temere jurando, ideo in præſenti de juramento agunt Theologi, eique, quæ ad votum, & ad jurationem pertinent, adnectunt. Cæterum aptiori loco de his agitur in explicatione primi Decalogi præcepti, ubi quæ ad Religionem, pertinent, explanantur; Votum enim, & Juramentum ſunt actus Virtutis Religionis in cultum, & honorem Dei ordinati, ut docet S. Th. 2. 2. q. 88. art. 5.

QUÆSTIO I.

De Juramento.

CAPUT III.

De eſſentia, & Multiplicitate Juramenti.

Q. I. QUid ſit Juramentum.

R. I. Juramentum communiter definitur cum S. Th. 2. 2. *q.* 89. *a.* 1. *Invocatio Divini Nominis ad fidem dictis faciendam, vel ad firmandam promiſſionem.* Dicitur invocatio, quia in juramento non præciſe enunciamus, & dicimus, Deum eſſe teſtem veritatis, ſed proprie invocatur, ut dictis fidem faciat &c. Dicitur *Invocatio Divini nominis*, quia cum velimus, mediante juramento, infallibilem fidem noſtris dictis conciliare, ſolus Deus in ipſo invocatur, cum ſolus ipſe, qui nec falli, nec fallere poteſt, poſſit eſſe teſtis infallibilis. Additur *ad fidem dictis faciendam, vel ad firmandam promiſſionem*, juramento etenim vel volumus aliquem reddere ſecurum de veritate alicujus dicti, vel de adimplemento promiſſionis, quam facimus.

Juramentum hoc modo ſumptum habet ſuam ethymologiam a jure, cum quaſi pro jure, & lege fuerit introductum, & ut verum habeatur, quod juratur. Quandoque etiam dicitur *Sacramentum*, eo quod ſit ſignum Divini teſtimonii, quod adducitur in juramento.

Q. II. An ad juramentum requiratur voluntas vere jurandi ſeu invocandi Divinum Teſtimonium in confirmationem alicujus veritatis.

R. Sine voluntate jurandi, ſeu invocandi Divinum Teſtimonium utique dari non poteſt juramentum; cum enim eſſentialiter conſiſtat in invocatione Divini Nominis, jam ceſſante voluntate illis invocandi, neceſſe eſt, ceſſare juramentum *Suar. t. 2. de relig. tr. 4. l. 1. c. 19. n. 8. Sanch. in decal. l. 3. c. 10. Bon. d. 4. q. 1. p. 7. num. 2.* Hinc habens cur falſo jurans adhuc nihilominus jurare dicatur. Ratio eſt, quia licet habere non poſſit voluntatem efficacem, & abſolutam vocandi Deum in teſtam, ſcit enim impoſſibile eſſe, Deum poſſe confirmare ſuam falſitatem, habet nihilominus ex parte ſua voluntatem conditionatam, quaſi diceret; dum jurat falſum: *ſi poſſibile eſt, Deus confirmet id, quod dico*, & in hoc conſiſtit graviſſima perjurii malitia.

Q. III. An licitum ſit jurare.

R. Cum Chriſtus *Matth.* 5. dixerit *Ego autem dico vobis non jurare omnino*, atque idem dici videatur *Jacob.* 5. non defuerunt Hæretici aſſerentes ſemper illicitum eſſe jurare. At præfata ſolum convincunt, non licitum eſſe jurare ſine neceſſitate; non vero ſicut Judæi, qui ex quacumque occaſione licitum eſſe jurare putabant: *D. Th. 2. 2. q. 89. art. 2. ad* 1. Conſtat autem bonitas juramenti, ſuppoſita neceſſitate, quia dum credimus, quæ jurantur, propter Divinam authoritatem, quæ interponitur, colimus Deum, cum in ipſius obſequium credamus ea, de quibus fortaſſe dubitaremus. Quia juramentum in neceſſitate eſt licitum, eo utitur Apoſtolus ad Rom. 1. *Teſtis mihi eſt Deus.* & alibi,

R. IV. Quot modis fiat juramentum.

R. I. Primo, juratur mente, ut ſi intra animum invocetur Deus in teſtem alicujus veritatis, quæ affirmatur. Secundo nutu, ut ſi quis faciat ſignum, quo ſe oſtendat jurare: ita evenerit, ſi mihi dicente aliquo ut jurarem per Deum, capite annuerem. Tertio, facto, ſi tangerem Evangelium mihi oblatum ad jurandum. Quarto, verbis quod & unico verbo fieri poteſt, dicendo e.g. *juro*, in circumſtantiis, quibus intelligeretur Deum in teſtem vocari.

Immo advertendum, poſſe etiam dari juramentum per verba indifferentia, & non continentia juramentum, ſi per ea quis animum habeat jurandi; ut ſi quis, jurare intenderet dicendo: *Profecto, in veritate &c.* Ut autem id dignoſcatur, obſervandum eſt, an proferens talia verba cum intentione jurandi, ſciat quid ſit juramentum nec ne. Si ſcit quid ſit juramentum, vere jurat; eo ipſo etenim quod ſciat, juramentum eſſe invocationem Divini Teſtimonii, Deum in teſtem per talia verba voluit invocare, per hoc, quod voluntatem habuerit jurandi. Si vero neſciat quid ſit juramentum, ejuſque obligatio tunc non ſatis eſt ad juramentum prædicta intentio jurandi. Ratio eſt, quia non dicor ſufficientem habere voluntatem aliquid faciendi, ſi neſcio quid illud vere ſit; ac proinde ſi ignorem naturam juramenti, vere non poſſum intendere jurare, & illa intentio jurandi erit neceſſario inefficax, & erronea, eaque depoſita, nulla erit obligatio: *Tambur. l. 3. in Decal. c. 1. § 1. n* 8.

R. II. Aliquando expreſſe juratur, aliquando tacite. Tunc expreſſe juratur, quando expreſſe invocatur Deus in teſtem, ut ſi dicitur: *Juro per Deum, per Chriſtum &c.* Tacite autem juratur, dum quis jurat per creaturas, in quibus ſpecialiter Bonitas, & Dei Potentia relucet, ut autem id melius dignoſcatur, ſequentia ſunt advertenda.

Primum eſt, quod homo dum jurat per creaturas rationales, ut per Angelos, Sanctos, B. Virginem &c. invocari non poſſunt tamquam teſtes infallibiles veritatis, hoc enim ſolius Dei eſt; adeoque blaſphemum eſſet tribuere Creaturis. Hac etiam de cauſa, præter

ſu-

Google

CAPUT II.

De Conditionibus Juramenti.

Q. I. QUas conditiones habere debeat juramentum, ut ſit licitum.

R. Conditiones juramenti habentur *Jerem.* 4. dum dicitur: *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, judicio, & juſtitia*. Hinc omnes Theologi volunt, juramentum comites habere has conditiones veritatem ſcilicet, juſtitiam, & judicium.

Q. II. Qualem veritatem debeat habere juramentum aſſertorium, & quale peccatum ſit defectus veritatis in eodem juramento.

R. I. Quamvis non deſint Theologi affirmantes ad veritatem juramenti aſſertorii extra judicium ſufficere poſſe, jurantem probabiliter judicare verum eſſe quod affirmat, mihi tamen non arrider iſta ſenteria, & puto, neceſſariam eſſe moralem certitudinem veritatis illius rei, quæ juratur. Ratio eſt, quia qui tantum probabiliter judicat, aliquid eſſe verum, timet, ſe poſſe decipi, & fortaſſe falſum eſſe id, quod judicat probabiliter verum: ſtante autem formidine, poſſe eſſe falſum id, quod eſſerit, non videtur habere locum juramentum, nam jurans reputatur dicere ſe ſcire id, quod jurat, adeoque talem rei juratæ habere certitudinem, ut prudenter timere non poſſit, ſe dicere falſum. Hinc igitur habes, quod etſi pro veritate juramenti non ſit neceſſaria notitia mathematica, & omnino infallibilis rei juratæ, neceſſaria reputanda eſt ſaltem moralis certitudo: *Tambur. in Decal. l. 3. c. 2. §. 1.*

Dixi extra judicium: nam omnes conveniunt, in judicio nullum poſſe abſolute jurare, ſe aliquid ſcire, ſi id, de quo jurat, per ſe ipſum non audierit, vel viderit. Ratio eſt, quia Judex interrogans teſtem de notitia alicujus rei, intelligit interrogare de notitia viſus, & præſentia perſonæ, eo quod teſtis, qui ab alio audivit, nec ſemiplene probet; proinde ſi non viderit, vel audierit per ſe, non poteſt abſolute jurare, ſe ſcire: *Fagund. l. 2. c. 6. num.* 12. aliique apud ipſum. Id autem maxime habet locum, ubi juramentum eſſe poſſet in grave alterius præjudicium. Poſſet ergo ſolum jurare, ſe ab alio audiviſſe.

R. II. Ut detur veritas in juramento, ſatis eſt, ſi id, quod dicitur, verum ſit juxta communem modum loquendi, quamvis verba non verificentur in ſenſu rigoroſo. Non juraret proinde falſum, qui juraret, Petrum valde divitem infinitis pollere divitiis; juxta communem etenim intelligendi modum ſignificatur talibus verbis multas habere divitias: *Pal. d. 1. p. 6. n. 2. Tambur. l. 2. c. 2. §. 1. n. 4.*

R. III. Defectus veritatis in juramento aſſertorio ſemper eſt peccatum grave. Ratio eſt, quia ſemper cum Deus in juramento aſſertorio vocetur in teſtem mendacii, idem eſt ac facto ipſo proteſtari, vel Deum non eſſe infallibilem veritatem, vel non omnia ſcire, quod apparet eſſe non poſſe ſine graviſſima Dei irreverentia. Immo notandum, quo mendacium eſt levius, & minor pejerandi cauſa, eo gravius eſſe perjurium, ut bene advertit *D. Th. 2. 2. q. 98. art. 2. ad* 2. nam plus Deo derogatur, quo minor eſt cauſa ipſum in teſtem vocandi falſitatis. Merito ergo *Innoc. XI. ſub n.* 24. ſequentem damnavit propoſitionem: *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.*

Q. III. Quale ſit peccatum defectus veritatis in juramento promiſſorio.

R. Ex ſupra dictis in juramento promiſſorio duplex eſt veritas. Prima, quæ dicitur de præſenti, ſive veritas dicti, & conſiſtit in hoc, quod jurans habeat verum animum promiſſa adimplendi. Secunda, quæ dicitur de futuro, ſive veritas facti, quæ expoſcit, ut res ipſa juramento promiſſa fideliter adimpleatur: *D. Th. 2. 2. q. 89. art. 7.* Si deficiat veritas de præſenti, ſemper eſt peccatum mortale; nam ex dictis in ſuperiori quæſito, non ſtat vocare Deum in teſtem cujuſcumque falſitatis ſine ipſius graviſſima injuria.

Difficultas eſt quoad veritatem de futuro; quamvis enim omnes admittant, violantem hanc veritatem in re gravi mortaliter peccare, quia res gravis de ſua natura gravem importat obligationem, nihilominus grave diſſidium eſt, an peccet graviter non adimplens promiſſionem de re levi juramento confirmatam. Qui ſtant pro ſententia affirmativa, eo innituntur fundamento quod non poſſit Deus in teſtem falſi vocari ſine ipſius graviſſima injuria, ac proinde, cum in juramento promiſſorio vocetur in teſtem non ſolum veritatis de præſenti, ſed etiam de futuro, ſequitur, quod ſi hæc non adimpleatur, quamvis fuerit de re levi, verificetur, Deum fuiſſe in teſtem falſi vocatum, adeoque non ſine gravi ipſius injuria.

Contraria, & ni fallor, magis communior ſententia ſuſtinet, quod ſi in juramento promiſſorio deſit veritas de futuro, quæ tantum fuerit de re levi, dumtaxat interveniat peccatum veniale. Ratio hujus ſententiæ eſt quia, dum quis ſub juramento aliquid alteri promittit, ſolummodo vocat Deum in teſtem præſentis voluntatis, & propoſiti, quod hic, & nunc habet rem promiſſam adimplendi. In ordine vero ad executionem non vocat Deum in teſtem, ſed ſolum veluti fidejuſſorem, non quatenus in ſe ſuſcipiat obligationem rem promiſſam adimplendi, ſed quatenus ſua authoritate, & teſtimonio dat firmitatem promiſſioni. Sicut igitur qui ſincera voluntate aliquid alteri promittit, non dicitur mendax, ſed infidelis, ſi poſtea promiſſionem non adimpleat, ita non dicetur vocatus in teſtem mendacii, ſeu falſitatis ille, cujus teſtimonio data eſt major firmitas promiſſioni ſincere, & ex animo factæ, quamvis poſtea non adimpletæ, *Qui aliquid promittit*, ait S. Th. 2. 2. qu. 110. art. 3. ad 5. *ſi habeat animum faciendi quod promittit, non mentitur, ſi vero non faciat quod promiſit, tunc videtur infideliter agere per hoc quod animum mutet*. En igitur quod peccatum non adimplentis promiſſum ex animo factum, pertinet ad infidelitatem, quæ levis eſt, ſi materia promiſſa ſit levis, & levem pariter irreverentiam facit Deo, ſi fuit jurata, cum ipſum falſitatis teſtem non faciat, ſed ſolummodo non obſervetur promiſſum ipſius authoritate firmatum: *Azor. t. 1. l. 5. c. 27. q. 2. Sanch. l. 3. ſum. c. 4. n. 23. Suar. t. 2. de relig. l. 3. c. 16. a n. 9. Tambur. l. 3. c. 3. §. 3. n. 4.*

Q. IV. An liceat alicui ſuadere, ut juret id, quod alias verum eſt, ſed ab illo ignoratur; vel ut juret falſum, quod putat verum.

R. I. Si ignorans aliquam veritatem velit illam licite jurare, oportet prius poſſe ex fundamentis moraliter certis ſibi perſuadere verum eſſe id, quod alter illi proponit jurandum. Ratio eſt, quia jurare, & dicere veritatem, nil aliud eſt, quam aliquid enunciare, prout revera eſſe apud nos reputamus; ſi proinde quis prius non habeat rationes ſufficientes ad judicandum, aliquid eſſe verum, neque poteſt ad alterius ſuaſionem id jurare. Una autem ex rationibus, qua extra judicium poteſt ſibi perſuadere aliquid verum, eſt, ſi ille, qui ſuadet ipſi jurare, ſit homo vere fide dignus, nam tunc ſi aſſerat illud eſſe verum, poteſt jurare: *Dian. p. 5. tr. 7. reſol.* 10.

R. II. Non pauci tenent, licere ſuadere alicui, ut juret falſum, quod tamen ipſe putat verum eſſe: neque enim videtur actus malus vocare Deum in teſtem veritatis putatæ, ſicut non deſinit eſſe actus charitatis eleemoſyna facta alicui, qui reputatur pauper, & eſt dives. Si vero non eſt actus malus, neque malum videtur eſſe id illi ſuadere. Nihilominus ſentiendum negative: inducens enim aliquem ad jurandum falſum, licet a jurante reputetur verum, inducit ad actum, quem ſcit de natura ſua eſſe malum, ac proinde cum ipſe in ſuadendo reſpiciat quod ſcit de natura ſua malum eſſe, facit actum re vera pravum. *Azor. t. 1. lib. 10. c. 11. q. 2. Suar. t. 3. c. 14. n. 8. Lugo de Juſt. diſp. 39. a n.* 21. De juramento facto cum reſtrictione mentali, ſeu cum æquivocatione, ſermo erit infra.

Q. V. Quando deficiat juſtitia in juramento; & quale peccatum ſit defectus illius.

R. I. Deficit juſtitia in juramento aſſertorio, quando illo aliquis abutitur ad rem malam præteritam, vel præſentem confirmandam, ut ſi quis graviter de proximo detrahens, addat juramentum ad detractionem confirmandam; vel ſi quis dum ſe jactat de gravi peccato commiſſo id etiam affirmet juramento, ut commiſiſſe credatur.

Juſtitia in juramento promiſſorio in eo conſiſtit, quod materia juramenti ſit licita, & honeſta, & non vocetur Deus in teſtem rei malæ faciendæ, vel etiam indifferentis. Ratio eſt, quia Deo injuria irrogatur, ſi vocetur in teſtem rei malæ, quaſi illi placeat, quod eſt contra ipſius legem, & quaſi quis ſe firmare poſſit in tali prava voluntate ipſius teſtimonio. Si vero res jurata ſit indifferens, adhuc aliqua Deo irreverentia irrogatur illam confirmando

do

Exemplum ſit in eo, qui confirmat juramento crimen verum, ſed occultum ſui proximi, ut dixi cap. antecedente. Animadvertere proinde debet doctus Confeſſarius, tunc Penitentem dupliciter peccare.

V. Cum dictum ſit, neque juramenta de rebus indifferentibus eſſe obligatoria, facile erit Confeſſario diſcernere, multoties dari inutilia juramenta, quæ Pœnitens non tenetur exequi. Exemplum ſit in eo, qui juraret, ſe non tranſiturum per illam viam, non egreſſurum ad ambulandum, non iturum cum tali ſocio, non rediturum ad aliquam domum, non iturum ad aliquem invitandum, non ſeſſurum tali loco, ante alios in aliquod vehiculum non ingreſſurum &c. Si enim hujuſmodi juramenta ex aliquibus circumſtantiis non ſint bona, puta ſi quis juret; non rediturum ad aliquam domum, ut vitet peccatum, cum tunc nil referat ſi exequantur, nullam pariunt obligationem.

Advertendum etiam eſt, non ſufficere ut res indifferens jurata, poſtea per adventum alicujus circumſtantiæ fiat bona, ſi enim non fuit bona, quando fuit jurata, juramentum ab initio factum nullam parit obligationem. Ratio eſt quia *ex cap. non firmatur de reg. jur. in 6.* non firmatur tractu temporis, quod ab initio *de jure non* ſubſiſtit; ac proinde cum juramentum de re indifferenti ab initio nullam pariat obligationem, neque ipſam pariet, quamvis poſtea ex aliqua circumſtantia res indifferens evadat bona.

VI. Propter tacitas conditiones, quæ includuntur in juramento comminatorio, plura in praxi obſervabit Confeſſarius. Si quis, ut ulciſcatur de ſuo inimico, pœnam alias juſtam cum juramento comminetur, non debet id præſtare in vi juramenti, cum fuerit de re mala. Si Paterfamilias minitetur Filio, Servo &c. aliquam pœnam, & id confirmet juramento, non debet eam adimplere, quamvis non minitatus fuerit animo vindictæ, ſi fuerunt emendati. Idem dicas de Præceptore jurejurando minitante pœnam Diſcipulo negligenti. Pariter excuſabitur Maritus non puniens uxorem, ut jurejurando affirmavit, ſi gravitet pax domeſtica turbetur, ſi veniam petat &c.

C A P U T III.

De obligatione Juramenti; ubi etiam examinantur diverſorum juramentorum obligationes.

Q.I. Quanta ſit obligatio juramenti promiſſorii.

R. Quamvis ex dictis in ſuperiore capite apparere ſatis poſſit quanta ſit juramenti obligatio, & in quibus caſibus teneamur illud obſervare, nihilominus de illius obligatione ſpeciali duxi inſtituere quæſita, ut multa ſub obſcura explicanda aſſumam. Dupliciter igitur fieri poteſt juramentum promiſſorium, Primo, promittendo aliquid Deo in ipſius honorem, ac deinde talem promiſſionem firmando mediante juramento. Secundo, promittendo aliquid homini in ejus commodum, & utilitatem, addito juramento ad firmandam promiſſionem.

Si primo modo quis promittat aliquid in Dei honorem, duplicem contrahit obligationem, unam voti, quia ſcilicet Deo aliquid promiſit in ipſius honorem, alteram juramenti, quia ſcilicet juramento firmavit id, quod Deo promiſit. Hinc ſi quod promiſit non ſervet, duplex committit peccatum, unum adverſus votum, alterum adverſus juramentum. Quia autem hujuſmodi juramento utimur ad dandam voto majorem firmitatem, conſequens eſt, regulandum eſſe ad inſtar voti; ac proinde non obligare, ſi ſit de re impeditiva majoris boni, ſeu indifferenti: & multo magis ſi contra Conſilia Evangelica, ut dictum eſt cap. præcedenti: *Si quis jurat*, ait D.Th.2.2 q.89. art.7. ad 2. *ſe non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritus S. qui eſt boni propoſiti inſpirator, non tamen peccat, juramenta ſervando, ſed multo melius facit, ſi non ſervet.*

Si promiſſio facta fuit homini, & juramento firmata, tunc pariter duplex conſurgit obligatio, una ratione juramenti, altera ratione juſtitiæ, ſeu fidelitatis, poſtquam homo, cui facta fuit, illam acceptavit: *D.Th.2.2. q.89. a.7. ad 3.* Ad inducendam autem obligationem ex hujuſmodi juramento ſatis eſt, ſi ſervari poſſit abſque peccato, cum nunquam juramentum vinculum eſſe poſſit iniquitatis; *cap. quanta de jurejurando*. At nil refert, rem juratam eſſe impeditivam melioris boni; nam ideo promiſſio facta Deo non obligat, ſi majus bonum impedit, quia Deus illam non acceptat, ſicut etiam ſi ſit de re otioſa. Homo autem acceptat promiſſionem etiam impeditivam melioris boni, ſi cedat in ſui commodum, & utilitatem, ac proinde talis promiſſio facta homini, & in ipſius favorem juramento firmata, ſemper obſervanda eſt, quotieſcumque ſervari poſſit ſine peccato. Hinc obligant in conſcientia ſponſalia jurata, quamvis melius bonum impediant, ſcilicet cœlibatum: *Leſſ. l. 2. c. 42. d. 4. num. 20. Sanch. l. 3. c. 9. a. 19. Palaus tr. 14. d. 2. p. 6. n. 4.*

Neque refert, quod quando factum fuit juramentum aliqua adfuerit circumſtantia peccaminoſa, ut ſi quis jurejurando promittat Meretrici mercedem ſui corporis: nam adhuc poſtea ſervandum eſt juramentum, ſi, ſuppoſita culpa adimpleri poſſit res jurata abſque peccato: *cap. & ſi Chriſtus de jurejur. can. monet. 22. qu. 1.* adeoque qui peccavit, tenetur dare mercedem Meretrici: *Sanch. a. 22. Suar. de juram. l. 2. cap. 24. a num. 2.* Hac ratione quamplures ſuſtinent, validum eſſe juramentum factum ab Amaſio Concubinæ aliam mulierem non cognoſcendi, quia, inquiunt, ſervari poteſt ſine peccato. Verum nunquam putarem, tale juramentum validum; ſi etenim invalidum eſt juramentum, quod eſt vinculum iniquitatis, & invalidum eſt judicandum juramentum aſſumptum, ut medium perſeverandi in peccato, tale autem conſtat in praxi eſſe præfatum juramentum: nam ideo fit, ut inter eos conſtans, & firma ſit perverſa amicitia: *Fagund. l. 2. cap. 24. a. 19. Dian. pag. 9. tr. 8. miſcel. 3. reſol. 9.*

Notandum pariter, quod ſi res jurata ſit partim licita, partim illicita, obſervanda omnino eſt qua parte eſt licita; nam quando obligatio eſt diviſibilis, per hoc quod una pars ſervari non poſſit, non proinde ceſſat alterius partis obligatio, juxta illam regulam juris: *Utile per inutile non vitiatur: cap. utile in 6.*

Q.II. An Major ſit obligatio juramenti, quam voti.

R. Si loquamur de juramento aſſertorio, major eſt ipſius obligatio, quam voti: ſi enim quis tali juramento falſum affirmet, idem facit ac proteſtari, Deum eſſe mendacem, neque enim ſtat velle Deum eſſe teſtem falſitatis, niſi mendax ſit. Si vero votum non ſervetur, ita agens non proteſtatur, Deum eſſe infidelem, ſed ipſe fit Deo infidelis, cum non ſervet quod illi promiſit. Si vero ſermo ſit de juramento promiſſorio, videtur votum majorem parere obligationem, quam tale juramentum. Ratio eſt, quia in voto promiſſio fit ipſi Deo, & in juramento promiſſorio fit homini, quamvis invocetur Deus quaſi fidejuſſor factæ promiſſionis, ut ſupra dictum eſt: major autem conſurgere videtur obligatio ex promiſſione ipſi Deo facta, quam ex promiſſione facta homini, quamvis invocatione Divini nominis firmata: *D.Th. 2. 2. q. 89. a. 8.*

Q.III. Qualis ſit obligatio juramenti metu extorti.

R. Quæſtio eſſe non poteſt de juramento facto ex metu, ſed ſine conſenſu, & intentione jurandi: nam tunc certum eſt, ita juramentum non teneri in vi juramenti, cum nullum fuerit: quomodo autem peccet jurans ſine animo jurandi videbimus infra. Procedit ergo de eo, qui ex metu habuit veram jurandi voluntatem, & ſuppono, metum non eſſe levem, ſed vere cadentem in virum conſtantem, & injuſte incuſſum. His ſuppoſitis.

Dicendum eſt, juramentum, vi, & metu gravi etiam injuſte incuſſo factum, obligationem inducere, dummodo abſque animæ diſpendio poſſit ſervari. Ita pluribus Canonibus deciſum videre poſſumus, cum ſæpe dicant, juramentum eſſe ſervandum, ſemper cum ſervari poſſit abſque ſalutis diſpendio, id eſt, abſque peccato: *cap. ſi vero 8. de jurejurando, cap. cum contingat, cap. verum 15. eod. tit. c. ad audientiam 4. de iis, quæ vi metuve &c.* Idem docet *S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3.* ubi hæc habet: *In juramento, quod quis coactus fecit, duplex eſt obligatio; una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, quod ei promiſſio non ſervetur. Alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promiſit, & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ, quia magis debet damnum temporale ſuſtinere quam juramentum violare, poteſt tamen repetere quod ſolvit.* Cum jure igitur naturæ teneamur efficere, ut verum ſit quod juramus, ne faciamus Deum teſtem falſi, potius ſubire debemus quodcumque temporale incommodum, quam juramentum non ſervare.

Hinc qui tenent, votum ex gravi, & injuſto metu factum, nullam parere obligationem, dicunt, inter votum &

& juramentum hoc eſſe diſcrimen, quod votum ex ſupradicto metu ſactum irritari ab Eccleſia, *cap. 1. de his, quæ vi &c.* non vero juramentum. Id autem Eccleſiam præſtitiſſe dicunt, quia vota raro emittuntur, juramenta vero frequenter unde ſi daretur locus, ut ex metu probarentur nullius obligationis, daretur occaſio jurantibus ab obligatione juramenti ſe eximere, proteſtando, ſe ex metu juraſſe: *Abbas in cap. ſi vero de jurejur.* Unicum eſt in his juramentis remedium, nempe a legiti Somo periore petatur diſpenſatio; ut communiter docent Theologi, & *Gloſſa in cap. cum contingat, &c.*

Q. IV. An ſit obligatorium Juramentum dolo, & errore præſtitum.

R. I. Si dolus, vel error fuerint circa ſubſtantiam rei promiſſæ juramento, tale juramentum non eſt obligatorium, vel error fuerit antecedens, id eſt, dans cauſam promiſſioni juratæ, vel concomitans. Ratio primæ partis hujus reſponſionis eſt, quia juramentum non poteſt obligare ultra voluntatem, & mentem jurantis, ut ex ſe patet & habetur *cap. veniens de jurejur.* Si autem error fuit antecedens, & circa ſubſtantiam, jam qui juravit non habuit voluntatem, & intentionem dandi rem juramento promiſſam, ac proinde nulla vere dari potuit obligatio. Exemplum ſit in eo, qui juravit dare aliquid, quod putabat vitrum, ignorans eſſe gemmam: iſte dicitur juraſſe ex errore antecedenti, quia non habuit voluntatem dandi gemmam, ſed vitrum.

Secunda etiam pars reſponſionis exinde probatur, quia etiamſi error fuerit concomitans, hoc eſt, etiamſi jurans taliter fuiſſet diſpoſitus, ut ſi cognoviſſet eſſe gemmam, dediſſet: adhuc nihilominus errando circa ſubſtantiam, non habuit voluntatem dandi gemmam, ſed vitrum; adeoque, cognito errore, non tenetur in vi juramenti promiſſorii. Aliud igitur eſt, quod ſi cognoviſſet gemmam, adhuc voluiſſet illam dare; aliud, quod hic & nunc habuerit voluntatem dandi. Si error fuit concomitans, utique habuiſſet voluntatem dandi, ſed de facto, cum error fuerit circa ſubſtantiam, illam voluntatem non habuit, & ſolum habuit voluntatem dandi vitrum: *Bonac. diſp.4.q.1.punct.8.n.5. Palaus diſ.2.p.5.a 6.*

R. II. Error circa qualitatem rei juramento promiſſæ ex aliquibus reddit multoties juramentum nullius valoris. Ratio illorum eſt, quia videtur in promiſſione ſemper hæc tacita includi conditio, quod ſcilicet nemo intelligat ſe obligare, ſi in promittendo fuerit graviter deceptus; unde & juramentum promiſſioni adjectum ſub tali conditione cenſetur emiſſum. Si ergo circa qualitatem rei error talis ſit, ut jurans fuerit graviter deceptus, non tenetur ex ipſis ſtare juramento; quia non adimpleta fuit conditio, ſub qua ex natura rei ſe intellexit obligare, ſecus ſi leviter fuit deceptus: *Tambur. lib.3.§.5.n.21. Bon.n.5.* At magis communiter dicitur, errorem circa qualitatem nunquam reddere irritam promiſſionem & contractum, niſi conſenſus præſtitus ſit dependenter ab ea qualitate, bene vero eſſe reſcindibilem, quoties detur gravis deceptio. Vide quæ dicam: *Tr. 13. q. 1. c. unic. q. 5.*

Q. V. Quandonam juramentum confirmet contractus alias invalidos.

R. I. Quamvis iſtud quæſitum examinari ſolent a Theologis in *Track da Contract.* nihilominus non abs re putavi & illud hic breviter explicare. Et ſuppono, nunquam juramentum confirmare poſſe contractus de re, quæ abſque peccato adimpleri non poteſt; neque enim, ut dicitur *reg.58. jur. in 6.* eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum; nec poteſt eſſe vinculum iniquitatis, ut habetur *cap. quanto 18. de jurejur.* Item ſuppono, juramento aliquando confirmari contractus alias de jure nullos: *cap. quamvis pactum de pactis in 6. c. cum contingat de jurejur. cap. licet eod. tit. in 6.* Et quamvis *juxta reg. 64. jur. in 6.* dicatur, habenda eſſe pro infectis, quæ fiunt contra jus, id intelligendum vel de iis, quæ fiunt contra jus reſpiciens publicum favorem, vel non ſolum prohibens, ſed etiam annullans quod alias quomodocumque factum ſit: jus autem ex citatis juribus non ſolum non annullat, ſed convalidat quædam, quæ nulla eſſent, ſi non acceſſiſſet juramentum.

R. II. Si contractus invalidetur a jure ob utilitatem privatam, tunc confirmatur juramento, quoties creditor accipere poſſit rem juramento promiſſam ſine peccato. Hujuſmodi reſponſio colligi poteſt ex *cap. quamvis pactum de pactis in 6. ex cap. cum contingat 28. de jurejur. cap. licet eod. tit. in 6. & Authent. Sacram Puberum. C. ſi adverſ. vendit.* Ratio eſt ea, quia unuſquiſque juri ſuo renunciare poteſt: *cap. ſi diligenti de for. compet.* unde ſi lex irritavit contractum in favorem contrahentis; jam ſi jurans renunciet tali favori ſibi facto a lege contractus obligavit ſecundum ſuam naturalem, & primordialem inſtitutionem. Ut autem jurans intelligatur tali favori renunciare, non ſatis eſt, ſi habeat juramentum aſſertorium de facienda hic & nunc aliqua re a lege prohibita, ſed etiam habere debet juramentum promiſſorium ſe nunquam revocaturum, quod hic & nunc præſtat; alias nunquam intelligeretur renuntiaſſe beneficio ſibi facto a lege.

Dixi in reſponſione, præfatas promiſſiones, ſeu contractus confirmari juramento, quoties creditor accipere poſſit rem promiſſam ſine peccato; nunquam enim eſt obligatorium, quod fieri non poteſt abſque culpa, etiam ab uno tantum ex contrahentibus. Id ſignificare volunt Theologi, dum dicunt; contractus ob privatam utilitatem jure invalidus, firmari juramento, quoties in creditore non ſit turpitudo: *Gloſſa fin. in cap. quamvis pactum 2. de pactis in 6. & ibi Barboſa a.4. Sanch.l.3. in Decal.c.9. n.35.* In tali proinde caſu quamvis jurans ſervare teneatur quod promiſit ex vi juramenti, ſi illud adimplere poſſit ſine peccato, ut dum promiſit juramento ſolvere uſuras Uſurario, non tamen ſervare tenetur promiſſum ex vi contractus.

R. III. Si contractus invalidentur a jure ob publicam utilitatem, nullatenus firmantur juramento. Ita habetur *leg. jus publicum ff. de pactis* & patet ratione, quia, quamvis unuſquiſque proprio favori, & utilitati privatæ renunciare poſſit; nullatenus renunciare poteſt publico favori, vel cedere juri communi; nam tale jus eſt penes Communitatem, ac proinde ſemper talis contractus ex diſpoſitione legis erit invalidus. Immo neque ulla conſurget obligatio ex adjecto juramento; nam quod officit publico bono ſemper malum eſt, & per conſequens nunquam verificabitur, ex vi juramenti aliquem præſtare debere, quod eſt in præjudicium publici boni *Sanch. cit. n.34.* & communiter Canoniſtæ *in cap. ſi diligenti 12. de for. compet. & cap. contingit interdum 36. de ſent. excom.* quibus juribus manifeſte ſancitur pactis, & juramentis privatorum renunciari non poſſe juri publico.

Ex dictis ſequitur: validum eſſe juramentum non ſolum contra legem permittentem, ſed etiam contra legem præcipientem; ſeu prohibentem, quoties illarum tranſgreſſio non ſit peccaminoſa, & contra bonum publicum. Illæ autem leges reputantur non obligare ſub peccato, quæ principaliter reſpiciunt bonum, & favorem privatorum; nam ipſæ leges, ut dixi ſupra *ex cap. ſi diligenti de for. comp.* permittunt unumquemque juri ſuo renunciare.

Q. VI. An obliget juramentum contra aliud juramentum.

R. Quamvis juramentum factum de materia oppoſita priori juramento non ſit validum, validæ tamen poſſunt eſſe diſpoſitiones factæ contra, prius juramentum: Quod juramentum factum contra prius juramentum nullatenus ſit obligatorium, patet ex *cap. intellecto de jurejur. cap. licet eod. tit. & cap. quidam de converſ. conjug.* Ratio autem eſt, quia juramentum de re oppoſita priori juramento, eſt de re illicita; neque enim ſervari poteſt ſecundum juramentum ſine violatione prioris, quod non eſſe poteſt ſine peccato. Nihilominus diſpoſitiones factæ contra prius juramentum ſubſtinentur. Ratio eſt, quia quamvis jurans ponat ſe in tali ſtatu, ut licite operari non valeat contra juramentum, attamen ratione juramenti non expoliatur poteſtate faciendi actum, quem alias facere poterat, ut etiam habetur *leg. ſi quis princ. Teſtam.* ſi vero retinet poteſtatem faciendi actum, conſequens eſt, valide fieri: *Lugo de juſt. diſp.22.a.216.*

Q. VII. An obligatio juramenti tranſeat ad Hæredes.

R. I. Obligatio juramenti facti in utilitatem hominis non tranſit ad hæredes. Si vero ſit confirmatorium promiſſionis ab altero acceptatæ, tunc obligatio ſolvendi promiſſum tranſit ad hæredes. Ratio primæ partis eſt, quia obligatio, quæ ex virtute religionis proprie conſurgit ex juramento, eſt vinculum, quod perſona jurans ex propria voluntate ſibi imponit; unde cum ſit vinculum perſonale, ſolum afficit illam perſonam, quæ ſe voluit voluntarie obligare; adeoque hujuſmodi vinculum tranſire non poteſt ad Hæredes. Si vero tale juramentum confirmet promiſſionem alteri factam, & ab ipſo acce-

Digitized by Google

acceptatam, tunc obligatio tranſit ad hæredes; eo ipſo etenim quod ille, cui aliquid promiſſum eſt, illud acceptavit, jam habet jus ad rem in id, quod acceptavit, & proinde poteſt compellere ſucceſſores ad illud tradendum. Hinc hujuſmodi promiſſiones parere ationem in atroque foro habetur *cap. 1. de paſt. & in l. at jurejur. ff. de operis liber. D. Th. 2. 2. q. 98. a. 2. ad 4. Laym. l. 4. tr. 3. c. 10. a a. 2. Sanch. l. 3. in Decal. c. 13. a a. 1.*

R. II. Juramenti realis obligatio, ſoli Deo facti, tranſit ad hæredes, etiamſi a nullo homine tale juramentum fuerit acceptatum. Ratio eſt, quia eo quod aliquis *e. g.* juraverit Deo, ſe in ipſius honorem daturum aliquam eleemoſynam pauperibus, vult ſe non homini, ſed ipſi Deo obligare, & imponere tales onus ſuis rebus; unde etiam; nulla interveniente hominis acceptatione, jam contrahit, ut dicitur de votis realibua, iſtud debitum reale cum Deo. Sicut igitur hæres tenetur ſolvere alia debita, & onera realia Defuncti, ita & quod Defunctus juramento promiſit: *Pal. t. 3. d. 2. p. 11. n. 1.*

R. III. Quamvis obligatio juramenti facti in hominis utilitatem afficiat ſolum jurantem, & non tranſeat ad hæredes, eo modo quo dictum eſt in prima reſponſione; nihilominus ex parte illius, cui aliquid juratur, tranſit ad ejus ſucceſſores. Ratio eſt, quia quamvis juramentum ſit perſonale ex parte jurantis, dicitur nihilominus reale ex parte illius, cui aliquid juratur; & ita tranſmittere poteſt jus a ſe acquiſitum in vi præſtiti juramenti ad ſuos Succeſſores: *Scaccia l. 2. de judic. c. 2. n. 103. Sanch. cit. n. 6.* Hinc habemus *cap. veritatis de jurejur.* Vaſallum, qui Superiori juravit fidelitatem, & reverentiam, teneri & ipſam præſtare Succeſſori, propter jus ab Anteceſſore in ipſum transfuſum. Idem habetur *l. ſi pactum ff de prabat.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum promiſſio juramento firmata, facta homini, obliget, etiamſi non fuerit de meliori bono, quotieſcumque tamen fuerit acceprata, conſequens eſt, non ſatisfacere hujuſmodi promiſſioni, qui vellet illam in opus melius commutare. Ita qui juraſſet dare Petro decem aureos, non ſatisfaceret ſuæ obligationi, ſi vellet dare centum in eleemoſynam pauperibus.

II. Quia juramentum promiſſorium non obligat cum ſervari non poſſit abſque peccato, probabilius docent Theologi, non dari obligationem adimplendi promiſſionem prodigam, cum non poſſit axecutioni mandari ſaltem ſine peccato veniali. Si vero res promiſſa ſit partibilis, adimplenda erit in ea quantitate, in qua nulla eſt prodigalitas. Hinc dicunt, quod qui promiſit Meritrici, cum qua peccavit, ſummam excedentem, non teneatur eam totam dare.

Pariter ex eodem fundamento dicunt Theologi, non teneri ad ſervandum ſecretum, qui juravit, non revelaturum aliquam artem, ſeu remedium ad curandum aliquem morbum. Utique, uſquedum qui illam artem, vel remedium poſſunt per ſeipſos bono communi providere, pariter poſſunt ſilere, & ſervare ſecretum: at debent curare, ut poſt ipſorum vitam illius artis, ſeu remedii notitia non deperdatur, quia tunc ſervare ſecretum eſſet apertiſſime contra Charitatem.

III. Quia multoties diximus, promiſſionem acceptatam adimplendam eſſe, ſecus, non acceptatam, quamvis juramentum acceſſerit, obſervare debet Confeſſarius, hanc doctrinam toties apud Theologus inſinuatam, valere ſolummodo, quando juramentum cadit ſuper obſervantiam promiſſionis. Notandam igitur eſt, quod jurans & poteſt jurare, ſe promiſſionem ſervaturum, & poteſt abſolute jurare, ſe daturum, quo caſu non reſpicit promiſſionem, rei, ſed executionem. Si juramentum fuit de ſervanda promiſſione, non conſurgit obligatio, uſquedum non fuerit acceptata; nam juramentum erat ad inducendam promiſſionem, ſi contingat promiſſionem acceptari. Dum proinde promiſſio vel non fuit inſinuata, cui facta eſt vel fuit revocata, vel non fuit acceptata, vel ſi poſtquam fuit acceptata, fuit legitime ſublata, nulla conſurgit juramenti obligatio. Si vero juramentum fuit de re abſolute danda, adeoque reſpiciebat immediate executionem rei, tunc etiam ante acceptationem ſervandum eſt juramentum; quia interpoſitum eſt Divinum Teſtimonium pro futuritione rei, & poſtulat ejus reverentia, ut amdimpleatur. Quod ſi ille, in cujus favorem factum eſt tale juramentum, rem illi ex juramento dandam recuſet, tunc qui juravit aliquam rem illi dare, liber erit ab obſervando juramento; ſemper enim intelligitur ſe obligare ad aliquam rem dandam, quoties non recuſetur. Quomodo vero juramentum cadat in obſervantiam promiſſionis, vel potius in rei executionem, reſciendum eſt ex intentione jurantis.

IV. Eo quod juramentum metu extortum, ſemper, cum adfuit intentio jurandi, ſervandum ſit, bene inferunt Theologi, ſolvendas eſſe uſuras promiſſas cum juramento ex mutuo; quamvis enim Uſurarius ea recipere non poſſit abſque peccato, bene qui juravit ſolvere poteſt abſque peccato. Id etiam deciſum habetur *cap. debitoris de jurejur.* Idem dicendum de pecunia promiſſa a Viatore cum juramento Latronibus, ut illum liberum relinquant. Si vero juraſſet, illos Judici ſe non denunciaturum, non teneretur ſtare juramento, quoties valde eſſent pernicioſi, vel Viator a Judice interrogaretur legitime; tunc enim juramentum fuiſſet de re illicita, adeoque nullatenus ſervandum. Stante autem quod, ſecluſo juramento, nulla ſit obligatio illos denunciandi, tunc ſervandum eſt additum juramentum, quia ſervari poſſet abſque peccato.

Ex doctrina in ſuperioribus ſtabilita, deducunt Theologi pro praxi, quandonam teneatur ad carcerem redire, qui juramento affirmavit, ſed ad carcerem rediturum. Et quidem, ſi carcer ſit juſtus, communis ſententia eſt redire debere etiam cum vitæ diſcrimine, ſuppoſita etenim juſta cauſa, vel ſententia mortis, non habet hujuſmodi reus jus formatum ad vitam conſervandam, adeoque juramentum ſervari poteſt abſque peccato. Plurea vero Theologi docent, non ſervandum hujuſmodi juramentum, ſi carceratus illud fecerit ad evadendam injuſtam mortem, quia tunc juramentum fuit de re temeraria, & contra jus naturæ, cum temerarium ſit ſe injuſtæ morti offerre, & inſuper contra legem naturæ, qua unuſquiſque tenetur vitam ſuam conſervare. Id tamen verum non eſſet, quoties ad carcerem non redeundo, ſcandalum, ſeu injuria orietur contra Chriſtianam Religionem: ut ſi Captivus, præſtito adud Turcas juramento redeundi ad ſuam captivitatem, non redeundo occaſionem ipſis præberet credendi, apud nos religionem juramenti pravipendi. Cæterum non deſunt Theologi univerſaliter affirmantes; eum debere ad carcerem redire, quoties juravit ſe rediturum, etiamſi juraverit ad mortem, injuſtitiam evadendam; dicunt etenim juramentum eſſe cauſam graviſſimam illum excuſantem, ne temere dicatur exponere vitam quandoquidem eam exponere ob reverentiam facti juramenti. Illud tamen certum eſt, quod ſi quando exivit de injuſto carcere, & juravit ſe rediturum, non prævidit ſe injuſte damnandum ad mortem, tunc non tenetur redire, quia cenſetur ſe obligaſſe non ſuperveniente aliqua re notabili.

V. Quia juramentum confirmat contractus, quando invalidantur a jure ob particulare bonum jurantis, ideo debet Confeſſarius advertere, tunc non adimplentem juramentum duo committere peccata nempe contra religionem ratione violati juramenti, & contra juſtitiam ratione contractus, qui fuit ratione juramenti confirmatus. Hinc ſi Filia juravit, ſe non redituram ad bona paterna, contenta dote ſibi a Patre aſſignata: ſi Minor cum juramento contractum celebraverit abſque Tutoris authoritate; ſi Filius familias mutuo acceperit pecunias, juramento renuntians beneficio ſenatus conſulti Macedoniani; ſi Mulier fidejuſſit, juramento renuncians privilegio ſenatus conſulti Vellejani: ſi, inquam, omnes iſti non ſervaverint, quod juramento promiſerunt, dupliciter peccant, ſcilicet contra juramentum, & contra juſtitiam, cum non ſervent contractum, qui, accedente juramento, convalidatur, atpote qui principaliter erat irritatus ob ipſorum privatam utilitatem. Videnda tamen quæ dicam in Tractatu de Juſtitia, & Jure.

Semper tamen advertendum, non debere eſſe in Creditore turpitudinem, ſeu accipere poſſe ſine peccato id, quod ſibi promiſſum eſt; nam tunc nullatenus convalidaretur contractus, & qui juravit, tenetur ſolvere ex vi ſolius juramenti, quando tamen illud adimplere poſſet ſina peccato. Sic ex vi ſolum juramenti tenetur ſolvere uſuras, qui illas juramento promiſit ratione mutui accepti; ſicut etiam qui pecuniam juramento promiſit Graſſatoribus. Removeri autem poteſt etiam hæc obligatio petendo juramenti diſpenſationem: Hæc tamen diſpenſatio, ſeu relaxatio juramenti nec juſte peti, aut dari poteſt, ſi juramento firmetur contractus, quia ſcilicet nulla eſt turpitudo in recipiente; nam tunc nulla interve-

nir juſta cauſa vel petendi, vel concedendi, relaxationem.

VI Quia juramentum factum in hominis favorem, & ab illo acceptatum, eſt adimplendum ab hæredibus jurantis, hinc fit, etiam hæredes illius, cui aliquod promiſſum eſt, habere jus, ut ſibi ſolvatur res juramento promiſſa. Hoc autem jus non eſt in illis præciſe vi juramenti facti a Defuncto; nam obligatio juramenti eſt perſonalis, ſed vi realis obligationis contractæ a Defuncto, quatenus alter acceptando juratam promiſſionem, acquiſivit jus in rem promiſſam, quod jus tranſmittere potuit ad ſuos hæredes. Quod ſi acceptatio illius, cui aliquid juramento promiſſum eſt, nullum peperit jus, qualis eſſet acceptatio latronis, cui Viator aliquid ſub juramento promiſit, nec aliquid exigere poteſt hæres acceptantis, utpote cum non poſſit habere jus majus ipſo acceptante.

CAPUT IV.

De Juramento doloſo, amphibologico, ſervandique Statuta; & de regulis Juramentum interpretandi.

Q. I. QUid dicendum de juramento, quo quis juravit ſine animo jurandi, ſeu non ſe obligandi.

R. I. Nunquam licitum eſt jurare ſine animo jurandi, quapropter Innoc. XI. ſub n. 25. ſequentem damnavit propoſitionem: *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.* Ratio autem juſtæ condemnationis ea poteſt eſſe, quod non ſtat jurare ſine animo jurandi, quin ſaltem interveniat mendacium, ſicut enim qui dicit *promitto* ſine animo promittendi, mendax eſt, ita qui dicit *juro* ſine animo jurandi, mendax eſt. Addendum, hujuſmodi mendacium excuſari non poſſe a culpa ſacrilegii; ſemper etenim in ipſo uſurpatur nomen Dei in vanum, quod eſt contra religionem. Poteſt etiam demonſtrari falſitas propoſitionis damnatæ, eo quod finis juramenti eſt veritatis confirmatio, & finis controverſiarum; unde ſi liceret ſimulate jurare, talis finis omnino fruſtraretur, quod non eſſet ſine gravi Reipublicæ detrimento.

R. II. Jurare falſum ſine animo jurandi eſt ſemper peccatum mortale. Ratio eſt, quia licet in tali Sacramento non ſit perjurium, niſi quoad verba, non vero quoad intentionem; nihilominus non videtur poſſe a gravi irreverentia excuſari, qui Deum primam infallibilem veritatem, apud audientes in teſtem falſitatis adduceret. Ita etiam qui blaſphemat ſine animo blaſphemandi, nunquam excuſatur a gravi injuria facta Deo, quia blaſphemando, externe videtur reputari dignus illo convicio: *Suar. l. 3 de Juram. cap. 17.*

R. III. Jurare verum ſine animo jurandi eſt ſolum peccatum veniale, ſi id non fiat in judicio, ſive contractu. Quod ſit peccatum patet ex dictis, quia tale juramentum importat mendacium: quod vero ſit ſolum peccatum veniale, exinde probatur, quia non ſit Deo gravis injuria, cum ejus teſtimonium non afferatur in confirmationem falſitatis, ſed veritatis, neque ſit gravis injuria homini, ſuppono enim decipi ſine ipſius gravi detrimento: *Sanc. l. 3. cap. 6.* Dixi, ſi id non fiat in judicio, ſive contractu. Si igitur fiat in judicio, ita jurans peccat graviter, quia tranſgreditur grave Judicis præceptum, quod non ſolum eſt de veritate dicenda, ſed de ea dicenda ſub Divino Teſtimonio; unde ſi non habeat animum jurandi, ſive invocandi Divinum Teſtimonium, non ſervat tale præceptum obligans ſub gravi. Si vero fiat in contractu, decipiuntur contrahentes, cum intelligant illum ſe obligare ad verum juramentum. Quod ſi non eſſet contractus de re gravi, ex qua poſſet conſurgere grave ipſorum damnum non ſatis conſtat adeſſe poſſe peccatum grave, quia in contractibus id, quod principaliter attenditur, eſt damnum proximi: *Sanch. in Decal. l. 2. c. 7. n. 2. Anton. a Spir. S. in Direct. Confeſſ. p. 3. d. 1. ſect. 10. n. 61.*

R. IV. Juramentum factum ſine animo jurandi, ſeu non ſe obligandi, nullam inducit obligationem ex vi juramenti. Et quidem ſi factum fuerit ſine animo jurandi patet evidenter; cum enim tale juramentum ſit ſimulatum, & fictum, revera non eſt juramentum, unde non poteſt parere, obligationem veri juramenti. Idem dicunt communius de juramento facto ſine animo ſe obligandi; cum enim intelligi non poſſit verum dari juramentum, ſi non pariat obligationem; jam ſi quis animum habeat ſeſe non obligandi, videtur etiam ſaltem implicite habere animum non vere jurandi: loquuntur proinde de tali juramento ſicut de juramento emiſſo ſine animo jurandi. Hinc ſicut qui jurat verum ſine animo jurandi, ſolum dicitur peccare venialiter, idem dici poteſt de eo, qui habet animum adimplendi promiſſum, ſed non habuit animum ſe juramento obligandi. E contra ſicut peccat mortaliter qui jurat falſum ſine animo jurandi, ita & qui jurat non habens animum adimplendi promiſſum, quamvis animum non habuerit ſe obligandi; utrobique enim adinvenitur gravis irreverentia, & abuſus Divini Nominis, eo quod in teſtem falſi externe adducatur: *Tambur. in Decal. l. 3. c. 3. ſ. 2. n. 6. Anton. loc. cit. n. 62.*

Dixi quod jurans ſine animo jurandi, vel ſine animo ſe obligandi, nullam contrahit obligationem ex vi talis juramenti, quamvis eam contrahere poſſit ad amovendum ſcandalum illatum iis, qui illum audierunt jurantem.

R. V. Juramentum factum animo ſe obligandi, *ſed* ſine animo adimplendi, ſemper eſt peccatum grave, & obligat ad ſervanda promiſſa. Quod ſit peccatum mortale exinde conſtat, quod tali juramento deficit veritas de præſenti, nempe animus ſervandi quod juramento promittitur. Quod vero tale juramentum pariat obligationem ſervandi ex virtute religionis quod juramento promiſſum eſt, adhuc conſtat, quia cum emiſſum fuerit animo ſe obligandi, habet veram rationem juramenti; verum autem juramentum inducit obligationem ut ex virtute religionis ſervetur promiſſum.

Q. II. Quando ſit peccatum juramentum amphibologicum, ſeu æquivocum, & cum reſtrictione mentali; & quam pariat obligationem.

R. I. Antequam per diverſas reſponſiones ſatisfaciam præſenti quæſito, operæ pretium eſt terminos elucidare. Illa igitur intelliguntur verba æquivoca, quæ habent duplicem ſenſum, & hoc dupliciter poteſt contingere. Primo, quia verba habent ex æquo duplicem ſignificationem, ut ſi ad occultandum Titium dicerem interroganti: non *eſt* domi, intelligendo per ly non *eſt*, *non comedit domi*, æque enim ly *eſt* ſignificat eſſe domi, ac comedere. Secundo, verba poſſunt habere duplicem ſenſum, unum ſcilicet naturalem, alterum allegoricum, & metaphoricum, quo ſenſu Jacob ad occultandam veritatem dixit Patri: *Ego ſum Primogenitus tuus Eſau*: nam licet non eſſet Eſau primogenitus perſona, erat tamen primogenitus jure, quod jus ob lentis pulmentum acquiſierat. Ita dicit *S. Auguſt. lib. contr. men. ac. c. 10.*

Reſtrictio mentalis alia eſt pure, & ſimpliciter talis, alia non pure, & ſimpliciter talis. Prima ea eſt, quando verba neque per aliquam externam circumſtantiam, neque per aliquod externum ſignum reddunt illum ſenſum, quem naturaliter habent, ſed faciunt externe ſenſum prorſus falſum, & ſolum verificantur ut conjuncta cum eo, quod mente retinetur. Exemplum ſit in Petro, qui a nemine interrogatus diceret abſolute: *Non vidi Joannem.* Si hujuſmodi verba ex aliqua circumſtantia externa, puta quia actum eſſet de pictura repræſentante Joannem; non determinentur ad talem picturam, abſolute ſignificant Petrum nullatenus vidiſſe Joannem; unde ſi ſolum velit ea verificari, quatenus in mente intelligit non vidiſſe picturam repræſentantem Joannem, jam illa verba ſecundum ſenſum externum, quem naturaliter reddunt, ſimpliciter falſa ſunt; & ſolum verificantur ſecundum ſenſum, quem in mente retineret. Reſtrictio vero non pure, & ſimpliciter mentalis contingit, quando verba, quæ de ſe haberent alium ſenſum, ex circumſtantiis tamen externis, loci, temporis, vel perſonæ, determinantur ad ſenſum, quem aliquis haberet in ſua mente. Et ſtando in exemplo ſupra allato, ſi actum eſſet de pictura repreſentante Joannem, & interim Petrus interrogaretur, an vidiſſet Joannem, ſcilicet ejus picturam, poſſet abſolute reſpondere: *Non vidi Joannem*; intelligendo picturam Joannis; nam ex circumſtantiis, in quibus facta eſſet talis interrogatio, reſponſio ſufficienter determinaretur ad picturam Joannis.

Hic etiam advertendum duxi, quod licet multoties confundatur amphibologia cum æquivocatione revera tamen debent diſtingui. Verba igitur æquivoca ſunt illa, quæ habent duplicem ſenſum, vel æque principalem, vel unum principalem, alterum minus principalem, myſticum nempe, ſive allegoricum, ut ſupra dictum eſt. Verba vero amphibologica, habent ſenſum determinatum, ſed diſtrahuntur ad alium ſenſum, vel

ex

Digitized by Google

ex eo quod quia in mente habet, vel ex circumſtantiis loci, temporis, ſeu perſonarum. His poſitis.

R. II. Nulla interveniente juſta cauſa, non eſt licitum uti æquivocatione, & verbis amphibologicis. Ratio eſt, quia quamvis æquivoca, & verba amphibologica non continentia reſtrictionem pure mentalem, non eſſent mendacium, eſſent tamen contra præceptum poſitivum, & affirmativum dicendi clare veritatem; iſtud enim vult quod niſi interveniat juſta, & rationabilis cauſa, veritas clare manifeſtetur; alias enim deſtrueretur ſocietas civilis, & politica, & humanum commercium.

R. III. Jurare cum æquivocatione, & cum reſtrictione non pure mentali, non videtur, per ſe peccatum grave, etiamſi fiat ſine juſta cauſa. Si vero juſta interveniat cauſa, nullum erit peccatum. Probatur autem prima pars reſponſionis, quia jurare modo ſupradicto non eſt jurare cum mendacio; qui enim eo pacto loquitur, non loquitur contra ſuam mentem; item non profert falſum; nam ipſius verba vere etiam externe aliquo pacto verificantur. Remanet ergo quod ita jurans ſine neceſſitate juret ſine judicio, cum ſine juſta cauſa non debeat hujuſmodi loquutionibus nomen Dei admiſceri. Porro jurare ſine judicio ſolum eſt peccatum veniale: *Lugo*, *Palaus*, aliique, quos ſequuntur *Salmant. tr. 17. c. 2. n. 109. Bonac. diſp. 4. p. 12. n. 3.*

Ex his patet veritas ſecundæ partis reſponſionis, cum enim jurare modo ſupradicto ſine juſta cauſa ſit dumtaxat jurare ſine judicio, jam ſi juſta, & rationabilis fuerit cauſa, juramentum non poterit dici ſine judicio; adeoque in nulla re deficiet a conditionibus liciti juramenti. Hinc *S. Th. 2. 2. q. 69. a. 1.* permittit Teſti non juridice interrogato eludere Judicem &c. dicendo ſe neſcire rem, de qua interrogatur, quamvis illam ſciat; dum enim dicit ſe neſcire, idem eſt ac dicere ſe neſcire id, quod non tenetur manifeſtare. Advertere tamen eſt, non omnem cauſam, quæ reddit licitam æquivocationem reddere licitum juramentum. Hinc ad honeſtam recreationem, & ludum docent Theologi licitum eſſe æquivocare, non vero æquivocationi addere juramentum. Licet pariter æquivocatione uti ad leve damnum vitandum, non vero jurare cum æquivocatione. Videatur Viva in propoſitionem 16. &c. damnatam ab Innoc. XI. *n. 17. & 18.* ubi etiam putat grave peccatum eſſe addere juramentum æquivocationi factæ ſine juſta cauſa; nam tunc putat, excuſari non poſſe a mendacio, illius tamen ratio non ſatis me convincit.

Dixi *per ſe* non eſſe peccatum grave uti juramento cum æquivocatione, & amphibologia non pure mentali, nam poteſt per accidens eſſe peccatum grave; ut ſi quis utatur tali juramento, dum tenetur Judici reſpondere, quia tunc infringeret grave præceptum de manifeſtanda clariſſima veritate; vel ſi quis tali juramento, nulla interveniente juſta cauſa, cauſaret in aliquo tertio grave damnum.

R. IV. Nunquam licitum eſt jurare cum reſtrictione pure mentali. Ita reſponſio, contra quam ſentiebant non pauci Doctores, & numero, & authoritate commendabiles, patet ex tribus propoſitionibus damnatis ab Innoc. XI. Prima, quæ in ordine eſt 26. ita ſe habet: *Si quis vel ſolus, vel cum aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo, intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec eſt perjurus.* Vigeſima Septima ita ſe habet: *Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.* Denique vigeſima octava. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

Patet ex his illicitum eſſe proferre verba, quæ verificentur ex eo ſolum, quod quis habet in ſua mente, adeoque non poſſe ſine perjurio talia verba juramento confirmari. Et ratio etiam eſt, quia verba, quæ nullatenus verificantur vel per ſenſum, quem habent, vel per aliquam externam circumſtantiam, continent manifeſtum mendacium; ſi etenim ille mentitur, qui profert verba diformia menti, jam ſi aliquis ita loquitur, qui nullatenus externe manifeſtetur internus conceptus mentis, erit certo mendax, & per conſequens perjurus, ſi talibus verbis addat juramentum. Exemplum ſit in eo, qui interrogatus, an hodie mane comederit, reſponderet abſolute *non comedi*, & vellet hujuſmodi verba verificari per internum conceptum mentis, quis nempe ita reſpondendo, intellexiſſet dicere, ſe non comediſſe carnem ſuinam. Hujuſmodi verba abſolute prolata *non comedi*, exterius ſignificant, ſe nullatenus comediſſe, unde non valent aptari conceptui mentis, qua quis vellet per ea dicere non comediſſe carnes ſuinas; & per conſequens utpote diformia conceptui mentis, non poterunt a mendacio excuſari.

Addendum, quod cum homines non poſſint internos aliorum conceptus penetrare, finis loquutionis eſt, ut externe ſufficienter conceptus internus manifeſtetur, alias enim & funditus deſtrueretur humanum commercium, & latiſſima via fallaciis, fraudibus &c. aperiretur; numquam proinde licita poteſt eſſe ea locutio, quia nullatenus exterius mentis conceptus exprimitur.

Q. III. Quomodo ſervanda ſint juramenta ſervandi leges alicujus Magiſtratus, Confraternitatis, &c.

R. I. Si juramentum abſolute præſtetur, non extenditur ad leges, & ſtatuta alicujus Reipublicæ, ſeu Confraternitatis poſtea edenda, ſed dumtaxat reſtringitur ad jam edita. Ratio eſt, quia ſi aliud non exprimatur, ſemper cenſetur quis velle ſe obligare ea minori obligatione qua poteſt; ac proinde juramentum, quo quis ſe obligat, dicitur ſtrictiſſimi juris, & interpretationis: ſolum igitur erit de ſervandis ſtatutis jam editis, non vero reſpiciet edenda *juxta caput penult. de jurejur. junct. Gloſſ.* Solum ergo juramentum præſtitum extenderet ſe ad futura, quando in aliqua parte juramenti de illis fieret expreſſa mentio, vel novum ſtatutum idem eſſet ac antiqui renovatio; *cap. penult. de jurejur. junct. Gloſſ. v. quod promiſit, Barboſ. ibid. n. 1. Suar. c. 32. n. 11. Sanch. l. 3. c. 14. n. 1.* & communiter.

R. II. Obligatio, ſeu juramentum ſervandi leges Reipublicæ, Magiſtratus, Confraternitatis &c. non tenet quoad ea, quæ abierunt in deſuetudinem. Ratio eſt, quia juramentum eſt de ſervandis iis, quæ inducunt obligationem; ſi igitur per conſuetudinem in contrarium aliqua ſtatuta non amplius obligent, jam non cadunt ſub juramento. Et idem dicunt DD. non ſolum quando in generali quis juravit ſervare ſtatuta, & leges, ſed etiam quando juramentum cadit ſupra aliquod particulare ſtatutum, ſeu legem; ſemper enim intelligitur peti juramentum de lege ſervanda, prout eſt in uſu, & inducit obligationem; & idem dicas de voto: *Guttier. de juram. p. 1. c. 38. n. 14. Sanch. cit. n. 8. & 9. Suar. n. 1.* Notandum inſuper, obligationem juramenti metiendam eſſe juxta ſtatuti obligationem; quapropter ſi ſtatutum obligabit vel ex levitate materiæ, vel ex alio capite ad ſolam culpam venialem, ita & obligabit juramentum de eo ſervando. Idem dicas, ſi ſtatutum ad ſolam pœnam obliget, vel etiam ſi ſolum ſit de conſilio: *Clem. 1. §. Cum igitur v. declaramus de verb. ſig. cap. exiit qui ſeminat §. In primis quia v. dato de V. S.* ubi promittens Evangelium ſervare dicitur teneri ſervare præcepta ut præcepta, conſilia vero ſolum ut conſilia: *Sanch. l. 3. c. 14. a. 2. Bonac. d. 4. q. 1. p. 16. n. 6.*

Q. IV. Quomodo juramenta ſint interpretanda.

R. I. Si conſtet de intentione, & voluntate Jurantis, omnino attendenda eſt; nam ultra intentionem non extenditur obligatio: Si de tali non conſtet intentione, tunc juramentum, ut ſupra dixi, ſemper eſt ſtrictiſſime interpretandum; obligatio enim reputatur odioſa, maxime ob periculum Animarum, & perjurii; odia vero ſalva tamen veritate, & proprietate verborum, ſemper ſunt reſtringenda, ſicut favores ampliandi, *ex reg. 15. jur. in 6. & ex cap. ad noſtram de jurejur. & c. 1. eod. tit. in 6.* Hinc *leg. quidquid reſtringendæ ff. de verb. oblig.* habetur, quod ſi obſcuritas repeteatur, juramentum interpretandum eſſe in favorem jurantis, & cenſendum eſſe omiſſum, quod verbis palam expreſſum non eſt.

Id autem intelligendum eſt de juramento bona fide generaliter præſtito, quod non eſt extendendum ad incognita, vel ad ea, quæ jurans veriſimiliter expreſſiſſet, ſi de iis cogitaſſet; ſicut in generali conceſſione nunquam intelliguntur comprehendi ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus, *juxta reg. 81. jur. in 6.* Si vero ſermo ſit de juramento doloſo, facto de induſtria verbis callidis, & amphibologicis ad decipiendum, tunc in interpretatione illius juramenti non eſt

ctio præcedens canonice facta: *Leſſ. l. 2. c. 35. n. 138.* Secundo, pœna privationis Beneficiorum non extenditur ad alia Beneficia antea non ſimoniace obtenta; nam lex pœnalis non debet extendi. In ordine nihilominus ad alia Beneficia in poſterum obtinenda, videtur conſurgere inhabilitas ratione prioris Beneficii ſimoniace accepti, cum id habetur in Bulla S. Pii V. incipit. *Cum primum &c.* Ulterius S. Pœnitentiaria concedens abſolutionem a ſimonia occulta commiſſa in Beneficio, dat etiam diſpenſationem ad alia Beneficia obtinenda. Non deſunt tamen qui dicant, prædictam Bullam in hac parte non eſſe receptam ſaltem pro foro conſcientiæ, & diſpenſationem a Pœnitentiaria dari ob majorem ſecuritatem, ſtante probabilitate contrariæ opinionis: *Navar. conſil. 91. de Sim. Pal. de ſim. p. 25,* aliique. Iſti Theologi, qui non ſunt pauci, videntur in hac materia attendendi ex regula ſæpe citata, quia ſcilicet ſumus in pœnalibus, adeoque ſemper ſequi debemus interpretationes benigniores.

Q. IV. Quæ ſint pœnæ ſtatutæ contre ſimoniam confidentialem in Beneficiis Eccleſiaſticis.

R. Pœnæ hujuſmodi recenſentur in Bullis Pii IV. & S. Pii V. & ſunt ſequentes: Excommunicatio Papæ reſervata tam dantibus, quam accipientibus Beneficium, Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ tam Epiſcopis, quam Collatoribus, etiamſi ſint Cardinales. Irritatio, & annullatio talis reſignationis, & collationis Beneficii, & ejus collatio Sedis Apoſtolicæ reſervatur; ſicut etiam Cameræ Apoſtolicæ applicantur fructus male percepti. Denique, committens ſimoniam confidentialem privatur omnibus penſionibus, & beneficiis antea obtentis, & inhabilitatur ad alia obtinenda.

Quamvis autem hæ pœnæ ipſo facto incurrantur, & ad eas incurrendas non ſit neceſſe ſimoniam ex utraque parte compleri, hoc eſt, beneficium datum in confidentiam iterum renunciari, ſed ſufficiat ea conditione dari, & ea intentione recipi, quod reſignetur dimittenti, vel alteri, ſive illius fructus, ſeu pars fructuum ſolvantur nihilominus privatio Beneficiorum antea poſſeſſorum non eſt inducenda ante ſententiam Judicis declaratoriam. Ita expoſcit pœnæ natura, quamvis ipſo jure latæ, ſi externam requirat executionem, ut dixi agendo de lege pœnali, & docet in præſenti *Leſſ. c. 35. dub. 26. nu. 147.*

Q. V. An reſtituenda ſint acquiſita per ſimoniam; & quibus ſint reſtituenda.

R. I. Beneficium pecunia acquiſitum eſt ipſo facto dimittendum, ſive crimen ſit occultum, ſive publicum. Ratio eſt, quia quamvis jure naturali, & divino eſſet valida talis collatio, neque enim videtur jure naturali, & divino adimi a conferente poteſtatem illud alteri tradendi, eo quod pecunia conferatur; nihilominus jure Eccleſiaſtico tale Beneficium etiam ante omnem ſententiam Judicis eſt dimittendum cum fructibus injuſte perceptis, ut dixi ſupra *ex Extra. cum deteſtabile, & cap. ex inſinuat. de ſim.*

Aliæ vero res ſpirituales pecunia acquiſitæ præter Beneficia, non ſunt reſtituendæ. Ratio eſt, quia licet jure divino debeant gratis conferri, nihilominus ſi a diſpenſatore mediante pecunia conferantur, non proinde eſt nulla talis diſpenſatio, quia Deus vult hujuſmodi diſpenſari, & ſolum invitus eſt quoad modum, quo diſpenſantur, cum non obſervetur debita decentia &c. Cum igitur hujuſmodi diſpenſatio non irritetur jure naturali, & divino, & aliunde nullus textus afferatur ſufficienter probans nullitatem talis diſpenſationis, ſequitur præfatas res ſpirituales, quamvis pecunia acquiſitas, poſſe retineri: *Suar. l. 4. de Sim. c. 59. Leſſ. l. 2. c. 35. dub. 29. n. 66. Bonac. de ſim. q. 9.*

R. II. Pretium ſimoniace acceptum pro receptione Ordinis, Beneficii, & Religionis eſt ſemper reſtituendum ante omnem Judicis ſententiam *ex cap. de hoc, c. veniens de Simon. & can. ſi quis dator 1. q. 43. D. Thom. 2. 2. q. 170. a. 6. Leſſ. l. 2. c. 35. dub. 30. n. 369.* Generaliter etiam id probatur de pretio accepto pro quacumque re ſpirituali, quia quæ ſpiritualia ſunt, quatenus talia, non ſunt ſub hominis poteſtate, & dominio, quia illarum rerum eſt dumtaxat diſpenſator, & adminiſtrator: ſicut ergo ſine læſione juſtitiæ accipi non poteſt pretium, nec retineri pro tradenda re non ſua, conſequens eſt, pretium habitum pro tradenda re ſpirituali, ſemper eſſe reſtituendum jure naturali, & divino. Hinc videre eſt diſparitatem inter eum, qui rem ſacram obtinet mediante pecunia, quam rem ſacram non tenetur reſtituere, uti facere debet accipiens pecuniam. Ratio diſparitatis eſt, quia qui pecunia acquirit rem ſacram, non facit injuſtitiam, ſed eam patitur, cum cogatur eam acquirere tradita pecunia; & dumtaxat peccat contra religionem; cujus tranſgreſſio non obligat ad reſtitutionem. E contra qui dat rem ſacram propter pecuniam, violat etiam juſtitiam, ex cujus læſione conſurgit obligatio reſtitutionis. Quod ſi quis putaret non lædere juſtitiam, qui daret rem ſacram, accipiendo aliquid temporale, ut putant plures Theologi, tunc non debet illum ad reſtitutionem obligare ante ſententiam Judicis, exceptis tribus caſibus initio reſponſionis adnotatis.

R. III. Pretium ſimoniace acceptum, etiamſi datum ſit pro Beneficio conſequendo, ante ſententiam Judicis poteſt reſtitui ipſi danti. Ratio eſt, quia probabilis eſt ſententia plurium Authorum id aſſerentium, eo ducti fundamento, quod leges pœnales neminem privant re ſua ante ſententiam ſaltem declaratoriam criminis; ille autem, qui dedit pretium, adhuc ejuſdem retinet dominium, cum illius incapax ſit, qui illud recepit: eo ipſo autem quod hujuſmodi ſententia ſit probabilis, poſſumus eam ſequi, cum ex ſæpe dictis odia ſunt reſtringenda: *Palaus de ſim. p. 26. n. 5. Leſſ. l. 2. c. 35. dub. 31. n. 171.* Omnino autem certum eſſet pretium reſtituendum danti, ſi ſimonia nondum eſſet completa; reſcindendus enim tunc eſſet contractus, & reſtituendum pretium Domino. Id ipſum dicatur, ſi commiſſa ſit ſimonia in aliis rebus ſacris extra Beneficia; cum enim injuria facta ſit illi, qui dedit pretium, ei reſtituendum eſt in compenſationem illatæ injuriæ. Accedit, nullum dari textum canonicum præcipientem pretium acceptum dandum Eccleſiæ, vel pauperibus, ut videtur dici de pretio accepto pro Beneficiis: *cap. de hoc. de ſim.* quamvis, ut dictum eſt, quod dicitur in iſto capite, probabiliter explicetur habere locum poſt ſententiam. Non negaverim tamen poſſe etiam dari Eccleſiæ, in qua eſt Beneficium, cum quamplures affirment id in ſupradicto canone abſolute decerni, & docet *S. Th. 2. 2. q. 100. a. 6.*

Dices *ex leg. ſi ob turpem ff. de condict. ob turpem cauſam, & ex cap. cum ſit de Judæis* turpiter acquiſita nunquam reſtituenda eſſe tradenti. Contra tamen eſt, quia id valet in foro externo, & poſt ſententiam Judicis, quia turpiter dans non eſt ipſo facto privatus re ſua, ſed meretur per ſententiam Judicis privari. Remanet etiam hic adnotare, quod ſi quis invincibiliter ignoraſſet non peccare contra juſtitiam in aliqua re temporali ſimoniace accipienda eamque poſſediſſet tempora legitimo ad eam præſcribendam, poſſet a reſtitutione excuſari.

Q. VI. Quis poſſit diſpenſare in pœnis ſupradictis.

R. Si Simonia ſit occulta, Epiſcopus poterit abſolvere abexcommunicationa Papali, & ſuſpenſione, quæ incurruntur pro Simonia in ingreſſu Religionis Ordine, & Beneficio. Ratio eſt, quia Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* concedit Epiſcopis facultatem abſolvendi a Cenſuris, & Irregularitatibus, quæ Papæ reſervantur, ſi non ſint publicæ, & deductæ ad forum contentioſum, excepta tamen Irregularitate, quæ oritur ex homicidio voluntario. Idem quod Epiſcopi in hoc puncto, cenſent plures facere poſſe Regulares per ſua privilegia: *Palaus de Simon. p. ult. n. 1. Suar. l. 4. de Simon c. 61. n. 4.*

Major videtur difficultas, an poſſit Epiſcopus auferre ſuſpenſionem ab ordinum executione, ſicut etiam habilitare ſimoniace promotos, ut aſcendere poſſint ad Ordines ſuperiores. Et in hac difficultate, quamvis aliqui affirmative ſentiant, cenſeo negative reſpondendum, cum Sixtus V. in ſua Bulla incip. *Sanctum, & ſalutare*, contra male promotos, auferat Epiſcopis, & Regularibus facultatem tollendi pœnas prædictas.

Circa alteram pœnam contra Simoniacos, quæ eſt irritatio, & annullatio cujuſcumque proviſionis, & collationis taliter factæ, ſicut etiam inhabilitas ad alia Beneficia conſequenda, diverſimode diſcurrendum eſt. Si ſimonia fuit commiſſa ab uno tertio, id ignorante Beneficiato, Epiſcopus poterit eidem iterum conferre tale Beneficium, dummodo tamen illud prius libere reſignet, & ſit ſimplex: *Pal. cit. n. 3. & communiter ex textu cap. penult. de elect.* Si vero Beneficium ſit ex Majoribus, quando nempe eſſet Beneficium Curatum, aut Dignitas, pro illa vice non poteſt ab Epiſcopo Beneficiato conferri, ſed ſolum quando vacaverit poſt collationem alteri factam. Ita haberi *ex cap. penult. de elect.* docent quamplures Theologi. Verum ſi præfatum caput diligenter expendatur, apparebit ibi ſermonem eſſe ſolum de caſu, in quo per ſententiam ratione Simoniæ reprobata fuerit electio, vel collatio.

Si vero Simonia ſit commiſſa non a tertia perſona, ſed ab ipſo Beneficiato) quamvis Simonia eſſet occulta,) puto

do ad mentem Interrogantis. Qui enim de aliqua re interrogat, præſumitur interrogare de illa in caſu, quo quis poſſet eam revelare vel ſine peccato, vel ſine ſuo gravi incommodo.

Sed quid dicendum, ſi aliquis urgeret Confeſſarium ad dicendum, ſi ſciat peccatum Petri ut Miniſter Chriſti? ſi Maritus inſtaret apud uxorem adulteram, ut dicat, an fidem violaverit etiam ea notitia, quam non teneatur communicare? & ſic de reliquis. In his circumſtantiis adhuc reſpondent Theologi, poſſe perſonam interrogatam abſolute reſpondere ſe neſcire, ſeu ſe non feciſſe id, de quo interrugatur; cum non teneatur reſpondere ad mentem formalem interrogantis, ſed ad debitam, hoc eſt, ad eam, quam debet habere, ſi non vult inique interrogare. Sed, meo videri, clarius explicari poteſt hæc doctrina, & excludi pura reſtrictio mentalis, damnata a S. Pontificibus. Iam igitur diximus, non intervenire præfatam reſtrictionem mentalem, quoties ex circumſtantia vel Perſonæ, vel loci, vel temporis, ſatis dignoſci poteſt quem ſenſum habeant verba, quamvis non percipiantur ab Interrogante. Cum proinde unuſquiſque jus habeat occultandæ veritatis, quoties non manifeſtaretur ſine peccato, ſive (ordinarie loquendo) cum graviſſimo incommodo, hinc eſt quod Confeſſarius interrogatus, an ſciat peccatum Petri etiam ut Miniſter Chriſti, ſi reſpondrat *neſcio*, ſatis patet, externe ex circumſtantia Perſonæ ſe neſcire ad dicendum; & idem dicas de uxore modo præfato a marito interrogata, & reſpondente ſe non fregiſſe fidem. Stante ergo quod circumſtantia Perſonæ ſatis explicet ſenſum reſponſionis, tollitur pura reſtrictio mentalis, adeoque tali reſponſioni poteſt ſine perjurio addi juramentum.

Ex regula reſpondendi ad mentem Interrogantis plura alia ſalvant Theologia mendacio, & perjurio. Qui v. g. habet juſtam cauſam occultandi Fiſco aliqua bona, interrogatus poteſt cum juramento dicere, ſe nihil occultaſſe, quia præſumitur Judex interrogare de bonis, quæ non potuerit licite occultare. Qui aliqua clam ſurripit in juſtam compenſationem, a Judice interrogatus poteſt reſpondere, ſe nihil rapuiſſe, quia intelligitur interrogare de re furto ablata. Si aliquis non poſſit mutuo dare nummos ſine gravi incommodo, poteſt cum juramento dicere petenti, ſe non habere nummos; nam intelligitur petere mutuo nummos, ſi ſine gravi incommodo poſſit mutuare. Quod ſi poſſet dare ſine gravi incommodo, non deberet reſpondere, ſe non habere nummos, intra ſe intelligendo ad mutuandum, quia hæc eſſet pura reſtrictio mentalis damnata a S. Pontificibus. Ex his exemplis poterit facile prudens Confeſſarius dignoſcere in quamplurimis caſibus quomodo poſſit Pœnitens ſine mendacio, & perjurio occultare veritatem per hoc, quod reſpondeat ad mentem Interrogantis.

Secundus modus celandi veritatem ſine mendacio, (urgente ſemper gravi cauſa) eſt aliquid externe facere per quod verba generalia determinentur ad aliquem ſenſum particularem verum. Afferri ſolet exemplum S. Franciſci, qui interrogatus a Latronibus, num quidam per viam, in qua erat, tranſiſſet, poſitis manibus intra manicas veſtis, reſpondit: *Nullus huc tranſivit*, & eamdem reſponſionem dare potuiſſet, ſi pedem poſuiſſet ſuper lapidem.

Tribus igitur modis vitari poteſt reſtrictio pure mentalis. Verbis æquivocis. Reſpondendo ad mentem Interrogantis: Facendo aliquid externe, per quod verificentur verba prolata, ſi non ſatis verificari poſſint ex circumſtantia perſonæ interrogantis, ſive reſpondentis, ſeu ex circumſtantiis temporis, & loci.

III. Quando in interpretatione juramenti promiſſorii attendenda eſt illa implicita conditio ipſi ſemper adhærens, nempe *ſi potero*, advertat Confeſſarius, quod ſi ſuperveniens difficultas in re adimplenda eſt levis, nullatenus eſt attendenda, cum tunc non reddat moraliter impoſſibile adimplere promiſſum. Hinc ſi promiſiſti nuptias puellæ, reſtare debes promiſſis, quamvis aliquantulum deperdat de ſua pulchritudine. Si promiſiſti, & juraſti ſocietatem, non potes ante tempus eam dividere, quamvis ſocius ſit aliquantulum rixoſus. Quod ſi puella evadat notabiliter deformis, graviter infametur &c. ſi ſocius ſit valde moleſtus, non teneris ſtare promiſſis, quamvis juratis, ut pote quia valde difficile eſt ea adimplere: & dum primo juraſti, non cenſeris conſenſiſſe in rem valde difficilem, ſi hæc difficultas non fuerit ab initio præviſa. Ex his facile eſt alias facere illationes.

IV. Ex illo fundamento, quod juramento acceſſorio competunt omnes illæ conditiones, & reſtrictiones, quæ naturaliter competunt promiſſioni, quamplura inferre poteſt prudens Confeſſarius, ut videat quando ſuus Pœnitens ſervare teneatur juramentum. Aliqua adnotabo. Quia ceſſat obligatio promiſſionis, ſi alter non adimpleat quod ex parte ſua promiſit, vel ſi ſit valde ingratus ideo, his intervenientibus, ceſſat etiam obligatio juramenti promiſſorii. Quia ceſſat obligatio promiſſionis, ſi ante acceptionem revocetur, eo tamen modo, quo diximus ſupra; idem dicas de juramento promiſſorio. Quia ceſſat obligatio promiſſionis caſtigandi Filium, ſi emendetur, vel ſi exinde grave conſurgat incommodum: ſicut etiam quia ceſſat obligatio aſſertionis de non ingrediendo primum, de non ſedendo in nobiliori loco &c. ſi alter valde roget, & illi moleſtum valde ſit, ſi primus non ingrediaris, ſi non præcedas &c. ita & ceſſaret in præfatis circumſtantiis obligatio juramenti: Denique, ſi nemo tenetur ſtare promiſſis de non appellando, ſi injuſte gravetur vel a Judice, vel ab Arbitro; ita & dicendum de juramento emiſſo de non appellando: *cap. prout nobis de dolo*, & Gloſſa *in cap. ad hæc 2. de appellat.* Omitto quamplura alia exempla cum facillime ex dictis innoteſcere poſſit quid dicendum in pluribus aliis caſibus.

De relaxatione, irritatione, diſpenſatione &c. juramenti, agam quæſtione ſequenti, ubi de irritatione, diſpenſatione &c. Voti.

QUESTIO II.

De Voto.

JAm vidimus non ſatis explicari poſſe quæ pertinent ad hoc ſecundum Decalogi præceptum, niſi etiam votum, ejuſque obligationes perpendamus. Explicitis ergo iis, quæ de juramento erant dicenda, aſſumo examen eorum, quæ de Voto ſunt explicanda.

CAPUT I.

De Eſſentia Voti, ejuſque materia.

Q. I. QUid ſit Votum.

R. Non eſt hic ſermo de voto quatenus ſignificat alicujus deſiderium, & ita dicitur voti compos factus, qui quod deſiderabat, obtinuit. Neque pariter hic ſumitur votum pro ipſa materia, quæ Deo promittitur, quo ſenſu dicitur *Pſalm. 49. Redde Altiſſimo vota tua*, ſed pro promiſſione Deo facta, inducente obligationem. In hoc ſenſu communiter definitur ex *S. Th. 2. 2. qu. 88. art. 1. & 2. Promiſſio deliberata facta Deo de bono meliori.*

Dicitur *promiſſio*, ad innuendum non ſufficere ad eſſentiam Voti nudum propoſitum. Hoc autem, ut bene percipiatur, obſervandum, propoſitum ſimplex aliquid faciendi importare nudam voluntatem illud præſtandi, abſque eo quod ita proponens intendat ſe obligare, ut habetur *cap. litteraturam de Voto*. Hinc qui aſſumpſit habitum religioſum cum propoſito perſeverandi in religione per totam vitam, adhuc liber eſt illum dimittere toto tempore Novitiatus, ut ex *Trid. ſeſſ. 25. de regul. c. 15. & 19.* Promiſſio e contra importat animum ſe obligandi ex vi talis actus, adeoque conformandi facta verbis: *D. Th. 2. 2 q. 88. a. 1. Suar. t. 2. de relig. l. 1 c. 2. a. n. 5. Bonac. t. 2. diſp. 4. q. 2. p. 2.*

Quamvis dixerim, propoſitum non inducere obligationem, adhuc nihilominus diſputant DD. an ſaltem veniale peccatum ſit reſiſtere a bono efficaciter propoſito, ſi nulla ſit cauſa reſiliendi. Non deſunt Theologi, qui volunt venialiter peccare ita reſilientem a bono propoſito, quia eſt actus inconſtantiæ; cum videatur virtus Conſtantiæ obligare ad non reſiliendum ſine cauſa etiam a bono voluntario. Ultraquamquod videtur contra rectam rationem ita leviter recedere a Divinis Inſpirationibus: vel ſaltem erit actus otioſus. Nihilominus adhærendum cenſeo contrariæ opinioni; cum etenim ſimpliciter proponens facere aliquod bonum, nullam imponere ſibi velit obligationem, non video unde oriri poſſit obligatio, cujus tranſgreſſione peccatum leve poſſit oriri. Sane præciſe ex non obſervatis conſiliis nullum conſurgit peccatum, proinde ex eo, quod quiſquam recedat a propoſito de facienda re, quæ ſit meri conſilii, non poterit dari tranſgreſſio peccaminoſa, quamvis deficiat

Digitized by Google

ciat ad perfectionem virtutis conſtantiæ. Non negaverim tamen, quod quis poſſit venialiter peccare, ſi a tali propoſito recedat, non ſibi propoſito aliquo fine honeſto, tunc etenim cum actus eſſet otioſus, non poſſet excuſari a culpa levi: *Suar. loc. cit. Sanch. l. 4. c. 8. n. 2. Tambur. l. 3. Decal. c. 11. n. 2.*

Dicitur deinde, quod Votum ſit *promiſſio deliberata*, ad innuendum, debere eſſe factum cum ſufficienti cognitione, & deliberatione, qualis neceſſaria eſt ad peccandum mortaliter; quod enim ſufficere poteſt ad obligandum nos Diabolo per peccatum mortale, obligare nos poteſt per votum Deo. Et quidem utrobique requiritur cognitio, & advertentia, quæ ſatis ſint, ut actus noſtri ſint in noſtra poteſtate, & fiant cum ſufficienti deliberatione ad voluntarie contrahendam aliquam obligationem: *Suar. l. 2. de relig. l. 1. cap. 9. a num. 5. Tambur. lib. 3. Decal. c. 10. num. 1.* & communiter. Unde dicendum, neque ad votum de re levi ſufficere ſemiplenam deliberationem; neque enim ſine integro, & perfecto conſenſu videtur induci poſſe ſufficiens obligatio maxime in re, quæ de natura ſua gravem induceret obligationem, niſi materia levia eſſet: *Suar. c. 7. num. 6. Lugo de juſt. d. 23. ſect. 1. n. 22. Tolet. l. 4. c. 17. n. 4.* Quamvis autem plena deliberatio dari poſſit in inſtanti, nihilominus ſi votum non ſit de re levi, vel breviter duraturum, erit veniale peccatum ob defectum prudentiæ aſſumere ex voto gravem obligationem ſine matura, & ſufficienti conſultatione; *Sanch. l. 4. Sum. cap. 1. n. 9. Pal. t. 3. tr. 5. diſ. 1. p. 4. n. 5.*

Cæterum ex dictis in tractatu de actibus Humanis, non eſt neceſſaria ad votum formalis, & actualis deliberatio, ſed ſufficit virtualis; ſicut enim deliberatio virtualis, fundata in actuali, ſufficit ad reddendos omnes actus noſtros voluntarios, & liberos, ac proinde eſt etiam ſufficiens ad valide recipienda Sacramenta, ita & erit ſufficiens ad votum faciendum. Hinc qui animo vere profitendi vadit ad locum profeſſioni emittendæ deſtinatum, valida tria vota religionis emittit, quamvis dum actu illa emittit, non cogitet de iis, quæ ore profert.

Dicitur, *facta Deo*. Porro aliqua promiſſio poteſt Deo dupliciter fieri. Primo, quando proſſimo fit ipſi Deo; ut quando quis Deo promitteret peregrinationem &c. Item Deo cenſetur facta promiſſio, quando vota fiunt Sanctis, dum votum etenim fit Sancto (niſi alia ſit intentio voventis) vel intelligitur fieri Deo in honorem Sanctorum, quo pacto ædificantur Templa, & Altaria; vel intelligitur fieri Deo coram Sanctis. Secundo, datur votum etiam quando promiſſio fit homini, ut Sancto, Epiſcopo, Prælato, &c. dummodo vovens ſimul promittat Deo, ſe impleturum, quod Sancto, Epiſcopo &c. promiſit. Regulariter autem vovens aliquid Sanctis, vel etiam coram hominibus, intelligitur ſaltem implicite, & virtualiter Deo promittere, quia ejus intentio præſumitur, qualis ſecundum communem acceptionem Eccleſiæ ſolet eſſe intentio ita voventium: *Suar. l. 1. de vot. c. 16. n. 5. Azor. l. 11. c. 22. q. 13. Bonac. t. 2. d. 4. q. 2. p. 1. n. 17.* Quod ſi promiſſio nec expreſſe, nec tacite, nec mediate, nec immediate reſpiceret Deum tunc non daretur votum; cum etenim votum ſit actus religionis, & latriæ, ſoli Deo fieri debet: *D. Th. 2. 2. q. 88. a. 5.* Hinc qui intendiſſet ſoli B. Virgini, vel Sanctis aliquid promittere, quia non emitteret votum, nec illud non adimplendo ſacrilegium committeret, ſed ſolum peccaret contra obſervantiam, & reverentiam debitam excellentiſſimæ Perſonæ.

Dicitur demum, *de meliori bono*, ad innuendum, opus, quod vovemus, ita debere eſſe bonum, ut non ſit impeditivum alterius operis perfectioris, ut infra explicabo.

Q. II. Quotuplex ſit votum.

R. Primo, dividitur votum in ſimplex, & ſolemne. Votum ſimplex eſt, quod fit ſine ulla ſolemnitate. Solemne eſt illud, quod fit ſervata qualitate, juris forma, aliiſque circumſtantiis ab Eccleſia determinatis, ut accidit in profeſſione religioſa, in qua votum ſolemnizatur per obſervantiam ſolemnitatum præſcriptarum, acceptante aliquo vice Dei traditionem corporis, & propriæ libertatis, ſicut etiam ſolemnizatur votum caſtitatis per ſuſceptionem Ordinis ſacri. Solum ergo votum ſolemne, & ſimplex accidentaliter differunt propter ſolemnitatem inductam ab Eccleſia, quæ non ſervatur in ſimplici.

Secundo, votum ſimplex dividitur in abſolutum, conditionatum, & pœnale. Abſolutum eſt, quod emittitur abſque ulla conditione, ut ſi abſolute dicam: *Voveo jejunium &c.* Conditionatum fit ſub conditione, & tenet ſolummodo adimpleta conditione, ut ſi dicerem, *Voveo jejunium, ſi convaluero.* Pœnale eſt illud, cui additur pœna, ſi votum tranſgrediatur. Advertendum tamen, iſtud votum quandoque duplex includere votum unum cadens ſupra rem promiſſam alterum ſupra pœnam, ut ſi quis diceret: *Voveo non ludere, & ſi luſero, jejunare &c.* quandoque vero eſt ſimplex votum pœnale, quale eſſet iſtud: *Voveo jejunare, ſi ludam &c.* Primum votum non ſolum obligat ad pœnam, ſed etiam ad non ludendum, ſecundum dumtaxat ad pœnam.

Tertio dividitur Votum in reale, & datur dum promittitur res externa, diſtincta a vovente, ut *voveo eleemoſynam*; in perſonale, dum nempe promittitur actio, vel omiſſio ipſius voventis, ut *voveo jejunium*; & mixtum, dum ſcilicet actio voventis promittitur, & ſimul res externa, ut *voveo ire Romam, & dare pauperibus talem eleemoſynam.*

Demum aliud dicitur votum expreſſum, quod fit verbis expreſſis, ut *voveo caſtitatem*; aliud tacitum, ſeu implicitum, quod nempe annexum eſt actioni, quam quis facit, ut dum ſuſcipit S. ordinem, cui eſt annexum votum caſtitatis. Superſedeo ab aliis diviſionibus, cum ſatis ſuperque pateant ex terminis.

Q. III. Qualis debeat eſſe promiſſio, ſeu intentio voventis.

R. Huic quæſito facile eſt reſpondere ex dictis de juramento. Primo ergo oportet, voventem habere animum ſincerum vovendi; nam ſi dicat ſe vovere ſine animo vovendi, potius ludit verbis. Secundo, debet habere animum ſe obligandi; nam non ſtat promiſſio neceſſaria pro voto abſque obligatione, ex dictis ſupra de diſtinctione propoſiti a promiſſione, unde animus non ſe obligandi deſtrueret naturam promiſſionis. Ultraquam quod cum votum ſit lex privata, quam quiſque vult ſibi imponere, ſequitur, nullam conſurgere obligationem, ſi vovens velit illam excludere, cum ſit ſibi privatus Legiſlator: *Suar. t. 2. de relig. l. 1. c. 3. n. 7. & 10. Sanc. l. 4. c. 1. n. 27. Bonac. tom. 2. d. 4. q. 2. n. 1. & 10.* Quod ſi aliquis vere non excludat obligationem, & ſciat ſaltem confuſe, votum parere obligationem, tunc conſurgit obligatio voti, etiamſi vovens nonſciat expreſſe quam contrahat obligationem; nam cenſetur, ſe velle obligare juxta naturam voti, quod emittit. Tertio debet habere animum exequendi, ut licite voveat, quamvis votum ſit validum etiam ſine tali animo, quoties vovens animum habuit promittendi, & ſe obligandi, quia obligatio voti eſt diſtincta ab executione, ut patet in eo, qui non obſervat votum emiſſum. *Sanch. cit. n. 3. Bonac. n. 14. Trullench. l. 2. c. 2. d. 1. n. 14.*

Non tamen ſemper graviter peccat vovens, ſi non habuit animum promittendi, ſeu ſe obligandi, ſeu etiam non exequendi votum. Vovere igitur ſine animo promittendi, & ſe obligandi, regulariter eſt tantum peccatum veniale propter ordinationem quod verba menti non ſint conformia. Cæterum non fit Deo gravis injuria, cum coram eo non detur fictio, vel deceptio. Excipe votum factum in profeſſione religioſa, vel in ſuſceptione Ordinis S. nam unuſquiſque tenetur illud facere ea intentione, & voluntate, quam præſcribant Eccleſia, & Religio, unde ſecus faciendo in re gravi illis illuderetur: Excuſaretur nihilominus vovens, ſi habuiſſet juſtam cauſam ita faciendi, ut ſi per metum gravem coactus fuiſſet ad profeſſionem religioſam: *Suar. l. 5. de vot. cap. 1. n. 4. Reginal. l. 18. n. 261. Bonac. lib. 2. diſp. 4. a. 2. p. 1. n. 15.* Denique qui vovet ſine animo exequendi peccat graviter, vel leviter, prout materia eſt gravis, vel levis.

Quem vero pœnitet voti, nullo modo peccat, ſi non intendat illud tranſgredi; nam votum ſolum obligat ad executionem rei promiſſæ, non vero ad id præſtandum hilariter: immo quo major eſt triſtitia, eo magis meritoria poteſt eſſe voti executio propter majorem difficultatem in exequendo.

Q. IV. Quænam debeat eſſe materia voti.

R. I. Voti materia ex dictis non ſolum debet eſſe bona, ſed etiam de re meliori. Et quidem quod debet eſſe de re bona patet, quia mediante voto, aliquid promittitur Deo, adeoque neceſſe eſt eſſe bonum. Item conſtat non ſolum debere eſſe de re bona, ſed etiam de meliori; Deus enim non acceptat, quod impedit id quod melius eſt. Hinc habes, voventem rem malam peccare peccato blaſphemiæ; offert enim Deo rem pravam, quaſi illi placeat quod malum eſt. Neque quis excuſaretur a culpa letha-

li:

Digitized by Google

li, etiamſi rem leviter malam voveret; ſicut enim nullum convicium ita leve poteſt in Deum pronunciari, quod poſſit dari blaſphemia venialis, ita nil tam leviter malum poteſt Deo promitti, ut ſtatim Deo infinite bonum non reputetur fieri gravis injuria. Solum poſſet eſſe peccatum veniale ex ignorantia ita voventis: *Sanch. l.4. c.6 n.9. Suar. l.2. c.4.n.2. & 12. & l.5.c.2. a n.9. Anton. a Spir. S. d.2.n.252.*

Hic etiam animadvertere oporteret, quod vovens Deo rem malam ſine animo adimplendi, adhuc peccat non ſolum propter mendacium, ſed etiam propter gravem irreverentiam, qua Deo rem malam externe offert. Quod ſi ulterius habeat animum exequendi, iterum peccat eo genere peccati, in quo eſt res mala, quam promittit, puta peccato furti, ſi furtum voveret.

R. II. Si materia voti ſit de meliori bono, ſatis eſt ad voti valorem, etiamſi ipſum votum habeat peccatum præſuppoſitive, vel concomitanter; ſecus ſi habeat peccatum pro fine primario. Quod validum ſit votum de bono meliori; etſi præſupponat peccatum, exinde probatur, quia illud bonum non ceſſat eſſe melius, & gratum Deo, quamvis ex aliquo malo, tamquam ex conditione, fuerit derivatum. Exemplum ſit in illo, qui vovet ingredi religionem, ſi ex aliquo duello liber evaſerit; conſtat enim, quod ſuppoſito duello, adhuc bonum, & gratum eſt Deo ingredi religionem: *Leſſ. l.2. c.46. dub.3. n.38. Laym. l.4. c.2. n.7. Bonac. tom.2. d.4. qu.2. p.1. §.1. n.8.*

Item ſi peccatum ſe habeat concomitanter ad votum, validum erit ipſum votum, quia ſemper cum non reddat illicitam ipſius materiam, neque impeditivam melioris boni, jam illa materia eſt in ſe ipſa Deo gratior, & proinde apta voto, & quamvis actus in individuo ſit malus: non tamen malitia operantis malam reddit materiam voti, cui eſt extrinſeca: *Bon. pag.4. §.2. n.6. Leſſ. diſp.7. n.15. Azor.2.pag. l.11. c.15. q.7.* Demus e.g. aliquem voviſſe, ſe amplius non emiſſurum votum ſine conſilio Confeſſarii, & quod nihilominus ſine tali conſilio voveat caſtitatem, utique iſte peccat vovendo: quia tamen adhuc obſervantia caſtitatis ex ipſi licita, immo melius bonum, jam tale votum poteſt eſſe validum. Cæterum obſervandum, quod ſi dum quis vovit, non ſe votum emiſſurum ſine conſilio, & licentia Confeſſarii, habuit inſimul animum non ſe obligandi ſine tali licentia, votum poſtea emiſſum ſine ea non erit validum, ſuppoſito quod fuerit immemor primi voti, dum emittit ſecundum; cum etenim non fuerit memor illius, cenſetur non retractaſſe priorem voluntatem, adeoque perſeverare in voluntate non ſe obligandi ſine prælata licentia.

Denique non ſubſiſtere votum, ſi vovens aliquam rem meliorem habeat pro fine primario peccatum, exinde probatur, quia medium alias bonum aſſumptum ad conſequendum finem malum inducit malitiam finis, ac proinde non amplius bonum eſt, & Deo gratum. Id conſtat in eo, qui voveret eleemoſynam ad obtinendam vanam gloriam; eleemoſyna enim quatenus promiſſa ſub conditione obtinendi vanam gloriam &c. eſt mala, & Deo non accepta. Dixi ſi vovens habeat pro fine primario peccatum; nam ſi finis primarius ſit bonus, jam medium aſſumptum ad illum aſſequendum ſi bonum ſit, non habet unde deperdat ſuam bonitatem, cum potius augeatur ex bono fine primario voventis, quamvis habeat etiam finem ſecundarium, ſeu cauſam impulſivam minus rectam. Hinc tenetur ſervare votum, qui vovit eleemoſynam, ut pauperibus ſuccurat, quamvis ſecundario, & minus principaliter optet ſibi captare laudem apud homines: *Bon. t.2. d.4. q.2. p.4. §.1. n.8.*

R. III. Materia voti non debet eſſe de re ex natura ſua indifferenti; vel referri ad finem indifferentem. Quod non debeat eſſe de re ex natura ſua indifferenti patet, quia tunc non eſt apta cultui Divino, quem reſpicit votum, cum ſit actus religionis; ac proinde, ut bene obſervat *S.Th. 2.2. q.88. a.2.* vana ſunt hujuſmodi vota, cum non acceptentur ab eo, cui fiunt. Et quidem quomodo poſſet eſſe Deo acceptum votum e.g. de non tranſeundo per aliquam viam, ſi nulla adeſſet circumſtantiam, ob quam non tranſire per talem viam ad Dei gloriam conducere? Verum tamen eſt, talia Deo promittentem, dummodo non intendat illa Deo placere, peccaturum ſolum venialiter, & aliquando etiam nullum peccatum commiſſurum, ſi ita voveat ex ſimplicitate. *Sanch. l.4. ſum. c.7. n.4. Trullench. l.2. c.2. diſp.7. n.2.* Si vero rei alias indifferenti unita ſit circumſtantia, qua illa res non ſolum ex intentione voventis, ſed ut veſtita tali circumſtantia conducit ad id, quod eſt melius, tunc votu de tali re validum eſſet, ut de ſe conſtat. Dixi non ſolum ex intentione voventis; nam res, quæ vel de ſe, vel ut veſtita aliqua circumſtantia non conducit ad bonum, bona non eſt, adeoque non poteſt eſſe materia voti. Exemplum in muliercula, quæ voveret non nere die ſabbathi ob B. Virginis reverentiam, & interim liberum eſſet illi vacare aliis operibus ſervilibus: patet in tali caſu abſtinentiam a nendo nil conducere ad Virginis honorem, quæcumque fuerit intentio voventis. Secus dicendum, ſi voluiſſet per aliquas horas non nere, ut vacaret orationi; nam tunc ceſſatio a nendo conduceret ad rem Virgini gratam: *Suar. l.1. c.4. n.7. Sanch. n.13.*

Dixi in ſecunda parte reſponſionis, materiam voti neque referendam ad finem indifferentem (intellige primarium); nam cum medium præcipue ſumat ſuam bonitatem, vel malitiam in ordine ad finem primario intentum, jam ſi iſte finis ſit indifferens, adeoque vanus, vanum, & inutile erit medium aſſumptum ad illum finem conſequendum, & proinde Deo non gratum. Hinc nullum eſſet votum de jejunio, ut ſumptibus quis parceres, dum alias poſſet licite, & honeſte impendere nummos.

Non tamen putandum ordinari ad finem indifferentem votum factum ob conſequendum aliquod bonum temporale honeſtum, puta filium, ſanitatem, officium &c. dum etenim fiunt hujuſmodi vota, includitur cognitio Divinæ beneficentiæ, & agnoſcitur Deus ut author talium bonorum, adeoque ſufficienter intelliguntur talia vota eſſe de re meliori. Hinc ſimilia vota repeṙiuntur in Sacra Scriptura, & approbantur a praxi Eccleſiæ. Quod ſi res temporales, pro quibus obtinendis ſit votum, non ordinarentur ad agendas Deo gratias, ſeu ad cognitionem Divinæ Beneficientiæ, nullum eſſet votum; nam ſiſtere in re mere temporali non eſt ſiſtere in re meliori: *Sanch. n.22. Laym. l.4. tr.4. c.2. n.10.*

R. IV. Materia voti non debet eſſe vel phyſice, vel moraliter impoſſibilis, quia impoſſibilium nulla obligatio: *cap. nemo poteſt de reg. jur. in 6. & leg. impoſſibilium ff. eod. tit.* ac proinde tale votum cenſetur non factum.

Hic autem notandum, quod ſi materia tempore emiſſi voti erat vel indifferens, vel impoſſibilis, non ideo obligat votum, eo quod poſtea evadat bona, vel poſſibilis, cum tractu temporis non firmetur, quod de jure ab initio non ſubſiſtit: *cap. non firmetur de reg. jur. in 6.* E contra ceſſat obligatio voti, ſi illius materia ab initio bona evadat deinde impoſſibilis, vel etiam indifferens. Exemplum ſit in eo, qui fecit votum non ingrediendi aliquam domum ob periculum peccandi; ſi ceſſet tale periculum, vel mulier, cum qua peccabat, alio migravit, ceſſat votum; nam tunc materia talis voti non amplius cedit in Dei cultum. *Sanch. l.4. c.7. n.19. Leſſ. l.7. c.40. n.42. Bonac. d.4. q.2. p.4. §.2. n.9.*

Q. V. Quid faciendum ſi materia voti partim poſſibilis, partim impoſſibilis, partim bona, partim mala ſit.

R. Si materia voti partim ſit poſſibilis, partim impoſſibilis, partim bona, partim mala, ſequentes obſervandæ ſunt regulæ. Primo, ſi tota materia promittetur per modum unius, vovens ad nihil tenetur; cum enim vovens ita ſe voluerit obligare, ut una pars ſine alia non ponatur, jam ſi una pars, quia indifferens, non eſt materia idonea voti, neque vovens tenetur alteram partem adimplere. Tunc autem vovens intelligitur totam materiam per modum unius voviſſe, quando expreſſe noluit ſe obligare ad partem, ni ſimul teneretur ad totum.

Secundo ſi vovens non habuerit prælatam expreſſam intentionem, tunc attendenda eſt materia voti. Si hæc ſit indiviſibilis, jam qui non poteſt adimplere totum, non tenetur adimplere partem, ut de ſe patet. Ita qui vovit dare calicem Eccleſiæ, ſi non poteſt facere totum, nec partem tenetur facere: quia calix ſecundum communem modum non ſolet dividi. Idem dicendum de eo, qui promiſit ædificare Eccleſiam, & non poteſt totam ædificare. *Laym. l.4. tr.4. c.2. n.3. Leand. tract. 1. diſp.9. n.21.* Si vero materia voti ſit diviſibilis, tunc rejecta parte mala indifferenti, vel impoſſibili, votum ſecundum aliam partem eſt adimplendum, juxta *cap. utile de reg. jur. in 6.* ubi habetur utile per inutile non vitiari. Et ratio eſt, quia talis præſumitur fuiſſe intentio voventis, ni conſtet contrarium; *D.Th. 2.2. q.88. a.3. ad 2. Sanch. l.4. cap.10. num.7. Pal. tr.15. diſp.1. p.8. §.1. num.10.*

Id tamen limitandum, quando una pars eſt acceſſoria, altera principalis; nam ſi reddatur impoſſibilis principa-

e, tunc ceſſat etiam obligatio adimplendi acceſſorium, quia acceſſorium intelligitur promitti dependenter a principali. Exemplum ſit in eo, qui ſuppoſita longa navigatione, vovit confiteri ſua peccata, vel vovit ire Romam ſacco indutus: in his caſibus ſi reddatur impoſſibilis navigatio, ceſſet obligatio confeſſionis acceſſoria ad navigationem, ſicut ob eamdem rationem ceſſat obligatio induendi ſaccum, ſi vovens non poſſit ire Romam. Quia vero e contra, ordinarie loquendo, principale non pendet ab acceſſorio, ſi hoc fiat impoſſibile, permanet obligatio exequendi principale. Ita qui ob valetudinem, vel aliam cauſam non poſſet in caſu ſupradicto indui ſacco, non proinde excuſaretur a peregrinatione Romana: *cap. fine de eo conſecrat. in 6.* ubi dicitur impedimentum acceſſorium non redundare in principale; *Sanch. n. 10. & 13. Trullench. l. 2. c. 2. dub. 11. n. 3.*

Dixi, *ordinarie loquendo*, nam ſi quando impoſſibilitatur acceſſorium, redditur valde difficilius principale, tunc etiam ipſius obligatio ceſſat; tunc enim cenſetur vovens ſe obligaſſe ad principale dependenter ab acceſſorio. Exemplum ſit in eo, qui vovit ire Romam equitando, ſi defectu pecuniæ non poſſit equum adhibere, tunc nec tenetur ire Romam, ſi valde illi difficile ſit ire pedeſter. Hic etiam habet locum illud principium apud Theologos commune, quod ceſſat obligatio voti, ſi adimpleri debeat cum multo majori difficultate quam vovens intenderit: *Suar. l. 4. c. 2. n. 11. Pal. tr. 15. d. 1. p. 8. §. 1. num. 10.*

Tertio, ſi votum ſit disjunctivum, & materia partim ſit bona, partim mala, ut ſi quis dicat: *Hodie voveo vel orare, vel furari*, tunc vovens ad nihil tenetur. Ratio eſt, quia in voto disjunctivo ut ſit validum, debet vovens poſſe eligere illam partem, quam maluerit, quod non evenit in caſu ſupradicto: *Sanch. l. 4. c. 10. n. 19. Trullench. l. 2. c. 2. dub. 9. n. 2. & 11.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Eo quod materia voti debeat eſſe de meliori bono, inferunt DD. votum jejunandi omnibus diebus etiam die Dominica eſſe obligatorium; quamvis enim *cap. ne quis jejunet de conſecr. diſt. 3. cap. ſi quis tamquam, & cap. Sacerdos 26. q. 6.* prohibitum fuerit jejunare die Dominica ad evitandum errorem Manichæorum, qui tale indixerant jejunium in contemptu Reſurrectionis Chriſti; cum tamen modo non amplius vigeat talis error, neque amplius habet locum talis prohibitio, & melius eſt tali die jejunare, quam non jejunare. Verum tamen eſt, quod ſi quis voverit jejunare aliqua determinata die v.g. in vigilia Annunciationis B. Virginis, melius erit, ſi ſe conformet Eccleſiæ dum talis dies incidat in Dominica, adeoque ſatisfaciet voto, jejunando ſabbatho antecedenti, *Leand. d. 4. q. 46.* Id tamen dictum velim, ſi dum emiſit votum non habuit expreſſam intentionem jejunandi etiam in Dominica, quando tali die incideret vigilia Annunciationis &c.

II. Ex eo etiam quod materia voti eſſe debeat de meliori bono, inferunt DD. non eſſe validum votum de immoderatis macerationibus corporis; ut enim habet *D. Th. 2. 2. q. 88. a. 2. ad 3.* vigiliæ, jejunia &c. ſunt Deo accepta, in quantum fiunt cum debita diſcretione, *ut ſcilicet concupiſcentia refrænetur, & natura non nimis gravetur, & ſub tali tenore poſſunt hujuſmodi ſub voto cadere.* Item per ſe invalidum eſt votum non vovendi; quia vovere eſt actus religionis, & proinde res Deo grata, & accepta. Bene autem valeret votum de non vovendo ſine licentia Confeſſarii, ne quis ſe exponat periculo inconſiderate vovendi.

Non tamen judicarem invalidum votum factum de non petenda diſpenſatione de aliquo voto facto, quamvis multi in contrarium opinentur; nam melius eſt rem debitam velle exacte adimplere, & cedere omni juri ſe ab obligatione contracta eximendi. Aliunde cum caſus, quo diſpenſatio utilior ſit animæ, raro contingat, non vitiare videtur materiam talis voti, quæ ſolet tantum comprehendere caſus communiter contingentes; unde ſi reſpectu iſtorum materia voti eſt de meliori bono, non eſt cur tale votum non ſit validum: *Azor. l. 11. c. 19. qu. 15. Pal. t. 3. tr. 15. d. 1. p. 8. §. 5. n. 4. Bonac. tom. 2. d. 4. qu. 2. par. 5. n. 18.* Bene autem perpendat Confeſſarius, quod ſi tale votum evadat Penitenti perniciosum, & utilius illi ſit petere diſpenſationem, cum amplius illi non ſit de meliori bono, licite petitur diſpenſatio, ſi anceps eſſet, an tunc ceſſaverit votum, nec ne. Item notet, quod quamvis illi melius non eſſet petere diſpenſationem, ſi tamen habet cauſam legitimam petendi, ut ſi præcipitanter tale votum emiſiſſet, diſpenſatio obtenta ſubſiſteret, quia tunc non impedit poteſtatem diſpenſantis. Quod ſi inſuper voviſſet, ſe diſpenſatione non uſurum, prius petere debet diſpenſationem a voto non utendi diſpenſatione, inde non petendi diſpenſationem, ac demum a voto de re, quæ primo vovit, v.g. caſtitate &c. Videantur *Suar. l. 2. c. 21. nu. 6. Sanch. l. 4. c. 8. n. 29.*

III. Item animadvertendum, quod dum dicitur votum eſſe debere de meliori bono, juxta communiorem opinionem ſufficit, quod ſit de meliori bono directe, quamvis indirecte majus bonum impediat. Exemplum ſit in eo, qui voveret aliqua die determinata inviſere aliquam Eccleſiam, quo tempore forte facere poſſet aliqua opera perfectiora, ſi ad Eccleſiam non progrederetur. Illud votum videtur omnino validum, cum melius ſit inviſere illam Eccleſiam, quam non inviſere. Nihilominus talis viſitatio poteſt indirecte impedire opus perfectius. Scire tamen debet Confeſſarius, poſſe voventem propria auctoritate tale votum in opus perfectius commutare: *Sanch. l. 4. c. 7. n. 47. Trull. l. 2. cap. 2. dub. 5. num. 17.*

IV. Notare etiam debet prudens Confeſſarius, quod dum dicitur votum debere eſſe de re meliori, id intelligi debet reſpectu ipſius voventis, ita ut res ab ipſo per votum promiſſa ſit illi majus bonum ea re, qua per votum privatur. Ratio eſt, quia Deus non reſpicit præciſe id, quod ipſi offertur, ſed an res illi oblata a vovente cedat in ſui majorem honorem, & gloriam, & ſi ita non ſe habeat, ab ipſo non acceptatur. Hinc quamvis vota, ordinarie loquendo, non debeant eſſe contraria Conſiliis Evangelicis; nihilominus poſſunt dari vota valida, quæ videntur ipſis adverſari, quia in quibuſdam circumſtantiis melius bonum poteſt eſſe voventi talia conſilia non ſervare. Ex his habetur, validum eſſe votum nubendi emiſſum ab illo, qui non ſe poteſt continere; non jejunandi emiſſum ab illo, cui jejunium graviter officit valetudini; non mutuandi, ſeu dandi eleemoſynam, emiſſum ab illo, cui pecunia eſt valde neceſſaria ad familiæ ſubſtentationem, & ſic de pluribus aliis.

V. Ex illo principio, quod materia voti debeat eſſe de re moraliter poſſibili, bene inferunt Theologi, nullum eſſe votum de vitandis omnibus peccatis venialibus; attenta etenim humana fragilitate, ordinario rerum curſu, & ordinariis Dei auxiliis, eſt moraliter impoſſibile ea omnia vitare. Quamvis autem lege naturali divina teneamur omnia etiam peccata venialia vitare, id non probat, fugam omnium venialium poſſe eſſe materiam voto aptam; nam ut ea teneamur vitare ex lege naturali divina, ſufficit habere potentiam phyſicam ad ea vitanda. Cum autem obligatio voti naſcatur a libera noſtra voluntate, cenſendum eſt, non ſe extendere ad id, quod eſt moraliter impoſſibile; nemo enim prudens cenſetur velle ſe libere ad hujuſmodi obligare. Solet objici, votum emiſſum a S. Thereſia de faciendo ſemper quidquid cognoſceret eſſe perfectius: ſed communiter reſpondetur, ita voviſſe ex ſpeciali Spir. S. impulſu.

Validum e contra eſt votum de vitandis omnibus peccatis mortalibus, ſicut & venialibus in aliquo determinato genere, puta de vitandis mendaciis, probatis cum plena advertentia. Poſſunt tamen dari aliquæ perſonæ ita virtute expolitatæ, & ad malum proclives, ut reſpectu iſtarum, videatur moraliter impoſſibile peccata venialia etiam in determinata ſpecie vitare. Cæterum hujuſmodi vota ordinarie permittere non debet prudens Confeſſarius propter periculum tranſgreſſionis. Idem dicas de voto confitendi omnia venialia, quod licet validum ſit, ſi referatur ad ea, quæ memoriæ occurrunt poſt factam mediocrem diligentiam: nihilominus, exinde oriri poſſunt multi ſcrupuli, & conſcientiarum perplexitates &c. Multo minus permittat Confeſſarius Penitenti votum de vitandis venialibus omnibus quantum in ſe eſt, quia ultraquamquod non ſit de re certa humana ratione cognoſcibili, qualis eſſe deberet materia voti, quis non videat, hujuſmodi votum infinitis perplexitatibus obnoxium? Quis enim cognoſcere valet, ſe feciſſe quantum in ſe eſt, ac omnem ſibi poſſibilem diligentiam adhibuiſſe? &c.

CA-

CAPUT II.

De Voti Obligatione.

Q.I. QUanta ſit obligatio Voti,

R. Votum ita obligat ad ſui executionem, ut illius tranſgreſſio ſit ex genere ſuo peccatum mortale. Ratio eſt, quia licet ea, quæ ex ſola fidelitate alicui debentur, ordinarie loquendo, dumtaxat ita obligent, ut illarum tranſgreſſio ſit ſolum peccatum veniale; nihilominus id non habet locum in adimplendis promiſſis Deo factis mediante aliquo voto. Diſparitas eſt, quia quamvis ſimplex virtus fidelitatis non obliget, niſi ſub veniali; nihilominus virtus religionis obligat ſub mortali. Cum igitur adimplere id, quod promittitur mediante voto, imperetur a virtute religionis; (ideo etenim placita eſt Deo obſervantia eorum, quæ illi promittimus, quatenus cedunt in ſuum cultum, & honorem) ſequitur, non obſervare promiſſa Deo facta, eſſe ex ſui natura peccatum mortale. Hinc Innoc. III. *c. licet de Voto* definivit; obligationem voti eſſe ſub mortali: *D. Th. 2.2. q. 88. a. 3.*

Ex triplici autem capite poteſt tranſgreſſio voti fieri peccatum veniale. Primo, ſi tranſgrediatur ex non plena cognitione, & deliberatione, ex quo capite tranſgreſſio cujuſcumque graviſſimi præcepti poteſt eſſe peccatum veniale. Secundo, ex intentione voventis, quatenus ſcilicet dum emiſit votum etiam de re gravi, non intellexit ſe obligare, niſi ſub levi culpa. Pro quo obſervandum, quod licet obligatio voti pendeat etiam a lege naturali, & divina; nihilominus cum votum ſit lex particularis, quam quis vult ſibi libere imponere, ſequitur, in votis legem naturalem, & divinam non obligare, niſi dependenter a voluntate voventis; & proinde ex vi voti ſolum venialiter obligare, ſi talis fuerit illius intentio. Ex quo cognoſcere eſt diſparitatem, quæ intercedit inter juramentum, & votum: nam in juramento, cum adducatur Deus in teſtem, ſemper eſt peccatum mortale ipſum in teſtem falſitatis inducere, cum hoc non poſſit eſſe ſine gravi Ipſius injuria. At injuria facta Deo in voti tranſgreſſione, cum pendeat a voluntate voventis, volentis ſe minus obligare, ſequitur, bene ex hoc capite intervenire injuriam levem etiam in tranſgreſſione voti de re gravi. Præterea ſi ſupponatur impoſſibile, aliquem tantum leviter obligari in voto de re gravi, jam tale votum nullum erit; nam vovens non intenderet aſſumere gravem obligationem, & aliunde levis obligatio non ſupponeretur poſſibilis: *Suar. lib. 4. de vot. cap. 4. n. 5. Palaus tr. 15. d. 1. par. 12. n. 4. Fanc. tr. 26. c. 3. n. 80.* Tertio, tranſgreſſio voti eſt dumtaxat, peccatum veniale, ſi ipſius materia ſit parva, etiamſi ſit tota, & adæquata materia voti. Quod dumtaxat peccet venialiter, qui e.g. fecit votum de recitando Roſarium, & omiſit unam ſalutationem Angelicam; qui fecit votum de diſtribuendis Pauperibus centum nummis, & omiſit e.g. julium, in comperto eſt apud omnes propter materiæ parvitatem. At aliqui affirmabant, quod ſi materia parva eſt tota materia voti, puta quia aliquis vovit unam tantum ſalutationem Angelicam, illius tranſgreſſio ſit peccatum mortale, quia cum ſit tranſgreſſio totius voti, eſt actus perfectus contra religionem: Nihilominus dicendum materiæ parvæ tranſgreſſionem, etiamſi ſit tota materia voti, non eſſe niſi peccatum veniale; ex tranſgreſſione etenim materiæ parvæ nonniſi levis irreverentia Deo irrogatur: & ita etiam in quocumque alio præcepto, ſi in materia parva tranſgrediatur ſolummodo conſurgit peccatum veniale: *Suar. l. 5. c. 4. n. 9. Sanch. l. 4. c. 13. n. 5. Pal. t. 3. tr. 15. diſp. 1. p. 11. n. 6.*

Duo tamen hic ſunt advertenda. Primum eſt, parvitatem materiæ in votis ſolum conſiderandam eſſe in ordine ad magnum, vel parvum honorem, qui redundat in Deum ex adimpletione voti. Hinc aliqui affirmant omiſſionem roſarii, ad quod quis tenetur ex voto, non eſſe niſi peccatum veniale: quamvis enim, ſi injungatur in pœnitentiam in confeſſione, non omittatur ſine peccato mortali, quia reputatur opus notabiliter pœnale, adeoque materia gravis in ordine ad pœnitentiam; nihilominus cum non videatur conſurgere ex ipſius recitatione notabilis Dei cultus; non cenſent peccare lethaliter qui ad illud tenetur ex voto, ſi ſemel omittat. Melius tamen, meo videri, dicitur eſſe gravem culpam tertiam roſarii partem omittere, cum non levis cultus ex ipſius recitatione fieri Deo videatur.

Secundum eſt, quod ſi pluries tranſgrediatur votum in materia parva, ejus tranſgreſſio erit peccatum mortale, ſi tales parvæ materiæ coaleſcant, & faciant materiam gravem. Ad videndum autem, an materiæ coaleſcant, vel potius affixæ ſint diei, in quo votum erat perſolvendum eaque die tranſacta deſinat obligare ſolent Theologi dare hanc regulam. Si votum ſit perſonale, id eſt, de actione facienda ab Ipſo vovente, puta de recitando ſingulis diebus ſalutationem Angelicam, ſive quinquies Orationem Dominicalem, dicunt, obligationem deſinere cum die, nec uniri obligationi alterius diei. Si vero votum ſit reale, puta de facienda aliqua eleemoſyna, volunt, obligationem non deſinere cum die, adeoque ſi multis diebus omittatur eleemoſyna e. g. unius oboli, quam quis voto ſingulis diebus dare promiſit, cum fiat materia gravis, conſurgit ex ipſius peccatum mortale. Hujus autem regulæ hanc aſſignant rationem, quod nempe vovens actionem perſonalem præſumitur velle ſuam obligationem cum die tranſira, ſecus ſi voveat aliquid reale. Quia nihilominus hujuſmodi doctrina ſolummodo fundatur in prudenti præſumptione, hinc ſemper inveſtiganda eſt intentio voventis, quia bene potuit velle etiam in votis realibus obligationem unius diei cum altera non continuari, ut ſi voverit aliquam eleemoſynam dare in honorem alicujus diei, in ſingulis feſtivitatibus e.g. Virginis; nam obligatio in honorem diei facta, ita videtur illi affixa, ut cum ſequentibus obligationibus non continuetur.

Q.II. An obliget votum ex metu.

R.I. Suppoſito quod quis habuerit veram vovendi intentionem, ſemper validum eſt votum emiſſum propter metum ortum ex cauſa naturali, puta ex infirmitate, timore naufragii &c., quia nulla intercedit injuſtitia, & adeſt ſufficiens voluntatis deliberatio ad vovendum; *cap. ſicut nobis de regul.* Propter eamdem rationem idem dico de voto facto ex metu ab extrinſeco, vel juſte, vel injuſte proveniente, ſed non incuſſo ad extorquendum votum: ut ſi ille, cui mortis periculum a latrone immineret, voveret peregrinationem Lauretanam; ut dictum enim eſt, nulla injuſtitia intervenit in ordine ad votum.

R. II. Votum factum ex metu juſte incuſſo etiam in ordine ad illud extorquendum, ſemper eſt validum, nam nulla fit injuria voventi; & potius dicitur eligere ſua ſponte tale medium ad malum ſibi imminens vitandum. Exemplum ſit in Judice, qui, ut liberet a morte reum juſte damnatum, offert illi vitam ſub conditione, ut voveat peregrinari Compoſtellam.

R.III. Votum factum ex gravi metu, ſive metu cadente in conſtantem virum, injuſte incuſſo ad illud extorquendum, quamvis ſufficienti elicitum deliberatione, nullam parit obligationem. Id autem probatur, non quia irritum ſit jure naturæ, cum ſupponatur factum ſufficienti deliberatione; neque enim metus de ſua natura tollit voluntarium, ſed potius invaliditas talis voti deſumitur ex traditione, & longæva conſuetudine Eccleſiæ, vim legis habente, quæ ſic interpretatur quoſdam Canones agentes de votis ex metu. Ita etiam ex tali traditione, & conſuetudine irritum dicitur matrimonium fidelis cum infideli &c.; Videantur ſcribentes *in c. 1. de his, quæ vi metuve &c. & in cap. ad audientiam eod. tit.* Sic ergo, non ſolum Profeſſionem religioſam gravi metu factam eſſe irritam, uti habetur *ex cap. perlatum de his, quæ vi &c.*, ſed etiam matrimonium, & aliud quodcumque votum, ut dixi etiam quæſtione ſuperiori: *Azor. p. p. l. 11. c. 15. q. 6. Navarr. in Man. c. 12. n. 52., Sanch. l. 4. c. 3. n. 11. Bonac. t. 2. d. 4. q. 2. p. 3. §. 1. n. 6.*

An autem irrita ſint vota ex levi metu facta, quamvis aliqui DD. affirment, puto ſentiendum eſſe omnino negative; nam *cap. cum dilectus de his, quæ vi &c.* definitur, quoddam votum validum fuiſſe, quia non fuit ex gravi metu factum: videtur ergo ſolum ex gravi metu invalidari. Et quidem cum ex levi metu non inſurgat gravis injuria reſpectu voventis, non eſt cur jure, vel conſuetudine Eccleſiæ talia vota debeant dici irrita.

Q. III. Quam obligationem pariat votum factum ex Ignorantia.

R. I. Si error, aut ignorantia ſit circa ſubſtantiam voti, aut circa ſubſtantiam rei promiſſæ, nullatenus tenet. Error tunc eſſet circa ſubſtantiam voti, ſi vovens neſciret quid eſſet votum, & quod pareret obligationem &c. & in hoc caſu patet, nullatenus votum eſſe obligatorium, quia qui neſcit quid ſit votum, & quod inducat obligationem neque poteſt habere voluntatem vovendi: nil enim volitum, quin præcognitum. Quod ſi qui neſcit quid ſit vo

vere,

vere, adhuc nihilominus habeat intentionem vovendi eo modo, quo alii vovent, tunc votum eſſet obligatorium, quia ita vovens habet intentionem implicitam, & virtualem ſe obligandi &c. *Sanch. l.4. c.22. a.2. Suar. t.2. de relig. l.1. c. 11. a.6.*

Tunc vero error eſt circa ſubſtantiam rei promiſſæ quando reperitur eſſe diverſæ naturæ, ſeu ſpeciei, ab ea, quæ reputabatur, quando emiſsum fuit votum; ut ſi aliquis voviſſet dare Eccleſiæ calicem, quæ putabat argenteum, & poſtea reperit eſse aureum; vel ſi voviſſet ingredi religionem, ubi ſervari putabat regularem diſciplinam, & de facto neque ipſius eſsentialia ibi obſervantur. Dum hujuſmodi error intercedit, patet, non tenere votum, quia non eſt voluntarium; voluntas enim erat de re argentea, non aurea, de obſervanda Diſciplina regulari, & non e contra.

R.II. Ignorantia, ſeu error reddunt votum nullum, quando ſunt circa finem intrinſecum, ſeu extrinſecum voti. Tunc primo eſset circa finem intrinſecum voti, quando eſset de re, quæ non conduceret ad Dei cultum: in quo caſu conſtar, nullum eſse votum, cum debeat eſse de re, quæ ad Dei cultum, & honorem deſerviat. Secundo, ceſsaret finis intrinſecus voti, ſeu ipſius cauſa formalis, quando re voto promiſsa non poſset fieri id, ad quod de ſua natura conducit, & deſervit. Voviſti e. g. eleemoſynam, quæ de ſua natura deſevit ad ſublevandam miſeriam alterius, ſi ergo appareat, Petrum, cui voviſti dare eleemoſynam, eſse divitem, ceſsat finis intrinſecus voti, quia cum ſit dives, non habet locum ſublevatio ipſius miſeriæ. Quod autem nullum ſit tale votum conſtat, quia non eſt voluntarium; vovens enim voluit ſublevare pauperem, unde ſi ceſset hæc ratio, non cenſetur in votum conſenſiſse. Quod ſi ſubſiſtat finis intrinſecus voti, non vero cauſa ipſius impulſiva, votum validum eſt, quia voluntarium fuit quoad ipſius cauſam formalem. Ita in caſu ſupradicto, ſi Petrus ſit vere pauper, quamvis non ſit probus, debeo dare eleemoſynam, quam vovi, quamvis ex ipſius putata probitate impulſum habuerim ad vovendum: *Suar. l.1. de vot. c. 11. n.14. Sanch. l.4. c.2. n. 45. Bonac. t.2. disp.4. q.2. p.3. a.13.*

Tunc error eſset circa finem extrinſecum voventis, quando non ſubſiſteret finis, ad quem obtinendum voviſset; ut ſi quis voveret dare quaſdam eleemoſynas ad obtinendam Matris ſanitatem, quam falſo putabat ægrotantem. Ratio eſt, quia vovens voluit ſe obligare cum reſtrictione ad talem finem, veluti ſi conditionate voviſſe dare eleemoſynas, ſi ſcilicet Mater ægrotet, ut convaleſcat. Sicut ergo qui fecit votum dependenter ab aliqua conditione, ea deficiente, nullum eſt votum, quia non fuit voluntarium; ita dicendum in caſu noſtro.

R. III. Si ignorantia ſit circa circumſtantias graves, & notabiles rei promiſſæ, votum eſt nullum; ſecus ſi circa circumſtantias leves, & minutiores. Non ſubſiſtere votum, ſi ignorantia ſit circa circumſtantias valde graves, & notabiles, exinde probatur, quia cenſetur vovens ſe velle ſolum obligare ad ordinariam diligentiam, & difficultatem, unde ſi circumſtantia ignorata reddat valde difficilem voti executionem, ceſſat votum, quia non fuit volitum, ut veſtitum tali gravi difficultate; ac proinde hujuſmodi graves circumſtantiæ dicuntur in ſubſtantiam voti redundare. Ad hoc facit generali promiſſione non venire ea, quæ quis vero ſimiliter in ſpecie non promiſiſſet, ſi illa cognoviſſet: *cap. in generali 89. de reg. jur. in 6. cap. qui ad agend. 4. de procurat. in 6. Clem. 2. eod. tit.* Quia igitur, ſuperveniente valde gravi circumſtantia intelligitur ad eam non ſe extendiſſe conſenſum voventis, votum erit invalidum, vel ignorantia talis circumſtantiæ a ſe ipſo, vel ab alio provenerit, ut de ſe conſtat.

Limitatur hæc doctrina in voto ſolemnis Profeſſionis, quod ſolum invalidatur ex errore circa ſubſtantiam, non vero ex errore circa quaſcumque circumſtantias, ſeu qualitates, niſi fuiſſet emiſſum dependenter ab illis. Ratio eſt, quia Profeſſio religioſa, ſicut & Matrimonium important ſtatum fixum, & indiſſolubilem, & ulterius ex eorum diſſolutione ſequerentur graviſſima incommoda, & perturbationes; ac proinde expoſcit eorum natura, ut quis velit aſſumere talem ſtatum independenter a quibuſcumque conditionibus, quæ non ſpectent ad eorum ſubſtantiam: *Sanch. de Matr. l. 10. d. 9. n. 18. Laym. l. 4. tr. 4. c. 5. n. 5. Bonac. q. 2. p. 3. §. 2. a. 5.*

R. IV. Subſiſtit vere votum, ſi error ſit circa circumſtantias leves, & minutiores; nemo enim præſumitur noluiſſe ſe obligare, eo quod aliqua ex minutioribus non præviderit. Quando autem circumſtantia ab initio voti ignorantia reputanda ſit valde gravis, nec ne, potius arbitrio prudentis relinquendum eſt. Generaliter poteſt dici, quod ſi circumſtantia ignorantia talem afferat difficultatem, ut rationabiliter removiſſet a vovendo quemlibet illius ſtatus, & conditionis: circumſtantia debeat gravis judicari: *Suar. l. 1. c. 11. n. 8. 11. Pal. disp. 1. p. 6. n. 3. Anton. a Spir. S. disp. 2. sect. 5. n. 226. Tamb. l. 4. c. 13. a. 2.*

Q. IV. Qualiter obliget votum dubium, & indeterminatum.

R. I. Si dubium ſit, an votum fuerit emiſſum, vovens non tenetur ad illius obſervantiam, quia ſemper præſumere poteſt, quod ſi vere emiſiſſet, certe recordaretur rei tanti momenti, & ex hoc capite poteſt dubium deponere: *Sanch. l. 1. c. 10. a. 36. Vambur. l. 1. c. 3. §. 7. nu. 1. Boſſ. var. mor. p. 2. tit. 1. n. 1590.* Et idem verum cenſeo, etſi quis magis inclinaret ad credendum ſe votum emiſiſſe; ſi etenim non habeat moralem certitudinem, ſemper rationabiliter præſumere poteſt, votum non fuiſſe emiſſum: *Laym. l. 1. tr. 5. c. 5. §. 4. a. 31. Bonac. de Leg. disp. 2. q. 4. p. 2. n. 18.*

R. II. Qui certus eſt, ſe votum emiſiſſe, & dubitat, an adimpleverit, tenetur voto ſatisfacere; obligationi etenim certæ non ſatisfit incerta, & dubia ſolutione. Quod ſi adſint rationes vere probabiles ad judicandum voto ſatisfeciſſe, tunc poteſt dubium deponere: *Boſſ. var. mor. p. 2. t. 1. a. 1670.*

R. III. Si dubium ſit, an votum ſit factum ex ſufficienti deliberatione, & tale dubium oriatur quia votum factum eſt ante ſeptennium, poteſt præſumi non adfuiſſe ſufficientem deliberationem, quia regulariter ita accidit ante talem ætatem. Si vero votum emiſsum fuerit poſt adeptam ſufficientem cognitionem, præſumendum eſt; emiſſum fuiſſe cum ſufficienti deliberatione, quia ſi non conſtet de oppoſito, cenſetur factum modo ordinario, & communi: *Boſſ. a. 1601.*

R. IV. Si aliquis dubitet, an vovendo habuerit finem bonum, ſeu potius malum, & indifferentem, præſumendum eſt habuiſſe finem bonum, quia alias peccaviſſet, & nemo præſumitur voluiſſe peccare, ſi id non aperte conſtet. Quod ſi voventi dubium ſuperveniat, an materia ſui voti ſit bona, vel mala, ſeu indifferens, & non poſſit certiorari, tum non tenetur ad votum, quia dubitat de bonitate materiæ eſt idem ac dubitare, an votum fuerit validum, & proinde an contraxerit obligationem, & ita poteſt judicare non contraxiſſe, quia nemo ex incerta obligatione debet ſibi certum onus imponere: *Suar. l. 3. c. 6. n. 13. Sanch. l. 4. c. 5. a. 32 & c. 9. n. 6.*

R. V. Quando votum eſt certum, & dubitatur de majori, vel minori quantitate rei per votum promiſsæ; ſemper poteſt interpretari votum pro minori obligatione. Ratio eſt, quia obligatio eſt odioſa, & proinde debet mitius, *quoad fieri poteſt*, interpretari, *ex cap. ex part. de cenſ.* Et quidem ſi qui dubitat de voto, ad votum non tenetur, ita nec qui dubitat de parte; eadem etenim eſt ratio de voto quoad totum, & de parte quoad partem: *leg. quæ tot. ff. de rei vendit. Bonac. t. 2. disp. 5. q. 2. p. 5. §. 4. n. 10.* Dixi, *quoad fieri poteſt*, nam in obligatione votorum, juramenti &c. ſemper obſervandum eſt, ut ſalvetur proprietas verborum, quibus emiſsum eſt votum, juramentum &c. ſalva autem tali proprietate, obligationes, utpote odioſæ, ſemper ſunt reſtringendæ.

Q. V. Quomodo obliget votum conditionatum.

R. I. Sermo eſt hic non de conditione vel præterita, vel præſenti, quia cum jam jam exiſtat dum ſit votum, non ſuſpenditur conſenſus voventis, adeoque nec obligatio voti. Item non poteſt eſse quæſtio de conditione futura, omnino neceſsaria; ut ſi quis voveret jejunium, ſi cras ſol oritur; nam cum impediri non poſſit, vel ſtatim habetur pro impleta, vel ad ſummum ſuſpendet obligationem voti uſque ad eventum talis conditionis, ſi hujuſmodi fuerit intentio voventis. Non eſt pariter, conditionatum votum, ſi conditio non ſuſpendat obligationem, ſed ſolummodo executionem; ut ſi quis voveat ingredi religionem, ſi Pater obierit; nam conditio non afficit votum, ſed tempus, quo eſt executioni mandandum. Quæſitum ergo verſatur circa conditiones contingentes de futuro, appoſitas ipſi voto, quales ſunt illæ, ſi convaluero, ſi ex tali periculo evaſero, ſi non demergatur Navis, in qua habeo meas facultates &c. His poſitis,

R. II. Si conditio ſit impoſſibilis, ut ſi quis voveret caſtitatem, ſi volarat, reddit nullum votum; nam cum obligatio voti pendeat a tali conditione, jam ſi nunquam erit poſſibilis, nullatenus poteſt votum obligare. Hujuſ-

Digitized by Google

juſmodi conditiones, ſicut etiam turpes, rejiciuntur a matrimonio, & ultimis voluntatibus, & ex legum diſpoſitione habentur pro non adjectis: *cap. fin. de condit. appoſ. §. impoſſibilis inſtit. de hæred. inſtit.*

R. III. Conditio turpis irritat votum, ſi ſit contra ipſius ſubſtantiam, vel ſi intendatur ut finis per votum obtinendus. Tunc eſſet conditio contra voti ſubſtantiam, quando quis e.g. voverat ſine animo ſe obligandi, & de ſe patet, tale votum non eſſe obligatorium. Tunc vero intenditur ut finis, quando votum aſſumitur ut medium illam conditionem malam obtinendam; ut ſi quis voveret eleemoſinam, ut Deus ipſi concederet de ſuis inimicis ulciſci, & in hoc caſu potius eſſe blaſphemiam, dictum eſt capite ſuperiori. Quod ſi voveat quis aliquod bonum, ſuppoſita turpi conditione, ut ſi diceret voveo eleemoſynam, ſi fornicatus fuero, tunc votum eſt validum, ut patet ex dictis loco citato, & docet *Sanch. l. 4. c. 23. n. 8. Palaus tr. 15. p. 17. n. 1.*

R. IV. Si conditio de futuro ſit poſſibilis, & honeſta, tunc votum vere redditur conditionatum, & non obligat niſi poſt adimpletam conditionem, vovens etenim noluit ſe obligare niſi poſt adventum conditionis; ut ſi quis voviſſet ſacrum audire, ſi Pater convaluiſſet. Poſt adventum autem conditionis votum ſtatim tranſit in abſolutum, & ſine novo conſenſu jam parit obligationem, cum vovens voluerit ſe obligare ſtatim poſt purificatam conditionem. Quod ſi quis fecerit votum dependenter a pluribus conditionibus, tunc obſervandum eſt, an illius intentio fuerit eas apponere disjunctive, vel copulative. Tunc appoſuiſſet disjunctive, quando e.g. dixiſſet, voveo eleemoſynam, vel ſi Pater convaluerit, vel ſi obtineam talem hæreditatem; & in hoc caſu ad obligationem voti ſufficit, unam ex conditionibus fuiſſe purificatam, cum vovens voluerit ſe obligare per hoc, quod una purificaretur. Eas vero appoſuiſſet copulative, ſi dixiſſet, ſi Pater convaluerit, & obtinuero talem hæreditatem; & tunc obligatio voventis intelligitur alligata purificationi utriuſque conditionis. In dubio an vovens appoſuerit plures conditiones copulative, vel disjunctive, dicendum eſt appoſuiſſe copulative, quia vota ſemper debent in partem benigniorem interpretari: *Sanch. l. 4. c. 23. a nu. 19. Fagund. l. 2. c. 28. n. 26.*

Q. VI. An ad voti validitatem ſatis ſit conditionem adimpleri in æquivalenti, vel potius neceſſe ſit adimpleri in propria, & ſpecifica forma.

R. Caſus exemplificari poteſt in eo, qui videns, Patrem non poſſe ex ſe ſubſtentari, vovet religionem, ſi Pater moriatur; interim Pater devenit ad pinguiorem fortunam, ita ut non amplius indigeat ope filii: unde quæritur, an teneatur ad votum, quia conditio adimpleta eſt in æquivalenti, cum etenim Pater non amplius ſit pauper, non amplius etiam illum impedit, ut poſſit ſtatum religioſum aſſumere. Verum puto dicendum, non ſufficere ad inducendam obligationem talis voti, ſi conditio adimpleatur in æquivalenti, ſed adimplendam eſſe in propria, & ſpecifica forma. Id autem probatur, tum quia intentio voventis alligata eſt tali ſpecificæ conditioni; tum quia conditio inducit rationem formæ, ſine qua actus non ſubſiſtit, & habetur *l. qui heredi §. 1., Et l. Mævius ff. de condit. & demonſtrat. Palaus diſp 1. p. 17. nu. 5. Tambur. in Decal. l. 3. c. 12. §. 6. n. 4.*

Q. VII. An vovens ſub conditione de futuro, impedire poſſit illius adimplementum, ne teneatur ad votum; & quid ſi impediat malitioſe.

R. I. In hoc caſu eſt diſtinguendum. Si eventus conditionis pendeat a propria voluntate, poteſt illam non apponere, & impedire, cum illi liberum ſit eam apponere, nec ne. Hinc ſi voviſti dare eleemoſynam, ſi venatum ibis, poteris non venari &c. Si vero conditio pendeat ab alterius voluntate, & ſit honeſta (nam ſi ſit peccaminoſa, unuſquiſque teneatur eam impedire) non poteſt quis malitioſe impedire illius adventum; qui etiam ita vovet vult ſuam obligationem omnino ab alterius pendere voluntate: ſi autem fraudibus, vi, dolo &c., impediat, ut alter conditionem non apponat, jam non vult, voti obligationem ab alterius pendere voluntate, ſed a propria. Quod ſi quis ſolum precibus, & rationibus ſuadeat illi, a quo pendet conditio voti, ne illam apponat, tunc non peccabit contra votum; nam dum utitur ſolum precibus, & rationibus, adhuc relinquit in alterius libertate eam apponere, nec ne. Exemplum ſit in eo, qui voviſſet Religionem, ſi Pater conſenſerit, & rationibus, & precibus curaret removere Patrem a conſentiendo: *Suar. l. 4. c. 17. n. 14. Laym. l. 4. tr. 4. c. 6. & 7., Tambur. l. 3. cap. 2. §. 6. n. 5. &c.*

R. II. An teneatur ad votum, qui malitioſe impedit adventum conditionis, ſub qua emiſit votum, diſputant Theologi, cum tamen omnes dicant, ipſum peccare, ut de ſe paret. Ego putarem non teneri; quamvis enim verum ſit, fraudem, & dolum neminem debere patrocinari: *cap. adverſus de Immunit. Eccleſ.*, nihilominus quando aliqua obligatio tota pendet a voluntare, & intentione volentis ſe obligare, ſemper verum erit eſſe juxta illam regulandam; ac proinde cum vovens non voluerit ſe obligare ad ingrediendam religionem, niſi dependenter a Patris conſenſu, ſequitur, quod, ſi iſte non adſit, quamvis malitioſe impeditus, non verificetur id, unde conſurgit obligatio voventis. Præterea hæc eſt differentia inter promiſſiones homini factas, & promiſſiones Deo factas; quod ſi malitioſe prima impediatur, cum inferatur damnum bonis ipſi utilibus, debet hoc damnum reſarciri, adimplendo promiſſionem. Verum nullum damnum in bonis Deo utilibus infertur, eo quod malitioſe impediatur conditio, ſub qua facta eſt illi aliqua promiſſio; ac proinde quamvis peccatum ſit pœnitentia delendum, non conſurget obligatio adimplendi promiſſionem. Cum igitur ex his rationibus probabilis reddatur ſententia negativa, puto, tutum eſſe in praxi non obligare ad votum, qui modo dicto conditionem impediſſet, quia verum eſt, obligationem voti eſſe auferendam, ſemper cum rationabiliter poteſt fieri: *Suar. nu. 20. Pal. tr. 15. p. 17. n. 12. Tambur. n. 7.*

Q. VIII. Quomodo obliget votum pœnale.

R. I. Votum pœnale tunc datur, quando quis promittit Deo rem aliquam ſibi ingratam, & odioſam, ut arceatur ab aliqua re, quam intendit vitare; ut ſi quis voveret jejunium, ſi ludat &c., Si igitur votum ſit de ſola pœna, non tenetur quis ex vi voti abſtinere ab illa re, quam ſi feciſſet, voluit talem pœnam ſubire. Ita ſi quis promiſerit jejunium, ſi ludat, non peccabit ludendo, ſed ſi non jejunet; ad id enim voluit ſe voto obligare. Quod ſi quis dum luſit, inculpabiliter oblitus fuerit voti emiſſi, vel etiam pœnæ, non tenebitur ad pœnam, quia pœna, maxime medicinalis, non debet contrahi ab eo qui inculpabiliter ignorat legem, quæ illam aſſignat, ut communiter dicitur *in tract. de legibus*. Et id verum eſt, etiamſi quis voviſſet non ludere, & jejunium, ſi ludat: de quo duplici voto ſtatim dicemus; nam etſi recordaretur quis ſe voviſſe non ludere, non tamen pœnæ adjectæ, liber erit a pœna, ſi ludat, cum non ſit tranſgreſſor, voti, quatenus pœnam imponit: *Sanch. l. 4. c. 22 n. 18. Tamb. l. 3. c. 12. §. 7. n. 4.*

R. II. Si votum pœnale non ſit ſimplex, ſed duplex, hoc eſt, non ſit de ſola pœna, ſed de pœna, & ſimul de vitanda ea re, cui pœna annexa eſt; ut ſi quis voveret non ludere, & ſi ludat, jejunare, tunc votum obligat & rem non ponere, & ea poſita, pœnam ſubire. Quia tamen in his votis pœna eſt quid acceſſorium, inde eſt, quod ſi quis antequam pœnam incurrat, relaxationem prioris voti obtineat, liberatur etiam a ſecundo, ex illa regula, quod deficiente principali, deficit acceſſorium illi adhærens. Neque ut obtineat diſpenſationem voti principalis, neceſſe eſt facere mentionem ſecundi, ſicut id neceſſe eſſet, ſi quis non ſolum voviſſet ire Romam, ſed etiam indutus ſacco, ſeu pedeſter. Ratio eſt, quia, in hoc voto circumſtantia acceſſoria reddit valde illuſtriorem materiam voti, adeoque difficilioris diſpenſationis, ac proinde illius mentio facienda eſt; pœna vero voto adjecta illius materiam non dignificat, quamvis reddat voventem magis intentum in adimplendo voto: *Facund. l. 2. c. 27. n. 9. Pal. tr. 15. diſp. 1. p. 18. n. 5. Tamb. l. 3. c. 12. §. 7. n. 5.* Si quis pariter vellet a pœna voto adjecta diſpenſari; non opus eſſet principalis voti facere mentionem, quia poteſt quis velle a pœna liberari, & non a principali obligatione: *Sanch. l. 4. c. 22. n. 10.*

Q. IX. An Vovens toties pœnam voto adjectam ſubire teneatur, quoties votum violaverit.

R. Debet primo Confeſſarius quoad fieri poteſt inquirere de intentione voventis. Si vero de hac ſatis non conſtet; reſponderi ſolet, quod votum ſimplex, & mere pœnale obligat ad pœnam ſolum prima, qua tranſgreditur, vice, nam ſi e.g. quis dicat: *Voveo, Jejunare, ſi ludam*, ſalvatur ſufficienter proprietas talium verborum, ſi prima vice, qua ludit, jejunet; ſicut ſi quis diceret *voveo jejunare in vigilia S. Antonii*, intelligitur id facere voluiſſe ſolum hoc anno, ſi aliam non habuerit intentionem. Si vero votum fuerit duplex, tunc obſervare eſt, an

pœna

pœna vero adjecta ſit valde gravis, vel ordinaria. Si valde gravis, ut de magna eleemoſyna, de ingreſſu in religionem, de peregrinatione, &c. intelligitur quis voluiſſe ſe ad illam obligare ſolum prima vice, qua votum tranſgreſſus fuiſſet, cum non ſoleant tales pœnæ repeti. Secus dicendum de pœnis ordinariis, ac levibus, quas cum vovens intelligatur ſibi imponere, ut ſemper e. g. abſtineat a ludo, intelligitur etiam ſe illis ſubjeciſſe, non pro prima tantum tranſgreſſione, ſed etiam pro ſequentibus. *Pal. tr. 5. d. 1. p. 18. n. 6. Bonac. d. 4. q. 2. p. 5. §. 1. num. 5.*

Regulas in praxi obſervandas, vide in fine capitis ſequentis.

CAPUT III.

De tempore, quo vota ſunt adimplenda, & a quibus Perſonis.

Q. I. QUO tempore votum ſit adimplendum.

R. I. Si nullum a vovente determinatum ſit tempus pro voti executione, adimplendum eſt quamprimum moraliter, & commode fieri poteſt, quod idem dicitur de omnibus aliis obligationibus. Ratio eſt, quia expoſcit natura cujuſcumque voluntariæ obligationis, ut perſolvatur eo tempore, quo perſolvi poteſt ſine gravi incommodo, & nulla adeſt rationabilis cauſa differendi: ſi etenim tali tempore non obligaret ad ſui executionem, nullum aliud tempus eſſet aſſignabile, in quo obligaret. Non tenetur igitur vovens ſtatim methaphyſice ad voti executionem, ſed ſtatim moraliter, data maxime opportunitate, & commoditate; nam etiam cum dicitur aliquid implendum *ſtatim, & cum primum*, id accipi debet cum quodam temporis temperamento quod nec minimum, nec maximum ſit: *leg. decimus ff. de ſolut. & l. continus ff. de verb. oblig.*, *Suar. t. 2. tr. 7. l. 3. c. 1. Pal. tr. 15. d. 1. p. 13. num. 6. Bonac. d. 4. q. 2. p. 6. Barboſ. dict. 344. num. 4.*

Quod ſi expoſcatur: quæ dilatio temporis facta ſine cauſa conſtituat in votis mortale peccatum, obſervandum eſt, an ex dilatione temporis minuatur aliquid de voto, ut ſi quis voviſſet inſervire in Xenodochio; vel non minuatur, ut ſi voviſſet eleemoſynam, quæ non minuitur ea dilatione. In primo caſu dilatio ſex menſium facta ſine cauſa, damnatur a pluribus peccati mortalis, quia cedit in gravem diminutionem cultus divini, & propriæ utilitatis. Putarem tamen, id verificari in homine prope quadragenario, non vero ſi quis habens e. g. ætatis 15. annos tale votum emiſiſſet. Melius ergo eſt id relinquere prudentis arbitrio, qui conſideret ætatem voventis, aliaſque circumſtantias. In votis, quæ dilatione non minuuntur, putant plures, non conſurgere peccatum ex quacumque dilatione, ſi ex ea non immineat periculum non exequendi. Sed melius dicendum, dilationem vel duorum, vel trium annorum factam ſine cauſa, excuſari non poſſe a gravi culpa; nam ſi culpa levis eſt per aliquod tempus ſine cauſa differre executionem cujuſlibet obligationis, gravis culpa erit eam differre per tempus notabile, quale cuicumque prudenti videbitur ſpatium duorum annorum cum dimidio, vel ſaltem trium annorum: *Pal tr. 15. d. 1. p. 13. n. 7.*, *Sanch. l. 4. ſum. c. 24. n. 22.*

R. II. Si quis vovendo deſignavit tempus, puta feriam ſextam pro voti executione, tali tempore eſt perſolvendum, ut de ſe patet. Non tamen tenetur anticipare executionem, ſi prævideat ſe tali die impediendum ab adimplendo voto, quia alligavit ſuam obligationem tali tempori aſſignato, & præfixo: *Pal. p. 15. n. 2. Suar. t. 2. l. 4. c. 14. n. 5. Bonac. t. 2. d. 4. q. 2. p. 5. §. 1. n. 11.* Alias dicendum, ſi tempus aſſignatum pro executione voti habeat latitudinem; ut ſi quis voviſſet jejunare intra menſem, vel hebdomadam: nam ſi tunc prævideat ſe impediendum a jejunio in fine hebdomadæ; vel menſis, tenetur id facere diebus antecedentibus. Ratio eſt, quia tunc non anticipat tempus aſſignatum obligationi, ſed intra multos dies tali obligationi aſſignatos prævenit illos, qui erunt inepti ad illam exequendam. Ad eum modum quo, quamvis non teneatur anticipare Miſſæ audiNionem die ſabbathi, qui prævidet, ſe eam non auditurum die Dominica, tenetur tamen eadem die Dominica anticipare ſatisfactionem talis præcepti; ſi prevideat impedimentum pro auditione ſacri circa meridiem; *Laym. l. 4. tr. 4. c. 3. n. 5.*, *Reginald. l. 22. n. 236.*

Obſervandum hic etiam eſt, quandoque a vovente ita deſignari tempus pro ſatisfaciendo voto, ut non amplius eo tranſacto, teneatur illi ſatisfacere, quandoque vero deſignari tempus non ad finiendam, ſed ad ſolicitandam obligationem. Ut vero id dignoſcatur, notare eſt, an qui vovit aliquid facere determinata die, ſpecialiter talem diem, vel tempus reſpexerit, & tunc id contingit, quando deſignat diem ex particulari devotione, utilitate &c. ut ſi quis voveat jejunare feria ſexta ob ſpecialem devotionem erga Domini Paſſionem, vel die ſabbathi in honorem B. Virginis. Quando quis vovendo deſignavit tempus ex particulari devotione, utilitate, aliaque circumſtantia eo tempore, vel die occurrente, tunc tranſacto tempore, vel die, ceſſat obligatio, cum alligata fuerit tali tempori ex intentione voventis. Si vero non deſignatum fuerit tempus ob ſpecialem devotionem &c. erga illud, tunc intelligitur deſignatum non ad finiendam, ſed ad ſolicitandam obligationem; unde ſi non fuit tempore præfixo adimpleta, adhuc remanet obligatio illam adimplendi. Porro in votis perſonalibus facilius eſt præſumere, voventem alligaſſe tempori ſuam obligationem; ut ſi quis voveat die ſabbathi jejunare in honorem Virginis, ſecus in votis realibus; ut ſi quis voviſſet tali die dare Pauperibus eleemoſynam. Quamvis autem etiam vota realia poſſint ex intentione voventis particulari diei alligari, nihilominus id non facile præſumitur, ſi non ſit ſpecialis ratio, ut adimpleantur aliquo tempore determinato. In dubio autem, an dies præfixus fuerit pro finienda, vel ſolicitanda obligatione; putarem, adimplendum eſſe votum etiam tali tempore tranſacto; nam cum certum ſit votum, certa eſt ejus obligatio, & aliunde incertum eſt, an detur circumſtantia excuſans a tali obligatione: *Pal. n. 4.*, *Azor. l. 11. c. 15. q. 31. Bonac. diſp. 4. q. 2. p. 5. §. 1. n. 14.*

Q. II. A quibus Perſonis vota ſint adimplenda.

R. I. Vota perſonalia, quibus ſcilicet promittitur actio propria perſonæ, puta oratio, jejunium &c. debent ſatisfieri ab ipſo vovente, & id præſtare non poteſt per alios. Ratio eſt, quia illa regula: *Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur*, non habet locum, ubi quis obligatam habet actionem propriam perſonæ, propriamque induſtriam, & maxime mortificationem; nam ubi obligatio eſt de propria actione, clarum eſt, illi non ſatisfieri per actionem alterius. Hinc ſi quis fecit votum perſonale, & non poteſt illud implere, non tenetur per alium illi ſatisfacere. Non negarem tamen, quod ſi quis voviſſet aliquid ex ſe facere non tam reſpiciendo ſuum laborem, quam alterius utilitatem, non poſſit id per alium præſtare. Exemplum ſit in eo, qui voviſſet celebrare Miſſam pro Animabus Purgatorii, cur non poſſet per alium etiam celebrare; quamvis non teneretur, ſi illius intentio ad hoc etiam non ſe extendiſſet: *Sanch. l. 4. c. 15. n. 9.*

Dices, vota facta a Civitate jejunandi tali die, vel obſervandi aliquem die feſtum &c. obligare etiam Succeſſores in eadem Civitate, ac proinde verificari vota perſonalia tranſire etiam ad alios, adeoque etiam per alios poterunt adimpleri. Contra tamen eſt, primo, quia in caſu præfato & ipſi voventes voto facto ſatisfaciunt, unde non præciſe verificatur perſolvere votum perſonale per alios. Secundo, dicunt aliqui, Succeſſores in Civitate &c. teneri ad vota Anteceſſorum, quia reputantur eadem Communitas continuata, idemque populus; *leg. proponebatur ff. de judic. & can. denique 7. q. 1.* quæ tamen ratio mihi non arridet, quia Succeſſores vere differunt ab Anteceſſoribus, qui voverunt, & ſolum reputantur unum cum Anteceſſoribus quoad repræſentationem, & poteſtatem vovendi. Dicendum ergo eſt, Succeſſores non teneri in vi voti ad perſolvenda vota Anteceſſorum, cum obligatio ipſorum perſonalis non poſſit alios afficere, ſed teneri vel vi contractus, & promiſſionis, quæ tranſit in ſucceſſorem univerſalem: *l. 1. & 2. ff. de hæred. accepand.* vel vi longevæ conſuetudinis habentis rationem legis, vel vi legis a populo prædeceſſore ſtatutæ: *Sanch. l. 4. c. 15. nu. 9. Filiuc. tr. 26. c. 4. q. 1. dic. 2. nu. 28. Bonac. diſp. 4. q. 2. p. 5. §. 2. n. 20.*

R. II. Vota realia, hoc eſt, de aliqua re danda, poſſunt per alium adimpleri, nil enim intereſt, an ipſe vovens manu ſua, vel alio mediante det propria ſubſtantia id, quod promiſit, e. g. eleemoſynam: ac proinde ſi aliquis per ſe ſatisfacere non poſſit voto reali, id tenetur per alium præſtare. Quod ſi alter, me nolente, pro meo reali voto ſatisfaceret, adhuc mihi voti obligationem perſeverare omnino crederem. Ratio eſt, quia dum me invito ſatisfacit, ego perſevero in voluntate ſatisfaciendi voto ex rebus meis, voto autem adimplendo ex rebus propriis non ſatisfit re aliena. Sequitur ex dictis

quid

Digitized by Google

quid dicendum de votis mixtis; namque parte ſunt realia, poſſunt, & debent per alios adimpleri, ſi adimpleri non poſſint a vovente, ſecus qua parte ſunt perſonalia. Id tamen intelligendum, ſi votum ſit æqualiter perſonale, & reale ſecus ſi ſit reale ſolum acceſſorie. Tunc eſt æqualiter reale, & perſonale, quando quis non vovet ſolam actionem propriam perſonæ, ut ſi quis voveret ire Romam & ibi alicui Eccleſiæ Calicem offerre. In hoc caſu virtualiter facit duo vota, ut de ſe conſtat, & uno impoſſibilitato, aliud eſt adimplendum; & ſi adimpleri non poſſit ſecundum votum reale ab ipſo vovente, eſt per alium implendum. Tunc vero votum perſonale eſt ſolum acceſſorie reale, quando aliquid erogare neceſſe eſſet pro ſatisfaciendo voto perſonali; ut ſi quis voviſſet ire Romam, quod fieri non poteſt ſine aliquibus ſumptibus. Cum hi ſumptus ſint acceſſorii voto perſonali, hoc impoſſibilitato, non eſt obligatio illos faciendi; accedunt enim principali; & inſuper intentio voventis eſt de illis faciendis, ſi poterit ſuum votum adimplere: *Anton. a Spir. S. diſp. 2. ſect. 21. n. 335. Pal. diſp. 1. p. 15. n. 7.*

Q. III. An hæres teneatur vota Defuncti adimplere.

R. Hæres ſive voluntarius, ſive neceſſarius tenetur vota realia Defuncti adimplere, cum non poſſint adimpleri ab alio, quam ab ipſo vovente; & ulterius ſunt onera a Defuncto annexa ſuæ hæreditati: *cap. ex part. de cenſ. cap. 1. de ſolut. cap. ſi hæres de teſtam. cap. licet de vot.* Id tamen intelligendum de votis realibus, quæ non poſſunt præſumi finiiſſe cum vita teſtatoris; ut ſi votum fuiſſet de eroganda quotidie aliqua eleemoſyna, quam obligationem ordinarie non præſumi poteſt ultra ſuam vitam perſeverare: *Sanch. l. 4. c. 15. art 28. Laym. l. 4. tr. 4. c. 3. q. 6. n. 2.* Soluto igitur ab hærede ære alieno ex juſtitia Creditoribus debito, indeque deducta legitima, debet poſtea ante omnia legata etiam pia ſolvere vota realia Defuncti, cum legata ſint libera, & gratioſa, non vero talis eſt obligatio voti. Ideo autem debet prius ſolvere æs alienum, & poteſt ſuam legitimam detrahere, quia vota ſunt ſolvenda ex bonis Defuncti: non dicuntur autem bona Defuncti niſi ea, quæ ſuperſunt ſoluto ære alieno, & detracta legitima: *leg. mulier bona ff. de jur. dot.*

Quamvis igitur Pater in vita poſſit piis operibus moderate minuere legitimam Aſcendentium, quia tunc habet ſuorum bonorum dominium, nihilominus cum tale dominium in morte deperdat, non poteſt de ſuis bonis diſponere niſi juxta leges, quæ nolunt eſſe alicujus valoris quecumque gravamina appoſita a Teſtatore in præjudicium legitimæ: *leg. quoniam in priorib. C. de inoffi. teſtam., Sanch. l. 7. de matr. d. 36. n. 6. & in Sum. l. 4. c. 15. n. 38. Laym. l. 4. tr. 4. c. 3. q. 6. n. 13. Trullench. l. 2. c. 2. d. 15. n. 4.* Caveat tamen hæres a Falcidia detrahenda; nam ſi neque habet locum in legatis piis, ad quæ Defunctus non erat obligatus, multo minus locum habere poteſt in votis realibus, in quibus Defunctus propriam Animam obligaverat. Verum tamen eſt, quod ſi aliquis ſolum in parte ſit hæres, tenetur ſolum pro ea parte, qua eſt hæres, ſolvere vota Defuncti; nam non præſumitur, Teſtatorem voluiſſe illum obligare, niſi pro rata portionis hæreditariæ. Quod ſi res per votum in ſpecie promiſſa ſit apud unum ex hæredibus, tenetur integre eam ſolvere, quamvis actionem habeat contra alios hæredes, ut ſibi ſolvant pro portione ſuæ hæreditatis; *Sanch. l. 4. c. 15. n. 42. Palaus diſp. 1. p. 16. n. 13.* Quod dictum eſt de hærede, non valet de Legatario, nam non repræſentat ſicut hæres Teſtatorem.

Q. IV. Qui poſſint vovere.

R. I. Qui habent ſufficientem uſum rationis, poſſunt licite, & valide vovere; nam qui pervenerunt ad talem ætatem, habent ſufficientem cognitionem, & libertatem ad contrahendam quamcumque obligationem, ſi ſit de re honeſta, & quæ Deo placeat.

R. II. Qui ſubditur alterius poteſtati poteſt licite, & valide vovere, ſi votum non ſit de re, quæ alterius poteſtati præjudicet, vel non ſit prohibita mandato Superioris. Tale votum non eſſe validum, ſi eſſet de re a Superiore etiam ſub ſola pœna prohibita, vel ipſius poteſtati præjudiciale, exinde conſtat, quia non eſſet de meliori bono. His e contra ſemotis, patet, tale votum poſſe eſſe validum, quia ſubjectio Superiori debita tantum expoſtulat, ut nihil fiat, quod ipſi præjudicet, vel contra ipſius mandata: cæterum libertatem relinquit, ut quis poſſit aliquod bonum facere, adeoque & vovere.

Quia tamen qui alterius dominativæ poteſtati ſubduntur, ut ſunt Religioſi, Filii &c. ſubduntur alienæ poteſtati etiam quoad ipſam voluntatem, hinc eſt, talia vota ſemper includere hanc tacitam conditionem: *Si Superior non contradicat, ſi non impediat &c.* ex quo ſequitur, poſſe Superiorem talia vota irritare, ac proinde non habent totam firmitatem, ut ait *S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8. ad 3.* niſi accedente conſenſu Superioris. Idem habetur *ex can. Monacho 20. q. 4.* (quod tamen plures volunt eſſe dubiæ auctoritatis, cum non reperiatur apud S. Baſilium, qui citatur a Gratiano) cum ibi dicatur, votum factum a Monacho ſine conſenſu Abbatis eſſe frangendum, quod ſupponit validum fuiſſe, eſto irritabile a Superiore.

Regulæ in praxi Obſervandæ.

I. Plura obſervare poteſt in praxi Confeſſarius ex illa generali doctrina, quod quando dubitatur de materia voti, licet votum ſit certum, ſalva proprietate verborum, ſemper ſtare debet pro mitiori obligatione. Plura, inquam, poteſt in praxi obſervare. Si e. g. aliquis voverit recitare Roſarium, & non recordatur, an integrum, vel tertiam ejus partem, poteſt obligare ad ſolam recitationem tertiæ partis, nam id communiter intelligi ſolet nomine Roſarii. Qui vovit audire Miſſam quotidie, & non recordetur, an habuerit intentionem duplicem Miſſam audiendi diebus feſtis, poteſt & his diebus unam tantum Miſſam audire, quia intentio voventis præſumitur fuiſſe, ut nulla dies tranſiret ſine Miſſa. Qui vovit jejunare, & dubitat, an habuerit intentionem jejunandi in pane, & aqua, ſufficit ſi modo ordinario jejunet, & ſic de reliquis.

Dixi tamen, ſemper ſalvandam eſſe proprietatem verborum, quibus aliquis votum emiſit, ſi de ipſius diverſa intentione non conſtet: nam ſemper quis præſumitur voluiſſe ſe obligare, quo pacto ſonant verba ſuæ obligationis. Hinc qui vovit e. g. non bibere aliqua die vinum, vel abſtinere a carnibus, intelligitur voluiſſe ſe obligare per modum præcepti negativi obligantis pro ſemper ad talem abſtinentiam, & per conſequens toties peccat, quoties vel bibit vinum, vel carnes comedit. Si vero vovit jejunare, quamvis votum eſſet de jejunio in pane & aqua, ſolum peccat prima vice; comedendo etiam carnes & bibendo vinum. Ratio eſt, quia votum factum eſt per modum præcepti affirmativi ſemper obligantis, ſed non pro ſemper, unde eo ipſo quod vel comedendo, vel bibendo reddita ſit pro illa die impoſſibilis executio voti, non amplius obligat. Neque alicui faciat difficultatem id, quod dixi, ſcilicet comedentem carnes ſolum prima vice peccare, quando votum non eſt negativum. Ideo igitur, quando quis tenetur ad jejunium ex præcepto Eccleſiæ, toties peccat quoties comedit carnes, quia in tali præcepto Eccleſiaſtico duo intelliguntur præcepta; unum poſitivum de jejunando, alterum negativum de non comedendo carnes, & proinde peccatur quoties violatur. At qui ſe obligavit ad jejunium ex vi voti, non intelligit ſe obligare ad carnium abſtinentiam per diſtinctam obligationem, ſed ſolum quantum neceſſaria eſt ad jejunandum: ſtante ergo quod reddatur impoſſibilis obſervatio voti per primam comeſtionem, non amplius urget obligatio abſtinendi a carne.

Obſervandum etiam, verba voventis de aliqua materia, de qua extet lex divina, & humana, intelligi prolata ſecundum diſpoſitionem talis legis. Ex hoc inferunt Theologi, ut ſupra adnotavi, voventem jejunare in vigilia alicujus Sancti poſſe in Sabbato anticipare jejunium, ſi talis vigilia incidat in Dominica, quia ita fert mos, & conſuetudo Eccleſiæ. Item ex eadem ratione non teneri ad jejunium diebus Dominicis, qui vovit ſingulis diebus jejunare, ſi non habuit expreſſam intentionem etiam diebus Dominicis jejunandi. Non pauci etiam volunt quod qui vovit jejunium ſingulis ſextis feriis, non teneatur jejunare die Natalis Domini, ſi incidat in feria ſexta, quia Eccleſiæ mos eſt, ut tali die comedantur carnes, adeoque non ſit obligatio jejunandi: Verum contrarium videtur ſatis clare deciſum *cap. fin. de obſerv. jejunii.*

II. Quando obſervantia, & executio voti pendet ab aliqua conditione, & hæc pendeat a libera voluntate alterius, videat Confeſſarius, ne pœnitens illam malitioſe impediat, nam ſi votum ſit de materia gravi, ſemper id erit peccatum mortale. Si vero conditio talis ſit, ut ea pendeat ab ipſo vovente, eamque habuerit intentionem ponendi, tunc obſervandum eſt ut adhibeat moralem, & ſufficientem diligentiam ad ipſam ponendam. Vovit e. g. religionem, ſi convoluerit; tenetur adhibe

re

re moralem diligentiam, ut recuperet ſanitatem, adeoque abſtinere a cibis noxiis. Item ſi vovit ingredi Religionem, caſu quo acquirat aliquam ſcientiam, tenetur adhibere moralem diligentiam ad eam acquirendam. Quod ſi aliquis malitioſe abſtineat ab hujuſmodi, ne teneatur votum adimplere, tunc peccabit contra votum; ſecus ſi e. g. comederet cibos noxios, vel abſtineret a ſtudendo, non animo votum ſubterfugiendi, ſed victus paſſione, & negligentia. Si vero malitioſe impediens conditionem, a qua votum pendet, peccat contra votum, dicendum eſt, voventem e. g. religionem, ſi non laberetur in peccata carnis, & ex induſtria ita peccaret, ne cogatur ingredi religionem, duo peccata committere, unum ſcilicet contra caſtitatem, aliud contra religionem.

II. Cum vota perſonalia ſolum afficere poſſint voventem, & non alios, videat Confeſſarius quid dicendum de iis, qui vovent factum alienum, puta ſi Pater voveat ut Filius religionem ingrediatur; ſi Mater quod Filia tali habitu induta incedat, vulgo *del Carmine, de' Dolori, del Terz' ordine &c.* Non tenentur ergo Filii talia vota Parentum adimplere, ni forte ratificaverint, quia ſolum ex ipſorum intentione pendet perſonalis obligatio. Suadendum tamen iis eſt, ut ſe voluntati Parentum accommodent, ſi id ſine gravi incommodo valeant præſtare. Parentes autem, qui talia vota fecerunt, tenentur ſuadere filiis, ut rem a ſe promiſſam adimpleant, ſed hoc non debent facere nimis importune.

CAPUT IV.

De Relaxatione Juramentorum, & votorum in generali.

CONſulto diſtuli agere de juramentorum ceſſatione, poſtquam ſupra egi de obligatione juramenti; nam cum fere omnia, quæ dicuntur in hac materia de votis (ut ſtatim videbitur) juramento ſint communia, ne actum iterum agerem, de utriſque hic loqui merito judicavi.

Q. I. Qui habeant poteſtatem remittendi obligationem juramenti, vel voti.

R. I. Pro quæſiti elucidatione obſervandum eſt, aliud eſſe juramentum factum ad confirmandam promiſſionem de aliqua re facienda in Dei cultum, & Sanctorum, prout aliquid Dei ſunt; aliud vero juramentum factum ad firmandam promiſſionem de re, quæ cadat in hominis utilitatem. Quando igitur juramentum factum eſt de re, quæ cedat in cultum Dei, vel Sanctorum, extra controverſiam apud omnes eſt, habentem poteſtatem ordinariam votis diſpenſandi &c. eamdem habere in ordine ad talia juramenta: *D. Th. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 3.* Loquendo vero de poteſtate non ordinaria, ſed quæ competat ex privilegio, adhuc valde communis ſententia eſt, habentem facultatem commutandi, diſpenſandi &c., vota, eamdem habere facultatem in ordine ad præfata juramenta, quæ reputantur idem, ſeu quaſi idem cum votis; unde habet hic locum illud legale axioma, quod ſcilicet diſpoſitum in uno æquiparatorum, cenſetur diſpoſitum in altero: *leg. tantum ff. de ſerv. corrup. unic. l. ſi quis ſervo ff. de jurib. Suar. t. 2. de relig. l. 6. c. 14. n. 19. Tont. l. 8. de matr. c. 11. a nn. 4. Pal tr. 14. d. 3. p. 1. n. 5.* Multo magis idem dicendum, ſi juramentum ſit voto acceſſorium, ut ſi quis juraret adimplere, quæ voto promiſit; nam ſicut diſſoluto contractu evaneſcit juramentum, quo idem contractus fuit confirmatus, idem dicendum, ſi per diſpenſationem &c. corruat votum. Et quidem cum juramentum factum ſit ad votum magis roborandum, jam qui poteſt facere, ut ceſſet principale, poteſt item facere, ut non amplius permaneat acceſſorium illi adhærens. Ita *DD. cit. Leſſ. l. 2. c. 42. d. 12. n. 60.*

R. II. Qui habet facultatem relaxandi vota, habet item facultatem relaxandi juramenta homini præſtita, ſi per illa nullum jus homo acquiſierit. Obſervandum igitur eſt, quandoque injuſte exigi juramentum ad aliquid obtinendum, ſcilicet per vim, fraudem, & dolum &c. ut quando latro minitetur mortem Viatori, ſi non juret, ſibi daturum centum aureos &c. In hoc, & ſimilibus caſibus nullum jus acquirit promiſſarius, quamvis promittens teneatur ſolvere quod promiſit, quia mediante juramento ſe Deo obligavit. Cum igitur ratione talis juramenti nullum jus tertio acquiratur, ſed ſoli Deo, talia juramenta, ex dictis in prima reſponſione, regulanda ſunt ſicut vota quibus aliquis ſoli Deo obligatur; ac proinde qui habet poteſtatem, ſeu privilegium vota relaxandi, poterit & talia juramenta relaxare. Immo addendum, quod etſi injuſtitia cadat ſupra ſolum juramentum, ut dum quis cogeret aliquem ad jurandum, ſibi ſoluturum rem alias debitam; cum extorſione juramenti facta ſit injuria juranti, ſi ille, qui extorſit nolit remittere juramentum, habet Superior juſtam cauſam relaxandi: *Suar. l. 2. c. 41. n. 51., Pal. diſp. 3. p. 3. n. 5.* Et idem dici poteſt, quamvis juramentum fuerit levi metu extortum, cum debeat eſſe omnino ſpontaneum: *cap. ſcilicet, cap. accepta de reſtit. ſpoliat, Pal. num. 6. Sanch. l. 4. de matr. d. 20. num. 9.*

R. III. Juramentum factum in favorem hominis, & ex quo aliquod acquirit jus, non poteſt relaxari ab habente poteſtatem ſola vota relaxandi, talis enim poteſtas reſpicit relaxationem obligationis cum ſolo Deo contractæ; unde extendi non poteſt ad relaxationem obligationis, quæ etiam cum homine contrahatur.

Q. II. Qui poſſit relaxare Juramenta.

R. I. Juramenta relaxari poſſunt ab habente poteſtatem dominativam ſupra materiam hujuſmodi juramentorum; ſi etenim ab alterius pendeat voluntate quod aliquid fiat, vel non fiat, jam eo nolente, ceſſat obligatio. Ubiquamquod dum ſit juramentum, ſemper ſubintelligitur hæc tacita conditio: ſi ille, cui materia juramenti ſubjicitur, conſenſerit. Hinc Papa poteſt irritare omnia juramenta præſtita circa res Eccleſiaſticas, vel quomodolibet ad Eccleſiam pertinentes. Parentes, & Tutores poſſunt irritare omnia juramenta filiorum impuberum, & pupillorum, ſi juramento firmaverint aliquem contractum rerum ſuarum: Vir poteſt irritare omnia juramenta Uxoris, ſi ſint de re ſuæ diſpoſitioni ſubjecta; & ſi facta fuerint de eadem re alteri tradenda pro tempore, quo erit ſub diſpoſitione ejuſdem viri: *D. Th. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 3., Sanch. l. 3. ſam. c. 20. n. 1. Pal. tr. 14. d. 3. p. 2. num. 1.*

R. II. Eccleſia habet poteſtatem relaxandi juramenta homini præſtita; nam ita erat neceſſarium ad rectam gubernationem, & ſalutem Animarum. Id tamen nec licite, nec valide præſtare poteſt S. Pontifex, aliique Superiores Eccleſiæ Prælati, niſi expoſcat bonum commune, ut ita fiat; vel niſi ita agendum ſit in juſtam pœnam illius, in cujus favorem eſt juramentum, v. g. quia inique eum dolo, metu &c. illud extorſit, vel ab alio talibus mediis fuerit extortum. Ratio eſt, quia talis poteſtas non eſt data a Chriſto Eccleſiæ, niſi in quantum neceſſaria eſt vel ob bonum commune, vel ad removendas injuſtitias &c.

R. III. Poteſtas Sæcularis poteſt quidem relaxare juramenta in ſui favorem facta, non vero facta in favorem tertii. Et quidem ſi quivis privatus relaxare poteſt juramentum in ſui favorem, utique & Princeps. Cum vero relaxatio juramenti facti in favorem tertii ſit actus juriſdictionis ſpiritualis, utique competere non poteſt Principi Sæculari: *Laym. l. 4. tr. 3. c. 9. n. 9.* Poterit tamen dupliciter impedire indirecte obligationem juramenti. Primo, annullando contractum, ſuper quem cadit juramentum, quia deſtructo principali ruit acceſſorium. Secundo, ſi ex juſta cauſa prohibuit talis contractus jam celebrati executionem; nam cum tunc executio foret peccaminoſa, nec ſubſiſteret obligatio juramenti, quia non poteſt eſſe vinculum iniquitatis: *Sanch. l. 3. c. 22. nu. 11.* aliique citati. *Anton. a Spir. S. tr. 4. d. 1. n. 170.*

R. IV. Juramentum factum *principaliter* in favorem determinatæ Perſonæ, remitti poteſt ab eo, in cujus favorem *principaliter* fuit emiſſum; nam tale juramentum habet inhibitam hanc tacitam conditionem: *ſi ille, in cujus favorem principaliter factum eſt, acceptaverit, ſi non remiſerit &c.* Dixi *in cujus favorem principaliter fuit emiſſum*; nam ſi res juramento promiſſa primo, & principaliter conducat ad Dei cultum, & honorem, tunc tale juramentum remitti non poteſt ab eo, in cujus favorem ſecundario redundaret, quia, ut ait *S. Th. 2. 2. q. 89. a. 9. promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo*: Exemplum ſit in aliquo, qui promitteret Fratri, ſimulque juraret, ſe aliquam religionem ingreſſurum. Si finis talis juramenti, & promiſſionis fuiſſet commodum Fratris, relinquere ſcilicet ipſi totam hæreditatem, tale juramentum, & promiſſio poteſt ab eodem Fratre remitti. Si vero finis fuiſſet cultus Dei, ut præſumitur in quocumque opere pietatis, tale juramentum non poſſet a Fratre remitti, quamvis ſecundario caderet in ſui utilitatem.

Cum hoc tamen ſtat, quod ſi tota res promiſſa cedat in favorem illius, cui ſub juramento promiſſa eſt; quamvis juramentum principaliter fuerit in Dei honorem,

ni-

nihilominus poſſit remitti ab illo, in cujus favorem emiſſum eſt. Ratio eſt, quia cum jurans non intendat cogere ad acceptandum illum, in cujus favorem tota res promiſſa cedit, ſemper intelligitur voluiſſe ſe obligare ſub hac tacita conditione, ſi ille; de cujus totali commodo agitur, acceptaverit, pariterque ſub hac conditione voluiſſe ſe Deo obligare. Hinc ſi quis juraverit ſe in Dei honorem daturum alicui filiæ pauperi dotem, vel alicui Eccleſiæ Calicem, liberatur ab obligatione juramenti, ſi filia, vel Eccleſia non acceptaverint: *Sanch. l. 1. de matr. d. 52. n. 7. Pal. tr. 14. diſp 3. p. 2. num. 3. Fagund. l. 2. c. 32. n. 7.*

Addidi in reſponſione *factum determinatæ perſonæ*; nam ſi juramentum e. g. fuerit in genere de danda aliqua eleemoſyna pauperibus, non Petro, aut Paulo, cenſetur factum ſoli Deo, adeoque illæ indeterminatæ perſonæ, in quarum favorem fuit factum, non poſſunt juramentum remittere: *Tambur. l. 3. c. 7. ſ. 2. n. 2. Leand. diſp. 15. q. 10.*

Sequitur ex dictis, quod ſi duo ad invicem juraverunt aliquid in mutuum favorem facere, poſſint ſibi ad invicem juramentum relaxare. Et in talibus mutuis juramentis principaliter præſumitur intentus alterutrius favor, ni aliud conſtet, quamvis fuerint de operibus religioſis; ut ſi duo jurent tot roſaria recitaturos ad ſe mutuo ſuffragandos. *Tolet. l. 2. c. 39. n. 7. Sanc. l. 3. Sum. c. 20. n. 5. Fagund. l. 2. c. 32. n. 11.*

Q. III. Quando ceſſet obligatio voti, & juramenti ob rerum mutationem.

R. I. Quamvis aliqua ſparſim dicta ſint ad hoc quæſitum pertinentia; nihilominus duxi ea iterum ad examen revocare, ut melius innoteſcat quomodo ſint intelligenda. Ceſſante igitur fine proximo, qui movit aliquem ad vovendum, vel jurandum, ceſſat obligatio voti, vel juramenti; nam qui promiſit aliquam rem vel voto, vel juramento, ideo illam vel Deo, vel homini promiſit, quatenus conducebat ad finem a ſe proxime intentum; ac proinde voluit ſe obligare ſolummodo, quatenus potuiſſet conſequi talem finem. Qui e. g. vovit, vel juravit, ſe daturum eleemoſynam pauperi puellæ, habuit intentionem ſe obligandi, quatenus talis eleemoſyna deſerviat ad ipſius miſeriam ſublevandam; ſtante ergo quod puella eveniat dives, vel moriatur, non amplius tenetur dare eleemoſynam, quia non amplius ſubſiſtit id, ratione cujus habuit animum ſe obligandi: *Suar. l. 4. c. 18. n. 3. Bonac. diſp. 4. q. 2. p. 3. ſ. 2. nu. 10. Tamb. in Decal. l. 2. c. 13. n. 12.* Nec obſtat omnino non ceſſare cauſam finalem, cultum nempe Dei intentum in vovendo, quia cultus Dei intentus fuit ut aſſequibilis per cauſam proximam moventem, adeoque ea ceſſante, finis cultus Dei non amplius obligat. Id autem verum eſt, etiamſi finis proximus ceſſet culpa promittentis, vel jurantis; ut ſi e. g. fuerit in mora ad dandam præfatam eleemoſynam, & interim puella obierit, vel facta fuerit dives, nam ceſſante fine adæquato proximo ſuæ promiſſionis, ceſſat obligatio, & ſolum pœnitere debet culpæ præteritæ, ut ait *S. Th. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1.* Exemplificari poteſt in eo, cujus culpa omiſſum fuit ſacrum die Dominica, qui non tenetur ad eum audiendum die ſequenti, cum ceſſaverit præceptum, & ſolum tenetur pœnitere: *Nav. in Sum. c. 12. n. 55. Sanc l. 4. c. 2. nu. 27 & 44.*

Si vero præfatus finis non ceſſaverit in totum, & alias ſit partibilis, tunc ex alias dictis agendo de materia voti, obligatio ceſſat ſecundum eam partem, ſecundum quam finis ceſſavit, ſed permanet quoad aliam partem, reſpectu cujus finis adhuc perſiſtit. Neutiquam vero ceſſat obligatio voti, & juramenti, ſi ceſſet ſola cauſa impulſiva, quia adhuc perſeverat finis, ratione cujus quis emiſit votum, vel juramentum. Hinc ſi aliquis videns bonos mores alicujus pauperis puellæ voluit ejus paupertatem ſublevare, & proinde juravit, ſeu vovit dare illi aliquam eleemoſynam, tenetur adimplere votum quamvis non amplius in priſtina bonitate perſeveret, quia finis voti, ſeu juramenti fuit illius miſeriam ſublevare, qui finis ſupponitur adhuc perſeverare; boni vero mores fuerunt dumtaxat cauſa impulſiva. Si vero dubium ſit an ceſſaverit cauſa impulſiva, vel motiva, ſtandum eſt pro valore voti; cum etenim certum ſit, votum emiſſum fuiſſe, non poteſt quis ab eo ſe eximere ob dubiam excuſationem: *leg. quidquid adſtringendæ ff. de verb. oblig.* Denique advertere eſt, quod ut omnino ceſſet obligatio voti, ſeu juramenti ob ceſſationem finis proximi adæquati, debet ceſſare pro ſemper; nam ſi ſolum pro aliquo determinato tempore ceſſet, ſolum ſuſpenditur obligatio, & poſtea tempore convenienti reviviſcit. Ita qui vovit eleemoſynam, & deinde ex ſupervenientibus inopinatis expenſis non potuit ſtatim illam facere, tenetur eam facere, quando ceſſabunt tales expenſæ.

R. II. Si talis ſuperveniat rerum mutatio, ut res promiſſa conſtituatur in hominum æſtimatione moraliter diverſa, ceſſat obligatio voti, & juramenti: *can. nequit 22. q. 2. cap. quemadmodum de jurejur. &c.* Et ratio eſt, quia ſi res ſit moraliter diverſa, jam non eſt amplius illa, ad quam qui vovit, vel juravit, habuit animum ſe obligandi. Tunc autem cenſenda eſt moraliter diverſa, quando ita judicatur, vel ex communi hominum conſenſu, vel ex conſuetudine; vel ex aliqua lege, & maxime ſi ex lege habeatur, adveniente hac, vel illa mutatione, non conſurgere obligationem. Hinc ſi adimpleri non poſſit votum, vel juramentum ſine periculo vitæ, honoris, vel alterius gravis detrimenti, ceſſat ipſorum obligatio, quia leges humanæ in ſimilibus circumſtantiis non obligant; *D. Th. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. Suar. l. 4. de vot. c. 19. num. 4. Pal. tr. 15. diſp. 1. p. 20. n. 3.* Secus vero eſſet, ſi quis emiſiſſet votum, ſeu juramentum, præviſo tali periculo, & incommodo; tunc enim voluiſſet ſe obligare etiam in talibus circumſtantiis: *Bonac. diſp. 4. q. 2. p. 7. ſ. 1. nu. 7. & 8.* In dubio autem an materia juramenti, vel voti facta ſit moraliter diverſa, ſemper ſubſiſtit juramentum, vel votum; cum, ut dictum eſt, excuſatio incerta non eximat a certa obligatione: *Sanch. l. 4. n. 34. Trullench. l. 2. c. 2. dub. 8. n. 5.*

Juxta doctrinam hic explicatam cenſeo, explicatum eſſe id, quod multi dicunt Theologi, ceſſare ſcilicet obligationem voti, ſeu juramenti, quando talis ſupervenit mutatio, ut ſi tempore emiſſi voti &c. præviſa fuiſſet, non emiſſum fuiſſet votum. Placet, inquam, mihi ita intelligere hujuſmodi doctrinam, ut habeat locum ſi mutatio reddat materiam promiſſam moraliter diverſam, eo enim ipſo quod perſeveret moraliter eadem, intelligitur vovens ſe ad illam obligare. Exemplificari poteſt in illo, qui vovit dare pauperi eleemoſynam, quem neſciebat ſibi infenſum. Facillime ſi ab initio ſciviſſet ſibi infenſum, non voviſſet illi dare, & tamen eo quod poſtea ſciverit, tenetur omnino, meo videri, ad votum, quia materia promiſſa, ſcilicet ſublevatio ipſius miſeriæ adhuc perſeverat, qualis fuit, dum emiſſum fuit votum. Aliud eſt igitur, quod non voviſſet, ſi ſciviſſet, quæ poſtea ſcivit; aliud eſt, quod de facto noluerit ſe obligare, nam eo ipſo quod abſolute promittat, intenditur voluiſſe ſe obligare, non excludendo eventus, qui ordinarie accidere ſolent, ſed ſolum inopinatos, & extraordinarios qui reddant moraliter diverſam materiam voti, vel juramenti. *Suar. l. 4. c. 9. n. 8., Fagund. l. 2. c 32. n. 2. Sanc. l. 8. c. 2. n. 22.* Et quidem ſi ex ſupervenientia cujuſcumque rei, quæ ab initio præviſa impediſſet a jurando, vovendo &c. ceſſaret obligatio voti, juramenti, & cujuſcumque alterius promiſſionis, nihil firmum eſſet in noſtris promiſſionibus.

Q. III. Quibus aliis modis ceſſet obligatio voti, vel juramenti.

R. Votum, vel juramentum ceſſant irritatione, diſpenſatione, & commutatione, ſed de his capite ſequenti.

Regulæ pro praxi appoſitæ ſunt in ſuperiori quæſtiona poſt caput quartum.

C A P U T V.

De Irritatione, & Diſpenſatione Votorum.

Q. I. Quid ſit votorum irritatio; & quibus competat.

R. I. Irritatio alia eſt propria, & directa, alia impropria, & indirecta. Irritatio propria, & directa, de qua præcipue in præſenti ſermo eſt, ſolet definiri: *Annullatio voti facta ab habente poteſtatem dominativam*: Quando igitur aliquis habet poteſtatem dominativam vel in perſonam voventis, itaut ab ipſo pendeat ipſius velle, & nolle; vel in materiam voto promiſſam, itaut non poſſit quis de illa ſine ipſius voluntate diſponere, tunc poteſt votum annullare, & omnem ipſius auferre obligationem. Id autem puto provenire ex ipſo jure naturæ; nam eo ipſo quod aliquis ſubdatur alteri, vel quoad ipſum velle, & nolle, vel quoad materiam voto promiſſam, jam ſemper in ipſius voto intelligitur naturaliter ineſſe iſta conditio: *Si conſenſerit ille, a quo pendeo, vel quoad ipſam voluntatem, vel quoad rem, quam promitto.* Suppoſito igitur iſtum non conſenſiſſe, ruit ſtatim obligatio

gatiu

Digitized by Google

gatio voti, ut innuit *S. Th.* 2. 2. *q.* 88. *a.* 8. *ad* 1. & *q.* 185. *a.* 5. Cum autem ideo irritentur, & annollentur vota quia non conſentiente Superiore, ceſſat conditio, a qua pendebat ipſorum obligatio, ideo dicendum eſt, ſemper remanere irrita, etiamſi negot conſenſum ſine cauſa; ſicut etiam quaevis Subditus nollet votum irritare: *Sanch. l.* 4. *c.* 24 *nu.* 25. *Suar. l.* 6. *de vot. c.* 1. *Bonac. diſp.* 4. *q.* 2. *p.* 7. *ſ.* 2. *nu.* 35. Immo dicendum Superiorem nullatenus peccare ex hoc præciſe, quod ſine cauſa negaret conſenſum, cum ipſi liberum ſit conſentire, vel non conſentire. Dixi, *ex hoc præciſe*, quia ſi nullam haberet cauſam negandi conſenſum, poſſet venialiter peccare, faciendo actionem otioſam: *Azor. l.* 11. *c.* 17. *q.* 5. *Fagund. l.* 2. *c.* 33. *n.* 1. *Tamb. in Decal. l.* 3. *c.* 16. *ſ.* 3. *n.* 1. *&* 14.

Irritatio impropria, & indirecta eſt, quando impeditur executio voti ab eo, qui non habet poteſtatem dominativam, ſed nihilominus eam impedit, vel quia prohibet aliquo præcepto materiam promiſſam, vel quia opponitur ejus executioni, quatenus ſibi præjudicat. Hoc modo etiam S. Pontifex poteſt indirecte, & improprie irritare omnia Fidelium vota; nam licet non conſtet habere poteſtatem dominativam ſuper omnes Fideles, cum ſatis ſit ad gubernationem Eccleſiæ ſuprema poteſtas juriſdictionis, poteſt nihilominus prohibere id, quod quis voto promiſit, v. g. jejunium faciendum tali die. Eadem ratione poteſt quivis Superior impedire executionem votorum, quæ Subditus emiſit, quando non erat ipſi ſubjectus. Utique ea irritare non poteſt, quia cum fuerint emiſſa extra tempus ſubjectionis, non habebant imbibitam hanc conditionem: ſi Superior conſenſerit. Remanet ergo, ut poſſit impedire ipſorum executionem, quatenus ſibi poſſunt præjudicium afferre. *Suar. l.* 6. *cap.* 4. *n.* 16. *Sanch. l.* 4. *cap.* 31. *num.* 9. *Fagund. l.* 2 *cap.* 38. *num.* 13.

R. II. Nec Pontifex, nec Epiſcopi poſſunt proprie irritare omnia vota Fidelium. Ratio reſponſionis conſtat ex dictis; non habet etenim Pontifex poteſtatem dominativam ſuper omnes Fideles, nec Epiſcopus ſuper omnes ſuæ Diœceſis. Poterit igitur ſolum Pontifex directe irritare omnia vota ſimplicia Religioſorum, cum ſit multo magis ipſorum Prælatus, quam illorum immediati Superiores, ut notat *S. Th.* 2. 2. *qu.* 186. *a.* 5. *ad* 3., ſicut etiam irritare vota circa quæcumque pertinentia ad res, & Beneficia Eccleſiaſtica, cum ſuper his habeat pleniſſimam poteſtatem dominativam. Pariter Epiſcopus poterit irritare omnia vota Monialium ſibi ſubjectarum, cum reſpectu illarum habeat poteſtatem dominativam, eo quod ipſi ſubditæ ſint ratione profeſſionis, & voti obedientiæ: *D. Th. cit.*, *Suar. l.* 6. *c.* 7. *n.* 18. *Pal. diſp.* 2. *p.* 2. reſpectu vero aliorum etiam Clericorum, quia ſolum habet poteſtatem juriſdictionis, non habet facultatem irritandi ipſorum vota, ſed ſolum diſpenſandi, ut videbimus infra.

Q. II. An Prælati Regulares irritare poſſint vota ſuorum Religioſorum.

R. Prælati Religioſorum, aliquibus exceptis, poſſunt irritare vota ſuorum Religioſorum. Ratio autem eſt, quia cum Religioſi tranſtulerint in Prælatum ſuum velle, & nolle; & ipſi ſe ſubjecerint quoad omnia pertinentia ad vitæ ſpiritualis directionem, jam Prælatus habet ſuper illos plenam dominativam poteſtatem; ita ut nonniſi cum dependentia ab ipſo valeant nova onera etiam ſupererogationis ſuſcipere; alias non intelligerentur plene ipſi ſubjecti & quoad voluntatem, & quoad directionem ſpiritualem. In quocumque ergo voto Religioſi, de quacumque ſit materia, ſemper intelligitur iſta tacita conditio: *ſi Prælatus adnuat*, adeoque abnuente, & contradicente annullatur: *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 88. *a.* 8. *ad* 3. *Nav. c.* 12. *n.* 65. *Anton. a Spir. S. diſp.* 2. *n.* 424.

Ex præfata autem ratione patet; non competere Prælatis Regularibus irritare vota Novitiorum, cum ante profeſſionem ſint ſui juris. Ipſorum tamen vota perſonalia remanent ipſo facto ſuſpenſa, quatenus ſunt incompatibilia cum exercitiis Novitiatus; neque enim vota poſſunt majori bono obſtare. Vota vero realia Novitiorum, ſuppoſito nondum ex eis aliquod jus quæſitum adeptum eſſe illum, in cujus favorem fuerint facta, (ut eveniret, quando ab ipſo fuiſſent acceptata, quatenus eſſent in ipſius favorem) poterunt a Magiſtro Novitiorum, & multo magis a Prælato commutari in aliqua determinata opera Religionis, quia talis commutatio eſſet in id, quod evidenter eſt melius. Idem etiam dicas de votis perſonalibus: *Anton. a Sp. S. n.* 427.

Dixi, Prælatos poſſe Religioſorum vota irritare, *aliquibus exceptis*, ad deſignandum non poſſe irritare ea, quæ conſtituunt ſtatum Religioſum, ſive ſimplicia ſint, ſive ſolemnia; nec vota, quæ ex diſpoſitione S. Pontificis ſunt annexa huic ſtatui, ut votum quadrageſimalis obſervantiæ in Minimis, nec votum tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem, ex ſpeciali juris diſpoſitione *in c. licet. de Regul.*

Porro nomine Prælati habentis poteſtatem dominativam irritandi vota Religioſorum, veniunt S. Pontifex ut ſupremus omnium Religioſorum Prælatus, cui ſpecialiter per votum obedientiæ ſubduntur; Generalis in tota Religione; Provincialis in ſua Provincia; Superior localis in ſuo Monaſterio, & ſi hic ſpatio unius diei naturalis abſit, etiam ipſius Vicarius, ſive ſecundarius Prælatus, nam in abſentia principalis Superioris devolvitur ad ipſum omnis Monaſterii gubernatio. Puto etiam, eamdem poteſtatem irritandi vota reſidere apud Abbatiſſas, ſive Prioriſſas; nam cum Moniales ipſis promittant obedientiam, eiſque ſubdantur quoad omnia pertinentia ad ipſarum ſpiritualem profectum, jam habent ſuper ipſas plenam dominativam poteſtatem: *Sanch. l.* 4. *cap.* 33. *numer.* 10. *Leſſ. l.* 2 *cap.* 40. *dub* 13. *nu.* 107. *Ant. a Spir. S. diſp.* 2. *num.* 394.

Q. III. An Pater irritare poſſit vota filiorum: & quid de Tutoribus, & Matre.

R. I. Pater valet irritare omnia vota Filii impuberis hoc eſt, qui nondum explevit annum 14 ſive 12. ſi ſit fœmina. Poteſt etiam irritare omnia vota realia filii minoris, qui ſcilicet nondum complevit annum 25., ſi ſit ſub patria poteſtate, & votum ſit de bonis, de quibus non valeat diſponere. Prima pars reſponſionis probatur, quia licet filii impuberes poſſint ſe voto obligare, ſuppoſito quod habeant ſufficientem uſum rationis, nihilominus cum propter non tam perfectum uſum rationis conveniens ſit, ut aliena regantur voluntate, conſequens eſt (ita diſponente jure ſive naturali, ſive poſitivo, ut habetur *can. mulier.* 32. *q.* 2. *& can.* 1. 20. *q.* 2.) omnia ipſorum vota ſive perſonalia, ſive realia, ſive mixta habere hanc tacitam conditionem: *ſi Pater non contradixerit*; contradicente proinde Patre, jam ruunt talia vota, ut docet etiam S. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 9. Advertere hic etiam eſt, talia vota eſſe a Patre irritabilia, quamvis exequenda fuiſſent poſt pubertatem, quia tempore, quo emiſſum fuit votum, filius erat patri ſubjectus, adeoque votum erat ab initio infirmum, & imbibitam habebat conditionem paterni conſenſus. Secus ſi ratificata fuerunt poſt pubertatem, quia tunc ſe habent ut nova vota extra tempus ſubjectionis emiſſa: *Suar. l.* 6. *n.* 8, *Navar. c.* 12. *n.* 71. *Tamb. l.* 3. *c.* 16. *ſ.* 3. *n.* 9.

Cum autem filii poſt adeptam pubertatem cenſeantur aquiſiviſſe perfectum rationis uſum, conſequens eſt, in eorum perſonalibus votis non includi præſ tam conditionem. Poteſt nihilominus ea Pater irritare, ſi materia voti paternæ adminiſtrationi, & domeſticæ gubernationi præjudicaret; quodcumque enim votum, ut validum ſit, debet hanc continere conditionem: *niſi alteri præjudicium attulerit*. Utraquamquod ejus executio ſemper poteſt impediri ab eo, cui præjudicat: S. Thomas *cit.*

Secunda pars reſponſionis probatur, quia ſi Filius ſit ſub patria poteſtate, non poteſt de rebus, & bonis diſponere ſine conſenſu Patris; adeoque ſi faciat aliquod votum reale ſemper habet hanc conditionem: *ſi ille, ad quem pertinet de talibus rebus diſponere, conſenſerit*. Quod ſi Filius non amplius ſit ſub patria poteſtate, adeoque conſtitutus ſit ſui juris; vel votum faciat de rebus, de quibus habet dominium, & adminiſtrationem; ut ſunt bona caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, & quandoque etiam adventitia, tunc ejus vota etiam realia non erunt a Patre irritabilia: *Anton. a Spir. S. diſp.* 2. *an.* 437.

Sed quid dicendum, ſi Pater conceſſerit Filio licentiam vovendi? Dicendum, quod etſi Pater (idem dic de Prælatis Regularibus erga ſuos Subditos, & de Marito reſpectu Uxoris) cenſenterit, ſeu ratificaverit votum a Filio emiſſum, adhuc valide poteſt illud revocare, nam per talem conſenſum non amittit dominativam poteſtatem, adeoque in voto Filii ſemper intelligetur hæc conditio: *ſi Pater non contradixerit*. Peccabit tamen, & quidem, ſi votum ſit de re gravi, mortaliter, ſi concedendo licentiam aliquod votum faciendi & ipſe intenderit Deo exhibere rem, de qua fieri votum conceſſit: tunc etenim & ipſe votum faceret; adeoque graviter peccaret revocando licentiam, quia impediret fieri, quod & ipſe voluit Deo dare mediante Filio. Si vero ſolummodo licen-

centiam dederit abſque eo quod vellet ſe privare jure ſuo, non video quare dici poſſit peccare ſaltem graviter licentiam revocando; utitur etenim jure, quo ſe privare non intellexit: *Tambur. l. 3. c. 16. §. 3. n. 15. & 38.* Pariter *n. 37.* putat, nec peccare mortaliter, qui ulteа licentiam vovendi promiſiſſet etiam non irritare. Et ratio eſt, quia dum & ipſe non intellexerit vovere, non ſervando promiſſa, ſolum demonſtrat quamdam infidelitatem, & inconſtantiam; nil vero ſubtrahit Deo, quod ipſi deberet ex virtute religionis. Quidquid autem ſit de hoc, certum eſt quod ſi moriatur Pater, tunc Tutor, vel Curator, quibus etiam, ut ſtatim dicemus, competit poteſtas irritandi vota, poſſent tale votum valide, & licite irritare, quia cum non dederint licentiam, non fuerunt participes talis voti; & alias Pater defunctus non potuit eorum poteſtatem coarctare. Idem ex eadem ratione dicas de Prælato Religioſo in officio alteri ſuccedente; unde *cap. innotuit de elect.* dicitur quod *par in parem non habet imperium*.

Ex hoc inferunt, petentem voti irritationem a Succeſſore non teneri explicare illud emiſiſſe cum licentia Anteceſſoris, quia Succeſſor poteſt illud etiam ſine cauſa irritare: *Sanch. l. 4. c. 27. n. 36., Pal. diſp. 2. p. 3. §. 2. n. 3. Tambur. de jur. Abbat. t. 2. d. 18. q. 8. n. 4.*

R. II. Tutores poſſunt irritare vota Pupillorum impuberum, quamdiu durat officium Tutoris, cum in omnibus inſtar Patris habeantur. Et ſi plures fuerint Tutores, unus poteſt vota pupilli impuberis irritare, quia quoad hoc unus non cenſetur ab altero pendere: *Suar. l. 6. c. 6. n. 22., Sanch. in Sum. c. 35. n. 70. Bonac. diſp. 4. q. 7. §. 2. n. 25. Tamb. l. 3. c. 16. §. 3. n. 18.* Curator vero reſpectu Minoris, cum & ipſe in Patris vicem ſuccedat ad illius res adminiſtrandas, poteſt illius vota perſonalia irritare, quatenus præjudicant domeſticæ gubernationi: omnia vero realia ſicut Pater: *Sanch. de matr. l. 6. d. 39. n. 10., Leſſ. l. 2. c. 42. d. 12. n. 61.*

R. III. Etiam Matri competit poteſtas vota Filiorum irritandi, eo modo quo de Patre dictum eſt. Et quidem certum eſt, id ei competere, ſi deſignata ſit Tutrix, vel Curatrix Filiorum, eo modo quo diximus de Tutore, & Curatore. In caſu autem quod Pater ſit mortuus, & adſit Curator, ad illum pertinet, non ad Matrem vota realia Filii irritare, quia ad ipſum pertinet adminiſtratio bonorum ejuſdem Filii in ætate Minoritatis, quæ incipit cum pubertate, & durat uſque ad annum vigeſimum quintum. Reſpondendo ergo modo ad difficultatem propoſitam, puto etiam Matri competere facultatem Filiorum vota irritandi etiam vivente Patre, dummodo non contradicat. Ratio mihi eſt, quia iſta facultas oritur a poteſtate dominativa Parentum in ordine ad Filios, ut dictum eſt de Patre; quamvis autem Mater non habeat Patriam civilem poteſtatem ſuper Filios *Inſtit. de adopt. §. Fœminæ*, habeat tamen poteſtatem naturalem ſuper illos, & ita poteſt eis præcidere, & ipſi tenentur ei obedire. Sicut ergo quia filii ſunt ſub poteſtate dominativa Patris, ſemper cenſetur in ipſorum votis imbibita hæc tacita conditio *ſi Pater non contradicat*; idem dicendum, quia ſunt ſub poteſtate dominativa Matris. Nec refert non habere ſuper illos poteſtatem civilem; nam etiam Filii illegitimi non ſunt ſub poteſtate civili Patris, & tamen conſentiunt Theologi eum poſſe ipſorum irritare vota, eo quod ſint ſub ipſius poteſtate naturali. Hinc *S. Th. opuſc. 17. c. 13. ad 10.* eamdem facultatem in Patre, ac Matre agnoſcit, quamvis quamplures contradicant Theologi. Dixi nihilominus, dummodo Pater non contradicat; nam cum uxor ſit ſubordinata Marito, & etiam hanc poteſtatem ipſi ſubordinatam habere cenſendum eſt.

Non deſunt Theologi, qui in defectu Parentum, Tutorum, vel Curatorum tribuant facultatem irritandi vota impuberum Heris, Magiſtris, vel Nutriis illorum. Verum cum in ipſos non habeant vel naturalem, vel civilem poteſtatem dominativam, non ſatis conſtat quo jure id poſſint præſtare: *Pal. tr. 15. diſp. 2. p. 7. n. 8., Fagund. l. 3. c. 33. n. 12., Bonac. diſp. 4. q. 2. p. 7. §. n. 9.*

Q. IV. An Maritus irritare poſſit vota Uxoris, & e contra.

R. Maritus poteſt irritare omnia vota realia, & perſonalia uxoris. Iſti reſponſioni quamplures contradicunt, quamvis omnes eam valde probabilem agnoſcant. Probatur autem, quia ut dictum eſt, Prælatus poteſt irritare vota Religioſorum, & Pater filiorum impuberum, quia hi habent velle, & nolle cum dependentia a Prælato, & filii cum dependentia a Patre. Hæc autem ratio, meo videri, æque militat in uxore reſpectu Mariti: gubernatio etenim domus, conſervatio mutui amoris, pax domeſtica, incontinentia, & impetus fœminarum expoſcunt, ut in omnibus, & per omnia ſint Maritis ſubjectæ; & per conſequens ſine limitatione ab ipſis pendeant quoad velle, & nolle. Hinc *1. ad Cor. 11.* ſine limitatione vir dicitur Caput Uxoris, ex quo *can. noluit. can. manifeſtum 33. q. 5., & can. fin. ibid.* in ordine ad vota pariſicatur ſubjectio uxoris reſpectu Mariti, ſubjectioni, quam habet Religioſus erga Prælatum, & filius impubes erga Patrem: *Sanch. l. 6. de matr. diſp. 36. n. 4., Tambur. c. 16. §. 3. n. 48., Anton. a Sp. S. n. 432.*

E contra quia Uxor eſt viro ſubjecta, nulla ipſius vota poteſt irritare; & quamvis Theologi ut plurimum dicant, poſſe irritare vota, quæ ſibi præjudicant, hæc tamen locutio non eſt ita propria; vota etenim, quæ alteri præjudicant, potius ſunt nulla.

Q. V. An Domini poſſint mancipiorum vota irritare.

R. Domini poſſunt irritare vota Servorum, hoc eſt, Mancipiorum, ſi tamen ſint de rebus, quæ ſunt ſub dominio Domini. Obſervandum igitur, mancipia quantum ad opera ſua, induſtrias, labores, artes &c. enumerari inter bona Domini: *Inſt. per quas perſonas §. Item vobis*, unde omnia vota, quæ de his rebus fierent a ſervo, ſemper habebunt hanc conditionem: *ſi Dominus conſenſerint*, utpote facta de re non ſua. Idem dicas, ſi votum eſſet de re, quæ valde hujus dominium impediret, ut de longa peregrinatione, oratione, immoderato jejunio &c. Si vero votum Mancipii ſit de re, quæ in nihilo Domino præjudicet, ut de obſervantia Divinæ legis, de Caſtitate obſervanda; cum in his, ut docet *S. Th. 2. 2. q. 104. a. 5.* Domino non ſit Subditus, neque Dominus poterit talia vota irritare.

Q. VI. Quid ſit votorum diſpenſatio; & quæ ſint cauſæ ad diſpenſandum.

R. I. Diſpenſatio generaliter ſumpta eſt *juris alicujus relaxatio, facta ab habente legitimam poteſtatem*; proinde diſpenſatur ille, qui a legitimo Superiore eximitur ab obſervantia legis, præcepti, vel alterius obligationis. Ex hac doctrina diſpenſatio voti poteſt dici, *Ablatio vinculi voti, nomine Dei facta ab habente ſpiritualem poteſtatem in foro externo*. Derivat autem ablatio hujus vinculi a ſola poteſtate ſpirituali, quia ordinatur ad ſolum profectum, & ſalutem animarum. Differt ab irritatione, quia diſpenſatio ſupponit plenam obligationem legis, a qua vult ſe quis eximere per diſpenſationem; irritatio vero non ſupponit plenam obligationem, e. g. Voti, cum non habeat omnimodam firmitatem, niſi accedente Superioris conſenſu, ut plene patet ex ſupradictis. Ex hoc aliud oritur diſcrimen, quod ſcilicet Superior poteſt etiam ſine cauſa irritare votum, cum ſit in ſua libertate conſentire; vel non conſentire: e contra vero dicendum eſt nedum ad licitam, ſed etiam ad validam votorum diſpenſationem requiri juſtam, & legitimam cauſam, ut habet *S. Th. 2. 2. q. 88. a. 12.* Ratio autem eſt quia nullus Superior cenſetur tradere facultatem Inferiori, ut in ſua lege diſpenſet, niſi adſit juſta, & rationabilis cauſa, quapropter, ea deficiente, deficit etiam poteſtas diſpenſandi. Cum ergo in votorum diſpenſatione, homo eximat voventem ab obligatione cum Deo contracta, dicendum eſt nulliter diſpenſare, ſi id præſtet ſine juſta, & rationabili cauſa. Cenſerem nihilominus, quod ſi poſtulans diſpenſationem, & ille concedens bona fide procedant ita ut primus putet habere juſtam cauſam poſtulandi, & alter diſpenſandi, ſuſtinenda ſit diſpenſatio; nam ſi alias diceretur, via aperiretur multis ſcrupulis, & conſcientiarum perplexitatibus: judicandum autem eſt, Deum, & Eccleſiam rata habere ea, quæ, ſi non admitterentur, talia afferrent incommoda; ita enim expoſcit conſcientiarum gubernatio: *Sanch. l. 4. c. 44. num. 10., Leſſ. l. 2. c. 40. d. 17. n. 119. Tamb. l. 3. in Dec. c. 16. §. 4. n. 3.*

R. II. In primis advertendum, cauſam, ex qua petitur, vel conceditur diſpenſatio, debere cum voto proportionari; adeoque ſi votum ſit graviſſimum, qualia ſunt vota Papæ reſervata; quale eſt votum inſerviendi Xenodochiis, majorem cauſam exigit ad concedendam diſpenſationem. Hinc ad vitandos omnes ſcrupulos, docent DD. *ex cap. magnæ de vot.* hujuſmodi diſpenſationibus admiſcendam eſſe aliquam commutationem: *Navar. c. 13. n. 63., Suar. l. 6. de vot. l. 17. a n. 14., Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. n. 5.* Deſcendo modo ad particulares cauſas licitæ, & validæ diſpenſationis.

Prima cauſa eſt, quando diſpenſatio cedit in publicum bonum, quia gratius eſt Deo bonum publicum promovere, quam durare voti obligationem. Hinc bene diſpenſaretur a voto jejunandi egregius Concionator, ſi

ex eo impediretur concionari. Bene diſpenſatur in voto caſtitatis ad cuntrahendum matrimonium pro ſedandis litibus, & conſervanda pace Civitatis. Hac ratione aliquando diſpenſatum eſt in voto caſtitatis, vel religionis pro familia valde illuſtri conſervanda: *Suar. cit. a n. 12. Laym. loc. cit., Tamb. l. 3. in Decal. c. 16. §. 4. n. 19. Sanch. diſp. 20. de matr. n. 25.*

Aliæ cauſæ diſpenſandi tenent ſe ex parte voventis. Prima eſt quando votum non fuit plene, & perfecte voluntarium; ut ſi factum fuit non plena, & perfecta diſcretione; vel ex errore etiam circa cauſam impulſivam nimis præcipitanter; vel ex metu quamvis levi, & quamvis non incuſſo ad votum extorquendum, ſi impedivit plenam, & perfectam deliberationem. Ratio omnium eſt quia conſonum eſt credere, Deum tam benignum hujuſmodi vota non plena deliberatione emiſſa, haud ita rigoroſe acceptaſſe, quin poſſint Prælati Eccleſiæ in eis diſpenſare, quamvis præſtet in hujuſmodi diſpenſationibus ſemper aliquam admiſcere commutationem: *Azor. 1. p. l. 11. c. 15. q. 5., Sanch. l. 4. ſum. c. 45. a n. 20. Tamb. in Decal. l. 3. c. 16. §. 4. a n. 15.* Altera cauſa diſpenſandi ſe tenens ex parte voventis eſt periculum tranſgreſſionis, ſive oriatur ex communi hominum fragilitate, ſive ex ſpirituali indiſpoſitione voventis: tunc etenim recte præſumitur velle Deum cum eo diſpenſari, quia ex voto non ipſi honor, ſed major offenſa conſurgit. Tertia cauſa eſt gravis difficultas in voto exequendo, quamvis ab initio fuerit prævisa, quia difficultas ſpeculative prævisa ſemper valde minor eſt ac quando de facto eſt ſuperanda. Præterea licet fuerit prævisa, non tollit quin hic & nunc ex ea conſurgat periculum tranſgreſſionis, ac proinde adeſt juſta cauſa diſpenſandi: Adde, eamdem juſtam cauſam adeſſe, ſi difficultas executionis oriatur ex malitia, & prava conſuetudine voventis, quia ſemper verificatur votum eſſe illi inutile, & damnoſum, & cedere in majorem Dei offenſam: *Suar. l. 6. de vot. c. 17. num. 12., Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. n. 5., Tambur. l. 3. in Decal. c. 16. §. 4. n. 18. Trull. l. 2. c. 2. d. 42. n. 13.* Propter difficultatem executionis cenſent communiter DD., adeſſe juſtam cauſam diſpenſandi vota valde ſcrupuloſorum, potius etiam ipſis nocent, quam ſint proficua.

Ultima cauſa diſpenſandi ex parte voventis eſt, ſi dubitetur, an votum ſit illi impeditivum majoris boni, & multo magis ſi diſpenſatio cedat in majus bonum ipſius; nam tunc non conſtat, ipſius votum eſſe Deo acceptum *D. Th. in 4. diſt. 38. q. 1. a. 4. q. 1. Suar. l. 6. de vot. c. 17. n. 10., Tamb. §. 4. cit. num. 22:* Semper tamen advertat diſpenſans, quod ſi dubium ſit, an adſit cauſa diſpenſandi, non debet diſpenſare, quia certa obligatio voti non debet ob incertam cauſam relaxari. Si vero conſtet, adeſſe cauſam, ſed dubium, ſit, an ſit ſufficiens, diſpenſare poteſt cum aliqua commutatione, quia poteſtas diſpenſandi, utpote favorabilis, eſt amplianda: *D. Th. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2. Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. n. 5.*

Q. VII. In quibus ſit poteſtas diſpenſandi.

R. I. Poteſtas diſpenſandi in votis eſt ex jure ordinario in omnibus, & ſolis Prælatis Eccleſiæ, qui habent juriſdictionem ſpiritualem non ſolum in foro interno, ſed etiam in foro externo. Quod his competat poteſtas diſpenſandi in voti, colligunt DD. ex illo *Matth. 16.*, ubi in perſona Petri dictum eſt omnibus ſpiritualem juriſdictionem Eccleſiaſticam habentibus, *Tibi dabo claves Regni Cælorum, quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.* His verbis putant, conceſſam poteſtatem ſolvendi a quocumque vinculo pertinente ad ſalutem animarum, & rectam Eccleſiæ gubernationem, & conſequenter etiam a vinculo voti. Iſta autem diſpenſatio proprie non importat diſpenſare in jure divino, & naturali, quod ſequitur, ſi quis poſſet facere quod, permanente voto, non pareret obligationem. Sicut ergo non diſpenſat jus naturale Creditor, quando debitori debitum remittit, ſed ſolum facit ut ceſſet jus naturale dictans unicuique ſolvendum quod illi debetur; ita Prælatus, qui diſpenſat votum nomine Dei, quia ejus gerit vices, ut docet *S. Th. 2. 2. q. 88. a. 12.* remittit illi, qui fecit votum, obligationem Deo factam, & ita non amplius habet locum jus naturale dictans adimplenda eſſe promiſſa Deo facta.

Dictum autem eſt, hanc poteſtatem diſpenſandi in votis eſſe de jure ordinario in omnibus, & ſolis Prælatis habentibus juriſdictionem ſpiritualem in foro externo; nam hæc poteſtas ſpectat ad externam Eccleſiæ gubernationem, ſicut abſolvere a cenſuris, Indulgentias elargiri &c. ac proinde non eſt actus Ordinis; & de facto nullus Ordo eſt ad hunc effectum deſtinatus, ſed juriſdictionis. Oportet tamen, ut dixi, diſpenſantem habere juriſdictionem ſpiritualem in foro externo, nam alias Subditos non haberet, ac proinde non valeret diſpenſare: *Sanch. l. 4. c. 37. a n. 16., Pal. tr. 15. d. 1. p. 9. n. 2. Bonac. diſp. 4. q. 2. p. 7. §. 4. a n. 1.*

Ex dictis clarum eſt, in S. Pontifice, gerente vicem Chriſti in toto Orbe, eſſe præfatam poteſtatem. Quando autem valeat diſpenſare in votis factis in favorem tertii, ſatis dictum eſt ſupra. Non autem hic vacat examinare, an valeat diſpenſare in votis ſolemnibus Religioſorum, cum id habeat locum, ubi Theologi tractant de ſtatu religioſo. Poteſtas pariter ampliſſima diſpenſandi in votis annexa eſt de jure ordinario S. Pontificis Pœnitentiario. Pariter eamdem ampliſſimam poteſtatem habet Concilium Generale pro toto orbe. Poſſunt etiam diſpenſare in votis Legati a latere, & Nuntii in Provincia ſibi commiſſa, exceptis tamen iis, quæ S. Pontifex ſibi reſervat. Idem dicas de Archiepiſcopis, & Epiſcopis reſpectu ſuorum Subditorum. Nec refert nondum eſſe conſecratos, quia diſpenſatio non eſt actus Ordinis, ut jam dictum eſt, ſed juriſdictionis. Non competit vero talis poteſtas ipſorum Vicariis ex vi ſui muneris, cum non ſint veri Paſtores, & Prælati, ſed debet ipſis eſſe ſpecialiter commiſſa. Sede vacante in omni juriſdictione Epiſcopis ſuccedit Capitulum Cathedralis, adeoque & in poteſtate diſpenſandi in votis. Denique præfata poteſtas competit Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum Subditorum, quia reſpectu ipſorum habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Præter præfatos de jure ordinario alios non eſt reperire, quibus competat poteſtas in votis diſpenſandi, cum non ſit reperire alios, qui proprie ſint Prælati habentes juriſdictionem in foro externo.

Quæ diximus de Prælatis valentibus aliorum vota diſpenſare, habent locum etiam in ordine ad ipſos Prælatos; cum etenim non ſint deterioris conditionis, quam proprii Subditi, non ſolum poſſunt concedere proprio Confeſſario facultatem, ut ſecum in aliquo voto diſpenſet, ſed poſſunt immediate ſeipſos diſpenſare, cum id non ſit actus juriſdictionis contentioſæ, & facta mentalis, expoſcentis diverſitatem perſonarum, ſed pure voluntariæ, quam quis poteſt exercere in ſe ipſum. Præterea in iis eſt ampla poteſtas diſpenſandi, unde non eſt ad hoc reſtricta, ut non valeant ſeipſos diſpenſare &c.: *D. Th. 2. 2. q. 185. a. 8., Suar. l. 5. c. 11. n. 5. Azor. 3. p. l. 7. c. 19. q. 7. Tambur. de Jur. Abbat. t. 2. d. 28. q. 1. n. 2.*

Q. VIII. An habentibus poteſtatem vota diſpenſandi competat etiam poteſtas eadem commutandi.

R. Loquendo de iis, quibus hæc poteſtas competit de jure ordinario, nullum eſt dubium, utramque competere, quia utraque eſt neceſſaria Prælatis ad regimen Eccleſiæ; cum enim multoties non exiſtat cauſa ſufficiens ad diſpenſandum, oportet tunc pro ſalute animarum poſſe vota commutare. Idem etiam contra aliquos puto dicendum de illis, quibus poteſtas diſpenſandi competit ex Privilegio, Bulla, Jubilæo &c. Ratio mihi eſt, quia qui poteſt majus, poteſt & minus, quando unum ſub altero continetur: *ex reg. jur. in 6. 53.* Poteſtas autem commutandi eſt quid minus contentum in poteſtate diſpenſandi: nam qua parte in commutatione aliquid tollitur voti, eſt diſpenſatio, ea vero parte, qua alia obligatio ſubrogatur, commutatio eſt quid minus diſpenſatione in eodem genere tollendi obligationem voti, nam diſpenſatio omnem voti removet obligationem: *Suar. l. 6. c. 12. n. 9. Pal. tr. 15. d. 9. p. 14. num. 4. Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. n. 20.* Quamvis autem in poteſtate diſpenſandi includitur tamquam quid minus & imperfectius poteſtas commutandi, in hac poteſtate non includitur poteſtas diſpenſandi, cum in minori non continuatur majus.

Q. IX. In quibus ſit poteſtas delegata diſpenſandi in votis.

R. Conſtat illos omnes, quibus ſupra diximus de jure ordinario competere poteſtatem in votis diſpenſandi, poſſe illam aliis delegare. Si vero illam delegarent habenti ſolum primam Tonſuram, oporteret, hunc non eſſe conjugatum; nam tunc non reputatur Perſona Eccleſiaſtica, niſi quod Privilegia Canonis, & fori, ſi quaſdam ſervet conditiones, de quibus ſuo loco: unde ſolum a S. Pontifice habere poſſet poteſtatem delegatam diſpenſandi: *Sanch. l. 4. c. 37. a n. 20., Bonac. diſp. 2. p. 7. §. 4. n. 4.* Quæſtio igitur eſt de iis, quibus de facto vi alicujus Bullæ, & Privilegii fuerit delegata: exceptis tamen ſemper iis votis,

Digitized by Google

tis, quæ diximus eſſe Papæ reſervata. Iterum quæſtio eſt de Regularibus, & quidem non de poteſtate, quam ipſorum Prælati habent in ordine ad diſpenſanda vota ſuorum ſubditorum; nam, ut ſupra dixi, cum habeant in ordine ad ipſos juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poſſunt in omnium ipſorum votis diſpenſare, exceptis ſolum Papæ reſervatis, & votis ſubſtantialibus Religionis, utpote quæ ſunt fundamenta talis ſtatus, ut notat Tridentinum *ſeſſ.* 25. *c.* 1. Idem dicendum de ſpecialibus votis, quæ ſunt una cum ſubſtantialibus in aliquibus Religionibus, ut votum de non veſcendo Carnibus apud Minimos. Quamvis autem irritare non valerent etiam Novitiorum vota, poſſunt tamen in illis diſpenſare quia habent juriſdictionem ſpiritualem ad integre illos regendos, in qua juriſdictione ſundatur poteſtas diſpenſandi: *Leſſ. l.* 2. *c.* 40., *d.* 18. *n.* 133. *Bonac. diſp.* 4. *q.* 2. *p.* 7. *a.* 27. *Tambur. t.* 2. *de jur. Abbat. diſp.* 18. *q.* 3. *num.* 2., *Anton.* a *Sp. S. in Direct. Regul. tr.* 2. *diſp.* 1. *ſect.* 2. *num.* 100.

Advertendum item quod admiſſa etiam opinione aſſerente, non poſſe Prælatos irritare vota a Subdito de ipſorum licentia emiſſa, utique valent diſpenſare, quia ſemper in illis integra remanet juriſdictio ſpiritualis. Quod verificatur etiam reſpectu Prelati inferioris, valentis diſpenſare votum ſui ſubditi, emiſſum de licentia Prælati ſuperioris; *Suar. l.* 6. *de vot. c.* 10. a *num.* 17. *Sanch. l.* 4. *c.* 42. *a num.* 5. *Fagund. l.* 2. *c.* 45. *a num.* 6. Difficultas ergo eſt de facultate, quam habent Regulares in ordine ad diſpenſanda vota ſæcularium; unde

R. II. Confeſſarii Regulares habent facultatem, nedum commutandi vota omnium Sæcularium ad ipſos accedentium, ſed etiam diſpenſandi, exceptis votis Papæ reſervatis, quando de facto ex dicendis ſunt ipſi reſervata. Quod habeant facultatem vota commutandi eſt communis ſententia, cum id habeatur ex privilegio Eugenii IV. & altero Pauli III. quæ videre eſt apud Authores agentes de Regularium privilegiis. Inſuper vero ipſos habere facultatem diſpenſandi docent innumeri DD. innixi privilegiis factis Regularibus ab Innocentio VIII. Eugenio IV. Julio II., & Martino V., quæ privilegia videre eſt apud Bordonium in Conſiliis Regularium *t.* 1. *reſol.* 15., *Rodriq. qq. regul. q.* 63. a. 3. Addunt non pauci DD., ex privilegio Eugenii IV., & ex alio Sixti IV. Regulares Confeſſarios deputatos a ſuis Superioribus poſſe diſpenſare non ſolum in votis Religioſorum ſui Ordinis, ſed etiam alterius Ordinis.

CAPUT V.

De votorum commutatione, & de votis S. Pontifici reſervatis.

Q. I. QUid ſit votorum Commutatio; & quæ cauſa ad eam requiratur.

R. I. Si pro opere, quod faciendum erat, aliquod aliud opus ſubrogetur, datur commutatio voti, ut habet *Th.* 2. 2. *q.* 88. *a.* 10. Conſtat igitur quæ differentia intercedat inter irritationem, diſpenſationem, & commutationem; nam irritatio penitus tollit voti obligationem abſque eo quod cauſa requiratur, & per diſpenſationem eadem obligatio voti tollitur, ſed juſta, & proportionata requiritur cauſa. At commutatio non omnino tollit voti obbligationem, ſed ſubrogat aliam materiam ſub eodem vinculo voti.

R. II. Commutatio voti poteſt fieri in aliquod vel melius, vel æquale, vel minus. Dum commutatio fit in aliquod evidenter melius, hoc ipſum ſatis eſt ad juſtam cauſam commutandi votum, ut *ex c. ſuper his de vot.* Dum vero commutatio fit in æquale, aliqua cauſa exigitur, ut conſtat *ex cap.* 1. *de. vot.* & tradit S. Thomas 2. 1. *q.* 88. *art.* 12., quamvis ſufficiat quæcumque cauſa etiam levis, ut eſſet condeſcendere petitioni Subditi, & velle illi gratificari; unde ſolum male ageret Prælatus, ſi pro ſolo libito ante Subditi petitionem vellet votum commutare: *Leſſ. l.* 2. *c.* 40. *dub.* 16. *nu.* 110. *Laym. l.* 4. *tr.* 4. *c.* 8. *num.* 23. Denique ſi commutatio fiat in aliquod minus, puto, rationabilem, & juſtam cauſam requiri non ſolum ad licitam, ſed & ad validam commutationem. Ratio autem mihi eſt, quia, dum commutatur votum in minus, adeſt diſpenſatio pro ea parte, pro qua materia ſubrogata non adæquat priorem materiam: dixi autem ſupra, diſpenſationem voti ſactam ſine juſta cauſa, nedum eſſe illicitam, ſed etiam invalidam; nam Prælatus diſpenſans gerit vices Dei, qui non ratam habet diſpenſationem ſine cauſa; nec ad hoc dedit commiſſionem, quia non eſſet tunc in ædificationem, ſed in deſtructionem. Nec refert dicere, commutationes, factas inter homines in minus validas eſſe, & ſolum ſupplendum eſſe defectum, ut patet ex *leg.* 2. *C. de reſcind. vendit.* id enim admittitur, quia ita diſpoſuerunt leges ad vitandas lites; at ex ratione adducta potius conſtat, Deum velle contrarium: *Suar. l.* 6. *de vot. c.* 19. *num.* 14. *Azor. t.* 2. *l.* 11. *c.* 18. *q.* 12. *Trullench. l.* 2. *Decal. c* 2. *dub.* 45. *n.* 13.

Q. II. Quibus competat vota commutare.

R. I. Commutatio voti, ordinarie loquendo, eſt actus juriſdictionis Eccleſiaſticæ, quæ pertinet ad Prælatos gerentes vices Dei. Id autem probat *S. Thom. in* 4. *d.* 38. *q.* 1. *a.* 4. *q.* 4. ſequentibus verbis. *Commutatio eſt quidam contractus, qui perfici nequit abſque conſenſu utriuſque partis, & ideo perfici nequit abſque conſenſu ejus, qui vicem Dei gerit in terris, ſcilicet Prælati, ni forte unum votum ab alio includatur. Et quia votum religionis includit omnia alia vota, tum ratione perpetuitatis, tum ratione obedientiæ, qua homo voluntatem ſuam Deo tradit, per quam ſui, & omnium Dominus eſſe poteſt, ideo qui aliquod votum temporale fecit, poteſt, non requiſita alicujus Prælati diſpenſatione, Religionem intrare, non obſtante voto præcedenti, quod ingreſſum religionis impediret.*

R. II. Quando commutandum eſt votum in minus ſemper authoritas requiritur Prælati, cum involvat inſimul diſpenſationem, ut dictum eſt ſupra. Si vero commutetur in evidenter æquale, cenſent non pauci Theologi, id fieri poſſe a vovente propria authoritate, quia ſi eligatur alia meteria evidenter æqualis, æque grata eſt Deo, adeoque nil referre videtur, ſi una, vel altera aligatur. Nihilominus non minus probabilis, & mihi probabilior eſt contraria ſententia; cum etenim ſubrogare aliam materiam loco prioris, ſit inconſtantia in promiſſis Deo factis, non videtur talis commutatio æque Deo grata, quamvis materia ſubrogata eſſet de ſe evidenter æqualis. Addendum, quod ſicut in humano contractu de danda re non licet aliam loco illius ſubrogare ſine conſenſu ejus, cui facta eſt promiſſio, ita dicendum in caſu noſtro. Hac retenta ſententia, eſſet grave peccatum in voto de materia gravi facere propria authoritate talem commutationem; nam cum talis commutatio, utpote facta a non habente authoritatem, & juriſdictionem ſpiritualem, eſſet nulla, & invalida, adhuc perſeveraret obligatio prioris voti, & ita eſſet grave peccatum illud non implere: *Suar. l.* 6. *de vot. c.* 20. *n.* 2. *Azor. t.* 1. *l.* 31. *c.* 18. *q.* 11. *Palaus tr.* 15. *d.* 3. *p.* 17. *n.* 2. & 6. Aliter dicendum eſſet, ſi quis faceret talem commutationem innixus probabilitati prioris ſententiæ.

R. III. Si votum commutetur in aliquod evidenter melius, puto id poſſe fieri propria voventis auctoritate. & ideo dixi in reſponſione *ordinarie loquendo* commutationem eſſe actum juriſdictionis ſpiritualis, ut innuerem in aliquo caſu poſſe fieri propria authoritate. Quod igitur vovens poſſit materiam evidenter meliorem ſubrogare propria authoritate, probatur, quia, quando conſtat de conſenſu explicito, vel etiam implicito Creditoris, recte poteſt ſolvi unum pro alio; *Inſtit. quibus modis tollatur obligatio in princ.* conſtat autem. Deum, qui reſpectu voventis eſt Creditor, pleniſſime conſentire, ut materia evidenter melior ſubrogetur; nam ejus voluntati rectiſſimæ, & ordinatiſſimæ non poteſt non eſſe magis gratum, & acceptum id, quod evidenter melius eſt. Neque dicas, id non poſſe fieri a vovente propria authoritate, ſi non habeat juriſdictionem ſpiritualem; commutatio etenim voti in rem evidenter meliorem non eſt actus juriſdictionis, ſed prudentiæ, & cognitionis dictantis ſemper magis gratam eſſe abundantiorem ſolutionem.

Ex hac doctrina infero, ad prædictam commutationem faciendam propria authoritate ſatis item eſſe; ſi materia ſubrogata ſit avidenter æqualis, & inſuper probabiliter judicetur eſſe melior; nam eo ipſo quod non ſolum ſit evidenter æqualis, ſed atiam probabiliter melior judicatur, jam abſolute talis materia ſubrogata eſt melior, ut de ſe conſtat: & ita poteſt votum in ipſam propria ſubrogari authoritate: *Azor. cit. q.* 1. *Sanch. l.* 4. *c.* 49. *n.* 4. *Laym. l.* 4. *c.* 8. *nu.* 19.

Q. III. Quomodo debeat fieri ſimplex commutatio.

R. Simplex commutatio fieri debet in materiam moraliter æqualem. Ratio eſt, quia cum ſimplex commutatio non importet condonationem, & remiſſionem creditoris, ſed ſignificet dandum eſſe Creditori aliquid aliud loco illius, quod illi debetur, ſequitur, id, quod ei da-

tur in ſui crediti compenſationem, debere eſſe ejuſdem valoris. Idem ergo dicendum reſpectu illius, qui habet ſolam facultatem vota commutandi Aſſero tamen hanc æqualitatem non eſſe nimis ſcrupuloſe, & mathematice metiendam, ſed ſufficit, commoutantem votum prudenter, & probabiliter judicare poſſe adeſſe talem æqualitatem? *Suar. l. 4. de vot. c. 19. a nu. 7. Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. nu. 34. Sanch. l. 4. c. 50. n. 4.* Scio, non deeſſe Theologos concedentes habenti ſolam facultatem commutandi vota, ea etiam in minus commutare, ſed eorum rationes non infringunt, quæ modo, & in quæſito ſuperiori dicta ſunt.

Ut vero rite fiat commutatio, obſervandum quem finem, & quam utilitatem ſibi propoſuerit ille, qui vovit. Hinc ei, qui voviſſet eleemoſynam ad auferendam avaritiam; non bene commutaretur votum in aliud opus quod ad talem finem non conduceret, etſi eſſet excellentius. Pariter ſi quis voviſſet flagellationes, jejunia &c, ad minuendas carnis rebelliones, non bene commutaretur votum in opus ad hunc finem non conducens. Secundo, obſervandum ex fine, quem ſibi propoſuit vovens, poſſe excellentiorem reddi materiam voti; hinc qui voviſſet non ludere, ut Deo vacaret, reddidiſſet excellentiorem materiam ſui voti, quam ſi pro fine habuiſſet vitare pecuniæ jacturam. Quo magis autem redditur ex fine excellentiori nobilior voti materia, eo magis materia, quæ ſubrogatur, debet eſſe nobilior. Denique obſervare debet, qui commutat vota, attendendum eſſe in voti commutatione, quam difficilis reddatur illi, qui vovit, materia, quæ ſubrogatur. Sic ſi imponatur eleemoſyna in voti commutationem illi, qui paucas habet facultates, redditur ipſi commutatio difficilis, quod non ſequitur reſpectu divitis. Hinc reſpectu prioris facile eſt adinvenire æqualitatem cum materia voti prius emiſſi, non vero reſpectu ſecundi. Univerſaliter notandum, in his commutationibus ſanum conſilium eſſe imponere Sacramentorum frequentiam, ſi acceptetur a Pœnitente; nam hoc opere facile pervenitur ad æqualitatem rei promiſſæ, cum per Sacramenta communicentur merita Chriſti, remittantur peccata, augeatur Gratia, & deſerviant ad vitæ emendationem.

Dixi ſimplicem commutationem faciendam eſſe in materiam moraliter æqualem; nam ſi commutationi diſpenſatio admiſceatur, certum eſt poſſe fieri in minus: ſicut enim per diſpenſationem, juſta interveniente cauſa, poteſt omnino auferri obligatio voti, multo magis poteſt in quid minus commutari.

Q. VI. Quomodo fieri debeat commutatio ratione Jubilæi.

R. I. Juxta dicta virtute Jubilæi non poteſt votum in minus commutari, nam ſimplex commutatio proprie importat æqualitatem. Nec ob id Jubilæum deſineret eſſe favorabile; nam tunc poteſt fieri commutatio a quocumque Confeſſario a Pœnitente electo, quod non evenit extra tempus Jubilæi. Præterea dum commutatio fit a Confeſſario, ſatis eſt, ſi ſit in moraliter æquale, quamvis evidenter non conſtat, ſed ſolum probabiliter, de tali æqualitate, Dum vero hoc fit propria authoritate, materia ſubrogata debet eſſe evidenter æqualis; nam alias ignoraretur, an eadem materia eſſet æque grata Deo, ac præcedens: *Salmant. tr. 17. c. 3. p. 14. nu. 130.* Ex hoc ergo etiam capite commutatio facta a Confeſſario tempore Jubilæi eſſet favorabilis: Qui cenſent, commutationem voti poſſe fieri in æquale propria authoritate, putant, virtute Jubilæi poſſe votum in minus commutari a Confeſſario, alias Jubilæum nullum afferret privilegium.

R. II. Virtute Jubilæi non poſſunt commutari vota facta in favorem alicujus tertii, ſi ab ipſo fuerint acceptata. Ratio eſt; quia quamvis vota principaliter Deo fiant, nihilominus, ſi cedant in favorem tertii, & ab ipſo fuerint acceptata, ſatis id eſt, ut acceptans acquiſierit jus reſpectu materiæ promiſſæ, adeoque non poſſunt talia vota relaxari, ſeu commutari ſine ipſius conſenſu. Secus eſſet, ſi nondum fuiſſent acceptata, quia tunc nullum jus aliquis fuiſſe adeptus: *Suar. t. 2. de relig. l. 6. c. 15. nu. 7. Sanch. l. 8. de matr. d. 9. n. 22 Navar. c. 12. nu. 78. Leſſ. l. 2. c. 30. dub. 11. nu. 80. & cap. 41. dub. 12. nu. 18.* aliique.

R. III. Ita traditur facultas commutandi vota tempore Jubilæi, ut ei, qui illud lucratus eſt, poſſint vota commutari etiam tranſacto tempore ejuſdem Jubilæi Ratio eſt, quia licet diligentia ad lucrandum Jubilæum ſit tempori alligata, non tamen eſt tempori alligatum privilegium commutandi vota: Sicut ergo qui lucratus eſt Jubilæum, poteſt, eo tranſacto, abſolvi a reſervatis ex facultate tradita tempore Jubilæi, ita qui tempore debito lucratus eſt Jubilæum, poterit virtute illius ſibi facere commutare vota, quæ eo tempore non fuerunt commutata: *Sanch. l. 7. de matr. diſp. 25. nu. 57.* & alii, quos ſequitur *Diana p. 5. tr. 12. reſol. 40.*

R. IV. Qui initio temporis Jubilæi fecit ſibi commutare vota, hæc non reviviſcunt, quamvis poſtea iſte non lucraretur Jubilæum. Ratio de ſe patet; nam ſuppono, talem commutationem non fuiſſe factam ſub conditione exercendi opera neceſſaria ad lucrandum Jubilæum, ſed factam fuiſſe abſolute, & ſine ulla conditione, onde ſtatim ſortitur ſuum effectum, & prior obligatio extinguitur, obligatio autem ſemel extincta nunquam reviviſcit. Addo, nec peccare mortaliter illum, qui animo lucrandi Jubilæum talem commutationem obtinuiſſet, & poſtea non præſtaſſet quæ requirebantur ad lucrandum Jubilæum; nam talem obligationem non impoſuit Confeſſarius, nec conſtat, talem eſſe S. Pontificis intentionem: *Sanch. l. 8. de matr. diſp. 15. n. 22. Trullench. l. 2. c. 2. dub. 47. n. 9. Bon. diſp. 4. n. 2. p. 7. §. 3. n. 18.*

Advertat denique Confeſſarius, quod requiſitus a Pœnitente, ut virtute Jubilæi ſibi votum commutet, peccat, ſi id renuat facere abſque juſta cauſa. Ratio eſt, quia cum ſit Judex conſtitutus in favorem petentis, facit illi injuriam, ſi neget illi poſſe frui privilegio ſibi conceſſo, Hinc *can. quanto 2. q. 5.* Epiſcopus denegans ſine juſta cauſa diſpenſationem petenti, dicitur infidelis. Et quidem peccaret mortaliter, ſi expoſtulans commutationem eſſet in gravi periculo tranſgreſſionis, & non facile illi eſſet habere alium Confeſſarium ad eam obtinendam. At hoc raro contingere poteſt, ac proinde Confeſſarius ſine juſta cauſa denegans præfatam commutationem, ordinarie loquendo, ſolum peccabit venialiter, eo quia parum incommodi afferat Pœnitenti, ſemper cum facile adire poſſit alium Confeſſarium, & ab eo valeat obtinere eamdem commutationem: *Sanch. l. 4. c. 54. n. 12.* aliique, quos ſequitur *Diana p. 3. tr. 1. reſol. 44.*

Notet etiam Confeſſarius, hujuſmodi commutationem fieri poſſe tam intra, quam extra confeſſionem, quia privilegium Jubilæi non limitat talem facultatem pro ſola confeſſione: *Bonac. diſp. 4. q. 2. p. 7. §. 3. num. 16.* & alii apud *Dian. cit. reſol. 45.*

Q. VII. An facta commutatione voti, teneatur aliquando vovens, vel illi liberum ſit redire ad priorem materiam.

R. I. Si commutatio voti facta ſit auctoritate Superioris, impoſſibilitata materia, in quam commutatum fuit votum, non tenetur vovens redire ad priorem materiam ſecus ſi commutatio facta fuerit authoritate voventis.

Prima pars reſponſionis exinde probatur, quia quando commutatio facta eſt authoritate Superioris, omnino extinguitur obligatio erga priorem materiam, cujus loco ſubrogatur obligatio erga materiam poſteriorem. Cum autem obligatio ſemel extincta nunquam reviviſcat: *leg. qui res §. Aream ff. de ſolut.* ſequitur, obligationem ad priorem materiam extinctam per commutationem factam a Superiore, nunquam reviviſcere, etiamſi culpa ipſius voventis facta fuerit impoſſibilis materia ſubrogata. Hinc ſi votum peregrinationis commutatum fuerit e. g. in aliquod jejunium, ſi vovens non poſſit jejunare, non tenetur ad peregrinationem: *Suar. t. 2. de relig. l. 6. c. 20. a num. 6. Pal. tr. 15. d. 2. p. 18. a num. 2. Laym. l. 4. cap. 8. num. 28.*

Secunda vero pars probatur, quia dum quis ſua ſponte, & vluntate commutat votum (quando ſcilicet ex dictis id poteſt facere) cum non valeat illud commutare quaſi habeat juriſdictionem ad obligationem auferendam, ſed ſolum quatenus per abundatiorem ſolutionem ſatisfit piiſſimo Creditori, inde eſt, quod ſi reddatur impoſſibilis materia, in quam fuit votum commutatum, redeundum eſt ad priorem obligationem, nam de facto non fuit per legitimam authoritatem extincta: *Tambur. l. 3. in Decal. c. 16. § 7. nu. ultim.*

R. II. Si commutatio facta fuerit in aliquid minus, aut etiam æquale, & pariter ſi facta fuerit in aliquid melius ab ipſo vovente acceptatum, liberum ſemper illi eſt ad priorem materiam redire. Quod liberum illi ſit ad priorem materiam redire, ſi commutatio facta ſit in quid minus, vel æquale, patet, quia talis commutatio fit in gratiam, & favorem Pœnitentis, & ut facilius impleat, quod Deo promiſit; unde cum unuſquiſque renunciare valeat beneficio, & favori ſibi collato, etiam poſtquam

Ipſum

ipſum acceptavit, conſequens, eſt poſſe propria authoritate ad priorem redire materiam; *Suar. l. 6. c. 20. num. 4. Sanch. l. 4 c. 55. n. 26.*

Idem etiam præſtare valet, ſi commutatio facta fuit in melius, quamvis id fuerit a vovente acceptatum. Ratio autem eſt, quia licet commutatio facta fuerit in materiam meliorem, ſemper nihilominus verificatur, factam fuiſſe in favorem voventis, ut ſcilicet facilius, & jucundius materiam ſubrogatam exequatur: unuſquiſque autem renunciare poteſt illi, quod pro ſe fuit introductum: *cap. ſtatuimus de regul. jur.* Accedit, videri commutationem in melius ſemper includere hanc tacitam conditionem, ſi maluerit ad priorem materiam redire. Inſuper non eſt judicandum, Deum tam rigidum eſſe ſui juris exactorem, ut in favorem voventis nolit aliquam illi adhibere remiſſionem, adeoque permittere, ut ad priorem redeat materiam: *Sanch. cit. Azor. l. 11. c. 18. q. 10. & 11. Laym. l. 4 tr. 4 c. 8. num. 27. Tambur l. 3. c. 16. §. 7. num. 4.*

Limitanda tamen venit hæc doctrina in caſu, quo quis novo vinculo voti voluiſſet ſe obligare ad meliorem materiam, in quam ſuum votum commutaſſet; nam ex novo voto conſurgeret nova obligatio, quam non poteſt quis in materiam minus gratam commutare propria authoritate; quod ſequeretur, ſi facta commutatione in melius, rediret ad priorem materiam. Ultraquamquod ſi quis ad meliorem materiam ſubrogatam novo, & diverſo voti vinculo ſe obligaverit, teneretur non ſolum ad hoc novum votum, ſed etiam ad primum; nam per novum votum de re perfectiori non extinguitur primum de re minus perfecta: *Sanch. c. 55. n. 51. Bonac. diſp. 4. q. 2. q. 7. §. 3. n. 23.*

Q. VIII. Quæ ſint vota, quorum diſpenſatio, aut commutatio ſoli Pontifici reſervatur.

R. Vota certa, abſoluta, & perfecta, ſimplicis Caſtitatis, Religionis ingrediendæ, & triplicis peregrinationis, nimirum eundi ad Terram Sanctam, Romam ad limina D. Petri, Compoſtellam ad D. Jacobum, ſunt Papæ reſervata, ut conſtat *cap. ex multo, cap. ſuper hii Extra. de vot. & cap. ſi Dominici il 2. de Pœnit. & remiſſ.* Hujus autem reſervationis rationem dat *S. Th. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 3.* quia ſcilicet res arduæ, difficiles, & extraordinariæ nonniſi ad ſupremum Caput & Principem debent pertinere. Præter quinque ſupra enumerata non eſt reperire aliud votum Papæ reſervatum, quia cum reſervatio ſit odioſa, non debet introduci, niſi probetur ex manifeſto uſu, vel conſuetudine; unde cum ex his non ſatis conſtet, adeſſe aliud votum Papæ reſervatum, non ſunt attendendi illi Authores, qui aliquod aliud votum Papæ reſervatum adſtruere contendunt. *Suar. l. 6. de vot. c. 21. a n. 2. Leſſ. l. 2. c. 40. dub. 18. Laym. l. 4. tr. 8. c. 8. n. 7.*

Dixi, præfata vota cadere ſub reſervatione, ſi ſint certa abſoluta, & perfecta, idque ex fundamento jam attacto, quia nempe reſervatio ſemper cenſenda eſt odioſa, adeoque ſtricte interpretanda, ita ut minus quoad fieri poteſt, adimatur, & coarctetur ordinaria poteſtas Prælatorum.

Ex hoc inferunt DD. non eſſe reſervata præfata vota, ſi vovens voluit ſe tantum ſub veniali obligare, quia non intelliguntur perfecta, dum intentio voventis non eſt materiæ proportionata: *Sanch. l. 4. c. 40. num. 47. Trull. l. 2. c. 2. d. 39. nu. 14.* Item non eſt reſervatum votum caſtitatis partialis, quia non eſt integrum, & perfectum, ut eſſet non fornicandi, non nubendi, ſervandi caſtitatem ad tempus &c. *Sanch. l. 9. n. 7. Fagund. l. 2. c. 42. n. 9.* & multo magis non eſt reſervatum votum de voto caſtitatis faciendę, de voto ingrediendæ religionis, aſſumendi Ordines ſacros &c. *Suar. l. 6. c. 11. n. 7. Anton. a Spir. S. in Direct. regul. tr. 2. diſp. 3. ſect. 2. nu. 81.*

Item non ſunt reſervata prædicta vota facta ſine plena, integra, & expedita libertate, quia non ſunt perfecta. Ita ſe habent vota facta ex metu etiam levi ad ea extorquenda: *Tambur. de jur. Abbat. t. 2. diſp. 19. q. 100. n. 17.* & alii apud *Dian. p. 1. tr. 11. reſol. 73.* Idem dicunt de votis emiſſis ab impuberibus, eo quod in eis non eſt perfecta deliberatio & promiſſio: *Viva de Jubil. q. 12. art. 2. n. 7.*

Item bene affirmatur, quamvis in hac materia diverſæ dentur opiniones, non eſſe reſervata vota vere conditionata, ut ſi quis voviſſet religionem, ſeu caſtitatem, ſi convaleſcat; nam tunc votum non eſt perfectum, utpote potius emiſſum ex affectu ad conditionem, ut patet in exemplo allato. Multo autem magis id verificatur in votis pœnalibus, ut ſi quis voveret religionem, ſi luderet; nam in his nullus affectus datur ad rem promiſſam, ſed potius quia vovens illam averſatur, vult timore ipſius a peccato retrahi. Neque obſtat jam adimpletam fuiſſe conditionem, ſub qua quis vovit; nam licet tunc adſit obligatio voti adimplendi, non tamen conſurgit reſervatio, quæ attendenda eſt juxta modum, quo quis perfecte vel imperfecte votum emiſit, *Sanch. l. 8. de matr. d. 10. n. 13. Tolet. l. 4. c. 17. n. 11. Tambur. de jur. Abb. diſp. 19. q. 10. n. 39. Bordon. c. 1. reſ. 5.* Vide etiam quæ dicam in regulis infra apponendis. Dixi ſupra, vota *vere conditionata*, unde videnda quæ dixi ſupra de voto conditionali.

Item non ſunt reſervata vota *disjunctiva* de materia reſervata, & non reſervata: ut ſi quis voveret vel caſtitatem, vel inſervire in Xenodochio; nam tunc non apparet perfectus affectus erga caſtitatem, cum poſſit alteram partem eligere. Neque obſtaret, aliquem jam caſtitatem elegiſſe, nam illud votum jam ex primæva ſua origine eſt commutabile, *Viva de Jubil. q. 12. a. 2. n. 4.*

Item ſunt commutabilia vota ex dictis reſervata, ſi non ſint emiſſa ex devotione ad ea particularia vota, de quibus ſermo eſt in reſervatione talium votorum. Ita non eſſet reſervatum votum peregrinationis Romanæ, ſi non emiſſum fuiſſet ex devotione inviſendi limina Apoſtolorum, ſed alia S. loca: *Sanch. l. 4. c. 40. n. 77. Pal. diſp. 2. de vot. part. 13. n. 3. Tamb. l. 3. Decal. cap. 16. §. 4. n. 26.*

Cæterum generaliter attendendum, quod ſi aliqua ratione prudenter dubitetur, an aliquod votum ſit reſervatum, judicandum eſt non reſervatum: *Suar. l. 6. c. 26. n. 6. Laym. l. 4. tr. 5. c. 8. n. 14. Tamb. l. 1. in Decal. c. 3. §. 7. n. 15.*

Demum notandum, quod ſi votum reſervatum commutetur in votum, ſeu materiam non reſervatam, iſtud non eſt reſervatum, nam reſervatio afficit materiam voti, unde ſi hæc non eſt reſervata, ceſſat reſervatio. Illa autem regula, quod ſubrogatum ſapit naturam illius, cui ſubrogatur: *leg. unic. C. de rei uxor. act.* admittenda non eſt in odioſis, & maxime quoad ea, quæ per accidens adhærebant rei commutatæ: *Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. n. 13. Tamb. l. 1. in Decal. c. 16. §. 5. n. 33. & 34.*

Q. IX. An ſicut reſervantur præfata quinque vota, ſic etiam ſint reſervata juramenta, quæ fierent de iiſdem rebus, ſcilicet de Caſtitate, Religione &c.

R. Inter diverſitatem ſententiarum ſic diſcurrendum cenſeo. Si qui jurat, facit juramentum ipſi Deo, & cognoſcit, vel intendit ſe taliter obligare, ac ſi faceret votum, tunc tale juramentum cenſetur reſervatum, ſicut ſi emiſſum fuiſſet votum. Dixi, *ſi cognoſcit ſe obligare, ac ſi faceret votum*, nam qui facit Deo juramentum promiſſorium, idem eſt ac ſi Deo faciat aliquam promiſſionem; & ita de facto tale juramentum votum includit. Si vero non cognoſcit, ſuum juramentum includere votum, & putat, adeoque intendit ſe obligare diverſo vinculo a vinculo voti, tunc ſequitur tale juramentum cenſendum non reſervatum. Et de facto diverſa ſunt vincula voti, & juramenti, nam vinculum voti conſurgit ex obligatione immediate facta ipſi Deo, illi aliquid promittendo; vinculum vero juramenti, ſecundum quod a voto diſtinguitur, non eſt ex promiſſione facta ipſi Deo, ſed ſolum ex eo quod advocetur in teſtem de aliqua re facienda; bene ergo poteſt quis diverſo modo ſe obligare aliquid Deo vovendo, ac jurando ipſi Deo ſe velle aliquid facere. Hac ratione docet *D. Th. 2. 2. q. 89. a. 8.* vinculum voti eſſe fortius, quia in voto fit promiſſio ipſi Deo; in juramento vero Deus ſolum adducitur ad confirmandam factam promiſſionem. Nec obſtat, aliquando vota firmari juramento, quia hoc non probat juramentum eſſe vinculum fortius, ſed hoc fit ut per duas res immobiles major firmitas habeatur, ut docet *D. Th. loc. cit. ad 2.*

Q. X. Quid attendendum ſit, ut intelligatur conceſſa facultas diſpenſandi in præfatis votis Papæ reſervatis.

R. Advertat Confeſſarius in generali facultate diſpenſandi, ſeu commutandi omnia vota, non includi facultatem diſpenſandi, ſeu commutandi vota reſervata. Ita deciſum habetur *Extra. & ſi Dominici 2. de pœnit. & remiſſ. ex reg. 81. de reg. jur. in 6.* quia ſcilicet *in generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſet quis veroſimiliter conceſſurus &c.* Requiritur igitur quoad hæc ſpecialis licentia, five ſaltem generalis facultas cum clauſula quod extendi poſſit etiam ad vota reſervata; in facultate au-

autem conceſſa diſpenſandi reſervata ſine ulla exceptione includitur facultas diſpenſandi omnia reſervata, quia non eſt major ratio, cur potius de uno, quam de alio veniat intelligenda. Si vero concedatur facultas diſpenſandi, ſeu commutandi omnia vota, hoc vel illo excepto, e. g. excepto voto caſtitatis, tunc intelligitur conceſſa facultas quoad cætera reſervata, quia ex communi DD. conſenſu, exceptio firmat regulam in contrarium in caſibus non exceptis: *cap. 2. de conjug. leproſ. can. Dominus 32. q. 7.* Cæterum facultas conceſſa pro uno non extenditur ad aliud, etſi æqualia videantur; ſufficit enim quod ſint diverſa, ut diverſimode ſit diſcurrendum *Suar. l. 6. de vot. c. 25. n. 4. Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. n. 7. Baſil. l. 8. c. 10. n. 5. Pal. tr. 16. d. 2. p. 13. a n. 2.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Prima regula neceſſario obſervanda, & quæ multoties poteſt filios a gravibus votorum obligationibus liberare, eſt, quod omne votum filii impuberis poteſt irritari, a Patre, vel Matre, ſeu his deficientibus, a Tutore; & id etiamſi attigerit annos pubertatis, dummodo tunc non fuerit tale votum ratificatum. Hinc ſi accedat ad Confeſſarium filius impubes, ligatus voto etiam Religionis, Caſtitatis perpetuæ &c. poteſt facile illius conſcientiæ mederi, remittendo illum ad aliquem ex prædictis pro irritatione, & eo maxime ſi ſaltem Filium voti emiſſi pœniteat. Nec eſt neceſſe ut pro talibus votis irritandis Pater &c. cauſam expoſcat; nam ad differentiam diſpenſationis, quæ nec licite, nec valide fit abſque juſta cauſa, nulla requiritur cauſa pro irritatione. Videantur dicta ſuo loco, ubi etiam adnotatum eſt, vota realia poſſe a Curatore, Tutore &c. irritari, quoadusque Filius eſt in ſtatu Minoritatis.

Quod dictum eſt de votis Filiorum, omnino etiam verificari poteſt de votis Uxorum, ſi placeat ſequi noſtram ſententiam, qua diximus, poſſe Maritum omnia vota tum realia, tum perſonalia Uxoris irritare, etiamſi forent exequenda poſt mortem ipſius.

II. Cum certum ſit, neminem diſpenſare debere in aliquo voto, niſi adſit juſta cauſa; univerſaliter Confeſſarius advertat, quod ſi detur cauſa ſufficiens pro integra, & abſoluta diſpenſatione, poteſt etiam dari integre, & abſoluta abſque ulla mixtione commutationis. Ut autem judicetur dari hanc cauſam ſufficientem, non eſt omnimode certitudo talis cauſæ inquirenda; ſed bene attendi poteſt arbitrium Viri prudentis, alias difficile eſſet talem cauſam adinvenire, & diſpenſatio ſemper eſſet infinitis ſcrupulis obnoxia. Si vero non conſtiterit arbitrio viri prudentis dari cauſam ſufficientem ad integram, & abſolutam diſpenſationem, tunc neceſſarium puto aliquid commutationis admiſcere, ut ſuppleatur ſi quid deſit pro abſoluta diſpenſatione. Ita etiam colligitur *ex c. 2. & c. magnæ de vot.*

III. Notare item debet Confeſſarius cauſas diſpenſationis reduci ad imperfectam libertatem in vovendo, ad difficultatem exequendi, vel ſi diſpenſatio voti conducere poſſit ad majus bonum commune; ſed etiam privatum ipſius voventis.

Ex primo capite poſſunt diſpenſari vota facta ex metu etiam levi, & ex errore circa cauſam impulſivam; vel etiam ſi ſint facta ex triſtitia, timore naufragii, vel ex aliqua alia paſſione. Et quidem, ſi vota ita facta; emiſſa fuerunt abſque omnino perfecta, & matura deliberatione, præſtant cauſam ſufficientem integræ, & abſolutæ diſpenſationi. Hinc quia ſemper vota impuberum præſumuntur facta præcipitanter, & cum aliquo libertatis defectu, poſſunt abſolute, & integre diſpenſari; neque enim credendum eſt, Deum ita rigide acceptare obligationem in tenera ætate ſuſceptam, ut non valeat ab Eccleſiæ Prælatis diſpenſari. Idem dicendum de votis Adultorum, ſi facta ſint ſine plena libertate, & deliberatione; & eo maxime ſi metus etiam levis incuſſus fuiſſet ad votum extorquendum; cum conſonum ſit credere, Deum facillime remittere obligationem, cui dedit cauſam aliqua injuſtitia. Si vero votum, cui dedit occaſionem metus, vel aliqua alia paſſio, ſeu timor factum fuerit cum plena, & matura deliberatione, tunc non eſt abſolute concedenda diſpenſatio, ſed debet uniri cum aliqua commutatione. Eodem modo ſe gerat Confeſſarius, ſi fuit error circa cauſam impulſivam; vel ſi talis cauſa ceſſet.

Ex ſecundo capite, ſcilicet ob difficultatem exequendi votum, Confeſſarius habens facultatem poteſt diſpenſare illum, qui eſt in periculo tranſgreſſionis, ſive id ſit ob ipſius fragilitatem, ſive ex malitia, ſemper enim verificatur, tale votum potius eſſe in laqueum, quam in profectum voventis. Etiamſi vero non ſit periculum tranſgreſſionis, adhuc intervenit juſta cauſa diſpenſandi, ſi ſuperveniat difficultas non exigua ab initio non prævisa, quia conforme eſt Benignitati Divinæ, ut remittatur obligatio, quæ ob non prævisam difficultatem non facile executioni mandatur. Hanc doctrinam non ſine fundamento extendunt etiam ad caſum, quo ab initio prævisa fuerit talis difficultas; nam cum poſtea res eſt executioni mandanda, difficultas in abſtracto prævisa multo gravior, & majoris incommodi ſolet experiri. Ex difficultate etiam in exequutione voti oritur ſufficiens cauſa diſpenſandi vota ſcrupuloſorum; nam in praxi videmus quod ſi ſcrupuloſus fecit e. g. votum de recitando Roſario, ita ſcrupuloſe attendit, an habuerit ſufficientem attentionem, an integre recitaverit &c. ut paſſim repetat, & numquam quieſcat.

Ex tertio capite diſpenſare poteſt Confeſſarius voventem, ſi dubitetur, an ipſius votum ſit impeditivum majoris boni, ut ita ſecurior reddatur conſcientia voventis. Item ſi diſpenſatio voti eſſet potius in majus bonum ipſius, quam ipſius executio; nam majus bonum voventis eſt, id, quod per votum intenditur. Hinc ſi Confeſſarius prævideat, quod vovens a implendo votum e. g. alicujus peregrinationis, potius diſſipabitur, & ex itinere jacturam faciet devotionis, debet illum diſpenſare. Idem dicas, ſi executio talis voti impediret aliquod bonum notabile vel familiæ ipſius voventis, vel Civitatis &c. ſeu ſi in ipſius abſentia grave detrimentum poſſent ſubire. Eodem modo diſcurrendum, ſi ob obſervandum e. g. votum caſtitatis non poſſit quis ducere Uxorem, unde graves orituræ ſint diſcordiæ, aut illuſtris familia non conſervanda, vel ſi obſervandum votum jejunii, aut valde frequenter orandi, non poſſit quis vacare concionibus, vel alios edocere cum gravi aliorum detrimento. Expediet tamen ut plurimum diſpenſationi aliquid admiſcere commutationis. Id autem maxime habere locum ſciat Confeſſarius, dum dubitetur, an cauſa ſibi propoſita ad obtinendam diſpenſationem ſit ſufficiens, nec ne; quamvis etenim diſpenſatio ſit odioſa, facultas ad diſpenſandum eſt favorabilis, utpote beneficium Principis nemini nocivum, adeoque extendenda etiam ad caſum, in quo dubitetur de cauſæ ſufficientia. E contra vero quia dubitatur de ſufficientia cauſæ, admiſcenda eſt aliqua commutatio, ut non omnino auferatur obligatio, dum timetur non dari cauſam ſufficientem ad eam omnino auferendam.

IV. Eo quod quinque vota Papæ reſervata non cenſenda ſint reſervata, niſi ſint certa, perfecta, & abſoluta, ſciat Confeſſarius, non eſſe reſervatum e. g. votum Caſtitatis, vel Religionis, ſi ad illud vellet quis ſe obligare ſolum ſub culpa veniali, quia non eſſet integrum, & perfectum. Propter eamdem rationem non eſt reſervatum hujuſmodi votum, ſi non factum ſit cum plena, expedita, & perfecta libertate.

Ut autem id plenius exemplificetur in voto caſtitatis, obſervandum eſt, non eſſe reſervatum tale votum factum ad tempus, vel non integræ, & omnimodæ caſtitatis: ita eſt votum non ſe polluendi, non ſe turpiter tangendi, vel aliam perſonam, non contrahendi matrimonium; non petendi debitum, non violandæ virginitatis; ſi forte per tale votum quis non intenderet abſtinentiam a quocumque actu venereo. Item non eſt reſervatum votum de ſuſcipiendis Ordinibus ſacris, quia non eſt votum caſtitatis promiſſæ, ſed promittendæ, nec votum ſervandæ caſtitatis conjugalis &c.

Idem dicendum, ſi votum de caſtitate perpetua ſervanda factum ſit ſub disjunctione: ut ſi quis faceret votum vel de ſervanda perpetua caſtitate, vel de danda tali eleemoſyna, quia cum non fecerit votum ſimpliciter de caſtitate ſervanda, jam non eſt perfectum votum Caſtitatis. Ultraquam quod ſemper in ejus voluntate non eligere caſtitatem, ſed eleemoſynam, & ſic non habet locum reſervatio. Id verificatur etiamſi quis elegerit potius caſtitatem, quam eleemoſynam, quidquid non pauci dicant in contrarium.

V. Ad bene dignoſcendum quando vota non ſint reſervata, eo quod non ſint abſoluta, ſed conditionalia, recolenda ſunt a Confeſſario quæ alias diximus, ſcilicet non reddere conſenſum conditionatum conditionem de præterito, vel de præſenti: ut ſi quis voveret caſtitatem, ſeu religionem, ſi Pater jam obiit, vel ſi Pater vivit; nam

vel

Digitized by Google

vel iſtæ conditiones ſunt, ſeu fuerunt, & ſtatim conſurgit obligatio, vel non ſunt, ſeu non fuerunt, & ſtatim evaneſcit. Idem dicendum de conditione de futuro neceſſario, ut ſi quis diceret, voveo caſtitatem, ſi cras die eluceſeet &c. tales enim conditiones habetur pro non adjectis. Non faciunt pariter votum conditionarum eonditiones naturaliter imbibitæ in quocumque voto: ut ſi dicerem, voveo eaſtiiatem ſi vixero, ſi Pater non irritet meum votum, ſi Deus voluerit, ſi non ero impeditus &c.; cum etenim hujuſmodi conditiones in omni voto includantur, non impediunt quin votum ſit abſolutum, etiamſi tales eonditiones expreſſe a vovente apponerentur. Denique obſervare debet Confeſſarius, an conditio apponatur ad deſignandum tempus, quando votum eſt mandandum execunoni, vel ad ſuſpendendam ipſius obligationem, quoaduſque adveniat conditio. In primo caſu conditio non tollit quin votum ſi abſolutum, in ſecuudo vero redit votum conditionatum. Exemplum ſit in co, qui voveret caſtitatem, ſit attigerit annum vigeſimum: hujuſmodi conditio deſignat tempus, quo votum eſt implendum, & non reddit votum conditionatum, ſi forte vovens non habuiſſet intentionem non ſe obligandi uſque ad illud tempus. Si vero quis voveret caſtitatem, ſi poſtquam attigerit annum vigeſimum, Pater non tradet ipſi, quæ eonveniunt ad ſui decentem ſuſtentationem, talis conditio ſuſpendit obligationem uſque ad illud tempus, cum appareat, voventem velle ſe obligare ſolummodo in caſu, quo non provideatur, ipſi a Patre.

Votum igitur conditionatum, quod non ſubjacet reſervationi, eſt votum pendens a conditione contingente de futuro, ſive iſtud votum ſi pure eonditionale, ſive etiam pœnale. Aliqua opponam exempla. Non erit votum reſervatum, ſi vovens e. g. caſtitatem, ſeu Religionem &c. diceret, voveo caſtitatem ſi Pater conſenſerit, ſi Confeſſarius conſenſerit, ſi convaluero, ſi tale negotium felicem habebit finem, ſi incolumis evadam e manibus inimici. Item ſi dieeret, voveo caſtitatem, ſe Religionem, ſeu Romanam Peregrinationem ad limina Apoſtolorum, ſi luſero, ſi commitam tale peccatum &c. Hec omnia, & ſimilia, cum faciant, ut votum a ſui initio non ſit perfectum, & conſummatum, faciunt etiam, ut non ſit reſervationi ſubjectum.

Credo etiam, Confeſſarium poſſe idem facere judicium de hujuſmodi votis etiam quando adimpleta eſt conditio, quamvis non pauci Theologi contradicant. Si igitur aliquis e. g. voverit caſtitatem, ſi eonvaluerit, puto, tale votum non eſſe Papæ reſervatum, etiam poſtquam adeptus fuit ſanitatem. Ratio mihi eſt, quia ex omnium Theologorum ſententia hujuſmodi votum intelligendum eſt Papæ reſervatum, ſicut & cætera ſupra enumerata, quando fuerunt perfecta, & complera, hoc eſt, quando fuerunt ſacta ex affectu pleno, & perfecto erga materiam voti; nam hac ratione quinque plures enunciata vota fuerunt reſervata. Dum autem quis vovit e. g. caſtitatem ſub aliqua conditione, potius movetur ex affectu, & voluntate ad eonditionem, quam ad caſtitatem; ut dum quis vovet caſtitatem, ſi convaluerit; peregrinationem, ſi Navis, in qua plures habet merces, portum attingat; patet enim, affectum voventis potius eſſe erga ſanitatem, & divitias, quam erga caſtitatem, & religionem. Id etiam magis eonſtat in votis pœnalibus; nam qui e. g. vovit caſtitatem, & religionem, ſi luſerit, non habet effectum ad caſtitatem, ſeu religionem, ſed potius hujuſmodi adverſatur, & proinde vult ſe retrahere a ludo timore ipſarum.

Quamvis igitur ſemper verificetur, purificata conditione, obligationem ab ea pendentem tranſire in puram, & abſolutam, adeoque teneri voventem abſolute, & ſimpliciter ad votum, nihilominus quia reſervatio voti metienda eſt ex modo perfecto, vel imperfecto vovendi, cum etiam poſt adimpletam conditionem verificetur votum ſub conditione emiſſum ſemper fuiſſe imperfectum inde eſt non ſubjacere reſervationi. Limita hanc doctrinam in caſu, quo vovens poſt adimpletam conditionem iterum voviſſet ſimpliciter, & abſolute caſtitatem, religionem &c. quia tunc conſurgeret novum votum abſolutum, & perfectum, & proinde Papæ reſervatum.

Et hæc ſatis ſunt, ut Confeſſarius dignoſcere poſſit in quibus caſibus vota ſint Papæ reſervata, nec ne.

APPENDIX DE ADJURATIONE.

PRemendo quamplurimum Theologorum veſtigia in explicatione ſecundi Decalogi Præcepti, quo dicitur, non aſſumendum nomen Domini in vanum. agam & ego hic breviter de Adjuratione, & in ipſa etenim nomen Divinum aſſumitur, ut bene notat *D. Th. 2. 2. q. 90.*

Q. I. Quid ſit adjuratio, & quotuplex.

R. I. Ex *D. Th. 2. 2. q. 90. art. 1.* Adjuratio poteſt ita definiri: *Conteſtatio rei ſacræ, per quam adjuratus imperio, aut obſecratione inducitur ad aliquid faciendum, vel omittendum.* Dicitur *conteſtatio rei ſacræ &c.* quia adjurare nil aliud eſt, quam aliquid petere propter Deum, ſeu Sanctos, ut ipſorum timore, vel amore aliquid fiat, ſeu omittatur. Differt igitur adjuratio a juramento, quia in juramento adducitur Deus ut teſtis veritatis; in adjuratione vero adducitur ut objectum amoris, vel timoris illius, qui adjuratur, ut ita moveatur ad faciendum aliquid, vel omittendum. Purificantur autem in hoc, quod ſicut ad honeſte jurandum requiruntur *Veritas, Judicium, & Juſtitia*, ita hujuſmodi debent eſſe comites adjurationis. Tune autem datur *veritas* in adjuratione, quando procedit vero animo impetrandi poſtulata; quando adjuratio ſit per Deum verum, non falſum; & quando adhibetur verum motivum adjurationis. *Juſtitia* expoſcit, ut id, quod adjuratione poſtulatur, ſit honeſtum; valde enim Deo, vel Sanctis injurioſum eſſet, aliquod turpe ob ipſorum amorem, ſeu timorem poſtulare. Demum *Judicium* in adjuratione intervenit, quando non ſit paſſim, & ſine juſta eauſa. Verum tamen eſt, quod ſi adjuratio non fieret per falſum Numen, vel ab obtinendam rem graviter turpem, non tam facile eſt intervenire in adjuratione, cui deeſt judicium, grave peccatum.

R. II. Adjuratio multipliciter dividitur. Alia igitur eſt adjuratio deprecativa, alia imperativa. Deprecativa tunc datur, quando conteſtamur per aliquam deprecationem; ut quandu Eccleſia Deo proponit merita Chriſti, & Sanctorum, ut poſtulata concedat. Imperativa tunc datur, quando per conteſtationem Dei ſubditis imperamus; & ita Eccleſia exorciſmis adjurat Dæmones. Secundo, alia eſt adjuratio propria, alia impropria. Prima eſt, dum conteſtamur Deum, vel Sanctos, conſiderando ipſorum ſanctitatem, quatenus illam a Deo habuerunt. Si vero conteſtamur Sanctos ſecundum ſe, & eorum excellentiam, non conſiderando quam habent ipſorum merita relationem ad Deum, talis adjuratio dicitur impropria, & eſt multo minoris efficaciæ, quam prima. Tertio, dividitur in ſolemnem, quæ ſeilicet ſit per Miniſtros Eccleſiæ, modo ab ipſa tradito, & privatam, quæ fieri poteſt a quolibet, & caret omni ſolemnitate.

Q. II. Qui valeant adjurare; & qui adjurandi ſint.

R. I. Adjuratione privata tam Deus, quam omni Creatura rationalis poteſt adjurare. Id patet, quia nil obſtat quin Deus propter ſui amorem velit adducere Creaturas ad aliquid faciendum, vel omittendum. Item non ſolum Angeli boni, ſed etiam mali, ſicut & quæcumque Creatura rationalis poteſt alicui nomen Dei, & Sanctorum proponere ad poſtulata impetranda, quod eſt proprie adjurare. Cæterum, quia poteſtas Dæmones ejiciendi enumeratur inter gratias gratis datas *1. ad Cor. 12.* ideo poteſt in quibuſdam ſpecialiter elucere, cum Spiritus S. dividat ſua dona, prout vult.

R. II. Adjuratione ſolemni ſolum exorciſtæ poſſunt adjurare. Cum igitur Deus tradiderit ſuæ Eccleſiæ adjurandi poteſtatem, ut patet ex pluribus S. Scripturæ textibus, & præcipue *Marc. 16.* ubi dicitur; *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient*, inſtitutus eſt ſpecialis Ordo Exorciſtarum, in quo confertur poteſtas ad Dæmones ſolemniter adjurandos. Quamvis autem hanc poteſtatem habeant Exorciſtæ ab Ordine, nihilominus omnes fatentur valde juvare ad Dæmones arcendos, ſi Exorciſta puritate conſcientæ polleat, ſi ferventi orationi inſiſtat, ſi jejuniis, aliiſque mortificationibus ſe affligat, ſi Divino flagret amore; & ſi maxima cum humilitate certamen ineat cum Principe tenebrarum, unice expectando victoriam a Divino auxilio.

R. III. Adjuratione deprecativa poſſunt adjurari Deus, & Sancti omnes. Patet reſponſio, quia ſæpe adjuratur Deus, dum illi repræſentando ſuam infinitam bonitatem, merita Chriſti, ſicut etiam & merita Sanctorum, petimus, ut plura nobis conferat beneficia. Sancti etiam adju-

rantur, dum ab ipſis propter Dei amorem petimus, ut velint nobis aliqua impetrare; & idem dicendum, dum eodem modo adjuramus cæteras creaturas rationales, Dæmone excepto.

R. IV. Licitum eſt adjurare Dæmones adjuratione imperativa, non vero deprecativa. Quod nobis competat eos adjurare adjuratione imperativa patet primo, quia Eccleſia conferendo Exorciſtis virtutem ſibi a Chriſto datam, illos conſtitui Dæmonibus ſuperiores: unde poſſunt, & debent illis imperare, exercendo illam poteſtatem, de qua dicitur *Luc.* 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper Serpentes, & Scorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Eamdem ſuperioritatem tradit Chriſtus omnibus Fidelibus, juxta illud Marc. ultim. *Signa eos qui crediderint hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia ejicient &c.* omnibus ergo Fidelibus datum eſt adjuratione coactiva, & imperativa Dæmones adjurare, quamvis poteſtas Ordinis Exorciſtatus ſolum reperiatur in iis, qui talem Ordinem receperunt.

Dixi non licere adjurare Dæmones adjuratione deprecativa, quia, ut ait *D. Thomas* 2. 2. *quæſt.* 90. *art.* 2. *Ille modus adjurandi videtur ad quamdam benevolentiam, vel amicitiam pertinere, qua non licet ad Dæmones uti... Nec licitum eſt adjurare ad aliquid ab eis ediſcendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum, quia hoc pertinet ad aliquam ſocietatem cum ipſis habendam, niſi forte ex ſpeciali inſtinctu, vel revelatione Divina aliqui Sancti ad aliquos effectus Dæmonum operatione utantur.* In adjuratione igitur Dæmonum non ita anteponendum eſt nomen Dei, Sanctorum &c. quaſi velimus eos expellere propter amorem Dei, vel Sanctorum, ut fit adjuratione deprecativa, ſed adducitur nomen Dei, Sanctorum &c. ut Dæmones territi pareant mandatis de exeundo a corpore obſeſſi: *Suar. t.* 2. *de relig. l.* 4. *c.* 3. *n.* 6. *Filiuc. tr.* 24. *c.* 8. *n.* 207. *Bonac. diſp.* 2. *q.* 1. *p. ult. n.* 2.

R. V. Non licet adjurare Creaturas irrationales. Ratio eſt, quia non ſine irreverentia vane, & inutiliter applicarentur Exorciſmi Eccleſiæ; id autem ſequeretur, ſi adjurarentur Creaturæ irrationales, nam nequeunt percipere verba adjurantis, & Eccleſiæ excorciſmos. Hinc dum Eccleſia adhibet exorciſmos contra Locuſtas, Bruchos, Nubes &c. non immediate contra eos adhibet, ſed eos dirigit in inviſibiles Motores ipſorum, qui ſunt Dæmones, ut legenti conſtabit.

Q. III. Quid ſint Exorciſmi; & quæ ipſorum efficacia.

R. I. Exorciſmus nil aliud eſt, quam illa ratio, qua adjurantur Dæmones per Deum, & coguntur exire e corpore obſeſſi. Chriſtus Dominus aliquando expulit Dæmones ſolo verbo, aliquando verba, & orationes adhibuit, ut patet *Matth.* 9. & *Marc.* 7. Apoſtoli expellebant Dæmonia in nomine Chriſti, ut videre eſt *Actor.* 16. Modo Eccleſia approbavit ampliorem uſum exorciſmorum, ut conſtat ex Rituali Romano.

Ultra Exorciſmos, ut dixi, quædam alia adhibet Eccleſia in adjurando Dæmones. Inter hæc primum obtinet locum invocatio Nominis Jeſu, cum dixerit Chriſtus Dominus *Marc.* 16. *In nomine meo Dæmonia ejicient &c.* Secundo, adhibet Crucem Chriſti, qua primo poteſt abjici Dæmon, quia Deus illa uti velit tamquam inſtrumento ad illos expellendos, quo pacto ſepe ea uſus eſt ad plura facienda miracula. Denique Chriſti cruce abjiciuntur Dæmones, quia eſt objectum ipſis horrorem incutiens. Sicut ergo canis odit baculum, quo fuit percuſſus, ita Dæmon odit Crucem, qua fuit devictus; & proinde potius eligit relinquere obſeſſum incolumem, quam ſuſtinere Crucem cum tanta ſui moleſtia.

Eadem fere ratione quandoque Dæmones expelluntur uſu Reliquiarum Sanctarum; Sanctos etenim ſummopere odio habent, & quia occupant ſedes, quæ ipſis in Cœlo erant deſtinatæ, & quia pluries Dei Gratia illos vicerunt; eorum proinde viſis Reliquiis contriſtantur, nec valentes ipſarum præſentiam ſuſtinere recedunt ab obſeſſis.

Quædam alia adhibet Eccleſia ad terrendos, & fugandos Dæmones, ut Agnos Cereos &c. qui vulgo vocantur Agnus Dei, & id, quia hujuſmodi ſpecialiter benedicuntur ad Dæmones repellendos. Inter hæc primum obtinet locum Aqua luſtralis, ſeu Aqua ab Eccleſia benedicta; nam in ea benedicenda Eccleſia ſpecialiſſime orat, ut valeat ad fugandos Dæmones, morboſque pellendos, & æquum eſt, Chriſtum ſponſæ ſuæ preces benigne audire.

R. II. talis eſt efficacia Exorciſmorum, ut ſemper aliquem effectum producant in ordine ad expellendos Dæmones. Pro probatione illorum, quæ in hac reſponſione aſſeruntur, obſervandum, eſt quod ſi nolumus concedere Ordini Exorciſtatus virtutem ex opere operato expellendi Dæmones, quatenus quamplures negant eſſe Sacramentum, nihilominus talis virtutis illi concedenda eſt, quatenus eſt ordo ab Eccleſia inſtitutus. Cum enim, ut ſupra dictum eſt, Chriſtus tradiderit ſuæ Eccleſiæ poteſtatem fugandi Demones, & ipſa velit hujuſmodi poteſtatem tradere Exorciſtis, cum illis dicat in ipſorum ordinatione: *Habeto poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos*, ſequitur, in Exorciſtis vi ſui Ordinis ſemper eſſe poteſtatem ad expellendos Dæmones & quia hujuſmodi poteſtas a Chriſto primordialiter dimanavit, ideo dici etiam ex hoc capite poteſt in Exorciſtis eſſe ex opere operato. His ſuppoſitis.

Conſtat veritas noſtræ reſponſionis; nam cum virtuti expellendi Dæmones ex opere operato ſemper debeat aliquis effectus correſpondere, jam ſi Exorciſtæ non valebunt totaliter expellere Dæmones a corporibus obſeſſis, ut evenit etiam Apoſtolis, ſicuti dicitur *Matth.* 17. id expoſcente Divina voluntate, & inſcrutabilibus Dei Judiciis, ſaltem valebunt expellere Dæmones vialiter, ipſorum vires attenuando &c. *Salmant. tr.* 22. *cap un. p.* 3. *n.* 23. Non negaverim tamen, quandoque Exorciſtas non conſequi expulſionem Dæmonis etiam ob defectum diſpoſitionum, quæ tum in ipſis, tum in Maleficiato requiruntur.

Q. IV. Quæ diſpoſitiones requirantur tum in Exorciſtatum in Energumeno, ut Dæmon expellatur.

R. I. In Exorciſtis primo requiritur Fides, hoc eſt, credere ex Dei Omnipotentia, & veritate Divinorum Promiſſorum, Dæmonem ſibi futurum obedientem, & adeſſe quidquid neceſſarium eſt ad hoc obtinendum, ex quo oritur quædam fiducia obtinendi quod hic, & nunc intenditur. Secundo, requiritur in Exorciſta rectus uſus poteſtatis, ita ut in exorciaando non miſceat exorciſmia vana inutilia, & multo magis peccaminoſa; ac proinde in exorcizando ableget omnia quæ Theologorum calculo ſunt ab Exorciſta vitanda.

Dices, quod ſi in Exorciſta requiritur prælata Fides, ſuperflua erit poteſtas ipſi ab ordine collata; nam Fides de ſe ſufficit ad debellandos Dæmones. Sed contra eſt quia quamvis dubitandum non ſit, quin Fides, maxime in gradu heroico, ſufficiat ad quoſcumque effectus mirabiliores obtinendos, non tamen ſuperflua eſt poteſtas Ordinis, tum quia ipſa cum Fide minus perfecta, & de ſe non ſufficienti ad Dæmones expellendos, ſatis eſt ad hunc effectum conſequendum, tum quia ipſa poteſtas Ordinis eſt valde efficax ad obtinendas gratias actuales, quæ ſunt neceſſariæ ut Exorciſta recte ſumatur officio ſuo adeoque eſt diſpoſitio, immo fundamentum ad concipiendam illam fiduciam, quam nempe credat habere poteſtatem cogendi Dæmonem ad ſibi obediendum, ſi aliter Deus non diſpoſuerit, & adſint debitæ diſpoſitiones in ipſo Maleficiato.

R. II. Poſt præfatas diſpoſitiones in Exorciſta, aliæ requiruntur in ipſo Maleficiato. Prima eſt fides, quam comitari debet quædam robuſta ſpes Divini, auxilii. Conſideret igitur Maleficiatos Deum non ſolum eſſe ſumme potentem, adeoque expellere poſſe abſque minima reſiſtentia etiam omnes Dæmones, ſed etiam eſſe ſumme ſapientem, quæ ratione cognoſcit ipſorum fraudes, ſumme bonum etiam in ope ferenda ſuis Creaturis, & fidelem in ſuis promiſſis, adeoque efficacia redditurum præcepta, quæ nomine ſuo a ſuis Miniſtris proferentur, cum ipſe dixerit: *In nomine meo Dæmonia ejicient.* Ex his conſurget in Maleficiato non ſolum fides, qua pro certo habebit, poſſe ſibi Deum opitulari, ſed etiam velle ob ſuam bonitatem, & fidelitatem concedere quidquid noſtræ expedit ſaluti. Multo autem conducet ad hanc obtinendam fiduciam, ſi maleficiatus confugiat quantum poteſt ad orationem ob talem fidem impetrandam, & Divinum auxilium. Defectum hujus fiduciæ increpavit Chriſtus Dominus, *Matth.* 17., ubi non ſolum attribuit Diſcipulorum incredulitati non potuiſſe expellere Dæmones, ſed etiam incredulitati Parentum pueri lunatici.

Iſtam fidem, ſeu fiduciam, quam maleficiatus debet erga Deum habere, debet etiam extendere erga Exorciſtam, quatenus ſcilicet credat, eum eſſe Dei Miniſtrum, adeoque nomine Dei agere, & per conſequens ejus actiones Deo tribuendas. Neque debet fides, ſeu fiducia minui ſive in Exorciſta, ſive in Maleficiato, eo quod præcepta careant multoties ſuo effectu; nam id tribuendum eſt vel ipſorum diſpoſitioni, vel inſcrutabilibus Dei judiciis,

vo-

volentis multoties Dęmones ſolum vialiter expelli, ut ſupra dictum eſt.

Eo quod Maleficiatus habeat fiduciam in Exorciſta, tamquam nomine Dei operante, orietur, ut quam diligentiſſime ipſius mandata exequatur, expoliando ſe omnino propria voluatate, & confirmabit præceptum quodlibet, quo Dœmoni imperabit Exorciſta.

Item Maleficiatus credere debet, Dœmones, quacumque vi naturaliter polleant, non poſſe illam exercere, niſi juxta Dei permiſſionem.

Demum quia impoſſibile eſt præfatos fidei actus, ſeu fiduciæ præſtare, ſi Maleficiatus credat a cauſis naturalibus ſuam oriri infirmitatem, ideo ſi ipſius curæ incumbit *doctus, pius, & prudens* Exorciſta, debet illi credere, dum affirmat ipſius infirmitatem, & vexationem a Dœmone oriri. Quod ſi Exorciſta ſit nimis credulus, & inter illos nimis faciles, immo imprudentiſſimos accenſendus, qui quodcumque malum Dęmoni corpus obſidenti tribuunt, eſt omnino removendus ab illo, qui falſo reputatur Maleficiatus, alias quamplura inconvenientia, quinimmo gravia ſcelera, experientia teſte, ſequi poſſent.

Denique Maleficiatus, qua poteſt majori diligentia, curet Pęnitentiæ Sacramento propriam expiare conſcientiam; multoties enim Deus dat facultatem in Dœmoni aliquem vexandi in pęnam alicujus criminis.

Q. V. Qualem virtutem habeant aliquæ res naturales ad Dœmones expellendos,

R. Nulla res naturalis poteſt habere virtutem ad expellendos Dœmones directe, ſed ſolum poteſt agere indirecte in Dœmones. Prima pars probatur, quia, cum quæcumque virtus naturalis ſit accidens corporum ex elementis compoſitorum, ſolum poteſt agere intra ſpheram ſuæ activitatis, hoc eſt, in corpora ex elementis compoſita, non vero in rem ſpiritualem, quales ſunt Dęmones. Ultraquamquod cum Dœmones nullum habeant ſenſum, non poſſunt affici ab aliqua re ſenſibili.

Quod vero res corporales poſſint indirecte agere in Dęmones, explicatur hoc pacto. Obſervandum igitur, humoribus noſtri corporis uti Dęmones ad vexanda corpora obſeſſorum, eoſque agitandos &c. diminuendo proinde medicinis, aliiſque mediis naturalibus eoſdem humores minus habet Dœmon roboris ad ea vexandi &c. Addi poteſt, quædam ingrata eſſe Dęmonibus propter effectus, quos cauſant ipſis Dœmonibus ingratos, & ita dicuntur fugere roſam recentem, quia ipſius odor contrarius eſt motibus carnis. E contra ipſi adicuntur grata convivia, choreæ &c. propter peccata, quæ ex illis ſolent oriri.

Q. VI. Qualiter Dęmones aſſiſtant in Energumenis; & quibus ſignis agnoſcatur, aliquem eſſe Dœmoniacum.

R. I. Ut vere aliquis Arreptitius ſive Dęmoniacus dicatur, tria requiruntur. Primum eſt, Dœmonem vere habere interiorem aſſiſtentiam in corpore obſeſſi, neque ſufficit externe, nam etiam Sancti hoc pacto dici potuiſſent Dęmoniaci. Porro per quoſcumque tenuiſſimos meatus &c. valent in corpora intrare, quia Spiritus poſſunt omnia corpora abſque minima reſiſtentia penetrare. Secundum eſt, ut immediate per ſeipſos vexent Arreptitios, nec ſufficit ſi mediate; ut ſi vexarent venenoſis cibis, aliiſque rebus pernicioſis morbos cauſando, quo pacto etiam plures Sancti fuerunt a Dœmonibus vexati. Tertium eſt, ut ſint in corpore obſeſſi veluti in ſuo domicilio, nec ſufficit in aliquem intrare, ut evenit Judæ. Quamvis vero Dœmon poſſit in quacumque corporis parte morari, tamen putant vel in corde, vel prope cor manere, cum ad motum hujus partis facile exagitentur cæteræ partes corporis, affectus &c.

Accidentaliter autem ſe habet ad hoc, ut dicatur aliquis Arreptitius, an intra ſuum corpus reſideant Dœmones altioris, vel infimi ordinis; nam tenendum eſt, ex omni ordine in hominum corpora intrare, cum etenim etiam qui altioris ſunt ordinis a propria dignitate ſua malitia exciderint, & nil magis oprent quam hominibus nocere, ut huic ſatisfaciant deſiderio, credendum eſt, ex omnibus ordinibus in hominum corpora intrare. Porro quo ſunt altioris ordinis, eo magis nocere valerent obſeſſo; at nihilominus videnda quæ dicam infra *qu.* 14., ubi & cur de quibuſdam Dęmonibus dixerit Chriſtus Dominus: *Hoc genus non ejicitur niſi per orationem & jejunium*. Pariter quo plures ſunt in Arreptitio Dœmones, majora ſolent mala cauſare; & ita ille, qui obſeſſus erat ab integra Dęmonum legione, ut habetur *Luc.* 8. in monumentis habitabat, nudus jactabatur a Dœmone in deſerta, lapidibus ſe concidebat &c. Non nego tamen, poſſe unicum Dęmonem hæc omnia præſtare, ſi Deus ita permittat.

R. II. Plura dantur ſigna ad dignoſcendum, an aliqui ſint Dęmoniaci, & ad ſequentia reducuntur. Si loquantur lingua ſibi ignota, & calleant ſcientias, quas nunquam didicerunt; unde dum ceſſant arripi a Dęmone, nequeunt reſpondere de iis, de quibus ante diſputabant. Hoc eſſe ſignum vehemens exinde conſtat, quia cum Arreptitii talem non habeant ſanctitatem, ut præſumi poſſit hæc a Deo, vel Angelis didiciſſe, conſequens eſt, in ipſis Dœmonem loqui. Si Arreptitus revelet occulta, quæ naturaliter ſcire non poteſt, & ea revelet non ad finem honeſtum, neque ex pacto cum Dœmone; nam hoc modo valet occulta revelare, abſque eo quod Dęmon habitet in illo. Si non taceat, etiamſi verberetur. Si renuat invocare nomen Jeſu, aut alicujus Sancti, adorare Reliquias, ſacra verba proferre, accipere aquam luſtralem, quin potius edat inconditos ululatus, blaſphemet nomen Dei, & Sanctorum, & ad lectionem exorciſmorum ſe valde conturbet. Si habeat vultum truculentum, cum truculenti Dęmones ſoleant vultum humanum deformare. Si inopinato privetur omnibus humanis actionibus, vel ipſius membra coarctentur, aut dilatentur. Si vires ſint extraordinariæ, quibus rumpantur Catenæ, ingentia onera comportentur &c. Denique ſolent obſeſſi habere ingentem iniquietudinem, & nimis ſolitudine objectari.

Q. VII. Quam poteſtatem habent Dęmones in Energumenos; & ſpecialiter in ordine ad opera peccaminoſa.

R. I. Deo ita permittente, quamplurima mala Dęmon cauſat obſeſſis, ut patet experientia, cum videamus terræ illos allidere, quandoque etiam præcipitare in aquam, ignem &c. privare ſenſibus, membra contrahere, ſive diſtrahere, infirmitates graviſſimas cauſare &c. Quandoque id præſtat per ſeipſos, quandoque vero mediantibus ſævis inſtrumentis; unde fertur, quemdam obſeſſos clavos evomuiſſe, quibus interne ſæviſſime cruciabatur, alium vero evomuiſſe bufonem, & ita liberatum fuiſſe ab ingentibus cruciatibus.

R. II. Opera obſeſſorum quandoque ipſis imputantur ad culpam, quandoque vero non imputantur. Ut id demonſtretur, obſervandum eſt, Arreptitii opera aliquando poſſe eſſe ex pura violentia, quam faciat Dęmon in potentias corporales, cum iſtæ ipſius ſubdantur voluntati, & in tali caſu nullum committit peccatum Energumenus, ſi ex mera Dœmonis violentia blaſphemet, vulneret homines, aut quodvis aliud enorme perpetret; nunquam enim datur peccatum, ſi non ſit voluntarium. Item poteſt Dœmon ita ludificare ſenſus, & perturbare phantaſiam, ut quod in ſe malum eſt, invincibiliter erronee apprehendatur ut bonum, & in tali caſu operationes ortæ ex tali perturbatione, quamvis pravæ, non imputarentur ad culpam. Quod vero poſſit Dęmon modo præfato perturbare phantaſiam, exinde conſtat, quia eſt potentia organis affixa, adeoque ſubdita Dœmoni, cui datur poteſtas in totum corpus obſeſſi. Denique ita ſe habere poteſt Dœmon, ut nil aliud faciat niſi proponere objecta illicita intellectui, & voluntati, quæ objecta valde alliciant; addendo etiam motus vehementes in ſenſibus internis, & externis. In tali caſu ſi Arreptitius talibus tentationibus, & ſuaſionibus allectus committat opera peccaminoſa, utique peccabit; nam Dęmon non poteſt cogere intellectum, & voluntatem, adeoque ſi peccet, libere peccat. Hinc quia Dœmon ſolet Energumenos modo præfato vehementer allicere, ſi alias ſint diſpoſiti, debent frequenter communiri Sacramentis Pęnitentiæ, & Euchariſtiæ, ut ita facilius ſuperent impetus Dęmonis.

Q. VII. Quæ poſſit Exorciſta a Dœmone interrogare.

R. I. Licite Exorciſta interrogat, & imperat Dœmoni ea omnia, quæ ad ipſius expulſionem conducunt. Ratio eſt, quia in hoc conſiſtit Exorciſtarum poteſtas ut valeant Dœmonem expellere; & adeoque valent etiam uti omnibus illis mediis, quæ apta ſunt ad hanc expulſionem. Hinc licite interrogatur Dęmon de ſuo nomine, exemplo Chriſti, qui *Marc.* 5. interrogavit Dęmonem: *Quod tibi nomen eſt?* & id ut adjuratio adverſus eum nominatim dirigatur. Poteſt interrogari Dęmon de cauſa ſui ingreſſus, ut ea remota, facilius expellatur. Poteſt Exorciſta quærere quot ſint inhabitantes in Dęmoniaco, ut ſciat cum quibus congredi debeat. Peti poteſt a Dœmone ſignum ſui egreſſus; quamvis enim Dęmon mendax ſit, nihilominus vi exorciſmorum cogi poteſt ad vera dicenda. Ultraquamquod credi poteſt, Chriſtum tradidiſſe ſuæ Eccleſiæ poteſtatem ad cogendos Dęmones ut ſuam expulſionem manifeſtent; adeoque bene poteſt Exorciſta de tali ex-

pul-

pulſione ſignum quærere. Verum tamen eſt, quod etſi Dęmon tradit ſignum ſui egreſſus a corpore obſeſſi, non ob id cogitur non redire; ſi a cauſa ſuperiori non impediatur. In Sacerdotali Romano habemus de præfatis omnibus poſſe Dęmonem interrogari.

Q. IX. An liceat Exorciſtæ interrogare de aliqua veritate, quam prudenter credat valde expedire ad Dei gloriam, & aliorum utilitatem: quamvis id non conducat ad Dęmonis expulſionem.

R. I. Quandoque id eſt licitum, & docet *S. Th. 2. 2. q. 95. a. 4. ad* 1. & jam innuerat *q. 90. a.* 2. Id autem probatur; quia ſi id eſſet illicitum, maxime quia ita interrogando videretur adeſſe quædam ſocietas, & pactum cum Dęmone: hoc autem falſum eſt, quia inquiſitio veritatis, quam Dœmon cogatur dicere Divina virtute ad aliorum utilitatem, non infert ſocietatem cum Dęmone, ſed potius eſt cum eo agere hoſtiliter: cogitur etenim contra ipſius voluntatem ad manifeſtandum id, quod conducit ad Dei Gloriam, & proximorum utilitatem. Verum tamen eſt id raro præſtandum, & bene obſervandum, an id, quod inquiritur, vere deſervit ad Gloriam Dei, & proximorum ædificationem. Præterea id tantum præſtare debent, qui a Deo habent poteſtatem ad expellendus Dęmones, vel pollent inſigni ſanctitate, neque enim id cuilibet licet.

R. II. Non licet Exorciſtæ unam, aut alteram rem curioſam a Dęmone interrogare. Ratio reſponſionis de ſe patet, quia ſi interroget Dęmonem de iis, quæ non pertinent ad ejus expulſionem, vel ad Dei Gloriam non conducunt, ſeu utilitatem Proximorum, quamdam videtur cum Dęmone inire ſocietatem, & amicitiam quod ſemper eſt illicitum. Præterea cum *Sancta ſanctæ tractanda ſint*, iniquum eſt, & graviter a Deo punitur, qui in exercitio Ordinis Exorciſtratus cum Dęmone *jocatur*, & verba nugacia admiſcet.

Ut vero dignoſcatur qualiter peccet Exorciſta, qui ita ſe gerit cum Dęmone, obſervandum eſt, abſque dubio graviter peccare, qui cum eo aliquem obſidente, habent longos, & inutiles ſermones; cum enim ita ſolum cum Amicis agamus, jam habere cum Dęmone tales ſermones eſſet cum illo amicitiam inire. Peccat item mortaliter, qui de quacumque re interrogat Dęmonem deprecative; nam hoc eſt ſe illi ſubjicere, & velle fieri ejus Diſcipulum. Idem dicas ſi interrogetur Dęmon ad aliquid addiſcendum; nam hoc eſſet beneficium ab eo expectare, quod excuſari non poteſt a gravi ſuperſtitione. Demum peccat mortaliter, qui interrogat Dęmonem, dum adeſt periculum, ut quædam occulta manifeſtet; nam ſub gravi tenemur vitare infamiam proximi.

Si præfata non intercedant, & coactive interrogetur Dęmon vel occurens in corpore aſſumptu, vel loquens in Energumeno de aliqua re curioſa, & inutili, non videtur id excedere culpam venialem, nam non eſt actus perfectæ ſocietatis cum Dęmone, ſed procedit ex quadam levitate, & curioſitate: *Sanch. l. 2. c. 24. n. 25. Bonac. diſp. 4. q. 1. punct. ult. n. 9.*

Q. X. An fides adhibenda ſit Dęmoni vi exorciſmorum aliquid manifeſtant.

R. Suppono. Exorciſtam cavere debere, ne Dœmoni promittat plura loqui, ſed cogendum, ut unice ad interrogata reſpondeat quamvis enim aliquando vera dicat, nihilominus ſuis verbis nonniſi hominum perniciem intendit, & ſolet manifeſtare plura occulta crimina. Hinc D. Th. 2. 2. *q. 95. art.* 4. ex authoritate D. Athanaſii ita loquitur: *Quamvis vera fateretur Dœmon, compeſcebat tamen Chriſtus ejus ſermonem, ne ſimul cum veritate etiam ſuam iniquitatem promulget, ut nos etiam aſſuefaciat, ut curemus de talibus, etſi vera loqui videatur. Nefas enim eſt, ut cum adſit nobis Scriptura Divina, a Diabolo inſtruamur.* His ſuppoſitis.

Nullum eſt inconveniens fidem Dęmoni adhibere, ſi cogatur vi Exorciſmorum ad veritatem dicendam circa res, quas exequi nullum eſt malum; ſecus circa res, quæ non poſſunt executioni mandari ſine aliquo gravi inconvenienti. Ratio primæ partis eſt, quia, dum aliqua fides illi adhibetur circa res primi generis, nullum ſequitur abſurdum, & aliunde bene ſtat, poſſe Dœmonem quandoque vi exorciſmorum cogi ad dicendam veritatem. Poteſt proinde illi fides haberi, dum aliqua dicit circa tempus ingreſſus, & egreſſus, circa cauſam ingreſſus, v. g. an ſit hoc, vel illud maleficium, & ita poteſt auferri, vel comburi. Ratio ſecundæ partis eſt, quia cum res ſecundi generis non poſſint exequi ſine gravi aliquo inconvenienti, omnino irrationabile eſſet eas exequutioni mandare ex ſolius Dęmonis teſtimonio, cui Pater eſt mendaciorum; & ſi vera aliquando dicere videatur, ea in hominum perniciem pronuntiat, veriſque multa falſa admiſcet, ut jam notatum eſt ex D. Th. Quapropter ex ſolo Dęmonis teſtimonio in obſeſo loquentis, non eſſet quis rebaptizandus, ſi diceret non fuiſſe baptizatum; neque ullatenus illi manifeſtanti aliquid in Proximi dedecus credendum eſt. Idem dicas de aliis rebus hujus generis.

Q. XI. An licitum ſit Exorciſtæ imperare Dęmoni ſuperiori, ut inferiores ſecum expellat.

R. Quamvis nonnulli affirment, ſemper tamen adhærendum eſt ſententiæ negativæ. Ratio eſt, quia ſi non cedatur, Exorciſmos habere virtutem ad quoſcumque Dęmones expellendos, jam fieret injuria poteſtati Chriſti, & Eccleſiæ. Ultraquamquod ſi credatur, exorciſmos habere poteſtatem ad expellendos Dęmones ſuperiores, multo magis eam habebunt in ordine ad expellendos inferiores. Ad quid ergo hoc velle a Dęmone ſuperiore? Id ergo ab eo expoſcere eſſet cum illo aliquam inire ſocietatem, vel ab eo petere aliquod beneficium, quod omnino eſt illicitum.

Q. XII. An liceat Exorciſtæ in exorcizando dehoneſtare Energumenum ſputis, opprobiis, &c. vel illum cædere alapis, flagellis &c.

R. Nunquam conveniens eſt immundis rebus obſeſſos fatigare propter indecentiam, quæ relucet, ſi hujuſmodi rebus deturpetur uſus exorcizandi. Si vero quædam non indecentia adhibeantur in Dęmonis contemptum, non tamen quaſi credatur, res corporales poſſe directe in illum agere, tunc licite hujuſmodi fiunt; valde enim expedit ejus ſuperbiam retundere. Licitum proinde erit in Dęmonis contemptum Energumenum leviter verberare, nomen Dęmonis in aliquo papyro inſcriptum comburere &c. Univerſaliter loquendo Exorciſta debet Dęmones graviter, & dure adjurare, exemplo Chriſti, qui increpabat illos, illiſque ſeveriſſime præcipiebat, ut videre eſt *Matth.* 17. *Marc.* 9.

Q. XIII. Ubi exorcizandi ſint Energumeni.

R. Niſi aliter expoſcat gravis neceſſitas, obſeſſi exorcizandi ſunt in Eccleſia. Ratio eſt, quia Dęmonibus non ſolum exoſus eſt locus, ſed multo magis horrent Eucharistiæ Sacramentum, Reliquias Sanctorum, S. Imagines &c. & maxime Cruces. Præſtat etiam id agere, dum plures adſunt, nam fides fidelium roboratur, manifeſtatur poteſtas Eccleſiæ, quandoque impii convertuntur, atque ita etiam plures adſunt, qui inſtent orationibus pro libertate obſeſſi. Non facile tamen admittendæ ſunt Mulieres, quæ non ſolum facile terrentur, (qua ratione excludendi etiam ſunt pueri) ſed ulterius nimis pronæ ſunt ad credulitatem, & facillime fidem adhibent rebus curioſis. Excludantur etiam viri otioſi, & blaterones qui nonniſi curioſitatis gratia ad hujuſmodi accedunt. Interim advertat Exorciſta, ne Diabolo permittat vana, & falſa loqui, ſive quæ riſum poſſunt commovere; & multo magis ne crimina alias occulta revelet. Affertur a *Lezana t. 3 v. Clauſura n.* 18. decretum Congregationis Concilii, quo dicitur Monialem Energumenam eſſe extra ſepta Monaſterii exorcizandam. Cæterum præſcindendo ab hoc decreto, optime exorcizari poſſet ad crates ferreas Monaſterii, tum quia virtus exorciſmorum infirmari non poteſt, eo quod tales crates mediæ ſint inter Exorciſtam, & Energumenam, tum quia ita melius conſulitur clauſuræ Monialium; tum quia ita tollitur occaſio, ut Moniales non facile apprehendant, ſe eſſe Energumenas, ut detur ipſis aliquatenus e Monaſterio egredi.

Q. XIV. Cur aliqui Dęmones difficilius expellantur, & quæ ſint ſigna egreſſus illorum e corporibus Obſeſſorum.

R. I. Nullo dubitante, quidam Dœmones difficilius expelluntur, & illi ſpecialiter, qui obſident lunaticos, hoc eſt qui certis Lunæ temporibus cruciantur, ſicut qui obſident ſurdo, & mutos. De horum difficili expulſione exempla habemus ex S. Pagina *Matth. 7. Luc. 9. Marc. 9.* nam hos Dęmoniacos Apoſtoli ſanare non potuerunt. Quidam putant, hos, & ſimiles Dęmones difficiliter expelli, vel quia ſunt Dęmones ſuperioris ordinis, ut nos etiam ſupra innuimus, vel quia, cum diu fuerint in corpore Dœmoniaci, videtur firmiorem poſſeſſionem acquiſiviſſe.

Verior tamen ratio ea eſt, quod ideo difficiliter expellantur, quia, Deo permittente, majorem in Energu-

me-

menum accipiunt poteſtatem. Et quidem cum non agant Dæmones in obſeſſos, niſi quantum Deus illis permittit, parum refert, an Diaboli poſſidentes aliquod corpus ſint ordinis ſuperioris, necne, vel, an parvo tempore, vel potius diu ibi fuerint; ſed ipſorum major reſiſtentia, contra quam major vis requiritur in adjurante, refundenda eſt in Dei voluntatem, majorem Diabolo concedentem poteſtatem. Eidem etiam voluntati attribuendum eſt, quod aliquando quidam Dæmones nonniſi oratione, & jejunio expellantur; nam ſolum his mediantibus conceditur Exorciſtæ, Fides, & gratia neceſſaria ad eos expellendos.

R. II. Signa egreſſus Dæmonis a corpore ſunt ut plurimum fallibilia, & ad ſequentia poſſunt reduci. Si Dæmon ipſe fateatur exiiſſe; ſi appareat forma alicujus, ſi hominis nigri, Canis &c., ſi videantur diſcedere Muſcæ, araneæ &c., ſi eveniat vomitus rerum putridarum &c. ſi Energumenus ita terræ collidatur, ut videatur mortuus: ſi appareat inſolitus tumor in corpore obſeſſi &c., ſi audiantur ingentes clamores, voces beſtiarum &c. Hæc ſigna ſolent multoties videri in diſceſſu Dæmonis, ſed omnia ſunt fallibilia; nam Dæmon Pater mendacii poteſt multa ſigna promittere ſui egreſſus, at non torqueatur ab Exorciſtis, & interim in corpore obſeſſi latitare. Signum cæteris probabilibus eſt, ſi qui apparebat obſeſſus per longum tempus, non torqueatur a Dæmone; nam tanta eſt ipſius in homines invidia, & livor, ut videatur moraliter impoſſibile in ipſo diu latitare, & ceſſare omnino ab eo torquendo.

Cæterum advertant Exorciſtæ, non eſse a Dæmone petendum pro ſigno ſui egreſſus, quod nocere poteſt Energumenis, ſed ſolum ſignum innoxium, extinctionem e.g. lampadis &c. ſemper tamen parum fidant in iſtis ſignis, & quia, ut dixi, ſunt fallibilia, & quia Dæmones etiam ſine ſignis aliquando ab obſeſſis egrediuntur.

Advertat etiam poſſe adnuere Dæmoni aliquid petenti, dum a corpore eſt egreſſurus; ſi id, quod petit non ſit contra Dei honorem, & contra proximi utilitatem. Si hæc non interveniant, adnuere Dæmoni non eſt cum eo amicitiam inire, ſed curare, ut citius ab obſeſſis egrediatur. Sic etiam Chriſtus adnuit quibuſdam Dæmonibus rogantibus, ne expellerentur e regionibus Geraſenorum.

Q. XV. An ad expulſionem unius Dæmonis omnes inſimul expellantur.

R. Non nego, Deo ita volente, quandoque expulſis quibuſdam Dæmonibus, alios poſſe remanere, qui in Energumenos majorem exerceant poteſtatem; ſicut enim ſolummodo ii ingrediuntur in corpus obſeſſi, quibus Deus id permittit, ſic poteſt accidere, quod velit Divina Providentia, aliquos ibi remanere, quamvis quidam alii expellantur. Nihilominus, ordinarie loquendo, puto, ad expulſionem unius omnes expelli; nam exorciſmorum vis, & efficacia omnibus æque eſt moleſta. Præterea, ſi Dæmon ſuperior, contra quem præcipue Exorciſta dirigit exorciſmos, expellitur, cur & non omnes illum ſequentur?

Q. XVI. An dentur loca ſpectris infeſta; & quomodo liberentur, ſi dentur.

R. I. eſſe quædam loca larvis infeſta, patet non ſolum authoritate SS. PP., ut videre eſt apud D. Auguſtinum *l. 22. de Civit. Dei c. 8.* & D. Gregor. *l. 6. Dialog. c. 3.* ſed ita experientia ipſa conſtat, ut nonniſi irrationabiliter id poſſit negari. Hinc habemus in Rituali Romano exorciſmos ad liberanda loca, ſive domus ita vexatas, ſub titulo: *Exorciſmus domus a Dæmonio vexatæ.*

Pro quo notandum, quod cum ex omnium Theologorum ſententia quidam remanſerint Dæmones in hoc tenebroſo aere ad homines exercendos, horum opera quædam loca, ſive domos certum eſt infeſtari. Hi Dæmones, qui latine dicuntur larvæ, italice appellantur *Folletti*.

Notandum ſecundo, hos ſpiritus quandoque damnificare ſimiliter Domorum, vel Locorum habitatores, ipſos perterrefaciendo: quandoque quædam ludicra facere, ut commovere catinos, abſque eo quod confringantur, ludere ad chartas, & bacillos, & riſum proprio riſu commovere; quandoque etiam videntur facere quædam in hominum commodum, ut verrere domum; equos ſtrigili pectere &c. Attamen opera, quæ videntur in hominum commoda facta, nonniſi ad ipſorum diriguntur perniciem; ita enim agendo intendunt Dæmones habitantibus ſuadere poſſe quamplura in eorum commoda præſtare, ut ita inducantur ad familiariter cum eis agendum; ex quo fit, ut ipſos paulatim pertrahant ad plura peragenda in propriam temporalem, & ſpiritualem perniciem. Et revera cum omnes Dæmones ſummo livore & invidia in homines tabeſcant, unquam agent, quamvis bonum appareat, niſi intentione homines decipiendi.

Notandum tertio, hujuſmodi larvas, ſeu Follettos ut plurimum apparere in locis deſertis, in altis Arcibus, vel in locis, ubi gravia peccata fuerunt perpetrata. Ideo autem in locis deſertis videntur, vel ut perterrefaciant homines, qui inibi propriæ incumbunt ſaluti, vel quia ibi fuerunt gravia delicta perpetrata, ſeu actu committuntur, quibus Dæmones delectantur. Hac ratione apparent quandoque ubi fuerunt commiſſa homicidia, & alia ſcelera, niſi etiam velimus dicere, ita Deum velle, ut diſcant homines vitare peccata. Hac ratione vult Miſericors Deus larvis deterrere potius inſignes peccatores, quam Viros Religioſos, ut ſcilicet videant cui famulantur, & ita facilius convertantur.

Notandum quarto, hujuſmodi larvas potius nocte, quam interdiu quædam loca infeſtare; quia ut dicitur *Jo. 3. Qui male agit, odit lucem.* Ulterius videtur conceſſum Dæmonibus majus dominium nocte, quam die: unde *ad Epheſ. 7.* Apoſtolus illos appellat *Mundi Rectores Tenebrarum harum.* Addendum, quod cum hi Dæmones intendant lædere homines, ideo quædam loca potius noctu quam die infeſtantur, quia in noctis obſcuritate major incuti ſolet timor.

R. II. Hujuſmodi loca larvis infeſta non alio modo poſſunt liberari, quam ſigno S. Crucis, invocatione dulciſſimi nominis Jeſu, & Mariæ, uſu rerum Sacrarum, ut Reliquiarum, Agnorum Cereorum, qui dicuntur *Agnus Dei*, aquæ luſtralis &c. ac denique exorciſmis inſtitutis ab Eccleſia ad liberanda loca, ſeu domos ſpectris infeſtas. Cæterum quidquid aliud, quod non ſit ſacrum adhibeatur, non ſine ſuperſtitione adhiberetur; nulla res etenim naturalis habet in Dæmones aliquam virtutem, ut ex dictis jam conſtat.

Superſedeo ab aſſignando regulas, quas exorciſta debet in praxi obſervare; nam facile eas legere poterit in Rituali Romano, quod unicuique adamuſſim in laborioſo exorcizandi munere ſe exercenti, ſequendum ſuadeo, relictis pluribus aliis libellis, qui ſi rigoroſæ Theologorum Cenſuræ ſubjiciantur, forte non omnia in eis Veritati conſona reperientur: ſicut & quædam alia in iis conſiderare erit, quæ non omnem in exorcizando debitam decentiam præſeferunt.

Regulæ in praxi obſervandæ.

Unicam regulam hic appono; nam, ut dixi, facile ex dictis Exorciſta, quæ facere, quæ cavere debeat, addiſcet. Unicam autem hanc regulam deſumo ex Vita S. Philippi Nerii *l. 3. c. 10. nu. 11.* qui difficiliter permittebat ſuis Pœnitentibus adjurare. Idem ex ipſius monitis, Sacerdotibus, maxime nondum provectæ ætatis, & probatæ virtutis, quantum poſſum ſuadeo. Facillime hos nimis credulos videas, quando revera dantur multæ fœminæ; quas fortaſſe etiam jurejurando affirmarent arreptitias, ex fine non recto tales ſe eſſe ſimulare, vel tales credi ex peſſima humorum qualitate. Interea frequentiſſime, & diu eas in Confeſſionario alloquuntur; non raro etiam domi inviſunt, & ſi pauperes ſint, copioſis eleemoſynis ſuſtentant. Hæc omnia fovent familiaritatem, & quemdam affectum ſaltem ſenſibilem: quid ergo non timendum de Sacerdote juvene, & inexperto, cui notæ non ſint muliercularum artes, & Dæmonum inſidiæ? Et quid, ſi ſuperbia turgeat; ſi orationi, & carnis macerationibus quibus armis Dæmon ſuperatur, parum ſit addictus?

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS IX.

DE TERTIO

DECALOGI PRÆCEPTO.

HUjuſmodi Præceptum ita ſe habet : *Memento , ut diem Sabbathi Sanctifices* . Quamvis autem in Lege Veteri dies Sabbathi eſſet ſanctificandus , ut homines recordarentur creationis Mundi , qua abſoluta Deus die ſeptima requievit ; nihilominus in Lege Gratiæ ex nunquam interrupta Eccleſiæ traditione Dies Dominica ſanctificatur . Id autem præſtiterunt Apoſtoli , tum , ut etiam in hoc a Cæremonialibus Antiquæ Legis recederent ; tum quia voluerunt ſanctificatam diem , in qua homines ſingularia beneficia acceperunt . Die igitur Dominica incœpit Mundi creatio ; & ſimul cum creatione lucis , ex S. Auguſtino *ſerm. 251. de temp.* , creati fuerunt Angeli , quorum major pars ad Deum ſe convertit . Eadem die ex Origene in *c. 16. Exod.* Iſraelitæ Mare Rubrum tranſiere ; Legem acceperant in Oreb ; & Manna in deſerto . Eadem die ex 6. Synod. can. 8. Chriſtus natus eſt ; ſtella Magis apparuit ; baptizatus eſt Jeſus in Jordane ; a mortuis reſurrexit . Conſtans pariter eſt multorum opinio, Chriſtum die Dominica vinum in aquam mutaſſe ; ſatiaſſe quinque panibus quinque millia hominum ; miſiſſe Diſcipulos ad prædicandum ; ingreſſum ad eos fuiſſe januis clauſis ; ac poteſtatem remittendi peccata contuliſſe . Denique die Dominica Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos deſcendit ; ac futurum Univerſale Judicium non pauci affirmant .

Quamvis igitur ipſa naturalis ratio , ut obſervat S. Thomas *2. 2. q. 122. art. 4. ad 4.* dictet , aliquo tempore Deo vacandum , ut anima reficiatur ; ſicut dictat etiam aliquod tempus aſſignandum corporali refectioni ; nihilominus de jure tantum poſitivo eſt , ut præ aliis dies Dominica ſanctificetur . Alios deinde dies feſtos addidit Eccleſia , de quibus *can. pronunciandum de conſecr. d. 3. & cap. Conqueſtus de Feriis* . Demum Urbanus VIII. in ſua Bulla *Univerſa per Orbem* deſignavit dies feſtos a fidelibus ſanctificandos concedendo etiam facultatem pro feſto habendi diem unius ex principalioribus Patronis Regni , vel Provinciæ , ſicut & diem alterius principalioris Patroni Civitatis , Oppidi , vel Pagi . Clemens XI. addidit, Feſtum Immaculatæ Conceptionis , Tractatui de Sanctificatione Feſtorum addidi quæſtiones de jejunio , quo ipſorum ſanctificatio inchoatur ,

QUÆSTIO I.

De feſtorum Sanctificatione .

CAPUT I.

De iis , quibus competit inſtituere dies Feſtos : De Obligatione illos Sanctificandi : & de his , qui tenentur ad illos ſanctificandos .

Q.I. AN Epiſcopus poſſit dies feſtos indicere.

R. Cum certum ſit poſſe S. Pontificem, & Concilium Generale, quia habent juriſdictionem ſupra Eccleſiam Univerſalem, inſtituere dies feſtos , & præcipere , ut ab omnibus obſerventur : ſolum poteſt eſſe quæſtio de Epiſcopis , & deinde de Principibus Sæcularibus . Epiſcopi igitur , ſi non obſtet in Italia contraria conſuetudo , poſſunt ſe ſolis , inconſulto S. Pontifice , indicere pro ſua Diœceſi dies feſtos . Hujuſmodi facultatem habent Epiſcopi a jure , ut patet ex *can. pronunciandum de Conſ. d. 3. , & cap. Conqueſtus de Feriis* ; unde talem facultatem ſupponit Tridentinum in Epiſcopis . dum *ſeſſ. 25. de ref. cap. 12.* ait ; *Dies etiam feſti quos in Diœceſi ſua ſervandos Epiſcopus præceperit , ab exemptis omnibus , etiam Regularibus ; ſerventur* . Accedit etiam ratio , quia Epiſcopi habent pleniſſimam poteſtatem , niſi fuerit ipſis vel a jure , vel a Papa limitata , ſtatuendi pro ſua Diœceſi quidquid judicaverint convenire ipſius ſpirituali regimini : poſſunt proinde vel ob publicum Beneficium acceptum , vel ob ſpecialiſſimam populi devotionem , vel ad aliquid impetrandum , opportunam judicare ſanctificationem alicujus diei . Accedit , bene poſſe aliquam Civitatem , vel Rempublicam voto , ſeu juramento ſe obligare ad ſervandum tanquam feſtum aliquem diem ; ac proinde, accedente Epiſcopi conſenſu , erit ſub præcepto ſervandus.

Aliquibus videbatur non poſſe modo Epiſcopos dies feſtos indicere , eo quia Urbanus VIII. in ſua Bulla, quæ incipit *Univerſa per Orbem &c.* moneat Epiſcopos in Domino ut *ab indictione ſub præcepto novorum Feſtorum ſtudeant abſtinere* . Sed hoc fundamentum omnino fuit, ſi ſolummodo obſervetur , privilegia inſerta in corpore juris non revocari per clauſulas generales , quales ſunt verba Bullæ præfatæ ; Epiſcopi autem habent a jure facultatem dies feſtos inſtituendi , ut ſupra dictum eſt . Præterea verba Bullæ non important præceptum, ſed dumtaxat ſunt exhortativa, ut patet ex illis verbis: *Monemus in Domino ..... ſtudeant abſtinere* .

Antiquitus , ut Epiſcopus poſſet ſtatuere dies feſtos, videbatur neceſſarius Cleri , & Populi conſenſus , ita ut ſaltem non contradicerent ; atque ita colligi videtur *ex can. pronunciandum , & cap. conqueſtus* , quæ ſupra citavi . Nihilominus ſicut poſtea conſuetudine introductum fuit , ut populi conſenſus non requiritur, ſed ſolus Cleri ; ita cum modo conſuetudine introductum ſit , ut nec Cleri conſenſus expoſcatur, ſtat facultas dies feſtos indicendi in ſolo Epiſcopo . Et de facto in Bulla Urbani ſolum Epiſcopi monentur, ut abſtineant a novorum feſtorum indictione ; ergo in eis tantum eſſe hujuſmodi facultatem ſupponit Sanctus Pontifex , alias etiam monitos voluiſſe Populum , & Clerum .

Q. III. An poſſint Principes Seculares dies feſtos indicere .

R. Princeps ſæcularis ſine Epiſcopi conſenſo non valet dies feſtos indicere . Hæc aſſertio , quæ dici poteſt communis apud Theologos, & Canoniſtas, fundamentum habet manifeſtum apud S. Canones, cum ex illis habeatur clariſſime, Principes ſæculares nullam habere juriſdictionem circa res ſpirituales, & Eccleſiaſticas , nullumque habere jus eas præcipiendi . Id videre eſt *cap. cum Laicis de reb. Eccleſ. non alienan. , cap. decernimus de Judic. cap. bene quidem , cap. ſatis evidenter* , & pluribus aliis capitibus videndis *diſt. 29. p. part. Decret.* Addatur , velle S. Canones nul-

nullam quamcumque ſæcularem Conſtitutionem de mortuariis aliiſque annexis juri ſpirituali, ut paret ex citato cap. *Cum Laicis &c.* multo magis ergo non poterit Poteſtas ſæcularis indicere dies feſtos; cum id magis accedat ad Divinum cultum, & profectum animarum.

Ratio autem fundamentalis eſt, quia poteſtas ſæcularis ſolum reſpicit temporalem, & politicam gubernationem Reipublicæ, ipſiuſque externam pacem, & juſtitiam, ergo cum nil habeat reſpicere ſpirituale conducens ad ſalutem Animarum, non pertinebit ad ipſam præcipere auditionem Sacri, & abſtinentiam ab operibus ſervilibus, prout ad Dei cultum ordinatur, quod proprie eſt dies feſtos indicere: *Suar. t. 1. de relig. l. 1. c. 12. nu. 2. Filiuc. tr. 27. c. 6. q. 7. n. 94. Sanch. in Conſ. p. 2. l. 5. c. 2. dub 5. a nu. 7. Barboſ. 3. p. de poteſt. Epiſc. alleg. 103. n. 38.*

Inferes hinc, quod ſi aliquando Principes ſæculares imperant aliquibus diebus ceſſationem ob operibus ſervilibus id non præſtant omnimode eo fine, quo talem ceſſationem imperat Eccleſia. Pro quo notandum, quod dum Eccleſia præcipit ceſſationem ab operibus ſervilibus, non præciſe per eam intendit cultum Dei ex fine operantis, ſed multo magis ex fine ipſius operis: ipſius enim eſt velle ut ipſa opera per ſe conducant ad animarum profectum, & Dei cultum, & hoc eſt neceſſarium, ut talis ceſſatio ab operibus ſervilibus dicatur conducere ad diem feſtum ſanctificandum. Quamvis autem poſſit Princeps Sæcularis, talem ceſſationem imperando, ex parte ipſius illam ad Dei cultum ordinare, non tamen poteſt facere ut opus ipſum ordinetur ad cultum Dei, & profectom animarum, hoc enim extra ipſius poteſtatem, quæ tantum reſpicit externam pacem Reipublicæ &c.

Quomodo autem obligent quædam vota facta a Civitatibus &c. de ſervandis quibuſdam diebus tamquam feſtis, explicavimus in ſuperiori tractatu agentes de voto. Modo ſufficiat obſervare quod poteſt Civitas, ſive quæcumque alia Perſona particularis ſe in voti obligare ad ſervandum diem aliquam tamquam ſi eſſet feſta, quia votum parit obligationem ex vi promiſſionis Deo factæ; unde unuſquiſque poteſt ſe voto obligare ad quemcumque actum virtutis. At indicere dies feſtos eſt actus juriſdictionis ſpiritualis, qui caret quicumque Princeps ſæcularis.

Dices, Imperatores multa diſpoſuiſſe circa feſtorum obſervantiam, ut paret *ex lib. 2. Cod. tit. 2. & ex leg. ulc. de Feriis*, adeoque ſignum eſſe habere poteſtatem ad dies feſtos determinandos. Sed reſpondendum eſt præcepiſſe ferias honorarias, & politicas, non vero religioſas, ut ex Palao obſervat Barboſa ſupra citatus. Addendum, nil Imperatores circa Feſtorum obſervantiam diſpoſuiſſe, ſed ſuppoſitis legibus Eccleſiæ, talem obſervantiam præcipientibus, ad compeſcendos tranſgreſſores, pœnas contra illos decreviſſe, quod videbantur poſſe facere ut Defenſores, & Conſervatores Eccleſiæ. Hac ratione dicendum eſt ſtatuiſſe etiam pœnas contra Hæreticos, blaſphemos &c.

Q. III. Quo tempore incipiat, & deſinat obligatio ſanctificandi dies feſtos.

R. Quamvis aliqui dixerint, obligationem ſanctificandi diem feſtum incipere a veſpera vigiliæ, ſeu occaſu Solis, & deſinere in veſpera ſequenti, ut videntur innuere caput primum, & ſecundum de *Feriis*, & *c. 1. de conſecr. diſt. 3.* nihilominus abſolute dicendum eſt, obligationem dei feſti durare per ſpatium viginti quatuor horarum computandum a media nocte vigiliæ uſque ad aliam ſequentem mediam noctem. Probatur autem hæc aſſertio, quia talis eſt conſuetudo legitime introducta apud omnes Eccleſias, conſuetudo autem habet vim legis. Ideo autem & ipſam Eccleſiam Romanam hanc conſuetudinem retinuiſſe dicendum eſt, quia hic modus computandi dies naturales obſervatos eſt ab antiquis Romanis, ut dicitur *l. more romano ff. de Feriis*. Addi poteſt, ita facilius obſervari dies feſtos, & magis etiam id conveniens fuiſſe, ut recederemus a Judæis obſervantibus ſabbata ſua a veſpera uſque ad veſperam.

Q. IV. Qualiter obliget præceptum de ſanctificandis diebus feſtis; & ad quid obliget.

R. I. Quia aliqui dicebant, obligationem ſervandi dies feſtos non eſſe ſub mortali, ideo eos damnavit Innocentius XI. dum ſub *n. 52.* hanc proſcripſit propoſitionem; *Præceptum ſervand. feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.* Ratio autem eſt, quia cum certum ſit Eccleſiam habere poteſtatem ad graviter nos obligandum ut docet *S. Th. 1. 2. q. 46. art. 4.* & cum aliunde etiam certum ſit, Legiſlatorem (niſi aliter conſtet de ejus mente) velle graviter obligare, ſi materia præcepti ſit gravis, ſequitur, obligationem de ſervandis diebus feſtis eſſe ſub mortali, cum re vera materia talis præcepti ſit gravis. Et quidem talem materiam eſſe revera gravem unicuique patebit, ſi animadvertat, non ſolum præceptum de ſanctificandis diebus feſtis obligare ad ſacri auditionem, & ad abſtinentiam ab operibus ſervilibus; quæ ex ſe non poſſunt dici materia levis, ſed ulterius hæc omnia eſſe circa Dei cultum, cujus materia ex genere ſuo ſemper gravis reputatur, adeoque obligans ſub mortali.

Confirmatur, quia præceptum de ſanctificandis diebus feſtis, licet non quoad tempus: eſt tamen quoad ſubſtantiam unum ex præceptis Decalogi obligans ſub mortali. Hinc pœna, quam Deus decreverat in illius tranſgreſſores, erat graviſſima, mortis ſcilicet, & lapidationis, ut videre eſt *Exod. 32. & Num. 15.*

R. II. Præceptum de ſanctificandis diebus feſtis obligat ad audiendum ſacrum, & ad abſtinentiam a ſervilibus. Prima pars reſponſionis patet *ex c. Miſſas de conſecr. diſt. 1. & c. omnes ib.* onde hanc obligationem ſupponit Sixtus IV. *c. Vice illius de Treg. & Pace*, & Concil. Trid. *ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſſæ.* Quamvis autem ut plurimum apud S. S. Canones ſermo ſit de obligatione audiendi Sacrum Diebus Dominicis, nihilominus eadem intelligitur obligatio quoad alios dies, quos Eccleſia præcipit ſanctificandos; ſi enim diebus Dominicis tenemur ad audiendam Miſſam, quia ſunt dies feſti, idem dicendum erit de aliis ſimilibus diebus, ubi enim eſt eadem ratio, eadem debet eſſe juris diſpoſitio. Accedit univerſalis traditio Eccleſiæ, & omnium DD. conſenſus. Præterea dantur etiam alii textus juris Canonici, qui expreſſe comprehendunt alios dies feſtos, ut videre eſt *cap. ſi quis etiam diſt. 1. de Conſecr.*

Secunda pars reſponſionis probatur non ſolum ex S. Scriptura, ubi ſæpe prohibentur diebus feſtis opera ſervilia, ut patet *Levit. 23. Deut. 5. Exod. 20.* ſed etiam *ex c. licet de Feriis.* Quapropter dicendum eſt, præceptum de ſanctificandis diebus feſtis partim eſſe affirmativum, eo quod jubeat Miſſam audire & partim negativum ſecundum quod præcipit abſtinentiam ab operibus ſervilibus. Præter hæc nil aliud importare obligationem ſanctificandi dies feſtos eſt communis DD. ſententia. Cæterum de operibus ſervilibus, a quibus teneotur Fideles diebus feſtis abſtinere, fuſius agemus inferius.

Q. V. An omnes Fideles teneantur ad feſta ſanctificanda.

R. Omnes Fideles, ſtatim ac ad uſum rationis pervenerint, ligantur præcepto de ſanctificandis diebus feſtis. Ratio autem eſt, quia quando attigerunt uſum rationis, ſicut ſunt capaces doli, ita & capaces ſunt cognoſcendi obligationem ſibi impoſitam; eo quod autem valeant cognoſcere talem obligationem tenetur eam ſervare; unuſquiſque enim tenetur obedire præcepto, quod ſibi impoſitum fuiſſe cognoſcit. Confirmatur quia, ſi *ex cap. Omnis utriuſque ſexus*, tenetur unuſquiſque Fidelis ad confeſſionem poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, multo magis erit capax obligationis audiendæ Miſſæ, cum plus requiratur ad ſacramentalem Confeſſionem, quam ad bene Miſſam audiendam. Porro advertere eſt, quod creditur uſus rationis illuceſcere, & advenire poſt ſeptimum annum, & ſi tali tempore non certo conſtet non adveniſſe, præſumendum eſt uſum rationis adeſſe: *Sanch. l. 1. Sum. c. 13. n. 13. Bonac. de leg. diſp. 1. q. 1. p. 6. n. 9.* Illud etiam advertendum, quod ſi conſtet lumen rationis ante ſeptennium ſufficienter adeſſe, ex eo tempore aderit obligatio Miſſæ audiendæ, quia iſti jam ſunt capaces obligationem legis percipiendi, adeoque eadem obligatione ligantur: *Navar. in Man. c. 21. n. 7. Az. t. 1. l. 7. c. 2. q. 1.*

Quamvis autem omnes Fideles teneantur ad audiendam Miſſam die feſto, non tamen hoc præcepto ligantur Infideles, utpote qui Legibus Eccleſiaſticis non ſubjacent, cum non ſint de Eccleſia: præceptum autem de ſanctificandis diebus feſtis per Sacri auditionem eſt mere Eccleſiaſticum. Imo infideles a Miſſæ Sacrificio omnino excluſos voluit ipſa Eccl.

Q. IV. An Peregrini exiſtentes extra proprium territorium teneantur ad feſta proprii Territorii.

R. Peregrini extra proprium territorium non tenentur ad feſta, quæ ſolum in proprio territorio obſervantur. Ratio eſt, quia præceptum de ſervando aliquo die feſto in particulari Civitate, vel Communitate, reſpicit directe talem locum, & ratione illius Subditos exiſtentes in ipſo; qui ergo ſunt extra proprium Territorium non ligantur tali præcepto. Quod vero tale præceptum directe illum locum reſpiciat, exinde probatur, quia tale præceptum eſt de cultu religioſo in tali loco Deo tribuendo vel ob acceptum beneficium, vel ad novum beneficium acquirendum. Ita magis communiter DD. *Suar. t. 1. de Relig. l. 2. c. 13. Sanch. de Matr. l. 3. d. 18. num. 18. & 21. Pal. t. 1. tr. 3. d. 1. p. 24. §. 4. n. 1. Trull. l. 3. Decal. c. 1. dub. 3. num. 3.* Conſonant S. S. Canones, & Leges Civiles, nam *cap. Ut Animarum v. ſtatuto Epiſcopi de Conſtit. in 6.* dicitur excommunicationem latam ab Epiſcopo con-

contra furantes, non afficere furantes extra Territorium ipſius Epiſcopi. Et idem habetur de aliis pœnis *leg. ult. ff. de juriſd. judic junct. Gloſſ.* Stet ergo quod licet Civis alicujus Civitatis alibi tranſeunter exiſtens adhuc gaudeat privilegiis Patriæ, & moraliter in ea reputetur, id tamen non verificatur reſpectu preceptorum oneroſorum.

Contra hucuſque dicta militat hoc argumentum, quod ſcilicet ſi Peregrinus extra proprium Territorium non tenetur legibus ſuæ Civitatis, poſſet facile eludere præceptum ſanctificandi dies feſtos, tranſeundo a ſua Civitate ad alienam Diœceſim, vel ad aliud territorium; id autem minime videtur admittendum, cum fraus nemini debeat patrocinari contra legem.

Ante ſolutionem hujus objectionis primo venit obſervandum, quod ſi quis diſcederet a ſua Civitate, vel Oppido eadem die, qua obligat præceptum de audienda Miſſa, tenetur ante diſceſſum Miſſam audire, quia jam præceptum obligat incolas illius loci. Quidam putant id valere, ſi ibidem unica tantum Miſſa celebretur; nam omnes incolæ loci tenentur ad illam unicam Miſſam audiendam, non vero ſi toto mane plures ibi celebrentur Miſſæ, Ratio horum eſt, quia nemo tenetur ad audiendam Miſſam primo mane, ſed bene poteſt expectare circa meridiem; ſi ergo antea diſcedat, videtur pro illo deeſſe obligatio Miſſæ audiendæ, cum non amplius ſit in loco, quando illam tenebatur audire. *Anton. a Spir. S. hic d. 1. num. 11, Leſſ. l. 4. c. 2. d. 8. n. 16., Bonac. t. 1. d. 4. q. ult. p. 12. n. 5.* Vide ea, quæ dixi *in Tr. de Leg. q. 3. c. 1 quæſit. 4.*

Reſpondendo modo præfatæ objectioni dico quod, ut aſſeritur in *Tr. de Leg. loc. cit.*, dupliciter poteſt quis opponere impedimentum obligationi legis. Primo, ita, & taliter ut per ipſum aliquis non eximatur ab obligatione legis, & tale impedimentum illicite ponitur, neque liberat a culpa; nam cum lex non deſinat obligare: jam ſi non adimpleatur, non deerit peccatum. Exemplum ſit in eo, qui non egrediendo a Territorio, ubi adeſt obligatio audiendi Sacrum, adhuc tamen ita ſe elongat ab Eccleſia, ut prævideat ſe Sacrum non auditurum. Secundo, ita impedimentum apponatur adimpletioni legis, ut ſimul eximat ab ipſius legis obſervantia, ut ſi quis propter defatigationem in venando ægrotet, unde non poſſit Sacrum audire. Cum igitur ſtante tali impedimento ceſſet legis obligatio, bene poteſt ſine peccato lex non adimpleri. Ita venit in caſu noſtro; nam qui egreditur territorio, tale apponit impedimentum, ut ipſum eximat ab obſervantia diei feſti ac proinde non peccat diem feſtum non obſervando. Quidquid autem multi dicant, puto, ita operantem ſolum debere ſibi proponere velle uti jure ſuo, non vero velle apponere impedimentum in fraudem legis, nullis enim patrocinari debet fraus, & dolus.

Q. VII. An Peregrini teneantur ad Feſta loci, in quo tranſeunter commorantur.

R. Peregrini non tenentur ad ſervanda Feſta Territorii, in quo tranſeunter commorantur. Ratio eſt, quia quamvis lex de obligatione ſervandi diei feſti directe reſpiciat locum, eoque mediante incolas illius, nihilominus non poteſt afficere incolas, niſi ſint ſubditi, neque enim lex ligat non ſubditos; unde cum peregrinus tranſiens per aliquem locum non ſit ibi ſubditus, ſequitur non ligari lege præcipiente ſanctificationem alicujus diei in illo loco: *Gloſſ. in cap. quæ contra diſt. 8. v. aut peregrini. Boſſ. de Jubil. ſect. 4 caſ. 18. numer. 49., Bonac. de leg. diſp. 1. q 1. p. 6. n. 36.*

Dices, Scholares, Mercatores &c. degentes in aliquo loco, quamvis ibi non habeant domicilium, tenentur ad ſanctificandos dies feſtos illius loci. Item eamdem contrahunt obligationem, qui ibidem morantur per octo, aut quindecim dies: pari ergo ratione tenebuntur ad feſta particularia loci Peregrini, qui ibi per duos, vel tres dies tranſeunter commorantur. Duo expoſcit examinanda hæc replica.

Primo igitur, quantum ad Scholares, & Mercatores obſervandum; quod licet non dicantur habere domicilium in locis, ubi degunt, ſi non habeant animum perpetuo ibi manendi: *leg. domicilium ff. ad. municipalem*, nihilominus dicuntur ibi habere quaſi domicilium, eo quod ibi habeant animum commorandi pro majori parte anni, & proinde ibi etiam habent habitationem, ſeu officinam &c. Ubi autem quis habet quaſi domicilium, habet etiam forum, ut poſſit etiam velut ſubditos judicari, ut conſtat *ex leg. 2. Cod. lib. 3. tit. 4 ubi de Crim. agi oportet, & leg. etiam 2. ibid. t. 24. Ubi Senatores &c.* Et ſpecialiter de Mercatoribus habetur *leg. hæres abſens §. Proinde ff. de Judiciis*. Si ergo ex quaſi domicilio acquiritur forum, & maxime in rebus ſpiritualibus, & ita ex quaſi domicilio, quis dicitur Parochianus, & ſubditus Parochiæ ubi habitat, ut liquet *ex cap. in noſtra de ſepultur., & cap. fin. d. Paroch.*, conſequens eſt, ut tamquam Subditus Parochiæ, & conſequenter Civitatis ubi inhabitat, teneatur ad feſta particularia illius loci: *Boſſ. loc. cit. n. 43. Suar. t. 1. de Relig. l. 2. c. 14 n. 3. & 4., Baſil. l. 5. de Matr. c. 7. §. 1. n. 7., Fagund. in præcept. Eccleſ. l. 1. c. 8. a n. 7.* Immo obſervandum, quod cum ab eo momento, in quo alicubi figunt domicilium animo ibi permanendi pro notabili parte anni, ibi acquirant quaſi domicilium, jam ab eo momento tenentur ad feſta, & jejunia particularia illius loci: *Sanch. de Matr. l. 3. d. 23. n. 2.*

Quantum vero ad Peregrinos, qui ſaltem per Octo, vel quindecim dies, & multo magis qui per menſem alicubi commorantur, puto & ipſos teneri ad ſervanda particularia feſta loci, ubi degunt, quamvis ex diverſa ratione, quidquid in contrarium dicant plures Theologi. Obſervant igitur DD., qui meæ favent opinioni, quod homines pii, & docti, conſiderantes inconvenientia, & ſcandala, quæ oriri poſſent ex non obſervantia particularis feſti celebrati in loco, in quo tranſeunter morantur per tempus præfactum, judicant, ſe obligatos ad cultum talium feſtorum. Cum autem ipſorum praxi, & opinioni ſe conformaverint alii advenæ inducti, accendente tacito conſenſu Epiſcoporum, introducta eſt apud omnes Fideles conſuetudo, ut ab advenis, qui per aliquod tempus non ita exiguum alicubi commorantur, obſerventur feſta particularia loci, ubi degunt: legitima autem conſuetudo habet vim legis, & obligat in conſcientia, ut in confeſſo eſt apud omnes DD. *Suar. t. 1. de Relig. l. 2. c. 14 a n. 6., Leſſ. l. 4 c. 2. d. 7. n. 50. Baſil. l. 5. de mat. c. 7. n. 6. & 14., Fagund. l. 1. c. 8. n. 14. & 20.* Scandala vero, & inconvenientia, quæ ſequerentur, ſi advenæ alicubi commorantes, non mere tranſeundo, non ſervarent jejunia particularia, ſive feſta illius loci, da ſe conſtant; nam facillime tunc & plures Incolæ talium locorum neque jejunarent, neque ſacrum audirent. Multo autem magis ſcandalum, orietur, ſi vagi, qui nullibi habent domicilium, ſervare nollent feſta, & jejunia loci, in quo degunt; nam apprehenderetur eos non obſervare, non eo quod ſubdantur legibus particularibus loci, ſed quaſi ex contemptu; cum hujuſmodi Vagi videantur vagando, quæ ad profectum animæ pertinent, parvipendere. Hæc autem inconvenientia non tam facile ſequi poſſunt quoad peregrinos per duos, vel tres dies alicubi commorantes; unde quoad hos non conſtat, dari conſuetudinem, quæ illos obliget ad feſta particularia alicujus loci ſervanda.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Eo quod Princeps ſæcularis careat poteſtate indicendi dies feſtos, nullum erit peccatum, ſi dum præcipit aliquem diem tamquam feſtum habendum, ſubditus non audiat Sacrum, vel vacet operibus ſervilibus. Hoc in praxi propter rudes attendere debet Confeſſarius, ne ratione ignorantiæ peccent, ſi aliter ſe gerant.

II. Cum Feſta particularia non ſolum Civitatum, ſed etiam Oppidorum, & communitatum quamvis introducta fuerint a populo, etiam approbata ſaltem tacite intelligantur ab Epiſcopi; ac proinde unuſquiſque putet ſub gravi ſe teneri ad audiendum Sacrum, & ad abſtinentia ab operibus ſervilibus, hinc eſt non ſervantes feſta talis Oppidi, vel Communitatis non poſſe excuſari a gravi peccato ex dictis in ſuperiori capite.

Quomodo autem Oppidani teneantur ad vota ab Anterioribus facta de ſervando die tanquam feſto, ſatis dictum eſt dum egimus de voto:

III. Quamvis Peregrinus non peccet, ſi non ſervet dies feſtos loci, ubi per duos, vel per tres dies commoratur, vitare tamen debet quantum poteſt ſcandalum paſſivum, quod facile evenire poteſt reſpectu rudium &c. ad id enim tenetur ex regulis Charitatis. Qui vero inibi commoratur per quindecim dies, aut per menſem, debet tale feſtum ſervare, quamvis non adeſſet ſcandalum; licet enim ad vitandum ſcandalum introducta ſit conſuetudo, ut qui per dictum tempus commoratur in aliquo loco, ſervet feſta, & jejunia particularia illius loci, modo nihilominus, cum legitime introducta ſit talis conſuetudo, obligat, etiamſi non adſit ſcandalum.

IV. Quamvis præceptum de die feſto ſanctificando, non

non obliget niſi ad Miſſam audiendam, & ad abſtinendum ab opere ſervili, nihilominus cum tale tempus ab Eccleſia præcipue ad Animarum ſanctificationem ſit deputatum, Confeſſarius talibus diebus valde dedecere demonſtret choreas, aliaque ludicra ſpectacula, immoderatos ludos, immoderatas commeſſationes fœminas inviſere &c. Audiant Parochi quid eis, & Concionatoribus præceperit S. Carolus in Conc. III. Mediolanenſi *tit. de feſtor. dier. cult. Ut vero*, inquit, *hi dies anni pietate, & religioſius colantur, hæc crebro populum Parochi, & Concionatores admoneant, atque hortentur: ut illorum dierum tempus, quod Deo ejuſque cultui debetur, in iis actionibus totum conſumant, in quibus ſancte conſumendum eſt. Ut concionem mane, & ſacram lectionem a prandio, ubi explicari ſolet, audiant. Ut divinis verſerum præſertim officiis præſentes pie religioſeque adſint. Ut in chriſtianæ doctrinæ rudimentis, ac præceptis, vel percipiendis vel recipiendis verſantur. Ut in operibus etiam officiiſque pietatis ſe exerceant, ægros homines viſitando, morientes pie conſolando, & aliis hujuſmodi præſtando. Ut denique ab illis actionibus, unde omnes peccandi materia, atque occaſio exiſtit, feriati, in ea opera incumbant, ob quæ ſunt illi ſacri inſtituti dies.*

CAPUT II.

De Præcepto audiendi Sacrum die feſto, & quomodo ſit adimplendum; & de Cauſis, quæ excuſant ab obſervando hoc præcepto.

Suppono ex prædictis dari præceptum Eccleſiaſticum conforme legi naturali, & Divinæ, de audienda Miſſa die feſto, & de ſua natura graviter obligare, quia materia ipſa gravis eſt. His autem ſuppoſitis.

Q. I. Quando quis peccet mortaliter ex omiſſione alicujus partis Miſſæ.

R. Cum materiæ levitas, vel gravitas penſanda ſit ex prudentum æſtimatione, ſequitur, non peccaturum mortaliter, qui omitteret Miſſam ab initio uſque ad Evangelium excluſive, vel ſi omitteret ea, quæ ſunt poſt Communionem uſque ad finem; nam communiter Authores hujuſmodi omiſſiones excuſant a peccato gravi propter levitatem materiæ. Ex eadem ratione probabiliter ſuſtinetur, quod qui aſſiſtit Miſſæ poſt dictum Evangelium uſque ad ultimum Evangelium incluſive, non peccet mortaliter, eum; quampluribus Theologis hujuſmodi omiſſio videatur materia levis: *Lugo diſp. 22. de Euchar. ſect. 1. n. 3., Fagund. de 1. præcept. Eccleſ. l. 2. cap. 6. n. num. 2., Anton. a Spir. Sanct. diſp. 1. ſect. 4.*

Poſt inceptum Canonem omiſſio minoris partis cenſetur materia gravis ex dignitate etenim rei omiſſæ merito levitas, vel gravitas computatur: quapropter quæ magis propinqua ſunt ad eſſentiam, vel integritatem Sacrificii, eo graviora reputanda ſunt, & ideo minus requiritur ut omiſſio ſit gravis. Hinc primo reputatur omiſſio gravis, ſi quis omittat aſſiſtere ſoli conſecrationi, quamvis aſſiſtat cæteris partibus ſacrificii. Hæc eſt communior Theologorum ſententia; ſicut etiam non pauci docent, peccare mortaliter non aſſiſtentem ſoli ſumptioni, quia ſi non ſit pars eſſentialis, eſt tamen pars integralis: omittens autem aſſiſtere eſſentiæ, vel integritati ſacrificii, non cenſetur omittere levem partem Sacrificii. *Averſ. de Euch. q. 11. ſect. 29. §. Rurſus, Paſqual. de Sacrif. q. 1272. Palaus tr. 22. p. 16. n. 6.* Secundo, graviter peccat, qui, peracta conſecratione, non aſſiſtit Miſſæ uſque ad Pater Noſter excluſive; ex propinquitate enim ab ſubſtantiam ſacrificii hujuſmodi pars reputatur gravis, & notabilis in Dignitate: *Paſqual. qu. 1284.*, & alii, quos ſequitur *Leandr. tr. 1. diſp 2. q. 48.*

Q. II. An ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam, qui dimidiam Miſſam audit ab uno Sacerdote, & aliam dimidiam ab alio; Vel ſi quis eodem tempore duas medietates Miſſæ audiat, e.g. Miſſam unius uſque ad Conſecrationem, & alterius uſque ad finem.

R. I. Adhuc ſub lite eſt, an ſatisfaciat præcepto de audienda Miſſa, qui duas Miſſæ medietates ſucceſſive audit a diverſis Celebrantibus. Ratio ſententiæ affirmantis eſt, quia auditio Miſſæ tali modo facta terminat ad Miſſam integram moraliter, ſi inter unam partem, & aliam non adſit interruptio magni momenti. Hinc ſi deficiente Sacerdote poſt conſecrationem alter ſuppleat, una dicitur Miſſa, & unum Sacrificium: *Pal. t. 4. tr. 22. d. unic. p. 6. n. 9., Averſa de Euchar. q. 11. ſect. 9. Bonac. diſp. 4. q. ult. p. 11. n. 13.*, pluréſque alii. Hinc ſcribentes in propoſitionem damnatam ſtatim citandam relinquunt in ſua probabilitate iſtam ſententiam. Non tamen aſſentirer iis, qui dicunt, etiam ſatisfieri poſſe audiendo prius ab uno Sacerdote poſteriorem partem Miſſæ, & deinde ab altero priorem; nam videtur mens eſſe Eccleſiæ, ut audiatur eo ordine, quo Miſſæ Sacrificium celebratur; ſicuti ſi eadem Eccleſiæ mens attendatur, quæ videtur eſſe de audiendo integrum Sacrificium ab eodem Miniſtro, dicerem, non poſſe audiri integram Miſſam a duplici Miniſtro: *Paſqual. q. 1290. Lug. d. 22. n. 8.*

R. II. Non ſatiſfacit præcepto Eccleſiæ, qui duas Miſſæ medietates audit eodem tempore a diverſis Sacerdotibus. Non eſt igitur amplius locus in contrarium opinandi, cum Innoc. XI. ſub *n.* 53. ſequentem damnaverit propoſitionem: *ſatiſfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor ſimul a diverſis Celebrantibus audit.* Ratio autem intrinſeca eſt, quia Miſſa de ſua natura conſtat ex partibus ſucceſſivis, ſi ergo audiantur eodem tempore duæ medietates Miſſæ, cum non audiantur ſucceſſive ejus partes, nec verificatur moraliter integram Miſſam audiri. Alia ratio deſumitur ex intentione Eccleſiæ præcipientis auditionem Miſſæ die feſto; nam nunquam potuit intendere, Fideles ipſius præcepto ſatisfacere per ſimultaneam auditionem duarum partium Miſſæ, cum potius ejus intentio fuerit; ut ſucceſſive conſideret fidelis, quæ in Miſſa repræſentantur, & vacet Deo per totum tempus neceſſarium ad audiendam unam Miſſam per partes ſucceſſivas. Id etiam conſtat ex aliis præceptis Eccleſiæ, quibus non ſatisfit niſi ſucceſſive adimpleantur. Ita præcepto de recitandis horis canonicis, non ſatisfaceret ille, qui e.g. audierit eodem tempore recitari a Diverſis omnes Lectiones Matutini; & ſi recitaret cum ſocio, non ſatisfaceret niſi unum poſt alium Pſalmi verſum recitaret.

Cæterum advertendum, quod quamvis ex condemnatione ſupracitatæ ſententiæ ſolum habemus non ſatisfacere Eccleſiæ Præcepto, *qui duas partes, immo quatuor ſimul a diverſis Celebrantibus audiret*, nihilominus tenendum eſt, ſubjacere condemnationi etiam propoſitionem, quæ ſolum aſſereret, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, *qui duas ejus partes ſimul a diverſis Celebrantibus audierit.* Ratio eſt, quia ſi poſſent ſimul audiri duæ Miſſæ medietates, non eſſet ratio cur non poſſent ſimul audiri quatuor ejus partes.

Q. III. An qui non potuit integræ Miſſæ intereſſe, teneatur audire partem Miſſæ, quæ remanet.

R. Si Conſecratio peracta ſit, aliqui putant, ceſſare obligationem de Miſſa audienda, quia non amplius quis aſſiſtere poteſt eſſentiæ Sacrificii: *Lugo de Euchar. diſp. 22. ſect. 1. n. 6.* At ego putarem, reliquam partem Miſſæ audiendam eſſe, qui etenim non poteſt ſolvere majorem partem, adhuc tenetur minorem: *Bonac. diſp. 2. de præc. q. 8. p. 1. a n. 4.* Certum autem mihi omnino eſt, quod ſi quis accedat ad audiendam Miſſam ante conſecrationem, debet aſſiſtere iis, quæ remanent, utpote quia cum ſint de eſſentia, & integritate Sacrificii, ſunt primo intenta ab Eccleſia præcipiente auditionem Miſſæ: *Bonac. cit. n. 8.*

Q. IV. Quæ præſentia requiratur ad Miſſam audiendam.

R. Ut aliquis ſatisfaciat præcepto de audienda Miſſa, requiritur præſentia moralis humana, & religioſa. Pro præſentia humana morali, intelligitur ea præſentia, qua quis ſecundum hominum judicium intelligitur præſens alicui rei. Tunc autem quis moraliter, & humano modo intelligitur alicui rei præſens, quando poteſt advertere ad id, quod agitur, vel ſaltem conjungitur cum iis, ex quorum ſignis poteſt cognoſcere, id quod fit; ut dum quis cognoſcit quæ in Miſſa peraguntur, eo quod videat alios aſſurgere, genuflectere, pectus tundere &c. Denique etiam dicitur moraliter, & humano modo præſens ille, qui quamvis viſu non percipiat, ſeu auribus non audiat Miſſam, ſcit nihilominus ſe Miſſæ intereſse, & dici poteſt unus ex adſtantibus, & offerentibus ſacrificium cum Sacerdote, quia Sacrificio vel immediate, vel aliis mediantibus eſt preſens.

Ut ergo quis intelligatur præſens Miſsæ, non ſatis eſt, ut quis ſit in Eccleſia ubi celebratur; nam ſi e.g. tanta ſit longitudo Eccleſiæ, ut non poſſit quis præſens eſse moraliter loco, ubi Miſsa celebratur; vel ſi quis terga vertat Altari, in quo offertur ſacrificium, utique non dicetur illi præſens moraliter. E contra bene quis exiſtens extra Eccleſiam dici poteſt ſufficienter præſens Sacrificio; ut ſi quis illam audiat e cæmeterio Eccleſiæ contiguo, & videre ſeu cognoſcere poſſit quid celebrans agat.

agat. Idem dicas de eo, qui ob populi concurſum ingredi non poteſt in parvam Eccleſiam, unde eam extra Eccleſiam audit. Immo non improbabiliter aliqui docent, eſſe moraliter præſentem Miſſæ, qui illam audit e feneſtra, quamvis via publica mediet, ſi inde videre poſſit, aut cognoſcere quid Sacerdos agat: *Lugo de Euchar. diſp. 22. n. 21.*, *Anton. a Spir. Sanct. diſp. 1. n. 31.*, aliique. Duo igitur in præſenti materia mihi videntur attendenda. Primo judicandus eſt ſemper moraliter præſens, ille, qui aliquo modo percipere poteſt quæ facit Sacerdos, etſi illum non videat; ut ſi quis audiret Sacrum intra Chorum, poſt columnam &c. nam dicimur moraliter præſentes illi rei, quam poſſumus aliquo modo percipere, dummodo non videantur de illa non curare; ut ſi quis terga vertendo Sacerdoti, ita vellet Miſſam audire. Secundo, judicandus eſt præſens Sacrificio ille, qui nil videret, vel audiret, at nihilominus ſciret, & vellet intereſſe Miſſæ, vel continuaretur cum aliis, qui viderent, vel cognoſcerent.

Pro præſentia vero Religioſa intelligitur externa corporis compoſitio, ita ut Adſtantes illum videndo, poſſint judicare illum Deo vacare. Quæ autem requiratur attentio, videbimus infra &c.

Q. V. Quæ intentio requiratur ut fiat ſatis præcepto de auditione Miſſæ.

R. Ut fiat ſatis hujuſmodi præcepto, requiritur intentio audiendi Sacrum, non vero intentio adimplendi præceptum. Prima pars reſponſionis patet, quia nemo intelligitur modo humano, & libero ponere aliquid, ad quod tenetur, niſi velit illud facere; unde ſi velit ſatisfacere præcepto de audienda Miſſa, neceſſe eſt ut velit illam audire. Proinde qui aſſiſtit Miſſæ ex metu Pædagogi, ut ſolent facere pueri, ſeu famuli ex metu Domini, revera Miſſam audiunt, ſi habeant intentionem illam audiendi. Peccarent tamen, ſi taliter die feſto ex metu Miſſæ aſſiſterent, ut nollent ipſam audire, ſi vero non compellerentur: *Lugo diſp. 22. ſect. 2. n. 23.* *Anton. a Sp. Sanct. ſect. 1. n. 32.* Item ſatisfacit præcepto de Miſſa audienda, qui habet intentionem illam audiendi, quamvis venerit ad Eccleſiam voluntate mala, & peccaminoſa, e. g. ratione videndi aliquam feminam; hic enim ponit totum, quod præcipitur a Lege; *Lugo n. 24.* Quamvis igitur non adimpleat legis intentionem, ſeu finem, qui eſt componere vitam hominis, id tamen non obſtat, quominus ſatisfaciat legi. Ratio eſt, quia utique non ſatisfacit legi, qui adverſatur intrinſecæ ejus intentioni, quæ eſt circa ponendam materiam, quam præcipit; at ille ſatisfacit, qui ponit materiam, quæ præcipitur, quamvis non aſſequatur finem intentum a Legiſlatore, dum hoc, vel illud præcipit; qui finis dicitur extrinſecus Legis. Hac ratione pluries dixit S. Thomas duplicem eſſe intentionem Legiſlatoris, de qua intendit inducere præceptum; aliam, ad quam intendit inducere per præceptum, & primam ſolum cadere ſub præcepto. Videatur *1. 2. q. 2. art. 1. ad 2.*

E contra, qui Miſſæ intereſſet pure violenter, ita ut poſitiva, & contraria voluntate nollet Miſſam audire, ibique aſſiſteret ſolum externa videtenus; hic non ſatisfaceret præcepto de audiendo Sacro, neque enim actu humano operatur, qui omnino careat voluntate faciendi actum, qui præcipitur.

Quod vero non requiratur intentio adimplendi præceptum, ut fiat ſatis obligationi audiendi Miſſam, ut dixi in reſponſione, exinde probatur, quia Eccleſia tantum præcipit Miſſæ auditionem, non vero reflexam intentionem ſatisfaciendi præcepto.

Q. VI. Quæ attentio requiratur ad audiendam Miſſam.

R. Ad ſatisfaciendum præcepto de Miſſa audienda, requiritur attentio externa, & ſimul etiam attentio ſaltem virtualis interna. Pro attentione externa intendo remotionem omnis negotii, & occupationis externæ, quæ eſt incompatibilis cum auditione Miſſæ; ut ſi e. g. dum quis Miſſam audit, vellet ludere, pingere &c. Ratio eſt, quia etiam illi Theologi, qui negabant neceſſariam eſſe internam attentionem pro ſatisfaciendo præcepto de audienda Miſſa, ſaltem volebant, illum, qui Miſſam audiebat ita ſe gerere, ut externe nullum notabilis diſtractionis ſignum daret, tunc enim nullo pacto verificaretur humano modo Miſſam audire.

Quod vero ſimul requiratur etiam ſaltem attentio virtualis interna, probatur ex eo, quia ita præcipitur ab Eccleſia Miſſæ auditio, ut ſit opus, quod deſerviat ad Dei cultum; nullatenus autem deſervit ad Dei cultum opus factum ab homine ſine ulla interna attentione, ita enim colere Deum poſſet aliquod animal irrationale, quod juſſu Domini, cui ſoleret obtemperare, permaneret in Eccleſia cum externa compoſitione. Ita magis communiter Theologi apud Leandr. *diſp. 1. q. 66.*

Fundamentum contrariæ ſententiæ, quod ſcilicet Eccleſia præcipere non poſſit actus internos, jam alias ſolutum eſt. Eſto igitur Eccleſiam præcipere non poſſe actus internos non habentes ordinem ad actus externos, illos tamen præcipere poteſt, dum dicunt ordinem ad tales actus. Ratio eſt, quia ipſo quod habeat poteſtatem præcipiendi actus externos, dicendum eſt, collatam ſimul fuiſſe illi a Chriſto poteſtatem præcipiendi ea, quæ neceſſaria ſunt ut tales actus ſint humani, & religioſi, & tales eſſe non poſſunt, ſi deſit omnis attentio. Hinc *cap. dolentes de celebr. Miſſ.* præcipitur ut recitatio officii fiat *ſtudioſe & devote*, quod non poteſt evenire ſine aliquo actu interno.

Ex S. autem Thoma *2. 2. q. 83. a. 13.* triplex eſt attentio, ad verba ſcilicet, ad ſenſum verborum, & ad finem orationis, qui eſt Deus. Ut igitur fiat ſatis præcepto de Miſſa audienda, ſufficit ſi qui Miſſæ adeſt vel attendat ad ea, quæ dicit Sacerdos, aut facit, ut ad quamdam rem ſacram; quæ attentio, quamvis omnium infima, eſt tamen ſufficiens, quia humana. Item ſi attendat ad ea, quæ talibus verbis, & factis ſignificantur, ſcilicet ad beneficia nobis a Deo præſtita, maxime in ſua paſſione, quæ attentio eſt perfectior. Sicut etiam ſi attendat ad Deum, & hujuſmodi attentio eſt finis præcepti omnium perfectiſſima; nam ex ea non ſolum ſequitur mereri, & impetrare, ſed etiam quædam ſpiritualis perfectio mentis, ut docet S. Th. ubi ſupra, maxime ſi ſit actualis.

Ut vero una ex præfatis attentionibus ſit virtualis, quam diximus eſſe neceſſariam pro audienda Miſſa, requiritur ut dum quis incipit Miſſam audire, actualiter attendat uno ex modis jam dictis, & deinde ut non amoveat dedita opera mentem a tali attentione, & aliquam diligentiam adhibeat ad repellendas diſtractiones. Hinc a peccato mortali poteſt excuſari ille, qui poſtquam incepit audire Sacrum cum debita attentione, ſi poſtea vexetur a moleſta diſtractione, vel a ſomno, taliter reſiſtit, ut advertat, ſe non omittere partem notabilem Miſſæ, quamvis ob moleſtiam diſtractionis, vel ſomni, non amplius actualiter habeat aliquam ex præfatis attentionibus. Secus ſi culpabiliter per notabilem partem Miſſæ fuerit diſtractus, vel dormierit; tunc enim omnino deeſt neceſſaria attentio.

Immo etiam exercens aliquid pium, quod tamen incompoſſibile ſit cum debita attentione ad Sacrificium Miſſæ, non adimplet præceptum. Hinc nunquam ſatis percipi quomodo tali præcepto poſſit ſatisfacere, qui confitetur peccata ſua eo tempore, quo audit Miſſam, nam hujuſmodi actio primo eſt incompoſſibilis cum attentione interna ad Sacrificium Miſſæ. Deinde impedit, ut ille, qui confitetur peccata ſua, intelligatur ſecundum communem modum agendi inſimul cum Sacerdote offerre Sacrificium, orare &c. eſt enim actio nimis diſperata Miſſæ Sacrificio, adeoque impediens, ut qui confitetur peccata ſua, intelligatur moraliter, & religioſe præſens Sacrificio. Excuſaretur nihilominus a peccato gravi, qui per breve tempus confiteretur ſua peccata ita ut verificaretur non omiſiſſe partem, quæ ſit neceſſaria pro adimplendo tali præcepto. Idem dicas de Confeſſario, qui eo tempore, quo excipit Confeſſiones, vellet Miſſam audire: *Lugo diſp. 22. ſect. 2 n. 03.*, *Candid. diſp. 25. a. 29. dub. 10.* Secus dicendum de illo, qui alia pia opera faceret, quæ non eſſent incompoſſibilia cum Miſſæ auditione; ut ſi conſcientiam examinaret, recitaret Roſarium, Horas Canonicas &c. nam iſte ſufficienter intelligitur ad Deum attendere, adeoque habet neceſſariam attentionem, ut ſatisfaciat præcepto de Miſſa audienda. Ita communiter Theologi apud Leandr. *qu. 68.*

Q. VII. An in extaſim raptus, dum Miſſæ intereſt, ſatisfaciat præcepto de Miſſa audienda.

R. Non pauci Theologi reſpondent negative; nam in tali ſtatu non poteſt eſſe attentio ad ea, quæ in Miſſa peraguntur. Ultraquamquod eum raptus in extaſim careat ſenſuum operatione, videtur pariter ſine libertate; nam libertas eſſe non poteſt ſine ſenſuum operatione.

Nihilominus omnino dicendum, patientem extaſim eo tempore, quo Miſſam audit, ſatisfacere præcepto de Miſſa audienda. Ratio eſt, quia attentio omnium perfectiſſima tum in cæteris orationibus, tum in Sacro audiendo eſt attentio ad Deum, ut vidimus ſupra ex

S. Thom.

S. Thom., ſed qui ex contemplatione Divinorum in extaſim rapitur, totaliter Deo adhæret, ergo habet perfectiſſimam attentionem, qua ſatisfacere poteſt præfato præcepto. Confirmatur, quia ſi conſideremus finem, quem habuit Eccleſia præcipiendo Sacri auditionem, alius utique non fuit, niſi ut contemplatione Divinorum ipſi Deo adhæreamus &c. Nullus ergo melius adimplet præceptum de Sacro audiendo, quam qui in extaſim rapitur, cum perfectiſſime aſſequatur finem talis præcepti.

Nec obſtant quæ pro contraria opinione dicuntur. Primo igitur, non poteſt dici in eo, qui rapitur in extaſim, eſſe defectum attentionis, cum potius perfectiſſime vacet Divinis, ut patet ex dictis. Pariter qui patitur extaſim, non caret libertate neceſſaria pro adimplendo præcepto. Id autem conſtabit, ſi obſervetur diſcrimen inter illum, qui impeditur a ſomno, & inter illum, qui rapitur contemplatione Divinorum. Primus ideo non amplius remanet liber, quia in ſomno ex abundantia vaporum aſcendentium ad cerebrum impeditur uſus phantaſmatum, ex quo intervenit etiam, ut impediatur uſus libertatis; nam vires naturales, & rationales naturaliter operari non poſſunt ſine converſione ad phantaſmata. In extaſi vero vires rationales non ſunt impeditæ, cum vehementer rapiantur in Deum, ipſique Deo adhæreant Divina contemplando, ex quo quamvis oriatur ſenſuum ligatio, non impediuntur vires rationales; immo intellectus, & voluntas, quia elevantur ad cognoſcenda ſupernaturalia per ſpecies a Deo infuſas, perfectiſſimo modo operantur. Operantur etiam libere, nam ſolus Deus in Patria clare viſus habet neceſſitatem ad ſui amorem. Hinc merito ſuſtinent Theologi, animam, quæ patitur extaſim, non carere merito; libere enim, & perfecte operando, utique non operatur ſine merito: *Suar. t. 3. in 3. p. diſp. 88. ſect. 3. Ledeſm. 1. p. Sum. cap. 27. concl. 12. Trull. l. 3. in Decal. cap. 1. dub. 5. n. 14.*

Q. VIII. Quæ ſint cauſæ excuſantes a Miſſæ auditione.

R. I. Prima cauſa eſt impotentia ſpiritualis, quæ intervenit propter excommunicationem, vel interdictum: nam excommunicatus etiam toleratus non poteſt cum aliis Miſſæ Sacrificio aſſiſtere; tempore autem interdicti non licet Miſſas celebrare. Non excuſarentur tamen in Interdicto locali ab auditione Miſſæ Clerici, & Religioſi; nam in tali interdicto non comprehenduntur: *cap. Quod in te, de Pœnit. & remiſſ., cap. quod nonnullis de Privil.*, unde poſſunt Divina celebrare adhibita moderatione, de qua *in cap. alma Mater, de pœnit. & remiſſ.* Quapropter cum non comprehendantur prohibitione, ratione ipſorum viget præceptum, ac ſi non daretur interdictum. Videantur quæ dixi in *Tr. de Cenſ. q. 4. cap. 1. q. 5.*

R. II. Secundum caput eſt corporalis impotentia, ratione cujus non ſolum intelligitur impoſſibilitas audiendi Sacrum, ut evenit quando quis eſt in mare, in carcere, vel lecto detinetur ex gravi infirmitate; ſed etiamſi prudenter timeatur damnum notabile in ſalute, vel longius protrahendam convaleſcentiam ex acceſſu ad Eccleſiam propter Miſſam audiendam. Imprudenter autem hæc timeret, qui domo egrederetur ad alia negotia æqualis laboris, ſolumque timeret præfata damna propter Miſſæ auditionem.

Quod ſi Valetudinarius, ſeu Infirmus dubitet, an ſubire poſſit grave damnum in ſalute ex Miſſæ auditione, tunc conſulere quoad hoc debet Medicum, Superiorem, vel Parochum, & ſi horum conſilio non valeat dubium ſuperare, non debet domo exire, ne ſe periculo exponat gravioris morbi; & hanc utique reputare debet mentem S. Matris Eccleſiæ præcipientis auditionem Sacri.

Hic etiam advertendum, habentem privilegium audiendi Sacrum domi in Oratorio privato, non teneri uti tali privilegio, ut audiat Miſſam, quando non poteſt domo exire. Ratio eſt, quia, licet qui ligatur aliquo præcepto teneatur apponere media communia, & ordinaria, ut eidem præcepto ſatisfaciat, non tamen tenetur apponere media extraordinaria, & maxime ſi ſint odioſa juri communi; inter quæ eſt uſus privilegii de celebranda Miſſa domi, cum tale privilegium ſit etiam minus conforme reverentiæ Sacrificii. Præterea eſt medium extraordinarium, non contentum in præcepto de Sacro audiendo, adhibere Sacerdotem ut domi celebret. Ita non pauci Theologi apud *Leand. r. qu. 19.*

R. III. Impotentia moralis excuſat a præcepto audiendi Miſſam. Ratio eſt, quia ex communi DD. judicio, & ex recepta conſuetudine hoc præceptum ita latum eſt ut ab illius obſervantia excuſet cauſa mediocriter gravis. Excuſabit igitur ſuper omnia ab auditione Miſſæ periculum vitæ, ſeu gravis rixæ, & inimicitiæ; pudor, & dedecus, quod aliqua perſona pateretur, ſi deberet Sacrum audire: notabilis diſtantia a loco, ubi poteſt Miſſa audiri; quæ tamen reſpectu diverſarum perſonarum aliquando notabilis eſt, aliquando non: Jactura non ita exigua bonorum temporalium &c.

R. IV. Excuſatur ab obligatione audiendi Sacrum, qui impeditur ratione Officii, vel juſtæ obedientiæ. Ex primo titulo excuſatur miles, quando ob cuſtodienda caſtra &c. non poteſt Miſſam audire. Titulo vero obedientiæ excuſari poteſt Famulus, cui ob neceſſarium miniſterium Dominus prohiberet, ne die feſto Miſſam audiret. Idem dicatur de famulo, vel uxore, ſi timeant gravia jurgia non obediendo Domino, vel Marito prohibentibus Sacri auditionem, ſecus ſi ſolummodo duriuſcula verba &c.

R. V. Titulus Charitatis excuſat ab eodem præcepto de Miſſa audienda. Ratio eſt, tum quia obligatio charitatis oritur a jure naturali, quapropter prævalere debet præcepto poſitivo Eccleſiæ de Miſſa audienda: Tum quia nullatenus credendum eſt, Eccleſiam velle obligatos ad audiendum Sacrum eos, qui alibi vocantur a Charitate. Hinc licite omittit Sacrum, qui deſervit Infirmo, ſi alium non habeat quem ſubſtituat; ſicut etiam ſi ex ipſius abſentia Infirmus gravem laborem, & animi anxietatem pateretur, quamvis alius eſſet, qui poſſet Infirmo deſervire.

R. VI. Ultima cauſa, qua quis excuſari poteſt ab audienda Miſſa, eſt conſuetudo rationabilis, legitimo tempore præſcripta, & a Paſtoribus tolerata. Hujuſmodi eſt illa conſuetudo, qua in quibuſdam Regionibus poſt mortem Viri, Uxores aliquibus diebus ſe continent domi &c. Omnes tamen advertunt, vigilandum eſſe, ne introducatur iſta conſuetudo, ubi non eſt, & ubi eſt, abrogandam, vel moderandam quoad fieri poteſt.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quamvis Confeſſarius ſuadere debeat, quantum poteſt, Pœnitentibus, ut aſſiſtant Miſſæ, ſaltem nondum inchoato primo Evangelio uſque ad finem incluſive, nihilominus non ita facile condemnare debet peccati mortalis illum, qui poſt Evangelium aſſiſteret Miſſæ uſque ad finem incluſive; nam ſi ita certo certius eſſe affirmet ſuis Pœnitentibus, jam talem conſcientiam ſibi efformabunt, & proinde peccarent mortaliter, quando non etiam primum Evangelium audirent. Præterea ipſos quandoque poſſet redigere in graves anguſtias, quando acceſſiſſent ad Eccleſiam poſt primum Evangelium, & non ita facile eis eſſet aliud audire Sacrum. Quandoquidem igitur non pauci Theologi ſuſtinent, non dari peccatum grave, ſi audiatur Miſſa poſt primum Evangelium uſque ad finem, ut videre eſt apud *Laym. tract. 7. cap. 5. n. 3. Averſ. q. 11. ſect. 29. §. 6. Dian. t. 2. tr. 3. reſol. 21.* Non facile gravis peccati eſſet condemnandus qui ita faceret cum ſimus in re, quæ pendet a prudentum æſtimatione. Eadem ratione excuſari fortaſſe poſſet a gravi culpa qui non aſſiſteret ſumptioni, quamvis Theologi magis communiter ſentiant contrarium.

II. Cum verificetur moraliter eſſe præſentem Miſſæ, qui aliquo pacto unitur cum aliis, qui ſunt præſentes Sacrificio, hinc inferunt Theologi, ſufficienter eſſe præſentem Miſſæ qui manens extra Eccleſiam propter anguſtiam loci, aliis conjungitur, qui aſſiſtunt Sacrificio. Eadem ratione non reputatur abſens Sacrificio, qui pro deferendo vino, thure, aliiſque neceſſariis ad ſacrificandum, recedit ab Altari, vel accedit ad Sacriſtiam: nam cum verificetur Miſſæ inſervire, ſive cooperari Sacrificio, intelligitur moraliter eſſe cum aliis, qui eidem Miſſæ inſerviunt, vel aſſiſtunt. Non deſunt tamen, qui dicant, quod ſi Miſſæ inſerviens per tempus notabile recedat ab Eccleſia, ut aliqua Miſſæ neceſſaria ſubminiſtret, non ſatisfaciat præcepto de Miſſa audienda, cum videatur, & phyſice, & moraliter abſens.

III. Eu quia non requiratur intentio ſatisfaciendi præcepto, dum Miſſa auditur die feſto, advertat Confeſſarius bene ſatisfacere præcepto, qui e. gr. Miſſam audit etiam cum hac poſitiva intentione non ſatisfaciendi per illam præcepto, cum etenim habet voluntatem audiendi Miſſam, huic voluntati utpote efficaci, & principaliori, & de ſe ſufficienti ad ſatisfaciendum præcepto, ſemper cedit alia inefficax non ſatisfaciendi. Id autem ma-

maxime attendendum quoad ſcrupuloſos, qui ſæpe dum audiunt, vel poſtquam andierunt Miſſam volunt illam habere pro non audita, cum intentione aliam audiendi; nam revera ſatisfecerunt præcepto, & non tenentur aliam audire.

IV. Ex eo quod ſufficiat attentio virtualis interna ad Miſſam audiendam, ſicuti certum eſt, non illam audire, qui nullatenus ad illam advertit, ita judicandum eſt habere ſufficientem attentionem, qui licet ſit mente diſtactus, non tamen advertit ſe eſſe a Miſſa diſtractum. Auferendos igitur ſcrupulos multorum, notet Confeſſarius, quod ille, qui actuali attentione incœpit Miſſam audire quamvis poſtea adverrat ſe mente circa alia divagari, nihilominus non cenſetur ſine virtuali attentione, uſquedum advertat etiam per talem diſtractionem a Miſſæ Sacrificio diſtrahi; ita enim interrumpitur virtualis attentio ad idem Sacrificium. Sic etiam non ſufficienter intelligitur diſtractus a recitatione Horarum Canonicarum, qui advertit ſe eſſe circa alia diſtractum, ſi ſimul non advertat eſſe diſtractum a recitatione &c.

V. Quia ad ſatisfaciendum præcepto de Miſſa audienda, ſatis immo omnium optima eſt attentio ad Deum; ideo bene ſatisfacit tali præcepto, qui, dum Miſſam audit, recitat aliquas preces vel voluntarias, vel de præcepto; cum orans bene intelligatur habere attentionem ad Deum. Præterea recitatio talium precum non impedit religioſam præſentiam Sacrificio Miſſæ, & ſufficienter poteſt quis utrique operi ſimul attendere, quod non judicatur poſſibile, ſi ſimul quis velit confiteri ſua peccata, & Miſſam audire, qua ratione diximus non poſſe utrumque ſimul præſtare.

VI. Ex capite moralis impotentiæ excuſet Confeſſarius ab audienda. Miſſa non ſolum illum, qui incurreret in probabile periculum vitæ, vel ob inimicitias, vel propter intemperiem aeris, vel propter debilem valetudinem, ſed etiam qui ſine dedecore, & pudore non poteſt domo exire; nam qui ita ſe habet, comparatur illi, qui eſt vinculis alligatus: *leg. eadem cauſa ff. de quibus cauſis*. Id tamen non eſt intelligendum, e. g. de muliere non habente omnes ornatus, quos vellet, ſed ſolum ſi non habeat veſtem decentem, unde eam valde pudeat videri. Idem dicas de fœmina innupta, ſi cum ſit prægnans, ultimis menſibus ad occultandum ſuum lapſum ſe domi contineat.

Ex eodem capite excuſantur a Miſſa audienda, qui propter Eccleſiæ diſtantiam, vel propter imbres, tempeſtates, aut nives non poſſent ſine gravi moleſtia, & difficultate ad eamdem accedere. Id tamen judicandum eſt prudentis arbitrio, maxime habita ratione perſonarum &c.

Item Confeſſarius excuſare poteſt a Miſſa audienda uxorem, quæ ex acceſſu ad Eccleſiam gravem rixam cum Marito timeret, ſive ea ex zelotypia, ſive ex alia cauſa oriretur. Si vero ſolummodo leve incommodum timeret, illud patienter ferre deberet.

Ad impotentiam moralem denique reducitur timor gravis jacturæ in bonis temporalibus, vel actualis gravis jactura ipſorum. Hinc non tenetur audire Miſſam, qui domo recedendo timeret latrones, cum non eſſet, qui eam cuſtodiret; vel qui deberet relinquere in agro gregem ſine cuſtodia. Hinc monent Theologi, quod ſi unica tantum ſit Miſſa, nec poſſit ab omnibus audiri, alternatim audiatur, ſcilicet die Dominica ab uno, altera ab alio. Excuſatur pariter, qui ſi deberet Miſſam audire, non poſſet vacare alicui negotio cum magno boni temporalis detrimento. Quod ſi poſſit prævenire, etiam cum ſubtractione ſomni non neceſſarii, deberet id facere; alias non excuſaretur tunc omittens Miſſam ratione gravis negligentiæ, a gravi culpa. Ex exemplis huc uſque allatis poteſt prudens Confeſſarius ſufficienter cognoſcere, quandonam detur in aliis caſibus impotentia moralis.

VII. Ratione Officii excuſet Confeſſarius ab audienda Miſſa Matrem, vel Nutricem, quæ non habent quibus parvulos commendent; cum non expediat eos deducere ad Eccleſiam propter ipſorum inquietudinem, & ploratus. Item excuſet Matres in iis circumſtantiis, in quibus non poſſunt ſecum ducere filias, neque poſſunt eas domi relinquere ſine periculo.

VIII. Advertat Confeſſarius, ſubditos, e. g. famulos, excuſari, quidem, ſi ex juxta cauſa prohibeatur ipſis a Domino auditio Miſſæ: ſi vero Domini ſine juſta cauſa, adeoque inique illis prohibeant auditionem Miſſæ die feſto, non debent illis parere, ſi ſolum leve incommodum e. g. aliqua objurgatio immineat. Quod ſi grave incommodum paterentur, poſſunt illi quidem parere, ſed debent quærere opportunitatem talem deſerendi famulatum, & aliis inſervire, qui tribuant ipſis commoditatem præcepta Eccleſiæ ſervandi.

IX. Quandoquidem ratione Charitatis ergo Proximum licet omittere Miſſam die feſto, non incongrue ex hoc titulo inferunt quamplures Theologi poſſe Mulierem omittere Miſſam, ſi ſciat ab aliquo perdite adamari; adeoque ipſi præbiturum occaſionem peccandi, ſi ad Eccleſiam accedat. Et quidem ſi ex charitate erga corpus infirmum alicujus proximi poſſumus Miſſam omittere, cur non ex charitate erga illius animam infirmam? Videantur nihilominus quæ dixi dum de ſcandalo loquuti fuimus.

CAPUT III.

De Opere Servili; prohibito die feſto: & cauſis excuſantibus a præcepto abſtinendi ad operibus Servilibus.

Q. I. **Q**Uid ſit Opus Servile; & quotuplex.

R. I. Opus Servile ex doctrina S. Thomæ in 3. *in 3. diſt. 37. art. 5. q. 2. ad 2., & 22. q. 122. art. 4. ad 3.*, dici poteſt eſſe illud, quod exercetur per organum corporale, & ex inſtitutione ſua reſpicit opus materiale, & corporeum, proxime cedens in utilitatem corporis. Hinc dicit S. Thom. opera ſervilia ea eſſe, *ad quorum exercitium ſervos deputatos habemus, & in quibus debent artes mechanicæ dirigere*. Conſtat autem ſervos, ordinarie loquendo, deputari ad opera materialia proxime cedentia in corporis utilitatem; ſicut & eadem opera reſpiciunt artes mechanicæ, ut patet in arte conficiendi domos, veſtes, calceos, & alia quæcumque artefacta. Ex his autem conſtat unde diſtinguatur opus liberale ab opere ſervili. Utrumque igitur tamquam a principio provenit a mente, ſeu ab anima; utrumque quandoque exerceri poteſt medio organo corporeo, ſed opus liberale ordinatur ad finem ſpiritualem, ſcilicet ad illuminandum, ſeu inſtruendum proprium, aut alterius intellectum, ut patet in eo, qui ſtudet, docet, ſcribit &c. opus vero ſervile immediate, & de ſua natura ordinatur ad corporis utilitatem.

R. II. Opus ſervile, ſi hoc nomen deſumatur a ſervitute, juxta doctrinam *S. Th. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.* triplex eſt. Cum igitur una ſervitus ſit, qua homo ſervit peccato hac ratione peccatum dici poteſt opus ſervile. Alia ſervitus eſt, qua homo ſervit alteri homini; & cum homo non ſit alteri ſervus ſecundum mentem, ſed ſecundum corpus, ideo opera corporalia corpori deſerventia, dicuntur opera ſervilia. Tertia ſervitus eſt, qua homo ſervit Deo, & ſecundum hunc ſenſum opus latriæ dici poſſet opus ſervile. Iſtud autem opus non prohibetur, ſed præcipitur die feſto. Difficultates ergo verſari poſſunt circa alia opera ſervilia.

Q. II. An ratione peccati dies feſtus violetur.

R. Videtur ſtare pro ſententia affirmativa *S. Th.* loco ſupra citato, & idem affirmant non pauci ex Theologis antiquioribus, quos ſequuntur aliqui ex modernis. Et quidem ſi opus corporale contrarium eſt ſanctificationi diei feſti, & multo magis illi diſſonum videtur peccatum, nam, ut conſtat, magis repugnat tali ſanctificationi e. g. furari, quam ſuere. Nihilominus ex communiori ſententia dicendum eſt præciſe per peccatum non violari idem feſtum. Ratio eſt, quia præceptum de abſtinendo ab operibus ſervilibus die feſto, intelligendum eſt de iis, quæ proprie ſunt talia; adeoque de operibus corporalibus, quæ diriguntur ab artibus Mechanicis, & proxime cedunt in utilitatem corporis; ita autem non ſe habent opera peccaminoſa, & ſolum myſtice dicuntur ſervilia, ut docet S. *Th. in 4. d. 32. art. 5. q. 2.* quatenus ſcilicet in S. Scriptura, qui facit peccatum, dicitur ſervus peccati. Ulterius præceptum de obſervandis feſtis ut eſt divinum, obligat ad colendum Deum aliquo cultu externo; & ut eſt Eccleſiaſticum, obligat ad colendum Deum per Sacri auditionem, & per abſtinentiam ab operibus ſervilibus: nil autem obſtat quod peccans die feſto poſſit facere aliquem externum actum Religionis, & ſimul Miſſam audire, atque ab operibus ſervilibus abſtinere; unde bene poterit ſatisfacere præcepto, & in nulla re illud violare: *Suar. de Relig. t. 1. l. 2. c. 18. n° 3.*, *Sanch. in Conſil. l. 5. c. 2. dub. 3.*, *Lugo de pœnit. d. 16. ſect. 12. num. 116.*, *Bonac in Decal. diſp. 5. qu. unic. p. 2. num. 3.* Non negarem tamen eſſe grave peccatum choreas, aliaque

ludi-

ludicra ſpectacula habere quibuſdam ſpecialibus temporibus, ut die Veneris ſancti, ſed non præciſe ratione temporis, ſed quia diſſonum valde eſt rationi, ut dum Eccleſia recolit Paſſionem Chriſti, & vult Fideles in tuis logendis, & emendandis culpis incumbère, choreis, aliiſque ludicris ſint applicati.

Ad rationem dubitandi in contrarium reſpondendum quod, ut alias dixi, duplex eſt finis præcepti, alter intrinſecus, ſcilicet de ponenda re, quæ cadit ſub præcepto, alter extrinſecus, ſcilicet de aliquo aſſequendo mediante poſitione talis rei; primus autem cadit ſub pręcepto, ſecundus vero non. Hinc finis intrinſecus præcepti de ſanctificando die feſto, cadens ſub eodem præcepto, eſt ponere aliquem externum Dei cultum, exercendum ex determinatione Eccleſiæ, auditione Miſſæ, & abſtinentia ab operibus ſervilibus; & cum hic finis conſiſtere poſſit ſimul com peccato die feſto commiſſo, hinc eſt poſſe ſatisfieri præcepto de ſanctificando die feſto, quamvis aliquis tali die peccet. Finis vero extrinſecus eſt, mediantibus actibus Religionis, & abſtinentia a ſervilibus, Deo adhærere, & Divinis vacare; & huic fini, bene dixit *S. Th. 2. 2. q. 122. a. 4.* magis adverſari peccatum, quam quodlibet aliud opus ſervile: quia tamen talis finis eſt extrinſecus præcepto, hic eſt non cadere ſub præcepto, adeoque ipſum præceptum non violari, quamvis peccans talem finem non aſſequatur.

Q. III. Quæ ſint opera ſervilia, quibus certum eſt violari præceptum de ſanctificandis diebus feſtis.

R. Omnes DD. conveniunt per tale præceptom prohiberi omnia opera, quæ dirigunt artes mechanicæ. Artes autem mechanicæ reputatur Agricoltura; Militans, aut Armefactrix; Navalis, vel etiam Mercatoria. Item Chirurgica, Barbitonſoria, Pharmacopolea. Omnis ars aco, filo, ſimilibuſque inſtromenris utens: ut ars Textoria, Sartoria, Coriaria, Sutoria, Pulmatia. Omnes artes fabricatores, & uteutes inſtrumentis dolantibus, & expolientibus. ut ſunt aſcia, dolabrum, ſerra, cælтes, malleus, lima. Artes denique, quæ habent materias capaces figuras recipiendi, ut ſunt aurum, argentum, & cætera matalla, lapides, ligna &c. Hujuſmodi artes reducuntur ad artem argentariam, deaurairicem, ferrariam, carpentariam, cęmentariam, ſculptricem, & comprehendi ſolent verſu ſequenti.

Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber,

Quamvis tamen omnes hæ artes dicantur a Philoſopho 6. *Ethnic. c. 3. & 4.* mechanicæ; nihilominus navalis, & militaris, ex communi uſu loquendi, utpote majoris dignitatis, quam aliæ artes inferioris notæ, non amplius dicuntur Mechanicę, aut ſerviles.

Q. IV. Quę ſint opera, de quibus dubitatur; an ſint ſervilia, contraria ſatisfactioni diei feſti.

R. I. Primum opus, de quo dubitatur an poſſit fieri die feſto, eſt pingere, vel facere recamaturas; ſed verior ea videtur ſententita, quæ aſſerit eſſe opus ſervile, Ratio, autem patet ex dictis; illud etenim dicimus opus ſervile, quod da ſua natura non tendit ad mentem inſtruendam, ſed exercetur circa externam materiam, ita autem ſe habet pingere; ultraquamquod enim circa externam materiam exerceatur, non dirigitur ad mentem inſtruendam, ſed ſolum ad aſſimilandam imaginem rei veræ, ſeu exemplari, quod ſibi Pictor imitandum propoſuit: *Sanch. in Conſ. l. 5. c. 2. d 12., Suar. de relig. t. 1. l. 2. c. 26. n. 4., Filiuc. tr. 27. c. 9. n. 167. Bonac. in 3. Decal præcept. diſp. 9. q. un. n. 25.* Multo autem magis apparet opus eſſe ſervile, & mechanicum acu pingere.

Ex his patet diſcrimen inter picturam, & ſcripturam; ideo enim ſcribere dicitur opus liberale, quia ſcriptura non deſervit ad exprimendum quid exterius, ſed inter nos mentis conceptus, & eſt idem ac locutio expreſſa per ſcripturam: ac proinde de ſua natura tendit ad inſtruendum intellectum; nam aliorum inſtructio fit per loqutionem. Pingere vero, quamvis procedit ab Idea mentis, ſicut quodcumque aliud artefactum; nihilominus de ſua natura deſervit ad repræſentandum aliquid externum, nempe verum exemplar; unde proprie non poteſt dici ordinatum ad inſtruendum intellectum, quamvis quandoque per accidens deſervire poſſit ad renovandam memoriam rei repræſentatæ.

Non negaverim tamen contrariam opinionem habere aliquam probabilitatem, loquendo de pura actione pingendi, ſecus ſi aptentur, conterantur colores &c. nam id eſt pure mechanicum. Maxime autem attendenda foret talis opinio, ſi pingere, aut recamare apud aliquem Juvenam, vel puellam eſſet unicum medium ad fugiendam otioſitatem, & peccata exinde pullolantia. Dixi, ſi eſſet unicom medium; nam ſi poſſibilia ſint alia media ordinaria, v. g. honeſtæ recreationes, lectio alicujus libri &c. ad vitandum peccatum, non debemus uti medio Eccleſia vetito. Quod ſi daretur caſus ad vitandum peccatum neceſſe eſſe exercere aliquod opus ſervile, tunc tale exercitium erit obligatorium; cum in talibus circumſtantiis ceſſet Eccleſiæ prohibitio, & urgeat præceptum naturale de vitandis occaſionibus peccati.

Cæterum advertendum nihil referre ad operis ſervilitatem, an fiat ad lucrandum, nec ne; nam Eccleſiæ prohibitio non reſpicit naturam operis; qua propter ſi ſit ſervile, erit prohibitum, quamvis fiat ſine mercede; ſecus vero ſi liberale, quamvis ratione mercedis exerceatur. Hinc a contraria opinione quam quidam ex antiquis docuerunt, receſſerunt moderni Theologi, concedentes utiqoe opus factom ex mercede dici poſſe mercenarium non vero ſervile, ſi tale ex ſua natura non ſit. *Navar. in Man. c. 13., Suar. t. 1. de relig. l. 2. c. 29. n. 6., Sanch. in Conſil. l. 5. c. 2. d. 8. Barb. in Collect. in l. 2. Decret. tit. 9. de Fer. c. licet.*

Si vero pietas, an tranſcribere ſit opus liberale, non vetitum die feſto, reſpondeo non deeſſe qui velint tranſcribere eſſe opus ſervile, videtur enim idem eſſe ac pingere; ſicut enim pingere eſt exprimere aliquod exemplar, ita tranſcribere idem ſonat, ac exprimere, ſeu pingere charactores. Præterea tranſcribere non videtur de ſua natura ordinatum ad illuminandam mentem; unde etiam fieri ſolet ab his, qui minime percipiunt quæ tranſcribunt.

Nihilominus dicendum etiam tranſcribere eſſe opus liberale, cum differentia prorſus materialis ſit inter ſcribere, & tranſcribere; ſcribere enim nil aliud eſt, quam exprimere conceptus, quos quis audivit, & tranſcribere eſt exprimere eoſdem prout oculis conſpiciuntur. Sicut igitur ſcribere ſemper reputatum eſt opus liberale, quia ex ſe ordinatum eſt ad illuminandam mentem, ut ſupra dictum eſt, idem dicendum de tranſcriptione. Nec refert ſi aliquis non intelligat id, quod tranſcribit; ut etenim opus dicatur liberale, non attenditur id, quod per accidens, vel de matariali, ſe habet reſpectu illius operis ſed qualiter ſe habeat de ſua natura: ac proinde cum tranſcribere de ſua natura ordinatum ſit ad axprimendos ſigno ſenſibili vel propriæ, vel alienæ mentis conceptus, ſequitur ſemper eſſe opus liberale tendens ad illuſtrandum intellectum: *Suar. cit. c. 25. n 2., Barboſ. loc. cit. Fagund. l. 1. de Eccleſ. præcept. c. 1. n. 6., Bonac in 3. Decal. præcept. d. 5. q. un. p. 2. n. 25.*

Caves tamen applicare impreſſioni librorum quæ dicta ſunt de tranſcriptiona librorum. Impreſſio ſemper reputata fuit opus mechanicum etiam quoad characterum compoſitionem, & ordinationem. Characterum igitur compoſitio non eſt litteras formare ad exprimendos mentis conceptus, neque ex ſe eſt talium conceptuum manifeſtativa; nam ſi vel non eſſent coordinati, vel in eis deeſſet figura, ſeu eſſet abolita, nihil manifeſtarent, adeoque ſi manifeſtent, id habent ab extrinſeco;

R. II. Secundum opus, de quo lis eſt, an ſit ſervile, eſt venatio, aucupatio, & piſcatio. Et quidem hujuſmodi opera de ſua natura ſervilia eſſe apud me certum eſt; nam hujuſmodi opera directe reſpiciunt corporis utilitatem, & proinde etiam Beſtiis ſunt communia. Accedit ad ea peragenda plura eſſe neceſſaria, quæ de ſe ſunt manifeſte ſervilis, ut parare retia, reficere, lavare &c. Præterea hujuſmodi opera præſupponuntur ſervilia *c. licet, de fer.* nam ibi ſolum, ingruente neceſſitate, ſi nempe terræ ſe inclinaverint, permittitur Aleciarum piſcatio; quod autem ſolum ex neceſſitare concadit Pontifex, ſignum eſt eſſe ex ſua natura vetitum, ut bene ibi notat etiam Gloſſa.

Nihilomins ubi conſuetudo eſt in contrarium, eo modo, quo invaluit talis conſuetudo, licitom erit venari, piſcari; &c. nam conſuetudo maxime a Prælatis tolerata, habet vim obrogandi legem poſitivam, ut conſtat. Dixi nihilominus, *eo modo, quo invaluit talis conſuetudo*; nam quamvis e.g. introductum ſit piſcari in diebus feſtis arundine, vel aliquo parvo rete in fluminibus, non tamen introducta eſt conſuetudo piſcandi navigiis, cum magno labore &c., & ſolum hoc permittitur, cum amitterent Piſcatores magnum lucrum, uti evenire ſolet in tranſitu Sardarum, Tynnorum, Aleciarum &c. unde hæc piſcatio conceditur in ſupracitato capite *licet de Feriis.*

R. III. Denique diſputant DD., an licitum ſit die feſto iter agere, & beſtias oneratas deferre. Et quidem, relicta jam antiquata ſententia, omnino tenendum eſt licere iter agere pedeſtre, vel equeſtre, nam itinerari nil aliud eſt, quam naturalis corporis motus, neque poteſt dici opus, quod dirigatur ab artibus mechanicis, ac proinde neque opus ſervile prohibitum die feſto.

Quoad iter vero agendum cum Beſtiis, præſcindendo ab aliqua ſpeciali lege, quod illud in aliqua Diœceſi prohibeat, dico illud licitum eſſe, ſive continuetur iter jam inceptum cum beſtiis onuſtis, ſive inchoetur. Quoad continuationem itineris minor eſt apud DD. difficultas; nam cum leges Eccleſiæ ſuaviter obligent ad ſui obſervantiam, ita intelligendæ ſunt, ut non obligent ad interrumpendum diebus feſtis iter jam inceptum; propter expenſas etenim aliaque incommoda, id nimis grave eſſet Mulionibus, & Agaſonibus: *Suar. t. 1. de Relig. l. 2. c. 27. n. 3. Paſqual. dec. 292. n. 10. Sanch. in Conſ. l. 5. c. 2. d. 7. n. 9., Trull. l. 3. c. 1. d. 8. n. 2.* Quamvis autem non pauci contradicant Theologi, puto etiam licere inchoare iter die feſto. Id vero probatur; quia talis eſt conſuetudo omnium Eccleſiarum. Præterea Muliones parum temporis inſumunt in onerandis beſtiis, iidemque oneribus levandis; & ſi aliquando illis neceſſe ſit tempus notabile inſumere, excuſabuntur vel propter evitandum grave damnum, vel quia publica neceſſitas expoſcit, ut ſine temporis dilatione tales merces aſportarentur: *Salmant. tr. 25. c. 1. n. 150.* aliique apud ipſos.

Q. V. Quæ cauſæ excuſent a faciendo opere ſervili die feſto.

R. Omnes illæ cauſę, quæ excuſant ab audiendo Sacro diebus feſtis, excuſare poſſunt a præcepto abſtinendi ab operibus ſervilibus. His ſuppoſitis, ſpeciales cauſæ, quæ excuſant a faciendo opere ſervili ſunt ſequentes. Prima cauſa eſt Religio: non poteſt etenim dubitari licite fieri diebus feſtis ea opera corporalia, quibus Divinus cultus exercetur: ut deferre Crucem, Statuas Sanctorum, pulſare organa, & campanas, aliiſque uti muſicis inſtrumentis ad Divinum cultum; nam cum hujuſmodi opera promoveant Dei cultum, non poſſunt eſſe prohibita, ſed potius conformia ſanctificationi diei feſti. Difficultas ergo ſolum eſſe poteſt de operibus corporalibus propinquis divino cultui, & Feſtorum præparatoriis: ut ſcopis mundare Templum, illud tapetis ornare, erigere tabulata neceſſaria ad ſolemnitatem, & ſimilia maxime ſi talia opera potuerint die antecedenti præveniri.

In qua quæſtione licet ſuadendum cenſeam, ut talia opera ante feſtum fiant, ſi ſit poſſibile, (ſi non ſit poſſibile omnes conſentiunt licite fieri) nihilominus valde probabile mihi eſt, etiam poſſe fieri ſine culpa die feſto quamvis potuerunt fieri die antecedenti. Ratio eſt, quia prædicta valde proxime conducunt ad Dei cultum immo talia opera ſunt ſigna externa interni cultus, quem Deo volumus exhibere. Sicut igitur pulſare campanas, organa, aliaque muſica inſtrumenta, quamvis ſint opera, de ſua natura ſervilia, nihilominus licite fiunt die feſto, quia proxime conducunt ad Dei cultum, & ſunt ſigna cultus interni, ita dicendum in caſu noſtro. Accedit conſuetudo prædicta opera exercendi diebus feſtis: *Paſqualig. deciſ. 286. n. 3., Leand. de præcep. Eccleſ. tr. 1. d. 6. q. 62.*

R. II. Secunda cauſa excuſans, ſi fiant opera ſervilia die feſto, eſt *neceſſitas*, ut habentur *cap. conqueſtus de Feriis*: & de facto neceſſitas ab omni humano præcepto excuſat, quapropter dici ſolet: *quod non eſt licitum in lege neceſſitas facit licitum &c. & can. remiſſionem 1. q. 1. Neceſſitas non habet legem, ſed ipſa ſibi facit legem.*

Ex capite igitur neceſſitatis primo fieri poſſunt omnia ea opera ſervilia, quæ neceſſaria ſunt ad propriam ſalutem, ſive ad propriam vitam ſuſtentandam. Hinc pauperibus non habentibus quomodo vivant, licet propriam artem exercere die feſto, quo magis tamen fieri poteſt ſecreto ad aliorum ſcandalum vitandum. Pariter licite parantur cibi, condiuntur &c.; nam licet parare cibos ſit actio mechanica, nihilominus licite fit ex præſumpta intentione Eccleſiæ, vel ex recepta conſuetudine ab initio Eccleſiæ. Hinc *S. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 4.* obſervat, non ita ſtricte, ſicut Judæis, prohibitum Chriſtianis die feſto operari; nam his licet decoquere cibos; & alia hujuſmodi agere, quæ erant vetita Judæis.

Altera neceſſitas, quæ reddit licita opera ſervilia die feſto, eſt neceſſitas corporalis ſalutis proximi, quapropter toties Chriſtus Dominus redarguit Phariſæos, qui ipſum accuſabant tamquam legis tranſgreſſionem, quia Sabbatho, curabat, ut videre eſt *Matth. 12.* Licite ergo Chirurgi faciunt die feſto quaſcumque operationes propriæ artis; Pharmacopolæ parant medicamenta; & Aſſiſtentes infirmis optime quæcumque peragunt ad eos ſublevandos: *Suar. t. 1. de relig. l. 2. c. 32. n. 6. Bonac. in præſenti d. 5. p. 3. n. 20.*

Tertia neceſſitas deſumitur, quando neceſſe eſt opera ſervilia facere ob grave damnum vitandum; & in hoc enim caſu verificatur nolle piam Matrem Eccleſiam ſua præcepta obligare. Hinc licebit die feſto extinguere ignem domus accenſæ, colligere ſegetes, ſi rapi poſſint a flumine, vel a pluvia reddi deteriores. Idem dicas de uvis, de fœno &c. Hac eadem ratione excuſatur famulus, ſi juſſu Domini cogatur die feſto ſine neceſſitate laborare, quando non poteſt ſtatim famulatum ſine gravi incommodo deſerere, dummodo non ad id cogatur in contemptum diei feſti: *Suar. cit. n. 4. Bonac. n. 16. Fagun. l. 1. de 5. Eccleſ. præc. c. 14. n. 15.* Statim vero ac poſſunt tales Dominus deſerere tenentur; nam perſiſtendo in tali famulatu frangerent præceptum Eccleſiæ; & non excuſarentur ratione gravis incommodi, cum aliunde poſſent alibi famulari: *Sanch. l. 5. Conſ. cap. 2. d. 18 a n. 16.*

Eſt autem hic ſub lite, an ſicut grave damnum imminens circa rem, quam jam poſſidemus, excuſat ſi fiat opus ſervile die feſto, ita excuſet damnum circa rem, quam acquirere poſſemus; quod eſt idem ac quærere, an occaſio acquirendi magnum lucrum reddat licita opera ſervilia. In hac autem quæſtione, licet non negem probabilem eſſe ſententiam affirmativam, nihilominus ſententiæ negativæ adhærendum judicare. Ratio mihi eſt, quia quamvis *cap. licet de feriis* concedatur die feſto alecium piſcatio, exceptis tamen quibuſdam Solemnitatibus, ibi tamen de damno publico agebatur; eo quod autem fiat relaxatio præcepti ob damnum publicum vitandum, non ſequitur ſi idebere ob vitandum damnum alicujus privati. Præterea aliud eſt pati damnum, aliud acquirere lucrum. Tunc proprie damnum patimur, vel timemus pati, quando immineret jactura rei, ad quam habemus jus in re, vel ad rem: & in hoc caſu utique liceret ſerviliter operari die feſto. At lucrum reſpicit rem, ad quam nullum jus habemus; unde non debemus in utroque caſu eodem modo diſcurrere, ac proinde licitum erit conari ad acquirendum lucrum dumtaxat, quando non eſt lex illud prohibens. Et quidem ſi ob non admittendum lucrum generaliter redderentur licita opera ſervilia die feſto, latiſſima aperiretur via hujuſmodi præcepti tranſgreſſioni. Non negarem tamen quod ſi lucrum ſeparatum tale eſſet, ut ex eo poſſet aliquis patiens multas neceſſitates ſibi providere, & ſuæ familiæ; vel ſatisfacere Creditoribus &c. non poſſet tali incumbere lucro, in talibus enim circumſtantiis interpretari poſſet mentem piæ Matris Eccleſiæ, & judicare non prohibuiſſe ſperato lucro incumbere: *Suar. to. 1. de Relig. l. 2. c. 33. n. 9., Regin. l. 19. cap. 3. nu. 51., Filiuc. tr. 27. c. 11. n. 123.*

Ultima neceſſitas eſt neceſſitas publica, ſub qua intelliguntur illa opera ſervilia, quæ neceſſaria ſunt ad aliquam publicam lætitiam, ſive functionem: ut conficere veſtes proportionatas tali letitiæ, vel functioni, quæ non potuerunt fieri diebus non feſtis; item erigere theatra, tabulata, Arcus triumphales, & his ſimilia. Quamvis igitur ad removendos ſcrupulos optimum ſit in his neceſſitatibus licentiam ab Epiſcopo poſtulare, nihilominus excuſatur, qui hujuſmodi die feſto peragit, tum quia reputantur moraliter neceſſaria, tum quia invaluit conſuetudo, ut talia opera fiant etiam diebus feſtis: *Pal. tr. 9. diſp. un. p. 10. Bonac. diſp. 5. p. 3. n. 12. Paſqualig. deciſ. 291.*

R. III. Tertia cauſa, quæ reddit licita opera ſervilia die feſto eſt *Pietas*, ut deducitur *ex cap. conqueſtus de Feriis*. Hic tamen advertas aliquid poſſe eſſe pium ſolum ex fine operantis; ut ſi quis die feſto faceret opus ſervile, habens pro fine dare eleemoſynas, & pium ex fine operis, ſive ex natura ſua, ut ſepelire mortuos, curare Infirmos, & alia ſimilia Miſericordiæ opera. Prima opera; quæ ſolum ſunt pia ex fine operantis, non poſſunt fieri die feſto, quia cum ceſſatio ab opere ſervili die feſto ſit opus religionis, præferenda eſt operibus pietatis erga proximum, ni aliud ſuadeat ipſius neceſſitas. Solum igitur exerceri poterunt die feſto opera ſervilia ad ſubveniendum proximo, quando tali die neceſſarium eſt illi ſubvenire ex lucro talium operum; vel quando ſequentibus diebus relinqueretur ſine dubio, ſi volens illi ſuccurrere, non lucraretur aliquid die feſto: *Navar. in Sum. c. 13., Suar. t. 2. de Relig. l. 2. c. 27. a n. 14 Sanch. t. 2. Conſ. l. 5. c. 2. dub. 33. n. 3.*

R. IV. Quarta cauſa reddens licita opera ſervilia die

feſto

feſto eſt *Diſpenſatio habita a legitimo Superiore*; ut de ſe patet. Iſta autem poteſtas primo eſt in S. Pontifice, cujus eſt diſpenſare in omnibus Legibus Canonicis, & Eccleſiaſticis, & conſequenter in omnibus feſtivitatibus. Secundo, eſt in Epiſcopis; nam ſine illa non bene poſſent regimini Animarum providere in pluribus caſibus repentinis, & extraordinariis. Propter eamdem rationem pro particulari caſu eſt etiam in Parocho. Si vero neceſſaria ſit diuturna, & ſtabilis diſpenſatio, omnino conſulendus eſt Epiſcopus: *Sanch. cit. dub. 20. num. 6., Azor. 2. p. l. 1. c. 28. q. 45. & 6. Suar. tom. 1. de Relig. l. 2. c. 32. n. 2.*

R. V. Ultima cauſa excuſans a gravi culpa eſt parvitas materiæ. Dixi a gravi culpa, nam quamvis violare in re levi præceptum de feſtis ſanctificandis non ſit peccatum mortale, nihilominus, ſi juſta cauſa non adſit, ſemper adeſt levis culpa, utpote quia violatur præceptum, quamvis in re levi.

Difficultas vero eſt in aſſignanda parvitate materiæ, ratione cujus exercens opera ſervilia die feſto dicatur non graviter peccare. Inter varias autem opiniones puto eſſe levem materiam minus quam per duas horas laborare, relictis illis opinionibus quæ aſſerunt laborare die feſto per horam vel per horam cum dimidia eſſe materiam gravem. Igitur non tam facile acquieſcendum opinioni aſſerenti per duas horas integras die feſto laborare eſſe levem materiam, nam judicio prudentum, etiam reſpective ad totam diem, duæ integræ horæ videntur pars notabilis. Præterea dum præcipitur abſtinentia ab opere ſervili die feſto, ut talis dies ſanctificetur, non reſpicitur tempus, quod conſumitur in dormiendo, & comedendo &c. ſed tempus, quod ſupereſt his operationibus, reſpective autem ad hoc tempus duæ integræ horæ apparent eſſe partem notabilem. Si vero minus aliquid temporis inſumatur in operibus ſervilibus, judicari poteſt dari parvitatem materiæ, cum laborare minus quam per duas horas, non videatur notabiliter impedire finem hujus præcepti, qui eſt cultus Dei; *Sanch. in Conſ. t. 2. l. 5. c. 2. d. 31. Filiuc. tr. 27. c. 11. q. 1. num. 520. Trull. l. 3. Decal. c. 1. d. 10. n. 2.*

Hinc autem conſurgere ſolet difficultas, an qui jubet e. g. pluribus famulis, ut ſinguli per unicam horam laborent, graviter violet præceptum, de quo in præſenti. Mihi autem probabilius eſt dumtaxat venialiter peccare ſi id faciat ſine juſta cauſa. Ratio autem eſt, quia non poteſt dici graviter peccare, niſi opera omnium famulorum intelligantur ita conjungi, ut materiam gravem conſtituant. Id autem non ſequitur, quia non uniuntur ratione ejuſdem Perſonæ ſæpius, licet in modica re, frangentis præceptum, dum eadem die viget; ut ſequeretur ſi eadem perſona eadem die feſta pluries per modicum tempus laboraret, ita ut pertingeret ad tempus notabile. Item non uniuntur, nam ex levi labore plurimorum ſolum in re levi impeditur finis præcepti prohibentis opera ſervilia, cum nonniſi per brevi tempus impediantur a vacando Divino cultui. In caſu igitur præſenti non eſt eadem ratio ac de Dominio pluribus famulis præcipiente ut ſinguli modicum quid ſurripient, nam tunc de omnibus ſimul ſumptis verificatur damnum grave intuliſſe, & in eo actiones ſingulorum uniuntur. Accedit, Servos non niſi leviter peccare; non eſt autem perceptibile Dominum peccare magis quam ipſos Servos: *Sanch. l. 1. Sum. c. 4. n. 12., Trull. l. 3. in Decalog. c. 1. d. 10. n. 3., Bonac. hic. diſp. 5. q. unic. punc. 3. n. 4.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum dentur quædam opera, de quibus diſputant DD., an ſint vere ſervilia, & proinde, an exerceri poſſint die feſto, advertere debet Confeſſarius, quod quamvis ipſe ſit in contraria opinione; & judicet, e. g. pingere eſſe opus ſervile, nihilominus ſi Pœnitens teneat contrariam opinionem, & ex ipſius fundamentis judicet pingendo non peccare, non proinde eſt incapax abſolutionis; eſt enim ad eam rite diſpoſitus, ſemper cum ſententiam, quam ſequitur, putat ad praxim licite reducibilem.

II. Quamvis Religio reddat licita die feſto opera ſervilia, quæ proxime ſunt præparatoria ad divinum cultum: cum ſint ipſius cultus ſigna, ut mundare Templum, illud ornare &c.; nihilominus non reddit licita, quæ tantum ad talem cultum remote conducunt, ſi fiant abſque neceſſitate. Ita ſe habet colere agros Eccleſiæ vehere ligna, & lapides ob ipſius ædificium, illam dealbare &c. nam cum ex ſe ſervilia ſint, & ſolum remote ad Dei cultum conducant, non poſſunt non comprehendi ſub præcepto prohibente opera ſervilia.

III. Eo quod ratione neceſſitatis liceat parare, & decoquere cibos, inferunt plures Theologi, Sacchartes, ſeu cibos ex ſacchato conditos, licite parari die feſto. Id autem vellem eſſe intelligendum de illis cibis ſaccharo conditis, qui ſi pridie prepararentur, ingrati evaderent palato. Sicut etenim panis die profeſto, quando commode fieri poteſt eſt parandus, ita de aliis rebus ſaccharo conditis dicendum eſt, quando non ob inde minus commode, & ſanæ fiant. Unde ut vulgo dicitur, *i Marzapani, i Pani grandi, Confetti &c.* & ſimilia, non ſunt die feſto paranda, & decoquenda; & puto apud nos contrariam non invaluiſſe conſuetudinem.

IV. Ratione neceſſitatis proximi, quamvis unus, aut alter Theologus velit licere die feſto barbam radere; nihilominus communior, & recepta ſententia eſt negativa, cum de ſe conſtet eſſe opus ſervile. Solummodo excuſare poſſet Barbitonſor ob alterius neceſſitatem, puta quia ipſi non licet die profeſto accedere ad Barbitonſorem, quod accidere poteſt reſpectu Agricolarum, quibus non eſt commodum ad talem effectum die profeſto ad Civitatem accedere. Item excuſare poteſt conſuetudo a Prælatis tolerata.

V. Ob damnum evitandum quamplura opera ſervilia fieri poſſe die feſto, jam diximus ſupra. Operibus ibi aſſignatis adde ex hoc capite, licite die feſto laborare coquentes vitrum, calcem, ſaponem, tegulas, ollas &c. decolantes ferrum, quia talia opera non intermitterentur ſine gravi damno. At non licet ea inchoare die feſto, cum nullum ſit præjuditium; ad id præſtandum, diem ſequentem expectare.

Ex eadem ratione excuſantur qui diebus feſtis ferrant equos, ſi iiſdem diebus, vel mane diei ſequentis debent iter agere; nam alias grave damnum illis ſequeretur.

VI. Eo quod die feſto, ut Deo, propriæque ſaluti vacemus, prohibuerit Eccleſia opera ſervilia, Parochus vero divini honoris, & ſalutis animarum zelo fervens, occaſionem ſumat reprehendendi populum, ſi talibus diebus vacet iis, qui fere ſemper plura peccata admiſcentur. Utique opera ſervilia de ſe Deo non diſplicerent, niſi eſſent prohibita, ut liberius Deus feſta die colatur. Proſcribendæ proinde etiam eſſent diebus feſtis choreæ, tripudia, ſaltationes, & id genus alia, quibus admiſcentur turpes cogitationes, obſcæna dicta, inhoneſtæ actiones, morum corruptelæ, perniciosæ ad opera carnis illecebræ, rædes, rixæ, diſſidia, ſtupra, adulteria, aliaque mala plurima. Utique iis diebus qui dies propitiationis eſſe deberent, quam maxime dedecet Fideles illis Satanæ blanditiis immiſceri, ac a Divinis abſtinere. Videantur quæ habet S. Carolus *in 3. Conc. Mediolan. tit. 1. de feſtor. dier. cultu.*

CAPUT IV.

De Mercatu, & Judicio forenſi prohibitis ab Eccleſia die feſto; & de Cauſis, ob quas hæ actiones licite poſſunt exerceri.

Q. I. AN die feſto licitus ſit Mercatus; & quæ veniant ſub nomine Mercatus.

R. I. Illicitum omnino eſſe Mercatum die feſto, patet *ex cap. omnes de Feriis*. Et ratio eſt quia hujuſmodi nimis diſtrahunt a divinis, & ſunt occaſiones plurium peccatorum; ac proinde ut mens humana die feſto Divinis inhæreat, voluit Eccleſia omnia ea, de quibus in titulo Capituli, eſſe die feſto prohibita.

R. II. Sub nomine Mercatus primo veniunt Nundinæ, quæ fiunt ſemel, aut bis in anno, vel etiam ſingulis menſibus, aut hebdomadibus, quæ vulgo dicuntur *il Mercato*. Secundo, nomine mercatus venit emptio, & venditio, quæ fiunt ſingulis diebus, apertis januis Officinarum, ubi ſunt preſentes merces vendendæ, nam talia opera reputantur ſervilia, vel jure Canonico tamquam mercatus omnino prohibita die feſto.

Non eſt vero illicitum vendere ſolis verbis, contrahendo e. g. de pretio alicujus agri, bovis, domus &c. non ſolummodo longa occupatio in vendendo in publico, & in publicis Officinis reputatur opus ſervile, vel Mercatus a SS. Canonibus prohibitus. Hinc etiam Viri timorati occupantur diebus feſtis in conveniendo circa pretium de aliqua re vendenda &c. Pariter non eſt contra obſervantiam diei feſti locare agros, domos, propriam operam &c. nam hæc omnia fiunt ſolis verbis, ac proin-

de non reputantur opera prohibita; ſicut eadem ratione non eſt prohibitum exigere die feſto nummos.

Univerſaliter etiam venit obſervandum, quod ubi invaluit conſuetudo faciendi die feſto aliqua, quæ alias ex ſupradictis eſſent prohibita, poſſunt fieri ſine peccato. Ratio eſt, quia Feſtorum obſervantia; quoad abſtinendum a ſupradictis, eſt de Lege humana; unde ſemper poteſt contra eam prævalere conſuetudo. Nunquam tamen poteſt prævalere conſuetudo non audiendi Miſſam, ſi non omitteretur ob aliquam ſpecialem neceſſitatem; nam illius auditio eſſentialis eſt diei feſto, ac proinde illam omittere, idem eſſet ac omnino tollere diem feſtum: *Navar. in ſum. c. 13. n.8, Suar. t. 1. de relig. l. 2. c. 19. a n. 2., Facund. l 1. c. 13. a nu. 4., Laym. l. 4. tr. 7. c. 3. n. 6.*

Q. II. An die feſto licitum ſit Placitum, ſeu Judicium Forenſe; & quæ ſub tali nomine comprehendantur.

R. I. Placitum, ſeu Judicium Forenſe non ſolum illicitum, ſed & invalidum eſt, ſi fiat die feſto, ut habetur *ex cap. conqueſtus de feriis*, quæ prohibitio habetur etiam in ſupracitato *cap. omnes*.

R. II. Sub nomine Placiti veniunt *citatio partis, formatio proceſſus, ſeu cauſæ cognitio, & prolatio ſententiæ.*

Q. III. An quandoque licita ſit citatio partis die feſto.

R. Exceptis caſibus diſpenſationis, collationis Beneficiorum, tranſactionis, ſcripturæ contractuum, & actuum voluntariæ juriſdictionis, ſemper illicita, & invalida eſt citatio partis facta die feſto, vel pro die feſto. Licitam eſſe, & validam citationem factam die feſto in caſibus ſupra exceptis, conſtat, vel quia aliqui ipſorum pertinent ad cauſas ſpirituales, ut ſunt diſpenſationes, collationes Beneficiorum &c. vel quia in aliis conſuetudo invaluit, ut citatio pro talibus rebus fiat etiam die feſto: *Barboſ. in collect. in l. 2. Decretal. cap. conqueſtus tit. 9.*

In aliis vero caſibus neque licitam, neque validam eſſe citationem probatur, quia talis citatio, prout procedit a Judicis decreto, idem eſt ac ſententia interlocutoria procedens ex cognitione cauſæ, & proceſſus ſaltem incepti. Prout vero parti intimatur: eſt imitatio decreti, ſeu ſententiæ ipſius Judicis; quæ omnia cum pertineant ad actus juriſdictionis contentioſæ & fieri non poſſint ſine proceſſu, & ſtrepitu judiciali, conſtat prohibita eſſe per SS. Canones interdicentes die feſto omnem ſententiam, & proceſſum, & ſtrepitum judicialem. Hoc idem probat non poſſe intimari die feſto citationem, quæ emanavit a Judice die profeſto; nam cum ipſa intimatio contineat proceſſum, & ſtrepitum judicialem, remanet per SS. Canones prohibita: *Suar. t. 1. de Relig. l. 2. c. 30. n. 3., Sanch. t. 2. Conſ. l. 5. c. 2. d. 25., Filiuc. tr. 27. c. 10. an. 191. Bonac. diſp. 5. p. 2. a n. 16.*

Q. IV. An poſſint die feſto proceſſus efformari.

R. I. Licite efformantur die feſto proceſſus pro cauſis ſpiritualibus; eo enim ipſo quod ſint ſpirituales, jam non ſunt contra obſervantiam die feſti; nec videtur fuiſſe mens Eccleſiæ illos prohibere. Hinc licite emittitur die feſto juramentum pro cauſis matrimonialibus, & ſimilibus. Conſonat authoritas *D. Th. 2. 2. q. 89. a. 10.* Id ipſum docet *Sanch. cit. dub. 30. Tract. Decal. l. 3. c. 2. d. 9. n. 6.*

R. II. Non licet pro rebus non ſpiritualibus formare proceſſus die feſto. Et primo, cum non efformentur proceſſus, niſi per examen Teſtium, præſtito ab eis juramento jam ex hoc capite erit illicitum id agere; nam *cap. omnes de Feriis* expreſſe prohibentur die feſto judicialia *Sacramenta*, hoc eſt, juramenta. Dein examen Teſtium pertinet ad ſtrepitum judicialem, qui omnino prohibetur *cap. conqueſtus eod. tit.* Quod ſi pro pace, pro removendis ſcilicet jurgiis, neceſſe ſit ſolemniter, & judicialiter jurare, id erit licitum; ſicut & pro alia ſimili neceſſitate, ut pro fame, pietate &c. unde talia juramenta excipiuntur *cap. omnes de Fer.*

Pariter probabilius mihi videtur contra nonnullos Theologos juramenta extrajudicialia non eſſe prohibita die feſto. Primo, quia ita fert conſuetudo etiam Virorum timoratorum. Secundo, quia dum per SS. Canones prohibentur die feſto juramenta; dicendum eſt prohibita eſſe relative *ad placitum* per ipſos prohibitum, adeoque ſolummodo prohibita juramenta in cauſa civili, & criminali, quæ cauſæ comprehenduntur ſub nomine Placiti. Tertio quia in juramentis privatis ceſſat ratio, ob quam ſunt prohibita juramenta judicialia; nam per juramenta privata non turbatur quies deſiderata in die feſto, cum non commoveant ſtrepitum judicialem, quo feſta turbentur.

Q. V. An ſententia Judicis ſit licita die feſto.

R. Generaliter loquendo ſententia Judicis lata die feſto nedum illicita eſt, ſed etiam invalida, ut conſtat *ex cap. conqueſtus de fer. & leg. 2. & 10. C. de Feriis.* Idem dicendum de ſententiæ executione; nam ſi Canones ad jurgia, & contentiones vitandas annullant ſententiam criminalem, & civilem, idem dicendum de executione ſententiæ, quæ eſt terminus judicii contentioſi, & ex ea magis, quam ex ipſa ſententia oriuntur contentiones, & jurgia: *Suar. t. 1. de Relig. l. 2. c. 30. a n. 9. Barboſ. in l. 2. Decret. in c. omnes de Fer. cap. conqueſtus. ibid., Bonac. diſp. 5. q. unic. p. 2. n. 22.* Excipienda tamen ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti; nam, ultraquamquod hujuſmodi ſententia non exigat quemdam ſtrepitum judicialem, cum ordinetur ad bonum animæ; non poteſt credi ab Eccleſia prohibita; *Barb. cit., Fag. l. c. 13. n. 22.*

Ex dictis & ſententiam Judicis Arbitri puto nullam omnino eſſe feratur die feſto, ut habetur *l. 7. omnes dies C. de Feriis.* Id etiam probatur, quia cum ex ſæpe dictis die feſto ſit prohibitus omnis ordo, & ſtrepitus judicialis ſequitur & eſſe prohibitam ſententiam *veri judicis Arbitri*, nam pertinet ad talem ordinem; *leg. 1. & l. qualem ff. de arbitr.* Dixi veri Judicis Arbitri, qualis dicitur ille, qui eligitur de conſenſu partium; nam ſi ſermo ſit de Judice amicabile Fœdatore, & compoſitore, qui non procedit ſervato juris ordinis, ipſe poteſt proferre ſuam ſententiam die feſto; nam relicto ſtrepitu judiciali, facit opus de ſua natura ordinatum ad conſervandam pacem, quod vere eſt opus Charitatis: *Fag. cit. n. 26., Sanch. t. 2. Conſ. l. 5. c. 2. d. 26. n. 7., Pal. tr. 9. d. unic. p. 9. n. 16.*

Licitum pariter erit appellare die feſto, quia appellatio nil aliud eſt, quam ſui defenſio, adeoque nunquam illicita. Præterea appellatio de ſe, quamvis ſit pars proceſſus, nihilominus non exigit ſtrepitum judicialem, ſeu Judicis authoritatem adeoque non eſt ratio cur intelligatur prohibita die feſto. Neque refert, Judicem cognoſcere debere de legitima cauſa appellandi; nam eo ipſo quod ex jure naturali concedatur die feſto propria defenſio, & Judici conceditur cognoſcere de cauſa appellationis, utpote quæ eſt quid acceſſorium, & conſequens reſpectu appellationis: ſemper autem verificatur conceſſo principali concedi & acceſſorium, & conceſſo antecedenti ſimul conſequena concedi: *leg. 1. ff. ſi uſufruct. petit., leg. 3. §. Qui habet ff. de ſervit. ruſtic. præd. &c. Fag. n. 24., Pal. d. 7. n. 14., Bonac. diſp. 5. q. un. p. 2. n. 13.*

Q. VI. Quibus ex cauſis licitum ſit die feſto Judicium forenſe.

R. *Ex cap. conqueſtus de Feriis* habemus, neceſſitatem, & pietatem licitum reddere ſtrepitum Judicialem, proinde ex talibus capitibus licitum erit die feſto excipere juramenta, formare proceſſum, ferre ſententias, omneſque actus judiciales in quacumque cauſa exercere; nam cum lex indefinite loquatur, & ſit favorabilis, intelligenda eſt de quocumque actu judiciario.

Regulæ in praxi Obſervandæ.

I. Cum conſuetudo, ex ſæpe dictis, reddat licita, quæ alias die feſto eſſent prohibita, ſequitur licite celebrari die feſto Mercatum, ſive Nundinas, quando jam invaluit talis conſuetudo. Itemque cum conſuetudo fit, ut die feſto apertæ remaneant per aliquas horas quædam Apothecæ, ut aliqua ibi vendantur, maxime ex cibis magis neceſſariis, id etiam ex conſuetudine cohoneſtabitur. Idem dicas, ubi viget conſuetudo, ut Barbitonſores per aliquas horas in mane die feſti barbas radant.

II. Ex capite neceſſitatis, ex quo redditur licitum Judicium forenſe in die feſto, poſſunt fieri omnes illi actus, qui neceſſarii ſunt ad vitandum grave incommodum litigantium. & quos exigit publica utilitas. Hinc exerceri poteſt judicium die feſto, ſi ex dilatione actio ſit perimptura; ut etiam habetur *ex leg. 1. §. Sed excipiuntur ff. de Feriis*: ſi ſuſpicio ſit, ut Debitor fugiat, dilapidet &c. ſi adſit periculum ſpiritualis nocumenti: ſi timeatur fuga Latronis: ſi commiſſum ſit atrox delictum die feſto cum publico ſcandalo, nam tunc reus poteſt die feſto ſuſpendi, & judicari ſi aliis diebus non poteſt commode accedi ad judicium, ut accidere ſolet reſpectu ruſticorum, vel teſtis, qui cogitur diſcedere. Hinc maxime in parvis Oppidis poteſt Judicium die feſto exerceri, cum aliis diebus incolæ talium locorum neceſſe habeant colere agros &c.

III. Titulus pietatis, qui comprehendit miſericordiam in

in miſerabiles, & pauperes perſonas, Religionem in Deum, & obſarvantiam in Patriam, & Parentes, licitum faciet agere die feſto de cauſis miſerabilium perſonarum, v. g. illorum, qui in carcere detinentur, & deſignare Tutores, & Curatores juxta *leg. ff. de fer.* Licitum item erit agere de cauſis pauperum, ne nimis graventur expenſis; de cauſis perſonæ Raligioſæ, vel Eccleſiæ, maxime ſi titulo Religionis adjungatur ipſarum paupertas: de cauſis parentum, & Patriæ, eum pietas velir celeriter ipſis eſſe ſubvaniendum, & præcipue ſi laborent paupertate &c. Ex his facile erit dignoſcere alios omnes caſus, quibus licite exerceri poteſt die feſto Judicium forenſe &c.

QUÆSTIO II.

De Jejunio.

UT jam innui initio hujus Tractatus, mos eſt Theologorum ſub tertio Decalogi præceptu agere etiam de Jejunio, cum de aliis Eccleſiæ præceptis alibi ſoleant differere. Et nos igitur hoc præceptum, quantum neceſſitas poſtulat, explicabimus.

CAPUT I.

De Eſſentia jejunii, ejuſque diviſione.

Q I. QUuotuplex ſit jejunium; & quid ſit.

R. I. Primum jejunium impruprie, & metaphorice ſumptum, eſt jejunium ſpirituale. h. e. abſtinentia a vitiis, de quo dicitur *Iſ.* 58. *Nonne magis hoc eſt jejunium, quod eligi? Diſſolve colligationes impietatis*. Secundum jejunium dicitur *naturæ*, ſive *naturale*, & eſt abſtinentia ab omni prorſus cibo, & potu, S. Auguſtinus *epiſt.* 118. dicit, hoc jejunium Spir. S. inſtinctu impoſitum fuiſſe ſumpturis SS. Euchariſtiam. Tertium jejunium eſt abſtinentia ab omni cibo, & potu juxta regulas temperantiæ; & hoc non conſiſtit in determinata quantitate cibi, & potus; nam virtus Temperantiæ juſta diverſas complexiones admittit magis, & minus, cum id, quod uni eſt neceſſarium, poſſit eſſe alteri ſupefluum &c. Hoc jejunium, quo juxta regulas temperantiæ unuſquiſque ſolum ſumit quod ſibi neceſſarium eſt in cibo, & potu, dicitur Eccleſiaſticum, de quo in præſenti.

R. II. Jejunium Eccleſiaſticum juxta Doctrinam *D. Th.* 2.2. *q.* 147. *a.* 2. definiri poteſt: *Victus parſimonia, & abſtinentia ciborum, juxta id, quod præcipit Eccleſia*. Pro parſimonia victus intelligitur unica comeſtio, de qua infra, cui poſtea permiſſum fuit adjungere collationem ſerotinam: pro abſtinentia vero ciborum juxta præſcriptum Ecclaſiæ, intelligitur, abſtinentia a carnibus, & lacticiniis, ut videre eſt *can. de uſu carnium de conſ. diſt.* 3. *can. ſtatuimus, & can. denique diſt.* 4. Item præſcribit tempus determinatum pro refectione, ut videre eſt *can. ſolent plures de conſec. diſt.* 1. De ſingulis autem per ſpecialia quæſita differemus.

Porro jejunium valde commendatur in S. Scriptura, & apud SS. Patres, & ſpecialiter tria ipſi tribuuntur: Primum eſt reprimere concupiſcentias carnis, unde ait S. Hieronymus *lib.* 2. contra Jovinianum: *Sine Cerere, & Baccho friget Venus:* Secundum, reddere animam bene diſpoſitam ad Divina contemplanda; & ita habetur *Daniel.* 1. quod poſt jejunium trium hebdomadarum habuit a Deo revelationem. Tertium denique, ſatisfacere pro peccatis, juxta illud *Joel.* 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, fletu, & planctu &c.* Pertinet autem jejunium ad virtutem abſtinentiæ; nam cum ſit tribuendum illi virtuti, a qua regulatur, & hæc ſit abſtinentia, ſequitur, eſſe actum abſtinentiæ.

Q. II. Qualiter requiratur unica refectio ad formam jejunii; & quoties peccet, qui pluries die jejunii comedit.

R. Sive jure canonico introducta ſit unica comeſtio, id enim aliqui volunt cautum fuiſſe *can. quadrageſima de Conſecr. d.* 5. ſive introducta ſit communi Eccleſiæ conſuetudine, ut docet *S. Th.* 2.2. *q.* 147. *a.* 6., certum eſt modo ad eſſentiam jejunii unicam requiri refectionem. Ut unica tantum dicatur comeſtio, non repugnat ſi quis ita comedat, ut nullam ſentiat carnis afflictionem ſicut etiam ſufficit, ſi moraliter non diſcontinuetur. Dixi non repugnare jejunio, ſi quis ita comedat, ut nullam ſentiant carnis afflictionem, ut quis etenim legi ſatisfaciat, ut ſæpe dictum, eſt, ſatis eſt ſi illius fini intrinſeco ſatisfaciat, quamvis non ſatisfaciat extrinſeco, finis autem intrinſecus jejunii eſt abſtinentia a certis cibis, & carnibus, extrinſecus vero mortificatio, & afflictio carnis. Verum tamen eſt, quod, qui ſe ita ingurgitat, ut nullam ſentiat carnis afflictionem, nil omnino ita jejunando merebitur; immo & contra temperantiam peccabit, ſi immoderate comedat: *Bonac. diſp. ult. de præcep. Eccleſ. q.* 1. *p.* 2. *n.* 7. *Paſqualig. deciſ.* 120.

Dixi ulterius dari unicam refectionem, ſemper cum diverſæ comeſtiones moraliter non diſcontinuentur. Tunc putant aliqui, moraliter jejunium non diſcontinuari, quando inter unam, & aliam comeſtionem non interceſſerit ſpatium duarum horarum. Verum melius alii non admittunt tantum interruptionem, illam ad ſummum extendentes ad unam horam, quando quis cauſa facienti alicujus urgentis negocii diſceſſit a prandio, animo ad illud redeundi: *Sanch. in Conſ. l.* 5. *c.* 1. *dub.* 24. *n.* 1. Quod ſi quis ſurgat a menſa animo non amplius redeundi, quamvis quidam velint, novam comeſtionem eſſe diverſam a prima, adeoque frangare jejunium; nihilominus bene poteſt dici, excuſari a violatione jejunii, qui ſtatuerat non amplius comedere, & etiam involverat mappulas, ſi durante adhuc prandio, aliquid de novo comedat, quia adhuc durat prandium: *Leſſ. l.* 4. *cap.* 2. *d.* 2. *Bon. p.* 3. *nu.* 10. *Sanch. n.* 5. Idem dices; ſi veſcatur de novo appoſito ferculo, quia tunc cenſetur ſtatuiſſe non amplius comedere ex ignorantia, quod eſſent alia fercula apponenda.

R. II. Dicendum omnino eſt; ſemel tantum peccare, qui pluries in die jejunii comedit; nam destructa eſſentia jejunii per ſecundam comeſtionem, ea etenim in unica comeſtione conſiſtit, jam tertia comeſtio non amplius eſt violatio jejunii. Ad eum modum quo ille, cui imperatum fuit non frangere aliquod vas, violat quidem præceptum in prima fractione, non tamen ſi poſtea in minutas partes frangat; poſt primam enim fractionem non eſt amplius vas, adeoque non verificatur in aliis fractionibus frangere vas, ſed ejus fruſtra: *Suar. de Relig. t.* 2. *l.* 4. *cap.* 7. *num* 10., *Azor p. p. l.* 7. *cap* 9. *Fagund. de* 4 *Eccleſ. præcept. l.* 1. *c.* 4. *n.* 5., *Bonac. diſp. ult. de præcept. Eccleſ. q.* 1. *p.* 3. *n.* 7. Quid vero dicendum de eo, qui pluries eadem die jejunii comedit carnes, videbimus ſtatim.

Q. III. Quæ abſtinentia a carnibus, & lacticiniis requiratur in die jejunii.

R. I. Abſtinentia a carnibus neceſſaria in die jejunii, obligat non comedere quidquid ex communi voce venit ſub nomine carnium. In dubio an aliquid pertineat ad carnes, vel ad piſces, volunt plures Theologi judicandum eſſe ad carnes pertinere ſi diu extra aquam vivat. Nihilominus hæc regula non eſt generaliter vera, nam teſtudines vivunt etiam extra aquam, & nihilominus judicantur ad piſces pertinere; & proinde Cartuſiani, quibus prohibitum eſt etiam in punctu mortis veſci carnibus, illas continuo comedunt. Potius ergo ſtandum eſt uſui & communi hominum judicio.

Sub nomine carnis venit etiam ſanguis, ſagimen, ſicut etiam jus carnis, & olera tali jure cocta, cum vere in his omnibus carnis ſubſtantia reperiatur: *Sanch. in ſum. l.* 4. *c.* 11. *nu.* 48. *Bonac. diſp.* 4. *in* 2. *Decal præcept. q.* 2. *p.* 6. *n.* 23.

Tria autem hic ſolent a Theologis diſputari. Primum an in comeſtione carnium detur parvitas materiæ. Secundum, an pluries peccet, qui pluries die jejunii comedi carnes. Tertium, an diſpenſatus ad edendas carnes intelligatur diſpenſatus ad non jejunandum. His autem breviter reſpondendo.

Primo affirmo dari in comeſtione carnium parvitatem materiæ; ſi enim in præcepto naturali negativo non furandi datur parvitas materiæ, cur & non eſt admittenda in præcepto Eccleſiaſtico non comedendi carnes? Verum tamen eſt, communiter rejici quorundam opinionem, qui volebant dimidiam unciam carnis eſſe parvitatem materiæ, caro etenim etiam in tali exigua quantitate non parum nutrit: communis ergo ſententia eſt exiguum fruſtulum carnis non excedens octavam partem unciæ, dici poſſe parvam materiam, quæ excuſet a peccato mortali: *Leand. tr.* 5. *d.* 3. *quæſt.* 12. aliique apud ipſum.

Secundo, dico, toties peccare, quoties quis die jejunii comedit carnes; nam præceptum eas prohibens, eſt negativum obligans ſemper, & pro ſemper, ſicut alia præcepta negativa. Idem dicas de comeſtione lacticiniorum: *Suar. t.* 2. *de rel l.* 4. *c.* 7. *n.* 12. *Fagund. l.* 1. *de* 4. *Eccleſ. præc. c.* 4. *n.* 6. Inſimul advertas, comedentem carnes, & lacticinia die vetito dupliciter peccare, quia præceptum

Digitized by Google

probibens lacticinia diſtinctum eſt a præcepto non comedendi carnes: *Sanctius in Select. diſp. 42. n. 26.*

Tertio, affirmo diſpenſatum a carnibus non ob aliquam virium debilitatem, ſed ſolummodo quia illi nocent cibi quadrageſimales, non eſſe diſpenſatum a jejunio, ſi non ſit conſuetudo in contrarium. Ratio mihi eſt quia quando materia alicujus præcepti conſiſtit in multiplici parte licet eſſentiali, tamen diviſibili, falſum eſt non valentem majorem partem præſtare eximi etiam a minori. Exemplificatur hoc in præcepto de recitandis Horis Canonicis, cujus materia eſſentialis eſt integrum Officium; & nihilominus quia partes eſſentiales ſunt diviſibiles, non verificatur quod qui non poteſt majorem partem recitare, non teneatur alias partes, ut conſtat ex condemnatione propoſitionis 54. facta ab Innocentio XI. Item exemplificari poteſt in præcepto de ſanctificandis feſtis, cujus materia eſſentialis eſt audire Miſſam, & abſtinere ab operibus ſervilibus; & nihilominus qui non poteſt unum præſtare, tenetur præſtare aliud. Cum igitur materia eſſentialis jejunii contineat duas partes, licet eſſentiales, attamen commode diviſibiles, ſcilicet abſtinentiam a carnibus, & unicam comeſtionem, non ſequitur, diſpenſatum, vel non potentem præſtare unam, non teneri ad aliam: *VVigant. in Trib. Confeſſ. tr. 5. exam. 9. n. 100. Navar. in Man. c. 21. nu. 22., Bonac. de Præcept. Eccleſ. diſ. ult. q. 1. p. 2. n. 3.*

Dixi nihilominus, *ſi conſuetudo non ſit in contrarium*, puto etenim fere ubique invaluiſſe conſuetudinem, ut diſpenſatus a carnibus ſimul ſe putet diſpenſatum a jejunio; conſuetudo autem, ex toties dictis, præſcribit contra legem.

Advertendum hic etiam, diſpenſatum a carnibus intelligi etiam diſpenſatum a lacticiniis; cui enim in una materia conceditur majus, & minus etiam intelligitur concedi. Poteſt etiam ſic diſpenſatus comedere piſces, quia ſunt cibus jejunio conformior; & ſi aliquis illos comedat ex gula, potius peccabit contra Temperantiam *Bonac. p. 2. nu. 4.* aliique apud ipſum.

R. II. Abſtinentia a lacticiniis exigit, ut non comedantur ova, lac, butyrum, caſeum, & id habetur *ex c. denique diſt. 4.* ubi & Gloſſa; & ad hoc probandum affertur etiam can. 56. ſextæ Synodi Conſtantinopolitanæ. Accedit conſuetudo totius Eccleſiæ, ut tempore Quadrageſimæ obſervatur talis abſtinentia; quapropter Alexander VII. ſequentem damnavit propoſitionem ſub n. 32. *Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget*: Extra tempus autem Quadrageſimæ ſervanda eſt laudabilis conſuetudo locorum, in multis enim Provinciis permittuntur ova, & lacticinia in jejuniis non quadrageſimalibus. Illud certum eſt, quod ubi viget talis conſuetudo, obligat ſub mortali, tum qui eſt de materia gravi; tum quia omnes Fideles talem obligationem putant eſſe ſub mortali: *Suar. tom. 2. de Relig. c. 13. nu. 3. Azor. p. 1. l. 7. cap. 10. q. 1., Laym. tr. 8. c. 1. n. 3.,* & communiter. Quod ſi aliquid ovorum, in exigua tamen quantitate, admixtum ſit in aliquo cibo; ut evenit e. g. in pane biſcocto, putant DD. non poſſe Fideles veſci in diebus quadrageſimalibus tali cibo in magna quantitate, quia ibi eſt ovorum ſubſtantia ſed ſolum in valde exigua quantitate puta ſi quis tantum duos biſcoctos comederet: *Trull. l. 3. Decal. c. 3. d. 3. n. 8. Dian. p. p. tr. 9. reſol. 31.* Hæc eſt communior ſententia adverſus aliquos, qui putant tali cibo non prohibitum veſci in quacumque quantitate, quia ſubſtantia ovorum ita abſorbetur, ut non videatur comeſtio ovorum, ſed panis.

Q. IV. Quæ hora ſit deſtinata refectioni, in die jejunii.

R. Quæcumque fuerit praxis in primis Eccleſiæ Seculis, modo certum eſt, horam deſtinatam ad refectionem in die jejunii eſſe circa meridiem, ſumendo meridiem moraliter; unde nil refert ſi tali die jejunium per horam anticipetur, vel poſtponatur, adhuc enim intelligitur refectio facta moraliter circa meridiem.

Quod ſi petas qualiter peccet, qui per duas, vel tres horas refectionem anticiparet, dicendum eſt peccare tantum venialiter, *ſi id faciat ſine juſta cauſa*. Ratio eſt, quia cum Eccleſiæ conſuetudo variaverit horam refectioni deſtinatam; nam antiquitus erat hora tertia poſt meridiem, ut colligitur *ex can. ſolent plures de Conſecr. d. 1.* modo autem eſt circa meridiem, jam poſt talem variationem hora refectioni deſtinata non eſt cenſenda eſſentia jejunii, ſed quid ei accidentale; unde talem horam non ſervare erit peccatum veniale. Ad eum modum quo, nonniſi venialiter peccat, qui ſine cauſa notabiliter antevertit, vel poſtponit tempus deſtinatum recitationi Horarum Canonicarum. Accedit, notabiliter antevertere, vel poſtponere horam refectioni deſtinatam non adverſari mortificationi, quæ eſt finis intentus a præcepto jejunii; nam ſemper cum intra horas vigintiquatuor ſemel tantum veſcamur abſtinentia erit ſemper eadem, ut conſideranti conſtabit. Quod ſi in præfato capite *Solent* reprehenduntur tamquam non jejunantes, adeoque ut rei culpæ gravis, qui non reſervabant horam ad jejunium deſtinatam, id erat, quia tunc volebat Eccleſia, horam pro refectione deſtinatam eſſe attendendam tamquam de ſubſtantia jejunii; & ideo etiam *S. Th. in 4. diſt. 15. q. 3. a. 4. q. 3.* redarguit tamquam vel violatores jejunii eos, qui nimis refectionem anticipabant. Poſtquam vero ex conſuetudine ab Eccleſia tolerata, hora refectionis conſtituta fuit circa meridiem, talis deſignatio temporis non videtur inducta tamquam ſit de ſubſtantia jejunii; unde ita magis communiter docent DD. Dixi, ſi id faciat ſine juſta cauſa; nam rationabili cauſa exiſtente, omnino excuſatur a culpa antevertens, vel poſtponens horam refectionis.

Q. V. Quæ collatiuncula licita ſit in die jejunii; & quibus cibis conſtare debeat.

R. I. Juxta communiorem ſententiam licitum eſt ſumere pro collatiuncula quantitatem octo unciarum, ſic enim fert praxis comunis Fidelium timoratorum. Præterea hæc quantitas reputatur neceſſaria ad ſomnum neceſſarium capiendum, & ne nimis vires a jejunio, debilitentur. Cæterum non ſtatim condemnandus peccari mortalis, qui hanc quantitatem per unam unciam cum dimidio excederet, quia exceſſus eſſet in materia parva: *Paſqual. de jejun. deciſ. 91. nu. 4. & dec. 105. num. 2. Leand. tract. 5. diſ. 4. q. 13. & 14.*, & alii apud ipſum.

R. II. Cibus, qui poteſt ſumi in ſerotina collatiuncula, non debet eſſe ex his rebus quæ ordinantur ad nutriendum, & ſuſtentandum. Ita communiter docent Theologi ea ducti ratione, quod cum iſta collatiuncula conſuetudine introducta ſit, ſtandum eſt conſuetudini circa cibos in ea ſumendos; ipſi autem teſtantur, nullibi introductam conſuetudinem, ut ſumantur cibi ad nutritionem conducentes. Hinc communiter excludunt a ſerotina collatiuncula etiam piſciculos ſive recentes, ſive fumo exſiccatos, lacticinia, & ova, ubi licitum eſt ea comedere die jejunii, *Sanch. l. 5. Conſ. c. 1. dub. 25. nu. 4. Pal. p. 7. tr. 1. diſp. 3. punc. c. §. 2. n. 6. Fag. de 4. Eccleſ. præc. l. 1. c. 4. nu. 18., Dian. p. 1. tr. 9. reſol. 1., & p. 4. reſol. 117.*

Volunt igitur, cibos pro collatiuncula debere eſſe poma, fructus arborum, amygdala, uvas, oleas, nuces, pyra, herbas ſive coctas, ſive crudas, aliquo oleo immixtas, dulciaria, & alia bellaria, &c. Conceditur etiam panis quamvis ſit nutritivus, quia eſt cibus communis, & neceſſarius, & veluti materia omnium ciborum. Non facile tamen aſſentiendum iis, qui volunt licite ſumi pro collatiuncula octo uncias panis cocti, vulgo *pan cotto*. Ratio eſt, quia quamvis coctio, ut dicunt tales Autores, nil adderet ſubſtantiæ, ſed ſolum efficeret illum panem digeſtioni aptiorem; nihilominus ille panis coctus ex communi conſuetudine reputatur quantitas nimis excedens pro ſerotina collatiuncula; unde ad ſummum concederem circa quatuor uncias panis, qui eſſet coctus, aqua, ſale & oleo conditus: *Azor. p. p. l. 7. c. 8. q. 7. Filiuc. tract. 27. p. 2. num. 80., Trull. l. 3. c. 2. dub. 3. num. 8.*

Rogabis, an liceat ſummo mane, aut meridie ſumere collatiunculam, & differre prandium in noctem. Ad hoc autem reſpondeo, id non poſſe fieri ſine juſta cauſa, quia cum talis collatiuncula introducta ſit conſuetudine eaque ſit ut veſpere ſumatur, conveniens eſt talem ſervare conſuetudinem. Si tamen id fiat ſine juſta cauſa erit dumtaxat peccatum leve, quia non tollit ſubſtantiam jejunii: *Tolet. l. 6. c. 2. n. 28. Paſqual. deciſ. 112. n. 3. Navar. in Man. c. 21. num. 14.*

Poteſt etiam hic quæri quid dicendum ſit de collatiuncula in pervigilio Nativitatis. Et reſpondendum, omnino licere ſumere collatiunculam duplo, aut triplo majorem, prout ſe habet conſuetudo, quæ invaluit. Ubi igitur conſuetudo fert, ut etiam panis in majori quantitate ſumatur, id poterit licite fieri, quidquid in contrarium (non attenta conſuetudine) communiter dicant Theologi, quia conſuetudo recepta, maxime conſentientibus Prælatis, habet vim legi derogandi. Idem etiam dicas, ſi pervigilium Nativitatis incidat in Sabbatho, & Nativitas in Feria ſecunda, nam conſuetudo de collatiuncula in majori quantitate, eſt pro die, in quo incidit tale pervi-

Google

vigilium: *Paſqualig. deciſ. 92. numer. 7. Sanch. l. 5. Conſil. c. 1. d. 26. n. 3.*

Q. VI. An potius ſolvat jejunium; & præcipue potio Chucolatica.

R. I. Titulus quæſiti non ſolum eſt quoad vinum, cerviſiam, & alia, quæ juxta diverſitatem Regionum vere ſunt potus, ſed etiam circa aquas mixtas ſaccharo, aliaſque res, quæ communiter dicuntur *ſorbeto*, & præcipue circa Chocolatum. Igitur quidquid ſit de uſu veterum Chriſtianorum, qui die jejunii ab uſu carnium, & vini potu abſtinebant, ut teſtantur plures PP. modo certum eſt, vini potionem non frangere jejunium, cum Eccleſiæ præceptum ſit ſolum de abſtinentia a cibis, & de unica refectione; quod etiam habetur ex communi praxi Fidelium. Nec refert, vino pluries extra comeſtionem ſumpto poſſe ſedari famem, & haberi nutrimentum; nam etiamſi quis ea intentione pluries extra comeſtionem biberet, non ob id violaret jejunium, cum intentio ſumentis non poſſit facere vinum eſſe de ſua natura cibum, quamvis ſecundario conducere poſſit ad nutritionem. Item lex non attendit qualis ſit intentio jejunantis, ſed, an ponatur actus eo modo, quo præcipitur; *Navar. in Sum. c. 21. num. 13. Sanch. cit. dub. 23. n. 3. Laym. l. 4. tr. 4. c. 1. n. 7.*

R. II. Aquæ Saccharo, aliiſque liquoribus admixtæ, quæ vulgo dicuntur *Sorbetti*, non frangunt jejunium, nam de facto non cibus, ſed verus potus judicantur; eo magis quia illa, quæ cum aqua infunduntur, ſunt in parva quantitate, & ita liquefieri videntur, ut fere appareat proprium naturam amiſiſſe. Secus eſſet, ſi in parva aqua talis quantitas ſacchari, & aliarum rerum, quæ cibi rationem habent, admiſceretur, ut tales potiones potius cibus judicarentur; tunc enim abſque dubio frangeretur jejunium: *Sanch. l. 5. Conſ. c. 1. d. 23. a. 1. Paſqual. de jejun. dec. 116. Trul. l. 3. in Decal. c. 2. d. 2. a. 15.*

R. III. Chocolatum *ex ſua natura* frangit jejunium. Ratio mihi eſt, quia non ideo aliquid dicendum habere rationem potus, quia modo potabili ſumatur; nam alias lac ubi licet ſumitur die jejunii, non ſolveret jejunium, ſed illud dicitur eſſe de ſua natura potus, quod vere ſumitur ad ſedandam ſitim, & id habet ex ſua natura præſtare. Chocolatum veto nec habet ex ſua natura ſitim extinguere, nec tali fine ſumitur, ſed ad augendas, ſeu reparandas vires. Hæc ratio mihi ſemper viſa eſt tam efficax, ut nunquam potuerim exiſtimare Chocolatum habere rationem potus, ni forte in parva quantitate cum aqua admiſceretur, ut evenit de ſaccharo in conficiendis aquis, quæ dicuntur *ſorbetti*.

Dixi Chocolatum *ex ſua natura* frangere jejunium. Habeo tamen rationem extrinſecam, qua certum mihi redditur potionem chocolaticam non frangere jejunium. Hæc autem fundatur in univerſali conſuetudine, quam ſciunt, & tolerant Prælati Eccleſiæ, quæ conſuetudo in hac parte Legi derogavit. Cæterum advertas, etiam volentes Chocolatum frangere jejunium, admittunt, unciam Chocolati eſſe materiam parvam, adeoque nullum eſſe peccatum illud ſumere, ſi detur aliqua cauſa rationabilis.

Q. VII. An ſicut licitum eſt plures bibere in die jejunii, ita etiam licitum ſit plures ſumere aliquid cibi, ſi timeatur, potum eſſe nociturum.

R. Breviter reſpondendo dico: quod licet ſemel pauxillum panis, hoc eſt, intra dimidiam unicam, aut alterius cibi poſſit quis ſumere, ne potus illi noceat, id tamen non poteſt facere, ſi plures bibat in die jejunii; quia ita facile magnam cibi quantitatem poſſet ſumere, adeoque ſolvere jejunium. Quod vero ita facile eſſet devenire ad magnam quantitatem patet, quia illæ parvæ comeſtiones moraliter unirentur ratione ejuſdem diei, quo quis teneretur ad jejunium, ſicut etiam ratione ejuſdem præcepti; *Laym. l. 4. tr. 8. c. 1. nu. 7. Bonac. de præc. Eccleſ. piſp. ult. q. 1. p. 3. n. 4.* Hinc Alexander VII. proſcripſit contrarium ſentientes, dum ſub *n. 20.* ſequentem damnavit propoſitionem: *In die jejunii qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Eo quia ad eſſentiam jejunii ſufficiat unica refectio moraliter, licet non phyſice continuata, Confeſſarius advertere poteſt Famulos, alioſque, qui vel nolunt, vel non poſſunt expectare horam ſatis tardam ad comedendum, poſſe ſine peccato aliquid ſumere, quando jam approximatur hora prandii, quia ipſa comeſtio moraliter continuatur cum prandio paulo poſt ſequuturo. Id maxime evenire poteſt reſpectu illorum goloſorum famulorum, qui dum menſæ Dominorum inſerviunt, aliquid clam ſurripiunt, & comedunt; nam hi quamvis gulæ culpa poſſint inquinari, dicendi ſunt non frangere jejunium, ſi poſt Dominos ſunt ſtatim comeſturi.

II. Cum in carnis comeſtione detur parvitas materiæ, & hæc omnino excuſet a peccato, maxime in præceptis humanis, quando adeſt cauſa rationabilis non abſtinendi a tali materiæ parvitate, debet Confeſſarius monere Coquos, & Pincernas, poſſe parum carnis in die jejunii guſtare; ita enim exigit ipſorum officium, nec proinde excuſantur a jejunio. Bene autem facient, ſi expuant, poſtquam in ore guſtaverint. Multo magis id facere poteſt, qui infirmis inſervit, ut illos certificare poſſit de bonitate ciborum, vel ad ipſorum excitandum appetitum; ita enim exigit Charitas, quæ potior eſt omni Eccleſiæ præcepto.

III. Cum juſta exiſtente cauſa poſſit anticipari, vel poſtponi hora refectioni deſtinata, ſequitur, id fieri abſque ullo peccato, ſi e. g. quis lecturus eſt ad menſam, vel habere concionem; ſi iter ſit aggreſſurus; ſi recepturus hoſpites; ſi ad aliquam recreationem iturus; ſi poſt meridiem debeat ſtatim ad aliqua applicare, quæ non exiguam requirant mentis occupationem; ut evenire poteſt dum grave negocium eſſet pertractandum, alicui ſtudio incumbendum &c. Si quis vero vellet refectionem differre uſque ad veſperam, ut jam mos arat Chriſtianorum, id facere poſſet abſque peccato, quia ita magis corpus maceraretur, quod eſt finis jejunii.

IV. Cum etiam, rationabili interveniente cauſa, licitum ſit ſummo mane, aut circa meridiem ſumere collationem, & prandium in noctem differre, hinc Confeſſarius non ſolum debet permittere, ſed etiam imponere, ut ita jejunet ille, qui alio modo non poteſt jejunare, cum præcepta moralia debeant adimpleri congruentiori modo, quo fieri poteſt. Ita etiam ſe habent illi, qui mane commode prandere non poſſunt, vel ratione negotii pertractandi, vel eundi ad honeſtam recreationem. Ita etiam ſe habet, qui ſi in mane prandeat, difficiliter ſomnum capiet, dum ſero cubitum ibit.

V. Quamvis quidquid habet rationem potus ſumi poſſit abſque jejunii violatione, non tamen quod habet rationem cibi, quamvis ex eo aliquæ fiant potiones. Hinc uva, cucumeres, ceraſa, & ſimilia, quamvis ſumantur, & deſerviant ad ſitim extinguendam; nihilominus comedi non poſſunt ſine fractione jejunii, quia cibus reputantur. Idem dicas de quibuſdam liquidis, ut ſunt lac, jus, & ſimilia; nam cum ordinentur ex ſe ad nutriendum, reputantur habere rationem cibi.

VI. Quamvis ex ſupradictis, quæ habent rationem potus non frangant jejunium, nihilominus curet Confeſſarius ita a ſuis pœnitentibus jejunari, ut etiam a potu non neceſſario abſtineant. Quam maxime jejunio Deum placari demonſtret, ac peccatorum pœnis ſatisfieri, quo tamen fructu carere neceſſe eſt illum, qui aſſidue die jejunii potando, & quantum poteſt cibi ingurgitando, non pœnam, ſed potius delicias, & gulæ irritamenta invenit. Hinc inſtruantur etiam, finem Eccleſiæ nobis indicentis jejunium eſſe concupiſcentias carnis reprimere; & videri non pro paucis eorum vitio fruſtra canere: *Carnis terat ſuperbiam potus, cibique parcitas.* Suadeat igitur quantum poteſt Confeſſarius ſuo Pœnitenti ita jejunare, ut ſupremo Judici aliqua ratione pro ſuis culpis ſatisfaciat, & ut corpus jejunio maceratum non tam crebro adverſus rationem rebellet.

CAPUT II.

De Præcepto Jejunii; & de Cauſis a tali Præcepto excuſantibus.

Q. I. AN detur Eccleſiæ præceptum de jejunio in aliquo anni tempore ſervando, & quomodo obliget.

R. I. Dari præceptum jejunii in aliquo anni tempore ſervandi, conſtat ex pluribus SS. Canonibus, ut ex *cap. non dicat de Conſ. diſt. 3. cap. non oportet, cap. placuit, cap. quadrageſima de conſecr. diſt. 1.* Et de facto ſicut pertinet ad Principes Sæculares præcipere, quæ neceſſaria ſunt ad bonum commune politicum, ita & pertinebit ad Superiores Eccleſiaſticus præcipere, quæ neceſſaria ſunt ad ſpiritualem ſalutem Subditorum, & inter hæc utique adnumerandum eſt jejunium; nam tam a S. Scriptura

quam

quam a SS. PP. ſummopere commendatur, ut neceſſarium ad vitia refrænanda, & ſuperanda.

Hujuſmodi autem præceptum partim eſt affirmativum, partim negativum. Affirmativum eſt quatenus præcipit parſimoniam victus, unicam comeſtionem, & ſpeciales cibos. Qua parte negat, & prohibet comeſtionem carnis, & lacticiniorum, & plures comedere, eſt negativum.

R. II. Ex dictis in ſuperiori capite conſtat, hoc præceptum ſub gravi obligare, nam ejus materia gravis eſt: unde contrariam aliquorum ſententiam proſcripſit Alexander VII. dum ſub *n.* 23. ſequentem damnavit propoſitionem: *Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult ſe ſubjicere præcepto.* Immo vidimus, ipſam conſuetudinem non comedendi ova, & lacticinia obligare, ut conſtat ex propoſitione 32. damnata ab Alex. VII., & etiam obligare ſub gravi; nam ita tenet non ſolum omnium DD. ſententia, ſed etiam communis praxis Fidelium, qui putant graviter peccare, ſi etiam ſolum in hac parta frangant jejunium.

Q. II. Qua hora incipiat, & deſinat obligatio jejunii: Et quid faciendum in dubio, an tranſierit hora, necne.

R. I. Concors aſt omnium DD. ſententia, jejunium Eccleſiaſticum, cum ſervandum ſit intagra die, incipera a puncto mediæ noctis, & deſinere in eodem puncto mediæ noctis ſequentis. Media autem nox debet juxta horologium computari, ubi illud eſt; ubi vero non eſt, ut accedit in parvis Oppidis, computanda aſt moraliter, ſcilicet juxta habitantium æſtimationem.

Solent hic Theologi aliquas axcitare quæſtiones, quas brevi calamo explicabo.

Prima eſt, cui horologio ſtandum ſit, ſi plura horologia ſint in aliquo loco, & non eodem tampore horas pulſent. Et huic quæſtioni reſpondendum eſt, quod ſi non conſtet de errore alicujus horologii, poteſt unuſquiſque cui maluerit adhærere; cum non conſtet quala illorum horologiorum melius indicat punctum mathematicum mediæ noctis: *Sanch. l. 2. de matr. d.* 41. *n.* 40., *Fag. de* 4. *Eccl. præcept l.* 1. *c.* 10. *n.* 3.

Secunda eſt, an ſi media nox ſit e. g. hora ſexta, incipiat, & deſinat primo actu campanæ, vel potius quis poſſit die antecedenti ad jejunium comedere uſque ad ſextum ictum campanæ. In qua quæſtione, licet varient Authores, magis rationabilis ea videtur ſententia, quæ aſſerit, diem ſequentem incipere primo pulſu horæ ſextæ diei ſequentis, nam primus pulſus ſignificat incipere diem novam, & primus pulſus horæ ſextæ in nocte ſequenti aam eſſe completam. Ideo autem diverſi ſunt pulſus, quia unico pulſu non poteſt hora ſexta indicari; *Sanch. cit. Lugo de Euchar. diſp.* 15. *num.* 37. Hac opinione retenta, ſequitur, audientem primum pulſum horæ ſextæ, ſtatim debere ceſſara a cæna, ſi die ſequenti jejunare teneatur; nam cum a tali puncto incipiat nova dies, in qua adeſt obligatio jejunandi; ſi continuaretur cæna incœpta, varificaretur, bis aliquem in die jejnnii comediſſe, ut de ſe patet.

R. II. Si dubium ſit, an media nox tranſierit, necne, Theologi ita ſolent diſtinguere. Si die futura ſit jejunandum, tunc in dubio, an ſit media nux, necne, poterit quis cænare, quia obligatio ad jejunandum adhua eſt ſub dubio, & proinde in tali dubio videtur melior conditio poſſidentis ſuam libertatem. Si vero dubium, an tranſierit media nox, incidat ea dia, qua arat obligatio jejunandi, tunc, cum certa ſit obligatio jejunii, & dubia poſſeſſio libertatis, quia neſcitur, an adhuc finierit dies jejunii, non poterit quis cænare. Ita communius docent Theologi: *Trull. l.* 3. *in Decal. c.* 2. *d.* 4. *n.* 8., *Fagund. de* 4. *Eccl. præcept. l.* 1. *c.* 20. *n.* 2. Bene etiam ratiocinantur, meo videri, qui volunt, attendendas eſſa circumſtantias temporis, negocia, quæ fuerunt pertractata, vel opera, quæ fuerunt facta, & exinde conſideratum, an poſſit rationabiliter præſumi tranſiiſſe mediam noctem, nec ne. Si rationabiliter poteſt præſumi tranſiiſſe, non poterit quis amplius cænare, ſi dubium ſit, an incœperit dies jejunii; & e contra poterit cænare, ſi rationabiliter præſumatur non tranſiiſſe, cum detur motivum rationabile dubium deponendi. Eadem doctrina aptanda, dum incidit dubium, an tranſierit media nox, quæ eſt terminus jejunii, & generaliter in omni dubio. Quoad illum vero, qui vult recipere Euchariſtiam, & dubitat, an poſt mediam noctem comederit, vide quæ dixi *tr.* 3. *q.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 2.

Q. III. Qui teneantur ad jejunii præceptum.

R. I. Omnes habentes uſum rationis tenentur jejunium ſervare quoad abſtinentiam a carne, & lacticiniis; nam habentes uſum rationis ſubduntur Eccleſiæ præceptis, ut conſtat; & aliunde Eccleſia prohibet omnibus, ne diebus, quibus mandat jejunium, comedant carnes, & maxime in Quadrageſima, etiam lacticinia *cap. de uſu carn. de conſ. diſt.* 3. *cap. ſtatuimus, & cap. denique diſt.* 4.

R. II. Non tenentur Fideles ad unicam refectionem, niſi vigeſimo primo annu expleto. Ratio eſt, quia ita fert Eccleſiæ conſuetudo ab omnibus racepta. Hujus conſuetudinis rationem reddit *S. Th.* 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. quia nempe uſque ad talem annum indigemus multo nutrimento prupter neceſſitatem augmenti, unde non tenemur ad ſervanda jejunia Eccleſiaſtica. Quia tamen præceptum jejuuii incipit obligare poſt vigeſimum primum annum completum, adhærendum puto illis Theologis qui judicant complentem talem annum in die jejunii teneri illud obſervara poſt horam, in qua illum complevit, eo modo, quo poteſt. Demus e. g. Petrum hora decima die, in qua eſt præceptum jejunandi, complere annum 21., ſi non plures jam comederit, tenetur ad unicam refectiunem, quia poſt talem horam incipit pro ipſo obligatio jejnnii, & ipſius præcepto ligatur, neque eſt novum, aliquem ſummo mana non teneri ad jejunium, teneri vero circa meridiem, vel in veſpere; ut patet in eo, qui mane diceſſit a loco, ubi non eſt obligatio jejunii, & poſtea pervenit ad Civitatem ſuam, ubi adeſt præceptum municipale de jejunando: *Sanch. l.* 2. *de matr. d.* 24. *num.* 23. *Bonac. diſp. ult. de Eccleſ. præc. q.* 1. *p. ult. n.* 7.

Cæterum obſervandum, quod quamvis Eccleſia non obliget ad obſervantiam jejunii, niſi poſt annum 21. bene poteſt quis ſe ad jejunium obligare ante talem annum e. g. ex voto, nam unuſquiſque poteſt ſibi imponere legem, quam utilem pro ſua ſalute judicabit: *Bonac. cit. q.* 1. *punct.* 6. *Filiuc. tract.* 27. *p.* 2. *c.* 6. *nu.* 110. Sicuti juxta communiorem ſententiam etiam talem annum Religioſi obligantur ad jejunia propriæ regulæ; nam ad hæc voluerunt ſe obligare, dum profitendo ſe obligaverunt ad Obſervantias, & Conſtitutiones ſuæ Religionis, quapropter peccabunt ea culpa, ſub qua Regula jejunium indicit: *Sanch. in Sum. l.* 7. *cap.* 11. *nu.* 56. *Anton. in Direct. Regul.* 2. *p. tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 421. & fere communiter.

Q. IV. Quæ excuſent a præcepto ſervandi jejunii Eccleſiaſtici.

R. I. Prima cauſa excuſans a jejunii præcepto eſt impotentia, vel ſit phyſica, ut eſt in illis, qui nullatenus poſſunt jejunare; vel ſit moralis, quando ſcilicet non poteſt jejunium obſervari ſine incommodo, quod excedat incommodum a jejunio inſeparabile; tunc atanim ex rationabili interpretatione mentis Eccleſiæ, bene dicitur nolle ſuas leges obligare. Cæterum advartendum, jejunium ideo præcipi, ut aliquod incommodum, & maceratio toleretur. Plura ex his deducet Confeſſarius in praxi obſervanda, quæ breviter adnotabo in regulis infra apponendis. Duo tamen hic dilucidaro paulo fuſius oportet. Primum eſt, an intelligantur habere impotentiam ad jejunium ſervandum quoad carnes, ova, & lacticinia, qui nil aliud habent quod comedant niſi panem, herbas, & legumina. Secundum eſt, an generaliter ſenes intelligantur impotentes ad jejunium ſervandum quoad unicam comeſtionem.

Quoad primum autem cenſeo dicendum, non habere pro uno, & altero die niſi panes, herbas, & lagumina pro alimento, ordinarie loquendo, non eſſe cauſam ſufficientem ad comedendas carnes, & lacticinia; nam una, aut altera die ſine piſcibus jejunare non poteſt eſſe tale incommodum; ut reputetur cauſa ſufficiens ad edendos tales cibos vetitos. Dixi, ordinarie loquendo; nam ſi ſermo eſſet de iis, qui ſunt complexionis valde debilis, facile tale paterentur incommodum, ut poſſent cibos vetitos comedere.

Si vero per plures dies, & multo magis per totam Quadrageſimam deberet quis abſque piſcibus jejunare, non pauci Theologi univerſaliter affirmant dari tunc cauſam ſufficientem ſaltem ad lacticinia comedenda, quia non reputant panem, legumina, & herbas alimentum ſufficiens ad vires reparandas. Melius nihilominus, meo videri, reſpondetur, ſi dicatur homines rudes, & ruſticos, aſſuetos pane, exiguo vino, herbiſque vivere, non poſſe comedere lacticinia, ſi ſolum habeant herbas, & legumina; cum pro ipſis tali cibo vivere non ſit grave

incommodum. Verumtamen eſt, hos non teneri ad unicam comeſtionem, quia veſcentes talibus cibis non congrue ſuſtentantur una tantum vice comedendo. Homines vero aſſuetos vivere carne, lacticiniis &c. aſſerendum eſt non teneri per multos dies ſolo pane, herbis, ac leguminibus veſci; nam pro ipſis eſſet extraordinarium incommodum. Videatur *Sanch. l. 5. Conſ. c. 1. pub. 15. n. 3. Paſqualib. deciſ. 287. & 289.*

Quoad ſecundum, tuto dici poteſt, hominem ætate ſexagenarium non teneri ad jejunium Eccleſiæ. Primo, quia ita fert univerſalis conſuetudo, de qua communiter teſtantur Theologi; conſuetudo autem tolerata contra legem præſcribit. Secundo, quia in ea ætate vires incipiunt debilitari, & langueſcere etiam in iis, qui viventer robuſti; unde non putandum S. Eccleſiam, quæ eſt Mater benigna, velle eos ad jejunium obligare. Præterea in legibus ferendis conſideratur quod communiter accidit, non caſus extraordinarius: *leg. non ad ea ff. de leg.* Ultraquamquod res eſſet multis ſcrupulis obnoxia examinare, an aliquis ſexagenarius eſſet robuſtus, necne: *Sanch. cit. dub. 4. n. 7. Pal. t. 7. tr. t. d. 3. p. 2. §. 5. n. 6. Dian. p. 1, tr. 9. reſol. 20.* aliique plures. Immo Lemas *3. p. Method. c. 5. §. 20.* refert ita declaraſſe S. Pium V.

Dixi non teneri ad jejunia Eccleſiæ, nam ad jejunium, ad quod aliquis ſe voto obligaſſet, vel profitendo in aliqua Religione, teneretur etiam poſt annum ſexageſimum; cum talis obligatio regulanda ſit juxta voluntatem voventis, vel profitentis, quæ fuit jejunare e. gr. per totam vitam &c. *Bord. in reſol. regul. t. 2. p. r. reſol* 18. *n. 6. Anton. in Direct. Regul. p. 2. tr. 3. d. 6. n. 404.* Quamvis autem hi ratione ætatis non excuſentur a jejuniis Ordinis, bene tamen ratione debilitatis, infirmitatis &c.

R. II. Secunda cauſa excuſans a jejunio eſt labor corporalis, ſi ſit moraliter incompoſſibilis cum jejunio. Dixi, ſi ſit moraliter incompoſſibilis cum jejunio; nam non omnis labor ab illo excuſat, ſed ille, qui vel de ſua natura, vel attentis viribus laborantis, ſolet non tam parum defatigare. Ita omnino dicendum eſt; nam ſolummodo grave incommodum excuſat ab obſervandi præceptis Eccleſiæ. Ulterius conſtat, quia Alex. VII. ſub n. 18. ſequentem damnavit propoſitionem: *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit comparabilis cum jejunio.* Item ſub nu. 31. ſequentem proſcripſit: *Excuſantur abſolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando; utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.* Ex his igitur conſtat, non omnem laborem a jejunio excuſare, ſed examinandum eſſe, an revera labor ſit incompoſſibilis cum jejunio vel ratione ſui, vel ratione perſonæ, a qua exercetur. Plura circa hoc dabo in regulis infra apponendis.

R. III. Altera cauſa a jejunio excuſans eſt Pietas. Hæc cauſa comprehendit opera Pietatis, Charitatis, Religionis, ſive Miſericordiæ, vel hæc ſpiritualia ſint, ſive corporalia. Exinde patet, hujuſmodi motivum a jejunio excuſare, quia dum majus bonum eſt exercendum, non poteſt eſſe obligatio exercendi minus bonum ſi hoc ſit cum majori bono incompatibile: cum proinde majus bonum ſit exercere opera Pietatis, Charitatis & Miſericordiæ, quam jejunare, conſequens eſt, ceſſare obligationem jejunii, dum præfata opera ſunt exercenda, ſi ſint incompoſſibilia cum jejunio.

Solent Diſputare DD., an ceſſet obligatio jejunii, dum præfata opera exercentur non ex aliqua obligatione, ſed ex propria voluntate. Sed nihilominus abſolute dicendum, quod vel opera pietatis ex officio, & aliqua obligatione exerceantur, vel ex propria voluntate, ſemper excuſant a jejunio, ſi ſimul cum ipſo haud poſſunt exerceri. Ratio eſt, quia opus Deo gratius anteponendum eſt operi Deo minus grato, ac proinde neque poteſt eſſe intentio S. Matris Eccleſiæ, ut relinquantur opera pietatis etiam voluntarie aſſumpta, ne quis deſinat jejunare: Hinc *S. Thomas in 4. diſt. 15. q. 3. a. 1. qu. 2. ad 3.* ait: *Si ſit tanta abſtinentia, ut homo ab operibus utilioribus impediatur, quamvis ad ea de neceſſitate non teneatur, indiſcretum eſt jejunium, etſi non ſit illicitum.* Videatur etiam *Sanch. in Conſ. l. 5. t. 1. d. 17. n. 2.* Pro pluribus caſibus particularibus videantur regulæ infra apponendæ.

R. IV. Ultima cauſa auferens obligationem jejunii eſt legitima diſpenſatio. Porro certum eſt, S. Pontificem poſſe pro tota Eccleſia auferre jejunii obligationem, ſicut etiam Epiſcopum pro ſuo Epiſcopatu, ſtante rationabili cauſa; nam cum recta ratio regiminis exigat, ut ex tacita Superioris licentia poſſit Inferior diſpenſare in ejus lege, in caſibus communiter occurrentibus, ſequitur Epiſcopum poſſe pro ſuo Epiſcopatu in lege jejunii diſpenſare, quamvis lex ſit vel a Pontifice; vel a Conciliis; obſervatio enim jejunii eſt de caſibus communiter occurrentibus: *Navar. in Man. c. 21. n. 21. Sanch. cit. d. 5. n. 4. & 16. Paſqualig. deciſ. 273. & 384. Bonac. de præcept. Eccleſ. d. ult. q. 1. p. ult. n. 18.* Quod circa legem jejunii poteſt Epiſcopus pro ſuo Epiſcopatu, poteſt etiam Superior Regularis reſpectu ſuorum Religioſorum, cum in ordine ad ipſos habeat rationem veri Prælati habentis ſpiritualem ordinariam juriſdictionem. Ultraquamquod, ſi tali careret facultate, non poſſet in neceſſariis cum ſuis ſubditis providere.

Parochus etiam, juſta interveniente cauſa, poteſt legem jejunii diſpenſare in ordine ad ſuos Parochianos; nam quamvis nullam habeat in ordine ad ipſos juriſdictionem externam, in lege tamen jejunii diſpenſat ex conſuetudine, ut teſtantur communiter Theologi: conſuetudo autem dat juriſdictionem, ut patet *ex c. contingat de for. compet. cap. duo ſimul de Offic.* aliiſque textibus, quos ibi congerit Gloſſa. Videantur: *Suar. l. 6. de leg. c. 14. Sanch. de Matr. l. 8. d. 9. n. 27. Trull. l. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 18. &c.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Advertat Confeſſarius ratione impotentiæ communiter a Theologis excuſari infirmos, & ſi dubium ſit, an talis ſit infirmitas ut valeat eximere ab obligationem jejunii, neque poſſit conſuli Medicus, ſemper favendum eſt Infirmis, Valetudinariis &c. cum ſemper periculum poſſit eſſe, ne malum vel ingraveſcat, vel redeat. Sub nomine infirmorum veniunt etiam, qui ratione jejunii patiuntur vertiginem capitis, vel ſomno privantur, etiamſi differant comedere ad veſperam, cum non intendat Eccleſia illos ad jejunium cum tanto incommodo obligare.

Ratione impotentiæ excuſantur etiam prægnantes, & lactantes, quamvis aliquæ robuſtæ videantur. Ratio autem eſt, quia nunquam moraliter poſſunt eſſe certæ, ut ex jejunio non immineat illis, vel fœtui, ſeu parvulo lactenti aliquod grave præjudicium; cum etenim tales mulieres indigeant plurimo, & frequenti alimento, jejunando facile deſinerent eſſe robuſtæ, & id non eſſent ſine præfato gravi præjudicio. Immo ſuadent Theologi, facile cum ipſis diſpenſandum etiam quod comeſtionem carnium, ſi illas, cum ſint prægnantes, vehementer appetunt: nam tali appetitu non expleto, periculum eſſet partus intempeſtivi. Idem dicendum, ſi Nutrices ſint debiles, ſeu infantulus infirmus; nam ſi tunc nutrix a carnibus abſtineat, poſſe grave ſalutis præjudicium infantulus ſubire.

Inter impotentes etiam recenſendi, qui propter jejunium cogerentur non ſervare præcepta magis obligantia. Ita non tenetur jejunare, qui jejunando non poſſet præſtare ea, ad quæ tenetur ex juſtitia; & ſic excuſatur a jejunio mulier, quæ jejunando non poſſet viro reddere debitum, & e contra; nam talis obligatio cum ſit ex juſtitia, magis obligat, quam præcepta Eccleſiæ. Non puto tamen excuſandum a jejunio illum, qui non poſſet jejunando copulam habere, ſi id non eſſet nimis grave comparati; nam non videtur mihi rationabilis cauſa non jejunandi velle ſe potentem reddere ad veneream delectationem. Secus ſi compars valde ægre id ferret, vel eſſet in periculo peccandi; nam tunc vel ratione juſtitiæ, vel ratione Charitatis teneretur ſe potentem reddere.

II. Ratione laboris excuſet Confeſſarius a jejunando omnes exercentes artes laborioſas. Hujuſmodi abſque dubio ſunt Agricolæ, Fabri ferrarii, lignarii, lapidarii, coriarii, cæmentarii, ſculptores, argentarii, fullones, textores, figuli, lanarii, furnarii, typographi verſantes prælum, ſutores conficientes calceos, coqui parantes multas dapes pluribus perſonis, nautæ remigantes, ſeu tractantes vela, molitores, bajuli &c. Neque refert exercentes talia opera eſſe ſive divites, ſive pauperes, ſive ea exerceant ex officio, ſive voluntarie; nam exercentes talia opera pro majori parte diei faciunt opera incompoſſibilia jejunio, unde ab eo ſemper excuſantur.

Illud etiam advertere debet Confeſſarius, quod etiamſi prædicti ceſſent una, aut altera die a præfatis operibus, non proinde ea die tenentur ad jejunandum; nam ratione laboris antecedentis non parum ſunt fatigati, & debiles, & proinde bene excuſari poſſunt a jejunio. Secus dicendum, ſi pluribus diebus a labore ceſſarent. Hinc, ſi in Quadra-

dia-

Digitized by Google

dragesima incidat extra diem Dominicæ aliquis dies feſtus, non ſtatim obligandi ſunt ad jejunandum, qui cæteris diebus hebdomadæ artem laborioſam exercuerunt.

Quoad itinerantes advertere eſt non excuſari a jejunio, qui equitando per unicum diem iter agunt, ut patet ex propoſitione, quam ſupra dedi, damnata ab Alex. VII. Et revera non intelligitur ſubire laborem incompoſſibilem cum jejunio, qui per unicam diem iter faceret, habens equum placidum, greſſu facilem, incedentem ſine agitatione &c. Poſſet ſolummodo, qui ita equitaret, excuſari a jejunio per accidens, v.g. ratione debilis complexionis; carentiæ congrui alimenti; vel ſi pro illa die neceſſe habuiſſet currere cum magna defatigatione, ut evenit Curſoribus.

Qui per unicam diem, vel per magnam diei partem iter faciunt pedeſtres, communiter a jejunio excuſantur; nam talis labor cenſetur valde arduus, & id verificatur maxime in ordine ad Mulliones, & Agaſones, qui etiam defatigantur labore conducendi beſtias.

Item excuſantur a jejunio, qui debent per plures dies iter facere equitando, & poſſunt a prima die non jejunare; nam tales iter plurium dierum eſt gravis incommodi; unde & poteſt quis prima die itineris non jejunare, ne nimis patiatur diebus ſubſequentibus.

Non excuſet Confeſſarius a jejunio Sartores, & Barbitonſores, cum ipſorum labor non reputetur cum jejunio incompoſſibilis. Excuſarentur vero ſi ratione paupertatis non haberent congruum alimentum; vel deberent Sartores extraordinario labore etiam per magnam noctis partem ſuere; ut evenire poſſet, ſi aliqua feſtivitas immineret, & non potuiſſent neceſſarias veſtes facere &c.

Pictores, Scribæ, Secretarii non judicantur ſubire laborem cum jejunio incompoſſibilem. Per accidens poſſent excuſari ratione debilis compelexionis &c. aliiſque cauſis ſupra atractis.

Milites ſemper excuſantur a jejunio; ſi enim ſint in caſtris magnos patiuntur labores, & debent ſervare vires ad fortiter dimicandum: ſi ſint in Munitionibus, adhuc excuſari poſſunt a jejunio propter vigilias noctis, exiguum cibum &c.

III. Oh titulum pietas excuſantur a jejunio inſervientes in Huſpitalibus &c.; nam non modicum die, noctuque patiuntur laborem. Secundo, excuſantur Peregini, dum ipſorum peregrinatio eſt cum jejunio incompoſſibilis. Tertio, excuſantur Lectores, & Cathedratici Scientiarum, quando magno indigent ſtudio, & non ordinario labore, ut dictent Lectiones; ſecus ſi haberent lectiones jam ordinatas &c. Idem dicas de quocumque, cui neceſſarium eſt magnum ſtudium, ut alios inſtruat, & edoceat; nam ſtudium nobiliores conſumit ſpiritus, & calorem minuit corporis magis, quam labor corporalis, cum potius ex hoc multi fiant robuſtiores, & majoris valetudinis &c. Si ero labor corporalis excuſar a jejunio, quo magis magnum ſtudium? Hinc etiam Juriſperiti a jejunio excuſari poſſunt, ſi non exiguo indigeant ſtudio ad cauſas patrocinandas &c. Quarto, excuſari poſſunt a jejunio Concionatores, qui ter, aut quater in hebdomada concionantur; nam ultra ſtudium ad id neceſſarium, valde defatigantur ex vehementi animi attentione, & agitatione corporis. Præterea non ſolum attendere debent, an poſſint jejunare ea die, qua concionantur, ſed etiam ad conſervandas vires; ut per reliquum tempus Quadrageſimæ poſſint concionari. Unica concio habenda utique imprudenter judicaretur labor incompoſſibilis cum jejunio, ſi non fiat a debili Concionatore; vel ſi non ſit neceſſe in ea multum defatigari, quapropter jejunium poſſet extraordinarium incommodum afferre.

Confeſſarii ordinarie non excuſantur a jejunio. Nihilominus ſi aliquis Confeſſarius vel propter exiguam valetudinem, vel propter extraordinarium laborem in confeſſionibus audiendis non poſſet jejunare, non proinde teneretur a confeſſionibus audiendis abſtinere; cum præceptum Charitatis, quod exercetur in audiendis confeſſionibus, præſtantibus ſit præcepto jejunii.

IV. Quoad diſpenſationem, ex qua eximuntur Fideles ab obligatione jejunandi, advertant in praxi Parochi male ſe gerere, quando requiſiti a Fidelibus, ut in dubio cauſæ ſufficientis ſecum diſpenſent quoad jejunii obligationem, id relinquunt ipſorum Conſcientiæ. Male, inquam, & ignoranter ſe gerunt, quia in dubio proprium eſt Parochi, ſeu Prælati diſpenſare; nam ſtante cauſa dubia, adeſt motivum juſtæ diſpenſationis, quam diſpenſationem in dubio non poſſunt ſubditi ſibi ipſis impertiri. Quod ſi apparet, cauſam non eſſe omnino ſufficientem ad diſpenſandum, tunc poſſunt partim diſpenſare, & partim commutare in aliud pium opus, & ita occurrere anguſtiis conſcientiarum ſuarum ovium.

V. Confeſſarius moneat Medicos, ne nimis ſcrupuloſi ſint in affirmando, aliquos ſervare non poſſe jejunium Eccleſiaſticum. Conſtat experientia non paucis non robuſtæ valetudinis vel jejunium, vel qualitatem ciborum non leviter officere. At e contra nimis laxi non ſint in præbendn teſtimonium aliquos a jejunio eſſe excuſandos. Quamplures toto anni decurſu, & præcipue tempore baechanalium de omni cibo comedunt, quibuſcumque immodicis commeſſationibus, & compotationibus, quantum ipſis poſſibile eſt, interſunt. Interim Medicus ab ipſo Quadrageſimæ initio teſtatur, impotentes eſſe ad jejunium ſervandum: *Medici*, ait S. Carolus Act. p.3. in Edict. Obſerv. Quadrag. *meminerint, ita ſuarum eſſe partium corporis incolumitati proſpicere, ut non obliviſcantur potiorem haberi debere Animarum ſalutem. Quapropter caveat diligenter, ne alienæ culpæ participent, nimia facilitate ſua in fide facienda neceſſitatis utendi cibis vetitis.*

TRACTATUS X.

DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

HUjuſmodi Præceptum in expreſſum legitur Exod. 20. *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram*. Jubet igitur Deus colendos Parentes quibus uſus eſt a nobis animam impertiendam; & a quibus ad Sacramenta deducti, ad Religionem, & ad morum integritatem futuris eruditi. Conveniens etiam eſt, audito Matris nomine, ipſarum ſollicitudinis, dum geſtarunt in utero, dolorum in partu, laborum in educatione recordari, juxta monita, quæ habentur *Tob. 4. & Eccleſ. 7.* Filiis colentibus Parentes longa promittitur vita, quibus nihilominus aliquando adimitur, ne malitia ipſorum intellectum mutet, vel ne ipſorum ſalus inter hominum flagitia periclitetur; vel ne ingruentium calamitatum mœrore affligantur. Sub hoc eodem præcepto agitur de obligationibus Fratrum erga Sorores, & e contra; de obligationibus Conjugum, Dominorum, Famulorum, Parochorum &c.

QUÆSTIO UNICA.

De obligationibus Filiorum erga Parentes, & Parentum erga Filios &c.

CAPUT I.

De Obligationibus Filiorum erga Parentes.

Q.I. Quæ ſint obligationes Filiorum erga Parentes.

R.I. Filius tenetur reverentiam Parentibus exhibere. Et quidem ſi ratio naturalis dictat, omnes Superiores eſſe colendos, quanto magis dictabit, colendos Parentes, qui ita ſunt nobis ſuperiores, ut ab eis eſſe, educationem, & tanta beneficia agnoſcamus?

R.II. Filius debet Parentes amare. Ratio per ſe clara eſt, ſi enim debemus diligere omnes Proximos, a fortiori diligendi erunt, qui nobis proximiores ſunt, & conjunctiores, & a quibus multa accepimus bona, quales certe ſunt Parentes.

R. III. Filii tenentur obedire Parentibus in iis rebus, quibus ſunt illis ſubjectis. Ita habetur *Proverb.1.* ubi dicitur: *Audi, Fili mi, diſciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ.* Et ex Apoſtolo ad Coloſſ.3.: *Filii obedite Parentibus per omnia:* & ad Epheſ.6. *Filii obedite Parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt.* Ipſa etiam ratio ſtatim id ſuadet; nam ſi omnibus Superioribus debemus eſſe ſubditi, adeoque ipſis parere, a fortiori parendum erit etiam Parentibus.

Q. II. In quo conſiſtat honor, & reverentia, quam debent filii Parentibus exhibere; & quomodo peccent ipſos non honorando.

R. I. Iſta reverentia non ſolum debet eſſe exterior, ſed etiam interior. Reverentia interior expoſcit, ut Filii Parentes recognoſcant tamquam ſuperiores, ipſiſque ſubmittantur per timorem quemdam filialem. Demonſtrabunt vero Filii exteriorem reverentiam verbis, aliiſque ſignis, v. g. aſſurgendo, caput inclinando, famulando, honorifice loquendo, non detrahendo, non proferendo in eos verba contumelioſa, non provocando ad iracundiam, eos non dedignando, quamvis habeant multas imperfectiones, & omnino abſtinendo non ſolum a levi percuſſione, ſed etiam ab elevando manum, quaſi vellent illos percutere.

R. II. Ad dignoſcendum quomodo peccent filii non honorando Parentes, obſevandum, aliqua convicia, vel actiones, quæ, abſolute loquendo, leve quid reputantur, nihilominus grave peccatum judicandas, ſi conſiderentur reſpective ad aliquas perſonas, cui debetur magnus honor, & reverentia. Dicere e.g. alicui æqualis conditionis, ſtultus es, non reputatur convicium in materia gravi; at reputatur gravis injuria, ſi aliquis ex plebe id dicat Viro valde Nobili, & multo magis ſi Principi, cui debet ſubeſſe &c. Conſtat ex his facillime, convicia, aliaſque actiones contra debitam reverentiam, quæ eſſent leves reſpectu aliorum, graves poſſe eſſe reſpectu Parentum, & continere in ſe copulam gravem. Ita ordinarie loquendo, non diceretur peccare graviter ille, qui elevatur ad pinguiorem fortunam dedignaretur agnoſcere aliquem Conſanguineum maxime infra primum gradum: at nullo dubitanre peccaret graviter Filius; qui ita ageret reſpectu Parentum, ſi ita non ageret ad vitandum grave incommodum; & interim ex corde amaret Parentes, ipſiſque benefaceret. Alia exempla dabo in regulis infra apponendis. *Navar. in Man. c.19. n.12., Azor. l.2. c.2.q.10. Bonac t.2.d.6.q. unic p.2.n.4.*

Q. III. In quo conſiſtat obedientia, quam Filii debent Parentibus.

R. Obedientia, quam Filius debet Parentibus, expoſcit, ut illi obediat in iis, quæ pertinent ad bonos mores, & ad gubernationem domeſticam, ita ut peccet graviter ſi non obediat in iis, quando ſunt gravis momenti. Ratio per ſe manifeſta eſt, nam præceptum obligat juxta materiæ gravitatem; ac proinde dum Filii non obediunt Parentibus in præfatis rebus, quando ſunt gravioris momenti, graviter peccabunt. Secus dicendum ſi Pater non intenderet præcipere, & exigere obedientiam ſibi debitam, ſed ſolum hortari, & ſuadere Filio, ut aliquid relinqueret, quod eſſet contra bonos mores; vel ut aliquid faceret non parum conducens ad rectam domus gubernationem. Ratio eſt, quia ſi Pater non intenderet præcipere, non reſultaret in Filio obligatio, quæ ſolum correſpondet præcepto.

Non tenetur vero Filius Parentibus obedire, quoad ea quæ pertinent ad electionem ſtatus. Ratio eſt, quia ut docet *S.Th.2.2.p.105.a.5.* in ordine ad corporis ſuſtentationem, & electionem ſtatus, omnes homines natura ſunt pares, neque unus ſubditur alteri.

Quædam nihilominus hic obſervanda ſunt. Primo, non poſſe Filium ducere Uxorem, ratione cujus oriretur infamia familiæ &c. & tenetur obedire Patri contrarium præcipienti, quamvis jam ſponſalia contraxiſſet. Id autem manifeſtum eſt, quia, ut habetur ex reg.69. jur. in 6. *In malis promiſſis fides non expedit ſervari*, & talis fuiſſet promiſſio data in contrahendis Sponſalibus, quia eſſet contra pietatem erga Patrem, & contra Charitatem erga Familiam, & Conſanguineos; & proinde poteſt Pater etiam publica authoritate tale matrimonium impedire. Secundo, teneretur Filius Patri obedire quoad matrimonium contrahendum, quando, ſuppoſita ejus voluntate ducendi Uxorem, Pater ipſi proponeret Sponſam Familiæ &c. convenientem; & aliunde tale matrimonium eſſet omnino neceſſarium e.g. ad ſedandas graves diſcordias, vel ad aliquid aliud non levis momenti &c. In hoc caſu quantum juſte Pater præciperet; tam injuſte renueret filius obedire. An autem in ſequenti caſu Filius teneretur obedire Patri, hinc inde diſputant DD. Supponamus e.g. Filium velle ducere uxorem ſibi convenientam &c. & ex alia parte Patrem illi proponere puellam æqualis conditionis, dotis, amabilitatis &c. & inſtare, ut Filius relicta ea, quam vellet ducere, ducat quam ipſe proponit. In hoc caſu, inquam, eſt ſub lite, an Filius renuendo peccet contra obedientiam Parentibus debitam. Ego autem conſiderando, Deum conſtituiſſe homines aliis non ſubjectos quoad ſtatus electionem, omnino judicarem hunc Filium non peccare; & ſolummodo teneri obedire Patri quoad matrimonium contrahendum, ſi vellet aliquam ducere, ex qua oriretur infamia, gravis ſcandala &c. vel ſi Pater proponeret Filio puellam, cujus matrimonium eſſet neceſſarium ad lites ſedandas &c. ut jam dictum eſt.

Tertio, advertere eſt quod licet Filius, abſolute loquendo, non teneatur obedire Patri quoad matrimonium contrahendum, tenetur tamen illum conſulere, dum vult ducere uxorem. Ratio eſt; quia quamvis non teneatur obedire, nihilominus non conſulendo Patrem, multum deficeret in obſequio, & reverentia ipſi præſtanda; unde Trident. loquendo de matrimoniis clandeſtinis, & de matrimoniis contractis a Filiis, inſciis Parentibus, dicit, Eccleſiam ſemper ea eſſe deteſtatam, ut videre eſt *de Ref. matr. cap.1.* Et SS. Canones ita loquuntur de talibus matrimoniis, ut videantur ea dicere nulla, quamvis nil aliud ſignificare revera velint, niſi quod non ſint ſine culpa: *can. non omnis 32.q.2. can. honorantur ibid. can. aliter 30. q.5.* Hinc nunquam ſatis intellexi ſolummodo peccare venialiter Filios matrimonium contrahentes, inconſultis Parentibus; nam id excuſari non poteſt a quodam gravi ipſorum contemptu, dum faciunt rem tanti momenti, non conſulendo illos, a quibus pendent. Tunc ſolum, inconſultis Parentibus, liceret Filius matrimonium contrahere, quando vellent illud malitioſe impedire.

Q. IV. In quo conſiſtat Amor, quem Filii debent Parentibus.

R. I. Amor erga Patrem talis debet eſſe, ut vere internus ſit, & ſincerus, ita ut nullatenus Filius lætari poſſit de infortuniis, & multo magis de morte Patris ob quodcumque emolumentum, vel hæreditatem exinde ipſi provenientem. Id adnotare volui propter quaſdam propoſitiones damnatas ab Innoc. XI. Prima, quæ eſt in ordine 14. ita ſe habet: *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut Patris malum, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.* Secunda in ordine 15. *Licitum eſt Filio gaudere de parricidio Patris a ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate provenientes.* Quamvis igitur licitum ſit gaudere de divitiis, vel hæreditate acquiſitis, ſuppoſita morte Patris, nihilominus nimis eſt contra pietatem, & amorem erga Patrem de ea gaudere, cum ſit gaudium de malo Perſonæ, cui debemus filialem, & ſincerum amorem. Sicut autem qui ita gaudet peccaret contra amorem Patri debitum, ita peccaret contra amorem proximi, qui gauderet de illius infortuniis, vel

mor-

Digitized by Google

morte conſiderando hæc tamquam media, unde ipſi divitiæ provenerint. Hinc idem Innoc. XI. ſub num. 33. ſequentem damnavit propoſitionem: *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu appetere, & deſiderare, non quidem ob diſplicentiam perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.*

Iſtum vero amorem, quem Filius debet habere erga Patrem, debet etiam externis ſignis demonſtrare; cum præceptum de diligendo quocumque proximo non ſolum ſit, ut interne illum diligamus, ſed etiam externe, & in opere, ſoli etenim Deo patet, quod eſt in noſtro corde.

R. II. Amor Filii erga Patrem obligat, ut ipſi procuret ſpiritualia, & temporalia. Et quidem quomodo intelligeretur Filius diligere Parentes, ſi non curaret illis non deeſſe, quæ neceſſaria ſunt ad ipſorum ſpiritualem ſalutem? Hinc ſi Pater non Chriſtiane viveret, deberet ſpecialiter Filius, ſi non poſſet per ſe ipſum, per aliam perſonam curare, ut agnoſceret periculum ſuæ damnationis, & ut ad meliorem frugem rediret. Item ſi alius non eſſet; deberet ipſum monere de periculo vicinæ mortis, & facere quantum poſſet, ut non decederet ſine Sacramentis. Debet etiam curare, ut Pater conficiat Teſtamentum, & manifeſtet, ſi aliquo ære alieno gravetur, ſimulque diſponat aliqua legata pro ſalute Animæ ſuæ; *Azor. t.2. c.2. q.7. Filiuc. in 4. præc. l.4. c.1. nu. 14. & tr.28. 2. p.c.1. Fagan. in 4. præc. l.4. c.2. n.3.*

Pariter non intelligeretur Filius amare Parentes, ſi non habentibus illis unde vivant, renueret dare neceſſaria alimenta. Hæc autem obligatio non extinguitur etiamſi Pater eſſet bannitus, vel proſcriptus a Principe, quia per hoc non extinguitur jus ſanguinis. Idem dicendum, ſi eſſet excommunicatus, vel hæreticus: *Roſignol. d.3. c.4. n.15., Anton. a Spir. S. hic d.3. n. 25.* Eadem obligatio eſt in Filiis ſpuriis, & naturalibus, quia revera contrahunt obligationem Filii, & ita a converſo volunt Canones Patres debere illos alere, ut patet *ex cap. cum haberet de eo, qui duxit in matrim. quam polluit per adulter.* Ubi etiam advertendum, ea, quæ dixi de obligatione alendi Parentes, intelligenda etiam reſpectu Aſcendentium, quia & ipſi ſuo modo Parentes reputantur, & proinde viciſſim habent obligationem alendi Deſcendentes: *Fag. l.4. c.2. n.49.* Extingueretur hæc obligatio in Filiis, quando Pater eſſet publicus hoſtis, & proditor Reipublicæ; nam tunc publicum bonum expoſceret, ut privetur omni alimento. Alii caſus, quibus licitum eſſet Filiis negare Parentibus alimenta recenſetur *Auth. Ut cum &c. de appell. cauſ. §. Juſtum autem*; ut ſi e.g. Pater tentaſſet occidere Filium; ſi cum ipſius uxore peccaſſet; ſi impediviſſet, ne faceret Teſtamentum; ſi a captivitate non liberaſſet; ſi factus eſſet Apoſtata, vel Infidelis &c. Cæterum ſi Pater eſſet in valde gravi neceſſitate, omnino etiam in his caſibus a Filio eſſet ſubveniendus; nam legi poſitivæ de negandis alimentis in his circumſtantiis prævalet lex naturalis, quæ vult Filium teneri ad præſtanda alimenta Patri. Hinc merito adhærendum DD., qui dicunt, Filium alere debere Parentes, quamvis Princeps prohibuiſſet illis alimenta adminiſtrare; ſeu quamvis Judex illos damnaſſet, ut perirent fame, quia tales ſententiæ extinguere non poſſunt jus fortius naturale, quo Filii alere debent Parentes: *Trull. l.4. c.1. d.2. n.17., Bonac. d. 6. q. unic. p.1. n.3.* aliique, quos ſequitur Leander *hic d 3. q. 5.*

Q. V. An Filius teneatur non ingredi Religionem, vel ab ea exire, ut Parentibus ſubveniat.

R. Ita eſt de jure naturæ Patrem ſubvenire de neceſſariis alimentis, quando non habet ex ſe ipſo unde vivat, quod Filius non poteſt ingredi in religionem, etiamſi ſe voto obſtrinxiſſet ad ingrediendum in eam, & ſi jam ſit ingreſſus in Religionem, tenatur ex illa exire. Ratio primæ partis ea eſt, quod obligatio ſubveniendi Parentibus eſt vinculum antiquius, & fortius obligatione voti, cum oriatur ex jure naturæ, & vinculum voti ex propria voluntate: *D.Th. 2.2. q.101. a.4. ad 4., Azor. t.2. l.2. c.3. q.4. Suar. t.3. de Relig. l.5. c.5. n. 21., Pal. tr.16. d.1. p.7. §.5. n.5.* Ratio ſecundæ partis, quod ſcilicet Filius teneretur egredi e Religione ob præſtanda alimenta neceſſaria parentibus, ea, eſt, quod vinculum, ut dixi, quod habet Filius ſuccurrendi Parentibus, eſt a natura, unde ſemper debet prævalere cuicumque alteri vinculo voluntarie aſſumpto: Addi poteſt vota etiam ſolemniter emiſſa ſemper habere imbibitam iſtam conditionem: *Si non præjudiceat honeſtati, & juri naturali: Bordo. 1. de prof. Relig. c.3. q.50. n.140., Navar. in Man. c.14. nu. 14., Roſignol. d.9. c.4. n.44.*

Id autem intelligendum non ſolum ſi Parentes laborent extrema, ſed etiamſi gravi neceſſitate, & aliunde Filius perſiſtendo in Religione non poſſit eis ſubvenire; neque enim Filius intelligeretur ſecundum jus naturæ illos amare, ſi ſolummodo vellet ipſis in extrema neceſſitate ſubvenire, & interim pateretur, ut ægerrime viverent, vel contra conditionem proprii ſtatus oſtiatim mendicarent &c. *Boſſ. p.3. de eff. matr. c.23. §.7. nu. 1293., Sanch. l.4. Sum. c.20. n.13., Fag. l.4. c.2. n.24.* Quod ſi poſſit illis ſubvenire in Religione perſeverando, tunc ceſſat ratio egrediendi. In caſu vero, quo debeat egredi, puto expoſcendam licentiam ſui Superioris; nam tenetur ſubvenire Parentibus juxta conditionem ſui ſtatus; & ſi hic injuſte renuat, adhærerem illi opinioni, quæ aſſerit, minime tunc Superiori obtinendum. Quamvis igitur Religioſus vel ut mortuus reputetur, & dicatur non habere velle, & nolle, id mihi ſolum verificari videtur quoad jura civilia, non vero quoad jura naturæ, & ſanguinis, quæ ſunt antiquiora, & validiora: *Bordon. de profeſſ. Relig. c.3. q.50. n.140., Trull. l.2. c. 2. d. 24.* Cæterum advertendum hujuſmodi Religioſum non poſſe dimittere habitum ſine licentia S. Pontificis: *Rodr. t.2. Sum. c.6. nu.1.* & pluribus relatis *Bordon. l.3. de profeſſ. relig c.3. n.143.*

Q. VI. Cui prius debeat ſubvenire Filius, ſi non poſſit ſimul præſtare alimenta Parentibus, Uxori, & Filiis.

R. In hac quæſtione, relicta diverſitate ſententiarum, putarem eſſe diſtinguendum. Dum agitur de gravi neceſſitate, in qua habet quis unde vivat, ſed multa, & gravia incommoda patiendo, putarem poſſe Filium ſequi naturalem inſtinctum, qui illum fert ad ſubveniendum uxori, quæ eſt cum ipſo una caro, & deinde Filiis, cum ſint veluti pars ipſius. Si vero ſermo ſit de extrema neceſſitate, adeo ut aliqui mori debeant, nempe vel Parentes, vel Uxor, vel filii, putarem potius alendos eſſe ipſos Parentes, utpote quibus magis debemus, quam cæteris aliis: *S.Th. 2.2. q.26. art.9., Sanch. de matr. d.4. n. 26. Surd. de alim. t.7. q.14., Tolet. l. 5. c.1., Bonac. hic diſp. 6. qu. unic. p.7. n.10.*

Q. VII. Ex qua virtute oriatur obligatio, quam habent filii honorandi Parentes.

R. Multæ ſunt virtutes, quæ veluti a juſtitia derivant, & inclinant nos ad ſatisfaciendum diverſis obligationibus, quas habemus erga Proximum. Cæteris omiſſis, mentionem faciam de *Obſervantia*, & de *Pietate*. Virtus igitur Obſervantiæ inclinat nos ad honorandum eos, qui nobis præſunt, ut docet *S. Th. 2. 2. q. 101. a.1.* & ſubſequente etiam Magiſtros, qui nos inſtruunt; ſicut pariter omnes illos, qui tales habent virtutes, ut poſſint nobis præeſſe, & inſtruere. Huic autem virtuti alia præcedit, quæ dicitur *Pietas*, & habet objectum minus latum, ipſius enim proprium eſt inclinare filios ad colendum Parentes, illos agnoſcendo ut ſuum principium, qui honor claudit etiam obedientiam, & amorem, ut ſupra dictum eſt. Poſt Parentes talis virtus inclinat ad amandam Patriam, & alios Conſanguineos. Videatur S. Th. ubi ſupra. Denique ſicut Pietas inclinat filios ad colendos, & amandos Parentes; ita etiam inclinat ipſos Parentes ad amandos, & ſuſtentandos Filios, ut videbimus capite ſequenti.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quia facillime que facie filius contra reverentiam debitam Parentibus, ex dictis ſupra, poſſunt culpam gravem continere; ideo difficile erit excuſare a peccato gravi quodcumque convicium, ſeu maledictum, quod filius proferat in Patrem. Hinc ſi filius dicat Patri e.g. *ſete un Vecbio matta, briaco*, & ſimilia, & Matri: *Sete una vecebia matta ſtrega, &c.* neſcio videre quomodo poſſit a gravi culpa excuſari; cum hujusmodi erga Patrem prolata a viris prudentibus reputentur graves irreverentiæ. Ex bis facile erit judicium facere de aliis conviciis, quæ Filius in Patrem proferret. Multo minus excuſari poſſent a gravi culpa quæcumque maledicta in Patrem prolata, qualia e.g. eſſent: *poſſiate morire; poſſiate ſiaccarvi il collo il Diavol vi porti &c.* quo pacto non raro filii immorigerati Parentibus maledicunt. Hujuſmodi, ultraquamquod ſunt contra amorem Parentibus debitum, ſemper important gravem irreverentiam. Jam etiam dixi, quod ratione reverentiæ, quam debet Filius Parentibus, nec poteſt attollere manum, quaſi vellet illos percutere, nec poteſt illos dedignari, vel quia ſint pauperes, vel quia alio naturale defectu laborent.

III. Quia

II. Quia inobedientia Filii Præcepto Patris in rebus gravioris momenti, quando pertinent ad gubernationem Domus, & bonos mores, non eſt ſine peccato mortali, ideo advertere debet Confeſſarius ex hoc ſolum Filium graviter peccare, quod nolit abſtinere ab his, quæ valde perturbarent pacem domeſticam: ut ſi Filius cum gravi Parentum diſplicentia, & contra ipſorum præceptum vellet egredi domo horis intempeſtivis noctis, ſeu tempore intempeſtivo redire, ſi vellet incumbere ludis, qui non deſervirent ad ſimplicem honeſtam recreationem; ſi rem domeſticam in gravi quantitate dilapidaret, ſi nollet relinquere ſocios immorigeratos; ſi nollet vitare domos ſuſpectas &c. In his, aliiſque ſimilibus caſibus ſi Filius tranſgreditur Patris præceptum, ex hoc ſolum graviter peccat, cum teneatur ſub gravi obedire.

III. Advertat Confeſſarius graviter Filium peccare contra amorem debitum Parentibus, ſi illos frequenter torvis oculis aſpiciat; ſi aſpera, & dura loquatur &c. quamvis enim in corde eos diligeret, nihilominus in re gravi deficeret debito amori, cum non ſolum interne, ſed etiam externe teneatur eos ore, verbis, & operationibus diligere. Quæ vero debeat facere Filius ratione amoris, quem debet Parentibus, & quoad ſpiritualia, & quoad alimenta, ſufficienter ſupra fuerunt explicata. Moneat etiam Confeſſarius Filios de obligatione ſuffragandi Parentes poſt eorum obitum; & hoc enim ſequitur ad amorem, quem debent illis exhibere.

IV. Peccat item graviter Filius, ſi Patrem etiam ſine ratione facilem iraſci, frequenter ad graviter iraſcendum inducat, non abſtinendo ab iis, quæ ipſi Patri ſunt iræ cauſa. Nec poteſt ſe excuſare dicendo, non mala eſſe quæ dicit, vel facit; nam ſemper cum poteſt ab iis abſtinere ſine ſuo gravi incommodo, tenetur id facere ratione amoris, quem debet Patri, ex quo tenetur removere ab eo magis, quam ab aliis proximis, omnes peccandi occaſiones.

V. Advertere denique debet Confeſſarius quod Filius peccans contra reverentiam, obedientiam, & amorem erga Parentes, dupliciter poteſt peccare, ſi actio, qua peccat, alias ſit mala. Si e. g. maledicat, vel detrahat de Parente, ultra peccatum vel contra Charitatem, vel contra Juſtitiam, peccat etiam contra virtutem Pietatis. Si non ſit obediens expreſſo præcepto Patris, quo illi prohibuit, ne accederet ad domum fœminæ inhoneſtæ, ultra peccatum contra caſtitatem, pariter peccat contra Pietatem. Ex his facile eſt ad alia exempla deſcendere.

VI. Moneat Confeſſarius filios immorigeros ultra reatum pœnæ æternæ, graviſſimas ab eis ſubeundas pœnas, ſi ingrati, & impii ſint erga Parentes. Filium maledicentem Patrem, & Matrem morte puniendum, dicitur *Prov.* 19. 20. Infelicem, & ignominioſum futurum, ſi Parentes affligat, dicitur *Proverb.* 20. 20. Filios contumeliis afficientes Parentes igne furoris Domini plectendos; habetur *Ezech.* 22. Plura alia adverſus filios affligentes, maledicentes, vel ſubſannantes Patrem, & Matrem adduci poſſent ex Sacra Scriptura, quæ expediet Confeſſarium non ignorare, ut ſaltem timore pœnarum impios filios poſſit cohibere.

CAPUT II.

De Obligatione Parentum erga Filios.

Q. I. AD quid teneantur Parentes erga Filios.

R. Parentes tenentur recte educare Filios; illis libertatem relinquere quoad ſtatus electionem, & inſimul alimenta præſtare. Quod teneantur ſancte illos educare probatur, quia cum Parentes teneantur peculiari dilectione amare Filios, ut conſtat ex ipſo inſtinctu naturæ, graviter deficerent quoad hunc amorem, ſi ſancte illos non educarent, quis enim diceret Patrem amare Filium, quem non ſancte educaret? Ex eadem autem ratione ſtatim conſtat teneri ad præſtanda Filiis alimenta; cum enim amor opere demonſtretur, maxime illum demonſtrare debent Parentes in conſervanda vita illorum, quibus eam contulerunt. Denique quod debeant illis relinquere libertatem ſtatum eligendi exinde patet; quia non ſunt quoad hoc ipſis ſubjecti; ut ſupra dictum eſt.

Q. II. Quæ teneantur facere Parentes, ut Filii ſancte educentur.

R: In primis curare debent; ut filii ſciant omnia ea, quæ neceſſaria ſunt ad chriſtiane vivendum; unde ſi per ſe ipſos nolunt eos edocere Doctrinam Chriſtianam, debent vigilare, ut pergant ad Eccleſias ad audiendas inſtructiones Parochorum, & Parentes quoad hoc non diligentes, facillime graviter peccabunt, cum deficiant in re graviſſima. Secundo, debent Filios corrigere, quoties vident illos ad vitia inclinare, & ſi neceſſarium ſit illos percutere: non debent a moderatis percuſſionibus abſtinere, juxta monitum Spir. Sanct. *Proverb.* 25. *Noli ſubtrahere a puero diſciplinam, ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Advertere tamen debent Parentes, quod ſi ita immoderate percutiant filios, ut notabilem patiantur læſionem, graviter peccarent. Ut autem ab his caveant, curent percutere filios, dum ira non amplius ſervescit, ita enim fiet, ut correctio ſit proportionata culpæ, & ætati filiorum, & ipſi filii apprehendent ſolum percuti ad emendationem. Quia tamen parum prodeſſet correctio, ſi Parentes malo exemplo filios depravarent, ideo omnes Sancti volunt Patres, & Matres magis bono exemplo, quam verbis filios inſtruere, cum validiora ſint exempla, quam verba. Denique Parentes, ſi volunt ſancte educare filios, tenentur removere ab ipſis omnes occaſiones inducentes ad peccatum. Ita ſe habent mali ſocii, inhoneſti, Theatra, ubi recitantur comediæ inducentes ad amorem inhoneſtum: atque maxime in hoc deficiunt, dum permittunt filiabus morari cum Juvenibus amatorie colloquendo &c.

Q. III. In quo conſiſtat libertas, quam Parentes debent relinquere filiis in electione ſtatus; & quam pœnam incurrant non relinquentes ipſis hanc libertatem.

R. I. Læditur libertas filiorum non ſolum ſi vi, & metu cadente in conſtantem virum cogantur ad ſtatum ſuſcipiendum contra propriam voluntatem; ſed etiam ſi id fiat dolo, & precibus importunis, cum hæc ſoleant minis æquiparari, ut alias dixi; & dicam in *Tract. de Contr. q.* 1. *cap. unic.*

R. II. Qui ita agunt, primo peccant mortaliter, nam mediis illicitis retrahunt filios ab exequenda propria libertate, in re magni momenti. Secundo, cogentes ſive viros, ſive fœminas ad matrimonium contrahendum excommunicantur a Tridentino, ut videre eſt *ſeſſ.* 24. *de matr. cap.* 9. Pariter in eodem *Trid. ſeſſ.* 2. *cap.* 18. *de regul.*, excommunicantur omnes cujuſque gradus, & conditionis, qui cogunt fœminas, ſive virgines, ſive viduas ad ingrediendum in Religionem, ſicut etiam excommunicantur dantes ad id conſilium, ſive auxilium. Quia tamen Concilium loquitur de illis, qui fœminas cogunt, ſequitur non ſubjacere excommunicationi, qui cogeret viros: nam pœnæ non ſunt ampliandæ, niſi ſint in jure expreſſæ. Ultraquamquod dum voluit etiam comprehendere viros, fecit de eis manifeſtam mentionem: ita, ut dixi, vult excommunicatione ligatos cogentes ad matrimonium, ſive viros, ſive mulieres.

Ibidem pariter excommunicantur qui ſine juſta cauſa retrahunt filias a Monaſterio, ne velum accipiant, ſeu emittant Profeſſionem. Diſputant autem DD. an prædicta excommunicatio locum habeat etiam contra retrahentes fœminas ab ingrediendo in Monaſterium, ut ibi poſtea profiteantur. Et quidem non deſunt Theologi pro parte affirmativa, quia nequit fieri profeſſio, ni prius fœmina in Monaſterium ingrediatur, & ſuſcipiat habitum, adeoque ſi excommunicantur, qui injuſte impediunt ipſius profeſſionem, idem videtur dicendum de impedientibus ingreſſum. Verum ſtandum eſt pro negativa ſententia; nam cum Concilium mentionem ſolum faciat de retrahentibus fœminas, ne profeſſionem emittant, dubium eſt, an excommunicatio afficiat etiam impedientes, ne ingrediantur in Religionem, & in dubio pœnæ non ſunt extendendæ. Cæterum non male agit, immo ſatisfacit ſuo muneri Patre, vel Matre, ſi curent filios; vel filias pro ſui conditione decentem ſtatum eligere: unde poſſunt conſiliis, & ſuaſionibus ad talem ſtatum eligendum inducere: *Trull. l.* 4. *c.* 1. *ad* 3. *n.* 4.

Q. IV. Quid veniat nomine alimentorum, quæ Patre debet ipſis filiis; & an illegitimi ab eo ſint alendi.

R. I. Nomine alimentorum in jure proprie veniunt victus, veſtitus, habitatio, lectus, & medicinæ: *leg. ſi quis a liberis §. Non tantum ff. de liber. agnoſc. & leg. legatis ff. de alim. Fagund. l.* 4. *c.* 1. *num.* 1. *Filiuc. tr.* 28. *cap.* 3. *num.* 21. *Bonac. hic diſp.* 6. *q. unic. p.* 6. *num.* 1. His addendæ expenſæ funeris, ſi filius moriatur, & impenſæ competentes pro ſuffragio Defuncti, quas licet debeat Pater facere pro filio, revera tamen improprie recenſentur ſub nomine alimentorum, dum filii his expenſis non alantur: *Molin. tr.* 2. *diſp.* 168. Et quia hæc non poreſt

eſt

eſt Pater præſtare, ſi non curet lucrari, quæ ad hujuſmodi præſtanda ſunt neceſſaria, vel dilapidet bona, quæ jam obtinet; ideo Patres qui in his graviter, deficiunt, non poſſunt a gravi culpa excuſari; *Reginal, l.20.c.35. Bonac.cit.* a. 20. Advertere etiam eſt ita prædicta a Patre eſſe præſtanda filio, ut ſint juxta decentiam ſtatus, & conditionem filii, taliter ut, ſi filio debeantur famuli, equi, aliaque conformia ipſius nobilitati, Pater hujuſmodi teneatur ipſi præſtare.

R. II. Etiam illegitimis, ſive naturalibus, ſive ſpuriis debentur a Patre alimenta; revera etenim nulla, niſi legali differentia, intercedit inter ipſos, & filios naturales, unde ſi jure, & ex inſtinctu naturæ tenentur Patres conſervare filiis legitimis vitam, quam ipſis tradiderunt, ita & illegitimis. Id etiam conſtat ex jure Canonico: *cap. cum deberet de eo, qui duxit uxorem, quam polluit per adult. cap. cum per venerabilem qui fil. ſint legit. & ex Gloſſ. ibid.* unde ſi contrarium jure civili ſancitum videatur, dicendum eſt fuiſſe a jure Canonico correctum. Si pariter videantur, iis, quæ dicta ſunt, adverſari quædam Conſtitutiones S. Pii V. ita illæ intelligendæ ſunt, ut vel loquantur de illegitimis, qui ex ſe habent unde ſubſtententur; vel per eas abolita fuiſſe quædam ſpecialia privilegia teſtandi in favorem ſpuriorum; *Filliuc. tr.28. part. 2. c. 3. num. 38. Lugo de Juſtit. diſp. 24. n. 120. Bonac. diſp. 6. q. unic. p. 6. §. 1. n. 26.*

Hic proinde advertendum non poſſe ſine juſta cauſa Patrem exponere filium illegitimum in Hoſpitali, & id faciendo graviter peccare; nam contra naturalem, & paternam pietatem videtur filios deſerere, & ulterius ſubjicit ipſos gravi dedecori, quod conſurgit ex eo, quod in Hoſpitali alantur. Id etiam manifeſte improbant leges, ut videre eſt *leg necare ff. de liber. agnoſc.* Porro juſtæ cauſæ exponendi filios in Hoſpitali ſunt, ſi Parentes egeſtate preſſi non poſſint illos alere; vel ſi illos domi, ſeu alibi alendo, eſſet periculum infamiæ: *Azor. l. 2. c. 26. q. 3. Trull. l. 4. c. 4. d. 3. n. 25. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 14. num. 4.* An vero Pater alias dives teneatur ſatisfacere Hoſpitali pro expenſis factis in filii educationem, videbimus in Tractatu de juſtitia, & jure.

Q. V. An Parentes non ſolum teneantur filios alere, ſed ipſorum etiam familias.

R. Obligatio Parentum non ſolum reſpicit ipſos filios, ſed ipſorum etiam Uxores, & Familias; nam cum obligatio Parentum ſit non ſolum præbere filius alimenta, ſed item onera ipſorum ſuſtinere; ut dicitur etiam *leg. ſi quis a liber. ff. de liber. agnoſc.* ſequitur, quod cum ſit onus Filiorum prebere uxori, propriæque Familiæ alimenta, debeant hoc onus Parentes ſuſtinere, ſi filii ſubire non poſſint: *Sanch. l. 4. de matr. d. 26. n. 21. Trull. l. 4. Decal. c. 3. d. 3 n. 11. Bonac. diſp. 6. q. unic. §. 1. n. 2.*

Q. VI. An Mater teneatur alere Filios.

R. Ex juris diſpoſitione tenetur Mater per integrum triennium prebere lac Filio etiam ſpurio: *leg. nec filium C. de patr. poteſt.* quo tranſacto obligatio alendi filium omnino incumbit Patri: *leg. ſi quis a liber. &c.* Et cum Mater nihil aliud, quam lac, debeat filio, ſequitur quod ſi intra triennium, vel poſt triennium aliquas expenſas faciat in Filiis alendis, poterit eas in utroque foro repetere, ſi non liberaliter fecerit amore Filiorum, ſed animo eas repetendi. Ut autem eas poſſit repetere in foro externo, neceſſe eſt conſtare proteſtatam fuiſſe illas feciſſe animo repetendi, alias præſumi poſſet liberaliter feciſſe amore Filiorum. Debet etiam Pater ſuſtinere expenſas neceſſarias in alendo Filio primo triennio, ſi Mater ex aliqua juſta cauſa illi non poſſit lac præbere. Hujuſmodi autem cauſæ ſunt, ſi Mater lacte careat, ſi ſit ita imbecillis, ut non poſſit ſine gravi ſalutis diſpendio lactare; & idem dicas, ſi ita ſit pauper, ut non poſſit habere alimentum neceſſarium pro filio lactando. Denique ſi non poſſit filium lactare ſine timore dedecoris, ut accideret, dum filius eſt illegitimus.

Deficientibus his cauſis DD. in magno numero condemnant ſaltem peccati venialis Matres, quæ non lactant proprios Filios, cum hoc ſit contra inſtinctum naturæ, ſubminiſtrantibus lac matribus ut filios alant, & proinde contraria conſuetudo dicitur pravus abuſus, *Can. cd ejus vero. diſt. 5.* Ultraquamquod, dum tradunt filios Nutricibus lactandos, ſemper adeſt aliquale periculum, ut una cum lacte perverſis eorum moribus imbuantur. Communiter autem Theologi condemnant peccati mortalis Matrem, quæ negligeret quærere Nutricem, quæ non eſſet morbo infecta, propter grave damnum, quod tunc filius pateretur.

Dixi non teneri Matrem ad alendos filios, ſed hoc eſt intelligendum, ſi Pater poſſit filius alimenta præſtare; nam quando ipſe eſſet impotens, ceſſaret diſpoſitio legis humanæ, qua hoc onus translatum eſt in Patrem, & haberet locum jus naturæ dictantis Matrem teneri ad conſervandam vitam Filiis: *leg. ſi quis a liberis ff. de liber. agnoſc. & defic. utroq. parent. Filiuc. tr. 28. p. 2. c. 2. num. 28. Bonac. d. 6. qu. unic. p. 6. §. 1. n. 3.*

Q. VII. An Parentes teneantur Filias dotare.

R. Pater tenetur dotare filiam, & id non ſolum ex jure poſitivo: *leg. fin. C. de dot. promiſ. & leg. qui liberos ff. de ritu nupt.* ſed etiam ex præcepto naturali, & pietate paterna; ſi enim ex hoc motivo tenetur tradere alimenta, & tenebitur Pater dare dotem filiæ volenti nubere; nam dos ſuccedit loco alimentorum. Ulterius cum Pater ex eadem paterna pietate teneatur avertere mala, quæ poſſunt filiabus ſupervenire, debebit & ex hoc capite dare illis dotem, dum volunt nubere; nam multoties filiæ innuptæ eligunt genus vitæ plurimum honeſtati contrarium: *Navar. in Man. c. 14. n. 17. Trull. l. 4. c. 5. d. 3. num. 17. Azor. t. 2. c. 40. q. 6.* In conſtituenda vero dote debet Pater conſiderare proprias facultates, propriam nobilitatem, dignitatem Mariti, & numerum ſuorum filiorum.

Ita autem Pater tenetur filias dotare, ut non ſit ab hoc onere immunis, etiamſi filia ſit emancipata, nam obligatio dotandi filiam non ſolum oritur ex patria poteſtate, ſed etiam ex titulo naturalis pietatis, & jure ſanguinis, quod non extinguitur per emancipationem, quando filia non habeat aliunde, unde poſſit dotari. Item Pater tenetur dare dotem convenientem Filiæ illegitimæ, nam etiam Jure Canonico debentur ſpuriis omnia neceſſaria: *cap. cum haberet de eo qui duxit in matr. &c.* & inter neceſſaria reputatur dos, ut ex ſe patet, & habetur *ex leg. 2. ff. de ſolut. Matr., & Authen. res quæ C. communia de Legat.* Quod ſi Pater ſit Clericus, & aliunde non habeat unde det ſpuriis alimenta neceſſaria, & dotem, debet hæc deſumere ex fructibus Beneficii; nam prædicta præſtare filiis eſt de jure naturæ.

Item Pater tenetur dotare filiam, quamvis, ipſo invito, nupſerit indigno. Et quidem ſi filia excedat ætatem 25. annorum, nullum eſt dubium apud DD. non eſſe privandam dote competenti; nam ſi ante talem ætatem non tradiderunt illam in matrimonium, parentes debent imputare propriæ negligentiæ, ſi nupſit indigno: *Sanch. de Matrim. l. 4. d. 26. n. 11. Menoch. de præſumpt. l. 4. præſumpt. 189. n. 58. Bonac. d. 6. q. unic. §. 2. n. 1.* Si vero filia minor ſit 25. annis, quamvis aliqui inclinent ad dicendum poſſe Patrem eam dote privare, ſi ipſo invito nupſerit indigno, nihilominus probabilius contrarium aſſeritur, quia nullo jure id ſufficienter exprimitur; & aliunde cum ex jure naturæ teneatur Pater dare filiæ alimenta, tenebitur & dare dotem, qua poſſit ſe alere, cum dos ſuccedat loco alimentorum. Hac ratione Pater dotem novam tenetur conſtituere filiæ, quæ primam quocumque modo amiſerit, ſi aliunde non habeat, unde ſe alat; nam Pater debet dare alimenta filiæ, quacumque ex cauſa ad egeſtatem redactæ, adeoque & novam dotem loco alimentorum.

Superior doctrina patitur exceptionem, quando Filia eſſet ex ſe dives. Quamvis igitur Pater teneatur dotare filiam, etiamſi ſit dives, jure ita diſponente: *leg. qui liberos, & leg. fin. C. de dot. promiſſ.* nihilominus ſi filia ſit dives, non eſt æquum compellere Parentem ad dotandam Filiam divitem, quando nupſit viro indigno, ipſo invito: *Sanch. cit. a n. 18., Bonac. cit. Trull. l. 4. Decal. cap. 5. d. 3. n. 27.*

Si Pater ſit impotens ad dotandam Filiam, tunc ceſſat juris humani diſpoſitio, quia hoc onus translatum eſt in Patrem: *leg. neque Mater C. de jur. dot.* & ſubindeque tenetur Mater, ſi poſſit, dotem filiæ conſtituere. Sicut enim in defectu Patris tenetur Mater Filiis dare alimenta, ita dotem, quæ ſuccedit loco alimentorum, ut ſæpe dictum eſt.

Q. VIII. Qui debeant filios alere, dum id præſtare non poſſunt Parentes.

R. In defectu Parentum tenentur Filios alere Aſcendentes, primo tamen qui ſunt ex linea paterna; *leg. penult. ff. de lib. cognoſc.*, parentum etenim loco ſuccedunt. Deficientibus Aſcendentibus, in ipſorum onus Conſanguinei propinquiores ſuccedunt, ita enim fert ſanguinis conjunctio: *Azor. part. 2. l. 2. c. 5. q. 8. Molin. t. 2. d. 168. Filiuc. tr. 28. 2. p. c. 2, Laym. l. 8. tr. 19. c. 5.*

Q. IX. An obligatio alendi filios tranſeat ad eos qui poſſident bona Patris.

R. I.

R. I. Si bona Patris ad alios transferuntur titulo oneroſo, v.g. titulo emptionis, permutationis &c. non habent annexam obligationem alendi filios. Ratio de ſe eſt manifeſta, quia illi, qui ita acquiſierunt bona Patris, tantumdem tradiderunt, vel perſolverunt, ac proinde non patitur æquitas ut cogantur filios alere, eo maxime quia nullo jure cavetur ut qui pretium talium bonorum perſolvit, habeat hanc obligationem: *Azor. q.4., Trull. l.4. c.4. d.3. n.26.*

Qui habuit bona Patris titulo hæreditatis tenetur dare alimenta neceſſaria ipſius filiis. Ita clare diſponitur. *eg. ſi quis a liber. ſ. Item reſcriptum ff. de liber. agnoſc. Auth. licet C. de natural. liber.* unde communiter docent DD. jus, quod eſt apud filios, ut a Parentibus alantur, remanere apud ipſos filios contra hæredes illius, qui alere tenebatur; res etenim cum ſuo onere tranſit: *Molin. tr.2. d.168., Lugo de juſt. d.24. n.125. Azor. l.2. c.5. q.5.* Hinc ſpurius poſſet e.g. petere alimenta a Monaſterio, cui Pater reliquiſſet ſua bona titulo hæreditatis. Quod dictum eſt de hæredibus Patris extenditur communiter a DD. ad Fiſcum, cui addicta eſſent bona Patris ob ipſius crimen; nam non eſt rationi conſentaneum, ut filii innocentes ob crimen Patris priventur alimentibus ſibi debitis jure naturæ.

Quamvis autem non deſint qui admittant præfatam doctrinam ſolummodo quando bona confiſcantur ex arbitraria Judicis ſententia, non vero quando confiſcantur ex lege, puta ob crimen hæreſis, læſæ majeſtatis &c. nihilominus univerſaliter mihi videntur attendenda, quoties filii aliunde non valeant ſuſtentari; cum etenim ex jure naturæ debeant ex bonis Patris habere alimenta, habent jus fortius jure poſitivo, quo bona Patris confiſcantur: *Sanch. l.2. c.16. a.25. Bonac. diſp. 6. qu. un. p.6. ſ.1. n.10.*

Q. X. Quibus de cauſis poſſint Parentes denegare alimenta Filiis, & Filiabus dotem, vel etiam eos exhæredare.

R. Ex pluribus capitibus ceſſat in Parentibus obligatio filios alendi. Primo igitur ceſſat in Parentibus obligatio alendi filios, quoties ipſis non indigeant, ſed aliunde habeant unde ſufficienter ſuſtententur; ſive id ſit ex propriis bonis, ſive ex aliquo officio, ſive ex beneficio Eccleſiaſtico, ſive ex arte. Ratio eſt quia Parentes debent alimenta filiis, ut ipſorum neceſſitatibus conſulatur; ſi proinde habeant aliunde ex quibus vivere poſſint, jam ceſſat obligatio ipſis alimenta miniſtrandi, ut patet ex *leg. 4. ſi quis a liber. ſ. Sed ſi filius ff. de liber. agnoſ.* Ex quo apparet in hoc eſſe favorabiliorem cauſam dotis; nam, ut vidimus ſupra, jus diſponit dandam eſſe etiam Filiæ diti. Aliæ cauſæ, quibus Filii, & Filiæ poſſunt privari hæreditate, & alimentis, recenſentur *Auth. Ut cum de Appell. &c.* & ſunt ſequentes.

Prima, ſi quocumque modo filii percutiant Parentes cum culpa lethali. Secunda, ſi gravi injuria eos afficiant arbitrio Judicis judicanda. Tertia, ſi Parentes ſive civiliter, ſive criminaliter accuſent in Judicio, quamvis crimen eſſet verum. Et quidem eſt manifeſte contra naturalem inclinationem, quod filius ſit delator in judicio adverſus Patrem. Poteſt tamen filius civiliter agere contra Parentes pro aſſequendis alimentis, nam hoc illi competit ex dictamine juris naturalis. Item poteſt criminaliter illos accuſare in crimine hæreſis, ſeu conſpirationis adverſus Principem, & proditionis Reipublicæ; immo teneretur, maxime ſi non eſſet alius, qui accuſaret; nam bonum publicum præferendum eſt bono particulari etiam ipſorum Parentum: *Navar. c.14. n.12., Filiuc. tr. 28. c.1. q.8. n.17., Azor. l.2. c.8. q.11.* Quarta, ſi filii procurarent mortem Patris etiam effectu non ſequuto; nam ipſa attentatio mortis punitur exhæredatione, & privatione alimentorum. Quinta, ſi filius ut maleficus verſetur cum maleficis, & incantatoribus. Sexta, ſi filius habeat copulam cum Noverca, ſi tamen ſciat talem eſſe, dum peccat cum illa. Septima, ſi Pater exiſtens furioſus, non adjuvetur a filio, aut ſi nollet pro ipſo fidejubere, dum poſſet, cum retineretur in carcere. Ad hoc non tenetur filia; cum ipſa excipiatur in Auth. citata; & ulterius vetitum ſit fœminis fidejubere *ff. ad Senat. conſult. Vellejanum.* Octava, ſi filius ſit hæreticus, dum Pater ſit Catholicus. Nona, ſi impediat Patrem ne conficiat Teſtamentum. Decima, ſi dilapidet bona Parentum cum gravi ipſorum diſpendio. Undecima, ſi dum Parentes non ſunt Mimi, & Arenarii, filii contra voluntatem Patris pretio hanc exerceant profeſſionem. Huic cauſæ adnectebatur digladiari cum Beſtiis. Ultima cauſa, unde filia poteſt exhæredari eſt, ſi luxurioſam vitam agat, dum eſt minor 25. annis.

Quoad ſupradicta autem aliqua ſunt advertenda. Primo, quod primæ novem cauſæ, quæ dant facultatem Patri exhæredandi Filium, ipſique negandi alimenta, pariter dant facultatem filiis exhæredandi, & negandi alimenta Parentibus ſi in ipſis deficiant, ut jam ſupra innui.

Secundo, quod præfatæ diſpoſitiones juris civilis non habent locum, quando filius eſſet in gravi neceſſitate; tunc enim Pater ex jure naturæ tenetur alere filios, cui juri non poſſunt derogare Leges Civiles. Non poterit igitur Pater in præfatis caſibus negare quæ neceſſaria ſunt ad vitam conſervandam: *Molin. de juſt. diſp. 168. Sanch. de Matr. l.4. d.26. a n.18. Filiuc. tr.28. c.1. q.6. a.13., Bonac. d.6. q. unic. p.6. ſ.3. n.t.*

Tertio quod quæcumque cauſa ex iis, quæ recenſentur in Auth. citata dans facultatem Patri filiam exheredandi, dat etiam facultatem negandi dotem: nam quando culpa eſt talis, ut Pater poſſit exhæredare, poteſt etiam negare alimenta, & legitimam, & conſequenter dotem, cum minor pœna ſit quam denegatio alimentorum.

Quarto, quod non intelligitur agere vitam luxurioſam illa filia, quæ ſemel aut bis fecit copiam ſui; illa enim proprie dicitur luxurioſe vivere, quæ elegit veluti meretrix ſe proſtituere. Confirmatur, quia, cum ſimus in materia pœnali, debemus reſtringere odia quoad fieri poteſt, & proinde non dicendum agere vitam luxurioſam eam, quæ ſecreto ſemel, aut iterum peccavit: *Salmant. tr. 14. c.5. p.13. ſ.2.* aliique apud ipſos.

Quinto, quod ſequuta reconciliatione, ſi antea Pater non exhæredaverit Filium, neque amplius ei competit jus illum exhæredandi, nam reconciliatio aufert cauſam ingratitudinis, ob quam infertur exhæredatio. Quod ſi reconciliatio ſequatur poſt exhæredationem, non puto hanc invalidari, eo quod actus valde factus ſubſiſtit, uſquedum revocetur. Bene autem quamplures DD. volunt exhæredationem reddi irritam, ſi poſtea filius profiteatur in aliqua Religione, idque factum dicunt in favorem Religionis, & adducunt quandam Conſtitutionem apud Gratianum *cauſ. 19. q.3.* Illud autem certum eſt per profeſſionem Filii aboleri antecedentem ingratitudinem, ita ut non poſſit poſtea a Patre exhæredari.

Q. XI. An præter ſupra numeratas aliæ dentur cauſæ, ex quibus Pater poſſit Filios exhæredare.

R. Ex nulla alia cauſa præter recenſitas poteſt Pater Filium exhæredare ipſique negare alimenta &c. Ita ſancitur *in Auth. Ut cum de appell. cognoſc.* Ratio etiam ſuffragatur, quia dum ſumus in materia pœnali, qualis eſt lex de Filiis exhæredandis, utpote facta in pœnam ingratitudinis Filiorum, non valet argumentum a minori ad majus, vel ex paritate rationis, ſed ſolum habet locum in caſibus a lege expreſſis, nulla facta extenſione ad alios caſus; ac proinde quæcumque militaret ratio in aliis criminibus, non debet Pater exhæredare Filium, vel ipſi negare alimenta. Ita communiter Theologi.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Videat Confeſſarius quam peccent Parentes non ſancte educando Filios, cum de hoc præſtando tam arctam habeant obligationem. Hinc non facile credat immunes illos Parentes a gravi culpa, qui nec per ſe ipſos, nec per Præceptores volunt Filios ſuos, dum juſta ſubeſt cauſa, verberari. Tam ex monitis S. Spiritus in Sacra Scriptura, quam ex ipſa experientia conſtat, hujuſmodi Filios, dum punitione non coerceantur, immorigeros, ac in propria voluntate obſtinatos evadere, quapropter hujuſmodi nimis dulces Parentes in re gravi quoad Filiorum educationem deficiunt. Item notet Confeſſarius, quod ſi Parentes ſuo pravo exemplo Filiorum educationi præjudicent, tripliciter peccant, nempe ratione operis pravi, quod faciunt, ratione ſcandali, quod prave operando præbent, & contra pietatem ob ſpecialem obligationem ſancte Filios educandi.

II. Cum una ex præcipuis obligationibus Parentum ſit removere a Filiis occaſiones pravas, notet Confeſſarius ex Sanctorum monitis Filios a ſequentibus eſſe removendos. Primo, videant Parentes pravos ſocios a Filiis arcere, infallibiliter enim ab illis ſeducentur. Immo in hoc debent eſſe cauti, ut a Filiabus quamvis tenellis

pueros, etſi conſanguinitate proximos, immo ipſos fratres, quantum fieri poteſt, removeant. Nimis prona eſt ad malum humana natura, & nimis docet experientia ex his converſationibus innocentiam paulatim inquinari. Addam, ſi poſſibile foret, ſingulis proprium cubile aſſignandum eſſe, ita ut nec maſculi ſimul, nec ipſæ fœminæ ſimul in eodem lecto cubarent. Quanto magis ergo criminandi, ac graviter increpandi Parentes illi, qui filios, vel Filias grandiuſculas in proprio collocant cubile?

Secundo; abſterrendi ſunt Pueri, & maxime Filiæ a veſtium pompa, & vanitate; tam etenim pronæ ſunt ad luxum, & ſuperbiam, ut loco pietatis, ſolummodo pomparum amor, & propria exiſtimatio in ipſarum corde figatur; & ob quam bene ſe gererent illi, qui frequenter eas edocerent jam a tempore ſuſcepti Baptiſmatis renuntiaſſe Satanæ, & ejus pompis! Hic etiam adnotare liceat non approbandum uſum ducendi Infantes ad Baptiſmum recipiendum ſericis velis auro ornatis coopertos, ſtipatos inſuper Conſanguinearum agmine, quæ illa die omnem muliebrem mundum induant. Hæc ne conveniunt, dum in facie Eccleſiæ, Mundo, ac Satanicis pompis ſolemniter abrenunciatur?

Tertio, numquam facienda eſſet coram Filiis mentio chorearum, comœdiarum, conviviorum, & ſimilium; ſed hæc illis criminanda eſſent, tamquam Diaboli adinventa: raro etenim ſine peccato exercentur. Quod ſi videantur Filii quandoque hujuſmodi deſiderare, dulciter admonendi eſſent iis non adhærendum, ſed ſatis illis eſſe recreationes minus inutiles, & quæ non avertant ab æternis bonis, ob quæ fuerunt creati. At noſtris hiſce infeliciſſimis temporibus, pueri, & femellæ vel adhuc balbutientes omnibus modernis adſunt recreationibus; & ita nimis cito oculis, & auribus percipiunt venenum, quo facti grandiuſculi ipſorum animo cito pereat.

Quarto, impediendi omnino ſunt Filii ab addiſcendis profanis cantilenis, & a legendis quibuſcumque libris; ubi de profano amore, de Hiſtoriis Amantium ſermo fit, adeoque nec domi illi ſint libri, qui vulgo *Romanzi* appellantur. Si ita incipiant hujuſmodi amores diligere, cito effeminati, cito fœminarum cupidi, corporis, animæque perditione, videbuntur. Hinc a Poetis maxime vernaculo ſermone conſcriptis legendis omnes Filiorum removere. Neſciunt Poetæ niſi de cupidine, de pulchritudine, de amaſia, de venerea voluptate loqui, vel de arte pudicitiam expugnandi; & hæc addiſcunt Filii, ſi Poetas legant.

Quinto, comburant omnino Parentes impudicas Picturas, & impudica ſimulacra in fruſtra comminuant. Poetæ de amoribus tractantes, & Pictores, & Sculptores præfata efformantes, inire Diaboli promovent negocia. Interim Filii, & Filiæ pravas ſibi imaginationes præfata aſpicientes efformant, ex quibus crebro venereæ conſurgunt delectationes.

Sexto, caveant Parentes coram Filiis nimis exiſtimare pecunias, nimis mundanam gloriam extollere, & magnificare illa exercitia, quæ vulgo *Cavalleſchi* appellantur. Inordinatus divitiarum amor fons eſt immiſericordiæ erga pauperes, & paulatim ex eo quamplures injuſtitiæ derivant. Moneantur ergo, ut caveant a prodigalitate, ne exinde Famuli, & Artifices ſibi debitam pecuniam, & ſæpe negatam, fruſtra expectent; itemque ne deſint illis, unde juxta ſuum ſtatum valeant decenter ſuſtentari. At inſuper in eorum animis imprimatur, miſericordiam, & liberalitatem erga Pauperes facere Deum erga nos Miſericordem, & Liberalem; ita ut etiam temporalibus bonis pauperes ſublevantes faciat abundare. Quod ſi exercitia præfata coram illis magni fiant, numquam ſibi perſuadebunt, & ea poſſe recenſeri inter pompas Diaboli, quibus in Baptiſmo renunciavimus, ni ea animi moderationi adhibeantur, ut ſolummodo ad vitandum otium, & ad honeſtam recreationem debeant deſervire.

Septimo, adhibeatur omnis diligentia, ut Filii conſiderent otium; tamquam originem omnium vitiorum. Hinc ſi Filii Nobiles in ſtudiis non occupentur; vel otioſi videntur ſedere in Apothecis ad detrahendum, vel turpi amori inſervire; vel alterius Uxorem, ſeu aliquam Juvenem perdite adamare; vel ita alearum ludis incumbere, ut non caveant a dilapidandis paternis ſubſtantiis, injuſtis etiam contractibus pecunias inquirendo.

Quod ſi hujuſmodi Filii ſint ex plebe & in aliqua arte non exerceantur, utique erunt rixoſi, impudici, fures, uno verbo, omni vitiorum cœno inquinati. Quapropter inter obligationes, quas habent Parentes ratione ſancte educandi Familiam, unam eſſe, & non levem conſideret Confeſſarius, ut Filii ex plebe omnino a Parentibus ad addiſcendam aliquam artem compellantur.

III. Peccant graviter Parentes, dum negligunt omni diligentia ſe certiorare de bonis Præceptorum moribus, quibus inſtruendam ſuam Familiam conſignant. Utique nemo præſumendus eſt malus, ni probetur; at prudentia dictat prius bene eſſe dignoſcendum, qua pietate, qua prudentia, qua vigilantia polleant ii, quibus cura eſſe debet chriſtianis moribus Filios informandi. Nimis experientia dictat quamplures non tam pie, vel prudenter loqui, quando prave non operentur. Alii numquam de rebus ad animæ ſalutem pertinentibus colloquuntur. Alii innocentes pueros a pravis ſociis non removent. Quidam etiam ſunt, qui a locis, ubi continue in rebus ſpiritualibus inſtruuntur, alienant. Iſtine appellari poſſunt puerorum Chriſtiani Præceptores?

Graviter etiam deficiunt Parentes, dum domi habent Juvenes famulas, quæ coram Filiabus amatorie colloquuntur, nil niſi ſexus vanitates commendant; & quid ſi tales eſſent, quæ tenellas filias de omni impudicitia inſtruerent? Quam bene S. Hieronymus docebat hujuſmodi famulas debere eſſe non comptas, non formoſas, non laſcivas, non quæ liquido gutture dulcia carmina modulentur, ſed graves, pallentes, ſubtriſtes, probæ fidei, ac morum, & pudicitiæ Virgines veteraneas?

IV. Peccant Parentes frequentiſſime, & per multum tempus extra domum morando, dimittendo familiam curæ Domeſticorum. Hujuſmodi Parentes graviter deficiunt, tum quia tenentur per ſe ipſos invigilare regimini propriæ Familiæ, quando id poſſunt præſtare; tum quia Domeſtici ſolent eſſe nimis indulgentes, nec illis Filii facile obediunt: tum quia Famuli, & Famulæ, ordinarie loquendo, magis ipſi indigent inſtructione, quam ſciant alios inſtruere; tum quia ſæpe loco Filios ſibi commiſſos Chriſtiane educandi, illos verbis, ac pravo exemplo ſeducunt; & id aliquando fit ab illis etiam famulis, & Famulabus, quas Domini, & Dominæ ſumme religioſas arbitrantur. Videat ergo, & ſerio conſideret Confeſſarius, an capaces ſint abſolutionis illæ Matres, quæ in mane prope horas prandii e lecto egrediuntur, quæ dum domi verſantur, in vanis colloquutionibus cum Cicisbejo in cubiculo morantur; quæ prope veſperam e domo egrediuntur, uſque ad multam noctem non reverſuræ. Si id non eſt graviter deficere in cuſtodia, & educatione Familiæ quid quæſo erit? Iſtæ proinde ſunt abſolutionis incapaces, & ſubinde Mariti, qui hæc impedire tenentur, & non impediunt.

V. Cum jure naturæ teneantur Parentes dare congrua alimenta Filiis debet Confeſſarius monere Parentes, qui nolunt laborare, & propriam artem exercere, ex hoc præciſe graviter peccare, quod ex ipſorum otio deficiunt Familiæ neceſſaria alimenta, adeoque eſſe incapaces abſolutionis. Et quidem de hoc non licet dubitare; nam quicumque habet aliquam obligationem, debet ſaltem apponere media ordinaria, ut illi ſatisfaciat, adeoque Parentes non habentes redditus, ex quibus alant familiam, debent propriæ arti incumbere, ut hujuſmodi gravi obligationi ſatisfaciant.

VI. Ex illa communi doctrina, quæ etiam lumine naturæ patet, quod ſcilicet Pater teneatur ita alimenta dare Filio, ut convenientia ſint ipſius ſtatui, & Familiæ, advertat Confeſſarius non eſſe tutum in conſcientia illum Patrem, qui renuit augere Filio alimenta, quoties ita neceſſarium ſit vel ob infirmitatem Filio ſupervenientem, vel eo quod ipſi Filio augeantur expenſæ ob augmentum Familiæ, vel ob alias cauſas. Id autem intelligendum velim quoties Filius non habeat unde poſſit novas facere expenſas ſibi neceſſarias, vel convenientes.

Animadvertat etiam Confeſſarius non raro peccare graviter Conſanguineos, qui pupillos Parentibus orbatos omnino deſerunt, quaſi ad ipſos nil pertineret de ipſorum educatione, & de alimentis præſtandis. Moneat proinde præfatos de ipſorum obligatione, & quando eidem renuant ſatisfacere, ſine abſolutione dimittat.

VII. Si Pater non conſtituat Filiæ dotem convenientem, attentis tamen Domus facultatibus, numero Filiorum, qualitate Sponſi &c.: & hæc petat augmentum, tenebitur Pater ex juſtitia illud tradere, cum teneatur illi dotem convenientem aſſignare. Ubi etiam advertere eſt, quod ſi Pater habeat bona propria Filiæ, adhuc ni-

nihilominus præſumitur ex propriis bonis dotaſſe, cum debeat dare dotem Filiæ, etiamſi per ſe ſit dives. Hæc adnotavi, quia non raro Filiæ, vel metu, vel importunis precibus coguntur cedere juri, quod haberent ad dotem majorem; vel ignobiliori Marito traduntur, ut minoris quam par eſſet, dote, nuptui tradantur.

VIII. Quia communior Theologorum opinio eſt non poſſe Patrem Filios exhæredare, negare alimenta, & dotem, niſi ex ſolis cauſis ſupra recenſitis *ex Auth. Ut cum de Appellat.* debent Confeſſarii monere Patres non ipſis licere proprias dilapidare facultates, ut Filius hæreditate, ſeu legitima, & Filias dote privent, quoties ex aliis capitibus ſibi eſſe ingratos judicant. Videmus e. g. quandoque Patres erga Filios iratos propter aliquod ipſorum delictum proprias facultates diſtrahere, ne cogantur illas Filiis relinquere; & ita curant etiam convenienti legitima illos privare. At perperam agunt, ſi delictum non ſit ex illis, ex quibus liceat eos exhæredare. Sicut etiam non poſſunt excuſari, quando etſi delictum ſit unum ex ſupra enumeratis, nihilominus faciunt quantum poſſunt, ut expolient Filios neceſſariis alimentis, quæ ex ſeipſis non valent ſibi, & ſuis comparare. Quanto ergo magis eriminandi Patres, qui volunt expoliare Filios hæreditate, ex hoc ſolum capite quod ipſis invitis matrimonium contraxerunt? Utique neque poſſent exhæredari, quando ipſis invitis contraxiſſent cum indigna; neque enim hoc crimen recenſetur inter ea, ex quibus licet Filius exhæredare.

IX. Noter ultimo Confeſſarius inter caſus noſtræ Diœceſis reſervatos ſub n. 11. ſequentem adnumerari: *Conſenſus, ſeu permiſſio, quod Uxor, Soror, Filia, ſeu Filius ſe proſtituat, ſeu copiam ſui faciat.*

Pro intelligentia vero hujuſmodi caſus, notandum pro ly proſtituere, ſeu copiam ſui facere, intelligi copulam, quatuor, vel quinque vicibus, intra modicum tempus repetitam, vel ſemel habitam, ſed cum animo perſeverandi; nam tunc proprie verificatur proſtitutio, quæ ſignificat copulam factam animo meretricandi. Hanc expoſitionem, quæ eſt P. Manſi in explicatione hujus caſus, quidam perperam criminati ſunt, ut adnotavi *in Tr. de Leg. q. 4. c. 2. quæſit. 3.*

Porro intelligerentur Pater, vel Mater conſentire, ſeu permittere proſtitutionem Filiæ, quando id non prohiberent; ut ſi negligentes ſint in obſervanda Filia, quam timere poſſunt cum aliquo peccare. Immo & poſſunt incidere in hanc reſervationem, ſi Filia ſe proſtituat quia Parentes graviter negligentes ſunt in inveſtiganda ipſius vita, moribus, eum quibus agat &c.; nam Superiores tenentur inveſtigare vitam, & mores ſubditorum, quamvis ſuſpicionem non habeant alicujus peccati. Item non intelligerentur Parentes ſufficienter prohibere, ſi ultra verba non adhiberent moderatam pœnam ad Filiam refrænandam. Multo minus non prohiberent, ſi Filiæ, vel cum ea peccantibus ſe amabiles exhiberent: hoc etenim eſſet facto proprium conſenſum demonſtrare. Quod ſi Parentes non prohibeant ex timore gravis damni ſibi inferendi, e. g. a Viro potente peccante cum Filia, tunc utique excuſantur a reſervatione, immo & a peccato. Quia tamen levis timor; vel leve damnum non excuſarent a peccato Parentes permittentes, vel conſentientes in filiæ proſtitutionem, neque excuſarent a reſervatione.

Intelliguntur etiam Parentes non prohibere Filiæ proſtitutionem, quoties ita illi permittunt cum Amaſiis degere, ut moraliter impoſſibile ſit non ſe illis proſtituere. Tales ſunt illi Parentes, qui permittunt Filiabus frequenter colloqui cum Amaſiis, & ſolitarie degere: in his etenim, ſi frequenter fiant, adeſt certum labendi periculum, unde convincuntur Parentes Filiæ proſtitutionem permittere. Probabiliter tamen dicunt non incidere in hanc reſervationem, qui permitterent Filiæ ita degere cum Sponſo, vel etiam darent licentiam cum eo fornicandi, nam peccare cum Sponſo, qui jus ſaltem inchoatum habet ad copulam, videtur quid diverſum a proſtitutione, de qua loquitur caſus, eum importet animum meretricandi.

Demum convincuntur permittere, immo & velle Filiæ proſtitutionem Parentes, qui ita ſe gerunt, ut veluti cogant Filiam ad ſe proſtituendum. Taliter ſe habent illi, qui eas e domo expellunt, vel alimenta negant; & bene ſciunt ex ſe non habere unde vivere poſſint. Sic agendo, Filiæ proſtitutionem prævideant utique apponendo cauſam, intelliguntur velle effectum. Animadvertat etiam Confeſſarius Caſum habere locum etiam reſpectu Filiarum conjugatarum, vel Viduarum, quamvis extra domum degant. In quocumque etenim ſtatu ſint; ſemper tenentur Parentes ſaltem ratione pietatis illas a peccato removere; quapropter permittendo, vel conſentiendo in ipſarum proſtitutionem, ſemper in ſuis obligationibus deficiunt, qua ratione inducta eſt præſens reſervatio. Qui plura deſiderat videat P. Manſi in hujus caſus explicatione.

In una tantum re ab eodem P. Manſi diſſentirem; crederem nempe ſubjacere præſenti reſervationi permiſſionem, ſeu conſenſum Parentum in Filiæ proſtitutionem; quamvis hæc poſtmodum non ſequatur. Quamvis igitur verum ſit reſervationem intelligendam eſſe de actibus conſummatis, quoties aliud non exprimat Legiſlator, nihilominus advertendum, actus internos ultimo, & complere conſummari abſque externa executione. Ita ſe habent conſenſus & permiſſio, quoties etenim quis voluntarie in aliqua re ſibi complacet, illamque concedit, ſeu non obſtat, quando tenebatur, habetur conſummatus, & perfectus conſenſus, vel permiſſio voluntatis, & ad reſervationem ſolummodo requiritur, ut externe aliquo modo manifeſtentur. Verum actus externi non intelliguntur completi, & conſummati ſine externa ultima executione, ita ad copulam perfectam neceſſaria eſt conſummatio intra vas; ad abortum partus intempeſtivus; ad inhoneſtam collocutionem cum Monialibus per literas amatorias, ut hæ ad illas deferantur. Non ſequuto proinde effectu, & ultima actus conſummatione, in his non habet locum reſervatio, bene vero in primis, quia ſunt completi, & ultimo perfecti abſque externa alicujus pravi operis executione.

CAPUT I.

De Obligationibus Mariti erga Uxorem, & Uxoris erga Maritum.

Q. I. QUæ ſint obligationes Viri erga Uxorem.
R. Maritus tenetur exhibere Uxori amorem; honorem, & obedientiam in iis, in quibus illi ſubditur. Quod teneatur eam amare exinde patet, quia ſi unuſquiſque debet amare proximum ſuum, peculiari modo Maritus tenetur amare uxorem, quæ ita illi proxima eſt ut dicatur cum ipſo una caro, ſicut habetur *Matth. 19.* Debet etiam illi honorem, quia Uxor non eſt famula, ſed ſocia, adeoque proprium conſervar gradum & excellentiam. Hinc non licet Marito graviter verberare Uxorem, quamvis, poſtquam bis, vel ter admonita non reſipiſcat, poſſit cum moderatione verberare: *leg. res judicatæ ff. ſolut. matr., Sanch. de matrim. lib. 10. d. 18. n. 16.* Non poteſt pariter ſine gravi culpa verbis graviter injurioſis redarguere, quia eſt gravis dehonoratio. Denique quod teneatur aliquando ipſi obedire in aliquibus; patet quia in redditione debiti non minus tenetur Uxor obedire Marito quam Maritus Uxori.

Q. II. Ad quid teneatur Maritus erga Uxorem ratione amoris.

R. I. Ratione amoris, quo Maritus tenetur diligere Uxorem, primo tenetur curare, ut Chriſtiane vivat, adeoque & ab ea removere peccandi occaſiones. Id patet primo, quia talis amor ut dicitur *ad Epheſ. 5.*, aſſimilari debet amori, quo Chriſtus dilexit Eccleſiam: ita autem Chriſtus dilexit Eccleſiam, ut voluerit ab ea removere omnem maculam, & rugam, ſcilicet peccata. Secundo, quia vir eſt caput mulieris, unde tamquam Superior debet vigilare, ne vitam ducat parum Chriſtianam; iſta enim eſt principalis obligatio illius, qui præeſt vero amore charitatis. Ex hoc etiam capite tenetur Maritus eam non impedire ab adimplendis præceptis Divinis, & Eccleſiæ. Immo ſaltem venialiter peccabit, ſi abſque juſta cauſa diebus etiam profeſtis illam impediat ab audiendo Sacro, aliiſque pietatis exercitiis, ſicut & accidere poteſt etiam graviter peccare, quoties impediret magnam utilitatem, quam ex Sacramentorum frequentia poſſet Uxor ſibi comparare. *Navar. cit., Filiuc. tr. 28. c. 9. n. 139. Bonac. hic d. 6. q. unic. p. 7. n. 2.* Item ratione amoris tenetur Maritus alere Uxorem; conſtat etiam nullatenus intelligi eam diligere, quoties ipſi non præbeat neceſſaria alimenta.

Q. III. An Maritus teneatur alere uxorem, ſi dotem non attulit.

R. I. Maritus poteſt ſe eximere ab alenda Uxore, ſi dos promiſſa culpabiliter non tradatur. Ratio eſt, quia dos datur ad ſuſtinenda onera matrimonii: *leg. pro Oner. C. de jur. dot.*; unde ſi dos culpabiliter non tradatur

Maritus non habet onus alendi uxorem: *Surd. de alim. tit. 7. q. 17. num.* 1. Dixi, *ſi culpabiliter non tradatur*; nam ſi Maritus conceſſit dilationem ſolvendæ doti, judicatur ceſſiſſe juri ſuo, & voluntarie aſſumpſiſſe onera matrimonii uſque ad tempus dotis ſolvendæ. Item ſi Pater, qui promiſit dotem, poſtea impotens ad eam ſolvendam reddatur, adhuc Maritus tenetur Uxorem alere; neque enim intelligeretur eam amare, quoties illam; dum non eſſet in culpa, alimentis privaret. Quod ſi ipſa, vel Pater doloſe dotem promiſerunt, quam revera non poterant ſolvere, tunc Maritus liberatur ab onere alendi uxorem, quia impotentia dandi dotem erat prævisa, & fuit doloſa; ac proinde non debent Pater, vel Uxor ex proprio dolo aliquid acquirere: *Sanch. l. 6. de matrim. d. 5. Fagund. l. 4 cap.* 10. *num.* 2. *Bonac. diſp. 6. q. un. p. 7.* Tenetur item Maritus alere uxorem, cujus dos abſque ipſius culpa periit; nam ut dicitur *leg. ſi cum dotem §. Si Maritus ff. ſolut. Matr.* æquum eſt, Virum fieri participem caſibus fortuitis uxoris, & e contra. Si vero dos culpa uxoris periiſſet, v. g. ob aliquod ejus crimen, tunc conſideranda eſt ac ſi dotem non accepiſſet; unde non eſt alenda a Marito, quoties poſſit ali a Parentibus. Quod ſi iſti negarent Filiæ neceſſaria alimenta, expoſceret conjugalis amor, ut aleretur a Marito. *Sanch. cit. Molin. de juſt. diſp.* 425.

Quia regulariter onus alendæ Uxoris provenit a ſolutione dotis, hinc eſt, quod ſi Maritus ſolummodo conſequutus fuerit partem dotis, ſolum teneatur ad alimenta pro rata dotis conſequutæ; nam eadem ratio eſt totius ad totum, ac partis ad partem, ut dicitur *leg. quæ de rata ff. de rei vindic.* Hic tamen adnotare oportet, quod ſi Uxor, quæ dotem non attulit, ſit in obſequio Viri, ita ut velut pediſſequa illi famuletur, non ſunt illi deneganda alimenta; ſi etenim hac ratione alendi ſunt cæteri ex familia quanto magis Uxor? *Surd. tit. 7. q. 17. num.* 38 *Molin. de juſt. diſp.* 425. *Sanch. de matr. l. 9. d. 4 n. 19. & diſp. 5. num. 6.*

Q. IV. An Maritus teneatur alere uxorem, ſi eam duxit nulla facta mentione dotis.

R. Ut fiat ſatis huic quæſito obſervandum, an poſſit dici Maritum doti renuntiaſſe, vel potius, implicite eam voluiſſe. Tunc diceretur eam renuntiaſſe, quando ſe declaraviſſet contentum perſona Uxoris abſque dote; vel ſumpſiſſet Filiam alicujus Patris inopis, quem conſtaret nullum poſſe Filiæ dotum aſſignare. Si explicite primo modo, vel implicite ſecundo modo doti renunciaverit, tenetur alere Uxorem, quia ceſſiſſet juri ſuo. Si vero judicari poſſet ſaltem implicite eam voluiſſe, ut ſi Filiam duxiſſet alicujus, qui eam poſſet dotare vel ſi ipſa Filia eſſet ex ſe dives, tunc ſicuti danda eſſet Marito dos, ita illa non perſoluta, non tenetur Maritus Uxorem alere. Nec refert in his caſibus tempore matrimonii non factam fuiſſe mentionem dotis; nam cum dos detur ad ſuſtinenda onera matrimonii, non eſt ita eidem extrinſeca, ut non debeat ſubintelligi, unde dos reſpectu matrimonii non eſt ponenda inter conditiones omnino extrinſecas, quæ non ſubintelliguntur, ni exprimantur, ut habetur *ex leg. ſi ita ſtipulatus §. Chryſogonus ff. de verbor. oblig.*

Aliqui volunt, quod dum Maritus duxit mulierem divitem, nulla facta mentione dotis, intelligatur conſequi pro dote omnia bona ipſius mulieris. Verum adhærerem opinioni, quæ aſſerit in tali caſu dotem eſſe taxandam juxta Viri qualitatem; nam juxta minorem, vel majorem dignitatem, & divitias viri ſolet dos taxari.

Q. V. An Maritus teneatur alere Uxorem, ſi hæc ab ipſo recedat.

R. Maritus non tenetur alere Uxorem, ſi hæc ex propria culpa a Marito recedat. Id autem verum eſt, etiamſi dos fuerit perſoluta; nam mulier ultra ſolutionem dotis tenetur permanere in obſequia Viri; unde ſi non ſatisfaciat huic obligationi, non debet conſequi alimenta: atque hac ratione dicitur *leg. Julius ff. de act. emp.* qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet. Quod ſi mulier velit a Maritum redire, tunc ſunt illi reſtituenda alimenta, & ſi Maritus nolit eam recipere, poteſt agere contra eum pro alimentis conſequendis.

Dixi, ſi recedat ex propria culpa, nam non privatur alimentis, ſi culpa viri recedat, e. g. ob ipſius ſævitiam, ob periculum veneni, ob morbum viri contagioſum; neque enim debet Maritus commodum ex ſuo delicto reportare. Quod ſi poſtea Maritus judicio viri prudentis ſufficientem exhibeat ſecuritatem, tunc Uxor denuo tenetur redire ad eum, & ſi nolit, non tenetur Maritus eam alere; nam non ſatisfacit obligationi cum illo habitandi, ſub qua conditione intelligitur ſe obligare ad eam ſuſtentandam. Ita communiter DD.

Q. VI. An Maritus teneatur alere uxorem adulteram.

R. Maritus non tenetur alere Uxorem adulteram. Ratio eſt, quia Uxor propter adulterium poteſt a Marito ab habitatione expelli, ipſique denegare omnem convictum, adeoque & alimenta. Hoc tamen limitandum, quando adulterium proveniſſet ex culpa Mariti, ut ſi eo fine e domo ejecerit, vel negaverit convenientia auxilia, ut laberetur in adulterium, & ita ex turpi lucro ſibi, vel filiis provideret. Quod ſi expulerit ex vi ira, vel alia de cauſa, tunc ſi uxor, etiam neceſſitate impellente, in adulterium prolabatur, non tenetur Maritus illi præbere neceſſaria alimenta; nam adulterium in tali caſu imputandum eſt malitiæ Uxoris, quæ ex expulſione ſumpſit occaſionem delinquendi: poterat enim & debebat ſibi conſulere per remedium reſtitutionis in integrum. In caſu autem, quo adulterium non poſſit imputari niſi per accidens Marito, non convincitur tacite in ipſum conſenſiſſe, ac proinde non tenetur ad alimenta. *Sanch. l. 10. de matr. diſp.* 8. a *n.* 25. *Fagund. l. 4. c. 9. n. 23. Surd. de alim.* tit. 7. *qu.* 16. num. 16. Nec deſunt DD. qui affirment poſſe uxorem alimentis privari, quamvis ſola oſcula, & amplexus Extranei admittat, quod utique probabile eſt ſaltem reſpectu oſculi notorii, nimis laſcivi, vel reſpectu uxoris nobilis.

Quæ tamen dicta ſunt in hac reſponſione ſolum habent locum in foro conſcientiæ; nam in foro externo cogetur Maritus dare alimenta, uſque cum Judicis ſententia Uxor non fuerit condemnata ut adultera. Quin immo & debebit ſubminiſtrare expenſas neceſſarias pro lite, ut habeat quomodo ſe poſſit defendere: *Farinac. in prax. crim. q.* 143. *de alim. t. 1. q.* 118. *Sanch. de Matrim. lib.* 10. *d.* 8. *num.* 28.

Q. VII. An Maritus teneatur cum Uxore habitare, & ex quibus cauſis poſſit ab eadem diſcedere.

R. I. Non poteſt Maritus ſine juſta cauſa ab uxore diſcedere: *cap. 1. & 2. de conjug. lepros.* Et quidem contractus Matrimonii, ut ex ipſius conſtat definitione, expoſcit inter Conjuges individuam vitæ conſuetudinem. Ita etiam neceſſe eſt ad confovendum mutuum amorem, ad ſobolem procreandam, & educandam, ac ſibi præſtandum mutuum auxilium &c. Quapropter bene notant DD. illam cohabitationem expoſcere, ut eidem menſæ accumbant, eodem in lecto jaceant &c. *Sanch. l. 9. de Matr. d. 4 Fagund. l. 4 c. 7. num. 5. Trull. l. 4. c. 1. d. 4 num. 6.*

R. II. Juſtæ cauſæ, ex quibus Maritus poteſt licite ab Uxore abeſſe, ſunt illius conſenſus, ſi non fuerit importune extortus; neceſſitas negocii pertractandi; juſſio Principis; ſententia Judicis, qua exulare cogatur: brevis peregrinatio; periculum vitæ, ſi non diſcedat, & ſimilia. Verum tamen eſt, quod ſi non eſt tam cito reverſurus, & velit Uxor illum comitari, tenetur eam ſecum ducere, ſi expenſæ non futuræ ſint valde magnæ quia tunc Uxor rationabiliter id expoſcit: *Tolet. l. 5. cap. 1. Fil. tr. 28. p. 2. cap. 9. num. 136. Bon. diſp. 6. qu. unic. p. 7. num. 2.*

Q. VIII. Quæ ſint obligationes Uxoris erga Virum.

R. Uxor tenetur exhibere Marito honorem, amorem, & obedientiam in iis, in quibus illi ſubdita eſt. Ratio harum obligationum ea eſt, quod Maritus eſt Superior, & Caput ipſius mulieris, juxta illud *Geneſ. 3. Sub Viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur Tui:* Superiori autem, & capiti prædicta ſunt exhibenda.

Q. IX. Quæ præſtanda ſint ab Uxore Marito ratione amoris.

R. Sicut Maritus ratione amoris debet removere ab Uxore omnes peccandi occaſiones; ad hoc enim præcipue attendit Charitas Chriſtiana, ita & debet facere Uxor. Item ſicut Maritus ratione ejuſdem amoris debet Uxorem, & Familiam alere, ita & ad id tenetur uxor, dum vir ſit inops, & non poſſit ſibi de alimentis providere; æquum enim eſt ut ferat caſus fortuitos ipſius Mariti: *leg. ſi cum dotem §. Si Maritus ff. ſolut. matr.* alioquin nunquam diceretur ipſum diligere. *Surd. de alim. t. 1. quæſt. 36. a num. 6. Trull. l. 4. c. 1. d. 4. n. 9. &* 20. & communiter.

Q. X. Quæ teneatur Uxor præſtare Marito ratione obedientiæ.

R. I. Uxor ratione obedientiæ tenetur ſub gravi obe-

dire

Digitized by Google

dire Marito, ſi illi aliquid præcipiat quod non parum conducat ad bonos mores; & ad domeſticam gubernationem. Ratio eſt, quia Maritus, utpote ſuperior, poteſt ei præcipere, unde ſi materia aliunde ſit gravis, tenebitur ſub gravi culpa obedire. Solum vero leviter peccabit, ſi in re levi erit inobediens Marito præcipienti, immo nullum peccatum committet, ſi Maritus non intelligat præcipere, ſed ſolummodo ſuadere.

R. II. Ratione obedientiæ, & ſubjectionis non poteſt ſibi Uxor uſurpare jus gubernandæ domus invito Marito. Quamvis igitur aliqua leviora facere poſſit, & maxime ea, quæ pertinent ad Mulieres, nihilominus totum jus gubernandæ Familiæ non poteſt ſibi aſſumere, neque graviora peragere invito Marito ſine gravi culpa, quia ſibi alienam poteſtatem uſurparet. Excuſanda eſſet, quando vir non eſſet capax gubernandæ &c. domus &c. *Tolet. l. 5. cap. 2. Navar. in Man. cap. 19. n. 20., Fagund. l. 4. c. 12. n. 1.*

R. III. Debet Uxor ratione obedientiæ, & ſubjectionis in obſequio viri permanere. Ita enim expoſcit non ſolum ſocietas conjugalis, ſed etiam eſſe ſubditam viro. Non ſentio tamen cum aliquibus putantibus Uxorem etiam Nobilem debere exibere Marito omnia obſequia etiam vilia; cum etenim uxor non ſit famula, ſed ſocia, non tenebitur ad obſequia ſuo ſtatui non convenientia, v. g. ad lavandos illi pedes, ad parandos cibos, ad verrendam domum &c. Quod ſi tamen eſſent ita pauperes, ut non poſſent famulos conducere, tunc ratione neceſſitatis deberet hujuſmodi facere etiam Uxor Nobilis: *Sanch. lib. 6. de matr. d. 6. n. 14., Fagund. lib. 4. Decal. cap. 12. num. 4.* & deducitur *ex leg. interdum ff. de oper. libert.*

Q. XI. An Uxor teneatur obedire Marito præcipienti, ut cum ipſo alio migret.

R. Ut huic ſatisfaciam quæſito, obſervandum, an ante matrimonium initum fuerit pactum cum uxore de non mutando domicilio, vel non. Si non fuit initum tale pactum, uxor tenetur ſequi Maritum mutantem domicilium etiam ſine juſta cauſa; nam ita fert obligatio, quam habet obediendi ſuo Capiti, & reddendi debiti conjugalis, quod expoſcit mutuam cohabitationem. Ad id tamen non teneretur Uxor, ſi ex mutatione domicilii, exponeretur mortali periculo vitæ, vel alterius gravis diſcriminis ſeu animæ, ſeu corporis; non enim habet obligationem obediendi cum tanto gravamine. Item non tenetur ſequi Maritum, qui ſine certo, & fixo domicilio hinc inde vellet vagari. Quamvis igitur illum ſequi debere Uxor, quoties ante Matrimonium ſciviſſet, Maritum eſſe ſolitum vagari, nam tunc ſe tacite obligaſſet ad tales onus; non tamen tenetur illo ſequi vagantem, ſi incœpiſſet vagari poſt contractum matrimonium, vel ſi ignoraſſet antea fuiſſe ſolitum vagari. Ratio eſt, quia onus vagandi cenſetur valde grave, & multis expoſitum periculis animæ, tum corporis, unde Uxor non tenetur illud ſubire.

Si vero antiquam contraheretur matrimonium Uxor iniviт pactum cum Marito de non mutando domicilio (hoc pactum ſuſtinetur tamquam licitum, nam in contractibus poſſunt contrahentes cedere de juri, quod alias haberent) tunc diſtinguendum eſt. Si Maritus velit alio migrare abſque juſta, & rationabili cauſa, tunc Uxor non tenetur illum ſequi, nam ſtante præfato pacto Maritus ceſſit juri, quod habebat, Ut uxor debere ipſum ſequi, etiamſi abſque cauſa rationabili mutaſſet habitationem: *Sanch. l. 1. de matr. diſp. 40. & 41. Pal. p. 5. tr. 28. d. 1. p. 15. a nu. 1., Fagund. l. 4. cap. 12. n. 8.*

Si vero Maritus velit alio migrare ex juxta cauſa, putra ad vitandas graves rixas, morbum, aeris intemperiem &c. tunc Uxor debet illum ſequi, non obſtante pacto ſuptadicto; nam intelligitur initum rebus non notabiliter variatis. Hac ratione tenetur Uxor ſequi Virum qui propter aliquod delictum mittitur in exilium, ſemper dum id expoſcat. E contra tenetur Vir ſequi Uxorem, quæ ex juſta vult mutare domicilium, quia obligatio cohabitandi par eſt in utriuſque: *Sanch. diſp. 41. cit. n. 11. Pal. cit. p. 14. §. 1. n. 4.* Secus, ſi mulier non habeat juſtam cauſam alio migrandi; nam quamvis id poſſit Vir, quia Caput eſt & Superior, non utique Uxor. De obligatione debitum reddendi ſuo loco agendum eſt.

Regula in praxi attendenda.

I. Debet advertere Confeſſarius non eſſe capacem abſolutionis Maritum, qui non vult ſe emendare a proferendis verbis graviter contumelioſis adverſus Uxorem, quamvis ea proferat ſine animo eam infamandi: ut ſi dum eſt iratus eam appellet meretricem, ſagam &c. nam hujuſmodi verba ſunt in re gravi contra honorem, quem Maritus debet exhibere Uxori. Non nego tamen poſſe Maritum cauſa correctionis verba aſpera, & aliqualiter injurioſa in Uxorem proferre, quando ea reputarentur media neceſſaria ad illius emendationem.

II. Cum amor Mariti erga Uxorem debeat præcipue reſpicere ipſius ſpiritualem profectum; certe peccaret graviter dum ipſam impediret ſine juſta cauſa ab adimplendis præceptis Dei, & Eccleſiæ. Si vero ipſam impediat ab adimplendis operibus conſilii ſine juſta cauſa, quamvis, ordinarie loquendo, ſolummodo venialiter peccet, poterit etiam peccare mortaliter ex dictis ſupra. Animadvertat autem Confeſſarius quandoque Maritos id juſtiſſime expoſcere, nam accidere poteſt mulieres falſa pietate deceptas, nimis in Eccleſiis tempus protrahendo curam familiæ negligere, vel neceſſarium laborem pro familia ſuſtentanda. E contra vero non raro evenit a Maritis ab exercitiis pietatis uxores impediri ſub pretextu domus cuſtodiendæ; nam tacerent ſi longiorem moram extra domum traherent, ut vacarent mundi oblectationibus: tunc proinde convincuntur Uxores religionem odio habere, & injuſtis querelis domum turbare, ex hoc ſolum quod vellent Uxores minus pietatis addictas. In praxi nihilominus ſuaderem Confeſſariis, ut quantum fieri poteſt, inducant Uxores ad Viros obtemperandum no continuis jurgiis pax domeſtica turbetur; & interim quærant tempus opportunum inducendi Maritos ad benigne ſibi impartiendam licentiam animæ profectui incumbendi. Tanta eſt Divina Bonitas, ut etiam domi poſſint ſperare virtutes ſibi comparaturas, maxime ſi Deo propriæ voluntatis ſacrificium offerant.

III. Cum Maritus teneatur removere ab Uxoribus Cicisbejorum converſationes, advertat Confeſſarius graviter eum peccare, qui id permittit. Solent ſe excuſare dicendo id ab eis tolerari, ne zelotypia videantur moveri. Sed oh quam juxta eſt hujuſmodi zelotypia! Quantum ita zelando, honori Dei propriæ, & uxoris conſcientiæ conſulerent! Quantum etiam proprio decori! Neque etiam audiendi ſunt, ſi dicant hujuſmodi in Uxore tolerare, ne frequenter inter eos rixentur. Tantæ ſunt tam iniquarum converſationum mala, tanta Filiorum, famulantiumque ſcandala, tantæ detractiones, ut ad hæc evitanda potius teneantur minorem pacem cum Uxore habere, quam illi Cicisbejum permittere. Multo autem pejus ſe gereret Maritus, ſi hujuſmodi vanitates permitteret Uxori, quia ſine ſuo diſpendio mulieres vanitates a Cicisbejo obtinere non poſſes ignorare; hæc etenim certe non tribuuntur ex pura liberalitate. Semper proinde miratus ſum, quomodo tam indocti, tam laxi inveniantur Confeſſarii, qui tales Maritos abſolvant.

Inſtruant etiam Confeſſarii hos effœminatos Maritos de obligatione quam habent non permittendi Uxorem pectore indecenter nudato incedere; id enim meretricium morem ſapit. Videant quæ dixi *Tr. 6. q. 5. c. 6. quæſ. 5.*

IV. Non etiam Confeſſarius graviter peccare illos Maritos, qui licet convenientibus alimentis familiam ſuſtentent; attamen eam habent vivendi rationem, ut continuam gravem afflictionem dent Uxoribus. Tales ſunt illi, qui continue verbis aſperis loquuntur, vultum trucem oſtendunt, Majorem partem noctis vel in ludis, vel in compotationibus conſumunt cum gravi ſſima uxoris afflictione &c. Sed heu quam parum Confeſſarii hujuſmodi advertunt, & a Pœnitentibus removere conantur!

V. Peccant frequentiſſime Uxores expoſcendo a Maritis omnes ſui ſexus vanitates, cum poſſint advertere, exinde eos ære alieno gravari, cui non poſſunt ſatisfacere Peccant etiam noſtris maxime temporibus, plures Nobiles Fœminæ, quæ nolunt ſibi, & familiæ, quam plura proprio labore comparare; nam ultraquamquod, ut dictum eſt, gravent ære alieno Maritos, ita domus ſubſtantias emungunt, ut nil ſuperſit pro nubendis, vel in Monaſterio collocandis Filiabus &c. qua ratione poſtea contra ipſarum voluntatem vel in Monaſterio cullocantur, vel nuptui traduntur Juveni, non ſatis ipſis grato. Præterea heu quot mala ex ipſorum otio originem trahunt! Sed quis eſt Confeſſarius, qui de hujuſmodi interroget?

VI. Contra amorem Uxoris debitum graviter peccat Maritus, ſi illam graviter percutiat, cujuſcumque conditionis ſit uxor; nam gravis percuſſio, & punitio ſolum ſpectat

ſpectat ad Judicem, cum ſolum ipſius ſit condignam delicto pœnam imponere. Si vero adſit cauſa; permittitur Marito uxorem leviter verberare quando id eſſet medium neceſſarium ad ipſius emendationem: *leg. rei judicatæ ff. ſolut. matr.* Ubi adverrendum etiam illam verberationem, alapam e. g., quæ inter perſonas ex plebe levis reputaretur, gravem reputari poſſe inter perſonas Nobiles. Immo inter has perſonas quæcumque percuſſio poſſet quandoque judicari gravis, unde sil conſiderare debet Confeſſarius, ut dignoſcat, quando ex hoc capite deneganda ſit abſolutio Marito, qui non vult ſe abſtinere ab Uxoris percuſſione. Id non raro accidere ſolet inter perſonas ex plebe, dum Maritus vino deditus ſero domum redit.

VII. Conſideret etiam Confeſſarius poſſe graviter peccare Maritum, qui licet de alimenta Uxori, & Familiæ, non vult tamen ea illis dare, prout ipſorum ſtatui conveniunt, cum aliunde id poſſit.

VIII. Peccat graviter contra amorem, ſeu etiam contra honorem Marito debitum Uxor, quæ cum ſit rixoſa, & nolit linguam refrænare, præbet ei occaſionem in gravem iram prorumpendi, blaſphemandi &c. Hoc peccatum ſatis familiare pluribus mulieribus parum animadvertunt aliqui ex Confeſſariis, quando revera deberent illas dimittere ſine abſolutione, dum ſemel, & iterum monitæ non ſe emendarent.

IX. Noſtris hiſce temporibus debet etiam Confeſſarius dimittere ſine abſolutione Uxorem, quæ non vult a ſe removere Cicisbejum, etiam ſi id permitteret Maritus, ſed multo magis ſi contradicat; non ſemper verificatur graviter officere rectæ domus gubernationi, & bonis moribus. Videatur liber, quem exaravi adverſus Cicisbejos, & ibi, ni mea me fallat oppinio, ad evidentiam dignoſcetur Uxorem graviter peccare, ſemper cum velit apud ſe Cicisbejum; & multo magis ſi renuat Maritus, nam ipſius præceptum eſt de re gravi.

CAPUT IV.

De Mutuis Obligationibus Fratrum, & Sororum, Superiorum, & Subditorum.

Q. I. AN Frater teneatur corrigere Sororem, ipſamque punire, ſi hoc neceſſarium ſit ad ipſius correctionem.

R. Dupliciter poteſt conſiderari Frater reſpectu Sororis. Primo, quando ipſi commiſſa eſt cura Sororum, quia mortui ſunt Parentes, vel ex alia cauſa. Secundo, quando Soror non eſt ſub ipſius cura. Si primo modo conſiderentur Fratres, cum gerant vices Parentum, habent quamdam poteſtatem œconomicam, & privatam ſuper eaſdem Sorores; unde ſicuti ex hac poteſtate poteſt Pater moderate verberare filios, dum id neceſſarium ſit ad ipſorum correctionem, ita & poterit facere Frater reſpectu Sororum. Confirmatur, quia, ſi id poteſt etiam facere Magiſter, & Dominus, utique neque talis poteſtas eſt deneganda Fratri, ſub cujus cura vivunt Sorores. Si vero Sorores non ſint ſub cura Fratrum, tunc poterunt eas leviter verberare, quando ſit id neceſſarium ad ipſarum correctionem, non poteſtate coercitiva, ut faciunt quando ſunt ſub ipſius cura, ſed charitative. Ratio illius aſſertionis de ſe patet; nam dum non ſit qui poſſit providere, & removere peccata, & ſcandala, poſſunt e. g. etiam Seniores pueros moderate percutere, ut ab aliquo exceſſu abſtinrant, & id etiamſi ſint Clerici, ut patet *ex cap. cum voluntate de ſent. excomm.* Si autem ita dictat Charitas reſpectu aliorum, qui nobis ſanguine non ſunt conjuncti, multo magis id præſtare poterit Frater erga Sorores tam ſanguine conjunctas, quoties ita conveniens ſit, ut a pravo exemplo, & ſcandalo deſiſtant. Ita autem hujuſmodi charitativa punitio debet fieri, ut removeatur omne periculum ſcandali, & rixæ; unde ut plurimum Fratres non debebunt increpare, & multo magis verberare Sorores coram Parentibus, nec Seniores pueros coram iiſdem Parentibus, ut vel aliis propinquis. Quæ poteſt facere charitative Frater erga Sororem, ipſam objurgando &c. poteſt Soror erga Fratrem, maxime dum adhuc eſt in tenera ætate; nam ſi ſit adultus, ut plurimum inutilis erit omnis correctio Sororum: *De Lugo de Juſt. d. 5. n. 5.*

Q. II. An Frater teneatur alere Sorores, ipſaſque dotare.

R. I. Frater dives tenetur alere alios Fratres. & Sorores pauperes, ſive nati, & natæ ſint ex legitimo matrimonio, ſive non. Ratio autem, eſt quia cum tales perſonæ ſint tam ſanguine conjunctæ, non ſolum Charitas & Pietas, ſed & ipſa Natura dictat non eſſe defraudandas alimentis ipſorum ſtatui convenientibus. Cum autem non minus ſint ſanguine conjuncti legitimi, quam illegitimi, eodem jure quo legitimis debentur convenientia alimenta, debentur & illegitimis. In hoc titulo ſanguinis fundantur etiam Leges Civiles, quæ obligant fratrem divitem ad alendos Fratres, & Sorores pauperes, *leg. cum plures §. Cum Tutor ff. de admin. Tutor., leg. 1. §. ſed nonnullo ff. de tutelis & ratioc. diſtrah., leg. qui filium ff. ubi pupillus educari debeat, leg. non omni C. de adminiſtr. Tutor.* Hinc eadem leges, ut videre eſt apud Authores, in defectu aliorum Aſcendentium, qui poſſint alere Deſcendentes, loco ipſorum conſiderant Fratrem; qui poſſit eis ſubminiſtrare alimenta. Hæc autem alimenta ſubminiſtranda ſunt juxta ſtatum, & conditionem Sororis, vel Fratris indigentium; cum etenim hujuſmodi obligatio ex naturali æquitate; & Legum oriatur diſpoſitione, non poteſt eſſe, niſi de alimentis juxta ſtatum convenientibus; *Laym. l. 3. tr. 4. c. 13. n. 5., Fag. l. 4. c. 16. a n. 5., Boſſ. de eff. contr. matr. p. 2. c. 8. a n. 490.*

R. II. Frater, ſi poſſit, tenetur etiam dotare Sorores, dum id facere non poſſit Pater, vel alii Aſcendentes. Ratio eſt, quia valet argumentum ab alimentis ad dotem, immo hæc in quibuſdam eſt magis favorabilis, quam ipſa alimenta ratione procreandæ prolis, & tuendæ pudicitiæ mulieris. Si ergo ob vinculum ſanguinis Frater dives ſuccedit loco Aſcendentium in obligatione dandi alimenta, habebit & obligationem ſubminiſtrandæ dotis. Et de facto jura ſupra citata, quæ volunt Fratrem divitem debere alere Fratres, & Sorores pauperes, pariter volunt debere dotare; *Laym. cit., Boſſ. cit. n. 555.*

Quidam volunt fratrem divitem non teneri ad dotandam Sororem tantum uterinam, hoc eſt, ex eadem ſolum Matre genitam, quando tamen non eſſet hæres bonorum Matris; item nec teneri dotare Sororem naturalem, & illegitimam, ſed melius, meo videri, aſſeritur contrarium. Et quidem dubium non eſt, Fratrem teneri ad dotandam Sororem ſolum ex eadem Matre genitam; quando eſt hæres bonorum ipſius Matris, nam cum talibus bonis transferuntur etiam onera realia Matris; ac proinde quia Mater in defectu aliorum Aſcendentium teneretur dotare Filiam, idem onus habet, qui poſſidet illius bona. Tenetur etiam Frater eam dotare, quamvis non poſſideret aliqua bona ipſius Matris; nam, ut dictum eſt, cauſa dotis reputatur etiam magis favorabilis, quam ipſa alimenta, unde cum omnes conveniant in aſſerendo ex jure ſanguinis debere Fratrem Sororem alere, idem a fortiori aſſerendum ne dote: *Boſſ. c. 8. cit. §. 2.* & alii apud ipſam. Crederem tamen non eſſe commenſurandam dotem cum pingui patrimonio, quod forte frater haberet, ſed cum quantitate alimentorum, quæ ipſi deberet.

Eadem ratione convincitur debere dotare, & alere Sororem illegitimam; nam cum non minus quam legitimi uniatur vinculo ſanguinis cum Fratre, conſequi debet alimenta, adeoque & dotem, quæ ſuccedit loco alimentorum. Verum tamen eſt, dotem aſſignandam in ea quantitate, ut honeſte nubere poſſit juxta genus ſuum: unde valde minor dos eſt aſſignanda Sorori illegitimæ, quam legitimæ: *Surd. de alim. t. 1. q. 25. n. 33., Azor. p. 2. l. 2. c. 40. q. 7 Boſſ. cap. 8. §. 9. n 516.*

Q. III. Quæ ſint obligationes Sororum erga Fratres, & alias Sorores pauperes.

R. Cum obligatio, quæ oritur inter Fratres, & Sorores, naſcatur ex æquitate naturali, pietate, & ſanguinis conjunctione, ſequitur, eaſdem obligationes, quas habet Frater dives erga Fratres, & Sorores pauperes, habere Sororem divitem erga Fratres, & Sorores pauperes; adeoque obligationes Sororis divitis commenſurandas eadem ratione, ac obligationes fratris divitis, de quibus ſatis ſupra loquuti ſumus. Conſonat lex *ſi quis a liberis §. Utrum autem ff. de liber. agnoſc. Boſſ. nu. 502. Fag. l. 4. c. 6. n. 16.*

Q. IV. Quæ ſint obligationes Dominorum erga Famulos.

R. I. Domini tenentur curare, ut famuli a peccatis abſtineant, vel corrigantur, ſi in peccato prolapſi ſint. Ratio eſt, quia Domini ſunt Caput Famulorum, & gerunt vices Parentum; unde ſicut Parentes tenentur impedire peccata Filiorum, ipſoſque corrigere, ita & debent agere Domini reſpectu Famulorum. Hinc *Apoſtol.* 1. *ad Tim.* 5. ait, *Si quis ſuorum, maxime Domeſticorum, cu-*

ram

rem nos habet, infidelis eſt, & infideli deterior. Eam tamen moderationem ſervare debent Domini in corrigendis Famulis, ut ſi quando neceſſe ſit famulos, maxime adoleſcentes, verberare, id dumtaxat moderate faciant; ſicut etiam non debent in eos verba graviter injurioſa proferre, quamvis non dedeceat eos verbis quandoque injurioſis redarguere, quando hujuſmodi reputarentur neceſſaria ad ipſorum correctionem. Ita communiter DD.

Q. II. Dominus debet dare Famulo juſtum ſtipendium. Pro quo notandum, an ſtipendium fuerit determinatum, quando Dominus famulum conduxit, vel potius relictum fuerit arbitrio Domini. Si relictum fuerit arbitrio Domini, debet ita ab ipſo taxari, ut non ſit infra ſtipendium infimum, quod talibus famulis ſolet tribui. Neque obſtat famulum, reliquiſſe ipſum taxandum arbitrio Domini; nam cenſetur tantum voluiſſe, ut Dominus illud taxaret juxta regulas æquitatis, adeoque, ut ſaltem illud taxaret intra latitudinem juſti pretii *Lugo de juſt. d. 26. ſect. 3. Molin. diſp.* 506 Secus eſſet, ſi Famulus libere conſenſiſſet, ut etiam minori ſalario conduceretur: non intelligeretur tamen libere conſentire, quoties id faceret neceſſitate compulſus; & aliunde illius famulatus æquivaleret aliis inſervientibus in eodem miniſterio: *Fagund. l. 4. in Decal. c. 15. a. 31. Bonac. diſp. 3. de contr. q. 7. p. 4. n. 9.*

Si vero ſalarium ab initio fuerit taxatum, ſolvendum eſt prout fuit taxatum; ita & taliter, ut loco pecuniæ conventæ non poſſit Herus in aliis rebus ſolvere. Et in hoc maxima ut plurimum committitur injuſtitia a Dominis; nam aliæ res, quæ dantur loco pecuniæ, viliori pretio venduntur a Famulis, cæteriſque Operariis, & ita non leve damnum patiuntur, quod Domini tenentur compenſare. Ultraquamquod hujuſmodi injuſtitiæ ſolent a Deo etiam in hoc mundo puniri pluribus infortuniis temporalibus: *Navar. in Man. c. 17. n. 108. Bonac. cit. n. 15.*

Pariter advertendum, quod ſi famulus conductus fuerit ad tempus determinatum, puta ad annum, non poteſt expelli, antequam expleatur tale tempus; & ſi expellatur. non poteſt defraudari integro ſalario, veluti ſi per totum annum inſerviſſet, dum per ipſum non ſteterit quin integro anno inſerviret. Limita hanc doctrinam, primo ſi Famulus ſua culpa dederit cauſam expulſioni: Secundo, ſi cum ſtatim locaverit operam ſuam æquali pretio, nullum paſſus fuerit damnum: *Lugo de juſt. t. 2. d. 29. ſect. 3. Bonac. de contr. d. 3. q. 7. p. 4. n. 11.*

An Autem ſalarium debeatur famulo ægrotanti, explicabo dum agam de conductione, & locatione *cap. 3.*

Q. V. Quæ ſint obligationes Famulorum erga Dominos.

R. Famuli debent Dominis ſuis amorem, honorem & obedientiam. Ratio eſt, quia hæc omnia debemus Dominis, & Superioribus, qui gerunt vices Parentum. Hinc S. Petr. *ep. 1. c. 2.* vult Famulos debere obedire Dominis etiam improbis: *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modeſtiis, ſed etiam diſcolis.*

Dum autem Dominus præciperet famulis aliquid alias illicitum videndum primo, an aliquid præcipiat contra jus poſitivum Eccleſiæ, v. g. ne audiant Miſſam, aut laborent die feſto &c. In caſu, ſi magnum incommodum, ſeu grave damnum timerent, poſſent obedire, cum præcepta Eccleſiæ cum tanto incommodo non obligent: at deberent curare quamprimum talem famulatum deſerere, & Domino magis pio inſervire: *Azor. t. 2. l. 2. cap. 8. qu. 11. Trul. l. 4. c. 1. d. 5.* Si vero dominus imperet aliqua, quæ hic & nunc juxta diverſas circumſtantias deſerviant ad tranſgreſſionem legis Divinæ, & naturalis, tunc videnda ſunt quæ dixi *tr. 6. q. 3. c. 6. queſt. 4.*

Q. VI. An famuli poſſint ſe compenſare, dum judicant non ſibi a Dominis tribui ſtipendium ſuis laboribus conveniens,

R. Pro reſponſione advertendum Innoc. XI. ſub *n. 37.* ſequentem damnaſſe propoſitionem: *Famulis, & Famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.* Ratio autem condemnationis hujus propoſitionis eſt, quia cum non poſſit fieri compenſatio niſi creditum ſit certum, neque id poſſit determinari judicio ipſorum famulorum, ſequitur non eſſe concedendam eis compenſationem, eo quod judicent operas ſuas ſalario majores. Quod autem non poſſint Famuli recte circa hoc judicare patet; quia etiam partium famulatus habet latitudinem pretii ſummi, medii, & infimi, & intra iſtam latitudinem prætium ſemper eſt juſtum. Ad judicandum autem de iſta latitudine, videndum eſt, an alii contenti eſſent ſimili ſtipendio: an multi ſint, qui vellent operas ſuas locare; ex multitudine enim famulorum decreſcit pretium famulatus; an Dominus aliquando ſe occupet in faciendi aliquibus beneficiis famulis &c. His æqua lance penſatis poterit vir doctus, non autem famulus, determinare quale ſit juſtum pretium famulatus. Semper cum autem adſit aliqua ratio probabilis pro juſtitia pretii, nullatenus habere poteſt locum compenſatio: nec ex mera ratione probabili in contrarium Dominus deturbandus eſt a poſſeſſione ſuorum bonorum, cum jura velint ſaltem in dubio ſemper reputandam eſſe meliorem conditionis poſſidentis: *c. dilecta de verb. ſig. leg. peregre ſ. De acquir. poſſeſſ.* Et quidem ſi ex ratione probabili poſſet aliquis re ſua expoliari, dominia rerum eſſent incertiſſima, & nemo pacifice re ſua frueretur.

Non nego tamen aliquando poſſe habere locum compenſationem etiam in præſenti materia. Primo, quando famulus non gratis, ſed ex imperio Domini aliqua extraordinaria faciat Domino utilia, & aliunde non annexa famulatui; neque enim præſumitur famulus velle hujuſmodi gratis præſtare. Non deberet autem ſe famulus, compenſare, quando & Dominus ipſi beneficia non debita faceret, quæ compenſarent laborem extraordinarium famuli. Secundo, ſi famulus compelleretur vi & metu deſervire ſalario inæquali; & tunc poſſet ſe compenſare uſque ad ſtipendium juſtum medium. Siſtendo igitur in ſtipendio medio nullam facit injuriam Domino; nam, remoto tali metu, fortaſſe infimum, fortaſſe ſupremum ſtipendium adinveniſſet, unde, dum ſe compenſat, poteſt ſiſtere in medio. Tertio, ſi cogatur a propria miſeria, & neceſſitate famulari pretio minus infimo; nam qui facit aliquem contractum intelligitur ſaltem implicite conſentire in leges talis contractus, quamvis neceſſitate preſſus ab eis videatur recedere; unde cum leges contractus locantis operas ſuas ſint, ut ſaltem habent infimum pretium, in has leges etiam conſentit famulus, qui neceſſitate preſſus videtur locare operas ſuas pretio minori. Exemplicatur in eo, qui neceſſitate preſſus offerret uſuras mutuanti: neque enim tenetur eas ſolvere; cum id ſit contra leges contractus, quamvis contentus videretur eas ſolvere. Similiter qui neceſſitate preſſus vendit aliquid infra infimum pretium, poteſt ſibi compenſare uſque ad tale pretium, quia leges contractus venditionis fuerunt, ut pretium ſaltem ſit infimum. Ita pariter diſcurrendum in caſu noſtro: Semper tamen, ut ſupra innui, adnotare oportet, pretium infimum poſſe eſſe minus ſolo, ſi ſimus in circumſtantiis, quibus multi ſint qui quærant famulatum, vel ſe offerant; nam quando famuli ſe offerunt, & Dominus iis utitur non ex indigentia, ſed ex miſericordia erga eos, ſalarium valde infimum ipſis debetur, eo modo ſicut decreſcit pretium mercium ultronearum. Videantur ſcribentes in præfatam propoſitionem.

Quæri etiam hic ſolet, an famulus teneatur cuſtodire res Domini ſui; an teneatur ad reſtitutionem non cuſtodiendo &c. ſed melius hæc ad examen revocantur in Tractatu de 7. Decalogi præcepto.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Advertat Confeſſarius multoties graviter peccare fratres, dum ſolum propriam uxorem, & Filios alendo, nolunt, cum alias poſſint, ſuccurrere Fratrum, & Sororum indigentiæ. Cum igitur jure naturali, & poſitivo teneatur præſtare Fratribus, & Sororibus pauperibus ſufficientia alimenta ad honeſte vivendum juxta ſuum ſtatum; non ſolum tenentur illis ſubvenire in extrema, & gravi neceſſitate, in quibus etiam debent ſubvenire extraneis, ſed ſemper cum non habeant ex ſe ſufficientia alimenta juxta ſtatum. Idem dices de Sororibus divitibus reſpectu fratrum pauperum. Et quidem tanta eſt quoad has obligationes ignorantia, ut videantur paſſim fratres nil curare de ſororibus maxime extra ipſorum domus degentibus, & e contra multo minus putant ad eas dotandas teneri, quando ipſæ ſint pauperes; cum certum ſit ex jure naturali, & poſitivo hanc eos habere obligationem.

II. Advertat item Confeſſarius multoties graviter peccare Dominos, quibus ſatis eſt, ut famuli bene ſe gerant in famulatu, nullatenus poſtea curantis, an Chriſtiane vivant. Cum teneantur ſub lethali corrigere ipſorum vitia, debent curare, ne vivant inhoneſte; ne ſint

blaſphemi, vinoque dediti; ne nimis ludis addicti; & multo magis, vitioſo mulierum amore ardeant: & ſi non ſit ſpes emendationis, debent etiam e domo ejicere, cum pravo ſuo exemplo poſſint & aliis domeſticis graviter officere. *Ne patiantur*, ait S. Carolus Bortomæus in 3 Concil. Mediol. tit. de iis, quæ ad Matr. Sacram. pertin. *in familia eſſe quempiam, qui blaſphemus ſit, qui perjurus, qui corruptis moribus, qui obſcæne quidquam vel loquatur, vel agat, qui aleis ludat, qui denique cæteris turpis vitæ exemplum præbeat.*

Neque putet Confeſſarius iſtos Dominos ſatis tutos eſſe in conſcientia, ſi reſpondeant ſe nihil ſcire de pravis famulorum, ſamularumque moribus; nam utpote Superiores, non ſatisſaciunt ſuo muneri, ſi ſolum redarguant ſamulos, dum ipſorum vitia ad eos deferuntur, ſed ulterius debent ſuper eos invigilare, & convenientem adhibere diligentiam, ut de ipſorum moribus, & vitia certiorentur. Sed quis eſt Confeſſarins, qui de his Dominos, Dominaſque interroget? Quis eſt Confeſſarius, qui interroget Dominos, an ſoliciti ſint ut Famuli, & Famulæ, ſufficienter addiſcant Doctrinam Chriſtianam? &c.

III. Aliud grave peccatum non advertunt Confeſſarii a Dominis committi, quoties cogunt ſamulos contra ipſorum voluntatem in ipſorum perſiſtere ſamulatu. Utique velle poſſunt, ut non de repente diſcedant, & aliquo tempore expectent, quo poſſint ſibi providere. At quo jure poſſunt illi minitari, ſi diſcedant? Quo jure poſſunt impedire ne aliis ſamulentur, ſi illis nolint amplius famulari? Utique non ſunt ſervi, ſed famuli; ac proinde integram ſervant libertatem, cui maluerint inſerviendi. Quod ſi pro tempore determinato ſuum obligaſſent ſamulatum, tunc antea non poſſunt ſine juſta cauſa diſcedere. Hinc conſiderare debet Confeſſarius, Dominos cogentes ſamulos ſibi inſervire, multoties ad compenſandum damnum teneri, ſcilicet quando alibi majus ſalarium inveniſſent: & multo magis quando ex eo quod ab ipſorum famulatu diſceſſerint, impedirent aliis deſervire.

IV. Debet Confeſſarius monere Dominos eos ipſis licere gravibus injuriis ſamulos increpare; & multo magis non poſſe eos graviter verberare, cum id excedat poteſtatem œconomicam.

V. Cum famuli debeant exhibere Dominis amorem, honorem, & obedientiam, ſpecialiter peccabunt, ſi in his notabiliter deficiant; ut facere ſolent illi Famuli, quorum ſermo ordinarie verſatur in condemnandis, & irridendis Dominis, negligendo etiam ipſorum juſſa cum notabili detrimento pacis domeſticæ.

Superſedeo a ſtabiliendo regulas circa ſalarium, quod Domini debent Famulis tribuere, & famuli exigere a Dominis, cum id ſatis pateat ex dictis.

CAPUT V.

De obligationibus Parochorum erga ſuos Parochianos.

Q. I. AN Parochus teneantur reſidere in ſua Parochia.

R. De obligatione, quam habet Parochus reſidendi, de pœnis, quibus ſubjacet non reſidendo; & de cauſis, quæ a non reſidendo illum excuſant, loquutus ſum *qu. 1. de Beneficiis cap. 2.*

R. II. An Parochus teneatur per ſeipſum munera parochialia exercere.

R. Ex dictis loco ſupra citato *quæſ. 3.* Parochus tenetur per ſeipſum munera parochialia exercere. Non per hoc tamen nego poſſe Parochos habentes Capellanos ipſis munera magis ardua committere, ut noctu ire ad infirmos inſervire Eccleſiis filiabus diſtantibus, audire confeſſiones &c. At cum in electione Parochi eligatur, ut dictum eſt, induſtria perſonæ, non debet ſoli Capellano relinquere pondus diei, & æſtus, ſed & ipſe debet principalia munera Parochialia obire, adminiſtrare & ipſe debet Sacramenta maxime confeſſionis, ac denique nunquam debet recuſare ſuis ovibus præſto eſſe, ſi ſpecialiter ipſe ab eiſdem vocetur. Quod onus vero reſtitutionis quod habent Parochi non exercentes munera Parochialia, vide quæ dixi loco citato *quæſ. 5.*

Q. III. An Parochus etiam cum ſuæ vitæ periculo teneatur adminiſtrare Sacramenta conſtitutis in periculo mortis.

R. Affirmative reſpondendum eſt. Ratio eſt, quia, ſicut miles non poteſt ob periculum mortis ſe ſubducere a prælio, a ſtatione &c. quia ad hoc conductus eſt, adeoque ad id ex officio tenetur, ita propter idem periculum non poteſt Parochus relinquere ſuos Parochianos, cum tributum ſit illi Beneficium, ut ipſis adſiſtat non ſolum in extrema, ſed etiam in gravi neceſſitate. Quoad hoc plures habemus declarationes S. Congregationis, nam olque ab anno 1576. interrogata a S. Carolo Borromæo declaravit. Parochus debere tempore peſtis reſidere, quod item ob paritatem rationis intelligendum eſt de tempore belli, & hoſtilis incurſus, ne oves deſtituantur in tanto periculo auxilio ſui Paſtoris, contra illud Salvatoris *Jo. 10. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Inſuper declaravit tali tempore dumtaxat teneri ad adminiſtranda Sacramenta Baptiſmi & Penitentiæ. Quod ſi adſit alter idoneus, qui velit hujuſmodi vice Parochi præſtare, poterit Parochus ſe ſubducere ab adminiſtrandis Sacramentis perſonis infectis; ut ii, qui non laborant morbo contagioſo, ipſum non reformident; & ita poſſit cæteros Parochianos hortari, conſolari, ipſiſque Sacramenta adminiſtrate &c. Item ſi talis eſſet penuria Sacerdotum, ut mortuo Parocho alter non eſſet, qui poſſet adminiſtrare Sacramenta, tunc non teneretur ea adminſtrare; nam neceſſitas ſe conſervandi pro ſpirituali ſalute totius Communitatis prævalet ſaluti unius particulis. Videatur *Fagn. in cap. Clericos de Cler. non reſid. a num. 38.* alias referens declarationes S. Congregationis.

Interim tamen advertat Parochus, quod ſi æger contagioſus poſſit exire foras, debet curare, ut extra ædes egrediatur, ne ſe exponat periculo contagionis. Item curet, ut alte, & a longe, aliis recedentibus, fateatur ſua peccata. Quod ſi nolit alte ſua peccata confiteri, debet & prope accedere, habet enim Parochianus jus ſe confitendi, quamvis poſſit Parochus, uno, aut altero peccato audito, ipſum abſolvere. Moneo etiam Parochos, ne facile ſe ſubducunt ab audiendis confeſſionibus illorum, qui morbo contagioſo laborant, eo quia tales infirmi judicentur non eſſe in peccato mortali; nam habent jus hoc Sacramentum recipiendi, & ulterius valde difficile eſt ſcire, an aliquis ſit in gratia: *Barboſ. de offic. Paroch. p. 2. cap. 17. num. 22.* Quæ autem huculque dixi, bene intelligi poſſunt de Sacramentis neceſſariis neceſſitate ſalutis, qualia ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia. Ita etiam poteſt ſe habere Extrema Unctio, in caſu quo ægrotus aliis Sacramentis non potuerit juvari; nam tunc virtute Sacramenti ex attrito contritus fieri poteſt. Idem dici poteſt in aliquis circumſtantiis de Sacramento Euchariſtiæ.

Videat etiam Parochus adhibere omnes cautelas ſe præſervandi. Inter has valde utile reputatur, ut nunquam ſe conſtituat inter infectum, & ignem, vel feneſtram; nam halitus ab infecto exiens trahitur ad ignem, vel feneſtram, adeoque facile inficiet Confeſſarium. Optimum erit ſi interponat ignem, vel candelam inter ſe, & ægrum. Caveat etiam ſe ponere directe contra infirmum, ſed ad latus facile averſa. Multum etiam juvabit non accedere ad ægrotos contagioſos ſtomacho jejunio, & ſi potuerit veſci limonibus, aut eorum corticibus, experientia teſte, erit ſaluberrimum remedium. Apponat ad nares parum theriacæ, aut ſtrophiolum intinctum aceto, vel alio ſimili præſervativo. Nunquam deglutiat ſalivam, utpote quæ eſt vehiculum malignitatis, ſed ſemper exputat. Videat ſi in cubiculo ægri fieri poſſit aliquis fumus ſalutaris contra morbum. Advertat etiam, quantum fieri poteſt, ne tegumenta cubilis moveantur, ut ex ipſo non egrediatur aer, & halitus venenatus. Hæc adnotare breviter volui, ne Parochus remediis naturalibus deſtituatur. Cæterum oratione ſe Deo commendet, cui eſt cura de nobis, & magno animo ſpiritualibus neceſſitatibus ſuorum Parochorum præſto ſit.

Q. IV. Quando Parochus teneatur adminiſtrare Sacramentum Confeſſionis, & Euchariſtiæ ſuis Parochianis.

R. Parochus tenetur adminiſtrare Sacramentum Confeſſionis ſuis Parochianis, quoties id rationabiliter petunt: & ratio eſt evidens, nam ipſe ex officio tenetur ipſorum ſaluti conſulere, & curare ut proficiant in via Domini; unde habent jus expoſtulandi a Parocho Sacramentum Confeſſionis, cum eo mediante facilius abſtineamus a gravibus culpis, & proficiamus de virtute in virtutem. Quoties autem Parochianus vel ob neceſſitatem, vel ob utilitatem animæ ſuæ expoſtulat, confeſſionem, non poteſt negari rationabiliter petere, adeoque teneri Parochum ipſum audire. Non per hoc tamen ſtatim con-

de-

damnarem gravis culpæ illum Parochum, qui ſemel, & iterum negaret audiret Parochianum, dum tamen magna neceſſitas non urgeat, illos præſertim, qui nimis frequenter, & importune petunt confiteri: *Barboſ. de offic. & poteſt. Par. p. 2. c. 19. num. 8.*

Quod dictum eſt de Sacramento Confeſſionis, aptari poteſt Sacramento Euchariſtiæ.

Q. V. An Parochus teneatur pro ſuis ovibus Miſſam applicare.

R. Hac de re vide quæ dicam in Tractatu de Sacrificio Miſſæ.

Q. VI. An Parochus teneatur ad ſuum populum conciones habere, & quomodo peccet illas omittendo.

R. I. Parochus tenetur conciones ad Populum habere, & Cathechiſmum explicare. Quoad conciones ita ipſum admonet Tridentinum, *ſeſſ. 5. de reform. cap. 2. Paſcat ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oportet, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem Gloriam conſequi valeant.* His verbis admonetur non debere habere ad ſuos populos conciones oratorias: parum enim ſolent prodeſſe, ſed ſe aptare audientium captui, ita ut facile intelligant quæ eis proponuntur pro vitandis vitiis, & vita Chriſtiana inſtituenda. Videat etiam Parochus ut opere compleat quod verbis prædicat; nam ut dicitur *cap. multi d. 40. Bene vivendo, & bona docendo populum inſtruit, quomodo debeat vivere; bene autem docendo, & male vivendo Deum inſtruit, quomodo debeat illum condemnare.*

R. II. Trid. *ſeſſ. 24. c. 4. de reform.* vult Parochos non impeditos debere concionari ſaltem omnibus Dominicis, & ſolemnibus diebus feſtis. Hoc poſito, illum ſolummodo excuſarem a gravi culpa, qui dumtaxat duodecimam partem concionum omitteret; nam hæc ſola videtur dici poſſe materia levis. Addit Trid. deſiere concionari quotidie tempore Quadrageſimæ, & Adventus, vel ſaltem tribus diebus in hebdomada, *ſi ita opportune duxerit.* Eſt autem lis an peccet mortaliter Parochus non impeditus, ſi fere nunquam per ſeipſum concionetur.

Ego tamen conſiderans teneri Parochum munera parochialia etiam per ſeipſum exercere, & inter hæc munera non infimum habere locum concionari, non video quomodo excuſandus eſſet ille Parochus, qui fere ſemper per Coadjutorem concionaretur: *Barboſ. de offic. Par. part. 1. c. 1. n. 9.*

Q. VII. An Parochi teneantur docere Doctrinam Chriſtianam; & quomodo huic muneri debeant ſatisfacere.

R. I. Cum Parochi, utpote ſpirituales Paſtores, teneantur ex officio paſcere ſuum gregem, utique ipſi ſubtrahere non poſſunt paſcua Doctrinæ Chriſtianæ, ſine quibus omnino compertum eſt ſuas oves perituras.

R. II. Ut rite ſatisfaciant hic muneri Parochi tenentur ſæpe admonere Parentes, Propinquos, Tutores, aliosque omnes, quorum curæ ſunt pueri commendati, ut illos mittant ad Parochiam omnibus diebus, quibus Doctrina Chriſtiana explicatur. Nec deſint eos admonere quam graviter ſint peccaturi, quoties huic obligationi non ſatisfaciant. Secundo, debent Parochi adhibere omnem diligentiam, ut ſe puerorum capacitati accommodent. Tertio, debent facere quantum poſſunt, ut etiam adulti, maxime rudes, Doctrinæ Chriſtianæ explicationi interſint; nam experientia conſtat hujuſmodi perſonas, quo ætatis provectioris, eo majori ignorantia laborare. Hinc ſuaderem Parochis maxime ruralibus, ut inter celebrationem Miſſæ dum concionantur, ſemper aliqua admiſceant ex iis, quæ pertinent ad Doctrinam Chriſtianam; nam cum omnes cogantur ipſius Miſſæ intereſſe, non poterunt non audire, quæ forte obliti ſunt. Optime etiam ſe geret, ſi aliquando, antequam excipiat ipſorum confeſſiones, de iis, quæ magis neceſſe eſt circa Doctrinam Chriſtianam, interroget; nam ita fiet, ut diligentiores ſint in ea addiſcenda.

Q. VIII. An ſpecialem diligentiam adhibere debeant Parochus circa inſtruendos rudiores, vel illos qui non facile poſſunt diebus feſtis Eccleſiam adire.

R. Ego omnino credo debere eos ſpecialiori diligentia inſtruere, quoties neſciant principaliora noſtræ Fidei Myſteria, & ea quæ neceſſaria ſunt ad rite recipienda Sacramenta. Ratio apud me evidens eſt, quia nemo poteſt negare maxime Paſtorum etiam cum ſuo gravi incommodo teneri ſuccurrere ſuo Proximo in gravi ſpirituali neceſſitate poſito, & nemo poteſt negare præfatos in gravi ſpirituali neceſſitati verſari. Videatur *S. Th. 2. 2. q. 26. a. 5. ad 3. & q. 185. a. 5.* Quomodo ergo poterit ſe eximere ab obligatione eos particulari inſtructione edocendi, & aliquando etiam ad illorum domos pergendi? Fortaſſe ne hoc eſt onus Paſtori intolerabile, quando tam aſpera tolerat paſtor temporalis, ne ipſius oves a lupis dilanientur?

Q. IX. Quæ ſint obligationes Parochianorum erga ſuos Parochos.

R. I. Ultra amorem, honorem, & obedientiam, debent Parochiani ſubminiſtrare ſuis Parochis, qui neceſſaria ſunt ad ipſorum honeſtam ſubſtentationem. Quod debeant eis honorem, amorem, & obedientiam patet ex ſæpe dictis, nam hujuſmodi debentur omnibus Superioribus. Speciali autem ratione debent Parochis honorem; nam cum nomine Chriſti præſint, & habeant characterem ſacerdotalem, debent in ipſorum perſonis ipſum Chriſtum intueri; unde injurias Sacerdotibus factas ſibimet Chriſtus attribuit, dum *Luc. 10.* ait: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Non deberent ergo Parochiani attendere, an vita Parochi ipſius Dignitati correſpondeat, quod tamen omnino attendere debet ipſe Parochus; ſed qualis ſit Parochorum dignitas, & quæ repræſentent.

R. II. Ubi Parochis non fuerit aſſignatum quantum ſufficiens eſt ad decentem ſuſtentationem, ex hoc titulo illis ſolvendæ ſunt Decimæ. Iſtæ autem illis primo debentur jure naturali divino; nam ultraquamquod dictet jus naturæ ſuſtentandos Miniſtros, qui nobis conferunt ſpiritualia, id etiam divino jure præcipitur *1. ad Tim. 5. & ad Cor. 9.* Et quidem, ut obſervat *S. Th. 2. 2. q. 87. art. 1.* æquum erat ut populus Novæ legis, non minus ſuis Miniſtris tribueret, quam ſub Veteri Teſtamento. Porro hæ Decimæ aliæ dicuntur prædiales, & detrahuntur ex fructibus agrorum, montium, arborum &c. Aliæ mixtæ quæ detrahuntur ex fructibus prædiorum, qui tamen non colliguntur ſine induſtria perſonæ; & inter has computantur fructus provenientes ex animalibus, quia non habentur ſine induſtria Perſonæ, quæ alat, & conſervat animalia Ex his autem fructibus ſolvendas eſſe Decimas etiam antequam detrahantur penſiones, & tributa habetur *in cap. cum non ſit, cap. Tua nobis, cap. Paſtoralis de Decim.* Olim ſolvebantur Decimæ etiam ex fructibus perſonalibus, ut negociatione &c. *cap. Tranſmiſſa, cap. non eſt de Decim.* ſed puto fere ubique conſuetudine, aut præſcriptione ſublatam eſſe hanc obligationem.

Omnes vero tenentur ad Decimas ſolvendas, exceptis Religioſis, qui habent privilegium, eos liberans ab hoc onere, & Clericis quoad bona Eccleſiaſtica: *S. Th. 2. 2. q. 87. art. 4.* Ceterum tenentur ſolvere Decimas de quibuſcumque aliis bonis, quamvis ad eorum titulum fuerint ordinati: *Barboſ. l. 3. Jur. Eccl. c. 26. ſ. 3. n. 10.* Pauperes conſtituti in eytrema neceſſitate, nec tunc nec poſtea tenentur ſolvere Decimas, quia in tali neceſſitate omnia ſunt communia. Si vero conſtituti ſint in gravi neceſſitate, poſſunt differre earum ſolutionem: *Suar. t. 1. de relig. tr. 2. l. 1. c. 16. n. 17.* Olim dabatur præceptum tribuendi Parocho etiam Primitias, nempe primus fructus: *can. Decimas 16. q. 7.* at contraria conſuetudine ceſſavit.

Nulla autem eſt obligatio faciendi Parocho aliquas oblationes, cum de ſua natura debeant eſſe voluntariæ: *D. Th. 4 2. q. 86. art. 1.* Si vero tempore ad præſcriptionem neceſſario factæ fuerint illi aliquæ oblationes; eo quia hæ reputabantur ex obligatione faciendæ, conſurgit in Parocho jus ut non omittantur. Si vero diu continuatæ fuerunt ex pura devotione ſine animo ſe obligandi, nulla inducitur obligatio eas continuandi: *Barb. lib. 3. Jur. Eccl. c. 23. n. 11. Azor. l. 5. c. 18. q. Leſſ. l. 2. c. 39. d. 6. n. 34.* Tenerentur tamen populi ſubminiſtrare Parocho non habenti unde congrue ſuſtentetur, quando tamen ipſi non ſint pauperes; vel cum, quæ aſſignata fuerunt pro Parocho non fuerint aliorum culpa diſtracta; *Barboſ. c. 23. num. 11. Suar. t. 1. relig. tr. 2. l. 1. c. 5. a num. 7.* In his caſibus debet Epiſcopus Parocho providere, vel ipſe ſe alere aliqua arte decenti: *can. Clericus victum & ſeqq. d. 91. & Trid. ſeſſ. 21. c. 7. & 8. de refor. & ſeſſ. 24. c. 15.*

Oblationes factæ abſolute Eccleſiis, & non ad ornatum, pertinent ad Parochum: *Barboſ. cit. n. 5.* Quas vero offeruntur ad ornatum Altaris, & Imaginis non ſunt in uſum diverſum inſumenda; ac hujuſmodi oblationum Parochus eſt merus Executor: *Ricc. in prax. decis. 170. Barb. n. 30.* Ad ipſum etiam pertinet adminiſtrare oblationes factas Imagini depictæ in pariete

Do-

Domus ſui Parochiani , ni aliud conſtet de intentione offerentis : *Barboſ. n. 29. Azor. p. p. l. 7. c. 38. q. 13. Trull. l. 3. c. 3. d. 3. n. 7.*

Regulæ in praxi Obſervandæ.

I. Cum tam rigoroſe loquantur plures Theologi, & Canoniſtæ circa Parochorum reſidentiam, advertere debet Confeſſarius Parochi, ne ipſi nihis indulgeat quoad abſentiam a Parochia. & forti animo illi negare debet abſolutionem , ſi frequenter ſine neceſſitate abſit per aliquos dies ; & multo magis ſi eſſet ex illis Parochis ſuburbanis, qui contenti die feſto adſiſtere propriæ Eccleſiæ , cæteris diebus morantur in Civitate . Contra hos Parochos adſunt etiam Decreta S. Congregationis in una Fulginatenſ. 10. Maii 1687. apud Monacellum *in Formular. Legal. pract. tit. 16. form. 2. n. 2.*

II. Cum Parochus debeat etiam per ſe ipſum exercere munera ſui officii, adeoque Paſtoris , & Doctoris , Judicis, Medici, & Conſiliarii , debet citra paſſionem animadvertere, an præditus ſit prudentia, & ſcientia ſufficiente ad hujuſmodi præſtanda ; & ſi conſcientia ipſi dictat ſe hujuſmodi dotibus carere, eſt in ſtatu peccati mortalis, ſi Beneficium non derelinquat; unuſquiſque enim tenetur vel non aſſumere , vel derelinquere Officium, quod non poteſt , uti par eſt, adminiſtrare. Cum nihilominus quandoque adinveniantur Parochi non valentes, vel nolentes rite curam Animarum adminiſtrare , non videmus eſſe Confeſſarios qui illis denegent abſolutionem, ſi Parochiani non dimittant.

III. Advertat Confeſſarius facillime carere ſcientia ſufficiente illos Parochos , qui poſtquam adepti ſunt Beneficium , fere nunquam Theologiæ Morali ſtuduerunt, cum non difficiliter obliviſcamur earum rerum , quas aliquando didicimus. Ultraquamquod tanta complectitur Theologia Moralis , & tam varias reſolutiones, & decreta S. Congregationis, ut ſine aſſidua diligentia in ſtudendo, difficile ſit non errare.

IV. Cum tanta ſit obligatio Parochi in adminiſtrandis Sacramentis, & aſſiſtendo Moribundus, ut non valeat ſe ab hoc onere eximere etiam tempore peſtis, merito admonentur Parochi , ut non putent ſe ſuo muneri ſatisfeciſſe, ſi omnino deſerant moribundos , poſtquam illis adminiſtraverunt Sacramenta. Scimus eo majus eſſe ſalutis diſcrimen, quo vicinior eſt mors ob Dæmonis inſidias, & ob ægritudinis moleſtias. Debet ergo ex vi proprii officii Parochus moribundus frequenter inviſere, cum teneatur ipſorum ſaluti providere . Inſuper nimis frequenter evenit Moribundus velle iterum confiteri; unde ſi Parochus illos deſerat , deficiet graviter in ſuo officio , cum teneatur illos audire toties, quoties petunt confeſſionem : quin immo optimum eſt, ut quo vicinior eſt mors, denuo illos excitent ad novum dolorem ſuorum peccatorum , & ad abſolutionem iterum recipiendam. Scio non deeſſe, qui doceant non graviter peccare Parochum, qui non adſiſtit Moribundo, quem Sacramentis communivit, & quem bene diſpoſitum reliquit. Sed ego ſolummodo peterem , an verum ſit mortis tempore Diabolum nil non intentare, ut infelix Moribundo in peccato decedat? Iterum poſtea peterem, an ex tot gravibus Diaboli tentationibus poſſit infelix Moribundus in gravi periculo verſari , cum communiter ita vita inſtituatur, ut exigua virtus ſit ad reſiſtendum? Denique peterem, an ſub gravi teneatur Parochus opitulari Moribundo, quem poteſt credere gravem luctam cum Diabolo habere?

V. Videat Parochi Confeſſarius, an ſegnis ſit in habenda cura puerum, & miſerabilium perſonarum, quas illi vult commendatas Trid. *ſeſſ. 23 de reformat. c.* 1. An ſegnis ſit in componendis diſcordiis inter Parochianos: an curet de removendis iis , qui nolunt emendari ; nam pravo exemplo, & ſuaſionibus ſolent & alios ad malum pertrahere. Si hæc & ſimilia non præſtet, graviter deficere poteſt in munere Paſtoris, & Patris, Medicive ſpiritualis.

VI. Conſtans ſit Confeſſarius in negands abſolutione illi Parocho, qui ſua obſtinatione, continuis litibus, & aſpero agendi modo moleſtum ſe præbet ſuis Parochianis. Et quare? Non alia ratione, niſi quis ita operando, ut experientia conſtat, quam maxima ſequuntur ſcandala, ac retrahantur Parochiani a percipiendis ab eo Sacramentis: & quo corde , dum ſint moribundi , Parochum ſibi exoſum conſpicient ? Conſueta illorum Parochorum excuſatio eſt, ſe debere propria jura ſuſtinere. At in ſui defenſionem perperam adducunt: nam, eadem experientia teſte, Parochi mites, & ſeſe humanos ſuis Parochianis oſtendentes , non ſolum obtinent quæ ſibi jure debentur, ſed etiam quæ ſupererogationis ſunt; non ergo aſperitas in agendo eſt modus conveniens; quo Parochus , qui Paſtor , & Pater eſt , ea , quæ ſibi debentur, obtineat. Quod ſi aliquis Parochus Populum tam habeat efferatum, ut nec obtinere poſſit quæ claro jure illi ſunt debita , tunc apud Judicem petere poteſt, ſed interim ſe benignum oſtendat , & Parochianos amicabilibus verbis alloquatur, ut cognoſcere poſſint non ex ira ſe movere , ſed ne deſerat ſuæ Eccleſiæ jura. Meminerit denique non minus S. Canones improbare Laicorum ingratitudinem , qui obſervare nolunt laudabiles conſuetudines, quibus Parochi ſuſtentantur, quam Sacerdotum avaritiam , dum nimia aviditate a Laicis pecunias extorquent : *cap. ad Apoſtolicum de Simon.*

VII. Nimis errat Parochus, ſi putet ſatisfeciſſe ſuo officio, quoties Cathechiſmum explicavit in Eccleſia iis, qui ibi conveniunt. Debet ulterius magnam adhibere diligentiam , ut ibi omnes conveniant, qui neceſſe habeot erudiri. Præterea, ſi aliqui impediantur, eo quod vel debent cuſtodire domum, vel pecora , tenetur privatim illos convenire, ut eos erudiat, & inſtruat , ut ſupra demonſtravi.

VIII. Redarguat graviter Confeſſarius illos Parochos, qui compotationibus cum Parochianis, nimia in loquendo non omnino honeſte libertate, ſive alio vitio præbent ſcandalum Populis : Serio moneat parare ſimpliciores ſe recte gerere, quoties ſe Parocho conformant, & inſuper nullam habiturum authoritatem in ſuis concionibus, quoties vita ſit diſſona verbis. Qua fronte poterit etiam Parochianos errantes arguere, ut ex officio tenetur, ſi iiſdem laboret vitiis, quæ in aliis reprehendit? Iterum quæſo videantur quæ dixi *tract. 5. q. 1 c. 3.* ejuſque regulæ.

Quando eveniet aliquos ex meis Auditoribus ad Parochi officium aſſumi , ipſos in Domino etiam atque etiam obteſtor, ut omni cum applicatione legant Barboſam *de officio Parochi*, & præcipue *cap. 3.* cujus titulus eſt: *De gravitate formidandi oneris, quod Parochorum humeris imponitur, dum illis Animarum cura committitur:* ſicut etiam *cap. 6. De vita, & honeſtate Parochorum.* Habeant etiam frequenter præ manibus Opuſculum P. Pauli Segneri, cujus titulus *il Paroco Iſtruito.*

Solent etiam hic Theologi agere de obligationibus Præceptorum, & Diſcipulorum; ſed ab ipſarum longiori tractatu duxi abſtinere , cum facile ſit ex dictis in explicatione hujus præcepti obligationes Diſcipulorum reducere ad honorem, obedientiam, & reverentiam Pædagogis in iis, in quibus illis ſubduntur. His adde obligationem ipſis perſolvendi debitum ſtipendium . E converſo Magiſtri, ſeu Pædagogi obligationes ſunt corrigere vitia Diſcipulorum , ipſis non eſſe malo exemplo, excludere a ſcholis eos, qui pravis moribus poſſunt aliis officere , ac demum profectum in literis ſedulo promovere.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS XI.

DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

QUintum Decalogi Præceptum *Exod.* 20. ſequentibus verbis explicatur; *Non occides*. Hoc crimen ita grave, ac noxium eſt, ut Deus *Geneſ.* 9. *&* *Exod.* 21. voluerit homicidas morte puniendos. Etiam Eccleſia; ut homines ab hoc delicto abſterreret, voluit homicidas addici perpetuæ penitentiæ; & quamvis poſtea mitius cum iiſdem egerit, nihilominus voluit ipſorum penitentiam ad multos annos protrahendam, quæ omnia conſtant *ex can.* 22. *Conc.* Ancyrani, ex Epiſtolis Canonicis SS. Baſilii, & Gregorii Nazianzeni, & ex decretis Zachariæ, & Alexandri II. Summorum PP. Hujus criminis gravitatem Concilii Tridentini Catechiſmus ita loquitur: *Sunt Homicidæ humani generis, atque adeo naturæ hoſtes acerbiſſimi, qui quantum in eis eſt, univerſum Dei opus evertunt, cum hominem tollant, cujus cauſa is, omnia, quæcumque procreata ſunt, ſe feciſſe teſtatur. Immo vero in Geneſi cum prohibitum ſit hominem occidi, quia illum Deus ad imaginem ſuam & ſimilitudinem creavit, inſignem Deo injuriam facit, & quaſi violentas illi manus afferre videtur, qui ejus imaginem e medio tollit*. Hoc etiam præcepto quæcunque corporis læſio prohibetur, nam hæc eſt medium, quo committitur homicidium.

QUÆSTIO UNICA.

De Homicidio.

CAPUT I.

De Homicidio, ejuſque Diviſione; & de homicidio & mutilatione ſui ipſius; ſicutetiam de homicidio Malefactoris.

Q. I. QUid ſit homicidium, & quotuplex.

R. I. Homicidium dici poteſt *Violenta examinatio, ſeu occiſio hominis facta ab homine*: *arg. can. ſi homicidium* 4. *cauſ.* 23. *qu.* 5. Hæc definitio non indiget explicatione.

R. II. Multipliciter dividitur homicidium, ſed ego quampluribus omiſſis diviſionibus in præſenti non neceſſariis, aliquas tantum adducam. Homicidiom aliud voluntarium, aliud caſuale. Illud dicitur homicidium voluntarium, quod vere eſt volitum. Poteſt autem quis *directe* mortem alterius velle, ut ſi quis explodat ſclopetum ad aliquem occidendum; & *indirecte*, ut dum quis non intendens mortem, ipſius tamen cauſam voluntarie ponit: ſicuti evenerit quando quis pedibus calcaret prægnantem, ex quo abortus ſequeretur. Homicidium caſuale proprie dicitur illud, quod omnino accidit præter intentionem, & appoſita eſt ſufficiens diligentia ad eom præcavendum. Nihilominus ex dictis de Irregularitate ex homicidio proveniente, illud etiam dicitur homicidium caſuale, quod evenit ex propria culpa, ſi eveniat præter intentionem operantis; & in hac acceptione aliquando confundi poteſt cum homicidio indirecte voluntario.

Item homicidium aliud eſt deliberatum, ſeu præmeditatum, aliud non præmeditatum, nec conſideratum. In præſenti pro homicidio non præmeditato, nec conſideratur intelligitur quidem homicidium advertenter factum, ſed in calore rixe, & animo ira effervescente. Pro homicidio vero deliberato, & præmeditato intelligitur homicidium factum plena animi deliberatione extra rixam, & jam ſedato iracundiæ motu. Hæc obiter placuit adnotare, ut cognoſcatur quale ſit homicidium deliberatum, & præmeditatum; quod ex noviſſima Benedicti XIII. Conſtitutione immonitate non gaudet.

Q. II. An liceat aliquando ſeipſum occidere.

R. I. Nunquam licitum eſt ſeipſum occidere. Iſtam veritatem definitam habemus *cap. tu dixiſti cap. non eſt* 23. *q.* 5. *& cap. placuit ibid.* Ratio autem eſt, quia directe ſe occidere nil aliud, quam facere actionem immediate, & directe ordinatam ad ſibi vitam auferendam, hoc autem ſemper eſt illicitum, nam ſolus Deus eſt Dominos noſtræ vitæ; unde ſicut injuſte ageret contra Dominum, qui Servum ejus occideret, quia injiceret manus in id, quod eſt alterium, ita peſſime ageret qui ſeipſum occideret: deſtrueret enim id, quod ſolius Dei eſt, & non ſub noſtro dominio. Hinc *Deuter.* 32. dicit Deus: *Ego occidam, & ego vivere faciam. & Sap.* 16. dicitur: *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem*. Addit *S. Th.* 2. 2. *p.* 64. *a.* 5. cujus eſt allata ratio, occidentem ſeipſum peccare, quia agit contra inclinationem naturalem rationalem, quam habet homo conſervandi ſuam vitam; & quia cum ſit pars Reipublicæ, jam utpote pars pertinet ad totum, adeoque injuſte operatur, ſi propria authoritate privet Rempublicam aliqua ſua parte.

Neque obſtat plures probatæ Sanctitatis ſibi mortem intuliſſe, ut dicitur de S. Apollonia, quæ ſeipſam projecit in rogum; nam communiter reſpondetur id feciſſe Spiritus S. inſpiratione, qui eſt Dominus noſtræ vitæ; & hoc modo *S. Th.* 2. 2. *q.* 64. *a.* 5. *ad* 4. & S. Auguſtinus *de Civitate Dei lib.* 1. *cap.* 21. excuſant Samſonem, qui una cum hoſtibus ruina domus ſe oppreſſit. Dici etiam poteſt illos potuiſſe invincibiliter ignorare id eſſe peccatum; quamvis enim difficile ſit dari ignorantiam invincibilem de præceptis Decalogi unde ſumptis, bene tamen poterit dari talis ignorantia, ſi conſiderentur ut veſtita aliqua circumſtantia. Ita difficillime quis ignorabit non eſſe peccatum occidere ſeipſum; at bene poterit aliquis id inculpabiliter ignorare, quoties deberet occidere ſeipſum ob ſervandam e.g. pudicitiam, ob vitandam magnam Infamiam &c.

Dices licere ſibi, & aliis optare mortem v.g. ad peccata Præcavenda; ad dandam Deo Gloriam, ut ſequitur in martyrio; ut ceſſet quis nocere bono publico, Innocenti &c. cur ergo & non poterimus exequi id, quod licite poſſumus optare?

Huic replicæ reſpondendum, quod dum nobis optamus mortem ad peccata præcavenda, ad martyrium ſubeundum &c. illam optamus quatenus nobis bona eſt, non autem quatenus a nobis ipſis eſſet inferenda, ſub qua ratione illam optare eſſet peccatum. Item dum aliis optamus infirmitatem, vel mortem, ut ceſſent nocere bono publico, Innocentibus &c. hujuſmodi optamus ut inferenda vel a Deo, vel a publica Poteſtate, quo pacto hujuſmodi optare eſt licitum.

Q. III. An aliquando liceat concurrere ad mortem negative, hoc eſt, non utendo mediis, quibus poſſemus vitam conſervare.

R. Non tenemur uti mediis extraordinariis ad vitam tuendam; bene vero mediis ordinariis, quamvis & hæc poſſimus omittere ob aliquod motivum virtutis. Quod non teneamur uti mediis extraordinariis, bene vero ordinariis, exinde probatur, quia unuſquiſque tenetur ſervare vitam, uti non videatur ſe negligenter gerere in ipſius conſervatione, nemo autem reputatur ſe negli-

ge-

Digitized by Google

genter gerere, ſi utatur iis omnibus, quæ ordinarie ſunt in uſu in aliqua re peragenda, non vero ſi extraordinaria omittat. Tenetur conſequenter quis uti ordinariis remediis, ſi poteſt, in gravibus infirmitatibus, non vero extraordinariis, & valde pretioſis, ſicut etiam valde doloriferis, ſeu magnam afferentibus erubeſcentiam: *Sanch. l. 5. Conſ. c. 1. d. 23. Leſſ. l. 4. c. 3. d. 8. n. 60.*

Poſſunt autem & media ordinaria omitti ax motivo virtutis, v. g. permittere ſui occiſionem, ne occidendo injuſtum invaſorem, iſte moriatur in ſtatu peccati mortalis. Poteſt quis ex motivo Charitatis alteri dare panem ſibi neceſſarium ad vitam conſervandam; nam bonum virtutis eſt bonum majus eadem vita, ut recte docet *S. Th. in 4. diſt. 38. qu. 2. a. 4. qu. 1. ad 3.* Hinc recta reputatur Conſtitutio Carthuſianorum, qua prohibentur veſci carnibus etiam in graviſſimis infirmitatibus; nam bonum commune, ne detur nempe locus relaxationibus, & ſplendor talis Religionis ob tam rigidam abſtinentiam a carne, præponderant bono vitæ naturalis, quidquid dicant in contrarium nonnulli Theologi. Præterea dici poteſt ſervare vitam veſcendo carnibus eſſe medium valde extraordinarium reſpectu Carthuſiani, adeoque ſaltem non teneri illius veſci pro vita conſervanda: *Trull. l. 5. in Decal. c. 3. d. 3. n. 3. Lugo de juſt. diſp.* 10. *n.* 35.

Q. IV. An liceat poſitive facere aliquid; ex quo prævidetur ſecundario mors ſequutura.

R. Id omnino eſt licitum, ſi juſta cauſa interveniat. In tali caſu id omnino licere probatur, quia tunc intervenit juſta cauſa, quando ſe offert bonum aſſequendum, præſtabilius ipſa vita; in tali ergo caſu poterit quia ex amore erga tale bonum valle ipſum aſſequi, & permittere ut ipſa vita ſecundario periclitetur, ſive etiam pereat: atque tunc non intelligitur agere ex intentione perdendi vitam, quod ſemper illicitum eſt, ſed ex amore boni excellentioris. Semper cum igitur interveniat bonum virtutis, ſeu bonum publicum, licitum erit aliquid agere, ex quo ſecundario prævideatur mors ſequutura. Immo aliquando ad id aliquis tenebitur, ſi ſe obligavit ex virtute juſtitiæ; ut evenit reſpectu Militum, qui ſe obligaverunt ex pacto ad non deſerendam ſtationem; reſpectu Epiſcopi, & Parochi, qui ex eadem juſtitia tenentur adminiſtrate Sacramenta neceſſitatis etiam cum periculo vitæ, ut alias dictum eſt. Tenetur etiam unuſquiſque eamdem vitam periculo exponere, dum id neceſſarium eſt pro bono communi, & dum ſalus ſpiritualis proximi eſt in extremo periculo. ut dixi *Tr. 6. q. 3. c. 2. qu. 3,*

Exceptis his caſibus poterit quis ob bonum virtutis ſuam vitam periculo etiam evidenti exponere, ſed non tenebitur. Sic poterit quis ob motivum Charitatis dare alteri naufraganti tabulam, qua ſuam vitam tuebatur, exponere periculo ſuam vitam, ut tueatur vitam Patris, Principis, Amici &c. nam bonum virtutum, ſcilicet pietatis, obſervantiæ, amicitiæ &c. præcellentius eſt vita noſtra; unde ex intentione illud aſſequendi, licitum erit illam cuicumque periculo exponere: *Trull. cit. d. 2. n. 2., Lugo cit. n. 37. & 48.*

Solet hic eſſe non parvulis inter Theologos, an liceat militibua in bello navali igne navem, & ſeipſos abſumere, ne incidant in manus inimicorum, quando nulla eſſet ſpes ab illia evadendi. Ego autem adimitterem probabilem aſſe ſententiam affirmativam, quoties id ſuaderet aliquod bonum ipſa vita præcellentius: ut ſi e.g. incendendo navem, auferrentur hoſti plurimæ divitiæ. quibus eſſet onuſta, adeoque expoſceret bonum commune, ut hoſtis eiſdem non potiretur: vel ſi ex incendio navis ingens damnum etiam hoſtibus inferretur, & ita Patriæ magnum afferretur ſubſidium &c. In his & ſimilibus caſibua, cum milites incedentes navim intelligerent aſſequi bonum ipſa vita excellentius, non vero operarentur ex directa intentione ipſam perdendi, arbitrarer non peccare: *Fag. l. 5. in Decal. c. 11. n. 6. Leſſ. l. 2. c. 39. n. 34. Tamb. l. 6. in Decal. cap. 2. §. 2. num. 8. Anton. a Sp. S. diſp. 3. n. 63.*

Q. V. An ſit licita mutilatio alicujus membri.

R. Extra caſum neceſſitatis non eſt licita mutilatio alicujus membri, bene vero in caſu neceſſitatis. Id non licere extra caſum neceſſitatis probat *S. Th. 2. 2. qu. 65. art. 1.* quia homa non eſt Dominus ſuorum membrorum, ſed adminiſtrator; unde quando nulla eſſet neceſſitas ea amputandi, male ſe gereret in adminiſtratione membrorum, quæ ipſi Dominus tradidit, ſi abſcinderet, vel permitteret abſcindi. In caſu vero neceſſitatis, quando ſcilicet amputatio membri eſt neceſſaria ad conſervationem totius; id erit licitum; nam membrum eſt propter totum, eſt enim pars totius, unde propter ſalutem totius, licitum erit ipſum abſcindere.

An vero non ſolum ſit licitum, ſed etiam, an quis teneatur abſcindere, ſed permittere abſcindi membrum putridum, ex quo immineat infectio totius corporis, reſpondendum eſt cum diſtinctione. Si ex abſciſſione non ſint futuri dolores ingentes, ſed moderati, tunc tenetur pati obſciſſionem; nam unuſquiſque tenetur mediis ordinariis vitam conſervare, & medium ordinarium eſt aliquid pati pro eadem vitam conſervanda. Si vero infirmus pati deberet ingentes, tunc liberum illi eſſet potius mortem eligere: nam non poteſt eſſe ſub præcepto electio mediorem, quæ ſint extraordinaria & horrenda ad vitam conſervandam. Secus eſſet, ſi talis perſona eſſet valde utilis, & neceſſaria bono publico, nam tunc aliud ſuaderet ratio publici boni: *Trull. l. 5. c. 3. d. 4. n. 5. Tambur. cit. §. 3. n. 3. Anton. cit. n. 66.*

Q. VI. An dum periculum imminet ab extrinſeco, liceat ad vitam conſervandam membrum ſanum abſcindere; & quid ſi id fiat ad vitandum peccatum.

R. I. Licet abſcindere membrum ſanum ob conſervationum totius, & ita poteſt quis abſcindere manum, qua vinctus detinebatur, ad ſalvandam vitam, dum Tyrannus minitaretur mortem. Ratio eſt quia bonum totius ſemper præferendum eſt bono particulari partis; & ita etiam Charitas, quam habemus erga nos ipſos, plus diligit totum, quam partem. Præterea ſi quis ita non auſugeret, in morte totius etiam pars periret, melius ergo eſt, & ita dictat etiam prudentia, ad ſalvandum totum, ut pareat pars alias peritura: *Lugo diſp. 10. n. 22. Leſſ. de juſt. l. 2. c. 9. n.* 101.

R. II. Ad vitandum peccatum non licet membrum abſcindere. Ita omnino dicendum, nam *can. ſi quis a Medicis diſt.* 55. ex Concilio Nicæno deſumpto, reprobatur factum Originis, qui ſibi abſcindit virilia ad ſervandam caſtitatem. Ratio autem eſt, quia mutilatio membrorum non eſt medium neceſſarium ad peccatum vitandum; neque enim Deus, qui condidit naturam noſtram, voluit membra nobis eſſe in perniciem, & occaſionem peccati, quod potius oritur a noſtra negligentia, & malitia. Quod ſi oriantur malæ inclinationes ad peccatum propter naturam ab ipſo peccato depravatam, poſſumus iis reſiſtere oratione, vigiliis, jejuniis, flagellis &c. Adducuntur exempla aliquorum Sanctorum, qui ſibi aliquod membrum abſciderunt ad vitandum peccatum, & inter alia narrat Sanctus Hieronymus in Vita S. Pauli primi Eremitæ quemdam Martyrem unaequaque vinctum, dentibus linguam abſcindiſſe, camque in faciem expuiſſe Meretricis ad eam fugandam. At hujuſmodi facta vel debent excuſari propter ſpecialem impulſum Spiritus S., vel quia illi SS. ex ignorantia invincibili crediderunt ita agendo non peccare.

Male etiam afferuntur quidam textus Evangelii, ut de abſciſſionem oculi ad vitandum peccatum, *Matth. 4.* & de ſe caſtrando propter Regnum Cœlorum, *Matth.* 19. Mala, inquam, afferuntur ad probandum licere abſcindere membrum ad vitandum peccatum; nam hujuſmodi intelliguntur ſpiritualiter a SS. PP., ita ut abſciſſio oculi ſignificet remotionem occaſionum, & caſtratio denotet remotionem omnis labis venereæ, & obſervantiam perfectæ Caſtitatis.

Q. VII. An licita ſit eviratio ad vocem conſervandam.

R. Non poteſt quis permittere quod eviretur ad vocem conſervandam. Ratio eſt quia, cum homo non ſit Dominus, ſed Adminiſtrator ſuorum membrorum, non poteſt permittere ſui mutilationem, niſi vel ob bonum publicum; vel ob conſervationem vitæ. Nunquam autem mihi ſatis probatum fuit (quidquid dicant contrarii Theologi) ſuavitatem vocis, etiam pro cantu Eccleſiaſtico, eſſe tanti momenti reſpectu boni publici, ut ob id licita reddatur abſciſſio tam aliena, & tam a natuta reprobata: *Lugo de Juſt. diſp.* 10. *nu.* 23., *Bonac. de Cenſ. d. 7. q. 2. p. 2. n. 34.* pluresque alii. Cæterum advertendum in nullius ſententia licitam eſſe evirationem ad conſervandam vocem, quoties ipſi Filii evirandi repugnent; nam ita privarentur, ipſis invitiis, libertate quoad ſtatus electionem, quæ omnino illis competit: *Trull. l. 5. c. d. 4. n. 4. Salmant. tr. 23. c. 2. n. 45.*

Q. VIII. An liceat occidere Malefactores.

R. Pro

R. Pro contraria ſententia citatur Scotus contra quem inſurgunt omnes Catholici, ſuſtinentes licere publicæ poteſtati Malefactores occidere. Et quidem plura exempla habemus in Veteri Teſtamento, quibus probatur juſtiſſime malefactores occidi. Eccleſia etiam tradit brachio ſæculari hæreticos pertinaces, ut illos puniat, & quidem pœna mortis, ut patet *ex leg. Arianis C. de hæret.*, & *leg. quicumque eod. tit.* Ratio autem eſt, quia ſicut qui habet adminiſtrationem totius corporis, poterit, ad conſervandum totum, membrum putridum abſcindere; ita Princeps, & ipſius publici Miniſtri habentes adminiſtrationem Communitatis poſſunt morte malefactores punire, & veluti membra putrida abſcindere, ne perturbent ſuis criminibus Communitatem; & ne ipſorum vitia, ſi impunita remaneant, alios inficiant.

Sed non ſolum poſſunt, immo & debent illos morte punire, quoties ita expoſcant Leges; nam primo Judices ſubalterni debent Legibus parere. Secundo, experientia teſte, bonum publicum expoſcit, ut graviora crimina ultimo puniantur ſupplicio; alias difficilime abſtinerent malefactores a ſuis criminibus; adeoque ſi ex nimia indulgentia non damnent malefactores, ipſi debebunt reddere rationem de damno, quod inde patitur bonum commune. Immo neque debent abſtinere ab ipſis malefactoribus condemnandis, etiamſi agnoſcant ipſos morituros impœnitentes. Debent quidem facere quantum poſſunt, ut Sacramento Confeſſionis propriam exonerent conſcientiam; ſicut etiam non poſſunt Confeſſionem etiam flagitioſiſſimis negare, quia eos exponerent periculo æternæ damnationis. Nihilominus, poſtquam fecerunt quantum poterant, ut malefactores chriſtiane morerentur, debent etiam impœnitentes morte punire; nam id non faciunt ad vindictam, ſed ad conſervandum bonum publicum. Præterea, ſi impœnitentes non eſſent occidendi, omnes malefactores ad mortem vitandam tales eſſe ſimularent: *Lugo de Juſt. d. 10. num. 64. Salm. tr. 13. c. 2. num. 8.*

Q. IX. An liceat ubique interficere bannitos.

R. Certum eſt, quod quando Princeps, ſervato juris ordine, de quo agam in octavum Decalogi præceptum, dedit omnibus facultatem occidendi bannitos, & latrones, poteſt quicumque illos occidere ſine peccato; nam agit ut publicus Miniſter juſtitiæ ad id a Principe deputatus. Debent tamen ſervari ſequentia. *Primo*, ne occidatur bannitus ex odio, ſed zelo juſtitiæ; quamvis etſi ex odio occideretur, non eſſet obligatio reſtitutionis; neque enim læderetur juſtitia. Secundo, ne bannitus occidatur extra territorium proſcribentis; nam cum ibi nullam habeat juriſdictionem, non poteſt concedere, ut a ſe proſcriptus ibi occidatur: *Farin. in pract. crim. p. 3. q. 103. num. 213. Laym. l. 3. tract. 3. p. 3. c. 2.* Neque unquam putavi audiendos Theologos contrariæ ſententiæ eo ductos fundamento, quod Princeps alterius territorii tacitam concedit licentiam; nam id eſt omnino falſum; ſi etenim bannitus ab aliquo Principe in alieno occidatur territorio, Princeps hujus Territorii graviter punit occiſorem. Signum ergo eſt, revera talem licentiam non concedere. Tertio, illicite occideretur Pater a Filio, Maritus ab Uxore, & e contra; nam id nimis eſt contra naturalem pietatem. Solum id licite fieret, quando alia via non poſſet amoveri grave præjudicium, quod immineret Patriæ, & Perſonæ Principis; nam tunc aliud ſuaderet ratio publici boni, *arg. l. minime 35. ff. de relig. & ſumpt. funer.* Rectæ vero monent Theologi non licere Principi ſine cauſa valde gravi ita aliquem in exilium mittere, ut poſſit a quocumque impune occidi, & maxime ſi præmium addatur occiſori. Ratio eſt, quia iſti in continuo verſantur periculo moriendi in peccato; unde ſi id fieret ſine cauſa valde gravi, graviter læderetur charitas: *Molin. de Juſt. tr. 2. diſp. 7.*

Q. X. An omnibus licitum ſit occidere Tyrannum.

R. I. Si Princeps ea ſola ratione dicatur Tyrannus quia indebite gravat Subditos, & injuſte illos expoliat &c. non poteſt a quocumque privato occidi, quando alias legitimo titulo poſſidet Regnum. Id definitum habemus in Concilio Conſtantienſi, ubi *ſeſſ. 15.* inter articulos Jo: Hus damnatur etiam ſequens: *Quilibet Tyrannus debet, & poteſt licite, & meritorie per quemcumque Vaſſalum ſuum, vel Subditum occidi.* Ratio, quia, qui eſt ſolo regimine Tyrannus, eſt verus Princeps, ergo non poteſt privata authoritate ſpoliari vita, & jure regnandi; ſed ei parendum eſt iis, in quibus juſte imperat, juxta illud *1. Petr. 2. Servi Subditi eſtote in omni timore Domini, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.* Confirmatur, quia ex contraria doctrina irreparabilia oriuntur inconvenientia, cum facile quiſque perditus poteſt judicare Principem tyrannice gubernare: *Eſſet hoc multitudini periculoſum*, ait S. Th. opuſc. 20. de reg. Princ. l. 1. cap. 6. *& ejus Rectoribus, ſi privata præſumptione aliquis attentaret Præſidentium necem, etiam tyrannorum &c.* Monet proinde in tali caſu orandum eſſe Deum, in cujus manu eſt cor Regis, & auferenda peccata, ut ceſſet flagellum.

R. II. Cuicumque privato licet interficere tyrannum, qui ſine juſto titulo conatur invadere Regnum, vel etiamſi illud jam ſine juſto titulo occupaverit. Ratio primæ partis eſt, quia unicuique parti licet vim vi repellere, & maxime ſi vis tendat ad defendendam Patriam, Regnum &c.; nam tunc defenditur publicum bonum. Eadem ratio ſuadet poſſe occidi, quamvis jam adeptus ſit Regnum; nam illud poſſidere ſine juſto titulo, eſt perſeverare in inferendo vim injuſtam, adeoque ſemper licite talis vis repellitur. Nec obſtat poſſeſſio acquiſita; nam cum notorietate facti appareat injuſta, nil aliud eſt quam continuata injuria, quam licet repellere unicuique privato propter jus, quod unicuique competit defendendi Patriam &c. *Leſſ. l. 2. c. 9. num. 8. Bonac. de reſt. d. 2. q. ult. ſect. 1. p. 3. num. 3.*

Q. XI. An liceat Marito occidere Uxorem in adulterio deprehenſam.

R. Olim pluribus Juriſperitis, & quibuſdam Theologis videbatur licere Marito occidere Uxorem in adulterio deprehenſam, ſicuti etiam id licere Patri reſpectu Filiæ, ea ducti ratione, quod id agebant publica authoritate, cum id eis permittatur a lege, nempe *ex leg. 21. cum duabus ſequent. ff. de adulter. leg. Gracus 4. C. ad leg. Jul. de Adult.* Præterea, cum Adulter, & adultera niſi injuſti Aggreſſores honoris Mariti, ad propulſandam injuriam videbatur licere eos occidere. At hujuſmodi opinio fuit damnata ab Alex. VII. dum ſequentem damnavit propoſitionem: *Non peccat Maritus occidens propria authoritate Uxorem deprehenſam in adulterio.* Ratio hujus condemnationis clara eſt; nam ita agens peccat contra ordinem judicii, & contra Chriſtianam charitatem. Contra ordinem judicij, quia nemo, maxime in propria cauſa, debet ſimul eſſe Judex, Accuſator, & Teſtis, ut dicitur etiam *can. inter hæc 33. qu. 2.* ita autem ageret Maritus adulteros occidendo. Peccaret autem contra Chriſtianam Charitatem, quia noſter honor non eſt anteponendus æternæ ſaluti proximorum, quam certe evidenti periculo exponeret, qui actu adulterantes occideret. Præterea quot inconvenientia oriri poſſent, ſi Maritus facultatem haberet uxorem adulteram occidendi? Occiderentur tunc uxores ab iniquis Maritis ſub prætextu patrati adulterii, vel ſi Maritus alterius amore captus vellet illam ducere, facillime præberet commoditatem, immo & ſtimularet uxorem ad adulterium, ut illam occidendi occaſionem poſſet arripere: *Lugo de Juſtit. d. 10. num. 90. Sanch. de Matr. l. 10. d. 8. num. 38.*

Ad fundamenta contraria dicas falſum eſſe leges dare Marito facultatem occidendi Uxorem adulteram, ſed ſolum illum ut homicidam non punire; & ſi aliqua lex aliter videatur docere, corrigenda eſt per leges Canonicas, ut in præſenti etiam materia docet *S. Th. in 4. d. 37. q. 2. art. 1.* Cæterum etiam Eccleſia, ut afflictio non adderetur afflicto, noluit interficientem Clericum peccantem cum uxore, ſeu Filia, ſubjacere excommunicationi, ut habetur *cap. ſi vero de ſent. excom.*

Ad illud, quod dicebatur licitum eſſe occidere Adulterum, utpote quia licet occidere invaſorem proprii honoris, reſpondendum eſt, id valere, quando adulter niteretur adulterium committere, & nulla alia via eſſet ad illud impediendum, quam ipſum occidere. At quando adulterium eſt patratum, non ſunt amplius aggreſſores honoris, unde occidere Uxorem, & Adulterum eſſet vindicta, non juſta defenſio.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quamvis ſemper ſit peccatum mortale occidere directe ſeipſum, & privandus ſit Eccleſiaſtica ſepultura, qui ita operatur *ex can. placuit 23. q. 5. & ex Rit. Rom. in Rubr. de exeq.*; advertere nihilominus debet Parochus poſſe in Eccleſia ſepelire eum, qui vel invenitur laqueo ſuſpenſus, vel demerſus in puteo, ni certo conſtet id voluntarie feciſſe. Ratio eſt, quia, niſi id certo conſtet, de nullo eſt præſumendum quod deliquerit: *leg. merito ff. pro ſocio, & cap. 1. de reg. juris*, adeoque præſumendum

dum eſt, vel ab alio fuiſſe occiſum, vel id feciſſe ex vehementiſſima paſſione, quæ omnino perturbaverit uſum rationis, ſeu amentiam induxerit. Videatur *Barb. de Offic. Parocch. p. 3. c. 26. num. 49.*

II. Cum unuſquiſque debeat non omittere media ordinaria ad vitam conſervandam, non debet infirmus reſpuere medicinam, quæ prudenter, & fere certo judicaretur ipſi proſutura; nam hujuſmodi medicina, ſi non eſſet ingentis pretii, judicatur medium ordinarium pro vitæ conſervatione. Quia tamen multuties incertum eſt, an pharmaca potius proſint, quam noceant, ideo non facile damnandus peccati mortalis, qui pharmacum ſibi oblatum reſpueret.

III. Quia non tenemur mediis extraordinariis vitam conſervare, ideo neque tenemur conſervare vitam pharmaco ingentis pretii, neque ſubſtinendo graves dolores, ut evenit in magna aduſtione, in magna ſectione, v. g. tibiæ, brachii &c. Idem dicas de fœmina honeſta potius eligente mortem, quam tangi in partibus ſecretioribus a Chirurgis, quamvis id poſſet permittere cauſa ſanitatis: neque motus turpis, qui poſſet oriri, remoto conſenſu, eſſet ei ad peccatum imputandus, quia per accidens oriretur ex cauſa *juſta*, & neceſſaria. Putarem tamen non facile excuſandam fœminam honeſtam, quæ a ſui curatione fœminas etiam honeſtas reſpueret cum periculo vitæ; nam eſſet irrationabilis ingens illa verecundia, quæ in caſu tantæ neceſſitatis etiam perſonas ejuſdem ſexus reſpueret.

IV. Docet *S. Th. 2. 2. q. 147. num. 1. ad 2.* non eſſe ita utendum pœnitentiis, ut vita notabiliter abbrevietur ex ea ratione ſæpe inſinuata, quod ſcilicet non ſumus Domini noſtræ vitæ, ſed ſolum Adminiſtratores. Verum quamvis nunquam liceat pœnitentiis corpus macerare, ea intentione, ut vita abbrevietur, nihilominus doctrina S. Thomæ non tam ſcrupuloſe venit intelligenda, ut omnino abſtinendum ſit ab iiſdem pœnitentiis, quamvis prævideretur vita per aliquot annos abbrevianda. Licitum ergo ſemper eſt his pœnalitatibus ſe macerare; neque laudabiliter Religioſi omitterent pœnitentias, a regola injunctas, cum fuerint approbatæ a viris SS. Perſonæ pariter, quæ non vivunt intra clauſtra, optime faciunt macerationibus corpus in ſervitutem redigere, quamvis, ſi velint prudenter operari pendere debeant ab arbitrio prudentis Confeſſarii. Et quidem, ſi non condemnantur peccati gravis, qui multo cibo, & potu ſibi vitam abbreviant, cur damnandi qui, ut Divinæ Juſtitiæ ſatisfaciant, ut paſſiones refrænent, pœnitentiis ſe macerant, quamvis per accidens vita ipſorum poſſit per aliquot annos abbreviari?

V. Sciat Confeſſarius in noſtra Diœceſi eſſe caſum reſervatum *Homicidium voluntarium etiam quoad Mandantes effectu ſequuto*. Notet autem pro ipſius intelligentia illius dici homicidium voluntarium, quod eſt volitum in ſe, vel in ſua cauſa proxima, ita, ut occidens vere ex ſua voluntate dicatur occidiſſe. Ligatur proinde reſervatione, non ſolum qui de induſtria aliquem occidit, ſed etiam qui apponit cauſam proxime inductivam homicidii, ut ſi quis aliquem lethaliter vulneret, vel propinaſſet illi mortale venenum. Neque ſe poſſet excuſare; dicendo, non habuiſſe animum occidendi; eſſet enim proteſtatio contra factum.

E contra quamvis graviter peccaret, non diceretur homicida quoad effectum reſervationis, qui aliquem occideret in ſubita rixa, dummodo non habuiſſet antea animum occidendi; qui occideret aliquem ex gravi metu ipſi illato, ſi non occidat; qui occideret aliquem, ſe defendendo, quamvis exceſſiſſet moderamen inculpatæ tutelæ; qui nolebat infligere vulnus lethale, quamvis præter intentionem graviter volneraſſet. Ratio horum omnium eſt, quia ita occidentes non intelliguntur occidere ex induſtria, & inclinatione voluntatis, quapropter non committunt homicidium voluntarium, ea ratione, qua voluntarium a legibus appellatur.

Item excuſatur a reſervatione, qui ponit cauſam ſolummodo remotam homicidii. Ita ſe habet, qui ſe inebriat, quamvis prævideat in ebrietate aliquem occiſurum, & qui non adhibet ſufficientem diligentiam ad præcavendam mortem alterius; ut dum quis e tecto tegulam in viam projicit, non appoſito ſigno, ut tranſeuntes ſibi caveant. Omnes iſti dicuntur perpetrare homicidium caſuale ad diſtinctionem homicidii voluntarii. Illud univerſaliter notet Confeſſarius, quod ſemper; cum lis eſt inter DD., an homicidium ſit caſuale, vel voluntarium, occidens immunis eſt a reſervatione, utpote quia dubium eſt, an commiſerit homicidium voluntarium. De his plura habes, ubi egi de Irregularitate, quæ contrahitur ex homicidio. Multo magis non habet locum reſervatio in caſibus, in quibus diſputant DD., an licita ſit occiſio, nec ne.

Quia caſus reſervatus comprehendit etiam Mandantes, obſervare debet Confeſſarius, quod, cum ſimus in odioſis, ad incurrendam reſervationem mandatum debet eſſe expreſſum, itemque voluntarium, hoc eſt, non in ſubita ira factum; quamvis voluntarium cenſeatur, ſi dum paſſio potuit quieſcere, adhuc tamen mandatum non revocetur. Demum mandatum debet eſſe de ipſo homicidio, vel de cauſa ejuſdem proxima. Eo quod tamen nec homicida, nec mandans incurrunt reſervationem, niſi effectu ſequuto, hinc eſt, quod, ſi quis ſacramentaliter abſolvatur, antequam ex lethali vulnere mors ſequatur, immunis erit a reſervatione, quia hæc non habebat locum, niſi morte ſequuta, & quando hæc evenit, non eſt amplius culpa, quæ reſervetur.

VI. Advertat Confeſſarios ad avertendum periculum occidendi puerum, in noſtra Diœceſi caſum etiam ſequentem eſſe reſervatum: *Detentio infantium in lecto ante nonum menſem completum extra capſulam*. Quicumque ergo, ſcilicet ſive Mater, ſive Nutrix, ſive Pater, ſive quicumque alius ita tenet intra ſuum lectum puerum, ut ab ipſo immineat periculum illius ſuffocandi, hac reſervatione innodatur. Hinc incidet in reſervationem quicumque, etiam brevi tempore, extra capſulam extrahit, ſi prudenter timeat ſe ſomno corripiendum, quia tunc tale periculum imminet. Secus ſi expertus ſit inſomnem manere, quamvis aliqua vice per accidens ſomno corripiatur. Multo minus in reſervationem incideret illa Mater, quæ ex aliqua cauſa puerum e capſula extrahit, ſi interim aliquem faciat evigilare, ne ſomno corripiatur. Poterit etiam excuſari a reſervatione illa mulier, quæ extraheret puerum implacabiliter plorantem animo ſtatim illum capſulæ reſtituendi; quia difficile eſt a ſomno opprimi, uſque dum puer ita plorat. Secus, ſi experientia ſciret, puero etiam plorante, a ſomno opprimendam. Item excuſatur Mater gravi infirmitate laborans ſi cum non poſſit ſine gravi periculo e lecto aſſurgere, puerum plorantem e cunis extrahit, ut ibi ipſum reſtituat, poſtquam conſopierit. Idem multo magis dicendum, ſi vel ratione frigoris, vel infirmitatis, neceſſarium ducat ad ſalvandum puerum, illum in ſinu ſuo fovere. Illud univerſaliter notet Confeſſarius, quod ſi ipſa extractio e capſula propter aliquam circumſtantiam non ſit graviter peccaminoſa, non ſubjacet reſervationi, quamvis extrahentes ex conſcientia erronea ſe graviter peccare putarent. Notare etiam debet reſervatione non ligari extrahentes, ſi ſibi non efforment conſcientiam peccati gravis, ad quam culpam multoties non attendunt Nutrices, dum non plene vigilantes extrahunt infantulos.

Cum etiam litera caſus loquatur de detinentibus in lecto, ſequitur non ſubjacere reſervationi extrahentes puerum e capſula, ſi lecto aſſideant, quamvis peccare poſſint, ſi periculum ſit, ut ita aſſidentes ſomno opprimantur cum periculo ſuffocationis. Item quia præcipitur detentio in capſula ad tale periculum removendum, hinc non habet locum reſervatio, ſi e. g. ita aggerantur panni circa puerum, ut illud periculum abſit. Ita etiam dicendum, ſi aliquis longe a puero dormiat in eodem lecto, dum pene immotus ſoleat dormire. Demum immunis eſt a reſervatione, qui puerum prope ſe non haberet, ut ſi e. g. inter puerum, & ipſum mediet Mater, ſeu Nutrix. quia tunc ab ipſo non imminet periculum ſuffocationis.

Cæterum quamvis caſus loquatur de detinentibus puerum extra capſulam ante nonum menſem completum, debet Confeſſarius admonere præcipue Matres, & Nutrices, ut etiam poſt tale tempus omne ſuffocationis periculum removeant, alias graviſſime etiam tunc peccabunt, quamvis ceſſet reſervatio.

CAPUT II.

De Occiſione Innocentis, ubi etiam de Abortu.

Q. I. AN in aliquo caſu liceat Innocentem occidere.

R. I. Nunquam licitum eſt directe occidere Innocentem, hoc eſt, illum privare vita. Ratio eſt, quia occiſio directa Innocentis ſemper eſt intrinſece mala, quia illi aufertur vita, quæ ſola ſub Dei dominio eſt, unde dicitur *Sap. 16. Tu es enim Domine, qui vitæ, &*

mortis

martis habet poteſtatem. Hinc patet diſcrimen, cur Filii Innocentes poſſint propter crimina Patris expoliari facultatibus, non vero vita. Ratio diſcriminis eſt, quia bona temporalia ita poſſidentur a privatis, ut poſſint eis expoliari, quoties ita propter ipſorum vitia expoſcat publicum bonum, licet exinde poſſit per accidens oriri damnum Innocentium, dum interim nulla re, quam poſſideant, expolientur. At vita noſtra ita eſt ſub dominio ipſius Dei, ut nullus ſine crimine poſſit ea privari, alias manus violentæ mitterentur in id, quod ſolius Dei eſt. Hinc *Deuter.* 24. dicitur: *Filius non accidetur pro Patre, ſed unuſquiſque pro peccatis ſuis morietur.*

Neque refert pro conſervando toto licere abſcindere membrum etiam ſanum, nam exinde inferri non poteſt licere Innocentem occidere pro Civitate conſervanda. Id autem patet evidenter, quia illud membrum non habet jus particulare, ut conſervetur, ſed jus conſervationis eſt penes totum hominem; ac proinde bene abſcindi poteſt, ut totum conſervetur, cum non fiat contra jus particulare, quod habeat illud membrum. At quamvis Civitas habeat jus ut conſervetur, habent etiam ſinguli jus proprium ut ipſis vita non auferatur ſine gravi crimine; ac proinde non poſſunt occidi, quamvis aliquis vellet ipſorum mortem, etiam Urbis excidium minitando.

R. II. Poteſt indirecte cooperari morti Innocentis quoties ita expoſceret bonum publicum. Id exemplificatur in Civitate, quæ traderet Innocentem Tyranno, alias minitanti ejus excidium. Si in tali caſu Civitas tradat Innocentem, non eo fine ut occidatur, ſed ut ipſa præſervetur, non peccat; nam actio de ſua natura eſt indifferens, nec immediate, & proxime concurrit ad mortem Innocentis, ſed ea proxime provenit ex malitia Tyranni. Unde talis actio ex ſe indifferens videtur poſſe cohoneſtari propter imminentem graviſſimam neceſſitatem: *Lugo diſp.* 10. *n.* 113. *Leſſ. l.* 3. *c.* 9. *n.* 4. *Bon. de Reſt. d.* 2. *q. ult. ſect.* 1. *p.* 7.

Hæc nihilominus ratio mihi non ſatis efficax appareret, ſi in tali caſu Innocens non teneretur ſe tradere Tyranno ob liberandam Rempublicam, ſive Civitatem; nam dum bonum puplicum eſt in extrema neceſſitate, unuſquiſque privatus tenetur pro ipſo propriam vitam periculo exponere. Ubi obſervandum, quod ita, agendo non ſeipſum directe occideret, ſed ſe exponeret in graviſſima neceſſitate periculo mortis, quod ſemper eſt licitum propter bonum virtutis, & maxime propter publicum bonum. Cum igitur ipſe Innocens ſe teneatur tradere Tyranno, qui ad hoc concurrent, ad actionem licitam concurrent, cum ex ſe præſtare teneretur. Cæterum, ſi id non cohoneſtaret traditionem Innocentis, non ſatis mihi appareret in talibus circuſtantiis per eam ſolum remote cooperari morti ipſius Innocentis.

Q. II. An Judex poſſit morte punire eum, quem ſcit privata ſcientia eſſe Innocentem, ſi in Judicio probetur reus mortis.

R. S. Thom. huic quæſito ita reſpondet 2. 2. *q.* 64. *a.* 6. *Judex ſi ſcit aliquem eſſe innocentem, qui falſis teſtibus convincitur, debet diligentius examinare teſtes, ut inveniat occaſionem liberandi innoxium, ſicut fecit Daniel. Si autem hoc non poteſt, debet eum Superiori relinquere judicandum. Si autem nec hoc poteſt, non peccat, ſecundum allegata ſententiam ferens, quia ipſe non occidit innocentem, ſed qui eum aſſerunt nocentem.* Verum negari non poteſt valde probabilem eſſe contrariam ſententiam, nam nullum jus habent Judices, & Principes ſupra vitam alterius, niſi quando propter ipſorum crimina expedit illos vita privare: hoc caſu excepto, uniuſcujuſque vita eſt ſub dominio Dei, ac proinde nullum jus habet in ipſam Judex. Si igitur condemnet Innocentem, uſurpat ſibi jus, quod non habet, ac proinde videtur peccare. Hinc *Exod.* 23. ubi ſermo eſt de Innocente, qui per teſtes probatus fuit reus, dicitur: *Inſontem, & juſtum non occides*, atque ibidem ſubditur: *Non ſuſcipies vocem mendacii, nec ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies: Lugo de Juſt. d.* 37. *ſect.* 4. *Leſſ. l.* 2. *c.* 19. *num.* 74. *&* 82. aliique quamplures.

Ad rationem, quæ afferri ſolet in contrarium, ſcilicet Judicem ut Perſonam publicam debere ſecundum publicam ſcientiam judicare, reſponderi poteſt, utique neminem poſſe condemnari, niſi ſervato ordine juris reus convincatur, eſt enim de jure naturæ, neminem eſſe condemnandum niſi accuſatum, & convictum; ac proinde Judex non poſſet condemnare, quem ſcientia privata reum ſciret, At ſcientia publica non videtur dare jus ad occidendum innocentem, cum in ipſius vitam nemo habeat jus niſi ſolus Deus. Poterit utique non declarari Innocens, qui ſcientia publica apparet reus, at neutiquam condemnari. Optimom autem erit, ſi aliud non facere poſſit, permittere illi, fugam e carcere, dum id fieri poſſit ſine aliorum, damno; vel depoſito officio Judicis aſſumere apud Superiorem perſonam teſtis, ut defendat Innocentem.

Q. III. An in aliquo caſu licitus ſit abortus.

R. I. Nunquam licitum eſt directe procurare abortum, hoc eſt, aliquid facere, quod de ſua natura tendat ad expulſionem, fœtus immaturi. Et quidem non licere aliquid facere, quod de ſua natura tendat ad expulſionem fœtus animati de ſe conſtat, quia dum expelleretur fœtus immaturus, ſed animatus, committeretur verum homicidium, & inſuper privaretur ejus anima æterna ſalute, directe autem procurare homicidium innocentis, ex ſæpe dictis, nunquam poteſt cohoneſtari.

Quo autem nec ſit licitum facere aliquid directe tendens ad expulſionem fœtus inanimati, exinde probatur, quia qui procuraret directe hujuſmodi abortum, impediret proxime, & immediate vitam hominis, unde eſſet reus de homicidio, licet imperfecto, ut habetur *ex c. ſi aliquis de homic.* homicidium autem non poteſt cohoneſtari, ni fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut infra dicemus, quod tamen non habet locum in caſu præſenti.

Confirmatur, quia ex naturæ dictamine nunquam licet directe facere quod impediat propagationem, & conſervationem ſpeciei. Hinc non licet dare pharmacum uxoratæ ea intentione ut inducatur ſterilitas, ut patet *ex cap. ſicut literarum de homicid. juncto can. quod vero* 32. *q.* 2. Item nunquam eſt licita effuſio ſeminis, cum ſolummodo deſervire debeat ad propagationem ſpeciei. Si ergo ex ipſo dictamine naturæ nunquam licitum eſt directe inducere ſterilitatem, & pollutionem, hoc eſt, facere aliquid ea intentione, ut hujuſmodi actiones ſequantur, multo minus licita erit expulſio fœtus, quamvis inanimati, cum hoc proxime, & immediate impediat ſpeciei propagationem. Hinc Innocentius XI. ſub *numer.* 34. ſequentem damnavit propoſitionem. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus; ne puella deprehenſa gravida occidatur, ſeu infametur.*

Petere hic poteſt quis quando fœtus animetur. Pro quo obſervandum eſt damnatam fuiſſe ab Innocent. XI. ſub *n.* 25. ſequentem propoſitionem: *Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* Secundo, notare eſt ſaltem quoad inducendas pœnas Canonicas, de quibus infra, maſculum reputari ſolum animatum poſt quadraginta dies, fœmininum vero poſt octoginta; nam hanc ſententiam, ultra plures Canoniſtas, & Theologos, docet Gloſſa *in Clem. unic. de ſum. Trinit. verſ. ſimul unitas, & in cap. ſicut. per homic.* Tertio, fœtus ſemper præſumitur maſculus, unde ſi procuretur abortus poſt 40. dies habebunt locum pœnæ Canonicæ. Cæterum probabiliſſime modo defenditur fœtum animari anima rationali ab initio conceptionis, vel ſaltem tertia, aut ſeptima die; unde ſemper cenſui hujuſmodi fœtus eſſe ſub conditione baptizandos, ut explicabo agendo de Baptiſmo.

R. II. Licet aliquando indirecte procurare abortum, hoc eſt, quando neceſſarium eſſet ad ſalvandam vitam matris. In hoc, inquam, unico caſu licet dare pharmacum Matri, ſive ſcindere venam, ſi id tendat de ſua natura ad reſtituendam illi ſanitatem; quamvis ſecundario prævideatur ſequuturus abortus. Ratio autem eſt quia licite permittitur mors Innocentis, quando neceſſario fit actio non tendens de ſua natura ad illam cauſandam, ſed habet alium finem bonum, & honeſtum. Ita fugiens invaſorem poteſt proſequi ſuam fugam, quamvis ab equo, in quo inſidet, eſſet puer proterendus, ſi nullum medium ſuppeteret ad præſervandum puerum, ut evenire poſſet in via anguſtiſſima. Item Mater gravida poteſt fugere aggreſſorem, quamvis ex fuga prævideat abortum. Id etiam frequenter accidere ſolet in juſta aggreſſione Civitatum; nam licite diriguntur tormenta bellica in urbem, quamvis prævideatur ſequutura mors plurimorum Innocentium. Sicut igitur iſtæ actiones cohoneſtantur quia non fiunt intentione occidendi Innocentem, ſed ad alium honeſtum finem, ad quem aſſequendum habet aliquis jus; ita & poteſt permitti expulſio fœtus, ſi fiat aliquid de ſe tendens ad conſervandam

dam vitam Matris, nam habet jus ad illam conſervandam.

Dices ex propoſitione damnata, quam ſupra retulimus, non licere procurare abortum fœtus etiam inanimati, ex intentione conſervandi vitam Matris, vel ejus famam, ergo multo minus licebit ob conſervandam vitam Matris procurare abortum fœtus etiam animati.

Sed contra eſt, quia dum agitur de conſervatione vitæ Matris, quæ non periclitatur ob infirmitatem, ſed ab extrinſeco, quia ſcilicet, ſi deprehendatur gravida occidetur, pharmacum directe, & ex ſua natura expelleret fœtum, neque enim poſſet dici dari ob infirmitatem Matris, cum non eſſet infirma. Dum vero datur pharmacum, vel aperitur vena, quia periclitatur vita Matris infirmæ tunc pharmacum &c. tendit ad expellendam infirmitatem, quod vidimus licite fieri; nam tunc expulſio fœtus potius eſt permiſſa, quam volita.

Quidam recedunt a doctrina ſupra firmata in duplici caſu. Primo, quando ſpes eſſet, ſi mater a pharmaco &c. abſtineat, fœtum vivum in lucem edendum, eum etenim tunc poſſet baptizari, vult Charitas poſtponendam vitam noſtram temporalem vitæ ſupernaturali proximi conſtituti in extrema neceſſitate ſpirituali. Secundo, quando remedium æqualiter tenderet ad cauſandam Matri ſalutem, ac ad expellendum fœtum, putant enim in tali caſu procurari directe fœtus expulſionem.

Verum puto in utroque caſu poſſe dari pharmacum Matri, cujus vita alias periclitaretur. In primo caſu, quia licet verum ſit in extrema neceſſitate ſpirituali proximi poſtponendam eſſe vitam noſtram temporalem illius vitæ ſpirituali, nihilominus hæc doctrina vera eſt, quando certum, vel ſaltem probabilius eſt, ut poſſimus noſtra morte opitulari proximo conſtituto in extrema ſpirituali neceſſitate. Id autem non habet locum in caſu noſtro; nam experientia conſtat, moriente Matre fere ſemper & fœtum mori; cum lethalis Matris ægritudo corrumpat humores, & inficiat alimentum fœtus, ac proinde valde difficile ſit vivere poſt Matrem. Si ergo ex alia parte probabile, per pharmacum poſſe Matrem conſervari, id reddetur licitum, ſine illo etenim fere certum eſt, & Matrem, & fœtum moriturum, & cum pharmaco probabile eſt vitam Matris poſſe conſervari: *Sanc. l. 9. d. 20. n. 17.*

In ſecundo etiam caſu licitum videtur dare pharmacum matri, cujus vitam periclitatur; ſicut enim æqualiter habent mater, & fœtus jus ad vitam conſervandam, cur ſtante tali jure non poterit ſumere pharmacum, ut vitam conſervet? Neque in tali caſu verificatur directe expelli fœtum; quamvis enim vim habeat & illum expellere, nihilominus habet vim æqualem ſanandi Matrem, hacque intentione ſumendum eſt. Accedit præfata ratio, quod ſcilicet fere ſemper moriente Matre moritur etiam fœtus, unde dare tale medicamentum, quod alias poteſt ſanare Matrem, exiguum damnum poteſt afferre fœtui & aliunde maximum eſt lucrum, ſi matri reſtituatur ſalus pene deſperata: *Sanch. de matr. l. 9. d. 20. n. 18. Trull. l. 5. in Decal. c. 1. d. 4. nu. 5.*

Q. IV. Quæ ſint pœnæ ſtatutæ contra procurante abortum, & quas perſonas afficiant.

R. I. Maximas, & graviſſimas pœnas decrevit Sixtus V. in ſua Conſt. quæ incipit *Effrænatam &c.* contra procurantes abortum. Verum quia in praxi difficilis erat ejus obſervantiam, ipſam moderavit Gregorius XIV. ea Conſt. incip. *Sedes Apoſtolica &c.* Juxta igitur hanc Conſtitutionem modo regulandæ ſunt pœnæ contra procurantes abortum. Hujuſmodi pœnæ contra procurantes abortum animi fœtus ſunt ſequentes. Primo; contra ipſos habent locum omnes pœnæ ab utroque jure ſtatutæ ad puniendos homicidas voluntarios. Secundo, contrahunt irregularitatem. Tertio, privantur omni privilegio clericali. Quarto, ſunt inhabiles ad omnia Officia, & Beneficia ſive ſimplicia, ſive Curata. Quinto, ipſo facto ſunt excommunicati. Sexto, dum habeant officium, ſive beneficium ipſo facto ipſis privantur, & perpetuo redduntur inhabiles tam ad officia, & ad Beneficia quæ habent, quam ad quodvis aliud. Septimo, Clericus procurans abortum eſt deponendus, & degradandus, atque tradendus Curiæ ſæculari, ut ipſum puniat juxta leges humanas, & Divinas.

Hæ pœnæ continentur in ſupracitat Conſtitutione Sixti V. eaſque non ſuſtulit Gregorius, dum agitur de procurante abortum fœtus animati, cum ſolum abſtulerit ſpeciales pœnas, quas Sixtus decreverat etiam contra procurantes abortum fœtus inanimati, vel contra concurrentes ad procurandam ſterilitatem; hos enim voluit tantum ſubjacere pœnis, quas contra ipſos ſtatuit jus commune. Placet hic adnotare quædam verba Conſtitutionis Gregorii, cum viderim aliquos Theologos ſub obſcure loqui in hac materia.

Quo vero (ait Gregorius) *ad pœnas procurantium abortum fœtus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel ſumentium venena ſterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel conſilium eis dantium, in prædicta Conſtitutione contentas, Conſtitutionem præfatam in ea parte, ubi de his agit, ad terminos juris communis, ac SS. Canonum, & Concilii Trid. diſpoſitionem, authoritate Apoſtolica tenore præſentium tam quoad præterita, quam quoad futura perpetuo reducimus perinde ac ſi eadem Conſtitutio in ejuſmodi parte nunquam emanaſſet. Non obſtante eadem Prædeceſſoris noſtri Conſtitutione, quam quoad reliqua omnia* (notentur hæc verba) *præter contenta in hac noſtra Conſtitutione, in ſuo robore omnino permanere volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

Notare etiam oportet quoad pœnas ſupra recenſitas, quod licet pœnæ irregularitatis, excommunicationis, & inhabilitatis ad Beneficia, obligent in foro conſcientiæ & ante Judicis ſententiam, & ſi delictum eſſet occultum, nihilominus, ſi agatur de privatione Beneficii, quod aliquis actu habeat, non eſt relinquendum ante ſententiam declaratoriam criminis, quia ad id requiritur externa executio, ut dicitur in Tractatu de Legibus. Pariter quamdiu delictum remanet occultum, non habent locum pœnæ degradationis, & traditionis ad Curiam ſæcularem.

R. II. Pœnæ ſupra recenſitæ afficiunt omnes directe, vel indirecte, per ſe, vel per alium quocumque modo procurantes abortum fœtus animati, vel præſtantes, ad id conſilium, vel auxilium, aut favorem.

Q. V. Quinam poſſint diſpenſare, & abſolvere a præfatis pœnis.

R. I. Eſt qui doceat poſſe Epiſcopum diſpenſare in pœna privationis Beneficiorum, & inhabilitatis ad illa: verum non ſatis puto tutam hanc doctrinam, cum de ſua natura inferior non poſſit diſpenſare in lege ſuperioris. Ultraquamquod Sixtus V. hujuſmodi diſpenſationem expreſſiſſimis verbis ſibi reſervavit, & ſuis Succeſſoribus.

Quoad Irregularitatem etiam & ſuſpenſionem non poteſt fieri recurſus ad Epiſcopum ut diſpenſet; quamvis enim Trid. *ſeſſ. 24. de reform. cap. 6.* concedat Epiſcopis facultatem diſpenſandi in Irregularitatibus, provenientibus ex delicto occulto, excipit tamen homicidium voluntarium, ut conſtat legenti ſupradictum caput, & homicidium omnino voluntarium reputandum eſt procuratio abortus fœtus animati. Quod ſi procuratio abortus reducatur ad homicidium caſuale, tunc videnda quæ dixi de Irregularitate, quæ incurritur ratione talis homicidii.

Ab excommunicatione proveniente ex abortu poteſt abſolvere Epiſcopus, vel Confeſſarius ad hunc caſum ſpecialiter deputatus; ita enim decrevit Gregorius XIV., moderando Conſtitutionem Sixti V. in qua hunc caſum ſibi ſpecialiter reſervaverat. Ubi advertas non ideo dicendum Confeſſarium ſpecialiter ad hunc caſum deputatum, ex eo quod habeat facultatem generalem abſolvendi ab omnibus caſibus reſervatis Epiſcopo, nam talis generalis deputatio non poteſt dici illa ſpecialis deputatio quam exigit Bulla Gregorii, vult enim Confeſſarium ad hunc caſum ſpecialiter deputari: *Dian. p. 7. tr. 7. reſol. 15.* aliique apud ipſum.

Q. VI. An excommunicationem incurrant ipſæ mulieres prægnantes, ſi per potionem, aut alia remedia procurent abortum fœtus animati, vel illum patiantur.

R. Non mihi videtur improbabilis ſententia negativa, nam dum agitur de aliis pœnis in Conſtitutione Sixti V. expreſſe exprimuntur mulieres prægnantes, non vero exprimuntur quando agitur de excommunicatione. Neque ſatis convincitur habere locum excommunicationem reſpectu ipſarum prægnantium quia feratur in *Principales, ſocias, & conſocias* concurrentes ad perpetrandum crimen abortus; nam pro ly *principales* poſſunt intelligi non ipſæ mulieres prægnantes patientes abortum, vel ſumentes potionem, vel aliud facientes, quo cauſetur abortus, ſed illæ, quæ inter cooperatores, ſeu cooperatrices ad cauſandum abortum ſunt principales: *Lugo l. 2. de reſponſ. moral. d. 4. n. 4. Salm. tr. 13. c. 2. a. 70.* aliique apud ipſos. Cum igitur ſaltem dubitari poſſit an in præ-

ſata

ſata excommunicatione comprehendantur, revera ipſæ cenſura non erunt innodatæ, nam dubium facti, vel juris ab incurrendis cenſuris eximit.

Regalæ in praxi obſervandæ.

I. Primo, animadvertat Confeſſarius, quod in maximis anguſtiis redigitur conſcientia Eccleſiaſtici quoquo modo concurrentis ad delictum abortus. Vel enim nullum habet Beneficium, & jam eſt incapax ad quodcumque Beneficum acquirendum, ſi a Papa non diſpenſetur, idque etiamſi ipſius delictum fuerit ocoltum. Vel jam habet Beneficium; & quamvis illud non teneatur dimittere ante ſententiam declaratoriam criminis, nihilominus ante eamdem ſententiam, etſi delictum ſit occultum, remanet Irregularis, & conſequenter non poteſt Miſſam celebrare, quod tamen exigere poteſt ipſius Beneficium. Ex hoc autem capite poteſt oriri obligatio ipſum Beneficium dimittendi; nam jam non poteſt ſatisfacere ſuæ obligationi, ni Papa ipſum diſpenſet ab Irregularitate, quæ tamen diſpenſatio difficiliter conceditur ratione tanti delicti. Semper tamen animadvertat Confeſſarius hæc verificari reſpectu abortus fætus animati.

II. Conſideret Confeſſarius inter caſus noſtræ Diœceſis reſervatos, eſſe ſequentem: *Abortus procuratus fœtus animati effectu ſequuto, tam reſpectu patientis, quam quovis modo cooperantis ſcienter*. Dum ergo audit in Confeſſione hoc peccatum, debet animadvertere, quæ circa illud diſpoſuerint SS. Pontifices, & quæ noſtri Præſules.

Pontifex voluit eſſe Epiſcopis reſervatum, & Confeſſariis quoad hoc ſpecialiter deputandis. At quia ratione ſolius excommunicationis reſervatur, quæcumque excuſant ab excommunicatione, excuſant pariter ab hac Pontificia reſervatione. Hinc ab ea eximatur quicumque procuravit abortum ignorando cenſuram, etſi ignoretur culpabili ignorantia, dummodo non ſit ingens temeritas, nam in Bulla Sixti V., excommunicantur qui procurant abortum *ſcienter*, quæ particula exigit ſaltem ingentem temeritatem ad incurrendam cenſuram, ut ſuo loco dictum eſt. Excuſatur item a præfata reſervatione, qui ex gravi metu ab extrinſeco cauſato procuravit abortum, ut dictum eſt agendo de cenſuris. Dixi ab extrinſeco cauſato, nam metus mali, quod comitari ſolet actum a lege prohibitum non excuſat; leges enim prohibentes actum intelliguntur illum prohibere, etſi indiviſus ſit a malis, quæ ſolent illum comitari, qualia ſunt in caſu noſtro periculum infirmitatis, infamiæ, &c. Excuſantur a Pontificia reſervatione ipſæ mulieres prægnantes, ſi procurent, vel patiantur abortum. Excuſantur, qui ſunt cauſa abortus caſualis; nam cum ſimus in odioſis, pœnæ contra procurantes abortum intelligi debent de procurantibus abortum voluntarium, non de eo, qui ſequitur præter intentionem, vel non appoſita ipſius cauſa proxima; ut dixi ſupra loquendo de homicidio. Quod ſi ex aliquo ex præfatis capitibus non auferatur Pontificia reſervatio, tunc ſemper advertat Confeſſarius non poſſe ab hoc caſu abſolvere ex eo; quod ab Ordinario generalem habeat licentiam a caſibus reſervatis abſolvendi. Tempore vero Jubilæi poterit abſolvere; nam Pontifex non tenetur ad hunc caſum ſpecialiter deputare, ſicut Epiſcopus. In caſibus vero quibus ceſſat Pontificia reſervatio, Confeſſarius habens facultatem generalem abſolvendi a reſervatis, poterit & ab hoc abſolvere. Obſervare tamen debet reſervationem noſtræ Diœceſis non effugere Matres procurantes, vel patientes abortum, ut & ex litera caſus dignoſcitur;

Illis vero particulis: *quam quovis modo cooperantis ſcienter*, intelliguntur mandantes, præſtantes opem, conſilium, favorem, potionem, medicamenta abortum cauſantia, eadem conficientes, ſcribentes literas, apochas &c. Hi omnes comprehenduntur tam in Bullis Pontificum, quam in noſtro caſu. At prudens, & doctus Confeſſarius ſemper examinet, an hæ cooperationes fuerint efficaces, Et quidem ſi abortus non ſequatur, clarum eſt nullum incidere nec in noſtram, nec in Pontificiam reſervationem. Sed idem dicendum, ſi cooperatio vel conſulendo, vel mandando, vel quid aliud faciendo, vere non fuit cauſa abortus, quia mater jam omnino volebat ipſum quocumque modo procurare, & poteſt illius aſſertioni ſides præſtari, ſi aliqualis fidei digna ſit. Eodem pariter modo diſcurrendum de eo, qui ſolum fuit cauſa, ut brevi tempore abortus acceleraretur: nam ſi ejus conſilio &c. notabiliter accelerraretur, & ſpes erat, ut eo ſpatio pravus Matris animus mutaretur, non effugeret reſervationem. Demum in praxi tuto judicatur immunis a reſervatione, qui datum conſilium retractavit, quamvis abortus ſequatur. Qui plura deſiderat, non deſinat conſulere P. Manſi in explicatione hujus caſus.

CAPUT III.

De Homicidio ob conſervandam Vitam, Honorem, vel Divitias.

Q. I. AN liceat occidere injuſtum invaſorem ad propriam vitam tuendam.

R. Licitum eſt occidere injuſtum invaſorem, ſi id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Id conſtat *ex cap. ſignaſic. lib. 2. de hom.* ubi definitur omni jure licitum eſſe vim vi repellere. Et ratio eſt, quia cum unuſquique jus habeat ad conſervandam propriam vitam, poteſt tale jus defendere contra illum, qui injuſte vult ipſum tali jure expoliare. Neque refert injuſtum aggreſſorem eſſe ſtatim in æternum damnandum propter peccatum mortale, quod committit injuſte aggrediendo; nam hoc ſibi debet imputare, utpote quia ſe poſuit voluntarie in tali periculo in juſte aggrediendo, & aliunde poteſt ſe ab illo eripere, deſiſtendo ab aggreſſione.

Dixi tamen id faciendum eſſe cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc eſt, non animo ſe ulciſcendi, ſed injuriam propulſandi; Ulterius moderamen inculpatæ tutelæ exigit, ut occidatur injuſtus aggreſſor tunc ſolum, quando non eſt alia via defendendi propriam vitam; nam ſi ad ſui tutionem ſufficiat mutilare injuſtum aggreſſorem, vel clamore, aut alio modo ab ipſo ſe liberare, non eſt licita ipſius occiſio, quia tunc occidere aggreſſorem non eſt neceſſarium ad ſe defendendum.

Neque ſolum cum moderamine inculpatæ tutelæ poteſt quis occidere injuſtum Invaſorem ſuæ vitæ, ſed etiamſi illi immineret periculum gravis mutilationis, deformitatis, vulneris &c.; nam hujuſmodi æquiparantur morti, unde etiam in his caſibus licitum eſt vim vi repellere, etiam cum morte injuſti Invaſoris. Secus dicendum, ſi ſolummodo leve vulnus timeretur: *Salmant. tr. 10. c. 8. p. 4. a. 6.*

Q. II. An ſervetur moderamen inculpatæ tutelæ, ſi aliquis occidat injuſtum Invaſorem, dum alias poterat ſe præſervare fugiendo.

R. Communiter Theologi reſpondent cum diſtinctione: Si igitur agatur de iis, quibus fuga eſt valde ignominioſa, uti ſunt Nobiles, & Milites, communiter conveniunt non teneri fugæ ſe committere; nemo etenim tenetur cum gravi jactura bonorum, vel honoris, alterius vitæ conſulere, quando ipſe ſe voluntarie expoſuit periculo illam amittendi, & poſſet, ſi vellet, illam a tali periculo liberare. Hi vero, quibus talis fuga non eſt ignominioſa, ut ſunt Eccleſiaſtici, ſive Sæculares, vel Regulares, & homines, plebeii, tenentur fugere, nam cum nihil amittant fugiendo, debent abſtinere ab inferendo grave damnum ſuo proximo; & maxime ab illius occiſione, quæ ſolum poteſt eſſe licita ob defenſionem noſtræ vitæ, vel etiam honoris, ut infra dicetur. Solum admitterem licitum eſſe Eccleſiaſtico non fugere, & occidere injuſtum invaſorem, quando ex circumſtantiis fuga redderetur infamis; ut ſi fugiendo detegeretur aliquod crimen, quod perpetrabat, e. g. adulterium, quod committebbat cum muliere illius, a quo fuit aggreſſus. In his circumſtantiis, cum fuga eſſet pro Eccleſiaſtico valde probroſa. valet pro ipſo ratio allata pro milite, & viro Nobili: *Pal. hic diſp. 6. p. 14. ſ. 8. Leſſ. l. 2. c. 9. d. 12. Lend. hic q. 34. & 36.* Cæterum ſæpe, quicumque invadatur non tenetur fugere, nam fuga poteſt reddi periculoſa, ut ſi fugiendo timeatur vulnus a tergo &c.

Q. III. An liceat prævenire, & occidere injuſtum Invaſorem, a quo quis eſſet occidendus.

R. Siquis merito timeat, quod ni præveniat, volentem occidere, non poterit poſtea reſiſtere, utique licebit illum prævenire; nam in tali caſu non eſt aggreſſio, ſed juſta defenſio: & ridiculum eſſet velle ipſum cogere ad expectandam aggreſſionem, quando juſte timeret non poſſe tunc reſiſtere. Oportet tamen imminere aggreſſionem injuſtam; ac proinde pro defenſione propriæ vitæ non licebit occidere miniſtros juſtitiæ, quando juſte aliquem reum invadunt. Hinc obſervare licet diſcrimen, quod eſt inter eum, qui prævenit invaſorem, quando injuſtæ ejus invaſioni non poſſet reſiſtere, & inter illum, qui poſtquam aggreſſus abiit, illum percutit, vel vulnerat. Primus, ut dictum eſt, ſe juſte defendit: Secundus ſe ulciſcitur, nam dum aggreſſor jam abiit, non eſt amplius defen-

defenſio, quia ceſſavit aggreſſio. Secus dicendum eſſet, ſi certe immineret periculum novæ aggreſſionis, quia in tali caſu vulnerare, ſau occidere fugientem, non eſſet vindicta, ſed dura defenſio juxta modo dicta: *Lugo diſp.* 10. *Anton. a Spir. S. d.* 2. *de hom. ſect.* 1. *Bon. de Reſt. d.* 3. *q. ult. p.* 8. *n.* 2.

Q. IV. An cum moderamine inculpatæ tutelæ liceat occidere Invaſorem alterius vitæ.

R. Non ſolum pro defenſione vitæ, & membrorum Parentis, Uxoris, Prolis &c. ſed etiam pro defendendis Extraneis Innocentibus, licitum eſt iniquum aggreſſorem occidere. Ita babetur *ex arg. can. fortitudo* 5. *cauſ.* 23. *q.* 23. ubi laudatur defendens non ſolum Patriam, ſed etiam Infirmos, & Socios a latronibus. Confirmatur *ex cap. directo* 6. *§. Et quidem de ſent. excom.* ubi dicitur reus criminis, qui, dum poteſt, non defendit innocentem; & concordat *len.* 1. *§.* 4. *ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* Ratio autem eſt, quia jubemur proximos diligere ſicut & nos ipſos, ergo etiam defendere, dum poſſumus. Hinc *Exod.* 2. laudatur Moyſes quod occiderit Ægyptium injuſtum aggreſſorem cujuſdam Hebræi.

Bene autem advertunt hic DD. nos teneri ad defendendam vitam Proximi etiam cum aliquali noſtro incommodo; nam vita Proximi ita eſt bonum altioris ordinis, ut dictet Charitas eſſe defendendam etiam cum noſtro incommodo, ut conſtat ex dictis de Charitate. Non tamen tenemur, quamvis ex dictis licite fieri poſſit, eam defendere cum morte invaſoris, quia hoc modo nec tenemur propriam vitam defendere. Immo cum invaſor ſit nocens, potius ab ipſius morte erit abſtinendum, cum conſtet in gravi peccato moriturum: *Lugo diſp.* 10. *num.* 208. *Filiuc. tr.* 29. a. 57. Aliter diſcurrendum, ſi perſona invaſa eſſet Pater, Mater, Filius, Princeps &c., nam tunc titulo conſanguinitatis, vel ſubjectionis teneremur etiam cum morte aggreſſoris tueri: *Lugo d.* 10. *Hurtad. diſp.* 11. *diff.* 13. *Anton. a Sp. S. tr.* 8. *d.* 2. *a.* 43.

Illud etiam advertendum, quod ſi invaſus dedit cauſam invaſioni, non poteſt cum alterius morte defendi, ſi nolit ab ea deſiſtere. Quod ſi paratum ſe oſtendat deſiſtere ab invaſione, tunc cum non amplius ſit aggreſſor, reputatur innocens, adeoque, ſi neceſſe ſit, poteſt & morte alterius defendi, quamvis defenſionem reſpueret; cum etenim non ſit ſuæ vitæ dominus; non poteſt ab aliis jus defenſionis adimere: *Lugo diſp.* 10. *n.* 202. & alii, quos ſequitur Leander *qu.* 44.

Q. V. An liceat occidere furem volentem ſurripere bona fortunæ; & quid dicendum de occiſione illius, qui iniqua ſententia vellet expoliare nos rebus, quas actu poſſidemus; ſeu impedire; ne poſſidere poſſimus res, ad quas jus habemus.

R. I. Licitum eſt occidere injuſtum invaſorem bonorum fortunæ, ſi ſint magni momenti, nec alia via poſſint defendi, aut recuperari. Ratio eſt, quia licitum eſt defendere quæ poſſidemus, ergo & licitum erit uti mediis neceſſariis ad talem defenſionem, ergo & occidere furem, quando alia via non ſuppetat ea defendendi: *arg. cap. præterea* 5. *de offic. & poteſt. Judic. Deleg. & l.* 2. *ff. de juriſd.* Præterea *leg. Advocati* 14. *Cod. de Advoc. divers. Judic.* bona noſtra quodammodo vitæ comparantur, utpote neceſſaria ad vitam conſervandam, quapropter videtur fere eodem jure vitam, ac ipſa bona poſſe defendi: *Lugo diſp.* 10. *a.* 175. *Dian. p.* 5. *tr.* 14. *reſol.* 17. & communiter.

Dixi nihilominus, ſi ſint bona *magni momenti*, etenim Innoc. XI. ſub *num* 31. ſequentem damnavit propoſitionem: *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.* Ratio autem eſt, quia tam grande bonum eſt vita proximi, ut non poſſis niſi irrationabiliter ea expoliari propter leve noſtrum malum, dictante ſemper Charitate ſuſtinendum eſſe leve incommodum, ne proximus graviſſimum malum patiatur; adeoque cum amiſſio aurei leve reputetur damnum, non eſt occidendus proximus pro eo conſervando. Non taxant autem Authores quanti debeat eſſe valoris res, pro qua conſervanda liceat furem occidere, dicentes ſolum in generali id eſſe licitum, quando Dominus ex amiſſione talis rei gravi pateretur damnum. Cum igitur alicui leve damnum poſſit eſſe amiſſio e. g. decem aureorum, alteri valde grave, licebit huic pro conſervatione decem aureorum occidere volentem eos ſurripere, non vero licebit primo. Immo & pauperi tale poſſet eſſe grave damnum amiſſio unius aurei, ut pro ipſo conſervando poſſit furem occidere; ac proinde propoſitio damnata ſolum damnatur, quatenus aſſerebat *regulariter* licitum eſſe occidere pro defenſione unius aurei. Videantur Autores ſcribentes in præfatam propoſitionem. Inſuper notant DD. quod ſi fur volens ſurripere aureum, inſimul vim, & gravem injuriam vellet inferre; ut ſi vellet a viro honeſto, & nobili vi e manibus, vel e crumena aureum rapere, poſſet licite occidi; nam tunc occiſio non tam eſſet pro aurei defenſione, quam ad propulſandam gravem injuriam: *Lugo n.* 178. *Leſs. l.* 2. *cap.* 9. *n.* 68.; *Hurtard. d.* 11. *de reſt. diff.* 12.

Addidi ſolum licere occidere, quando alia via bona noſtra non poſſint defendi, aut recuperari; nam alias non ſervaretur moderamen inculpatæ tutelæ. Non liceret ergo occidere furem, quoties clamando quis poſſet habere aliorum auxilium, & rem ſuam defendere, aut recuperare, vel ſi poſſet furem capere. Item ſi haberet teſtes, quibus poſſet rem ſuam in judicio recuperare, vel alio modo.

R. II. Non poſſunt licite occidi Accuſatores, Teſtes, & Judices, etſi expoliandi eſſemus rebus, quas actu poſſidemus, vel impediendi a poſſeſſione rei, ad quam jus habemus. Id conſtat ex ſequentibus damnatis propoſitionibus. Prima eſt Alex. VII. qui ſub *num.* 18. ſequentem damnavit propoſitionem; *Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Judicem; a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt Innocens damnum evitare.* Altera eſt damnata ab Innoc. XI. ſub *num.* 32. *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* Tertia, quæ eſt ſub *num.* 33. ita ſe habet: *Licitum eſt tam Hæredi, quam Legatario contra injuſte impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſte impedientem.*

Ratio primæ partis eſt, quia defendere ſe defenſione occiſiva adverſus teſtes, & Judices volentes nos expoliare iis, quæ actu poſſidemus, eſt defenſio immoderata; nam tale damnum poteſt alia via reparari, videlicet adhibendo teſtes, reclamando, appellando &c. Neque obſtat poſſe dari caſum, in quo neque poſſit his modis removeri damnum, quod timetur, id etenim eſſet per accidens. Non conveniens autem fuit, naturam permittere hanc defenſionem immoderatam in aliquo rariſſimo caſu, nam hoc eſſet aperire viam innumeris cædibus; plures enim ex paſſione ſibi certo perſuaderent Judicem, & teſtes eſſe injuſte infenſos, adeoque licere eos occidere. Sicuti quamvis in aliquo caſu non defutura eſſet bona educatio Filiis, qui naſcerentur ex copula fornicaria, nihilominus voluit lex naturalis numquam licitam reputari fornicationem, quia, ordinarie loquendo, talibus Filiis deeſt bona educatio; & aliunde ſi eſſet licita in aliquo raro caſu, in quo non deeſſet, aperiretur via innumeris fornicationibus, eo quod unuſquiſque ſibi, paſſione impellente, perſuaderet, non defuturam proli naſcituræ bonam educationem.

Ratio ſecundæ partis, qua ſcilicet aſſeritur non eſſe licitum occidere impedientem nobis injuſte poſſeſſionem rei, ad quam jus habemus, redditur evidens, ſi duo obſerventur. Primum eſt, nunquam licere occidere volentem nobis grave damnum inferre, niſi ſit evidens alia via non poſſe eſſe damnum impediri, vel reparari. Secundum eſt, & paulo ante dicebam, quod quando, ordinarie loquendo, poteſt alia via damnum declinari, non eſt licita occiſio, quamvis in rariſſimo caſu non poſſet damnum impediri, ſi admiſſo quod licita eſſet occiſio, gravia mala in Communitate, & Republica ſequerentur; tunc enim dictat ratio naturalis propter avertendum commune malum, non eſſe licitum tale medium neque in caſu rariſſimo propter bonum alicujus particularis. His poſitis, conſtat non eſſe licitum occidere volentem nobis impedire poſſeſſionem rei, ad quam jus habemus; nam via ordinaria eſt, ut per Judices obtineamus ea, ad quæ jus habemus. Quod ſi in aliquo raro caſu hoc medium non ſufficeret, hoc eſſet per accidens, & aliunde ſi eſſet licitum occidere injuſte impedientem, heu quot clades ſequerentur! Unuſquiſque a ſua paſſione deceptus putaret Teſtes, & Judices, ſive alios quoſcumque ſibi eſſe injuſte infenſos in impedienda poſſeſſione, quam prætenderet, & ita ſæpe ſæpius occiderentur homines &c.

Q. VI. An liceat occidere invaſorem honoris, & pudicitiæ.

R. I. Non licet occidere eum, qui nititur calumniam inferre. Id conſtat ex pluribus damnatis propoſitionibus. Prima eſt Alex. VII. qui ſub *n.* 17. hanc damnavit propoſitionem: *Religioſo, vel Clerico Calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere, minitantem, licet occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit.*

petit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit pa-rvetas vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publice, & coram graviſſimis viri prædicta impingere, niſi occidatur. Altera, quæ eſt ſub *num.*30. inter damnatas ab Innoc. XI. ita ſe habet: *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugit.*

Ratio autem conſtat ex prædictis, nunquam etenim licet ſe tueri defenſione occiſiva, ni certo conſtet grave damnum eſſe inferendum, & aliunde non poſſit alia via reparari. Primo ergo non licebit interficere calumniatorem ex gravi damno, quod certe immineat; nam incertum eſt ex calumnia grave imminere damnum, calumnia etenim non invenit fidem apud ſapientes, & potius ſolet dehoneſtare calumniatorem. Secundo, non licet occidere calumniatorem ex alio capite, nam calumniam poteſt, ordinarie loquendo, reparari mediante Judicis authoritate, adhibendo teſtes &c. Immo calumniatorem occidere non eſt medium utile ad propulſandam calumniam, cum hoc pacto magis ſoleat divulgari, & acquirere fidem apud audientes.

Sed demus revera ex calumnia grave damnum imminere, & nullam eſſe viam ad eam impediendam, niſi calumniatorem occidendo, adhuc non eſſet talis occiſio licita. Id probatur ex prædictis, nam omni facilitate hallucinarentur homines, vel timendo grave imminere damnum, quod nullum eſſet, vel alia via non eſſe reparabile: ſicut etiam facile crederent calumniatores eſſe eos, qui juſto titulo aliquid dicerent. Ex his autem pater innumera ſequutura homicidia, ſi admitteretur licitum etiam in præfato caſu occidere calumniatorem; unde quia, ſi admitteretur ut licita occiſio invaſoris etiam in præfatis circumſtantiis, irreparabilia ſequerentur mala bono publico, hinc eſt neque in caſu rariſſimo admittendum eſſe licitam occiſionem Calumniatoris, ſed expectandum a Deo, ut famam amiſſam reſtituat.

R. II. Quando honor non eſt ordinarie reparabilis per Judicem, ſeu non poteſt per iſtum removeri ignominia, quam quis facere intentaret, tunc licet occidere volentem graviter nos dehonorare. Exemplum ſit, dum aliquis vellet viro Nobili alapam impingere, aut fuſta percutere: hæc injuria, poſtquam accepta eſt, nunquam eſt reparabilis mediante Judice; quæcumque enim pœna ſtatuatur contra percuſſorem, ſemper remanet graviter læſus honor illius, qui fuit percuſſus. Cum igitur in tali caſu non poſſit averti dehonoratio niſi defenſione occiſiva; & cum aliunde unuſquiſque jus habet ſuum defendendi honorem contra volentem graviter dehonorare, ſequitur, licitum eſſe illum occidere. *Cardea. diſſert.* 21. *c.* 3.

Poſt alapam vero impactam non erit licitum occidere, ſeu vulnerare percuſſorem fugientem, ut etiam patet ex ſupracitatis propoſitionibus damnatio. Ratio eſt, quia in tantum poſſet eſſe licitum fugientem repercutere, in quantum repercuſſione auferretur injuria illata; ſed revera non auferetur niſi apud imprudentes, nam homines cordati, & vere chriſtiani conſiderant repercuſſionem ut meram vindictam acceptæ injuriæ, non ut medium ad recuperandum honorem. Nihili autem æſtimandum judicium imprudentum, ſed ſolum virorum timoratæ conſcientiæ. Quod ſi non licet occidere percuſſorem fugientem, multo minus dum alibi quietus exiſtat, vel dum veniam petat, ſeu offerat ſatisfactionem.

Aliud exemplum ſit reſpectu illius, qui vellet violare fœminam &c. ſi etenim hæc non poſſit ſe liberare ab invaſore clamando, vel alia via, poteſt etiam illum occidere neque enim hujuſmodi injuria eſt per Judicem reparabilis. Ulterius ſi bona fortunæ poſſumus tueri occidendo furem, quando alia non ſuppetat via pro iis defendendis, multo magis erit licitum invaſorem pudicitiæ occidere, cum hæc ſit bonum altioris ordinis, & non deperdatur ſine gravi dedecore. Addandum id habere ſibi annexum periculum conſenſus in delectationem. Ita communiter DD., quos ſequitur *Leander diſp.*14. *q.* 12. & 13.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum dictum ſit licere prævenire eum, qui vellet aliquem occidere, ſi aliunde non poſſet ſuam vitam tueri ille qui eſſet invadendus, obſervare debet Confeſſarius hanc doctrinam difficiliter in praxi poſſe locum habere. Si etenim aliquis ſciat velle aliquem ipſum occidere, cur non poterit ſe occultare? ſe continere domi? Judicis aſ-ſiſtentiam, vel aliorum invocare? Præterea cum ſolum locum habeat talis doctrina, quando ſaltem certum moraliter eſt aliquem ab altero occidendum, advertere eſt non proinde poſſe occidi eum, qui mortem minitatur, ſi alias non fuerit ſolitus minas executioni mandare &c.

II. Quamvis licitum ſit occidere propriæ vitæ invaſorem, nihilominus nemo tenetur ipſum invaſorem occidere, ni forte invaſus ſit in peccato mortali, adeoque timeat damnationem, ſi occidatur. Tunc ſi poſſet, deberet invaſorem occidere ex charitate erga animam ſuam. Idem dicas ſi ex ejus morte ſequatur maximum damnum ſuæ familiæ, Uxori, Filiis, aliiſque quos alere teneatur. Extra hos caſus poteſt ſuam vitam temporalem exponere pro ſalute ſpirituali invaſoris; nam ſi occidatur, propter peccatum mortale, quod commiſit in ipſa aggreſſione, eſſet ſtatim ad infernum damnandus.

III. Cum non liceat occidere furem, ni quando furripiat rem magni momenti, & non alia ſuppeteret via ad illam recuperandam, advertere eſt in praxi difficile dari caſum, in quo licitum ſit occidere furem, ni forte eripuiſſet crumenam nummorum, gemmas, vel quid pretioſum; quæ non poſſent Judicis authoritate recuperari. Ratio eſt, quia alia res domeſtica, quam poſſet fur furripere, ordinarie loquendo, non erit res tanti valoris, ut magnum afferre poſſit incommodum. Secus dicendum, ſi noctu plures eſſent fures uniti ad ſurripienda, quæ eſſent in aliqua domo; nam tunc, ſi non timerent, & ſi non fugerent, quando Dominus clamaret, certe grave immineret damnum.

IV. Nunquam videtur licitum occidere, qui alterum appetit verbis, nam contra verba ſufficit ſe verbis defendere; & cum patienter ſuſtinere contumelias ſit modus augendi honorem, quem alter verbis vellet denigrare. Ulterius communiter verbis nullus dehonoratur, nam nemo credit vera eſſe ea improperia, quæ aliquis iracundia motus contra alterum evomit, ac proinde ita contumelioſe loquens nullum dehonorat.

V. Multoties licebit puellæ non ſolum dum violenter deſoculatur, tangitur &c. ſed etiam immediate poſt, pugnis, alapis, fuſtibus, & etiam ictibus non periculoſis percutere Juvenem, qui voluit illam tangere, deoſculari &c. Ratio eſt, quia niſi ita agat, non demonſtraret animi puritatem, & conſtantiam; & redderet Juvenem in poſterum animoſiorem. Semper cum igitur non ita agat ad vindictam, ſed ut deterreat Juvenem, ne redeat, poterit id facere: immo conſulendum ipſi eſt, ut ita agat; nam ni puellæ ita demonſtrent ſui animi puritatem, ſolent a Juvenibus inhoneſtis denuo ſolicitari, repentinis oſculis dehonorari &c.

CAPUT IV.

De Duello.

Q. I. **Q**Uid ſit duellum.

R. Duellum, græce Monomachia, quaſi ſit pugna inter duos ſolos, ita ſolet definiri: *Pugna deliberata inter duos, vel plures facta, hoc eſt, ex pacto invicem inito, ſtatuto tempore, & loco, cum periculo vulneris, mortis, aut mutilationis.*

Ex hac definitione, quæ communis eſt apud Theologos, infertur plures rixas nullatenus eſſe duellum. Primo, non eſt Duellum, ſi rixa naſcatur ex ſubito iræ motu, vel aliqua altercatione; nam tunc non rixatur ex condicto. Secundo, ſi duo incipientes rixari vel in Eccleſia, vel in aliqua domo, ob reverentiam loci ſacri, vel ne injuriam faciant Domino loci, ſe invitent ad pugnandum extra Eccleſiam, vel extra Domum, non eſt duellum, quia eſt continuatio rixæ, antea in præcedentibus locis extortæ. Secus, ſi poſtquam extorta eſt rixa in locis prædictis, ibidem convenirent de pugnando ſtatuto tempore, loco: *Filiuc. t.* 2. *tr.* 15. *q.* 111. *Reginal. l.* 21. *n.* 13. Non deſunt tamen qui contradicant. Tertio, ſi aliquis alteri dicat, pugnabo tecum, quando mihi obviam eris per urbem, non committitur duellum, quia non adeſt deſignatio loci, & temporis: *Tambur. l.* 6. *in Decal. cap.* 1. *§* 3. *n.* 11. & 12. aliis citatis. Idem pariter dicatur, ſi etiam in rixa quis alteri diceret: eas domum ad capiendum enſem, & hic, vel alibi te expecto. Hanc, & ſimiles rixas ſaltem dubitari poſſe, an ſint duellum, docet Tamburinus.

Additur in definitione *cum periculo vulneris, mutilationis, aut mortis*; nam ſi eſſet ad oſtentationem, unde inſimul duo conveniſſent de nullo malo ſibi inferendo

non eſſet duellum. Idem dicendum, ſi duo etiam ex condicto cum deſignatione temporis, & loci ſimul dimicarent pugnis, avulſione capillorum, vel levi baculo.

antiquitus duellum fuit introductum ad dirimendas lites, ad veritatem inveſtigandam, & ad probandam innocentiam; & pro innocenti reputabatur qui victor remanebat; adeoque *cap. ſignificantibus extra, de vulgari &c.* dicitur vulgaris probatio. Modo nihilominus ſumitur a DD. pro quacumque provocatione ad pugnandum cum deſignatione loci, & temporis. Neque ſolum dicitur duellum illud, quod eſt ſolemne, hoc eſt, cum Patrinis, & Spectatoribus, cum publica affixione provocationis ad pugnandum, deſignatis armis, &c. ſed etiam quod fit inter duos, deſignato tempore, & loco.

Q. II. An aliquando liceat duellum.

R. I. Ordinarie loquendo, non eſt licitum duellum, unde prohibetur *can. monomachiam 2. q. 5. cap. cura de purgat. vulg., cap. Henricus, & fin. de Cler. pugn. in duell.* Illud etiam prohibuere plures Pontifices, ſicut etiam *Trid. ſeſſ. 25. cap. 19. de reform.* & poſt Trident. Gregorius XIII. & Clemens VIII. Denique Alex. VII. ſol. *num.* 2. ſequentem damnavit propoſitionem. *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam incurrat.*

Ratio autem cur, ordinarie loquendo, non ſit licitum duellum, eſt, quia nulli licet ſine fine rationabili, magni momenti periculo exponere ſuam vitam, & vitam proximi, cum noſtræ vitæ Dominus ſolummodo ſit Deus. Qui autem non videat quam irrationabile ſit exponere vitam in duello, ut fieri ſolet procriminis purgatione, ita ut declaretur ſine culpa, qui remanet victor? Certe qui eſt reus, ſi melius ſciat pugnare, victor remanebit; & en quod nulla ratione exponitur manifeſto diſcrimini noſtra vita. Præterea; ut conſtat, duellum non non eſt medium, aptum, ſed atrox ad conſequendum finem, qui intenditur, ut erat etiam antiquitus quando fuit introductum ad dirimendas lites, ad inveſtigandam veritatem; ad probandam innocentiam &c. Et quidem manifeſte eſt tentare Deum aſſumere duellum ad veritatem indagandam; neque enim Deus promiſit hujuſmodi medio veritatem manifeſtare, unde bene ſtat mendacem poſſe remanere victorem: Idem dicendum, ſi aſſumatur duellum ad dirimendam litem, quia Deus non promiſit hoc medio manifeſtare cuinam ex partibus adſiſtat ratio.

R. II. Neque licitum eſt duellum offerre, ſeu acceptare ad reparandam factam injuriam; ſicut neque ad fugiendam notam timiditatis, Prima pars non ſolum probatur, quia duellum eſt medium improportionatum ad reparandam injuriam, cum ſæpe moriatur qui fuit injuriatus, ſed etiam quia vindicare injurias pertinet ad publicam authoritatem, ac proinde male agit qui vult privata authoritate reparare injuriam ſibi factam.

Secunda pars probatur; quia ut dixi, Alexand. VII. ſub *n.* 2. hanc damnavit propoſitionem: *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Ratio eſt primo, quia fugere notam timiditatis eſt finis valde futilis, & leviſſimi momenti, ac proinde omnino eſt contra rationem pro tali fine prodigere vitam. Secundo, quia apud homines prudentes, & probos nulla incurritur nota timiditatis, ſi, ut ſerventur leges Eccleſiæ, & ſtatuta Principum, non acceptetur duellum; immo ipſum acceptando apud tales homines incurritur nota gravis infamiæ, ita ſtatuente Tridentino *ſeſſ. 25. c. 19. de reform.* Tertio, quia provocatus duellum facile poteſt vitare notam timiditatis, ſi dicat: nolo tranſgredi divinas, humanaſque leges, verumtamen paratus ſum me defendere, ſi a te, vel a quocumque alio agreſſus fuero.

R. III. Licitum eſt acceptare duellum, quando alia via non ſuppetat ad conſervandam propriam vitam, & bona temporalia gravis momenti. Ratio eſt, quia ſi alia via non ſuppetat, eſt defenſio propriæ vitæ, & bonorum, non duelli acceptatio. Si ergo, reſpuendo duellum, poſſit ſtatim ſe defendere, & ſua bona, non debet ad duellum acceptare. Ita aliis citatis Barboſ. *in Coll. ad Conc. Trident. ſect. 25. de reform. c. 19. n. 17.*

R. IV. Licitum eſt acceptare oblatum duellum ob malum publicum advertendum. Ratio eſt, quia eſt actus eximiæ virtutis propriam vitam morti exponere ad damnum publicum avertendum. Ita legimus 1. *Reg.* 17. David deſcendiſſe ad ſingulare certamen cum Goliat ad removendum opprobrium ex Iſrael, & cladem exercitus valde perterrefacti.

R. V. Poteſt innocens acceptare duellum, ſi aliam non habeat viam ſe a morte liberandi. Verum quidem eſt hoc eſſe omnino illicitum, ſemper cum acceptatur duellum ad manifeſtandam veritatem; nam ut diximus, id eſſet tentare Deum, quia duellum non eſt medium proportionatum ad talem finem. Si vero acceptet ſolum animo ſe a morte liberandi, tunc acceptatio, cum eſſet vera defenſio, non eſſet illicita. Idem dicas, ſi Judex duobus ad mortem condemnatis daret optionem ad invicem pugnandi, ita ut victor deberet a morte liberari; nam hoc non eſſet duellum, ſed velle ſe a morte liberare, & alium occidere, tamquam juſtitiæ miniſtrum; *Bon. diſp. 2. de Cenſ. q. 3. p. 46. numer. 18. Filiuc. tr. 29. c. 8. n. 159. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5. n. 1.*

Q. III. Quæ ſint pœnæ ſtatutæ contra duellantes, & quas perſonas afficiant.

R. Concilium Trid. *ſeſſ. 25. c. 19. de ref.* hæc habet ad eliminanda duella a Chriſtiana Republica: *Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini Temporales, qui locum ad monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati, ac juriſdictione, & dominio Civitatis, Caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, privati intelligantur, & ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquirantur. Qui vero pugnam commiſerint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta SS. Canones puniri debeant; & ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuo careant Eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam, qui conſilium in cauſa duelli tam in jure quam in facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam ſuaſerint; nec non ſpectatores excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur, non obſtante &c.*

Pius IV. in ſuo Motu proprio edito anno 1560. extendit excommunicationem, & reliquas pœnas ad facientes diffidationes, aut ad id incitantes, provocantes, ſeu dantes auxilium, conſilium, vel favorem; inſuper ad adſtantes, & intereſſentes duellis, & inſimul ad chartulas deſuper ſcribentes, ac publicantes: & præfatam excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſervavit.

Gregorius XIII, in alio Motu proprio edito anno 1582. præfata omnia extendit ad duella privata, quæ ſcilicet fiunt abſque Patrinis, & literis provocatoriis; & ſtatuit eadem excommunicatione ligari Dominos locorum, qui permitterent hujuſmodi privata duella, aut non prohiberent. Inſuper in eamdem incidunt excommunicationem omnes mandantes, & iſtigantes, dantes auxilium, & conſilium, ſcienter ſubminiſtrantes equum, arma, pecunias, aliaque ſubſidia, comitantes, ſpectatores ex propoſito, aut ſe ſocios præbentes; quamvis illi, qui debeant committere duellum, & proinde ad deſtinatum locum acceſſerunt, impediti non commiſerint pugnam, ſemper cum per ipſos non ſteterit, quominus duellum committeretur.

Præfata omnia confirmavit Clemens VIII. in alio Motu proprio anno 1592. & inſuper voluit Civitates, Oppida, & Caſtra; ſeu loca, in quibus committitur duellum, ſupponi Interdicto Eccleſiaſtico, quando tamen præfata duella tacite, vel expreſſe permiſerint, ſeu toleraverint Domini, vel Magiſtratus.

Adſunt aliæ pœnæ ſtatutæ contra Clericos duellantes. Primo igitur, ut conſtat *ex c. 1. de Cler. pugn. in duell.* Clerici incurrebant pœnam ſuſpenſionis; quamquam enim in textu dicatur talis Clericus *deponendus*, nihilominus DD. pro depoſitione intelligunt ſuſpenſionem; ibidem etenim conceditur Epiſcopus facultas diſpenſandi, quæ ſolum verificatur de ſuſpenſione, nam in depoſitione vix Papa diſpenſat. Accedit, talem ſuſpenſionem non eſſe latæ, ſed ferendæ ſententiæ.

At magis in Clericos duellantes animadvertit Pius IV. in Conſtit.; quæ incipit *Ea, quæ a Prædeceſſoribus &c.* Ubi igitur fertur excommunicatio latæ ſententiæ Papæ reſervata, & privatio omnium Beneficiorum Eccleſiaſticorum, & Dignitatum, & inhabilitas ad illa, vel alia ipſo facto, contra Clericos pugnantes in duello, provocantes, id tentantes, locum dantes, comitivam præſtantes, ſubſcribentes chartas duelli, affigentes, publicantes, faventes, conſulentes, vel adſtantes; atque horum omnium abſolutio, vel diſpenſatio Papæ reſervatur. Hæc Bulla loquitur de duello formato; nihilominus eam cum omnibus ſuis pœnis extendit Clemens VIII. etiam ad duellum informe, & minus ſolemne.

Q. IV.

Q. IV. An omnes præſatæ pœnæ ipſo facto incurrantur.

R. Nullum dubium eſt excommunicationem ipſi Papæ reſervatam ſtatim incurri, ſemper cum ſit contra Conſtitutiones ſupra citatas, nam cenſuræ, quæ ſunt latæ ſententiæ, ipſo facto incurruntur abſque aliqua ſententia etiam criminis declaratoria, ut communiter docent Theologi.

Quoad infamiam vero; & proſcriptionem bonorum, amiſſionem loci, in quo ſit duellum, inhabilitatem ad Beneficia jam obtenta, prærequiritur ſententia criminis declaratoria: *Carafa de duell tr. 2, ſect. 3. qu. 7. a num. 2.* Id autem probatur ex illa regula generali, quod dum leges ſtatuunt aliquas pœnas ipſo facto incurrendas, ſi iſtæ pœnæ privent aliquo jure quæſito, ſaltem expectanda ſit ſententia declaratoria criminis; ſi etenim quis ſtatim ſe deberet expoliare iis, quæ poſſidet, tales leges non viderentur accommodatæ conditioni humanæ. Idem dicitur de pœnis poſitivis, quæ requirunt aliquam actionem ad ſui executionem. Quoad inhabilitatem vero ad alia beneficia obtinenda; valde probabile eſt ſtatim incurri ante omnem Judicis ſententiam; quia tunc non agitur de privatione alicujus juris jam quæſiti. Non deſunt tamen qui contrarium ſuſtineant: *Lezan. t. 3. v. duellum.*

Quoad privationem ſepulturæ Eccleſiaſticæ magnus eſt conflictus inter Theologos, Omnes quidem dicunt duellantes morientes in ipſo conflictu privandos eſſe Eccleſiaſtica ſepultura, quamvis ibidem aliqua dederint ſigna pœnitentiæ. Ratio eſt, quia Tridentinum, & Conſtitutiones Pontificiæ abſolute decernunt morientes in duello privandos eſſe Eccleſiaſtica ſepultura; neque faciunt diſtinctionem inter dantes, vel dantes non ſigna pœnitentiæ. Immo Rituale Romanum *in Rubr. de exequiis* ita loquitur: *Negatur Eccleſiaſtica ſepultura morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederunt pœnitentiæ ſigna*. Non conveniunt vero Teologi, an privandus ſit Eccleſiaſtica ſepoltura qui ante mortem recepit Sacramentum Pœnitentiæ, ſi deceſſerit in loco conflictus, Multi affirmant, qui Tridentinum abſque ulla limitatione vult privandum Eccleſiaſtica ſepultura eum, qui deceſſerit in loco conflictus, & ad id extirpandum pravum abuſum duellorum. Hæc opinio eſt conformis juri; nam motivum privandi duellantes Eccleſiaſtica ſepultura, eſt duellorum extirpatio, quod motivum habet locum, etiamſi duellantes morientes in luco duelli exhibeant ſigna pœnitentiæ, & ſacramentalem abſolutionem obtineant: *Bon. t. 3 d. 2. q. 3. p. 48. num. 22. Dian. p. 4. tr. 4. reſol.* 192. Alii nihilominus volunt hunc non eſſe privandum Eccleſiaſtica ſepultura, quia dicunt, Tridentinum, & Pontificias leges hunc privare Eccleſiaſtica ſepultura, *ſi in conflictu moriatur*: non videtur autem verificari mori in conflictu ille, qui poſt ipſum ſacramentaliter confitetur antequam moriatur: *Tambur. lib. 6. cap. 1. §. n. 13.* Eamdem doctrinam extendunt ad illum, qui poſt conflictum dedit ſigna contritionis, quamvis ex defectu Sacerdotis non fecerit confeſſionem; nam ſi tale tempus interceſſerit poſt duellum, ut verificetur moraliter obiiſſe poſt duellum, jam non obiit in conflictum, ſed poſt conflictum, unde non videtur privandus Eccleſiaſtica ſepoltura. Ad illud, quod ſupra dictum eſt, duellantem privandum eſſe Eccleſiaſtica ſepultura etſi dederint ſigna pœnitentiæ, reſpondent, id poſſe intelligi de ſignis pœnitentiæ, quæ darent in ipſo conflictu, vel phyſice immediate poſt conflictum, ſi poſtea ſtatim moriatur; nam tunc deberet privari Eccleſiaſtica ſepultura. Hæc ſententia non caret ſua probabilitate; & cum aliunde odia, & pœnæ ſint reſtringendæ puto eam in praxi tutam.

Multo minus hi Theologi conſentiunt iis qui volunt excludendum eſſe ab Eccleſiaſtica ſepultura illum, qui moritur extra locum duelli etiam poſt duos, & tres dies ſed ex vulnere lethali acceto in duello, dicentes moraliter verificari obiiſſe in duello, cum moriatur ex vulnere ibi accepto. Iſtis, inquam, alii Theologi non conſentiunt; nam verba legis pœnalis ſunt ſtricte, & rigoroſe interpretanda; unde videntur omnino intelligenda de iis, qui moriuntur in loco duelli, non vero extra illum oando ſigna pœnitentiæ &c. *Carafa de Duellar. tr. 2. ſect. 3. q. 19. a. 9. Dian. p. 11. tr. 6. reſol. 26.*

Denique non videtur Parochus debere privare Eccleſiaſtica ſepultura illum, qui cum ſignis pœnitentiæ moritur in loco duelli, ſi duellum non fuit evidenter notum; nam publicæ pœnæ ſolum vitiis publicis ſunt infligendæ Deberet igitur Parochus conſulere Epiſcopum, vel ejus Vicarium, & ſi hi longe eſſent, deberet mortuum in loco ſacro ſepelire, licet poſſet poſtea Ordinarius, publicato crimine, velle exhumari: *Barboſ. de Offi. Parochi p. 3. c. 26. n. 46.*

Q. V. Qui poſſint abſolvere a cenſuris, aliiſque pœnis inflictis ratione duelli.

R. Quamvis abſolutio ab excommunicatione, quæ incurritur propter duellum, ſit Papæ reſervata, nihilominus ſi delictum ſit occultum, & non deductum ad forum contentioſum, poteſt ab ea abſolvere Epiſcopus facultate ipſi conceſſa a *Trid. ſeſſ. 24. c. 6.* Neque dicendum fuiſſe revocatam a Clemente VIII. in ſuo Motu proprio; nam ut diceretur revocata, erat neceſſarium id exprimere. Citatur ab Authoribus Decretum S. Congregationis editum de mandato ejuſdem Pontificis, quo in Italia aufertur Regularibus facultas abſolvendi a præfata excommunicatione, quam ſibi prætendebant competere virtute ſuorum privilegiorum.

Regulæ in praxi attendendæ.

I. Cum non detur verum duellum, ni adſit periculum gravis vulneris, mutilationis &c. dicendum eſt non committere duellum, neque in excommunicationem incidere eos, qui pergunt ad deſtinatum locum ſine animo pugnandi, cum jam convenerint cum Amicis, ut ibi adſint, impediant pugnam, & pacem componant. Veruntamen eſt difficiliter id fieri poſſe abſque gravi peccato propter ſcandalum aliorum, qui putabunt totum id ſerio fieri. Idem aliqui dicunt de accedentibus ad conventum locum, non animo vere pugnandi, ſed ſolum inferendi aliquos ictus cum morali ſecuritate nullum damnum ſequuturum, ſed potius exinde pacem conciliandam, quia non eſt verum, ſed ſimulatum duellum: *Dian. p. 2. tr. 16. reſol. 55. & p. 3. tr. 6. reſol. 1. concluſ. 7. Florenſ. de duello c. 6. §. 2. Filiuc. tr. 15. c. 5. q. 5. a. 13* Idem probabiliter dicas de iis, qui provocati ad duellum accedunt, ſolummodo animo honoris defendendi, ſi ex aliqua cauſa moralem habeant certitudinem ſe non pugnaturos; *Pignateli. t. 2. conſ. 88. n. 29.*

II. Cum regula generalis ſit non incurri pœnas Eccleſiaſticas, & maxime Cenſuras, quando adeſt opinio probabilis aliquem excuſans a talibus cenſoris, hinc eſt; Confeſſarium debere animadvertere, ſi adſit opinio vere probabilis aliquem non commiſiſſe duellum, vel fuiſſe excuſandum a Cenſuris, nullatenus illum habendum pro excommunicato.

Hinc licet inferre non eſſe excommunicatos eos, qui alibi incœpta rixa ſe invitant eodem calore iræ ad exeundum e tali loco, ut alibi liberius pugnent, quia non eſt pugna ex condito cum determinatione loci, & temporis, ſed intelligitur eſſe moraliter eadem rixa primo incœpta ſine deſignatione temporis, & loci: *Aloyſ. Ricc. in prax. rer. for Eccleſ. deciſ. 634 ſeu 537.* Idem dicas, ſi quis alteri diceret, *tecum pugnabo prima vice, quando tibi obvius fuero per urbem*, etſi alter acceptet, nam non videtur ſufficienter deſignatum certum tempus, & locus. Iſtos poterit Confeſſarius abſolvere; quamvis enim multi teneant commiſiſſe duellum, revera tamen probabile eſt non commiſiſſe: *Dian p. 5. tr. 14. reſol. 25.* Secus dicendum, ſi certus locus determinetur, nam determinatio temporis adeſt: *Peregr de Duell. q. 15. n. 3., Sanch. in Decal. l. 2. r. 39. n. 28. Reginal. l. 21, c. 5.*

Item poteſt Confeſſarius abſolvere eum, qui dedit conſilium ad duellum ſed revocavit quantum potuit; quia probabile eſt non incurriſſe excommunicationem, quamvis ſit ſequutum duellum.

Idem dicatur de ſpectatoribus duelli, qui ibi ſiſtunt ſolum curioſitatis cauſa; nam probabile eſt excommunicationem ſolum afficere illos Spectatores, quorum præſentia movet duellantes; ſeu ibi adſunt animum, & authoritatem dantes duellantibus, ſeu ut Teſtes, Judices & Arbitri, vel etiam ut Approbatores: *Trull. l. 5. c. 1. d. 13. n. 23 Dian. p. tr. 14. reſol.* 100.

Denique puto poſſe Confeſſarius abſolvere provocantes, & acceptantes duellum; ſi pugna non ſequatur, etſi acceſſerunt ad locum duelli. Verum igitur eſt ſupracitatos Pontifices velle ligatus excommunicatione reſervata omnes quomodolibet cooperantes ad duellum, etiamſi pugna non ſequatur: nihilominus quia ibi nulla fit mentio de Principalibus provocantibus, & acceptantibus duellum, ſatis probabiliter multi Theologi negant eos

ligati excommunicationes; nam pęnæ ſunt ſtricte intelligendæ, adeoque non cenſentur habere locum, niſi poſt delictum exterius conſummatum, ni alter expreſſiſſime ſtatuatur. Neque valet opponere ſtylum Curiæ, quo iſti Principales habentur pro excommunicatis; nam ſtylus Curiæ non facit legem, niſi ubi adeſt præceptum ſaltem virtuale Pappæ: *Petr. Hurtad. diſp. 107. ſ. 190.*, *Anton. a Spir. Sanct. tr. 8. diſp. 3. n. 57.*, aliique apud ipſos.

TRACTATUS XII.

DE SEXTO DECALOGI PRÆCEPTO.

SExtum Decalogi Præceptum ſequentibus verbis Exod. 20. explicatur: *Non Mœchaberis*. Et Chriſtus Dominus Matth. V. ait: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Mœchaberis. Ego autem dico vobis; quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jum mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Quamvis autem nomen męchiæ frequentius uſurpetur a Græcis ad ſignificandum adulterium, nihilominus in præſenti ſub męchiæ prohibitione comprehenditur quidquid eſt contra caſtitatem; ſicuti dum ſeptimo præcepto furtum prohibetur, intelligitur prohiberi omnis illicita ablatio rei alienæ; ut bene explicat Catechiſmus Concil. Trid. *p. 3, de 6. Decal. Præcept. n. 3.*

Ægre ut verum fatear, hujus præcepti explicationem aggredior, quia ut monet Catechiſmus loco citato *num.* 2. nimis de illo loquendo *excitandæ libidinis potius materia*, *quam reſtinguendæ illius ratio emanere ſolet*. Sed quia minis neceſſe eſt Confeſſarium ſcire, quæ ad hoc pertinent præceptum, nec viderim S. Viros ab illo explicando ceſſaſſe, ideo, Deo bene favente, ac protegente Deipara, quæ neceſſaria ſunt ad dirigendas conſcientias non omittam. Quia tamen aliqua de Luxuria, & de moroſa Delectatione dicta ſunt in Tractatu de Peccatis, ideo, ſolummodo de iis, quæ ibi non attigi & præcipue de Luxuriæ ſpeciebus ſermonem inſtituam.

QUÆSTIO UNICA.

De Speciebus Luxuriæ.

SEptem Luxuriæ ſpecies enumerantur videlicet, ſimplex Fornicatio, Adulterium, Inceſtus, Stuprum, Raptus, Vitium contra Naturam, Sacrilegium. Ante ipſarum vero explicationem agam de quibuſdam actibus inhoneſtis, qui ſunt velut quędam præambula ad prædicta peccata.

CAPUT I.

De Impudicitia in aſpectu, locutione, tactibus, oſculis &c.

Q. I. AN liceat viros aſpicere mulierem, & e contra.

R. I. Vir aſpiciendo mulierem in partibus honeſtis, & e contra, poteſt mortaliter peccare. Ratio eſt, quia aſpectus mulieris, præcipuæ pulchræ, & ornatæ, poteſt eſſe valde provocativus ad Venerem, ac proinde tali aſpectu conſurgere poteſt grave periculum peccandi; qui ergo ex tali aſpectu ſeſe in tali periculo ponit, nil dubium eſt graviter peccaturum. Quod aſpectus mulierem, & e contra, poſſit eſſe valde ad Venerem provocativus, ex Divinis Oraculis, ex PP. ſententia, & ex Conciliis demonſtrant Natalis Alexander *lib. 4. Theolog. Dogmat. tit. 7. cap. 8. art. 2. reg. 4.* & Franciſc. Genet. *tit. 7. de ſext. Decal. præcept. cap. 2. quæſt. 6.* Et revera S. Petrus *epiſt. 2. cap. 2.* redarguit homines, *oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti*. Nemo autem refragabitur iis, quæ ex Sacr. Scriptura, ex SS. PP., & Conciliis habentur. Poſito autem quod aſpectus utcumque mulierum non ſit ſaltem graviter periculoſus, id puto omnino verificari de aſpectu diuturno mulieris pulchræ, & valde ornatæ, & econtra, præcipuæ ſi erga illam quis ſentiat ſe non parum inclinatum.

Dices nimis rigidum eſſe aſſerere talem aſpectum factum curioſitatis gratia eſſe peccatum grave. Sed contra eſt, quia non conſurgit gravis culpa, ſi aſpiciatur mulier ob meram curioſitatem, ſed quia ex diuturnitate aſpectus mulieris, ſeu viri pulchri conſurgere poteſt grave periculum illum concupiſcendi; eo maxime, quia dum non adeſt finis honeſtus, ſed ex ſola curioſitate diu mulier aſpicitur, ſatis dignoſcitur ita aſpicientem eſſe valde debilem, & erga mulieres inclinatum; adeoque & propter ipſius infirmitatem, & propter incitamentum, quod ex diuturno aſpectu mulieris pulchræ, & ornatæ cauſatur, difficillimum erit non adeſſe grave periculum.

Ex dictis nunquam probare potui opinionem illorum DD., qui dicebant non eſſe peccatum grave curioſitatis gratia, & per tranſennam aſpicere ex induſtria pudenda alterius ſexus, vel etiam concubitum Maris cum fœmina. Hujuſmodi ſunt tam turpia, & de ſui natura tam graviter ad impudicitiam provocativa, ut ſi ex induſtria etiam per tranſennam curioſitatis gratia aſpiciantur, attenta communi fragilitate, non poſſint non inducere grave laſciviendi periculum: quaproter graviter quis peccabit ex hoc ſolum, quod in tali ſe periculo ponat.

Ad ſummum id admitterem, ſi hæc in magna diſtantia per breviſſimum tempus aſpicerent. Idem dico, ſi per tranſennam aſpiciatur concubitus brutorum, vel eorum partes fœdæ vehementer commotæ; ſicut ſi quis propria verenda ex curioſitate breviſſime aſpiciat, vel verenda perſonæ ejuſdem ſexus. Cæterum, quia multoties illi, qui ſine fine honeſto hæc agunt, vel obſcœna non abhorrent, vel obſcœnis ſunt valde addicti, ideo ex hoc capite, vel ex brevi aſpectu poſſunt ſe in gravi periculo ponere. Quid ergo ſi aſpectus præfati eſſent diuturni? Hos puto non poſſe eſſe ſine gravi periculo reſpectu cujuſcumque. Hujuſmodi applicanda aſpectui Picturæ, vel Simulacri obſcœni. Contra hujuſmodi aſpicientes, & efformantes, alte vocem extollunt SS. PP. & plura Concilia, ut videre eſt apud Natalem loco citato.

Q. II. An colloquia inter Viros, & Mulieres ſint peccatum; & quid dicendum de turpiloquio.

R. I. Abſolute loquendo colloquia inter viros, & mulieres licita ſunt, & ad ſummum, ſi non fiant aliquo fine honeſto, ratione otioſitatis erunt peccata venialia. Nihilominus, ſi ſint aſſidua, vana, & familiaria, cenſent Salmanticenſes *tr. 26. c. 3. p. 2. n. 22.* poſſe eſſe mortalia ratione periculi, quod in hujuſmodi colloquiis eſſe poteſt. Quod vero in talibus aſſiduis familiaribus colloquiis adſit tale periculum, probant ex communi ſenſu SS. Patrum, qui tale periculum agnoſcunt etiam in diuturnis

nis honeſtis colloquiis, quæ ſine neceſſitate fierent inter Perſonas religioſas diverſi ſexus.

R. II. Turpiloquium poteſt eſſe peccatum veniale, & mortale. Si verba non ſint nimis laſciva, ſeu valde provocativa ad venerem, & fiant ob ſolam vanitatem, poterunt eſſa dumtaxat peccatum veniale, ſi abſit ſcandalum reſpectu illorum, qui ea audiant, & periculum turpis delectationis. Si vero verba ſint valde turpia, & valde ad venerem provocativa, erunt peccatum mortale, tum ratione ſcandali reſpectu audientium, maxime ſi adſint adoleſcentes, & mulieres; tunc quia difficiliter ſeparari poſſunt a gravi periculo turpis delectationis. Hujuſmodi certe ſe habent turpiloquium, quo deſcribuntur verenda utriuſque ſexus, modus turpiter congrediendi; aut quid ſimile. Idem dicendum de illis, qui verbis obſcœnis deſcribunt peccata laſciva a ſe perpetrata, tum, ut dictum eſt, propter ſcandalum audientium, tum propter grave periculum turpis complacentiæ in iiſdem peccatis. Videantur Salmanticenſes *loc. cit. a n. 19.* Quæ dicta ſunt de turpiloquio applicanda ſunt lectioni librorum obſcœnorum, quæ ſummopere reprehenditur a SS. PP. & Conciliis, ut videre eſt apud Natalem Alexandrum *l. 4. in Decal. c. 8. art. 2. regul. 6.*

Q. III. An Oſcula, & amplexus, & tactus ſint peccata lethalia.

R. Antequam huic quæſito reſpondeam, ut legentes Morales Theologos poſſint in præſenti materia ſufficienter intelligere, quæ ab eis dicuntur, neceſſe eſt explicare diverſas ſpecies delectationis. Alia eſt igitur delectatio naturalis, & alia venerea. Delectatio naturalis eſt ſola illa complacentia, quæ reſulat ex proportione tactus cum ſuo objecto; & ita delectatur tactus in tangendo byſſum, ſericum, carnes, lenes &c. Hanc etiam delectationem ſolent experiri Matres, & Nutric.., aliæque perſonæ in tangendo, & oſculando infantes propter ſenſitivam mollitiem carnium ipſorum. Ut autem pure naturalis ſit, & ſenſitiva, oportet eam eſſe immunem a commotione ſpirituum, & partium ad generationem reſervientium. Delectatio venerea ea eſt, qua quis de re turpi delectatur, & hæc adhuc duplex eſt, alia nempe venerea ſenſibilis, alia ſpiritualis. Venerea ſenſibilis eſt, quando ſentitur in carne cum commotione ſpirituum deſervientium generationi circa partes libidinoſas. Delectatio venerea ſpiritualis non importat de ſe corporalem commotionem, quamvis ut plurimum ex ea naſcatur, ſed conſiſtit in complacentia voluntatis de ra turpi, aut actu venereo cogitato; adeoque eſt graviter peccaminoſa, cum ſit de objecto graviter turpi, quamvis in appetitu ſenſitivo nulla conſurgat delectatio ob carnis commotionem. His poſitis,

Dico amplexus; & oſcula facta inter perſonas ſolutas habiles ad copulam, eſſe peccatum mortale, quamvis ſola delectatio naturalis intenderatur. Ratio eſt, quia in praxi amplexus, & oſcula facta inter perſonas ſolutas habiles ad copulam moraliter eſt impoſſibile ſeparari a delectatione carnali venerea: qui ergo habet ta lia oſcula, & amplexus, quamvis diceret ſe intendere ſolummodo naturalem delectationem, convincitur velle veneream, cum moraliter ſint inſeparabiles. Quod autem difficillimum ſit ſeparare, probatur & ratione noſtræ naturæ corruptæ, quam maxime id venerea inclinatæ, ratione peſſimæ inclinationis illorum, qui hæc faciunt; nam viri amantes honeſtatem ab hujuſmodi abhorrent. Convincitur pariter & ratione oſculi, & amplexus; nam quamvis fierent ob ſolam naturalem delectationem, negari non poteſt, quin ſint via ad delectationem veneream; unde quis erit vir mulierem oſculans & amplectens, qui in ſola ſiſtat naturali delectatione? Merito ergo Alexander VII. ſub. *n. 40.* ſequentem damnavit propoſitionem. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.*

Scio non paucos explicantes hanc propoſitionem aſſerere, Pontificem, ibi damnare oſculum habitum ob delectationem veneream, carnalem, ſenſibilem, non vero loqui de ſola delectatione ſenſitiva, & naturali. At, meo videri, ex dictis, bene poteſt intelligi loquutum eſſe etiam de hac naturali delectatione, quia in praxi moraliter eſt inſeparabilis a venerea, & aliunde diſcurrendum eſt de rebus, prout communiter accidunt, adeoque cum communiter in præfato oſculo, etiam intendendo ſolam delectationem naturalem, adſit ex dictis etiam delectatio venerea, bene potuit univerſaliter damnari præfata propoſitio.

Ab iis, quæ dicta ſunt, nullum puto diſſidere Theologum, nam dum videntur contrarium docere, loquuntur metaphyſice & ſpeculative, non vero practice, & moraliter. Videantur Filuccius *tract. 30 cap. 9. a. 179. Dian. p. 4. tr. 4. reſol. 136. Trull. l. 6. in Decal. cap. 1. d. 12. num. 5.*

A præfata autem doctrina puto excludenda oſcula, quæ juxta morem alicujus regionis fiunt inter viros, & mulieres; nam cum fieri ſoleant non ad capiendam delectationem naturalem, ſed ſolummodo ad externe ſignificandam amicitiam, & id a viris etiam probis, poſſunt a culpa excuſari. Quod ſi ſermo ſit de oſculis præſſis inter perſonas ſolutas diverſi ſexus, & aliquali mora protractis, puto nullibi poſſe cohoneſtari propter grave periculum venereæ delectationis. Inſuper advertendum, quod ubi non eſt talis conſuetudo, non poſſent ſine gravi culpa introduci; nam a gravi culpa excuſari non poſſunt Introductores conſuetudinis, quæ facillime degenerare poteſt in pravam, adeoque in magnam perniciem animarum.

Q. IV. Quid dicendum de pluribus particularibus tactibus factis ab iis, qui non ſunt ſponſalium, vel matrimonii vinculo ligati.

R. I. Tactus impudici facti ſine aliqua cauſa in propriis verendis, ordinarie loquendo, ſunt peccata mortalia. Ratio eſt, tum quia ſpecialem habeat turpitudinem; tum quia de ſe proxime excitant delectationem veneream, & pollutionem: quapropter qui hujuſmodi tactus ſtudioſe facit, convincitur ſaltem velle delectationem veneream. Non nego tamen excuſari poſſe a gravi culpa hujuſmodi tactus, quoties non intenderetur delectatio venerea, ſi fierent per tranſennam, & non eſſent diuturni; dum etenim aliqua mora protraherentur, difficillime excuſari poſſent a gravi culpa propter periculum, cui ſe committeret faciens hujuſmodi tactus, ni forte nec intenderet delectationem veneream, nec tale periculum ullo modo adverteret. Eadem applicanda ſunt ſeſe aſpicienti ex curioſitate in partibus verendis. Nullum autem erit peccatum eaſdem partes tangere ex aliqua juſta cauſa, ut ratione munditiei, vel ad expellendum moleſtum pruritum, & multo magis ratione infirmitatis. Quod ſi in tali caſu per accidens oriretur aliqua turpis commotio, non eſſet ad culpam imputanda ex dictis. Quoad ſupradicta videatur: *Sanch. l. 9. de Matr. d. 45. & 46. Laym. l. 3. ſect. 4. a. 13. Bonac. de Matr. q. 4. p. 4. a. 8.*

R. II. Tactus inhoneſti facti inter perſonas ejuſdem ſexus difficillime excuſari poſſunt a gravi culpa; tum quia tangere alium in verendis eſt quid grave contra naturalem honeſtatem, tum quia valde excitant ad luxuriam, & pollutionem: unde ſaltem propter grave periculum delectationis venereæ, cui ſe exponit alterius verenda ſine juſta cauſa tangens, non poteſt a gravi culpa excuſari: *Sanch. l. 9 de matr: diſp. 46. num. 12.* Scio tam ipſum, & quampluribus alios hujuſmodi tactus gravi culpa excuſare, quoties, non intendendo delectationem veneream, fierent veluti per tranſannam, vel ex joco, aut levitate. At videat Confeſſarius hæc, ut plurimum, ſpeculative tantum poſſe verificari; nam facientes hujuſmodi tactus ſolent eſſe Perſonæ valde inhoneſtæ: ac proinde quod de ſe non videretur inducere grave periculum, tale poteſt eſſe reſpectu perſonæ valde fragilis, & ad luxuriam valde propenſæ.

R. III. Tactus inhoneſti facti inter perſonas diverſi ſexus, ſemper ſunt peccata mortalia. Ratio eſt, quia hujuſmodi tactus etiamſi fierent per tranſennam, vel ex joco, & levitate, ſemper ſunt graviter officientes naturali, honeſtati, & graviter ad luxuriam excitantes. Ita ſe habent tactus facti a viro in pudendis mulieris, vel in loco ipſius proximo, & e contra. Idem dicendum de viro mamillas mulieris tangente. Ita communiter Theologi. Non pauci tamen excuſant virum ex joco, & per tranſennam ſupradictos tactus ſupra veſtes habentem. At ego ſemper timeo has opiniones ſpeculative ſolummodo eſſe veras. Moveor ex ratione ſæpe inſinuata, quia nempe hujuſmodi facientes ſunt ad luxuriam quam maxime inclinati; ac proinde quod ex ſe non videtur grave periculum continere, bene illud continere poteſt reſpectu talium perſonarum.

Excuſantur etiam a quampluribus Theologis a gravi culpa levis contrectatio manuum fœminæ, calcatio pedum ipſius, levis vellicatio, intorſio digitorum &c. quamvis fierent ob quamdam, non tamen veneream delectationem ex illis ortam: *Sanch. l. 9. de Matr. diſp. 46. n. 15. & 16.* ſed quæſo Confeſſarius hæc communiter vera eſſe, dum advertenter fiant, non ſibi tam faciliter perſuadeat, propter ma-

magnam fragilitatem eorum, qui hæc faciunt. Nullatenus autem id credat verum eſſe, ſi hujuſmodi tactus aliquo tempore protrahantur, quia tunc quæcumque naturalis delectatio intendatur, eſt proxime excitativa venereæ delectationis; ac proinde tunc diſcurrendum eſt, ut dixi ſupra de oſculis.

Q. V. Quale peccatum ſit confricare membra impudica brutorum.

R. Si id fiat ſolummodo ex aliqua levitate, vel curioſitate, non intendendo veneream delectationem, nec cognoſcendo ſe illius periculo exponere, videtur ſolummodo eſſe veniale, cum nihil venereum intendatur. Id nihilominus non admitterem de tactibus diuturnioribus; in illis etenim aliquo tempore immorari, non eſt ſine gravi periculo turpis delectationis inſurgendæ. Multo magis excuſandus non eſſet a gravi culpa, qui membra brutorum confricaret ad aſpiciendum curioſitatis gratia ipſorum ſuprema, id enim & de ſua natura valde contrarium eſt honeſtati naturali, & indiviſum eſt a gravi periculo turpis commotionis, adeoque & venereæ delectationis, vel etiam aliquando a periculo, vel proprium ſemen emittendi, vel ſe delectandi in emiſſione ſeminis humani: *Bonac. de Matrim. q. 4. p. 9. n. 15. Dian. 2. in Sum. v. Tactus num 7.*

Q. VI. Qui Tactus ſint liciti inter Sponſos, ſeu inter conjugatos,

R. I. Nemo negare poteſt illicitum eſſe Sponſis quidquid inducere habet veneream delectationem, vel grave illius periculum. Ratio eſt, quia quibus illicitus eſt finis, & illicita ſunt media conducentia ad illum: cum ergo illicita omnino ſit Sponſis copula, conſequens eſt & illis illicitum eſſe quidquid inducit veneream delectationem, vel grave illius periculum; nam hæc omnia ſunt media a natura ad copulam ordinata. Ex his facillime dignoſcitur nunquam licere ſponſo tactus mamillarum, neque quemcumque actum, qui poſſit excitare turpes commotiones.

Quamvis vero non deſint, qui illis permittant oſcula, hoc tamen cum grano ſalis intelligendum eſt. Eſto proinde non ſint illis prohibita oſcula ad ſolum benevolentiæ demonſtrationem, id tamen admittendum eſt de oſculis veluti furtivis, & factis per tranſennam, non vero de oſculis preſſis, & aliquo tempore protractis, nam hæc, attenta communi fragilitate, ſolent eſſe indiviſa a turpibus venereis commotionibus. Idem dicatur de oſculis factis ad captandam ſenſibilem delectationem propter rationes ſupra inſinuatas, loquendo de oſculis. Et quidem mirandum eſt, communiter DD. docere præfata oſcula vel aliquo tempore protracta, vel facta ad captandam ſenſibilem delectationem, ordinarie loquendo, non eſſe ſine periculo peccandi, & nihilominus quoſdam admittere licita eſſe inter Sponſos. Utique decidendum eſt juxta ea, quæ communiter accidunt, unde ſi talia oſcula ſunt communiter periculoſa, quomodo, ut licita ſunt admittenda? Nunquam pariter ſatis percepi, quomodo dici poſſit, ſponſalia tribuere Sponſis jus ad mutua oſcula. Non refragandum utique, id intelligatur de oſculis habitis ad demonſtrandam benevolentiam, & ita exercitis, ut inducere non habeant veneream delectationem. At aſſentiri non poſſum quoad oſcula habita ob ſenſibilem delectationem. Si ſponſalia jus ad ea tribuerent. Sponſa teneretur admittere, quod nemo dicit. Sicut igitur nemo uti poteſt re ex vi contractus, poſt aliquod tempus conſequenda, niſi poſtquam tale tempus advenerit, ita nec Sponſus, antequam ſequetur mutua traditio per verba de præſenti, poteſt aliquo pacto uti Sponſa: partialiter autem ea uteretur, ſi ante matrimonium illam ob ſenſibilem delectationem oſcularetur.

Quod dixi de oſculis, dicendum pariter eſt de manuum contrectatione inter Sponſos. Levis manuum contrectatio in ſignum benevolentiæ poterit admitti, non vero diu protracta cum illius diuturna compreſſione, etenim quia Sponſi ſunt, majori affectu exardeſcunt, & facillime ſpecies de futura copula in illis excitatur; unde illa protracta compreſſio manuum in eis plus, quam in aliis apta eſt ad excitandam veneream delectationem. Videantur *Bonac. de Matrim. q. 4. p. 9. num 6. Anton. a Sp. S. in Direct. Confeſſ. tr. 11. de matr. d. 9. n. 662. Candid. diſp. 11. art. 1. dub. 5.*

R. II. Nullum dubium eſt inter Conjugatos licitos eſſe tactus quoſcumque in aliis corporis partibus, ſi partes pudendæ excipiantur. Item communis ſententia docet hos tactus in pudendis eſſe licitos, quando proximi ſunt ad copulam, & ordinati ad eam exercendam. Lis autem eſt an tactus in pudendis liciti ſint; dum non ordinantur ad copulam. Non deſunt qui illos illicitos eſſe affirment, putantes indiviſos eſſe a gravi pollutionis periculo, in quo certe illicite fiunt, cum pollutio ſolummodo cohoneſtetur, quando copula exercetur: *Sanch. l. 6. de matrim. diſp. 45.* In praxi ergo attendendum eſt; an tales tactus ita ſint impudici, & continuati, ut tale afferant periculum, & tunc certum eſt eſſe illicitos. Sine tali periculo poſſunt permitti; quibus etenim licitum eſt, quod eſt magis, & licitum erit, quod eſt minus: *D. Antonin. 3. p. t. 1. c. 20. §. 6. Coninch. diſp. 34. de Matrimon. dub. ult. Filiuc. tr. 30. c. 9. n. 195. Dian. p. 3. tr. 4. reſol. 225.* Neque hic volo diſſimulare quoſdam Theologos cenſere, quod quamvis graviter peccet conjux exercendo tactus impudicos cum alio conjuge cum præviſione gravis periculi pollutionis vel in ſe, vel in altera, non tamen peccet, qui hujuſmodi tactus reddit, etiam præviſo tali periculo, ſine periculo tamen conſenſus in pollutionem, quia putant dare operam rei licitæ, & debitæ ex juſtitia *Sanch de Matrim. l. 9. d. 45. num. 15.* At hæc ratio non ſatis me convincit, nam non videtur eſſe obligatio juſtitiæ permittendi tales actus interveniente periculo pollutionis, neque enim interveniente a tali periculo cenſeo in altero jus eſſe tales actus petendi. *Palaus de matrim. diſp. 3. p. 4. §. 2. num. 2.* Illud tamen puto omnino verum eſſe, hujuſmodi tactus cum pollutionis periculo non eſſe permittendos, ſeu reddendos, quoties ita ſunt impudici, ut potius videantur eſſe inchoatio pollutionis; ſicut etenim hæc de ſua natura illicita eſt extra copulam, ita & id, quod eſt ejuſdem inchoatio: *Tambur. in Decal. l. 7. cap. 3. §. 5. num. 56.*

Non auderem e contra damnare peccati mortalis conjuges exercentes inter ſe actus honeſtos cum præviſione pollutionis ſine periculo in illam conſentiendi; ut ſunt amplexus, oſcula, amatoria confabulatio, &c. Ratio eſt, quia ad hæc exercenda inter ipſos adeſt cauſa rationabilis, qualis eſt oſtendere mutua ſigna liciti amoris; ac proinde pollutio, quæ ſequeretur ſine periculo conſenſus, potius dicenda eſt permiſſa, quam volita: *Dian. p. 3. tr. 4. reſol. 217. & 226. Azor. Inſtit. moral. p. 1. lib. 3. cap. 23. q. 6.* Optarem quidem conjuges & ob his abſtinere, ſi pollutio prævideatur; a nimis oneroſus eſſet ſtatus maritalis, ſi & hæc damnanda eſſent peccati lethalis. Hæc tamen doctrina non eſt extendenda ad delectationes moroſas, turpiloquia, aſpectus partium inhoneſtarum, & ſimilia, quando prævideretur pollutio, nam hæc non ſunt de ſe ſigna honeſti amoris, unde nulla eſſet cauſa rationabilis ad excuſandam pollutione, quæ exinde ſequeretur.

R. III. Maritus ſe turpiter tangens, dum non vult, vel non poteſt copulam exercere, videtur graviter peccare, quia tales tactus directe tendunt in pollutionem, quæ nunquam licita eſt, ſi ad copulam non ordinetur: *Dian. p. 3. tr. 4. reſol. 215. p. 4. tr. 4. reſol 137. Anton. a Sp. S. diſc. 9. de Matrim. ſect. 12.* Contrarium docet, *Sanch. l. 9. de Matrim. diſp. 44. nu. 16.* Ex præfata ratione puto illicitam eſſe conjugatis delectationem de copula habita, vel habenda, quando hæc de præſenti exerceri non poteſt, ſi talis delectatio ſit cum commotione ſpirituum generatione deſervientium. Ratio eſt; quia matrimonium valet cohoneſtare talem turpem commotionem, vel quia ordinatur ad copulam, vel quia permittitur ob aliquam rationabilem cauſam, qualis eſſet, ut dixi ſupra, ſi oriretur dum conjugati amplexibus, aliiſque non impudicis actibus benevolentiæ mutuæ ſigna oſtenderent: *Baſil. l. 10. c. 16. a. 11.* Non deſunt contrarium docentes; quorum tamen ſententiam non admitterem, niſi de delectatione, quæ ſolummodo eſſet in voluntate ſine præfata commotione, tunc enim ſolummodo, meo videri, verificatur illorum ratio, nempe illam delectationem verſari circa objectum licitum, ſcilicet circa copulam; quæ eſt licita conjugatis.

Q. VII. An in genere luxuriæ detur parvitas materiæ.

R. Si attendatur prædicata intrinſeca actus luxurioſi, & finis intrinſecus illius, non poteſt dari parvitas materiæ in genere luxuriæ. Et quidem nullum dubium eſt quamcumque vel levem deliberatam veneream delectationem de objecto gravi in genere luxuriæ eſſe peccatum mortale: quia delectatio, quæcumque ſit de aliquo objecto indiviſa eſt ab effectu erga illud: conſtat autem quemcumque affectum deliberatum de objecto gravi non poſſe eſſe niſi graviter peccaminoſum, cum det ſpeciem actui qui circa illud verſatur. Hinc nemo in dubium revocabit eſſe peccatum mortale, quamcumque deliberatam dele-

ctationem de copula illicita, de pollutione, de notabili diſtillatione, de gravi commotione partium generationi deſerventium, de quibuſdam cauſis graviter in hæc influentibus, ut ſunt tactus genitalium, ipſorum aſpectus, maxime ſi ſit diuturnus, &c.

Item conſtat non dari parvitatem materiæ in genere luxuriæ, ſi delectatio ſit gravis, & vehemens, quamvis eſſet circa objectum, quod in tali genere leve videretur. Ratio eſt, quia quando delectatio eſt gravis, & vehemens, vel actu cauſat pollutionem, vel in eam notabiliter influit, ac proinde objectum, ut talem effectum hic, & nunc inducens, non poteſt non grave reputari. Hinc gravis eſt culpa tactus quicumque manuum aut pedum fœminæ, vel etiam digiti ejuſdem intorſio, quoties non ſint ſine gravi venerea delectatione. Difficultas ergo reduci poteſt ad hoc, an levis culpa ſit venerea delectatio deliberata, quando ex ſe videtur levis, quia e. g. modica eſt pudendorum commotio, levis diſtillatio, & aliunde conſurgit ex objecto, quod leve videtur e. g. ex tactu manus fœminæ.

Sed & hanc deliberatam veneream delectationem grave peccatum eſſe exinde conſtat, quia quæcumque talis delectatio vel eſt inchoata copula, vel inchoata pollutio, nam de ſua natura tendit ad hæc, non poteſt ergo dici objectum talis delectationis, ut inducens copulam, ſeu pollutionem inchoatam, eſſe quid leve; & proinde venerea ipſius delectatio erit grave peccatum. Præterea quæcumque modica deliberata venerea delectatio, vel eſt indiviſa a ſubſequenti gravi delectatione, vel a periculo in ulteriorem gravem delectationem conſentiendi, & qui hoc negare auderet, demonſtraret omnino illi eſſe ignotam noſtræ naturæ lubricitatem, ſaltem proinde ratione talis periculi modica deliberata venerea delectatio eſt peccatum mortale; *Pontius de Matrim. l.10 c.16.§.2.num.8. Palaus t.1.tr.2.diſp.2.part.10.§.2.Rebell.de Oblig.Juſt.p.2.l.3.q.19.ſect.3.* Mento proinde, ut teſtatur *Sanch.l.5.Sum.c.6.n.12.* voluerunt Clemens VIII., & Paulus V. denunciandos eſſe Inquiſitoribus aſſerentes non eſſe culpam lethalem in oſculis habitis ob meram veneream delectationem.

Dixi, *ſi attendantur prædicata intrinſeca actus luxurioſi*, nam ſi actus de ſua natura ſit bonus, & honeſtus, ut eſt copula habita cum conjuge, non ſemper eſt peccatum mortale, ſi ſuperaddatur ab operante finis extrinſecus non honeſtus; ut ſi Maritus copulam habeat cum conjuge ob ſolam delectationem. Utique apponendo talem finem non honeſtum peccat, adeoque Innocentius XI. ſequentem damnavit propoſitionem: *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Nihilominus, ut docet *S.Th.in 4. d.31.q.2.* talis culpa de ſe venialis tantum eſt: cum etenim actus ſit licitus, & bonus, ſolummodo in hoc deficit, quod ab operante ad delectationem ordinetur, quæ deordinatio ſolummodo venialis eſt, quia aliunde actus in ſe non eſt culpabilis.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Conſideret quæſo Confeſſarius diuturnum mulieris aſpectum, maxime ſi quis aliquali amore erga ipſam afficiatur, non eſſe ſine gravi peccandi periculo; & ſi auderet id negare, ſciat ſe negare, quæ docent Divina Eloquia. Concilia, SS. PP., & experientia. Item conſideret diuturnum colloquium, etſi non malum, habitum cum talibus mulieribus periculum non parum augere. Ex his autem capitibus inferat an capaces ſint abſolutionis Amantes, & Cicisbeii, qui tam crebro, tam diu ſeſe ſæpe aſpiciunt, & familiariſſima diuturna habent colloquia. Sed quid ulterius judicare debet, ſi perpendat hujuſmodi obtutus non eſſe ex ſola curioſitate, ſed ad fovendum mutuum amorem; ipſorum colloquia amatoria eſſe ac turpibus æquivocationibus immixta? Nonne hæc omnia a gravi peccandi periculo ſunt indiviſibilia? Nunne ergo, vel ex hoc ſolum capite incapaces ſunt abſolutionis? Sed heu! non deſunt Confeſſarii, qui hos a Sacramentis percipiendis non arcent.

Caveat & ipſe Confeſſarius a non neceſſariis collocutionibus cum mulieribus, quamvis de rebus ſpiritualibus, nec ſinat illas, & in ipſo Confeſſionario ſuperfluos inſicere ſermones. Stultiſſime autem ageret, ſi nullum in his periculum eſſe arbitraretur, cum Sancti de hoc periculo non deſinant nos commoneſacere. Expectare ne vult, ut id doceat experientia?

II. Item conſideret Confeſſarius quale judicium facere debeat de illis Amantibus, vel Cicisbeiis, qui ad invicem ſæpe ſibi manus contrectant, pedes calcant, &c. Quid ulterius de illis, qui primo manum oſculantur. Cicisbejæ, deinde diu illius manum contrectant, & comprimunt, pedeſque calcant. Et quid ſi hæc fere quotidie per menſes, & annos fiant? omittendo modo ſuperaddi ſecreta amatoria colloquia, fixos obtutus, &c. Hæc ne, & in Sancto, qui diuturniſſimis macerationibus carnem domuiſſet, & fere ad agonem reduxiſſet, eſſent ſine gravi periculo in veneream delectationem conſentiendi? Nihilominus, iterum repetam, non deſunt Confeſſarii, qui has Perſonas ad Sacramentalem admittunt abſolutionem, & ita ipſorum Jeſu Chriſti Miniſtrorum culpa omnia turpiſſimis libidinibus replentur.

Monere etiam debet Confeſſarius mulierem hujuſmodi tactus non poſſe permittere, nec ſatis eſſe ſi in corde illos abominetur; tenetur etenim ſaltem ex charitate alterius peccatum impedire. Nec poteſt ſe excuſare dicendo, illos permittere, ne aliis occaſionem ſcandali tribuat. Etenim vel Amaſius, vel Cicisbejus ita ſe gerit dum ſoli ſunt, vel dum alii ſunt præſentes. Si dum ſoli ſunt, nullum ſequitur ſcandalum, illos nullatenus permittendo: Si alii ſint præſentes, quid impedit Cicisbejam ex aliquo honeſto prætextu ſe removere a loco, ubi eſt Cicisbejus, in aliud cubiculum abire, &c.? Præterea quamvis aliquibus admirationi eſſet, ſi palam Cicisbejum ab hujuſmodi tactibus arceret, magis præponderat illorum removere ſcandalum, qui hujuſmodi turpitudines non ſine ſtomacho exerceri conſpiciunt. Credat mihi Confeſſarius; qui hos tactus permittit, ideo permittit, quia vult.

III. Ego etiam puto incapaces abſolutionis illos, qui introducunt conſuetudinem mulieribus manus oſculandi. Omnes Theologi uno ore affirmant graviter peccare illos, qui introducunt conſuetudinem, quæ etſi ex ſe prava non appareat, in pravam facillime poteſt degenerare. Quis autem non videat ita ſe habere conſuetudinem manum mulieri deoſculandi? quamvis etenim aliquando poſſit eſſe ſignum ſolum obſequii, reſpectu e. g. matronæ, conſuevebit nihilominus tale oſculum affectum non innoxium reſpectu mulieris, quæ adamatur. Et quidem cujus manum frequentius Juvenes oſculantur niſi Cicisbejæ, quam heu nimis amant, & a qua nimis amantur?

IV. Dixi inter Sponſos licita eſſe oſcula habita per tranſennam ad ſolam benevolentiæ demonſtrationem. At quæſo Confeſſarius, quantum poteſt, quamcumque licet honeſtam familiaritatem removeat, moneatque Sponſæ Parentes, ne permittant Sponſæ a Matris latere, vel alterius probæ conſanguineæ diſcedere. Heu quot gravia crimina ante matrimonium perpetrantur! Quam rari ſunt, qui conſiderent Matrimonium eſſe Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, quapropter orationibus, aliiſque pietatis operibus eſſe inſiſtendum, ut digne contrahatur, & virtute illius obtineantur gratiæ ad patienter ſubeunda onera talis ſtatus!

Omnino autem dicam illicita eſſe oſcula preſſa, manuum diuturnam contrectationem, & compreſſionem, ſolitarie degere, necnon ſolitarie colloqui, nam hæc difficillime dividuntur a gravi periculo venereæ delectationis. Quis hoc dicit! Si tot Concilia, & SS. hujuſmodi periculum adeſſe non dicerent, nimis dicit experientia. Et quidem ſi hæ familiaritates inter omnes alios, non immunes eſſe a gravi peccandi periculo compertum eſt, a fortiori id dicendum de Sponſis, qui magno amore ſolent exardeſcere, & Matrimonium poſtea contrahendum reddit illos fidentiores, ut ab iis, quæ alias viderentur licita, ad illicita tranſeant.

Videat ex his Confeſſarius, ſi abſolvi poſſint Matres, quæ filiabus, dum Sponſæ ſunt, permittunt degere cum Sponſo longe ab ipſorum oculis. Et quid ſi voluntarie cæcutiant, ne moleſtiam afferant Sponſo?

V. Multoties redigitur in gravibus anguſtiis Confeſſarius, qui audit Confeſſionem fœminæ, cujus Maritus ita ſit effrænatus, ut continuis tactibus, vel oſculis, etiam in pudendis, eam ponit in pollutionis periculo. Si nolit fœmina hujuſmodi tactus admittere, laſcivus Maritus vel erga eam aſpere continue ſe geret, vel ad alias fœminas divertet. Videat ergo in talibus anguſtiis Confeſſarius an ſatis probabilis judicari poſſit opinio, quæ dicit hujuſmodi tactus licite permitti, quando non adeſt periculum conſenſus in pollutionem. Quod ſi fœmina ſit in bona fide, & putet permittendo hos tactus, quamvis cum periculo pollutionis, non peccare, illam in ſua bona fide relinquat, ſi talem pollutionem abhorreat, ne illam exponat periculo formaliter peccandi. Idem dicendum, ſi permittat ſe in pudendis oſculari. Quamvis in plurium opinione hujuſmodi oſcula etiam inter conjugatos ſint peccata

letha-

lethalia; quæ videntur graviter officere naturali honeſtati, & ex eis, quam maxime deprimi naturam rationalem, nihilominus alii docent ex ſua natura inter conjugatos culpam levem non excedere.

VI. Dum Confeſſarius audit Pœnitentem ſeſe de oſculis, vel turpibus actibus accuſantem, interroget de qualitate Perſonæ, cum quibus hujuſmodi habita ſunt v. g. an cum cognatis, cum conjugatis, &c. Sicut enim copula, cum his perſonis variat ſpeciem, ita & prædicti tactus, cum de ſua natura ſint diſpoſitiones ad illam. Semper ergo conſideranda eſt circumſtantia Perſonæ agentis, & patientis; *Sanch. l. 9. de Matr. d. 46. num.* 17 & alii apud ipſum.

VII. Inter caſus reſervatos noſtræ Diœceſis ſub numero octavo caſus ſequens recenſetur: *Quilibet actus obſcœnus cum Parochianis, vel Pœnitentibus, quoad Parochos, Curatos, Capellanos, OEconomos, & Confeſſarios.* Optime P. Manſi in explicatione hujus inter actus obſcœnos non ſolum ſupponit recenſendos quoſcumque tactus in partibus inhoneſtis, ſed etiam ipſa oſcula, & multo magis tactus mamillarum. Et quidem cum actus obſcœnus ſignificet quidquid turpe eſt in materia venerea, neutiquam ab actibus obſcœnis amovenda ſunt oſcula habita a Parocho cum Muliere. Nam vel ea cum ipſa habeat ob delectationem ſenſualem, vel ob delectationem ſenſibilem, ſemper ſunt peccata lethalia in materia venerea, ut dixi capite ſuperiori. Nec unquam quæſo occurrat menti ullius ex Parochis dicere voluiſſe oſculari fœminam ad honeſtam benevolentiam oſtendendam: nam nimis indecens eſſet ita honeſtam amicitiam teſtari.

Satis etiam verificatur caſus reſervatus, ſi actus obſcœni ad Parochianam, vel Pœnitentem diriguntur, quamvis exerceantur in proprio corpore; ut dum Parochus coram Parochiana ſe turpiter tangeret, vel illa advertente, eam turpiter aſpiceret, vel ſi attentavit eam turpiter tangere. Semper in his caſibus verificatur exercuiſſe actus turpes cum Parochiana, vel manibus nempe, vel oculis.

Nomine Parochi, vel Curati veniunt ii, qui curam animarum exercent. Et in præſenti caſu comprehenduntur, quamvis eſſent excommunicati, nam ratione cenſuræ non deſinunt eſſe Parochi. Nomine Capellani veniunt illi, qui aſſumuntur a Parochis, ut adjutores ſui muneris, adeoque habent facultatem quæcumque Sacramenta adminiſtrandi. Nomine OEconomi veniunt, qui adminiſtrant Parochiam loco Parochi, ex aliqua cauſa ab illius adminiſtratione impediti. Bene autem P. Manſi etiam tales nuncupandos arbitratur, qui ultra hebdomadam adminiſtrant Parochiam, illis commendatam a Parocho abſente. Quia vero ſaltem dubium eſt, an tales ſint nuncupandi, quia in abſentia Parochi unius, aut alterius dies Parœciæ aſſiſtunt, ideo hi non comprehenderentur in caſu.

Præfati omnes incidunt in ſupradictum caſum, ſi actus obſcœnos habent cum Parochianis, unde reſervatione innodantur, vel eos habeant cum fœminis, vel cum Maſculis ſuæ Parœciæ. Porro cum non deſinat eſſe Parochianus, qui eſt extra Parœciam, ſi alio non migraverit animo ibi habitandi, conſequens eſt caſum comprehendere Parochum peccantem cum perſona ſuæ Parœciæ, quamvis extra ipſius limites. Idem dicendum de tali Parocho habente actus obſcœnos cum Perſona, quæ a paucis momentis in Parœciam venerit; nam incipit eſſe Parochiana ab eo tempore, quo in Parœciam venit animo ibi domicilium figendi. E contra cum deſinat eſſe Parochiana ſtatim ac exit, extra limites Parœciæ animo alibi habitandi, Parochus cum ea extra Parœciam peccans, non incideret in caſum reſervatum. Idem dicendum, ſi peccet intra Parœciam cum perſona vaga, quæ nullum habeat fixum domicilium; nam lis eſt inter DD., an talis perſona proprie dici poſſit Parochiana.

Excuſandus eſt etiam Parochus a reſervatione, ſi ignoret Perſonam, cum qua peccat, eſſe Parochianam; nam tunc illius peccatum non eſſet formaliter cum Parochiana: non haberet nempe, ratione ignorantiæ, illam ſpecialem malitiam, quam habet peccatum Parochi, dum agnoſcit ſe peccare cum ſua Parochiana, quam ex officio non ad peccatum, ſed ad ſpiritualem progreſſum deberet incitare. Pariter judicari poteſt immunis a reſervatione Parochus obſcœne tangens Parochianum, qui nondum attigit uſum rationis, quia tunc illius peccatum non habet malitiam ſcandali, ratione cujus inducta videtur reſervatio.

Demum caſus reſervatus comprehendit Confeſſarium habentem actus obſcœnos cum Pœnitentibus. Primo igitur oportet, ut ſit vere Confeſſarius, ad quod neceſſe eſt, ut actu habeat juriſdictionem, ſive quia illam habuit ab Ordinario, ſive obtinuit ex errore communi, & titulo colorato. Secundo, neceſſe eſt, ut exerceat prædictos actus cum Pœnitentibus. Ille vero dicitur Pœnitens alicujus Confeſſarii, cujus ſalutis aliqualem curam aſſumpſit. Hinc ſi aliqua Perſona bis, vel ter confeſſa eſt alicui Sacerdoti ſua peccata, non tamen animo illum aſſumendi in Confeſſarium, non dicitur Pœnitens illius, qui nullam ſpecialem curam de ipſius ſalute aſſumpſit. Secus ſi tantum ſemel confeſſa eſt animo illum in Confeſſarium aſſumendi, dum hic illam in pœnitentem acceptaverit; nam tunc intelligitur illius ſalutis ſpecialem curam aſſumpſiſſe. Idem dicendum, ſi aliqua Perſona aliquem elegit in Confeſſarium, ſemper cum illius ordinarius Confeſſarius impeditur, & ille eam hoc pacto in Pœnitentem acceptavit, Semper cum igitur permanet eſſe Pœnitens, ſi Confeſſarius habeat cum tali perſona actus obſcœnos, incidit in reſervationem. An vero tales actus habent etiam malitiam Sacrilegii, videbimus infra. Illud etiam hic obiter advertere eſt, quod ſi in actu Confeſſionis, vel Confeſſionis prætextu, provocet Pœnitentem ad actus obſcœnos, ultra præſentis caſus reſervationem, incideret in reſervationem ſecundi caſus propter abuſum Sacramenti; unde non poſſet abſolvi ab eo, qui peteret licentiam ſolummodo abſolvendi ab octavo caſu ex reſervatis.

VIII. Sciat demum Confeſſarius in noſtra Diœceſi ſub numero nono ſequentem caſum reſervari: *Allocutio turpis, ſeu actus inhoneſti degentium extra clauſtra cum Monialibus, aut puellis in Monaſterio degentibus, etiam per litteras, vel alio quocumque modo.*

Allocutio ſolum importat locutionem ad alium, etſi ille non reſpondeat. *Turpis* autem tunc in præſenti intelligitur, quando pertingere poteſt ad peccatum mortale. Ubi advertendum, quod ea verba, & æquivocationes, quæ coram aliis prolatæ non pertingerent ad peccatum mortale, facillime damnantur peccati mortalis, ſi coram Monialibus advertenter proferantur; utpote quia cum ſint apud ipſas talia verba inſueta, magis habent provocare; & ulterius graviter offendere poſſunt eximiam ipſarum caſtitatem. Subjaceat autem reſervationi hæc allocutio, etſi fiat per literas, vel per nutus. Hinc bene advertit P. Manſi, quod ſi quis degens extra clauſtra rideat coram Moniali turpiter alloquente, ſubjacere poteſt reſervationi, ſi talis riſus ſit veluti approbatio talis ſermonis, ſeu reddat Monialem animoſiorem ad ea verba proferenda; nam reſervatur turpis allocutio facta etiam per nutus, *per litteras, vel alio quocumque modo*: clarum autem eſt aliquo modo turpiter alloqui cum Moniali, qui ridendo ipſius turpia verba approbat, vel reddit animoſiorem ad proſequendum. Secus ſi rideat, quia talis Allocutio Monialis ad riſum provocaret.

Pro actibus inhoneſtis veniunt omnes illi, qui habent ad venerem incitare, de quibus ſatis dictum eſt in regula ſuperiori.

Nomine Monialium veniunt illæ, quæ tribus ſolemnibus votis religionem profeſſæ ſunt. Nec evaderet reſervationem, qui turpiter alloqueretur, vel haberet actus inhoneſtos cum Moniali, ex aliqua cauſa extra clauſuram degente; nam non per hoc eſſe Monialem deſineret.

Nomine puellarum degentium in Monaſterio veniunt illæ, quæ commorantur in Monaſterio educationis gratia. Bene autem advertit P. Manſi, quod ſi in noſtro caſu Novitiæ non veniunt ſub nomine Monialium, ſaltem venire debent ſub nomine puellarum; irrationabile etenim omnino eſſet putare Epiſcopos conſulere voluiſſe pudicitiæ præfatarum puellarum, non vero Novitiarum.

CAPUT II.

De Simplici Fornicatione, Concubinatu, & Meretricibus.

Q. I. Quid ſit Fornicatio.

R. Fornicatio ita ſolet definiri: *Concubitus hominis ſoluti cum muliere ſoluta.* Non eſt ergo ſimplex fornicatio, ſi concubitus intercedat inter virum, & mulierem, ſi vel unus, vel alter habeat vinculum matrimonii, ſeu voti, vel ſi inter eos intercedat vinculum conſanguinitatis aut affinitatis; nam tunc non verificatur concubitum fuiſſe inter perſonas ſolutas: *D. Th.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 1. *&* 2.

Q. II. Quo jure probibita ſit ſimplex fornicatio.

R. I. Nullo ex Catholicis dubitante, certum eſt fornicationem eſſe jure divino prohibitam. Conſtat id ex quampluribus S. Scripturæ textibus; unde Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. *art*: *Hoc ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator,*

tor,

tor, & immundus (quod eſt idolorum ſervitus) non habet hæreditatem in regno Chriſti. Et 1. ad Theſſal. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra; ut abſtineatis vos a fornicatione*. Idem prohibetur ex jure canonico, ut paſſim probant Authores. Hinc fornicationem eſſe peccatum mortale definitur in Clementina *Ad noſtram de Hæretic.* contra plures Hæreticos, qui licitam eſſe affirmabant.

R. II. Simplex Fornicatio probibita etiam eſt jure naturæ. Ratio eſt, quia concubitus Maris cum fœmina a natura ordinatur ad generationem prolis, ejuſque convenientem educationem, tam quoad animam, quam quoad corpus; his autem omnino carent filii ex fornicatione procreati; nam Patres non curant neque de ſubminiſtrandos filiis neceſſaria alimenta, neque de iis ſancte educandis, unde conſtat hujuſmodi concubitum eſſe contra finem a natura intentum: *D. Th. 2. 2. q. 154. art. 2. & 3. contr. Gent. cap. 122. & 123.*

Dices ex concubitu fornicario quandoque hunc finem a natura intentum non fruſtrari; poteſt enim accidere Patres non deſerere hos filios, eiſque convenientia alimenta ſubminiſtrare, eorumque rectæ incumbere educationi. Contra tamen eſt, quia lex naturæ conſiderat, quod ex natura actionis ſolet evenire, non vero quod per accidens; quapropter etſi per accidens eveniat quandoque filios ex fornicatione genitos non carere convenientibus alimentis, & neceſſaria educatione, non proinde ſequitur in aliquo caſu fornicationem eſſe licitam. Præterea leges, quæ aliquid vetant ratione periculi, ut dixi in Tract. de Legib. *q. 2. c. 3.* non deſinunt obligare, etſi in aliquo caſu particulari ceſſet omnino illud malum, quod timetur, ſed ſufficit ex natura actus prohibiti evenire poſſe illud malum. Quod ſi tunc non ceſſat obligatio legis humanæ, a fortiori non ceſſabit obligatio legis naturalis.

Addendum contra naturam eſſe rationem carni ſubjicere, ut evenit in fornicatione, in qua ratio a delectatione abſorbetur. Et quamvis hujuſmodi delectatio etiam ſit in copula conjugali, nihilominus ſi recto fine exerceatur, pertinet ad Dei Providentiam ſubminiſtrare auxilia, quæ talem deordinationem impediant. Item contra rationem eſt fornicatione inquinare corpus, quod ratione Gratiæ, & Chriſti redemptione debet eſſe Templum Spiritus S. Videatur S. Thomas loco citato. Hinc Innocentius XI. ſub *num. 48.* ſequentem damnavit propoſitionem: *Tam clarum videtur fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.*

Q. III. An Fœmina teneatur potius permittere ſe occidi, quam permittere fornicationem.

R. Certum eſt ob quodcumque mortis periculum fœminam non poſſe in turpitudinem conſentire, ut de ſe conſtat. Item certum eſt fœminam non poſſe ſe præparare ad turpem congreſſum, quamvis illi mors immineat, ſi hoc non præſtet; talis etenim præparatio eſt actio cooperativa, & diſpoſitiva ad peccatum, quod nullatenus licet. Solum ergo quæſtio eſſe poteſt, an ſi dum fœminæ mors immineret, non reſiſtendo poſſet quieta, & immobilis permanere, & ita permittere turpem congreſſum.

At etiam in hac hypoteſi puto fœminam peccare, ſi non reſiſtat quantum poteſt. Ratio eſt, quia quamvis illa immobilitas ſit illi involuntaria ſecundum quid, quatenus oritur etiam a gravi metu extrinſece ab Invaſore illato, nihilominus eſt ſimpliciter voluntaria, poſſet etenim agitatione, aliiſque actibus congreſſum impedire; non poteſt autem negari, illam voluntariam quietem eſſe ſaltem interpretative moralem, & voluntariam cooperationem ad peccatum adeoque non erit ſine peccato. Et quidem ex parte fœminæ, ut dicatur ad turpem congreſſum cooperari, nil aliud requiritur, niſi ut quieta, & immobilis illum patiatur. Accedit, illam quietam, & pacificam copulæ permiſſionam non poſſe eſſe ſine manifeſto periculo in turpem delectationem conſentiendi, adeoque etiam ex hoc capite tenetur potius mortem ſubire, quam immobilem turpem congreſſum permittere. Quod ſi irrequietis motibus, & quantum poteſt Invaſori reſiſtat, tunc ſi omnino invita violetur, Deus, qui non deſerit in tentatione, nec permittet illi in delectationem conſentire; maxime ſi ipſius imploret auxilium: *Azor. 1. 2. Inſtit. l. 1. c. 9. q. 3. Filiuc. c. 2. tr. 21. c. 2. nu. 67. Lugo de Juſt. diſp. 10. ſct. 10. n. 197.*

Q. IV. Quid ſit Concubinatus, & quale peccatum.

R. I. Ex jure Civili concubinatus intervenit, quando quis detinet mulierem in loco uxoris, & habet cum ea carnale commercium: *leg. 1. §. 1. & ſeqq. ff. de Concubinis*. Plures etiam aliæ conditiones, requiruntur ex jure civili ad rationem concubinatus; de quibus agunt Juriſperiti. Verum ex jure canonico datur concubinatus, ſive quis fœminam in proprio domo, ſive extra illam retineat, ſi ad eam frequenter accedat ob carnale commercium: *Azor. p. 3. l. 3. c. 5. Filiuc. tr. 30. c. 2. n. 55. Farinac in prax. Criminal. q. 138. num. 3. & 12.* & deſumitur ex Tridentino *ſeſſ. 24. de reform.* In hoc ergo differt Concubinatus a ſimplici fornicatione, quod hæc intervenit etſi quis ſemel peccet cum muliere ſoluta; concubinatus vero expoſcit frequentiam actus carnalis cum eadem fœmina. Præterea datur concubinatus, dum intervenit frequenter turpis congreſſus cum determinata fœmina, quamvis non ſit ſoluta; fornicatio vero nonniſi inter ſolutos datur.

R. II. Concubinatus ultra gravitem peccati, quæ ex actu turpi conſurgit, ſæpiſſime adjunctam habet malitiam ſcandali. Quamvis etenim concubinam ſub nomine Pediſſequæ domi retineatur, nihilominus ratione commercii, quod exercet cum Domino, ita ſolet ſe gerere, ut appareat non pediſſequa, ſed ſocia; unde non ſolum male ſuſpicandi, ſed & male judicandi non exigua argumenta ſolet præbere. Annectitur etiam concubinatui proximum periculum æternæ damnationis; qui etenim ſunt in hoc ſtatu difficillime doleant de peccatis, & a Concubinæ laquæis diſſolvuntur.

Contra hoc peccatum pluribus pœnis animadvertit Jus Canonicum. Plura etiam decernit Tridentinum contra Concubinarios Laicos. *ſeſſ. 24. de reform. c. 8.* & contra concubinarios Clericos: *ſeſſ. 25. cap. 14.* Videatur in er alios Barboſa in loca prædicta.

Q. V. Quid ſit Meretrix, & quæ gravitas peccati illius

R. Meretrix illa dicitur, quæ pluribus, quam duobus ſe proſtituit: *leg. palam §. Itemque ff. de rit. nupt. Maſcar. de probat. l. 2. concluſ. 1067. n. 17. Barboſ. in cap. Vidua s. 5. in Decrt.* Et quamvis in præſata legè, & alibi illæ dicantur Meretrices, quæ queſtus gratia ſe proſtituunt non tamen revera deſinunt eſſe Meretrices, quæ ex amore ſe pluribus palam proſtituunt: *leg. palam §. Rectiſſime ff. de rit. nupt. Maſcard. cit. n. 6.*

R. II. Peccatum Meretricum non eſt ſub determinata luxuriæ ſpecie; nam ſolent admittere tam conjugatos quam ſolutos tam Laicos, quam ſolemni voto caſtitatis obſtrictos, tam conſanguineos &c. Item a peccatis contra naturam non abhorrent, proindeque ipſorum peccata per omnes luxuriæ ſpecies ſolent divagari.

Q. VI. An ad vitanda majura mala permitendæ ſint Meretrices.

R. Ratio cur licite permitti Lupanaria videantur, eſt, quia ex permiſſione Meretricum mala majora videntur vitari; plures etenim explendo ſuam libidinem cum Meretricibus, videntur abſtinere a peccatis ſodomiæ, beſtialitatis, mollitei &c. quæ quidem peccata graviora ſunt, quam quæ cum Meretricibus committuntur. Accedit, permittenda Meretrices conſuli honeſtati puellarum, & pudicarum mulierum; his enim inſidiarentur viri procaces, ni eſſent Meretrices. Hæ ſunt rationes, ex quibus videntur licite permitti lupanaria, nec refragantur quamplures Theologi innixi D Thomæ authoritati 2. 2. *quæſt. 10. art. 11. & lib. 4. de regimin. Princip. opuſc. 20.* & S. Doctor ex D. Auguſtino ſuam opinionem confirmat.

Si hujuſmodi rationes, quæ ſpeculative efficaciſſimæ eſſe videntur, tales eſſe in praxi conſpiceremus, utique non eſſet recedendum a præſata communiori opinione. At non video in praxi permittendo Meretrices, gravioribus culpis occurri. Primo, non impediuntur graviora peccata in genere luxuriæ, tum quia ipſæ Meretrices peccata nefanda non reſpuunt, tum quia hoc habet virium luxuriæ, ut nullis finibus cohibeatur: & ideo qui ex permiſſione Meretricum veneream voluptatem deguſtant, quam plurimum etiam peccato molliriei inquinantur, nec ſunt immunes a vitio ſodomiæ. Me verum dicere, nimis ſciunt Confeſſarii. Secundo, non conſulitur honeſtati puellarum, & pudicarum mulierum: experientia etenim teſte, qui dediti ſunt meretricio, nolunt ſemper cum iis ſuam expelere libidinem, ſed honeſtiores appetunt, & has vehementiſſime ſollicitant; nec eſt qui magis quam iſti matronarum pudicitiæ inſidientur. Ubi quæſo frequentiora adulteria? in oppidis ubi nullæ Meretrices; an in Civitatibus, ubi tam frequentes? In Civitatibus utique, & nul-

Digitized by Google

& nullus ex Confeſſariis id negabit. In praxi ergo non apparet, ex meretricum permiſſione majora mala vitari.

Perpendantur modo mala, quæ ex meretricum permiſſione eveniunt. Ultra graviſſima peccata luxuriæ, quæ cum eis perpetrantur, ultra hoc, quod eſt, ex peccatis commiſſis cum meritricibus magis incendi libidinem ad omnia peccata venerea, & indifferenter cum quibuſcumque perſonis, quamplura damna ex permiſſione meretricum patiuntur familiæ, & Reſpublica. Demus Adoleſcentem meretricio deditum, & ſtatim irreverenter ſe habet erga Parentes; artem ſibi covenientem addiſcere negligit; domi furatur, ut mercedem ſui peccati poſſit perſolvere; denegat Patri, quod lucratur, potius volens alere meretricem, quam Parentes pauperes, fratres, ſorores &c. Quandoque etiam ita meretricis affectu ex cæcatur, ut turpiſſimum cum ipſa contrahat matrimonium. Hæc ultra plura alia ex meretricum permiſſione patiuntur damna privatæ familiæ. Maxima etiam damna ex meretricum permiſſione patitur bonum publicum. Primo quot patiuntur Meretrices, tot poſt juventutem tranſactam erunt Lænæ. Quot autem Juvenes, quot puellas hæ ſeducent? Quas artes perditæ hæ fœminæ neſciunt nocendi! Sufficiat adnotaſſe, has Lænas multoties evadere Sagas, ut dum in ſenectute ab hominibus deſpiciuntur; poſſint cum Dæmone quamcumque nefariam libidinem explere, indeque ob odium in juventutem, quamuluribus maleficiis puellas, puerosque miſerrime lædere, atque iſtorum ſanguinem potare. Ex permiſſione deinde meretricum impeditur augmentum civium; nam Juvenes amore meretricum illecti, renuunt honeſtum contrahere Matrimonium. Dum vero illud contrahere decernunt ratione aſſuenatæ libidinis, exercitæ; vel quia lue venerea non parum, & fortaſſe non ſemel ſeſe conſpurcarunt, non ſunt apti ad prolem generandam, vel ita languidos filios procreant, ut parum poſſint bono publico deſervire; ita paulatim extinguuntur etiam Civiles, & nobiliores familiæ non ſine gravi Civitatum diſpendio. Cum ergo ex permiſſione meretricum non removeri in praxi videantur graviora mala, ex alia vero parte quam plura inexplicabilia damna ratione illarum bonum privatum, & publicum patiantur, adhærerem illi opinioni, quæ affirmat non expedire permittere Meretrices. Inter hos eſt *Navar. in Man. c. 17. n. 195. Guttier canonic. qq. l. 2. cap. 7. n. 29. Bretach. in repert. V. Meretrix.* Non per hoc tamen intelligo culpæ damnare illos Principes, qui eas permittunt ex fundamentis contrariæ opinionis, quæ congerit Leaana *conſult. 46.* Optarem ſolummodo ad examen revocari, an in praxi contrariæ rationes adeo efficaces ſint, ſicuti tales ſpeculative apparent.

Illud ſaltem advertendum cenſerem, quod ſicuti perditæ hæ fœminæ Cloaca reputantur Civitatis, ita etiam in ignobiliorem ipſius locum ſequeſtrantur; nam dum ſparſim Meretrices in Civitate commorantur, & divagantur omnia detractionibus replentur; verbis, & exemplo alias ad malum pertrahunt; & inſuper, plures, qui ſaltem ex verecundia ad Lupanaria non progrederentur, ubique paratam occaſionem adinvenientes, in gravia labuntur peccata. In viliſſimum locum proinde amandandas communiter docent etiam DD. contrariæ opinionis, ut videre eſt apud Lezanam *loco cit. n. 50.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Primo notet Confeſſarius, quod cum Fornicatio non ſolummodo ſit mala, quia prohibita jure divino, & canonico, ſed mala etiam quia jure naturæ prohibita, ideo gravius eſt peccatum, quod ſi tantum mala eſſet, quia jure poſitivo prohibita. Hoc, inquam, advertere debet Confeſſarius, ut convenienter judicet de hujuſmodi peccato.

II. Cautus ſit Confeſſarius, ne faciliter credat mulieri aſſerenti, penitus invitam fornicationem permiſiſſe. Id avenire quandoque poterit reſpectu tactuum inhoneſtorum, ſi a procaci Juvene aggrediatur, at difficile eſt clamando, & reſiſtendo non potuiſſe ſe defendere ab actu completo fornicationis.

III. Dum agam de Sacramento Pœnitentiæ, explicabo quando exiſtentes in concubinatu admittendi ſint ad ſacramentalem abſolutionem. Interim moneo Confeſſarium difficillime dari, caſum, quo exiſtentes in Concubinatu ſint abſolvendi, niſi prius occaſionem peccati dimittant.

IV. Notent Confeſſarius, & Parochus: non eſſe Meretrices a Confeſſione arcendas, ut habetur ex *cap. Quod quidam de pœnitentia.* Ratio eſt, quia exhortationibus, & Conſiliis Confeſſarii ad meliorem frugem reduci poſſunt, & ſi hæc vitæ ipſæ præcludatur, ipſarum redditur quaſi impoſſibilis emendatio. Verumtamen eſt, non eſſe illis impertiendam abſolutionem, niſi poſtquam diu conſtet in bono propoſito perſeverare. Ut vero admittantur ad publicam Euchariſtiæ perceptionem, non ſatis eſt ſi fuerint emendatæ, ſed de earum emendatione publice conſtare debet, alias non ſine ſcandalo illis Euchariſtia adminiſtraretur. Memor ſit etiam Parochus, publicas Meretrices privandas eſſe Eccleſiaſtica Sepultura: *can. quibus, & can. cum gratia 13. q. 2. de Raptor.* Secus ſi in infirmitate Sacramentalem abſolutionem obtinuerunt: *can. 15. qui infirmitate 26. q. 6.* Idem etiam dici poteſt, ſi in infirmitate ſigna dederunt pœnitentiæ, & per ipſas non ſtetit quin Sacramentalem abſolutionem obtinuerint: *can. ſi quis de corp. in fin. 26. q. 6.*

V. Ut Confeſſarius removeat Pœnitentes a meretricando, demonſtret inter gravia flagella, quibus Deus punit eos, quibus iratus eſt, unum eſſe illis permittere, ut incidant in fornicationis foveam; ſicut dicitur: *Prov. 22. 14.* Deum fornicationem veluti Idolatriam odio habere, cum fornicationi addicti non Deum, ſed corpus ſuum videantur colere. Hoc peccatum ſæpe comites habere plura ſcandala, tum quia ſine verecundia committi ſolet; tum quia difficillime occulta remanet impudica familiaritas; adeoque ratione ſcandali quamplures animas a Deo ſubtrahi; & de hoc etiam reddendam eſſe rationem ante Chriſti Tribunal, qui illas ſibi proprio ſanguine comparavit.

CAPUT III.

De Stupro, & Raptu.

Q. I. **Q**Uid ſit Stuprum.

R. Quamvis nomine ſtupri venire poſſit quicumque concubitus a lege prohitus: *lg. inter liberos ff. de adulter.*, in præſenti ſolummodo ſignificat concubitum viri cum fœmina virgine, quo ejus integritas corrumpatur: *D. Th. 2. 2. q. 154. a. 6.* Dum ergo vir habet actum intra vas mulieris, quæ nunquam copulam habuit cum alio viro, dicitur ſtuprum committere. Quando autem hoc peccatum, ultra ſpeciem ſimplicis fornicationis, includat aliam malitiam ſpecie diverſam, videbimus in ſequenti quæſito. Hic ſatis ſit adnotare ex hoc peccato plura alia multoties oriri; nam primo fœminæ, quæ ſemel virum admiſerunt, ſolent poſtea in eadem peccata multoties prolabi. Deinde ex eo oriri ſolent grandes inimicitiæ, maxime ſi puella concipiat. Addendum non exiguas eſſe domeſticas perturbationes, quæ exinde oriuntur. Conſiderare etiam eſt, hujuſmodi puellas judicantes ſe minus aptas ad legitimum matrimonium contrahendum, facile viam meretricandi aſſumere.

Q. II. An ſi Virgo conſentiat in ſui deſlorationem, tale peccatum importet aliam malitiam diverſam a ſimplici fornicatione.

R. Quamvis non pauci judicent affirmative ſentiendum eſſe, ego nihilominus puto negative eſſe judicandum. Ad id probandum obſervo, Virginem, quamvis ſub cuſtodia Parentum, Dominam eſſe ſui corporis quoad liberum uſum ipſius: & ita nullam illis infert injuriam, ſi velit innupta remanere; ſi aliquo inſtrumento violet clauſtrum Virginale; & inſuper ſi fornicetur, poſtquam corrupta eſt, non dicitur facere contra jus Parentum: idem ergo dicendum, dum primo conſentit in deſlorationem; nam non poteſt conſiderari majus Parentum jus in ipſius corpus, quando eſt Virgo, ac quando eſt corrupta. Obſervo ſecundo, aperitionem clauſtri virginalis non importare ſpecialem malitiam virginitati oppoſitam; nam hæc ſolummodo importat abſtinentiam voluntariam ab omni actu venereo: unde non deſinit eſſe Virgo coram Deo illa, cujus clauſtrum virginale aperiretur, vel caſu, vel cauſa infirmitatis &c. Neque urget ratio aliquorum, qui dicunt non dari deſlorationem ſine ruptione alicujus membranæ, ex quo inferunt quod ſicut peccaret contra juſtitiam, qui alicui, quamvis conſentienti, manum e.g. abſcinderet, qui nullum hominum habet partium ſui corporis; ita peccat contra juſtitiam, qui Virgine conſentiente illius rumpit membranam. Non, inquam urget hujuſmodi ratio, etenim vel falſum eſt dari talem membranam, quæ in deſloratione laceretur, ut quamplures Anatomici affirmant; vel ſi detur, ruptio te-

tennis membranæ non conſideranda eſt tali corporis læſio, quæ ſpecialem importet malitiam.

Cum igitur in defloratione Virginis conſentientia non committatur injuſtitia contra jus Parentum; nec committatur injuſtitia contra ipſam Virginem, quia conſentienti non fit injuria; itemque non detur ſpecialis malitia contra virtutem virginitatis, remanet ſolummodo importare malitiam ſimplicis fornicationis ex acceſſu ad non ſuam: *Sanch. de Matr. l.7.d.14.n.1. Barboſ. in l.5. Decretal tit.16.c.1.n.12. Bonac. de Uſu Matr. q.4.p.17.n.2. Anton. a S. Spir. in Direct. Confeſſ. tr.5. diſp.8. ſect. 1.n.438.*

Remanet ergo ſtuprum habere ſpecialem malitiam diſtinctam a ſimplici fornicatione, quoties Virgo per violentiam defloratur; nam tunc accedit gravis injuſtitia, qua violenter virgineus flos eripitur: Et quia violentiæ æquiparantur dolus, & preces valde importunæ *ex can. puellæ 36. q. 1. & ex reg. 4. de regul. jur.* ideo & datur ſpecialis malitia ſtupri, quoties his mediis inducitur Virgo ad conſentiendum in deflorationem.

Cæterum advertendum, ſtupratorem Virginis conſentientis, quamvis ratione deflorationis non aliud committat peccatum quam ſimplicem fornicationem, nihilominus adhuc mortifere peccare poſſe contra charitatem, ſi prævideat exinde oriri poſſe familiæ infamiam, mærorem, cædes &c. Item graviter peccare poteſt Virgo conſentiens contra pietatem, gravi mœrore Parentes afficiendo, infamando familiam &c.

Ad quæ vero damna compenſanda Stuprator teneatur, examinatur in Tractatu de juſtitia, & jure.

Q. III. Quid ſit Raptus.

R. Quamvis non pauci Juriſperiti, & Canoniſtæ, & etiam quidam Theologi velint ad rationem raptus, prout eſt ſpecies luxuriæ, quod fœmina violenter abducatur de loco ad locum cauſa libidinis explendæ; nihilominus pro foro conſcientiæ cenſeo hanc circumſtantiam non eſſe attendendam, adeoque ſufficienter explicatur raptus, ſi ita definiatur: *Violentia facta perſonæ, aut his, ſub quorum cura eſt, cauſa explendæ libinis.* Ad rationem igitur raptus primo requiritur violentia; illud enim dicitur proprie rapi, quod vi eripitur: *leg. ſi cum mendis ff. de quis eum, qui in jus vocavit.* Hæc autem violentia poteſt inferri ipſi perſonæ, cum qua quis explere vult ſuam libidinem, vel etiam Parentibus, ſi quis etenim ipſorum filium, vel filiam raperet ad peccandum luxurioſe, violaret jus, quod habent, ne ipſis repugnantibus, & contradicentibus ipſorum Filii ita rapiantur *D.Th.2.2.q.154. a.7. Gutier. de Matr. c.86.n.17. Barboſ. in lib. 5. Decretal. tit. 17. c.6.n.3.* Idem dicendum, ſi rapiantur invitis Tutoribus, cum in jus Patris ſuccedant. Secus ſi rapiatur fœmina, quæ ſui juris ſit, inviris Fratribus, vel aliis cognatis, quia in talem fœminam, quæ eſt ſui juris, non habent tale jus, ut dici poſſit illis violentiam inferri: *Molin. t. 4. tr. 6. diſp.* 105. *n.2.* Præfatæ violentiæ, ut dixi ſupra, æquiparantur preces valde importunæ, & maxime ſi addatur reverentia erga Perſonam importune deprecantem.

Præterea raptus dicitur *violentia facta perſonæ*; nam datur raptus, ſive rapiatur virgo, ſive nupta, ſive vidua, ſive meretrix, ſive puer; ſive a Muliere potente violentia inferatur viro. Hujuſmodi violentia cuicumque Perſonæ illata habet rationem raptus in foro conſcientiæ; illius etenim malitia conſiſtit in injuſta violentia, quæ locum habere poteſt ratione cujuſcumque perſonæ. Debet tamen fieri cauſa libidinis explendæ, ut conſurgat hæc ſpecies luxuriæ; nam ſi quæcumque perſona rapiatur ad eam in ſervitutem redigendam, non dicitur raptus, ſed plagium. Quia tamen malitia hujus peccati conſiſtit in injuſta violentia cauſa explendæ libidinis, jam conſurgit hæc ſpecies luxuriæ ex eo quod rapiatur perſona animo committendi aliquod peccatum venereum, quamvis poſtea ex aliqua cauſa non perpetretur: *Sanch. l.7. de matr. diſp.* 12. *n.38.*

Ex his ſufficienter explicatur raptus, ut eſt ſpecies luxuriæ, abſque eo quod ad eam conſtituendam neceſſe ſit addere circumſtantiam, quod perſona, cui infertur violentia, de loco ad locum abducatur. Et revera, ſi quis viduam, aut corruptam in propria domo violenter cognoſcat, non poteſt dici committere ſimplicem fornicationem; nam ultra fornicationem tale peccatum habet adjunctam injuſtitiam ratione violentiæ. Item illud peccatum de ſua natura dici non poteſt adulterium, ſtuprum, ſacrilegium, inceſtus &c. ergo dicendum eſt in ſpecie raptus contineri: *Navar. in Man. c.16. num.3. Sanch. cit. n.31.* & alii apud ipſum.

Ex his inferendum in omni ſtupro includi raptum, eo quod virgo violenter cognoſcatur, non vero in omni raptu includi ſtuprum, quia raptus poteſt dari reſpectu cujuſcumque mulieris, vel etiam reſpectu pueri, & viri.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Notet Confeſſarius, quod cum amiſſio virginitatis non ſit circumſtantia, quæ ſpecialiter aperienda ſit in confeſſione, non bene ſe geret, ſi audiendo puellam cum aliquo fornicaſſe, illam interroget, an antea tale peccatum commiſerit, ſi id non ſit neceſſarium ad ſe certiorandum de ipſius ſufficienti diſpoſitione. Hæc multoties non neceſſaria interrogatio poterit eſſe occaſio ſacrilegii; quia fortaſſe puella propter pudorem mentietur. Multo minus, dum audit ſe polluiſſe, vel habuiſſe tactus venereos debet interrogare an tale peccatum prima vice commiſerit. Quod ſi audiat virum aliquam defloraſſe, tunc utique debet illum interrogare an violentiam adhibuerit, vel importunis precibus ſeduxerit, nam tunc illius peccatum ſub ſpecie ſtupri continetur. Poteſt tamen dari caſus, ut ſolum ſimplicis fornicationis ſit reus, ſi nempe non advertit importunas illas preces rationem habere violentiæ, quam ignorantiam maxime in rudibus facillime Confeſſarius reperiet.

II. Interroget etiam Confeſſarius tam Defloratorem, quam puellam conſentientem in ſui deflorationem, an adverterint exinde gravia ſcandala oriri potuiſſe, familiæ infamiam, mœrorem Parentum, & Domeſticorum, nam tunc graviter peccarunt etiam contra Charitatem, & Pietatem.

III. Confeſſarius dum audit Dominum cum famula peccaſſe, vel Virum Nobilem cum fœmina valde inferioris ordinis, interroget hujuſmodi Pœnitentes de modo, quo ad malum has fœminas pertraxerunt. Advertat igitur Confeſſarius, quod etſi non adhibeant violentiam, nihilominus valde importunis precibus eas ad peccandum adducunt, adeoque hujuſmodi peccatum conſtituitur ſub ſpecie raptus; nam preces iſtorum unitæ metui reverentiali, quem habent tales fœminæ, induunt rationem violentiæ.

De raptu prout conſtituit impedimentum dirimens matrimonium, in tractatu de matrimonio agendum eſt.

CAPUT IV.

De Adulterio.

Q. I. Quid ſit Adulterium, & quam grave peccatum?

R. I. Adulterium *eſt acceſſus ad alienum torum.* Ita *D.Th.2.2.q.154. a.8.* Tripliciter autem poteſt adulterium committi. Primo ſi Conjugatus peccet cum ſoluta. Secundo, ſi conjugatus peccet cum Conjugata. Tertio, ſi Conjugata peccet cum ſoluto.

R. II. Malitia adulterii in hoc conſiſtit, quod non ſolum includat ſimplicem fornicationem, ſed etiam graviſſimam injuſtitiam; cum etenim Conjugati jus in ſuum Corpus non habeant, ut enim ait Apoſt. 1. ad *Cor. 7. Mulier poteſtatem ſui corporis non habet, ſed vir; & vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed mulier*; jam ſi Conjugatus accedat ad non ſuam facit contra jus, quod habet ipſius uxor in ejus corpus, & ſi Conjugata peccet cum non ſuo, violat jus, quod in illius corpus habet Maritus. Quod ſi Conjugatus accedat ad Conjugatam non ſuam, duæ interveniunt injuſtitiæ, una contra propriam uxorem, altera contra alterius Maritum, & ita neceſſe eſt in Confeſſione aperire utrumque fuiſſe conjugatum, alias non ſufficienter numerum peccatorum explicaretur, duæ nempe injuſtitiæ, quæ committuntur: *Azor. p.3. l.3. Inſtitut. c.7. q.1. & 2. Filiuc. tr. 39. c.4. q.8. n.88. Bonac. q.5. de Matr. p.15. n.5.*

Violationem igitur præfati juris, ultra ſimplicem fornicationem, importat adulterium, & cum illud jus multo magis quam bona temporalia æſtimetur, ſequitur gravius eſſe peccatum, quam furtum, quapropter graviſſimis pœnis ab omnibus gentibus fuit punitum. Poteſt etiam in ipſo aliquale ſacrilegium conſiderari, cum conjuges in Matrimonii Sacramento benedicantur ad filios procreandos, quæ benedictio, & deputatio facta ab Eccleſia mediante Sacramento, per adulterium violatur. Intercedit etiam in adulterio fractio fidei, quam ſibi mutuo conjuges dederunt. Annectuntur etiam adulteriis non raro quamplura alia peccata, diſſenſiones nempe, cædes, & graviſſima perturbatio domeſticæ pacis. Si etenim

vel

vel uxor, vel vir de alterius peccato ſolummodo ſuſpicentur, nulla erit unquam inter illos quies. Et ſi omnino occulte adulterentur, nihilominus ex affectu vel alterius fœminæ, vel alterius viri ita inter illos amor reſpicit, ut aliquando etiam non leve odium inter conjugatos conſurgat. Ex hoc autem quæ mala oriri poſſint, nemo non videt.

Q. II. An detur peccatum adulterii, dum vir in conjugis peccatum conſentit,

R. Contrariam quorumdam opinionem damnavit Innocentius XI. dum ſub num. 50. ſequentem damnavit propoſitionem: *Copula cum conjugata, conſentiente Marito, non eſt adulterium: adeoque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum*. Probatur igitur talem copulam eſſe adulterium, primo, quia Maritus non habet abſolute dominium corporis uxoris, ſed ſolummodo quoad proprium uſum, adeoque non habet facultatem concedendi alteri corpus ſuæ uxoris. Secundo, vir eo ipſo quod ſit uxoratus, non poteſt renunciare iis, quæ de jure divino, & naturali competunt ſtatui Matrimonii; cum etenim pertineant ad bonum commune talis ſtatus, non eſt in facultate particularis perſonæ illis renunciare: jus autem naturale prohibet accedere ad uxorem alterius, idemque vetat jus divinum, nam Sacramentum matrimonii præcipit uxoratis ad invicem ſervare fidem, ſolumque permittit coire ad prolis generationem. Cum igitur nemo in aliquo ſtatu perſeverans, poſſit ſe privare iis, quæ jure naturali, & divino ad talem pertinent ſtatum, hinc eſt quod cum indiviſibile ſit a ſtatu matrimonii debere conjuges ſibi ad invicem fidem ſervare, neque poſſit Maritus tali fidei renunciare. Non obſtante igitur ipſius conſenſu, copula cum uxore ipſius erit adulterium. Videantur Scribentes in præfatam propoſitionem.

Q. III. An dicatur committere adulterium, qui propriam Uxorem ſodomitice cognoſcit.

R. Quamvis prima facie hujuſmodi peccatum ultra malitiam ſodomiæ, non videatur importare malitiam adulterii, cum non ſit acceſſus ad alienum torum, revera in tali peccato reperitur crimen ſodomiæ, & adulterii. Ratio eſt, quia negari non poteſt conjugatum crimen adulterii committere, quoties ad non ſuam accedit: porro ipſius uxor non eſt ſua quoad habendam cum illa copulam ſodomicam, ac proinde verificatur accedere ad non ſuam, quamvis materialiter alienum torum non violet. Præterea datur adulterium, quotieſcumque violatur fides data in matrimonio, hæc autem importat quod ſolummodo caſte conjungantur in ordine ad generationem. Nec refert copulam ſodomiticam utriuſque fieri conſenſu; nam ſemper injuriam faciunt fidei matrimonii cui fidei non poſſunt renunciare, utpote quæ jure divino competit bono communi tali ſtatus: *Sanch. l. 9. de Matrim. diſp. 18. num. 4. Azor. p. 3. l. 3. c. 20. q. 5. Filiuc. tr. 30. cap. 4. num. 92. Anton. a Sp. S. in Direct. Confeſſ. tr. 5. diſp. 8. ſect. 2. num. 431.*

Q. IV. An adulterium committat, qui cognoſcit alterius uxorem ante matrimonium conſummatum.

R. Communis opinio eſt affirmativa, etenim ſtatim ac matrimonium ratum eſt, tribui Marito perfectum jus in corpus uxoris, & e contra, qui proinde, etiam ante conſummationem matrimonii, alterius cognoſcit uxorem, non poteſt negari violare jus Mariti, in qua injuſtitia malitia conſiſtit adulterii.

Q. V. An carnaliter cognoſcens deſponſatam per verba de futuro committat adulterium.

R. Quamvis non deſint DD. in hujuſmodi copula malitiam adulterii conſiderantes; nihilominus revera non continet adulterium, cum non ſit alieni juris violatio, nam neuter ratione ſponſalium illud actu habet, ſed ſolummodo eſt illis promiſſum. Hinc filii, qui ex tali copula naſcerentur, non adulterini, nec ſpurii dicerentur, ſed ſolummodo naturales, quamvis illegitimi: *Guttier. de Matr. c. 1. n. 16. Sanch. l. 2. de Matr. d. 2. n. 2. Filliuc. tr. 20. in Decal. c. 2. n. 53.* Non per hoc tamen nego Sponſos frangentes fidem Sponſalium debere hanc circumſtantiam in confeſſione aperire. Ratio eſt, quia ex vi contractus ſponſalium uterque acquirit jus non quidem in re, ſed ad rem in corpus alterius; unde cum Sponſus, vel Sponſa fornicando violent tale jus, ea violatio importabit malitiam diſtinctam a ſimplici fornicatione. Nec dici poteſt Sponſum cum alia fornicando non facere gravem injuriam Sponſæ, adeoque ex parte Sponſi non eſſe neceſſarium aperire in confeſſione circumſtantiam Sponſalium. Contra etenim eſt, quia ſi ex fornicatione ex parte Sponſi non infertur gravis injuria Sponſæ, hæc ex tali cauſa non valeret diſſolvere Sponſalia, nam non niſi ex gravi cauſa diſſolvuntur; & tamen conſtat propter injuriam ipſi irrogatam poſſe a Sponſalibus reſilire. Ex parte ergo utriuſque Sponſi fornicantis videtur aperienda Sponſalium circumſtantia: *Guttier. de Matr. cap. 1. n. 20. Anton. a Sp. S. de Sponſal. ſect. 5.* & alii apud ipſum.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Dum Confeſſarius audit aliquem commiſiſſe adulterium, bene perpendat quot peccata commiſerit, ut rite Judicis fungatur officio. Adulterium ex ſe duo peccata ſaltem æquivalenter importat, nempe contra caſtitatem, & contra juſtitiam. Si uterque peccans erant Conjugati, accedit tertium peccatum, quia dupliciter juſtitia violatur. Si ulterius erant affines, vel conſanguinei, accedit quartum peccatum, nempe ratione inceſtus.

II. Notet Confeſſarius, quod licet adulterium æquale peccatum ſit tam ex parte viri, quam ex parte fœminæ, ſi conſideretur in quantum eſt contra bonum fidei, & contra Sacramentum Matrimonii, nihilominus ex parte fœminæ poteſt eſſe gravius, ſi conſiderentur damna, quæ exinde poſſunt oriri: Hujuſmodi damna evenire poſſunt, quia ex adulterio uxoris oriri poſſunt graves inimicitiæ, cædes uxoris, & adulteri, vel ſaltem continua domeſticæ pacis perturbatio, ſi de hoc uxoris crimine licet leviter Maritus ſuſpicetur. Item ratione adulterii uxoris graviſſima totius familiæ oritur infamia, quæ non evenit, ſi vir adulteretur. Tertio, ex adulterio uxoris oriri poteſt incertitudo prolis cum gravi damno filii legitimi. Interroganda ergo eſt uxor, ſi hæc animadvertit, dum commiſit adulterium; nam ex his circumſtantiis oriri poſſunt alia peccata contra diverſas alias virtutes.

III. Confeſſarius Pœnitenti, qui commiſit adulterium, ob oculos ponat adulteros *Deuter. 27.* ſpecialiter a Deo maledici, & excludi a Dei hæreditate, adeoque difficulter poſſe conſequi ſalutem. Addat quod ſi Deus fures tam odio habet, quanto magis violantes jus uxoris propriæ, vel alterius Mariti? adeoque in S. Scriptura *Prov. 6.* dici adulteros perdere animam ſuam, & ipſorum opprobrium non delendum. Demonſtret ipſos parvipendere Matrimonium in lege Gratiæ ad eſſe Sacramenti ſublatum, & violare fidem, ad quam coram Eccleſia ſe obligarunt, dum Matrimonium contraxerunt.

De Adulterio, prout inducit obligationem reſtituendi, ſermo eſt in Tractatu de juſtitia, & jure. Item de eo, prout dat jus ad divortium, in Tractatu de Sacramento Matrimonii.

CAPUT V.

De Inceſtu.

Q. I. Quid ſit inceſtus, & quale peccatum.

R. I. Inceſtus eſt copula carnalis inter perſonas conſanguineas, vel affines in eo gradu, in quo vel ex jure divino; vel humano non valent contrahere Matrimonium: *can. lex illa 2. §. cum ergo cauſ. 36. qu. 1.* Hinc ex communiori fortaſſe ſententia ſemper committitur inceſtus, dum intervenit copula inter Aſcendentes, & Deſcendentes, quoſcumque in linea recta. Inter laterales autem conſanguineos uſque ad quartum gradum: & pariter uſque ad quartum gradum, ſi interveniat inter affines ex copula licita; & uſque ad ſecundum dumtaxat gradum, ſi inter affines ex copula illicita. Hæc omnia magis explicantur, dum agitur de conſanguinitate, & affinitate, prout eſt impedimentum dirimens matrimonium.

R. II. Malitia inceſtus ex eo principaliter provenit, quod graviter ratione ejuſdem offendatur reverentia, quæ jure naturali, & divino conſanguineis & affinibus debetur. Cum etenim carnalis congreſſus extra matrimonium ſemper turpitudinem, & indecentiam contineat, non poteſt eſſe ſine gravi irreverentia erga illos, quibus ſpecialiter reverentiam debemus: *D. Th. 2. 2. q. 154. art. 9.*

Q. II. An omnes inceſtus ſint ejuſdem ſpeciei.

R. Quamvis in hac materia diverſimode loquantur DD. ego cenſeo, quod ſi intrinſeca ratio attendatur,

omni-

omnino dicendum ſit, mulroties peccata inceſtus ſpecifice eſſe diverſa. Ut id percipiatur, obſervare eſt, peccata, licet contra eamdem virtutem, bene poſſe eſſe ſpecie diverſa, eo quod modo valde diſpari eadem virtus violetur. Exemplum ſit in filio, qui lædit pietatem occidendo, & infamando Parentes, utique duo peccata ſpecie diſtincta committit; quamvis etenim in utroque peccato impietatis reus ſit, nihilominus quia modo longe diverſo læditur pietas occiſione, ac diffamatione, ideo peccatis ſpecifice diverſis eadem virtus offenditur. Idem dicendum dum quis carnaliter cognoſceret, ſimulque percuteret perſonam ſacram; utique etenim duo peccata ſpecie diverſa committit, propter modum valde diverſum agendi contra virtutem religionis. Hac doctrina poſita, primo mihi videtur ſpecie differre inceſtum commiſſum cum conſanguinea ab inceſtu cum affine commiſſo. Ratio eſt, quia cum conjunctio cum conſanguineis proveniat ex vinculo intrinſeco, & naturali, ab identitate nempe ſanguinis per generationem accepti, videtur longe diverſa a conjunctione, quæ oritur ratione affinitatis, quæ de ſe excludit identitatem ſanguinis, & provenit a vinculo extrinſeco, & libero, nempe a copula. Cum igitur tanta ſit diſparitas inter hujuſmodi conjunctiones, ex motivo pietatis moraliter diverſo, videtur deberi reverentia Conſanguineis, & Affinibus. Si proinde hujuſmodi reverentia ratione inceſtus in conſanguineis lædatur, & affinibus, hujuſmodi inceſtus erunt peccata ſpecie diverſa, utpote quia modo, ſeu ratione valde diverſa debetur reverentia Conſanguineis, ac Affinibus.

Secundo, puto inceſtum cum conſanguinea in linea recta differre ſpecie ab inceſtu commiſſo cum conſanguinea in linea tranſverſali. Ratio conſtat ex dictis, quis nempe reverentia, quæ debetur primis, eſt ordinis longe ſuperioris ea, quæ tranſverſalibus debetur. Et quidem longe diverſa eſt indecentia, quæ apparet in copula habita cum Matre, vel filia ab ea, quæ eſt in copula habita tum Sorore; & ita dicuntur & ipſa bruta nolle cum Matre coire, niſi prius Matrem eſſe obliviſcantur.

Tertio, puto inceſtum in primo gradu cum conſanguinea in linea recta, vel tranſverſali, differre ſpecie ab inceſtu commiſſo in cæteris gradibus harum linearum. Ratio eſt, quia concipitur indecentia longe diverſa, ſi quis peccet cum propria filia, ac cum filia ipſius filiæ. Item eadem longe diverſa indecentia concipitur inter peccatum commiſſum cum Sorore, & peccatum commiſſum cum ipſius filia.

Quarto, puto inceſtum in primo gradu affinitatis differre ſpecie a reliquis gradibus propter indecentiam longe diverſam, quæ intervenit in hujuſmodi peccatis. Quis etenim non videat copulam inter novercam & privignum, inter privignam & vitricum, inter Socerum, & Nurum, Soceram, & Generum, Cognatum, & Cognatam indecentiam longe diverſam importare, quam ſi habeatur cum aliis affinibus? Cum ergo modo longe turpiori offendatur reverentia ratione inceſtus commiſſi in primo affinitatis gradu, quam ſi hoc peccatum committatur cum affinibus gradus inferioris, inde eſt ex diverſo modo offendendi eamdem virtutem conſurgere peccata ſpecie diverſa. In cæteris gradibus tam conſanguinitatis, quam affinitatis præter recenſitos dici poteſt inceſtus ſpecie non differre, quamvis ſit magis, vel minus gravis. Quæ hucuſque dixi videtur docere *S. Th. opuſc. 12 q. 6. Navar. in Manual. c. 7. in fin. Filiuc. tr. 30. c. 5. a n. 96. Fagund. l. 6. in Decal. c. 6. a n. 21.*

Q. III. An copula cum Cognatis ſpiritualibus, vel legalibus importet malitiam inceſtus.

Ex dicendis dum ſermo erit de impedimentis Matrimonii, ſuppono ex lege Eccleſiæ ratione Baptiſmi cognationem oriri inter ſuſcipientem, & ſuſceptum, & hujus Patrem, & Matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, hujuſque Patrem, & Matrem. Eadem ſpiritualis cognatio conſurgit ratione Sacramenti Confirmationis, quæ pariter non egreditur Confirmantem, & Confirmatum, illiuſque Patrem, & Matrem, ac ſuſceptorem, ſeu Patrinum eo modo, quo de Baptiſmo dictum eſt. Suppono item ex eadem Eccleſiæ lege oriri cognationem legalem ex adoptione, & hæc contrahitur inter Patrem adoptantem, & adoptatum, & hujus filios, nepotes &c. inter filium adoptatum, & hujus filium naturalem adoptantis: inter adoptantem, & uxorem adoptati; & inter adoptatum, & uxorem adoptantis. His poſitis,

R. I. Peccatum carnale cum Cognatis ſpiritualibus eſt peccatum inceſtus altioris ordinis, ac peccatum commiſſum cum Cognatis naturalibus; nam cum conjunctio inter Cognatos Spirituales inducta ſit ab Eccleſia ob reverentiam Baptiſmi, & Confirmationis, hinc eſt, non violari per copulam carnalem talem cognationem, abſque eo quod talis inceſtus induat rationem ſacrilegii; adeoque hujuſmodi inceſtus eſt ſpecialiter in confeſſione explicandus. Putarem etiam explicandas eſſe Perſonas committentes talem inceſtum; nam ſi e.g. Baptizans, vel Patrinus copulam habeant cum Baptizata, videtur eſſe veluti peccatum Patris cum Filia. Si vero Patrinus, vel Baptizans peccent cum Matre Baptizatæ, videtur hujuſmodi peccatum correſpondere peccato Socrus cum ſuo Genero; cum ergo adeo ſit diverſa reverentia, quæ debet eſſe inter eos, qui habentur ut Pater, & Filius, ab ea, quæ concipitur inter Socrum & ſuum Generum, ut bene fundare poſſit diverſitatem ſpecificam, hinc eſt hujuſmodi gradus eſſe in confeſſione explicandos: Idem quod dixi de Patrino peccante cum Matre Baptizatæ, dicendum eſt de Patre Baptizatæ peccante cum Matrina. Videantur *D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 10. ad 2. Lugo de Pœnit. diſp. 16. ſect. 6. n. 333. Sanch. l. 7. de Matrim. diſp. 5. n. 9.*

R. II. Peccatum Carnale inter cognatos legales habet malitiam inceſtus, nam eo ipſo quod hæc cognatio introducta ſit ab Eccleſia, oritur inter eos obligatio reverentiæ, quæ carnali copula nimis violatur: Quia tamen hæc legalis cognatio eſt valde inferior ea, quæ ratione ſanguinis oritur, ideo putarem inceſtum inter Cognatos legales eſſe minus gravem, & diverſæ ſpeciei ab inceſtu inter Cognatos naturales. Præterea quia valde diverſa eſt reverentia, quæ debet eſſe inter adoptantem, & adoptatum, ab ea, quæ debet eſſe inter adoptatum & filios, & uxorem adoptantis, ideo & inter hos inceſtus bene conſiderari poſſet diverſitas ſpecifica: *Lugo de Pœnitent. diſp. 26. ſection. 6. n. 329. Leſſ. l. 4. c. 3. d. 11. n. 75.*

Ad inceſtum etiam reduci poteſt copula habita cum Conſanguinea in primo gradu Sponſæ de futuro; cum etenim voluerit Eccleſia non poſſe contrahi Matrimonium cum Conſanguineis in primo gradu Sponſæ, conſequens eſt velle ſpecialem reverentiam erga eas haberi, unde ſi ratione copulæ talis reverentia violetur, conſurgit ſpecies inceſtus a ſimplici fornicatione diſtincti, adeoque eſt in confeſſione aperienda: *Sanch. l. 7. de Matr. d. 5. num. 11. Lugo de Pœnit. d. 16. n. 332.* Idem dicendum de eo, qui poſt Matrimonium ratum, & non conſummatum peccat cum conſanguinea Conjugis uſque ad quartum gradum; *Lugo cit. Tamb. l. 2. cap. 7. §. 7. n. 52.*

Q. IV. An ſi Confeſſarius extra confeſſionem, & nullo ordine ad illam habito, carnaliter cognoſcat filiam Confeſſionis, peccet peccato inceſtus.

R. Peccatum carnale cum Filia confeſſionis habet quodammodo inducere rationem ſacrilegii, & inceſtus. Ratio eſt, quia illa dicitur Filia Confeſſionis, quæ aliquem elegit in Confeſſarium, ut ab ipſo in ſpiritu gubernetur, & ab hoc accepta fuit, ut cum ipſo frequenter ſua peccata confiteatur. Per hoc igitur, quod hæc Confeſſarium loco Patris elegerit, & hic illam habeat loco filiæ, dubitari non poteſt conſurgere inter eos quamdam conjunctionem ſimilem illi, quæ conſurgit inter baptizantem, & Baptizatam, ut innuitur *can. omnes 20. q. 1.*, quapropter peccatum Sacerdotis cum filia confeſſionis vocatur adulterium *can. ſi quis ibid.* Id quidem non in rigore, ſed ſimilitudinarie dictum eſt, nihilominus conſtat ex eo ſupponi aliquam cognationem inter Confeſſarium, & filiam confeſſionis. Cum igitur quædam cognatio ſit ex jure Eccleſiaſtico inter Confeſſarium, & Filiam confeſſionis, eaque inducta ſit, ne ratione confeſſionis poſſit oriri occaſio peccandi, adeoque ne detur anſa retrahendi fideles ab hoc Sacramento, hinc eſt principaliter inductam eſſe ob reverentiam Sacramento debitam; ac proinde peccans cum Filia confeſſionis peccabit quodammodo peccato ſacrilegii, cum violet conjunctionem ab Eccleſia inductam principaliter ob reverentiam Sacramenti. Reductive autem poteſt in hoc peccato etiam quædam inceſtus ſpecies conſiderari, quia etiam violatur reverentia debita filiæ ſpirituali.

Dices *ex cap. quamvis de cognatione ſpirituali*, nullam aliam dari cognationem ſpiritualem, niſi quæ oritur ex Sacramento Baptiſmi, & Confirmationis. Contra tamen eſt, quia hoc verificatur quidem de cognatio-

tione ſpirituali, quæ Matrimonium impediat, vel diſſolvat, non vero de cognatione ſpirituali utcumque, quæ ex Sacris Canonibus eſt inter Filiam ſpiritualem, & Confeſſarium, nec eam intendit removere Bonifacius VIII. in citato capite *quamvis*. Præterea negari non poteſt in peccato Confeſſarii cum filia Confeſſionis ſemper eſſe ſpecialem deformitatem etiam alio ex capite, quatenus ſcilicet graviſſime deeſt officio, & muneri ſuſcepto perducendi eam ad perfectionem, & ad æternam ſalutem. Hinc ſemper etiam ſpecialis deformitas apparet in peccato Parochi cum ſua Parochiana. Præfatam ſententiam, *ut* validiori innixam rationi, contra plures Theologos duxi eſſe ſequendam. Videantur S. Thomas *in ſupplem. ad 3. p. q. 56. a. 2. ad 8. Barb. in cap. quamvis n. 8. Gonzal. l. 4. Decretal. tract. de Cognat. ſpiritual. n. 8. Sanch. de Matrim. l. 7. d. 55. nu. 3. Lugo de Pœnit. diſp. 19. ſect. 6. num. 355. Filluc. tr. 30. c. 5. n. 105.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I Obſervet Confeſſarius ne facilis ſit in concedendo ſuis Pœnitentibus vel nimis familiarem vel nimis aſſiduam converſationem cum Conſanguineis, vel Affinibus, in eo fidens quod cognatio illos ab exceſſibus carnalibus retrahet. Sciat naturaliter inter eos amorem, plus quam inter alios exardeſcere; & deinde animadvertat impudicum amorem nullis coarctari finibus, & proinde non raros inceſtus inter conſanguineos, vel affines dari, immo Fratres ipſos quandoque Sorores turpiſſime cognoſcere. Semper ergo cautus ſit in removendis quibuſcumque occaſionibus, ni velit ſuas Pœnitentes gravibus inceſtibus fœdari.

II. Quamvis non deſint affirmantes in peccato inceſtus non eſſe explicandum nec gradum, nec lineam, eo quod putent omnes inceſtus in omni gradu, & linea eſſe ejuſdem ſpeciei, ego tamen ſuaderem Confeſſario, ut nunquam in praxi hanc amplectatur doctrinam. Demus v. g. aliquem peccaſſe cum filia, vel Sorore, & ſolummodo ſe accuſare de peccato commiſſo cum perſona ſibi conjuncta. In tali caſu ſi Confeſſarius non interroget pœnitentem de primis gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis, credat mihi, ille pœnitens nunquam putabit ſufficienter explicuiſſe ſuum peccatum; nam ſemper conſcientia illi dictabit tam gravius eſſe peccatum cum Matre commiſſum, ut nec ſatis explicaverit ſuum peccatum dicendo commiſiſſe inceſtum in primo gradu conſanguinitatis, quia tale peccatum potuit eſſe cum Filia, vel Sorore. Idem dicendum de peccante cum Filia, ſi non explicet in individuo tale peccatum. Idem de peccante cum Sorore. Idem de peccante cum Privigna &c. Certe pœnitens non explicans in individuo hæc, & ſimilia peccata, non credit ſatisfeciſſe ſuæ conſcientiæ; unde ſi ex rubore non ſatis ſe explicet, ſuppleat Confeſſarius, ne pœnitens ab eo diſcedat putando Sacrilegium commiſiſſe.

Cæterum advertat Confeſſarius, quod filius peccans cum Matre, ſeu Noverca, vivente Patre, videtur debere explicare hanc circumſtantiam non ſolum ratione talis inceſtus, ſed etiam propter quamdam ſpecialem impietatem in ordine ad Patrem, cui viventi gravem irrogat injuriam, illum lædendo in bono matrimoniali: *Lugo diſp. 16. de Pœnit. n. 323.*

Pariter notes, inceſtum ratione cognationis ſpiritualis ſemper eſſe diverſæ ſpeciei ab aliis inceſtibus, quidquid aliqui dicant in contrarium; nam cum talis cognatio primo & per ſe inducta ſit ab Eccleſia ob reverentiam debitam Baptiſmo, & Confirmationi, ſequitur per inceſtum non violari cognationem ſpiritualem ſine injuria horum Sacramentorum, adeoque habere rationem Sacrilegii.

III. Semper præ oculis habeat Confeſſarius ſequentem caſum in noſtra Diœceſi reſervari: *Inceſtus in primo gradu conſanguinitatis, ſeu affinitatis tam ex copula licita, quam illicita, quoad maſculos, & fœminas. In ſecundo vero gradu conſanguinitatis, vel affinitatis matrimonialis aut ubi eſt cognatio ſpiritualis, quoad maſculos tantum.*

Pro recta intelligentia hujus caſus primo advertendum non dari peccatum inceſtus reſervati, niſi copula ſit perfecta, hoc eſt, niſi detur ſeminatio viri intra vas naturale fœminæ, proindeque quæ apta ſit generationi. Ulterius quia in plurium ſententia non datur copula ſufficiens ad generationem, niſi & ipſa fœmina ſeminaverit, hinc eſt, fœmina non ſeminante, dubiam eſſe reſervationem, adeoque nullam.

Præterea certo conſtare debet adfuiſſe peccatum inceſtus. Ex hoc capite immunis eſt a reſervatione, qui, poſtquam proprium filium abſque neceſſitate baptizavit, propriam cognovit uxorem; nam in hoc caſu non ſatis conſtat interdici copulam inter virum, & uxorem. Item immunis eſt a reſervatione, qui cognoſceret propriam uxorem poſtquam ipſius conſanguineam cognovit, ſi ignoravit ex hoc ſibi auferri jus petendi; nam probabiliſſimum eſt hanc pœnam nonniſi ab eam ſcientibus incurri. Verum tamen eſt, incurriſſe reſervationem, dum peccavit cum conſanguinea uxoris in gradibus in caſu expreſſis. Item immunis eſt a reſervatione, qui peteret debitum a ſua Conjuge, poſtquam peccavit cum ipſius conſanguinea, ſi hoc faciat ex juſto timore, ne Conjux veniat in cognitionem ſui delicti; nam tunc non cenſetur Eccleſia illum privare jure petendi. Item non videtur incidere in caſum reſervatum ille, qui peccaret cum conſanguinea, vel affine, poſtquam obtinuit diſpenſationem contrahendi cum illis Matrimonium; nam propter diſpenſationem obtentam illa copula non habet rationem inceſtus. Demum abſolvi poſſunt, qui tali ignorantia laborarent, ut nullatenus cognoſcerent peccatum cum Cognatis importare malitiam diverſam a fornicatione ſimplici; nam ipſorum peccatum non eſſet formaliter inceſtus. Idem dicas de eo, qui ex ignorantia crederet peccare cum Cognata intra gradus reſervatos, cum revera eſſet ultra eos; nam ipſius opus externum, quod etiam reſpicit reſervatio, vere non eſſet reſervatum. Quotieſcumque ergo vel opus ipſum non continet inceſtum reſervatum, vel ſaltem probabiliter dubitatur, an contineat malitiam inceſtus reſervati, non habet locum reſervatio.

Dum verificatur adfuiſſe peccatum inceſtus reſervati, primo innodantur reſervatione peccantes cum Conſanguineis, vel Affinibus in primo gradu, ſive conſanguinitas, & affinitas naſcantur ex copula licita, vel illicita, & reſervatio afficit tam Maſculos, quam fœminas. Hinc innodantur reſervatione peccantes cum Noverca, cum Sororibus, cum Sorore propriæ uxoris, cum Sorore, vel Matre illius, cum qua ipſi, vel ipſorum Pater, aut Frater copulam habuit; & inſuper ſi cognoſcatur eadem fœmina, quam prius Conſanguineus in primo gradu cognoverat. Inceſtus præfati ſunt in primo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, vel illicita, & ideo ſubjacent reſervationi, tam quoad maſculos, quam quoad fœminas.

Secundo, innodantur reſervatione Maſculi peccantes cum conſanguineis, vel affinibus in ſecundo gradu, ſi affinitas ſit matrimonialis. Hinc incidunt in caſum peccantes cum fœminis conſobrinis in ſecundo gradu, cum Nepotibus, cum Ava, cum uxore Avi diverſa ab ea, ex qua Pater, vel Mater geniti fuere, cum uxoribus Conſobrinorum, vel Nepotum in ſecundo gradu, & cum filia Fratris, vel Sororis uxoris ſuæ. Inter præfatos vel intercedit conſanguinitas in ſecundo gradu, vel affinitas matrimonialis pariter in ſecundo gradu. E contra non eſſet obnoxius reſervationi inceſtus commiſſus a Conſobrino cum aliqua fœmina, cum qua ſciebat prius alium ſuum Conſobrinum peccaſſe; nam peccat cum affine in ſecundo gradu ex copula illicita. Idem dicendum de Conjuge petente debitum a ſua Conjuge, poſtquam peccavit cum illius conſanguinea in ſecundo gradu.

Tertio, incidunt in reſervationem Maſculi peccantes cum Matre, cujus Filium baptizarunt, vel confirmarunt, ſeu in Baptiſmo, aut Confirmatione ſuſceperunt. Item Pater habens copulam cum Matrina proprii filii, vel cum Muliere, quæ in neceſſitate ipſius filium baptizavit. Immunes vero eſſent maſculi a præfata reſervatione, quoties non conſtaret contraxiſſe ſpiritualem cognationem cum iis, cum quibus peccant: qua de re videnda quæ dicam in Tractatu de Matrimonio, dum agam de cognatione ſpirituali.

C A P U T VI.

De Sacrilegio, prout eſt Species Luxuriæ.

Q. I. QUid ſit Sacrilegium prout eſt ſpecies luxuriæ; & quibus modis poſſit committi.

R. Sacrilegium, ut eſt ſpecies luxuriæ, ita poteſt definiri: *Violatio rei ſacræ facta per actum venereum.* Induit ergo hoc ſacrilegium ſpeciem luxuriæ, quia ad illam vitium irreligioſitatis ordinatur. Sicut igitur quando

do furtum ad fornicationem ordinatur, ſupperaddit ſpeciem fornicationis, ita dum eligitur violatio rei ſacræ ad veneree peccandum, irreligioſitatis peccato ſuperadditur ſpecies luxuriæ: *D. Th. 2. 2. q. 54. art. 10. ad 2.*

R. II. Tripliciter committi poteſt ſacrilegium prout eſt ſpecies luxuriæ, nimirum in perſonam ſacram, in locum ſacrum, in rem ſacram.

Q. II. Quando interveniat ſacrilegium in perſonam ſacram.

R. I. Peccat peccato ſacrilegii in ſpecie luxuriæ, qui voto caſtitatis obſtrictus committit aliquod peccatum venereum; & ratio eſt, quia ratione voti ſe obligavit ad abſtinendum ab omni labe contra caſtitatem; unde ſive turpiter deſiderando, ſive ſecum, ſive cum aliis turpes actus habendo, erit ſacrilegus. Nec eximitur a peccato ſacrilegii, qui eſt voto abſolutæ caſtitatis ligatus, ex eo quod habeat ſolam delectationem moroſam de peccato carnis abſque animo exequendi; nam votum abſolutum caſtitatis eſt de vitando quidquid eſt venereum, eidemque caſtitati oppoſitum: caſtitati vero opponuntur etiam ſolæ delectationes venereæ moroſæ, nullum dicentes ordinem ad executionem: *Lugo diſp. 15. de pœnit. n. 368. Trall. l. 6. in Decal. c. 1. d. 7. n. 2.*

Immo adderem eſſe Sacrilegum eum, qui voto caſtitatis obſtrictus induceret alium ad peccandum veneree, quamvis ſupponeretur nulla ratione erga luxuriam affectus. Ratio eſt, quia non ſolum peccat contra caſtitatem, qui ex alterius ſuaſione illam violat, ſed etiam qui inducit ad eam violandam; nam effectus imputatur cauſæ morali ipſius effectus, unde non poteſt non imputari violatio caſtitatis illi, qui alium induxit ad fornicandum. Si ergo qui abſolute vovit caſtitatem intelligitur abſolute obligatus ad aſtinendum ab omni eo, quod eſt contra caſtitatem, conſequens eſt prædictum peccare contra votum; quia & ipſi eſt imputabilis violatio caſtitatis: *Lugo n. 152. Anton. a Sp. S. de Pœnit. diſp. 8. n. 384.* Idem a fortiori dicendum de eo, qui habens votum caſtitatis propriis tactibus alium induceret ad pollutionem, quamvis (ut fingatur impoſſibile) ullam in ſe experiretur delectationem. Accedit, illos tactus de ſe habere rationem tactus obſcæni, adeoque ſemper eſt contra caſtitatem, de ſua natura prohibentem ordines actus obſcœnos: *Anton. a Sp. S. l. §. 5.* & communiter contra unum, aut alterum quorum opinio nullatenus probabilis eſt reputanda.

R. II. Intervenit ſacrilegium, quando Perſona Sacra peccat cum alia Perſona Sacra: In hoc autem caſu duplex ſacrilegium committitur; quamvis etenim ob multiplicitatem præceptorum circa idem, & ſecundum eamdem rationem, non multiplicentur peccata, bene autem multiplicantur, quando dupliciter aliqua virtus violatur, hoc autem ſequitur in caſu noſtro, quia non ſolum violatur caſtitas propria, ſed cooperatur etiam ad violationem caſtitatis alienæ: *Filliuc. tr. 30. c. 7. n. 122. & 128. Bonac. q. 4. de Matr. p. ult. n. 2. & 3.*

E contra propter allatam rationem nempe quia ex multiplicitate præceptorum non multiplicantur peccata, quo ties ex eodem motivo lata ſunt, puto unum tantum committere peccatum Religioſum, qui ſimul in ſacris eſt conſtitutus, ſi in peccatum carnis prolabatur. Et quidem cum ſtatus Clericalis non exigat de ſua natura caſtitatem, conſequens eſt, conſtitutos in ſacris teneri ad caſtitatem, ſolummodo ratione voti ab Eccleſia Ordini Sacro annexi, adeoque teneri ad caſtitatem ex eodem motivo ac Religioſum poſt emiſſum votum ſolemne caſtitatis. Hinc Eccleſia ex eodem motivo inhabilitat Religioſos, & in Sacris conſtitutos ad matrimonium contrahendum, nempe ut melius obſervent caſtitatem. Votum igitur caſtitatis, quod de novo emittitur a Religioſo, dum ſuſcipit ordinem Sacrum, poteſt conſiderari ut confirmatio voti facti in profeſſione; per hoc autem quod ſæpius confirmetur eadem obligatio, non reducitur nova obligatio, in cujus tranſgreſſione novum ſuperaddatur peccatum, ut conſtat in Religioſo tranſgrediente vota, quæ pluries affirmavit: *Sanch. de Matr. d. 27. n. 8. & 31. Lugo de Pœnit. diſp. 16. n. 245. Filliuc. tr. 30. c. 8. n. 125. Anton. a Sp. S. in direct. Confeſſ. tr. 5. diſp. 8. n. 377.*

R. III. Committitur etiam ſacrilegium contra perſonam ſacram, quoties perſona non ſacra committit actus turpes, vel deſiderat committere cum Perſona Sacra. Ratio eſt clara, quia nempe illius peccatum reſpicit violationem caſtitatis in Perſona Sacra.

Q. III. Quando Sacrilegium, prout eſt ſpecies luxuriæ, committatur ratione loci Sacri; & quid in præſenti veniat ratione loci Sacri.

R. I. Ut cognoſcatur qui actus venerei ratione loci Sacri inducant etiam ſpeciem ſacrilegii, conſiderandum eſt qui actus in communi æſtimatione graviter reputentur officere ipſius reverentiæ; hoc etenim ſacrilegium eſt *violatio loci Sacri per actum carnalem*. Cum igitur eo ipſo quod Eccleſia Dei cultui dedicetur, & deſignetur ut locus ad fundendas Deo noſtras preces, jam conſtat ex lumine naturæ tali loco deberi ſummam reverentiam. Si etenim ratio dictat reverentiam deberi etiam loco, qui deſtinatus eſt, ut ſit aula Principis, multo magis dictabit reverentiam Eccleſiæ deberi, quæ deſignata eſt, ut ſit veluti Dei domus. Ex hoc datur intelligi rationem ſacrilegii in præſenti non eſſe ſolum deſumendam ex hoc, quod Eccleſia quædam venerea fieri in loco ſacro prohibuerit, ſed quia ſuppoſita deſtinatione talis loci ad cultum Deo præſtandum, ſtatim ratio naturalis dictat contra ipſius reverentiam peccari, quoties in eo turpia exerceantur.

Hoc poſito, puto non ſolum copulam cum muliere, & voluntariam pollutionem, ſed etiam quoſcumque alios actus venereos valde turpes induere malitiam ſacrilegii, puta omnes tactus in partibus verendis, illas oſtendere, turpem confabulationem, nutus ad laſciviam provocantes &c. Ratio horum omnium eſt, quia hæc omnia fieri non poſſe videntur in Eccleſia ſine gravi irreverentia contra talem locum; valde etenim indecens eſt, ut locus deputatus orationi, & cultui divino, convertatur in locum fœdiſſimæ confabulationis, & vacandi peccatis. Non condemnarem tamen gravis ſacrilegii quoſdam actus inhoneſtos levioris malitiæ, puta levem manuum ac pedum contrectationem, aliquod obſcœnum tranſeunter prolatum, ſi non ſit verbum valde turpe, aſpectus amatorius &c. Quamquam igitur hæc, ſi in Eccleſia fiant, ſicut & deſiderium internum peccandi; ſemper quamdam indecentiam importent contra locum Sacrum, nihilominus non videntur pertingere ad gravem irreverentiam: *Lugo diſp. 16. a num. 465. Filluc. tract. 30. cap. 8. num. 133. Anton. a Sp. S. in direct. Confeſſ. de Pœnit. d. 8. ſect. 3. §. 2. n. n. 565.* Non nego tamen in hac materia Theologos in diverſas opiniones eſſe diſtractos, ſed quod dixi, ni fallor, ineluctabili innititur rationi.

Dices Eccleſiam *cap. is qui de ſent. excom. in 6. & c. unic. de conſecr. in 6.* ſolummodo prohibere ſub pœna ſacrilegii voluntariam ſeminis effuſionem, & copulam carnalem peccaminoſam habitam in Eccleſia, adeoque nullum alium actum venereum exercitum in Eccleſia habere rationem ſacrilegii. Sed contra eſt, quia prædicta independenter a quacumque prohibitione Eccleſiæ eſſent ſacrilegium; quis etenim dicat hæc non futura contra reverentiam loci Deo dicati, benedicti, vel etiam conſecrati, ut ibi ſpecialiter colatur Deus, ſi ea Eccleſia non prohibuiſſet? Idem ergo dicendum de aliis actibus valde turpibus; neque enim credo aliquem vel poſſe ſomniare non eſſe contra Eccleſiæ reverentiam in ea pudenda oſtendere, quamvis id Eccleſia ſpecialiter non prohibuerit. Ratio autem quare ſpecialiter prohibuerit Eccleſia voluntariam ſeminis effuſionem, & copulam carnalem, ea poteſt eſſe, quia hæc poſſunt frequentius accidere, dum homines, & Mulieres ad Eccleſiam confugiunt, adeoque voluit ſpecialiter eſſe prohibita.

R. II. Nomine loci Sacri venit in præſenti quidquid eſt intra ipſam Eccleſiam, ſicut etiam Cæmeterium. Ratio eſt, quia hujuſmodi loca ſunt ad res ſacras benedicta, & deſtinata, nempe ad Divina Officia, & ad fideles Eccleſiaſtice ſepeliendos, quapropter actus turpes exerciti in quocumque loco intra Eccleſiam, vel Cæmeterium inducunt ſpeciem Sacrilegii, quia non fiunt ſine irreverentia contra hujuſmodi loca. Non erit e contra ſacrilegium actus turpes facere ſupra tectum Eccleſiæ, & in locis extra Eccleſiam, quamvis illi adhærentibus, nec in ipſa Sacriſtia, quia hæc loca non ſunt benedicta, nec deſtinata ad Officia divina peragenda, nec ad fideles ſepeliendos: *Sanch. l. 9. de Matr. d. 15. num. 25. Fagund. de præcept. 2. Eccl. l. 4. c. 4. a num. 32. Anton. a Sp. S. in direct. Confeſſ. tr. 5. d. 8. ſ. 3. a n. 583.* Excipiuntur etiam Oratoria privata, quæ nempe ſunt in domibus particularium, quamvis adſit facultas ibi Miſſam celebrandi. Ratio eſt, quia ratione prædictæ facultatis non obtinent rationem loci ſacri, cum poſſint in profanos uſus converti: ea vero, quæ ſunt ſacra, non poſſunt ad humanos uſus redire, ut conſtat ex *can. nulli liceat 12. q. 1. can. ligna de conſecr. d. 1. cap. ad hæc de relig. domib.* Hinc quia indifferentia ſunt, ut ſint loca ſacra, vel profana, non veniunt nomine Eccleſiæ, ut notat *Barboſ. de Offic. Epiſc. p. 2. alleg. 28. num. 22.* nec gaudent immunitate.

Non eſt ergo ſacrilegium in præfatis Oratoriis particularium domorum actus turpes exercere: *Sanch. n. 39. Fagund. n. 36. Anton. n. 586. Delbene t. 1. d. 2. ſect. 9. num. 22.* Non negaverim tamen quamdam turpitudinem continere: quæ quodammodo reductive ad ſacrilegium pertineat, unuſquiſque etenim quid de plus apprehendit in præfatis actibus, dum illos exercet, ubi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebratur.

Q. IV. Quando detur peccatum ſacrilegii in genere luxuriæ contra res Sacras.

R. Principium generale eſt, quod ſemper cum actus venereus reputatur irreverentiam inducere contra res ſacras, tunc habeat rationem ſacrilegii. Hinc ſacrilege putandum eſt peccare Sacerdotem, ſi dum geſtat Sacramentum Euchariſtiæ, committat aliquod peccatum venereum, ſive internum, ſive externum; nam tunc reputatur immunde tractare Sacramentum, quod inter res ſacras primatum tenet: *Anton. a Sp. S. de Pœnit. d. 8. ſect. 3. §. 2. n. 568. Tambur. l. 2. de Pœnit. c. 7. n. 42.* Idem dicendum de eo, qui labitur in peccatum carnis, poſtquam ſumpſit Euchariſtiæ Sacramentum, ſi nondum conſumptæ reputentur ſpecies Sacramentales; cum concipiatur irreverenter ſe gerere erga tantum Sacramentum, ſi dum adhuc aliud intra ſe exiſtit, peccatum committit: *Tambur. cit. Lug. d. 16. de Pœnit. n. 524.* Non peccabunt tamen ſaltem graviter conjuges copulam habentes ante, vel poſt communionem, cum id eis licitum ſit, quamvis venialiter peccare poſſint, ſi illam habeant parvo tempore ante, vel poſt ſumptionem Euchariſtiæ, cum ex ea neceſſe ſit oriri magnam mentis diſtractionem, qua reddantur minus apti vel ad ſe præparandum, vel ad agendas gratias pro tanto beneficio. Sed de his plura in Tractatu de Euchariſtia.

Excitari hic etiam ſolet quæſtio, an peccet peccato Sacrilegii, qui fornicatur geſtando Reliquias collo appenſas, aliaſque res benedictas. Quamvis autem multi abſolute negent, ego nihilominus putarem diverſimode eſſe diſcurrendum. Sicut ergo omnes, vel fere omnes dicunt peccare peccato Sacrilegii Sacerdotem peccantem in genere luxuriæ, dum geſtat SS. Euchariſtiam, quamvis non pauci id negent, ſi peccet alio genere peccati, quia majorem irreverentiam erga Sacramentum generans Virgines concipiunt in peccantis luxuriæ, quam in aliis peccatis, ita judicium variari poteſt quoad peccantem veneree, dum geſtat S. Reliquias. Semper ergo ego apprehendo aliquam irreverentiam erga Reliquias dum cum illis collo appenſis fornicatio committeretur, ac apprehenderem grave ſacrilegium, ſi reliquiæ eſſent ex inſignioribus. Et quis quæſo non apprehendat gravem irreverentiam cum Reliquia Crucis D. N., vel Beatiſſimæ Virginis cum muliercula coire? Videatur Dicaſtillus *t. 2. de Sacram. tract. 8. diſp. 9. dub. 8. n. 718.* Quædam etiam ſemper eſt indecentia reliquias Amaſiæ donare, cum videatur donans re ſacra actum turpem remunerari. Ultraquamquod ſimiles Perſonæ non ſolent eas, ut par eſt, venerari.

Demum peccat peccato Sacrilegii in genere luxuriæ in res ſacras non ſolum qui ſacris veſtibus indutus fornicaretur, ſed etiam ſi ſe polluat, quia concipitur gravis irreverentia, & contra ſacra veſtimenta, & contra Sacrificium, ſi illis indutus eſt, ut illud offerat: *Dian. p. 10. tr. 12. reſol. 54.* Apparet etiam graviſſimum ſacrilegium, ſi ſacræ veſtes actu venereo conſpurcentur, ut ſolent facere hæretici. Quid ergo, horrendum dictu! ſi ita conſpurcarentur Corporalia, & Sacri Calices?

Q. V. An detur peccatum Sacrilegii in genere luxuriæ, ſi fidelis cum infideli fornicetur.

R. Multi affirmant, cum etenim Eccleſia ex motivo religionis dirimat matrimonium fidelis cum infideli, videtur non poſſe copula cum infideli non cedere in religionis dedecus, adeoque non poſſe haberi ſine Sacrilegio. Id etiam extendunt ad copulam habitam a Catholico cum Hæretica, quia quamvis Eccleſia Matrimonium inter eos non dirimat, nihilominus ex motivo religionis prohibet; *Sanch de Matr. l. 7. diſp. 5. n. 13. Luga diſp. 16. de Pœnit n. 336. & 343.* Verum motivum, quo Eccleſia vel dirimit, vel prohibet præfata matrimonia, poteſt non adeſſe in ſimplici fornicatione. Cum igitur ex copula conjugali inſeparabilis reſultet conjunctio, hanc voluit prohibitam Eccleſia inter ſupradictos, quia ex continuo convictu difficile ſeparari poteſt a periculo ſubverſionis, vel contemptus legis, & religionis; & cum hoc periculum non agnoſcatur reſultare ex ſimplici fornicatione, hinc eſt quod ex prohibitione conjugii non ſatis infertur & eſſe ab Eccleſia prohibitam ſimplicem fornicationem. Hinc ſi non adſit ſcandalum, in tali peccato non aliam malitiam quam ſimplicis fornicationis quamplures DD. agnoſcunt. *Azor. p. 3. l. 3. c. 29. q. 3. Fagund. in Decal. l. 6. c. 1. n. 14. Tambur. l. 2. c. 7. §. 5. n. 20. Anton. a Sp. S. diſp. 8. ſect. 2. §. 23. n. 512.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Animadvertat Confeſſarius perſonam ſacram veneree peccantem multipliciter poſſe peccare; contra caſtitatem e. g. ratione actus venerei, contra juſtitiam, ſi veneree peccet cum nxorata, contra religionem, quia violat votum; ex alio etiam capite peccare poteſt contra juſtitiam, ſi ut non raro poteſt evenire, preces importunas adhibeat ad extorquendum mulieris conſenſum. Quod ſi uterque peccans ſit perſona ſacra, ex hoc provenit duplex ſacrilegium ultra peccatum contra caſtitatem. Hæc omnia explorata habere debet Confeſſarius, ut valeat cognoſcere ſpecies, & numerum peccatorum.

II. Dum Confeſſarius ſuſpicari poteſt pœnitentem in Eccleſia peccaſſe; non deſinat illum de hac circumſtantia interrogare, ſi illius confitendæ obliviſcatur. Quantumvis igitur diverſimode Theologi in hac materia loquantur, nihilominus videmus in praxi omnes ſe accuſare de circumſtantia loci ſacri, ſi vel aliquid leviter indecens in eo perpetrarunt. Cum ergo communiter concipiant hanc circumſtantiam eſſe aperiendam, ſi Confeſſarius de illa non interroget pœnitentem, putabit ſe non integre confeſſum, dum recordabitur circumſtantiam loci ſacri omiſiſſe. Facile autem adinveniet in hoc Amantes peccaſſe, dum frequentibus obtutibus ſeſe in Eccleſia conſpiciunt; cum ſæpe eo fine pergant ad Eccleſias, ut poſſint ſe videre. Ex hoc autem animadvertat Confeſſarius ſæpe non leve ſcandalum oriri.

III. Non deſinat Confeſſarius admonere ſuos pœnitentes, ne colloquia habeant in Eccleſiis. Verum igitur eſt hujuſmodi colloquia, ſi ſint pia, vel etiam indifferentia, omni culpa vacare poſſe, dum non fiant quando Divina officia celebrantur, vel Dei verbum prædicatur. In praxi nihilominus difficile erit ea excuſare ab omni culpa veniali, tum quia hujuſmodi colloquiis quantumvis piis alii orantes perturbantur; tum quia maxime mulieres ſolent cum iiſdem quaſdam detractiones admiſcere; tum quia non ita ſilenter fiunt, ut non inducant aliquam irreverentiam contra locum ſacrum &c.

IV. Non deſinat Confeſſarius pio zelo exardeſcere contra Eccleſiæ Profanatores, videlicet contra ibi colloquentes, maxime nullo habito reſpectu ad tremendum Miſſæ Sacrificium, ad Divina Officia, ad ſacras Conciones; contra Amantes ſeſe ibi ad invicem aſpicientes, contra eos, qui vel unicum genu pauliſper flectunt, irreverenter ſe habendo erga Auguſtiſſimum Sacramentum; contra Mulieres omni pompa ornatas, erga ſe oculos adſtantium trahentes, illos a Deo diſtrahendo; contra mulieres habentes immodeſte pectus & humeros detectos, quas Archiepiſcopus S. Antoninus, earumque Amaſios vi ex Eccleſia expellebat. Omitto turpiter in Eccleſia colloquentes, alios ibidem ſubſannantes &c. Interroget quæſo Confeſſarius Eccleſiæ profanatores, an ſciant Deum Eccleſiam veluti pro ſua Domo elegiſſe, ut ibi ſpecialiter colatur, & videant deinde, an indecorum quid facerent in domo Principis, dum non contremiſcunt indecora facere in Domo Dei. Interroget, an vere credant in Auguſtiſſimo Sacramento eſſe Chriſtum Dominum; & ſi credant, cur faciant coram Deo Homines, quæ facere coram Magnate expaveſcerent. Interroget, an Dei auxilio indigeant; moneatque præcipue dum oratio fit in Eccleſiis, Deum ſe oſtendere miſericordem, adeoque peſſime ſe gerere, dum in Eccleſiis irreverenter ſe habent, quia veluti fontem miſericordiæ occludunt. Denique moneat publicis, privatiſque flagellis Deum injurias ſibi in Eccleſia illatas ſciſci, adeoque ita *Ezech. 11.* inclamare: *Pro eo quod Sanctuarium meum violaſti in omnibus offenſionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis, ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non miſerebitur.* Hinc dum Chriſtus Dominus *Jo. 2. 17.* flagellis Templi Profanatores expulit, voluit Diſcipulos ſuos illorum verborum recordari; *Zelus domus tuæ comedit me.*

CAPUT VII.

De Vitiis contra Naturam; & ſpecialiter de Mollitie.

Q. I. QUid ſit vitium contra Naturam; & quot ejus ſpecies?

R. Cum natora ordinem conſtituerit in uſu actus venerei, ot nempe ad generationem ordinetur, quicumque uſus venereorum non ſervans ordinem a natura præſcriptum, dicitur in præſenti vitium contra naturam, adeoque poteſt ita definiri: *Indebitus venereorum uſus contra ordinem naturæ: D. Th. 2. 2. q. 154. art. 11. & 12.*

R. II. S. Thomas *art. 11. citato* diſtinguit vitium contra naturam in quatuor ſpecies, nempe in pollutionem, ſeu mollitiem, beſtialitatem, Sodomiam, & modum innaturalem cum ſemina concumbendi. Tres primæ ſpecies ita inter ſe differunt; ut in confeſſione ſingillatim ſint exprimendæ. Ratio autem eſt, quia licet unaquæque importet indebitum uſum venereorum generationi contrarium, unaquæque tameo importat ſpecialem turpitudinem caſtitati, & humanæ generationi contrariam, adeoque propter diverſum ſpecialem modum, quo violatur eadem virtus, conſurgunt peccata ſpecie diverſa. Prima ſpecies omnium graviſſima eſt beſtialitas, quatenus importat congreſſum cum Dœmone; etenim in congreſſu cum ſpiritu omnis materialitatis experte, eſt omnimoda diſtantia, & improportio ad generationem. Deinde eadem Beſtialitas ut importat congreſſum cum Bruto, & in hoc etenim magna ad generationem improportio. Accedit peccatum beſtialitatis magis deprimi humanam naturam, quam in quocumque alio turpi congreſſu. Poſt beſtialitatem Sodomia eſt gravius peccatum; etenim ut diſcurrit *S. Th. art. 12. cit. ad 4.* non ſolum omittitur debitua uſus venereorum, ſed intervenit magnus abuſus in ejuſdem ſexus commixtione, quamvis iſte abuſus longe major ſit in peccato beſtialitatis. Tertia gravis ſpecies vitii contra naturam eſt mollities, quæ minus gravis eſt prædictis, utpote quia in ea omittitur ſolummodo debitus venereorum uſus, at non intervenit abuſus alterius ſexus. Conſtat ex dictia alia, & alia ratione violari caſtitatem, & ordinem generationis in præfatis peccatis, adeoque unumquodque eſſe diverſæ ſpeciei. Hinc Alexander VII. ſub *n. 40.* ſequentem damnavit propoſitionem: *Mollities, Sodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ: idtoque ſufficit dicere in confeſſione, procuraſſe pollutionem.*

Modus vero innaturalis concombendi, qui ex ſupradictis reputatur quarta ſpecies vitii contra naturam, ut plurimum reduci poteſt ad mollitiem, ſi vir nempe ita congrediatur cum fœmina, ut ſit grave periculum ſeminandi extra vas debitum, vel ſi de facto extra illud ſeminet. Quod ſi hæc non interveniant, talis modus potius dicendus eſt præter quam contra naturam; unde ſolummodo importat venialem deformitatem, vel etiam nullam, ſi juſta adſit cauſa modo innaturali concumbendi, puta ſi mulier non poſſit manere ſuccuba propter periculum abortus, vel aliam legitimam cauſam, vel vir nun poſſit incubus propter ſuam groſſitiem: *Fagund. n. 6. præcept. Decal. c. 9. n. 6. Leſſ. l. 4. c. 3. d. 13. n. 89. Filiuc. tr. 30. c. 8. t. 42. & 157.*

Q. II. Quid ſit Mollities; & an poſſit ex aliqua cauſa cohoneſtari?

R. I. Mollities, ſeu pollotio dicitur eſſe *voluntaria ſeminis effuſio.* Hanc autem ſaltem jure divino eſſe prohibitam nemo negat. Et quidem *Geneſ. 38.* dicitur Onan a Deo percuſſus, eo quod ſemen fuderit ſuper terram. Et Apoſtolus *1. ad Cor. 6.* enumerat molles inter eos, qui Regnum Dei non conſequuntur. Nihilominus aliquibus videbatur mollitiem non eſſe jure naturæ prohibitam, adeoque potuiſſe in quibuſdam circumſtantiis cohoneſtari. Quapropter.

R. II. Ita mollities eſt jure naturæ mala, ut in nullo caſo poſſit cohoneſtari. Ratio eſt, quia ſemen prout eſt in motu, & prout actu a natura miniſtratur, unice a natura ordinatur ad generationem individui & conſervationem ſpeciei; ſi ergo extra hunc caſum ſemen effundatur, fit ſemper contra finem a natura intentum, adeoque neceſſe eſt intervenire peccatum, & quidem grave, neque etenim finis præfatus a natura intentus quid leve dici poteſt. Quod vero actualis ſeminatio a natura ordinata ſit ad generationem exinde probatur, quia natura determinavit copulam, ut in ea vir actualiter ſemen miniſtraret; unde, ut bene notat S. Thomas *2. 2. q. 88. a. 12. ad 3.* conſtat actionem ſeminativam ſolummodo ad generationem fuiſſe ordinatam.

Altera efficaciſſima ratio, qoa probatur lege naturali ſemper intelligi debere vetitam actualem ſeminationem extra copulam, eſt, quia lumine naturali conſtat ſemper debuiſſe eſſe prohibitum id, quod ſi vel ex aliquo alio capite, quam ex capite præcipue intento a natura eſſet licitum, infinita propemodum inconvenientia ſequerentur. Demus modo e.g. nun eſſe prohibitam pollutionem, ſi ad valetudinem neceſſaria reputaretur, quis ſibi paſſim non perſuaderet ſe eſſe in hac neceſſitate, quando revera nonniſi ob magnam captandam voluptatem id faceret? Ex hoc autem proveniret, quod nemo curaret de matrimonio contrahendo cum magno boni publici præjudicio, immo continue ex nimia pollutione ſalus hominum deficeret. Merito ergo Innocentius XI. ſub *nu. 49.* hanc damnavit propoſitionem: *Mollitie jure naturæ prohibita non eſt. Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.*

Ex dictis conſtat quare expelli poſſint ſuperflui alii humores noſtri corporis, non vero ſemen. Ratio diſparitatis eſt, quia alii humores dantur nobis ob bonum corporis, quapropter dum ſunt illi ſuperflui, vel nocivi, cum non amplius ſint corporis bona, expelli poſſunt. Semen vero non eſt pars ſuperflua noſtri corporis, cum ſit virtus potentiæ generativæ, & ulterius eſt ad bonum naturæ ordinatum, nempe ad generationem, unde non poteſt per pollutionem expelli, fruſtrando finem a natura intentum. Quod ſi opponas aliquando a natura expelli, dum ipſius copia gravatur, ac exinde poſſe a nobia expelli, dum putamus ab ejus copia gravari, reſpondendum eſt, falſiſſimam eſſe banc illationem. Quod ergo a natura fit, non ſemper a nobis fieri poteſt, & ſi fiat, tunc eſt contra naturam. Ita non eſt contra naturam, ſi aliquis ex defectu virium moriatur, & nihilominus eſſet contra naturam, ſi hic ab altero occideretur. Dum igitur ex virtute expulſiva naturæ profunditur ſemen, quo gravatur, id intenditur ab ipſo naturæ Authore, ſed cum determinaverit modum, quo extra copulam fieret, ab Ipſa natura, conſequens eſt non permittere, ut fiat a libero agente. Videantur Scribentes in præfatam propoſitionem damnatam ab Innocentio XI.

Q. III. An liceat ſemen certo corruptum incitamentis expellere, ne graviter noceat ſaluti; & quid dicendum de cooperatione ad emiſſionem ſeminis, jam e lumbis ſine peccato deciſi, ſi graviter nociturum timeatur?

R. I. Quamvis ſemen certo reputaretur corruptum, & poſſe graviter ſaluti nocere, nihilominus nunquam licite expelli poteſt, ſi incitamentis, vel quocumque alio medio procuretur illius expulſio mediante libidinoſa commotione, qua ſemen in generationem emittitur. Ratio eſt, quia actio ſeminis adminiſtrativa a natura ſolummodo deſtinata eſt ad generationem mediante copula, ergo præter hunc caſum nunquam eſt licita. Hinc ex eo præciſe quod talis actio ad hunc ſolum finem deſtinata ſit a natura, omnes fatentur, nec Spadones poſſe ea mediante humorem, quem habent non prolificum expellere; *Sanchez l. 7. de Matr. c. 92. a n. 17.* Addendum nunquam dari talem libidinoſam commotionem, quin ſimul cum ſemine corrupto verum ſemen emittatur, unde cum indiviſa ſit a vera pollutione, nunquam erit licita. Demum ſi admitteretur licite emitti poſſe ſemen corruptum per actionem ſeminis adminiſtrativam, omnes ſibi facile perſuaderent eſſe corruptum, ac graviter officere poſſe ipſorum ſaluti, quod nonniſi in grave detrimentum generationis redundaret: *Bonac. de Matr. q. 4. p. 10. n. 12. Sanch. de Matr. diſp. 17. n. 16.*

Nun per hoc tamen nego non poſſe medicamentis reſolvi ſemen in alium humorem, dum adhuc eſt intra vaſa. Ratio eſt, quia non determinatur ultimo a natura ad ſolam generationem, niſi ut miniſtratum ea actione, qua, dum copula exercetur ad generationem deſervit; ſi proinde dum eſt intra lumbos reputetur graviter nocivum, poterit medicamentis in alios humores reſolvi, dummodo nunquam ſit præfacta actione expellendum.

R. II. Quamvis ſemen fuerit e lumbis ſine peccato deciſum, ut evenire poteſt in aliquo turpi ſomnio, non licet cooperari ad illius emiſſionem, quia tunc eſſet voluntarie ad pollutionem cooperari, quod neque ob ſanitatem unquam licitum eſt. Fateor tamen Theologos quamplures docere tunc poſſe permitti pollutionis curſum, nil tamen cooperando ſi non adſit periculum conſenſus in illam, cum id poſſit valetudini deſervire, & ad ſedandas tentationes: *Sanch. l. 9. de Matr. d. 17. n. 16.* Cæterum Perſonæ piæ ſolent ſtatim obſtare curſui pollutionis.

Q. IV. An peccet peccato pollutionis fœmina, ſi ſe immediate poſt coitum excitet ad ſeminandum?

R. Quamplures affirmant, cum nullatenus reputent ſemen mulieris ad generationem neceſſarium, nihilominus cum non poſſit ullo modo concipi naturam fruſtranee dediſſe ſemen mulieri, vel dicendum videtur eſſe ad generationem neceſſarium, vel valde conducere ad perfectionem fœtus; ſi proinde ſe ſtatim poſt coitum cum viro ad ſeminationem excitet, id videtur eſſe coitus complementum, & per conſequens licite fieri; *Salman. tr. 9. c. 15. n. 89.* Cum hæc ſententia vereſit probabilis, non puto eſſe in praxi rejiciendam, ne mulieres valde ratione coitus emmotæ gravi peccandi periculo exponantur. Cæterum melius facient, ſi dum expertæ ſunt ſe tardas eſſe ad ſeminandum, ſe ante coitum excitent, ut ita ſimul cum viro poſſint ſeminare.

Hic etiam volo obiter adnot re fœminas quandoque ſe credere peccare, quia ad expellendum ſemen mingunt poſt coitum, vel ſtatim ſe erigunt, ſeu diu in lecto manent ſupinæ. Hæ utique fœminæ ex conſcientia erronea peccant peccato contra naturam, quia ita agendo putant ſemen prodigere. Verum modo exploratum eſt, quod dum ſequitur generatio, hæc fiat in ipſo coitu per attractionem ſpirituum ſeminalium generationi deſervientium; quapropter non impedit generationem fœmina, ex eo quod poſt coitum hoc vel illo modo ſe habeat.

Q. V. An contactus impudici illorum, qui præ ætate non valent ſemen emittere, differant ſpecie a peccato pollutionis; & quid dicendum ſit de pollutione Eunuchorum?

R. I. Quamvis peccata puerorum, & puellarum non valentium præ ætate ſeminare, dicantur eſſe mera peccata impudicitiæ, & non pollutionis, nihilominus bene dici poteſt non differre ſpecie a pollutione. Ratio eſt, quia incompletum, & inchoatum pertinet ad eandem ſpeciem, ad quam pertinet actus completus, & perfectus; & ita ad ſpeciem fornicationis pertinet coitus cum muliere, quamvis non ſequatur ſeminatio. Cum igitur illa delectatio venerea, quam experiuntur pueri, ſit veluti incohata pollutio, nam ad illam a natura ordinatur; hinc eſt ad ſpeciem pollutionis pertinere, quamvis per accidens, nempe præ ætate, effuſio ſeminis non ſequatur.

R. II. Multo magis ad ſpeciem pollutionis pertinet emiſſio illius humoris, quæ ex tactibus impudicis evenit in Spadonibus; nam ultra veneream delectationem ad pollutionem a natura ordinatam, datur in eis quædam effuſio, quæ per accidens eſt, ſi non ſit veri ſeminis. Quod ſi vel pueri, vel Eunuchi cum fœmina congrediantur, ex probabiliori opinione debent explicare impotentiam ad ſeminandum, nam ratione talis impotentiæ talis congreſſus eſt innaturalis, ſeu contra naturam: *Sanch. l. 9. de Matr. d. 19. n. 6.*

Q. VI. Quale peccatum ſit ſe polluere tactibus alienis?

R. I. Extra controverſiam eſt, ita ſe polluentem dupliciter peccare, nempe peccato mollitiei, & peccato ſcandali, quatenus admittendo tales tactus, alios etiam incitat ad peccandum. Si vero aliquis ſe polluat tactibus alienis, ſed ſine illorum peccato, quia ſunt doli incapaces, puta ſi quis procuraret pollutionem tactu beſtiæ, vel pueri nondum doli capacis, tunc probabiliter non tenetur hanc circumſtantiam explicare, ſi talibus tactibus nihil aliud intendit, niſi pollutionem, quia tunc ipſius peccatum non eſt conjunctum cum alterius ruina; Hoc tamen non admitterem, ſi quis ſe pollueret tactibus ſeminæ, vel viri dormientis; quamvis etenim non adeſſet tunc peccatum ſcandali, nihilominus in hoc apparet quædam ſpecies injuſtitiæ, unuſquiſque etenim rationis compos jus habet in liberum uſum ſuorum membrorum, adeoque violatur tale jus, dum quis illius abutitur contra ipſius voluntatem. Semper autem reputandum eſt unumquemque, quamvis ſomno oppreſſum, eſſe invitum, ut quis ipſius tactibus ad peccandum abutatur, adeoque cum violetur jus quod ille habet, ſi ipſius tactibus quis ſe polluat, ultra ſpeciem mollitiei, conſurgit alia ſpecies peccati, quæ eſt contra juſtitiam, ex violatione ſcilicet alterius juris.

R. II. Si quis ſe polluat alterius tactibus, ſive hoc faciat tactibus viri, vel ſeminæ, ex hoc præciſe non conſurgit peccatum alterius ſpeciei. Ratio eſt, quia dum nil aliud intenditur, niſi mollities, de materiali ſe habet an hæc tactibus viri, vel ſeminæ procuretur. Diverſificarentur quidem tales actus, dum ad congrediendum vel cum viro, vel cum ſemina ordinarentur, at ſemper cum nonniſi pollutio intendatur, cum ad hoc ſolum peccatum ordinentur, non conſurgit diverſum peccatum. Ad eum modum quo, dum non intenditur niſi homicidium, parum refert an fiat enſe, veneno &c. *Trull. in Decal. t. 2. l. 6. c. 1. dub. 8. n. 2. Filiuc. tr. 30. c. 8. qu. 7. n. 115. Bonac. de Matr. q. 4. p. 1 . n. 15.*

Dixi, ex hoc præciſe, nam ſi procuretur pollutio tactibus Conjugatæ, jam ex circumſtantia perſonæ conſurgit malitia ſpecie diverſa; & idem dicendum ſi quis ſe pollueret tactibus habentis votum caſtitatis &c.

Q. VII. An Concubitus cum ſemina mortua ſit ſolummodo peccatum pollutionis ſi hæc ſequatur?

R. Non nego quamplures docere talem concubitum ſolummodo mollitiei malitiam continere, ut ſi quis ſe polluat pudenda confricando cum Statua, vel medio alio quodam inſtrumento inanimato. Sed, ut verum fateear, in hoc concubitu aliquid de plus mihi videtur apprehendendum. Ratio eſt quia, ſi velimus Ariſtotelicas ſpeculationes pro diſcernendis peccatis omittere, corpus ſeminæ mortuæ re vera eſt corpus ſeminæ habens eadem membra in ordine ad exercendum actum luxuriæ, quapropter ex una parte verificatur hujuſmodi concubitum eſſe cum corpore ſeminæ, adeoque aliquid dicit diverſum a ſimplici mollitie, quæ non exigit ut cum corpore fœminæ exerceantur. Cum vero ex alia parte habeatur copula, quæ non poteſt ad generationem conducere, hinc eſt hujuſmodi peccatum reducendi videri ad quandam ſpeciem innominatam peccati contra naturam, quatenus eſt copula exercita in vaſe omnino generationi inepto.

Q. VIII. Quid dicendum de deſtillationem, quam aliquando aliqui experiuntur?

R. Hoc quæſitum ſupponit dari tam in maribus, quam in fœminis quendam humorem, qui non ſit verum ſemen, adeoque non eſt tam mordax, aut craſſus. Ita docet etiam S. Th. *opuſc. 64. de flux. libid.* & fere omnes Theologi. Hoc poſito. Certum eſt quod ſi hujuſmodi deſtillatio ex ipſa naturali complexione oriatur, v. g. ex complexione nimis calida, & humida, ex renum debilitate &c. tunc cum non ſit emiſſio veri ſeminis, permitti poteſt, Quod ſi inſurgat carnis commotio, & venerea delectatio, iis eſt reſiſtendum, ne illis conſenſus præbeatur. Si vero deſtillatio ſequatur ex cauſa venerea, omnino removenda eſt, nam tunc non impedire deſtillationem eſſet non velle impedire pollutionem, Ratio eſt, quia valde ad illam inclinat, & ulterius dum ſequitur ex cauſa venerea, non ſequitur ſine gravi carnis commotione, & Spirituum generationi deſervientium; ac proinde difficillimum eſſet ſimul cum ea etiam verum ſemen non effundere; *D. Th. cit. Sanch. de matr. l. 9. diſp. 45. n. 2.*

Q. IX. Quando pollutio cenſeatur voluntaria in ſua cauſa, eſto non ſit intenta?

R. I. Dum talis eſt cauſa, ut nullum alium effectum habeat per ſe inducere, quam pollutionem, tunc pollutio, eſto non intenta, intelligitur voluntaria in ſua cauſa. Ratio evidens eſt, quia qui vult cauſam, convincitur velle ſuum effectum; ſicut & qui vult antecedens, vult conſequens. Nec refert dicere intendi aliquem effectum bonum, e. g. ſanitatem, nam medio illicito non poteſt intendi aſſequutio finis boni; unde communiter dicitur ex Apoſtolo non eſſe eligenda mala, ut eveniant bona: *Sanch. de matr. l. 9. d. 20. n. 14. Lugo de pœnit. diſp. 10. ſect. 5. n. 126.*

Dices, licite poſſe ſe aliquem inebriare, quoties id neceſſarium ſit ad ſalutem, cur ergo non poterit ex eodem fine pollutionem procurare? Sed contra eſt, quia ut advertit S. Th. *2. 2. qu. 88. art. 1. ad 3.*; cibus & potus ordinantur ad conſervationem perſonæ, unde quoties ebrietas neceſſaria reputatur ad ſalutem, tunc quæcumque potatio vini non eſt immoderata reſpectu infirmi, ſed potius conducit ad finem, ad quem inſtitutus eſt potus. Nec illicita redditur eo quod aliquo tempore privet uſu rationis; nam tunc privatio talis uſus eſt effectus neceſſarius vini ſumpti per modum medicinæ; ſicuti ſi reputaretur neceſſarium ad ſalutem infirmi dare illi potens ſomniferum, ex quo per aliquod tempus infirmus careret uſu rationis. Verum pollutio, ut notat idem S. Thomas, ordinatur tantummodo ad conſervationem ſpeciei, adeoque contra ordinem a natura intentum non poteſt ad ſanitatem ordinari.

Dixi, ſi nullum effectum habeat per ſe cauſare præter pollutionem; nam ſi æque ſimul habeat cauſare ſeſectum bonum, poteſt, juſta interveniente cauſa, pol-

lutio

lutio non intenta permitti. Si proinde Chirurgus habeat tangere verenda mulieris, ex quo prævideat poſſe ſequi pollutionem; id poterit facere, dummodo eam non intendat, nec credat ſe in illam conſenſurum, quia talis tactus habet æque inducere alium effectum bonum, nempe ſanitatem. Idem dicendum de ſumente medicinam æque primo allaturam ſaoitatem, qoamvis & poſſit cauſare pollutionem. Ratio eſt, quia ut ratiocinatur S. *Th.2.2.qu.64.art.7.* quamvis ex propria defenſione oriri poſſit alterius occiſio, quæ numquam licita eſt, niſi fiat publica authoritate, licitum nihilominus eſt alium occidere ſe defendendo, dummodo non intendatur alterius occiſio, ſed propria defenſio; dum etenim actus habet producere duos effectus, deſumit moralitatem ab eo, qui intenditur, non ab eo, qui eſt præter intentionem, cum ſit per accidens. Id ulterius poteſt demonſtrari, quia effectus non intentus tunc eſt imputabilis, quando teneor illum vitare; non teneor autem vitare, quoties adeſt neceſſitas ponendi cauſam effectus boni per ſe intenti: *Sanch. de Matr. l.9. d.20. n.14. Lugo de pœnit. diſp.10. ſect.5. n.126.*

R. II. Dum ſine neceſſitate apponitur cauſa notabiliter per ſe influens in pollutionem, pollutio, quamvis non intenta, intelligitur volita, ſecus ſi leviter tantum influat in pollutionem. Ratio eadem eſt, quam ſupra attuli, quia nempe qui vult cauſam intelligitur & velle effectum; ſicut qui vult alicui propinare venenum intelligitur velle illius mortem, quamvis diceret eam non intendere; & qui vult bibere multum vinum intelligitur velle etiam ebrietatem: *Sanch. diſp.45. n.15.* Si vero tantum leviter influat, non erit grave peccatum illam applicare, quia cauſæ leviter influentes cum nonniſi raro, & per accidens habeant pollutionem cauſare, non poteſt dici velle pollutionem, qui eaſdem non removet: Si vero aliqua adſit neceſſitas, vel utilitas; non ſolum non erit grave, ſed nec leve peccatum, quia tunc pollutio non intenta intelligitur, ut dixi, ob juſtam cauſam tantummodo permitti: *Leſſ. de Juſt. l.4. c.3. dub.14. n.102. Bonac. de Matr. q.4. punct.10. n.9.*

Duo tamen ſunt hic advertenda. Primum, quod non eadem neceſſitas, & utilitas habet locum in quacumque materia, ut applicari poſſit cauſa inducens effectum pravum, quamvis non intentum, ſed quo effectus eſt gravior, & pernicioſior, eo major neceſſitas, & utilitas requiritur, ut illa cauſa poſſit apponi, quamvis in ordine ad alium effectum bonum æque ſimul ab eadem productum apponatur. Licite e.g. Chirurgus medetur fœminam in partibus pudendis, quamvis ex hoc prævideat pollutionem ſequuturam, ſi eam non intendat, nec credat ſe conſenſurum; at quod hic licite facit, ne lucrum deperdat, non ſufficere ad apponendam cauſam, ex qua ſequeretur homicidium; etenim amiſſio cujuſcumque lucri id non cohoneſtaret, ſed nonniſi, graviſſima cauſa cogente, apponi poſſet. Pariter non deſunt, qui dicant licite permitti poſſe pollutionem, ſi ea eveniat eo quod fricentur partes pudendæ ad removendum pruritum moleſtiam gravem afferentem: *Bonac. q.4. de matr. p.19. n.8. Filiuc. tr.30. c.8. n.150. Trull. l.6. in Decal. c.1. dub. 8. n.5.* & tamen non licite permitteretur, ſi prævideretur ſequutura ob fricationem ad removendum pruritum non tam moleſtum. Non nego tamen quod ad hunc removendum non poſſit permitti aliqua commotio, ſi non adſit virtus illum tolerandi.

Secundo animadvertere eſt, quod ad judicandum de cauſis vel notabiliter, vel leviter influentibus in pollutionem, non ſolum conſiderandum eſt, an ipſæ cauſæ habeant ex ſe illam inducere, ut e.g. ſe habeat propria pudenda ex delectatione diu contrectare, & pudenda alterius ſexus inſpicere, ſed ulterius attendendum eſt ad diſpoſitionem ſubjecti. Viſio e.g. picturæ obſcœnæ reſpectu alicujus nonniſi leviter influet in pollutionem, & tamen notabiliter influere poterit reſpectu alicujus, qui ſolet peccata venerea faciliime committere; unde in ordine ad iſtum pollutio, quæ ſequeretur ex tali aſpectu, diceretur voluntaria, non vero reſpectu alterius.

Hucuſque dictum eſt de cauſis per ſe, vel leviter, vel notabiliter in pollutionem influentibus, modo aliqua dicenda ſunt de cauſis per accidens pollutionis. Porro illas dico cauſas *per accidens*, quæ de ſua natura non tendunt ad pollutionem, ſed nihilominus dicuntur poſſe ipſam cauſare, vel quia excitant cauſas per ſe inducentes pollutionem, vel quia illas coadiuvant. Ita ſe habent immoderatus cibus, & potus; ſtudium de rebus venereis; audire confeſſiones fœminarum &c. Igitur.

R. III. Non tenemur ſub gravi vitare cauſas per accidens pollutionis non intentæ, dummodo non adſit periculum conſenſus in illam. Ratio eſt, quia hujuſmodi cauſæ per accidens influentes in pollutionem cum non ſint de genere luxuriæ, non intelliguntur per ſe notabiliter influere in pollutionem, ſed ad ſummum ut citius natura ſe gravamine ſeminis exoneret; eo quod proinde tantummodo leviter intelligantur influere in ipſum effectum, vel ad citius tantum illum cauſandum, non convincitur quod qui vult tales cauſas velit etiam pollutionem ab eo nullatenus intentam. Præterea pollutio, quæ ex talibus cauſis provenit, non dicitur intendi a natura in ordine ad generationem, hujuſmodi etenim pollutio conducens ad generationem fit mediante appetitu venereo, & cauſa per ſe in venerea influente; unde pollutio ex cauſis per accidens proveniens potius dici debet intenta a natura in ordine ad ſui alleviationem, hæc autem de ſe non dicit turpitudinem ſaltem gravem: *Leſſ. de Juſt. l.4. c.3. d.14. a n.98. Sanch. l.9. de matr. diſp.45. n.14. & 18.*

Remanet ergo, quod ſi prævideatur pollutio ex præfatis cauſis ſequutura, primo poſſit dari grave peccatum, quatenus ipſa cauſa ſit graviter peccaminoſa, qualis e.g. eſt ebrietas, vel cibus immoderatus, quando graviter officere poteſt ſanitati. Si vero in cibo, & poto intercedat tantum peccatum leve, non ideo oritur peccatum grave, quia prævideatur ſequutura pollutio non intenta: *Filiuc. tr.30. c.8. n.151. Fagund. in Decal. l.6. c.9. n.34.* Secundo, poteſt dari gravis culpa, ſi ipſa pollutio intendatur. Si vero non intendatur ipſa pollutio, & non ſit periculum in illam conſentiendi, non erit niſi peccatum leve, quod conſurgit propter indecentiam, quam ſecum affert. Si vero adſit juſta cauſa, aut utilitas apponendi præfatas cauſas, ſolummodo per accidens influentes in pollutionem, nullum erit peccatum; ut ſi permittatur, dum quis involuntarie polluitur equitando, audiendo confeſſiones, ſtudendo ex juxta cauſa rebus obſcœnis &c. *Azor. p.3. l.3. c.23. q.5. Navar. in Man. c.16. n.7. D. Antonin. p.2. tit.6. c.5.*

Regulæ in praxi attendendæ.

I. Dum Confeſſarius audit Pœnitentem ſeſe de pollutione accuſantem, ſtatim interroget, an tunc de aliqua perſona cogitaverit; nam multoties non ſolam illam delectationem intendit, ſed ulterius optaret coire cum fœmina, adeoque interrogandus etiam eſt, an deſideraverit fœminam conjugatam, ſeu liberam &c. E contra mulier interroganda eſt, an cogitaverit de homine uxorato, vel libero &c. Interroget pariter de ſtatu Perſonæ ſe polluentis; nam ſi perſona ſit uxorata, mollities induit etiam malitiam adulterii aperiendam in confeſſione; utpote quia cum perſona uxorata ſui corporis poteſtatem non habeat, facit injuriam comparti, ſe polluendo extra legitimum concubitum: *Sanch. de Matr. d.18. n.4.* Si vero ſe alterius tactibus polluerit, debet Confeſſarius interrogare Pœnitentem de ſtatu illius, cujus tactibus ſe polluit; nam ſi erat e.g. perſona uxorata, ultra peccatum alienum, cui cooperatus eſt, particeps eſt etiam ſpecialis malitia peccati, quod ille commiſit, ipſum tangendo, contra fidem matrimonii, ſeu contra votum, ſi erat voto caſtitatis obſtricta &c.

II. Notet ſecundo Confeſſarius non ſufficienter excuſari peccatum ab eo, qui dicit appoſuiſſe levem cauſam, unde ſe polluit, ſolummodo v.g. manum fœminæ tangendo, ſi ex ſua prava diſpoſitione agnuſcat quamcumque cauſam, quamvis de ſe leviter in eam influentem, talem effectum in ipſo cauſare. Reſpectu ipſius talis cauſa non leviter influit; ac proinde ſi vult talem cauſam, convincitur velle talem effectum. Quid ergo judicare debet Confeſſarius de illis, qui quamvis frequenter pravas experiantur delectationes, & non raras pollutiones, nihilominus per longum tempus amatorie colloquuntur, non indifferentibus obtutibus ſeſe aſpiciunt &c.? Fortaſſe iſti excuſare ſe poſſunt dicendo in hujuſmodi effectus cauſas vel indifferentes, vel leviter dumtaxat influentes appoſuiſſe; Cautus ſit Confeſſarius, ne nimis laxet habenas.

III. Quamvis Confeſſarius ſuadere debeat, ut removeantur etiam cauſæ per accidens in pollutionem influentes, nihilominus videat ne facile judicet reum pollutionis non intentæ illum, qui apponit tales cauſas; nam tunc evenire poteſt ut ex conſcientia erronea grave inducatur peccatum. Ita ſe haberet Confeſſarius, qui diceret pœnitenti non poſſe cibos calidos comedere, vel nonniſi cum omni temperantia bibere, ſi timeat exinde oriri

poſſe pollutionem. Ex opinione vere tuta, ſi pollutio non intendatur, nec adſit periculum in illam conſentiendi, in iis cauſis apponendis non peccatur niſi venialiter in ordine ad pollutionem, tunc ſolum adeſt peccatum mortale, ſi eadem cauſa ſit graviter culpabilis, ut dixi in prima regula. Illis vero, qui inquietantur ex eo, quod e. g. ex hoc vel illo modo accumbendi timeant pollutionem, ſuadendum eſt, ut ſe Deo commendent, & dum ſine incommodo poſſunt, tali modo non accumbant. Cæterum, ordinarie loquendo, ipſos non peccare affirmetur, nimis etenim eſſet moleſtum, ſi quis ex tali timore deberet ſolummodo tali modo accumbere, tali ſitu cedere, tali hora e.g. poſt meridiem ſomnum non capere &c.

IV. Si Confeſſarius audiat Pœnitentem ſe de nocturna pollutione in ſomnis accuſantem, hoc modo ſe gerat. Interroget primo an eo animo aliquam appoſuerit cauſam; ut eadem pollutio in ſomniis ſequeretur: ut ſi ad hunc finem antea cogitaverit, vel ſermonem habuerit de rebus turpibus, ſeu optaverit ſe ſomniare de congreſſu cum aliqua muliere &c. tunc utique pollutio eſt illi graviter peccaminoſa; nam hic vult ſomnum ut medium, quo ex cauſa ab eo appoſita ſequatur pollutio, & proinde illi eſt omnino voluntaria. Si adinveniat nullam pollutionis appoſuiſſe cauſam, interroget an tota conſummata fuerit in ſomniis, vel potius in vigilia. Si motus carnis incœpit in ſomniis, & pollutio ſequitur, vel ſaltem completur in vigilia, interroget an pœnitens totaliter fuerit expergefactus; nam ſi non plene erat expergefactus, ad ſummum potuit adeſſe peccatum veniale ob aliqualem, ſed non plenam deliberationem. Si vero plene erat expergefactus, peccavit mortaliter, ſi deliberate in delectationem conſenſit, vel ſi cooperatus eſt ad ſeminis effuſionem. Si vero nullatenus cooperatus eſt, ſed ſolum eam permiſit non cohibendo, poterit a culpa excuſari, maxime ſi imploravit divinum auxilium, ne in delectationem conſentiret.

Quod ſi nulla appoſita fuit cauſa pollutionis: eaque tota in ſomniis conſummata eſt, tunc iterum interrogare debet, an de ea poſtea fuerit delectatus. Si de pollutione ſequuta delectationem habuit, quatenus provenit a cauſa pure naturali; quia natura voluit ſe exonerare; cum tunc pollutio non ſit objective mala, eſt etenim actus mere naturalis, non eſt illicitum de eadem complacere, maxime quatenus importare poteſt ſanitatem, aut ſedare carnis tentationes. Quia tamen hujuſmodi delectatio redditur illicita, quoties ex ea prævidetur ſequutura commotio ſpirituum generationi deſervientium, ideo in praxi conſulendum ſemper eſt pœnitentibus, ut semper abſtineant ab hujuſmodi delectatione, quia valde periculoſum eſt, ut præfatam commotionem inducat.

Si vero pollutio in ſomniis ſequuta non fuit naturalis, ſed venerea, quatenus ſcilicet orta eſt ex aliqua cauſa ad luxuriam pertinente, puta ex tactu proprio, vel alieno, ex turpi ſomnio &c. tunc cum fuerit venerea, adeoque objective mala, non licet de ea delectari.

V. Notet Confeſſarius multoties non expedire; ut ſe accuſent de pollutione ſequuta in ſomniis, vel quæ ortum habuit in ſomniis, illi; qui nullam illius cauſam appoſuerunt, nullatenus ad ipſam fuerunt cooperati, immo quantum poterant, eam cohibuerunt, ſe inſuper Deo commendando ante ſomnum, ne illam in eis permittat. Multoties accidit, ut hi dum de eadem cogitant eo fine, ut illam in confeſſione aperiant, novas experiantur venereas tentationes, & novas carnis commotiones, quapropter bene his ſuadetur; ut hujuſmodi deſpiciant, nec amplius de iiſdem cogitent etiam animo Confeſſario detegendi.

Aliam in praxi detexi artem Dæmonis ad inquietandas timoratas conſcientias. Accidit aliquando Perſonas omnino peccatum abhorrentes ita in ſomniis carnis tentationibus agitari, ut videantur diſcurrere, agnoſcere turpitudinem peccati, & ruborem, quo ſuffundentur, dum aperiendum erit in confeſſione; ex quo Dæmon vellet illas credere, quod dum aliqua venerea in ſomniis paſſæ ſunt, re vera non dormiebant. Notet igitur Confeſſarius ſenſus internos magis, & minus in ſomniis ligari, juxta majorem, vel minorem abundantiam vaporum, & quando hæc levis eſt, remanet phantaſia magis expedita, & quaſi aliqualis uſus rationis, ex quo provenit aliquo modo ratiocinari, licet ratione, ſomni nunquam ita permaneat uſus liberi arbitrii, ut locum habere poſſit peccatum. Bene ergo has perſonas interroget, & ſi adinveniat re vera poſt illa ratiocinationem experge fieri, moneat illas de arte Dæmonis, & omnino jubeat ſuis dictis acquieſcere.

VI. Ultimo ſciat Confeſſarius habentem conſuetudinem ſe polluendi eſſe infirmum difficillimæ curationis. Nihilominus nec ipſe deſperet; nec pœnitentem in deſperationem inducat. Primo igitur videat ne hujuſmodi peccatum parvipendat, quaſi non eſſet ex gravioribus. Ut ipſius gravitas a Pœnitente concipiatur, demonſtret hujus peccati permiſſionem unum eſſe ex flagellis, quo Deus in ira ſua nos plectit, ut dicit Apoſtolus *ad Rom.* 1. 24. In Sacr. Scriptura hoc vitium deteſtabile dici, ac repentina morte punitum in Onam Judæ filio, ut narratur *Geneſ.* 38. 10. Quod ſi Deus igne voluit etiam in hac vita inceſtum puniri, ut habetur *Levit.* 20. 14. graviſſimas etiam in hac vita pœnas pertimeſcere poſſet ſe polluentem, utpote qui contra naturam peccat. Demonſtret in gravi eſſe periculo numquam ſe emendandi, ſi quocitius fieri poteſt, non deleat hoc peccatum; cum tum ratione ſubtractionis divini auxilii, tum inveteratæ conſuetudinis conſurgat fere moralis impoſſibilitas ab eo abſtinendi.

Poſtquam Confeſſarius monuit Pœnitentem de ſui criminis gravitate, videat a quo tempore incœperit ſe hoc peccato inquinare, etenim ex hoc dignoſcet ſi graviora remedia ſint applicanda. Interroget deinde, unde oriantur talia peccata. Si a cauſa extrinſeca proveniant, v.g. ratione perſonarum, cum quibus degit, ab illis pœnitentem omnino removeat, ſicut etiam libros obſcœnos, & quodcumque aliud extrinſecum ad peccandum incitamentum. Si maxima ſe polluendi cauſa ſit propria fragilitas, præſcribat illi aliquas corporis afflictiones, lectionem Sanctorum librorum, frequenter in die ſe Deo ſaltem breviter commendare ut illum præſervet; unde optimum erit, ſi illi imponat, ut toties in die coram Crucifixi Imagina breviter genuflectat ad actum contritionis eliciendum. Specialiter etiam ipſi imponat ſe B. Virgini commendare. Jubeat ut poſt commiſſum peccatum non differat confiteri, quamvis non ſemper expediat illi abſolutionem impertiri. Univerſaliter optimum remedium eſt, ut bis, vel ſaltem ſemel in hebdomada ad Pœnitentiæ accedat Sacramentum. Si Confeſſarius hæc præſcribat remedia, & pœnitens obſequens ſit, brevi a laqueis Luxuriæ liberabitur.

CAPUT ULTIMUM.

De Sodomia, & Beſtialitate.

Q. I. Quid ſit Sodomia.

R. Hoc turpiſſimum flagitium ex *D. Th.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 11. ita poteſt definiri. *Concubitus ad non debitum ſexum*, puta maſculi, ad maſculum, ſeu fœminæ ad fœminam. Hoc igitur nefandum crimen omnia pervertit, quæ expoſcit natura, ut ſequatur generatio; etenim non ſolum in hoc concubitu prodigitur ſemen, ut evenit in mollitie, ſed etiam non ſervatur diverſitas ſexus, & vas debitum, quæ neceſſaria ſunt ad generationem.

Ex dictis propria intervenit Sodomia, dum vir alium virum in vaſe præpoſtero cognoſcit. Nec neceſſe eſt ad eſſentiam hujus criminis ibi ſeminare, nam ſeminatio requiritur ut fiat ſeminum commixtio, & una caro; quod cum evenire non poſſit in congreſſu ſodomitico, ad ipſius eſſentiam non eſt neceſſaria ſeminatio. Nefandum ergo hoc flagitium completur per penetrationem vaſis præpoſteri, & ſeminis effuſio ſolummodo pertinet ad ipſius complementum. Ex hoc autem apparet non intervenire Sodomiam, ſi duo maſculi ſe polluant, dum unus ſuper alium ſicut ſuper mulierem ſupercubet; nam tunc verus coitus non intervenit. Poteſt ſolummodo adeſſe peccatum Sodomiæ affectivæ, ſi tunc unus cum altero coire deſideraret: *Trull. l. 6. c. 1. d. 8. §. 2. n. 1. Dian. p. 1. tr. 7. de circumſt. reſol.* 52.

Sicut intercedit vera ſodomia, quando maſculus cum maſculo congreditur; ita dum fœmina ut vir agit in aliam fœminam, ſive mediante inſtrumento, ſive ſine illo immittat ſuum ſemen in vas naturale, vel præpoſterum alterius fœminæ. Ratio eſt, quia intervenit coitus ad non debitum ſexum, in quo proprie conſiſtit hoc peccatum: ſaltem autem ſemper intervenit affectus cum eadem congrediendi, & ita ſemper ſaltem affective intervenit Sodomia.

Difficultas ſolum modo eſt, an interveniat verum Sodomiæ crimen, dum vir cognoſcit fœminam in vaſe præpoſtero. At quamvis quamplures Theologi, & Juriſperiti hanc Sodomiam ejuſdem ſpeciei eſſe dicant,

quam

quam cognoſcere maſculum in vaſe præpoſtero, nihilominus, meo videri, verius dicitur, hanc Sodomiam ſolummodo ſimilitudinariam dici debere, & ſpecie diſferre a vera Sodomia. Ratio eſt, quia ex D. Thoma vera Sodomia conſiſtit in congreſſu cum Perſona ejuſdem ſexus. Præterea concubitus præpoſterus cum muliere, quamvis importet delectationem vaſis præpoſteri, non importat delectationem in ordine ad ſexum indebitum, unde quoad hoc non dicit repugnantiam ad generationem; e contra vero concubitus cum maſculo dicit delectationem & in ordine ad vas præpoſterum, & in ordine ad debitum ſexum proindeque importat omnimodam ad generationem repugnantiam: ubi autem motiva intra genus luxuriæ ſunt diverſa, ibi conſtituenda ſunt diverſa ſpeciei peccata: *Leſſ. de juſt. l. 4. c. 3. dub. 13. num. 89. Filiuc. tr. 30. c. 8. num. 159. Bonac. de Matr. q. 4. p. 11. n. 1. Dian. p. 2. tr. 7. reſol. 2.*

Q. II. An cum peccato Sodomiæ conjungi poſſint aliæ ſpecies luxuriæ, puta inceſtus, ſacrilegii, adulterii.

R. Quamvis valde diviſi ſint Theologi, cum loquuntur de peccato Sodomiæ habito cum conſanguineis, vel affinibus, aliis volentibus univerſaliter non intervenire malitiam inceſtus, aliis id admittentibus ſolummodo, ſi Sodomia committatur cum conſanguineis, & affinibus in primo, & ſecundo gradu, aliis excludentibus hanc malitiam ſolummodo, dum committitur cum affinibus ſpiritualibus, & legalibus; nihilominus dicendum eſt malitiam inceſtus intervenire quotieſcumque ſodomia committatur cum quibuſvis conſanguineis, & affinibus. Ratio eſt, quia his omnibus jure naturali debetur ſpecialis obſervantia, & reverentia: quid autem magis oppoſitum pietati, obſervantiæ, & reverentiæ debitæ cognatis, & affinibus, quam copula ſodomitica? Conſtat autem ex violatione hujus reverentiæ facta per actum carnalem, conſurgere malitiam inceſtus.

Nec urget ratio illorum, qui dicunt malitiam inceſtus non intervenire in ſodomia cum illis cognatis, & affinibus, inter quos ſolummodo jure poſitivo matrimonium prohibetur, cum iſtis videatur ſolummodo ratione talis cognationis, & affinitatis ſpecialiter eſſe prohibitam copulam conjugalem. Contra etenim eſt, quia eo ipſo quod Eccleſia voluerit eſſe cognatos, vel affines, jam dictat jus naturæ inter eos ſpecialem obſervantiam, & reverentiam intercedere debere; ſicut ex eo quod aliquis in ſuperiorem conſtituatur, ſtatim ex lege naturæ debetur illi obedientia, & reverentia; ſi ergo ratione talis reverentiæ prohibet inter ipſos copulam naturalem, ex conſequenti multo magis intelligenda eſt prohibita copula ſodomitica: *Lugo de Pœnit. diſp. 16. a num. 345. Leand. de Pœnit. tr. 5. diſp. 8. ſ. 3. q. 31. & 36.*

Quæ dicta ſunt valent non ſolum de Sodomia proprie tali ſed etiam ſimilitudinaria inter maſculum, & fœminam; nam licet potius dici debeat innaturalis concubitus, nihilominus & ipſa valde contraria eſt debitæ reverentiæ. Item ſicuti loquentis de inceſtu diximus juxta diverſitatem graduum &c. dari inceſtus ſpecie diverſos, ita dicendum eſt in præſenti.

R. II. Si quis ſodomitice congrediatur cum habente votum caſtitatis peccat etiam peccato ſacrilegii, quia infert injuriam perſonæ Deo per votum caſtitatis conſecratæ. Si violenter ſodomitice peccat cum puero, additur malitia raptus, etenim talis violentia ſuperaddit aliam ſpeciem a ſimplici ſodomia diverſam, ut diximus agentes de raptu. Si ſodomitice congredientes ſint uxorati, additur malitia adulterii, nam fides matrimonii exigit, ut conjugati non dividant cum aliis carnem ſuam; cum Maritus, & Uxor eſſe debeant una caro. In Sodomia vero agens dividit carnem ſuam ſeminando, & patiens recipiendo ſemen. Præterea fides Matrimonii obligat ad nihil faciendum contra generationem, ergo uxorati agentes, vel patientes ſodomitice ſemper violant talem fidem: proindeque ibi etiam intervenit malitiam adulterii: *Pontius de Matr. l. 10. c. 12. n. 7. Ant. a Sp. S. de pœnit. ſect. 4. n. 441.* aliique apud ipſum. An vero ſit etiam ſtuprum ſi quis ſodomitice peccet cum virgine, probabiliter negari poteſt, non etenim violatur clauſtrum Virginale.

Q. III. An liceat Marito ſodomitice copulam incipere cum propria uxore animo illam conſummandi intra vas naturale.

R. Quamvis non deſint qui affirment hujuſmodi Maritos ſaltem graviter non peccare, quia videntur quaſi tactibus ſe copulam naturalem excitare, nihilominus talis opinio omnino eſt deferenda. Ratio eſt, quia talis copula eſt vere inchoata ſodomia, & de ſua natura ad illum turpiſſimum actum ordinatur, adeoque ſemper nefanda eſt, ſi etenim ſemper illicita eſt ſodomia, conſequens eſt ſemper eſſe illicitum quidquid ad illam de ſua natura ordinatur, cum ſit intra eamdem lineam: Hac ratione nec puto inquam licere fricare membrum virile circa vas præpoſterum uxoris ad habendum deinde cum ea copulam naturalem: *Dian. p. 2. tr. 17. reſol. 37. & p. 3. tr. 4. reſol. 204.* & alii apud ipſum.

Ad id peccatum ſodomiticum reducerem mittere membrum virile in os uxoris, quamvis cum animo in proprio vaſe ſeminandi. Quamvis igitur os non ſit vas ad copulam ſodomiticam ordinatum nihilominus talis immiſſio eſt medium importionatiſſimum, & actus omnino inordinatus ad copulam naturalem, unde videtur quaſi ſpeciem ſodomiæ præſeferre: *Anton. a Sp. S. de Sacr. Pœnit. diſp. 2. ſect. 2. ſ. 8. n. 452. Dian. part. 5. tr. 7. reſol. 7.* Qui contrarium aſſerunt videntur mihi nimis favere laxitatibus.

Q. IV. An in peccato ſodomiæ explicanda ſit circumſtantia agentis vel patientis.

R. In peccato Sodomiæ probabiliſſime dicitur non eſſe neceſſarium explicare circumſtantiam agentis, vel patientis; nam hujuſmodi peccatum, ut ſupra dixi, non exigit ſeminationem, ſed conſiſtit in penetratione vaſis indebiti, qua in re agens, & patiens contrahunt eamdem malitiam, unus ſcilicet agendo, & patiens ipſi cooperando. Cum proinde ſeminatio reſpectu hujus peccati ſolummodo ſe habeat ut ipſius complementum, non eſt neceſſarium explicare circumſtantiam agentis: *Anton. a Sp. S. de pœnit. d. 8. ſect. 2. n. 336. Dian. 3. p. tr. 4. reſol. 158. & p. 5. tr. 14. reſol. 59.* Puto tamen quod ſi patiens ſe polluat, teneatur hanc circumſtantiam explicare, quia eo ipſo quod dicat ſodomiam commiſiſſe patiendo, non intelligitur explicata pollutio, cum de ſua natura reſpectu patientis non ſequatur. Et ſi hæc interveniat ex tactibus agentis id etiam debet explicare; nam tunc ultra peccatum pollutionis adfuit etiam cooperatio non ſolum reſpectu peccati Sodomiæ, ſed etiam ipſius pollutionis.

Q. V. Quibus pœnis ſubjaceat Sodomia.

R. Hoc peccatum jure divino morte puniebatur, ut habentur *Levit. 20.* Eamdem pœnam contra illam de[illegible]gere leges civiles. *§. Item. lex Julia 4. Inſtit. de publ. judic. l. cum vir. 31. ad leg. Juliam de adulter.* Eaque lege *junct. Gloſſ. V. Infames.* etiam ante accuſationem, & condemnationem infames habentur. Conſuetudo etiam invaluit, ut cadavera illorum, qui ratione hujus nefandiſſimi criminis puniti fuerunt, igne concrementur.

Ex Conſtitutione vero S. Pii V. incipien. *Horrendum illud &c.* Clerici Sodomitici privantur *omni privilegio Clericali, omnique officio, & beneficio Eccleſiaſtico*, jubetque per Judicem Eccleſiaſticum degradari, ac deinde tradi puniendos poteſtati ſæculari. Verum tamen eſt quod ad incurrendas hujuſmodi pœnas requiritur, Clericum ſæpius exercuiſſe Sodomiam, Sodomiam fuiſſe perfectam; & præceſſiſſe ſententiam ſaltem declaratoriam criminis. Videatur Barboſa *in cap. Clerici 4. de exceſſ. Prælat.* His adde quod ſi Sodomia ſit publica vel infamia facti, vel infamia juris, ratione infamiæ inducit Irregularitatem: *Suar. de cenſ. d. 48. ſect. 1. Bonat. de matr. q. 4. p. 11. n. 3.*

Q. VI. Quid ſit Beſtialitas: & quando committatur.

R. I. Beſtialitas ita definiri poteſt: *Concubitus cum individuo alterius ſpeciei.* Hoc crimen inter vitia carnis eſt graviſſimum, quia nec ſervatur vas debitum, nec ſimilitudo ſpecifica inter eos, qui congrediuntur, unde illud ex omne capite abhorret natura. Porro de materiali ſe habet an quis congrediatur cum bellua unius, vel alterius ſpeciei; nam ratio hujus criminis conſiſtit in hoc, quod congreſſus habeatur cum individuo diverſæ ſpeciei quod verificatur de omni animalium genere; unde non eſt neceſſe explicare quæ fuerit beſtia, cum qua carnaliter quis congreſſus fuerit. Nec pariter in ordine ad explicandum hoc peccatum neceſſe eſt explicare circumſtantiam agentis, vel patientis, nam beſtializat qui cum bellua vel agendo, vel patiendo ſeminat, vel quærit cum ea agendo, vel patiendo carnalem delectationem. Cum pariter nulla animalium pars ſit a natura deſtinata ad recipiendum humanum ſemen,

committitur eodem modo peccatum beſtialitatis in quacumque parte corporis Beſtiæ congreſſus habeatur: *Filiuc. tr. 30. c. 8. n. 161. Azor. 3. p. l. 3. c. 22. q. 1. & 3. Bonac. de matr. u. 4. p. 12. n. 4.*

R. II. Non ſolum committitur peccatum beſtialitatis in congreſſu cum beſtia, ſed etiam in congreſſu cum Dœmone, ſive incubo ſive ſuccubo, cum verificetur adfuiſſe congreſſum cum individuo alterius ſpeciei, in quo conſiſtit peccatum beſtialitatis. In hoc autem congreſſu reperitur etiam peccatum ſuperſtitionis ex ſocietate, quæ ex tali congreſſu cum Dœmone habetur. Item effective poſſunt intervenire alia peccata carnalia, e.g. fornicationis, ſi affectu fornicario habeatur congreſſus cum Dœmone ſub ſpecie mulieris, ſicut etiam propter eamdem rationem adulterii, inceſtus &c. *Filiuc. n. 162. Azor. q. 2. Bonac. n. 3.*

Regulæ in praxi attendendæ.

I. Dum audit Confeſſarius aliquem peccatum Sodomiæ commiſiſſe, demonſtret ipſi, quantum poteſt, ipſius nefandam turpitudinem, Revocet in ipſius memoriam ignem, quo Deus Sodomam, aliaſque civitates ob hoc turpiſſimum vitium in cinerem redegit. Subjungat & ab humanis Judicibus ſordida Sodomitarum cadavera igne concremari. Ratione hujus peccati Deum Incarnationem tanto tempore diſtuliſſe, ut teſtatur D. Hieronymus; ſicuti & ob hoc peccatum citius ut Judicem in fine mundi venturum, ut deducunt S. Expoſitores ex capite tertio Joelis. Suadet etiam Barboſa *alleg. 44. num. 31.* Ut Confeſſarii hujus criminis enormitatem exagerent, utentes verbis illis, quibus & D. Auguſtinus utitur in ſermone de vitio ſodomitico, quod ſcilicet a tanta immunditia fugiunt Angeli ac Dœmones etiam oculos claudunt. Addat tam deprimi hoc flagitio naturam rationalem, ut quamvis Dœmon ſub ſpecie mulieris fiat homini ſuccubus, nunquam tamen legitur ſuccubum fuiſſe ſub ſpecie viri, ut notat Ugo *in cap. 1. Epiſt. ad Rom.*

Iiſdem motivis demonſtrare poteſt enormitatem criminis beſtialitatis, addendo juſſiſſe Deum *Levit. 20. 15.* ut ſimul cum perſona hujus criminis rea interficeretur beſtia, cum qua peccavit, & id ut obſervat S. Auguſt. *ibid. q. 74.* ut tanti criminis memoria omnino periret. Hoc idem ſancitur jure canonico: *can. mulier. 15. q. 1.*

II. Confeſſarius pœnitentem Sodomiæ culpabilem, debet de pluribus interrogare. Primo, inquirat de ſt[...] illius qui peccavit, & de eo cum quo peccavit [...] fuerit conjugatus, an voto Caſtitatis obſtrictus, an c[...] ſanguineus, vel affinis &c. Secundo interroget patientem, an ex illo nefario concubitu paſſus fuerit pollutionem, an inſuper illam paſſus fuerit tactibus agentis, cum tunc ultra peccatum Sodomiæ, & mollitiei iterum peccavit novo peccato ſcandali, dum etiam paſſus eſt alienis tactibus pollui. Item interroget de intentione, an e. g. cogitaverit de congrediendo cum muliere &c. Id ſpecialiter advertendum eſt, dum fœminæ ſimul ſodomizant; difficile etenim eſt ut non concupierint congreſſum cum homine. Idem dicas, dum duo homines ſe polluunt, uno alteri ſupercubante, quaſi eſſet mulier; nam facillime tunc deſiderant cum muliere congredi.

III. Notet Confeſſarius in noſtra Diœceſi ſequentem caſum eſſe reſervatum. *Sodomia actu conſummato, etiam paſſiva, & cum fœmina, quoad maſculos tantum: Beſtialitas, aut concubitus cum Dœmone quoad maſculos, & fœminas.* Primo ergo reſervatur ſodomia tam propria, quam ſimilitudinaria, cum reſervatur etiam Sodomia habita cum fœmina. Oportet autem eſſe actu conſummatam, hoc eſt, quod emiſſum fuerit ſemen intra vas præpoſterum. Cum autem iſtud peccatum quoad maſculos tantum reſervetur; ſi vir ita coeat cum uxore, hæc abſolvi poteſt, non vero vir.

Animadvertat etiam Confeſſarius impuberes non alligari reſervatione ſpectante ad materiam veneream, ut probat Gabrinus *p. 1. reſol. 27.* & id etiam ſi malitia ſuppleat ætatem, ut quamplures docent apud Dianam *p. 7. tr. 12. reſol. 12.* unde quoad impuberes non cenſendus eſt reſervatus congreſſus ſodomiticus. Id extendit P. Manſi ad caſum, in quo pubes patiatur ab impubere, cum etenim non contingere ſoleat perfecta ſeminatio; de eo videtur diſcurrendum ſicut de congreſſu duorum impuberum.

Secundo, reſervatur peccatum beſtialitatis quoad maſculos, & feminas, ſive nempe vir cum Beſtia congrediatur; ſive fœmina patiatur congreſſum a Beſtia more maſculi ſeminante, ita nempe datur peccatum beſtialitatis reſpectu fœminæ. Quamvis autem ad veram rationem beſtialitatis, ut capite ſuperiori notavi, nihil referat, in qua parte corporis beſtiæ fiat ſeminatio, nihiluminus non inducitur reſervatio, niſi ſemen intra alvum beſtiæ emittatur, nam reſervatio, utpote odioſa, ſtrictiſſime eſt intelligenda.

Tertio, innodantur reſervatione tam maſculi, quam fœminæ concubitum habentes cum Dœmone. Quod ſi aliquando graviſſimum hoc flagitium accidat Confeſſario audire, memor ſit in hoc peccato intercedere non ſolum peccatum beſtialitatis, ſed etiam ſuperſtitionis. Item animadvertat affective etiam alia peccata poſſe intervenire, puta fornicationis, adulterii &c. juxta qualitatem perſonæ, cujus repræſentationem aſſumit Dœmon, cum quo peccatur.

TRA-

TRACTATUS XIII.

DE SEPTIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

SEptimum Decalogi Præceptum concipitur illis verbis: *Non furtum facies*. Voluit Deus hoc præcepto iis bonis, quæ fortunæ vocantur, conſulere; & quamvis axpreſſe ſolum furtum prohiberi videatur, nihilominus vere omnis illicita uſurpatio proſcribitur. At quia quæ licite haberi, vel illicite poſſunt, non innoteſcit niſi ex iis, quas de juſtitia, & jure dicuntur, ideo quæ ad ea pertinent primum explicabo.

QUÆSTIO UNICA.

De Juſtitia, & Jure in communi; & de Dominio.

CAPUT I.

De Juſtitia & Jure.

Q. I. Quid ſit Jus.

R. Jus tripliciter uſurpatur. Primo, Jus ſignificat legem, ſecundum quam regulatur id, quod unicuique tribuendum eſt. Juxta hanc acceptionem dividitur jus ſicut lex, ſcilicet, in naturale, poſitivum, divinum, humanum, civile, & canonicum, ut dicitur in Tractato da Legibus. Secundo, jus ſignificat poteſtatem a Lege conceſſam, ſive ea lex ſit naturalis, ſive Divina, ſive humana ad aliquid agendum, ſeu retinendum, ſeu recipiendum, ſeu etiam ad reſiſtendum; ut eſt e. g. jus, ne aliquis in tali loco ædificet, aperiat feneſtras &c. Sicut jus primo modo ſumptum eſt regula juſtitiæ, ſecundom quam decernitur quid unicuique tribuendum ſit, ita ſecundo modo ſumptum eſt conditio neceſſaria, ut juſtitia decernat quid unicuique triboendum ſit: cui enim non competit poteſtas ad aliquid agendum, retinendum, recipiendum &c. nulla res poteſt eſſe debita ex Juſtitia.

Jus ſecundo modo ſumptum dividitur in *jus ad rem, & jus in re*. Jus ad rem tradit actionem in perſonam, adeo ut ſit obligataa ad dandam aliquam rem, non vero tradit actionem in ipſam rem; unde ſi ipſa res diſtrahatur, habens jus ad rem non poteſt agere, ut eadem ſibi tradatur, ſed habet actionem in perſonam, quæ ipſam diſtraxit. Ut plurimum iſtud jus ad rem oritur ex aliquo titulo, quem habemus, ut nobis res tradatur, e.g. ex emptione, donatione, electione, præſentatione &c. Jus in re dat actionem non ſolum in perſonam, ſed atiam actionem realem in ipſam rem, ita ut ſemper illius ſit, qui habet jus in re ad illam: *Molin. tr. 2. de juſtit. d. 2. Leſſ. l. 2. c. 2. d. 2.* a. 10. Tertio, jus ſignificat ac juſtum, & æquala, unde eſt objectum, circa quod directe, & immediate verſatur juſtitia: *D. Th. 2. 2. qa. 66. art.* 1. Non eſt igitur hic ſermo de jure morali, hoc eſt, de eo, quod faciendum eſt non ex juſtitia, ſed honeſtata aliarum virtutum, e. g. gratitudinis, liberalitatis &c. ſed de jure ſtricto modo ſumpto, quod legale dicitur, & conſiſtit in hoc, quod detur unicuique quod ſuum eſt, & quantum ipſi debetur. Porro hoc jus tres exigit conditiones. Prima, ut ſimpliciter, & ſtricte aliquid ſit debitum. Secunda, ut ſervetur æqualitas, hoc aſt, tribuatur, quantum alicui debetur. Tertia, ut ſit ad alterum.

Q. II. Quid ſit juſtitia, & quotuplex.

R. I. Frequenter in S. Scriptura juſticia ſumitur pro collectione omnium virtutum; cum enim juſtum ſignificet adæquationem, & commenſurationem cum alio, hinc aſt collectionem omnium virtutum dici juſtitiam, quia homo illas habens bene adæquat, & commenſuratur cum omni regula moralitatis. In hoc ſenſu dicitur *Matth. 5. Beati qui eſuriunt juſtitiam*; & *niſi abundaverit Juſtitia veſtra &c.* ſicut etiam in eodem ſenſu dictum fuit de S. Joſepho *Matth. 1. Vir ejus cum eſſet juſtus &c.* In eadem ſignificatione tribuitur gratiæ habituali, & charitati nomen juſtitiæ, quia important debitam adæquationem, & commenſurationem cum Dei mandatis; ac proinde D. Auguſt. *de Natur. & Grat. cap.* 28. ait: *Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt; Charitas magna, magna juſtitia eſt: Charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt.* Modo autem non eſt ſermo de juſtitia ſecundum hanc acceptationem.

R. II. Juſtitia ſignificat particularem virtutem, qua voluntas inclinatur ad reddendum alteri quod ipſi adæquate debetur. Hoc modo accepta definitur: *Conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuendi*: *D. Th. 2. 2. qu. 58. art.* 1. & quamvis hæc definitio tradatur ab Ulpiano *leg. juſtitia ff. de juſt. & jure*, nihilominus communiter admittitur etiam a Theologis, & Canoniſtis. *Ly voluntas* ſignificat actum voluntatis tribuendi unicuique jus ſuum, nihilominus eo quod dicatur *conſtans*, ſignificatur ab habitu virtutis derivare; nam actus virtutum non ſunt conſtantet, & permanenter in ſubjecto ſicut habitus, ſed tranſeunter. Dicitur *perpetua*, ad ſignificandum, juſtitiam non ad tempus inclinare ad ſervandam æqualitatem cum altero, ſed in omni occaſione, & tempore. Additur *jus ſuum unicuique tribuendi*, hoc eſt, tribuendi alteri totum id, quod ipſi debetur, nempe ad æqualitatem. Hinc patet, juſtitiam proprie ſolum eſſe ad alterum; nam petit facere æquale, & nemo proprie poteſt dici æqualis ſibi.

Juſtitia hoc modo ſumpta dicitur a S. Th. *art.* 2. nobiliſſima inter alias virtutes, quæ reſident in appetitu. Primo, quia aliæ virtutes reſident in appetitu ſenſitivo, nimirum fortitudo in iraſcibili, & temperantia in concupiſcibili; in ipſo vero non poteſt reſidere juſtitia, utpote quia non valet attingere proportionem, quæ eſt unius cum alio, uti requiritur ad hoc, ut juſtitia jus ſuum adæquate alteri tribuat. Reſidebit ergo in voluntate eam rectificando, ut velit jus ſuum adæquate alteri tribuere. Secundo, quia aliæ virtutes ſolum faciunt bonum illum, in quo ſunt: Juſtitia vero extenditur etiam ad alios, faciens cum ipſis æqualitatem. Ex hoc autem S. Thomas ponit aliud diſcrimen inter juſtitiam, & alias virtures morales, dicendo iſtas reſpicere medium rationis, juſtitiam vero medium rei. Ita autem loqoendo S. Doctor, non voluit ſignificare juſtitiam non attendere medium rationis, com & ipſa reguletur a Prudentia, quæ medium rationis præſcribit omnibus virtutibus, ſed quod ipſa non tantum præſcribit medium rationis, prout convenit operanti, ſed etiam ut aliis reddatur, quantum ipſis debetur. Aliæ igitur virtutes ſolum rectificant in ordine ad proprium ſubjectum, præſcribendo directionem paſſionum prout ipſi congruit, e. g. ne nimis comedat, ne nimis iraſcatur &c., juſtitia vero reſpicit rem, quæ conſtituit æqualitatem cum alio, ideoque dicitur reſpicere medium rei, quamvis & iſtud medium ſit reſpectu juſtitiæ medium rationis.

R. III. Juſtitia dividitur in Commutativam, Diſtributivam, & Legalem: *D. Th. 2. 2. qu. 58. art. 7. ad* 2. Commutativa aſt partis ad partem, ut ſcilicet unuſquiſque det alteri quod ſuum eſt, & ita intervenit

in

in omnibus contractibus. Diſtributiva eſt totius ad partes, unde habet locum, quando a Communitate, ſive a Principe, ſive a Superiore diſtribuuntur præmia, & bona communia inter perſonas particulares. Juſtitia Legalis eſt partium ad totum, Sed ut melius hæc omnia percipiantur.

Q. III. Quid ſit juſtitia legalis.

R. Juſtitia Legalis bene dicitur eſſe ea, *qua partes Communitatis ordinantur ad promovendum bonum Totius*. Cum igitur bonum commune habeat præſtantiſſimum jus ut ſuſtentetur, & promoveatur, atque id fieri debeat ab iis, qui ſunt partes, & Membra Communitatis, hinc dicitur adimplere Juſtitiam Legalem ille, qui quatenus membrum, & pars Communitatis procurat promovere, & ſuſtentare commune bonum, Sed quia non melius ſuſtinetur, & promovetur Bonum commune, quam obſervantia legum, hinc eſt principale munus hujus Juſtitiæ eſſe attendere ad legum obſervantiam, ac proinde bene dicitur Legalis, Non nego tamen bonum commune non eſſe etiam aliis mediis promovendum: unde quando opus eſt, pro tali bono conſervando partes Communitatis tenentur etiam propriam vitam exponere. Hæc Juſtitia dicitur etiam *generalis*, quia reſpicit bonum commune, & quia alias movet virtutes ad promovendum, & ſuſtentandum bonum commune.

Hic etiam advertere eſt, quod quando Communitas non accipitur ut totum, ſed ut ſingularis perſona, tunc intercedit inter ipſam, & ſuas partes Juſtitia Commutativa. Ita intervenire ſolet, quando aliquid vendit particularibus perſonis, conducit eorum opera &c. Ita etiam evenit, quando Communitas aliquem eligit, ut ipſam gubernet, defendat &c. quia tunc ſe habet Communitas, ut pars, quæ cum alia contrahit Parte. Hinc perſona, quæ eligitur, cum non ſolum teneatur ex Juſtitia Legali ad promovendum Bonum commune, ſed etiam ex Juſtitia Commutativa propter contractum cum ipſa factum, veluti cum altera Comparte, dum fuit electus &c. tenetur ad reſtitutionem damnorum, ſi ex ſua culpa Communitas aliquid damni patiatur: *Lugo diſp. 1. ſect. 2. nu. 31. & Palaus hic p. 2. n. 4.*

Q. IV. Quid ſit Juſtitia Diſtributiva.

R. Juſtitia Diſtributiva eſt ea, *qua bona communia diſtribuuntur inter perſonas Communitatis, ſeu Civitatis, attenta proportione meritorum*. Cum igitur pertineat ad ſuperiorem bona communia diſtribuere, hæc virtus præcipue in eodem Superiore reperitur, & conſiſtit in recta voluntate hæc communia bona diſtribuendi, ac poſtea in diſtribuendo juxta cujuſcumque merita.

Quia vero attendit merita perſonarum, inter quas ſunt hæc bona diſtribuenda, ideo dicitur ea non attendere æqualitatem rei ad rem, ſed proportionem, uti dicunt, geometricam, quæ conſiſtit in hoc, quod eadem proportio, quæ eſt inter merita, ſit etiam in diſtributione bonorum. Sunt v. g. duo, quorum unus habet meritum ut octo, alter ut quatuor, & ſunt diſtribuendi ſex nummi aurei ex communi ærario: primo, cum habeat meritum excedens pro medietate meritum ſecundi, tribuendi ſunt quatuor nummi aurei, & duo ſecundo; nam merito excedenti pro medietate meritum alterius, correſpondent duæ partes bonorum, quæ erant diſtribuenda; alteri vero una ſola pars. Hic tamen advertas Juſtitiam diſtributivam non ſolum attendendam in diſtributione bonorum fortunæ, nempe divitiarum, ſed etiam officiorum, & dignitatum ſæcularium; nam cum iſta habeant rationem præmii, ratio dictat diſtribuenda eſſe juxta merita, adeoque dignioribus. Præterea ſi prætermittantur Digniores, ut conferantur minus Dignis, neceſſario ſequitur grave nocumentum bono communi; minus etenim perfecte adminiſtrabitur Juſtitia; non eo, quo par eſt, zelo cura erit de bonis moribus; Subditi de talibus obmurmurabunt electionibus, & ob Digniores prætermiſſos civium concordia diminuetur: quapropter clare patet obligatio diſtribuendi Dignitates ſæculares Dignioribus: *Sanch. in Conſil. l. 2. cap. 1. dub. 36. Leſſ. l. 2. c. 32. dub. 3. a n. 15. Palaus diſp. 2. p. 11. §. 2. n. 15.*

Q. V. Quid ſit juſtitia commutativa.

R. Juſtitia Commutativa eſt ea, *qua redditur unicuique res propria ſecundum æqualitatem rei, quæ redditur, ad rem quæ debetur*. Hinc dicitur Juſtitia Commutativa attendere proportionem arithmeticam rei ad rem, ſeu quantitatis ad quantitatem, quod eſt idem, ut tantum reddatur, quantum debetur. Ipſius præcipuus actus eſt reſtituere; nam cum actus adæquatus iſtius virtutis ſit unicuique tribuere, quod ſuum eſt, & id maxime ſervetur in reſtitutione, qua denuo Dominus conſtituitur in poſſeſſione rei ſuæ, ideo reſtitutio dicitur ipſius actus principalis: Habet etiam locum in emptionibus venditionibus, cæteriſque contractibus; ſicut etiam in injuriis factis per vulnera, homicidia &c. nam ad ipſam pertinet jus alterius illæſum ſervare unde vult reſtitutione compenſanda damna, quocumque modo alteri illata.

Ad Juſtitiam Commutativam etiam reduci poteſt punitio, quam facit Judex, vel Superior de ſceleribus malefactorum; cum per talem actum Juſtitiæ, quæ dicitur vindicativa, puniatur malefactor pœna æquali delicto, & Reipublicæ reſtituatur honor amiſſus ob ſcelus ſui Civis. Præterea Judex fecit pactum, & ſe obligavit Reipublicæ ad malefactores puniendos. Ex his autem ſequitur Judicem teneri ad reſarcienda Reipublicæ damna, quæ frequenter ex omiſſione punitionis malefactorum oriuntur.

Hic etiam advertere eſt Juſtitiam commutativam ſæpe eſſe Diſtributivæ conjunctam, ſed ſecundum diverſas conſiderationes. Demus e.g. vel ex pacto, vel ex lege, vel conſuetudine, vel voluntate alicujus Teſtatoris diſtribuenda eſſe plura bona juxta ſcientiam, ſeu paupertatem &c. plurium Perſonarum; hic habet locum Juſtitia Diſtributiva, & Commutativa. Juſtitia Diſtributiva habet locum, quatenus facit computationem, & comparationem inter ſcientiam unius, & ſcientiam alterius, paupertatem unius, & paupertatem alterius; & ita dicitur reſpicere proportionem geometricam, ut cum tali computatione, & comparatione, ſi uni debeantur centum, alteri viginti, hujuſmodi danda ſunt ex Juſtitia commutativa; nam jam jus unius eſt ad centum, & non redditur ipſi æquale, ſi centum non tradantur, & ita dicatur de eo, cui debentur viginti. Non reddendo autem æquale, læditur Juſtitia commutativa, quæ vult illæſum jus illius particularis Perſonæ, & ita conſurgit obligatio reſtitutionis.

Hinc patet nudam diſtributionem rerum non inducere obligationem reſtitutionis, etiamſi non fiat attenta majori, vel minori qualitate Perſonarum. Demus e.g. aliquem ſine ulla obligatione diſtribuere bona ſua, certe nullam habet obligationem reſtituendi, quamvis minus pauperi daret plus, quam alteri, qui eſſet magis pauper. Ita etiam habemus ex Evangelica parabola, non fuiſſe redarguendum Dominum, qui operariis dedit quantum ex pacto cum eis convenerat, quamvis & totidem dediſſet iis, qui minus laboraverant; nam poterat dare juxta ſuam voluntatem, quod ſuum erat. Dumtaxat ergo conſurgit obligatio reſtitutionis, quando diſtributioni faciendæ ſuperadditur obligatio ex Juſtitia Commutativa; ſcilicet quando aliquid eſt diſtribuendum vel ex natura rei, quia communis eſt, vel ex lege, vel ex pacto, vel ex voluntate Teſtatoris. In his caſibus, ii, quibus eſt facienda Diſtributio, habent jus rigoroſum, ut tantum debeatur, ut ſupra dictum eſt.

Q. VI. Quæ vitia opponantur Juſtitiæ.

R. I. Juſtitiæ Legali poteſt dici oppoſita Legalis injuſtitia, quæ conſiſtit in violatione, ſeu relaxatione Legum. Hic autem obſervare oportet quod ſicut quamvis inobedientia reperiatur generaliter in omni peccato, non eſt tamen circumſtantia ſpecialiter aperienda in confeſſione, niſi quando quis peccaret in contemptum Legis, tunc enim non eſt amplius circumſtantia generalis, ſed ſpecialis; ita quamvis in omni actione mala reperiatur alicujus legis tranſgreſſio, nihilominus hæc tranſgreſſio, ſeu injuſtitia legalis non ſit ſpeciale peccatum, niſi violetur animo contemnendi bonum commune, vel ex contemptu Legis, vel ex affectu contra bonum commune machinandi.

R. II. Vitium oppoſitum Juſtitiæ diſtributivæ eſt acceptio Perſonarum. Hoc vitium non datur, niſi quando quod diſtribuendum eſt, debetur etiam ex Juſtitia Commutativa. Cum igitur tunc, poſtquam Juſtitia diſtributiva conſideravit proportionem meritorum, unuſquiſque habeat jus ut ſibi tradatur quantum ex tali proportione ſibi debetur, merito conquereretur ſi non ſervaretur tale jus, dando e.g. ſex habenti meritum ut decem, & octo habenti meritum ut ſex; & in hoc conſiſtit vitium Acceptionis Perſonarum.

R. III. Vitium oppoſitum Juſtitiæ Commutativæ di-

citur

citur injuſtitia, quatenus ſub hoc generali nomine comprehenduntur omnia vitia, quæ inferunt Proximo nocumentum ſive in vitia, ſive in honore, ſive in bonis externis. Superſedeo autem ſingulis enumerandis, cum de iis ex profeſſo agendum ſit infra examinando omnia ea, ex quibus conſurgit obligatio reſtitutionis; ſicut etiam dum agemus de fraudibus & injuſtitiis, quæ interveniunt in contractibus.

Injuſtitia hoc modo ſumpta poteſt ita definiri: *Habitus quo voluntarie infertur inæquale contra jus alterius etiam volentis, ſi ejus voluntas non ſit juſta, & pura.* Dicitur, *habitus quo voluntarie &c.* etenim nemo dicetur injuſte operari, niſi voluntarie lædat jus alterius: Advertere tamen eſt quod licet aliquis operans inculpabili inadvertentia contra alias virtutes, nullatenus dicatur facere contra illas, nihilominus poteſt aliquid fieri contra juſtitiam etiam a nolente. Ratio diſcriminis eſt, quia cum aliæ virtutes reſpiciant ſolum medium rationis, & nullatenus dicatur facere contra rationem, qui ex inculpabili inadvertentia operatur, ideo non dicitur ponere actum contra talem virtutem; Ita non dicitur contra temperantiam peccare, quia inadvertenter inebriaretur, quia ignoranter biberet vinum, cui aliquid admixtum eſſet ad inebriandum. Juſtitia vero quia reſpicit medium rei, ideo poteſt poni injuſtum etiam inadvertenter, cum etiam inadvertenter poſſit lædi jus alterius, & poni inæquale. Ex hoc conſurgit obligatio reſtitutionis in Poſſeſſore bonæ fidei, ut ſuo loco videbimus Additur in allata definitone. *etiam volentis, ſi ejus voluntas non ſit juſta, & pura.* Quamvis igitur ut plurimum volens non patiatur injuſtitiam, unde in regula 27. juris in 6. dicitur: *Scienti, & conſentienti non ſit injuria*, nihilominus id non habet locum, primo ſi voluntas non ſit juſta. Tunc autem talis non eſſet, quando eſſet de re, quæ cederet in alterius præjudicium, vel prohibita eſſet a Lege. Ita ſi Pater conſentiret ut alter ipſi auferret, quæ ſunt neceſſaria pro alendis Filiis, non proinde ipſe excuſaretur a peccato. Si pupillus conſentiret ut damnificaretur, adhuc committeretur injuſtitia, quia hoc eſt prohibitum a lege. Idem dicas de Marito conſentiente in adulterium Uxoris, quia per legem matrimonii talis ceſſio eſt omnino injuſta &c. Verum tamen eſt in omnibus his caſibus non fieri contra juſtitiam cedentis juri ſuo, ſed contra illam virtutem, cui conſentiens propriæ injuriæ non poteſt cedere: ita peccans cum uxorata conſentiente marito, non facit injuriam Marito, ut perſonæ particulari, ſed prout non poteſt dare conſenſum contra leges matrimonii. Qui volentem interfecit non injuriam facit occiſio, ſed Deo, qui eſt Dominus vitæ, & Reipublicæ, cujus eſt pars, & ita tenetur ad reſtitutionem. Si accipiat bona a Pupillo, invito Tutora, non peccat contra pupillum, ſed contra jus Tutoris & legem, adeoque ſuppoſitu talem acceptionem ex lege eſſe irritam, conſurgit obligatio reſtituendi. Secundo, voluntas conſentientis debet eſſe *pura*, nam ſi aliquis vellet injuſtitiam vel ex metu, vel ex ignorantia, vel etiam ex neceſſitate, ut quando quis ex neceſſitate recipit mutuum cum uſura, non proinde ex conſenſu Mutuatarii, Mutuans excuſaretur a peccato, & reſtitutione, quia non haberet titulum uſuras retinendi.

Regulæ in praxi obſervandæ.

Neceſſe eſt Confeſſarium animadvertere faciſlime graviter peccare contra juſtitiam diſtributivam illos, quibus incumbit diſtribuere Officia & Dignitates. In iis diſtribuendis plurimam partem ſolent habere amicitia, & vinculum ſanguinis, quando ſolummodo attendendum eſt meritum Perſonarum. Quod ſi juxta veriorem ſententiam graviter peccari poteſt in ipſa electione Digni, ſi Dignior prætermittatur, quid dicendum, ſi ut mos geratur Amico, vel Conſanguineo, indignus eligatur? Animadvertat ulterius Confeſſarius hujuſmodi Electores teneri poſſe ad reſtitutionem, ut ſuo loco dicetur, loquendo de omiſſione Dignioris in electionibus. Cæterum jam dixi in Tractatu de Beneficiis, quæ ſint conſideranda ad dignoſcendum qui ſint Digniores. Inter cætera autem moneat Confeſſarius maximam rationem habendam eſſe probitatis; nam Viri etiam excellentes, & docti, ſi ſint mali, utuntur non raro acumine ingenii ad nocendum. Verum tamen eſt ſolam probitatem non eſſe attendendam; nam vir probus, ſed incapax, & indoctus, orabit quidem, at non bene diriget negotia, nec recte juſtitiam adminiſtrabit.

C A P U T II.

De Dominio, & Poſſeſſione.

Q. I. UNde dimanaverit rerum dominium.

R. Rerum dominium introductum eſt jure Gentium. Id autem probatur, quia nullibi reperitur rerum dominium fuiſſe jure divino introductum, ſed potius Deus conſtituit hominem dominum omnium rerum, & ſolum ex S. Scriptura habemus aſſignaſſe ex ſpeciali indulgentia Iſraelitis terram Chananæorum. Neque etiam habetur diviſionem, & rerum dominium introductum fuiſſe jure naturæ; nam ipſa potius inclinaſſet, ut omnia eſſent communia, & ſolum propendit in talem diviſionem, ſuppoſitis inconvenientibus, quæ orta fuiſſent ex hominum malitia, ſi omnia fuiſſent communia. Non per hoc tamen nego, facta rerum diviſione, rem non pertinere jure naturæ ad illum, qui eam occupavit, ſed dico talem diviſionem non fuiſſe ex primæ naturæ inclinatione.

Remanet ergo rerum diviſionem, & ſubinde dominium introductum eſſe jure gentium. Cum igitur ſi omnia fuiſſent communia, fere nullus voluiſſet applicare ad id, quod commune eſſet, & e converſo; & propter noſtras cupiditates voluiſſet unuſquiſque ſibi omnia uſurpare, ex quo ortæ fuiſſent continuæ rixæ, inimicitiæ, ſterilitas agrorum, quos fere nemo etiam pro aliis voluiſſet colere &c. communiter conſenſerunt homines in rerum diviſionem; & ſubinde ut unuſquiſque haberet dominium partis ſibi aſſignatæ & in hoc communi conſenſu conſiſtit Jus Gentium.

Dices, talem diviſionem factam jure Gentium fuiſſe illicitam, utpote factam contra jus naturæ inclinantis ad hoc ut omnia ſint communia. Verum advertendum aliud eſſe jus naturæ præceptivum, aliud jus naturæ permiſſivum. Contra primum non licet operari, bene autem contra ſecundum; & ita quamvis Matrimonium ſit jure naturæ permiſſum, bene ſtat poſſe multos ab eo abſtinere, immo, quampluribus eſſe prohibitum. Diviſio ergo rerum fuit ſolum contra jus naturæ permiſſivum, immo ſuppoſita hominum malitia, & effræni noſtra cupiditate, talis diviſio fuit juri naturæ conformis, cum velit jus naturale removendas eſſe occaſiones litium &c. Cum hoc tamen bene ſtat aliqua adhuc eſſe communia, ut civitates, ut plateas, itinera, mare, flumina &c. Item quamvis prima rerum diviſio facta fuerit jure Gentium, modo tamen ſtat ex juribus particularibus Principium factas fuiſſe diverſas diviſiones, vel proxime ex pacto, conventione, donatione, emptione, hæreditate &c.

Q. II. Quid ſit Dominium, & quotuplex.

R. I. Dominium generaliter ſumptum definitur: *Facultas utendi re in omnes uſus a lege permiſſos.* Sub hac ampla ſignificatione continetur quæcumque facultas, quam habeat homo circa aliquam rem.

R. II. Dominium generaliter ſumptum dividitur in Dominium juriſdictionis, & Proprietatis. Dominium juriſdictionis importat facultatem, quam habent Superiores ad gubernandum, judicandum, puniendum ſubditos ſuos, & ad exigendum ab eis emolumenta &c Quia tamen non præſtat jus ſtrictum ad diſponendum deſpotice de rebus Subditorum, ideo aliquatenus deficit a perfectione dominii, & illud habentes non minus dicuntur Domini quam Parentes.

Dominium proprietatis definitione communiter accepta dicitur. *Facultas utendi re, ut propria, quoad omnes uſus a Lege permiſſos in ſuum commodum.* Dicitur, *facultas utendi re ut propria*, ad ſignificandum habentem dominium proprietatis, habere jus utendi re non nomine alterius, ſed propria facultate. Subditur. *quoad omnes uſus*, nam habens plenum dominium, de quo loquimur in præſenti, poteſt etiam ſubſtantiam rei diſtrahere, non ita vero habens uſumfructum, vel uſum nudum de quibus infra. Dicitur *in ſuum commodum*, nam dominium proprietatis reſpicit Domini commodum, e contra vero dominium juriſdictionis commodum Subditorum. Dum vero dicitur, *quoad omnes uſus a lege permiſſos*, non ideo diminuitur perfectio dominii proprietatis; nam ſolum dicimus poſſe id, quod licite poſſumus, & uſus contra legem debet potius dici abuſus. Hinc inferunt DD. habentem Majoratum, quem non

non poteſt diſtrahere, non proinde non habere ipſius proprietatem; etenim prohibitio illum diſtrahendi provenit a lege, alias ſupponente in Domino Majoratus dominium proprietatis. Quæ dicta ſunt verificantur tantum de dominio perfecto, & pleno, non vero de dominio imperfecto, & ſemipleno, ut quando aliquis habet dominium proprietatis, non vero uſum fructum, & e contra; vel quando aliquid eſt inter plures dividendum.

Q. III. Quomodo transferatur rerum dominium.

R. Translatio Dominii poteſt a triplici voluntate derivare, dummodo tamen ille, qui vult transferre in alterum dominium alicuju rei, ſit illius Dominus, nam alias non poteſt alteri dare, quod ipſe non haberet. Prima eſt voluntas Dei, qui eſt Dominus omnium, ut quando voluit transferre Regnum Chananæorum in Iſraelitas, & Regnum Saul in David. Oportet tamen ejus voluntatem apparere per conſtantem, & expreſſam revelationem, alias non eſt præſumenda. Apparet etiam quæ ſit voluntas Dei per jua naturę: ita Filiatio, cui ex jure naturæ debetur ſucceſſioni bonis paternis, demonſtrat talem etiam eſſe Dei voluntatem. Secunda eſt voluntas hominis, qui ſit Dominus rei, neque illi prohibitum ſit aliqua lege quin in alium transferat ejus Dominium. Quia tamen unus homo ad alterum hominem non ordinatur per ſolum internum conſenſum, oportet voluntatem hominis eſſe aliquo pacto ſignis externis expreſſam, & ordinarie id fit per aliquem contractum, Tertia eſt voluntas Principis per leges transferentis in alterum aliorum bona, ut evenit in lege Præſcriptionis.

Q. IV. Quotuplex ſit dominium imperfectum.

R. Dominium imperfectum habetur per uſumfructum, uſum nudum, emphytheuſim, & Feudum. Uſusfructus dicitur, jus *utendi, & fruendi aliena re, ſalva rei ſubſtantia*. Habens igitur uſumfructum alicujus rei poteſt ea uti in ſuum commodum, quod non poteſt Creditor reſpectu pignoris, & rei hypotecatæ. Dicitur etiam habere jus fruendi, quia poteſt in alterum transferre tale jus, ſicut etiam alteri locare, quod non poteſt facere habens uſum nudum. Tenetur tamen curare, ut ſalva ſit ſubſtantia rei, cujus habet uſumfructum, nec poteſt eam diſtrahere, & alienare, uti poteſt facere, qui habet dominium proprietatis, & ſolum poteſt fructibus talis rei ad ſuum libitum perfrui.

Quia Uſufructuari tenetur curare, ut ſemper ſit ſalva res, cujus habet uſumfructum, ideo ſi ſua negligentia totum, vel in partem pereat, tenetur ad compenſandum damnum Domino directo. Ex obligatione etiam faciendi, ut ſalva remaneat rei ſubſtantia, tenetur uſufructuarius gregis alia ſubſtituere loco capitum demortuorum; uſufructuarius vineæ novas vites plantare loco earum, quæ pereunt &c. Item uſufructuarius domus eam mediocribus ſumptibus reſarcire; quod ſi pereat, & diſtrahatur ſine culpa Uſufructuarii, Domino directo periret: *Leſſ. l. 2. c. 3. dub. 4. n. 18. Lug. diſp. 2. ſect. 3. n. 39.* Verum tamen eſt, in his omnibus ſtandum eſſe legibus municipalibus locorum, ſi aliter diſponant.

Uſus nudus dicitur *Jus utendi re aliena ad proprium tantum commodum, non ad alienum, ſalva rei ſubſtantia.* Differt ab uſufructu, quia Uſufructuarius uti poteſt fructu, & commoditate rei, cujus habet uſumfructum, etiam ad commodum alterius, ita Uſufructuarius domus poteſt etiam aliis locare. Habens verum uſum nudum ſolum poteſt uti rei in ſuum commodum, & ita ſolum ipſe poteſt uti domo ad habitandum; vel ſi habeat uſum nudum equi, ſolum ipſe poteſt eo uti, non vero alteri concedere.

Cum certum ſit uſum eſſe diverſum, & ſeparabilem a dominio in rebus, quæ uſu non conſumuntur, & ita non eſt Dominus domus, vel equi habens uſum iſtarum rerum, eſt nihilominus magna controverſia, an uſus diſtinguatur a dominio in rebus, quæ eodem uſu conſumuntur: ita ſunt cibus, potus, pecunia &c. Videtur Joannes XXII. definiviſſe non diſtingui in ſua Extravaganti, quæ incipit: *Ad Conditorem*, & duabus aliis ſequentibus. At contrarium pronuntiavit Nicolaus III. *cap. exiit qui ſeminat de verbor. ſignific.* & Clemens V. *Clement. exivit de Paradiſ. eod. tit.* Unde voluerunt Fratres Minores habentes uſum talium rerum non poſſe earum dici dominos; & in aliis Religioſis poſſidentibus talia bona dominium eſſe apud Communitatem. Hanc ſententiam tenent Theologi, & probant diſtinguendo jus irrevocabile, & independens, a jure revocabili, & dependente ab alterius voluntate. Dicunt ſubinde habentes tale jus revocabile, & dependens non eſſe Dominos etiam rerum, quæ uſu conſumuntur; nam ſi pendeat ab alterius nutu, ut pendere debet in Religioſis, excludit veram rationem dominii. *Lug. diſp. 2. ſect. 3. Palaus de Juſt. in gener. diſp. unic. p. 5. n. 6. Leſſ. l. 2. c. 3. d. 8.* Admittunt vero dominium non diſtingui ab uſu in rebus uſu conſumptibilibus, quando jus ad uſum eſt irrevocabile, & independens. De hoc jure dicunt loquutum fuiſſe Joan. XXII. vel loquutum fuiſſe, non quia vellet definire, ſed ut Doctorem particularem. At cum nihil conferat ad praxim, in hac materia non amplius immorabor.

Emphytheuſis eſt contractus quo res *immobilis alicui traditur fruenda, ſub obligatione penſionis ſolvendæ Domino proprietatis.*

Feudum dumtaxat differt ab Emphytheuſis, quia in Emphyteuſi ſolvitur Domino directo penſio realis, in Feudo vero penſio perſonalis, ſcilicet ſpecialis fidelitas, & obſequium. Sed de his ſuo loco agendum eſt.

Q. V. Quid ſit Poſſeſſio.

R. I. Relicta nominis ethymologia, dico quod poſſeſſio facti, ſive actus poſſidendi, bene ita definitur: *Rei detentio, corporis, & animi, jurisque adminiculo.* Ut igitur aliquis dicatur rem aliquam poſſidere, primo non ſufficit, ut eam actione corporis detineat; ita Depoſitarius detinet corpore rem apud ſe depoſitam & nihilominus non eſt dominus illius. Item non ſufficit animus aliquam rem poſſidendi, & ita non dicor e. g. poſſidere piſces, quos habeo animum capiendi. Ad poſſeſſionem igitur facti requiritur ut res de facto detineatur animo eam poſſidendi. Additur, *juris adminiculo*, hoc eſt, neceſſe eſt jus non reſiſtere faciendo aliquos incapaces dominii, & poſſeſſionis; non eſt vero neceſſe poſitive favere, & ita licet Jus non faveat furi, adhuc tamen dicitur poſſidere rem, quam furatus eſt.

R. II. Poſſeſſio Juris, ſive facultas ad poſſeſſionem actualem definitur. *Jus inſiſtendi alicui rei tamquam ſuæ non prohibitæ poſſideri.* Dicitur, *jus inſiſtendi rei tamquam ſuæ*, hoc eſt, utendi omnibus remediis ad removendum quod impedit pacificam poſſeſſionem. Non tamen debet talis poſſeſſio eſſe prohibita aliqua lege; quamvis etenim Poſſeſſione facti poſſimus poſſidere ea etiam, quæ nobis non competunt, attamen non dicimur habere jus, & facultatem ad poſſidenda ea, quæ nobis lex prohibet poſſidere. Ita quamvis poſſeſſione facti fur poſſideat, quæ furatus eſt, non tamen dicitur habere jus & facultatem ad ea poſſidenda, cum ſit ei omni jure prohibitum.

Q. VI. Quotuplex ſit Poſſeſſio.

R. Poſſeſſio eſt duplex, Civilis nempe, & Naturalis. Prima eſt ea, qua ſolo animo res poſſidetur, ut quando quis eſt abſens a re ſua; & dicitur civilis, quia potius derivat a jure quam a natura, hæc enim exigit ad poſſeſſionem præſentiam rei. Naturalis poſſeſſio contingit ex hoc, quod Dominus ſit præſens rei ſuæ, ut ſi habitet in ſua domo, exiſtat in ſuo fundo &c. Hinc hæ duæ poſſeſſiones poſſunt ſeparari: ut ſi quis me violenter ejiciat e domo mea, ille poteſt habere poſſeſſionem naturalem, ego vero civilem:

Q. VII. Quot modis acquiratur poſſeſſio; & quæ ſint ejus privilegia.

R. I. Poſſeſſio acquiritur poſſeſſione vera, ficta, & civiliſſima. Quando quis vult poſſidere rem quæ nullius erat domini, ut piſcem maris, gemmam in littore maris &c. requiritur apprehenſio vera, ſeu ut vere apprehendatur; *l. 1. §. 1. de acquir. poſſeſſ.* Ita etiam dicitur poſſidere poſſeſſione vera fundum, qui ipſum careat, & domum, qui ipſam inhabitat. Quando vero res eſt alicujus Domini, qui vult alteri tradere ejus poſſeſſionem, ſufficit apprenſio ficta, ut ſi tradantur claves domus, Inſtrumentum, in quo continetur jus ac illam rem &c. *l. Clavibus 74. ff. de contrah. emption.* Sicut etiam dicitur apprehendi oculis, & aſpectu; ut ſi Dominus oſtendendo rem, quam mihi vult dare, intendat dare illius poſſeſſionem: *l. 1. §. Si juſſerim ff. de acquir. poſſeſſ. leg. quod meo §. 4 venditorem ibid.* Civiliſſima eſt ea, quæ habetur ſola juris diſpoſitione abſque corporis & animi adminiculo. Hinc apud aliquos hæres etiam neſciens dicitur poſſidere poſſeſſionem defuncti, cujus hæreditas illi debebat obvenire.

R. II. Quatuor ſunt privilegia poſſeſſionis. Primum, quod Poſſeſſor bonæ fidei poteſt facere rem ſuam beneficio præſcriptioni, de qua infra. Secundum, ſi poteſt poſſeſſio-

ſeſſionem oriatur dubium, an res ſit poſſidentis, nec ne, & dubium non poſſit ſuperari, ſavendum eſt poſſeſſori, juxta illam regulam: *Melior eſt conditio poſſidentis*. Tertium, quod nunquam incumbit dominium rei probare poſſeſſori, ſed illi, qui vult rem repetere. Quartum, quod poſſeſſor poteſt cum moderamine inculpatæ tutelæ etiam vi tueri, quæ poſſidet. Sic poteſt armis ſe tueri adverſus eum, qui vellet ipſum e ſua domo expellere; & etiam poteſt armis ejicere domo illum, qui in ſua abſentia domum occupaſſet.

Q. VIII, Quot modis depredatur poſſeſſio.

R. Primo, rerum mobilium poſſeſſio deperditur voluntate poſſeſſoris, quando manifeſtat ſe non amplius velle illarum poſſeſſionem retinere. Hoc tamen non habet locum reſpectu pupilli, & furioſi, niſi intercedat voluntas Tutoris, & Curatoris: *leg. poſſeſſione, leg. ſi is ff de acquir. poſſeſſ.* Secundo, deperditur per furtum alterius. Tertio, per amiſſionem, ut ſi quis amittat burſam &c. Reſpectu vero animalium deperditur poſſeſſio per ipſorum fugam, niſi ſoleant redire. Ob fugam autem non amittitur poſſeſſio Servi: *leg. Pomponius de acquir. & amitt. poſſeſſ.*

Reſpectu rerum immobilium quatuor modis deperditur ipſarum poſſeſſio. Primo, ſi res ſit ab alio occupata, & non ſit probabilis ipſius recuperatio. Secundo, ſi aliquis videns rem ſuam ab alio occupari, id negligat; vel ſi poſtquam invenit occupatam, non inſiſtat pro ipſius recuperatione, nec audeat reſiſtere, ſi repellatur. Tertio, ſi poſſeſſor per longum tempus ſit abſens, nec per alium inſiſtat in rei poſſeſſione; quale autem hic intelligatur longum tempus, relinquendum eſt arbitrio prudentis. Quarto, per longam oblivionem: *leg. furtum ff. de uſu cap,* Idem dicatur, ſi quis neſciat rem eſſe ſuam, vel non computet inter bona ſua; nam tunc neque animi adminiculo eam poſſidet.

Q. IX. An abſque aliquo genere apprehenſionis poſſit acquiri dominium rei?

R. Sermo eſt modo de acquiſitione dominii alicujus rei, cujus aliquis non erat dominus; nam etiam deperdita poſſeſſione poſſe perſeverare dominum diximus ſopra. Loquendo ergo de prima acquiſitione dominii dico regulariter non acquiri niſi per apprehenſionem veram vel fictam; unde communiter dicitur: *Traditionibus rerum dominia, non nudis pactis trasferuntur: leg. Tradition. c. de pactis.* Hinc ſi poſt emptionem alicujus rei, antequam tradatur emptori, alteri vendatur, & tradatur, iſte illius acquirit dominum. Excipe ſi gratioſe tradatur alteri, vel ſi ſecundus emerit mala fide; nam tunc primus emptor poſſe illam ſibi vendicare.

Quamvis autem regulariter verum ſit rerum dominia non acquiri niſi per aliquam traditionem, nihilominus ſunt aliqui caſus, qui patiuntur exceptionem. Primus, ſi res vendatur, vel donetur Locis piis, vel ad opera pia: *leg. ult. C. de. Sacroſ. Eccleſiis.* Item in Beneficiis acquiritur jus in re per ſolam collationem, & acceptationem; *cap. ſi ibi abſens, de Præbend. in 6.* Item ad acquirendam poſſeſſionem hæreditatis ſufficit ſi hæreditas adeatur: *leg. cum heres 27. ff. de. acquir. vel amittenda poſſeſ.* Sicut etiam Legatarius acquirit poſſeſſionem legati, eo ipſo quod hæres acceptet hæreditatem. Alii caſus minus frequentes videri poſſunt apud Authores.

CAPUT III.

De iis, qui ſunt capaces Dominii; & de modo acquirendi dominium, Animalium, Sylvarum, Rerum inventarum, & deperditarum.

Q. I. AN omnes homines ſint capaces dominii; & quorum rerum poſſint eſſe Domini?

R. I. Omnes homines etiam ante uſum rationis, vel ſi ſint Amentes, ſunt capaces Dominii. Quod omnes homines ſint capaces dominii probatur, quia Deus ita conſtituit hominem, ut dominari poſſet omnibus rebus ſublunaribus, ut conſtat *Geneſ.* 1. Etiam Amentes, & nondum habentes uſum rationis dicuntur Domini rerum, quæ ad ipſos pertinent, nam habent voluntatem capacem utendi talibus rebus, ut ſuis, licet per accidens impeditam. Præterea poſſumus in eis conſiderare etiam aliquod genus acceptationis, quatenus ſcilicet Reſpublica, vel Curatores, ſeu Tutores tales res acceptant nomine ipſorum. Et de facto hæres parvulus dicitur ad *Galat.* 4. Dominus omnium, quamvis, dum eſt ſub Tutore, non differat a Servo.

R. II. Homo poteſt eſſe Dominus omnium rerum ſublunarium, ut patet ex jam dictis, niſi ab aliis fuerint præoccupatæ. Quamvis autem Homo a natura non habeat, ut poſſit eſſe Dominus alterius hominis, quia omnes a natura ſunt ſui juri, & ſervitutis introducta eſt per peccatum, ut ipſius pœna, nihilominus aliter introductum eſt jure Gentium. Sicut igitur hi, qui capiuntur in bello juſto, poſſent ſtatim occidi in pœnam delicti, potuit Reſpublica talem pœnam commutare, in hoc, quod manciparentur obſequio Dominorum. *§. Servi Inſtit. de jur. perſonar.* At non ſolum titulo juſti belli poteſt unus homo acquirere dominium in alterum hominem, ſed etiam titulo nativitatis, & ita eſt ſervus, qui naſcitur de muliere ancilla, quia partus ſequitur ventrem: *Lug. diſp. 6. nu. 15. Leſſ. l. 2. cap. 5. dub. 4. n. 12. Trull. l. 7 c. 8. d. 8. q. n. 4.* Servus pariter eſt, & ſub alterius dominio, qui ex juſta condemnatione ad ſervitutem condemnatur: *Laym. l. 3. tr. . cap. 5. num. 9. Lug. cit. num. 13. Anton. a Spir. S. diſp. 4. num. 75.* Denique homo poteſt acquirere dominium in alium hominem titulo emptionis. Oportet tamen ementem aliquem in ſervum certitudinem habere venditorem habere juſtum titulum illum vendendi, quia e. g. ſit ipſius ſervus. Eodem titulo emptor acquirit dominium in illum, qui libere ſe vendit in ſervum, nam volenti, & conſentienti non fit injuria: *Lug. diſp. 6. num. 14. Anton. a Spir. S. tr. 10. d. 4. num. 77.* Verum tamen eſt, vendentem ſeipſum ſine cauſa in triremibus, vel alio modo, peccare contra Charitatem ſui ipſius, imponendo ſibimet tam grave jugum: *Leſſ. l. 2. c. 5. d. 4. num. 15. Trull. l. 7. d. 8. n. 8.*

Obſervare hic tamen eſt jus Dominorum in Servos tale non eſſe, ut tribuat Dominis facultatem obligandi ſervos ad onera, vel excedentia vires, vel conditionem ſervi; *Palaus tr. 31. diſp. unic. p. 1. num. 13. Anton. num. 44.* Item nec poſſunt eos cum gravi detrimento punire, immo in tali caſu ſervus poteſt compenſationem injuriæ petere uſque ad obtinendam libertatem: *l. 1. §. Servos & §. Quoad autem ff. de offic. urb. Palaus cit. Anton. a Spir. S. d. 4. n. 83.*

R. III. Homo non eſt Dominus ſuæ vitæ, ſed ſolum Cuſtos, ut vidimus explicando quintum Decalogi præceptum.

R. IV. Homo eſt Dominus ſuæ famæ, & honoris, Ratio eſt, quia, ut docet S. Th. 2. 2. *qu.* 64. *art.* 5. homo eſt dominus eorum, quæ poteſt comparare ſuo arbitrio; ac proinde cum per ſua opera, & induſtriam aquirat honorem, & famam, quemadmodum acquirit divitias, ſequitur eſſe dominum illarum rerum: S. Th. 2. 2. *qu.* 73. *art.* 4. *ad* 1. Id tamen verum non eſt, quando honor, & fama unius eſt alteri alligata, adeo ut unius infamia in alterum redundet, nam tunc agitur non de ſola fama propria, ſed etiam aliorum: unde tunc non eſt ſub poteſtate unius ſe infamare, quia auferret etiam alteri famam, cujus non habet dominium. Ita Religioſus non poteſt ſe infamare, quia ipſius infamia vergit in damnum Religionis. Nec poteſt ſe infamare, qui tenetur ſaluti proximorum invigilare, quia ejus infamia redderet illum ineptum ad ſuum munus obeundum; ac proinde ſi ex Juſtitia teneretur ſaluti proximorum invigilare, peccaret contra Juſtitiam, ſi ex Charitate, contra Charitatem.

Si vero fama non ſit alteri alligata, poterit unuſquiſque vel ad evitandum grave damnum, vel ad publicandum ex humilitate proprios defectus, ſe, veritatem tamen dicendo, infamare; immo quia habet dominium ſuæ famæ, poterit impoſturam patienter ſuſtinere, ſe non excuſando. Advertendum tamen, quod ſicut nemo poteſt & ipſas divitias ſine cauſa diſſipare, alias peccaret vitio prodigalitatis, ita neque debet ſine juſta cauſa ſuam famam, & honorem prodigere: & in hoc ſenſu dicitur Eccleſiaſt. 41. *Curam habe de bono nomine.* Qui vero ſine juſta cauſa ſe infamat, peccat contra charitatem erga ſeipſum, non vero contra Juſtitiam.

R. V. Homo habet dominium bonorum ſpiritualium tum interiorum, tum exteriorum. Nomine bonorum ſpiritualium interiorum veniunt dona gratiæ, & virtutes infuſæ. Horum autem bonorum probatur hominem habere dominium, quia ex doctrina S. Thomæ homo eſt dominus eorum, quæ comparat operibus liberi arbitrii; taliter autem ſe habent hujuſmodi bona, cum ea comparet homo a Deo cooperando gratiæ & auxiliis ipſius

Dei.

Dei. Pro bonis ſpiritualibus exterioribus veniunt Dignitates Eccleſiaſticæ, ut Pontificatus, Epiſcopatus, & cætera Beneficia. Iſtorum bonorum eſt Dominus, qui ea poſſidet, cum habeat facultatem eis utendi in communes uſus a lege permiſſos; ſicut etiam ſignum dominii, eſt quod ea poſſidens poſſit iis renuntiare, reſignare &c. Neque Pontifex vero, neque Epiſcopus ſunt Domini beneficiorum, quæ non poſſident, ſed tantum Diſtributores ſecundum ordines juris.

Q. II. Quomodo acquiratur dominium Animalium?

R. I. Animalia, quæ ſunt ex natura ſua domeſtica, ut ſunt equi, gallinæ, boves &c. ſemper ſunt illius, qui ea poſſidet, quamvis alio aberrent; nam cum ſint domeſtica, non intelliguntur nativam acquirere libertatem: & de facto poſſunt de facili ad dominium reduci, quamvis per accidens viæ non recordentur, vel ex malitia, ſeu ex timore ipſis incuſſo longe ſint a ſuis Dominis. Hinc hujuſmodi animalia ſive viva, ſive mortua ad Dominium pertinent. *leg. Pomyon. ff. de acquir. rer. domin. §. Gallinarum.*

R. II. Animalia ex ſui natura ſilveſtria, & ferina, ſed hominum induſtria facta domeſtica, & manſueta, eatenus cenſentur ſub dominio alicujus particularis, quatenus ea ita retineat incluſa, ut illis uti poſſit ad ſui libitum; nam in tali ſtatu cenſentur amiſiſſe propriam libertatem, adeoque eſſe ſub dominio illius, qui ea retineat incluſa. Quod ſi aufugerint, ita ut prudentis arbitrio reputentur non poſſe de facili comprehendi, & non ſit ſpes, ut iterum revertantur, cenſentur nativam acquiſiſſe libertatem, adeoque eſſe communia: *Leſſ. de juſtit. l. 2. c. 5. d. 4. a n. 31. Palaus tr. 31. diſp. unic. p. 15. n. 3. Tambur. in Decal. l. 8. tr. 1. c. 9. §. 2. n.* 10. Hinc qui occideret feras intra nemora circumſepta, ſed non ſatis ampla, perſonæ particularis, ut cervos, lepores &c. & qui in parvis vivariis, & ſtagnis perſonæ particularis caperet piſces, peccaret contra juſtitiam, quia hujuſmodi animalia ita cenſentur incluſa, ut dominus illis uti poſſit ad ſui arbitrium, adeoque propriam amiſiſſe libertatem. Idem dicas, ſi aliquis occideret aliquod animal etiam extra ſepta, ſi ſoleat ad illa redire; nam tunc nondum cenſentur nativam libertatem acquiſiviſſe, ſed perſeverare ſub dominio prioris Domini: *§. Is igitur animalibus Inſtit. de rer. diviſ.*

Dixi ſupra, intra nemora circumſepta, ſed non ſatis ampla &c.; nam ſi quis ponat animalia a ſe capta intra nemus ita vaſtum, ut non poſſint de facili capi, ſed bene valeant ſe occultare, defendere &c. tunc cenſetur recuperaſſe propriam libertatem, adeoque fiunt primo occupantis: *leg. 13. §. Item ff. de acquir. poſſeſſ.* Idem dicas, ſi quis ponat piſces a ſe captos in amplis lacunis, rivis &c. ut non ſit facilis eorum captura: *Leſſ. l. 2. c. 5. dub. 7. n. 43. Azor. 3. p. l. 4. cap. 16. q. 6. Trull. in Decal. l. 7. c. 2. dub. 5. n. 6.*

R. III. Animalia ex ſui natura ferina, cum ſub nullius ſint dominio, fiunt primo occupantis: *§. Feræ Inſtit. de rer. diviſ. l. 3. ff. de acquir. rer. domin.*

Petes cujus ſit Fera ab uno vulnerata, & ab alio capta. Et reſpondendum, quod ſi ille, qui vulneravit feram habebat moralem certitudinem ſe illam capturum, (idem dicas ſi aliquis laqueo feram comprehendiſſet) debet ipſi adjudicari; nam quamvis non habeat ipſius dominium, habet nihilominus jus, ne impediatur eam capere: *leg. naturalem ff. de acquir. rer. domin. Trull. l. 7. cap. 43. dub. 3. nu. 8. Tambur. in Decal. l. 8. tr. 2. c. 9. §. 2. n. 7.* Quod tamen intelligendum eſt, ſi percuſſor perſequatur feram lethaliter vulneratam, alias etiam primo illam capientis: *leg. naturalem ff. de acquir. rer. domin.* Si vero non habeat prædictam moralem certitudinem, erit primo capientis; nam tunc qui eam vulneravit, vel laqueo comprehendit, non habet jus, ut ab altero non impediatur eam capere: *§. Item quæſitum Inſtit. de rer. poſſeſſ.* Verum tamen eſt, quod ſi vulnus, vel illaqueatio fuerunt cauſa, ut ab altero caperetur, alias non capturo, debet pars adjudicari ei, qui feram vulneravit, vel illaqueavit: *Antonin. a Spir. S. diſp. 4. n. 97.*

Idem dicas de examine Apum, quod aliquis inſequeretur; illius enim ſunt ſi poſſit de facili comprehendere, alias etiamſi egreſſæ fuiſſent ex ejus alveario, intelliguntur acquiſiſſe nativam libertatem, & ita fiunt primo occupantis: *leg. naturalem. cit. Anton. a Sp. S. n. 95.*

Q. III. An quod dictum eſt de animalibus, ſemper locum habeat in piſcatione, venatione, & aucupio?

R. I. Sermo hic eſt de piſcatione, & venatione in locis communibus; etenim jam conſtat ex dictis, quod qui capit feram in loco circumſepto alicujus Particularis tenetur ad reſtitutionem. Item obſervandum, quod quamvis dixerimus feras incluſas in vaſto prædio, & piſces in vaſto lacu nativam conſervare libertatem, nihilominus, ſi ex piſcatione, aut venatione alicujus grave damnum inferatur Domino, quis e. g. non poteſt amplius tanti vendere jus piſcandi in ſuo lacu, & jus venandi in ſuo prædio, iſte tenetur damnum reſarcire. Ratio eſt, quia quamvis illa animalia nativam conſervent libertatem, nihilominus Dominus lacus jus habet impediendi, ne aliquis intret in ſuum lacum, & in ſuum prædium, ac proinde ſi quis contra tale jus, quod ſuppono illi a Principe conceſſum, in illud intret, & ex hoc ipſi grave damnum inferatur, debet reſarciri, utpote ex injuſta actione proveniens. His poſitis.

R. II. Loquendo de piſcatione & venatione in locis communibus, dicendum eſt licite prohiberi venationem, quando feræ, & aves ſunt gravidæ, ne valde minuantur, ſicut etiam pluribus in locis temporis nivis propter eandem rationem. Eadem etiam ratione prohiberi poteſt piſcatio retibus valde ſpiſſis, itaut ex illis nec parvi piſciculi evadere poſſint; ſicut etiam, ne piſcatio fiat illis cibis, quibus piſces occiduntur. Item illicita eſt piſcatio, & venatio in locis, quæ ſibi Principes reſervarunt: *§ feræ Inſtit. de rer. diviſ. 1. leg. item ſi fundi §. Aucupiorum ff. de uſufructu.* Ratio eſt, quia decet Regum, & Principum ſtatum, ne loca ipſorum deſtinata recreationi ſint omnibus communia. Ultra quamquod convenit, quod qui habet omnium curam, & ſollicitudinem, gaudeat etiam particularibus privilegiis. Hoc ipſum poteſt concedere alicui privato in remunerationem meritorum &c.

Verum tamen eſt, quod ſi Princeps ſibi reſervet venationem, vel aucupium in loco alicujus Particularis, debet compenſare gravamen, quod iſte ex tali reſervatione haberet; nam licet Princeps habeat jus exigendi a Subditis, quæ conveniunt ipſius ſtatui; nihilominus non debet in hoc unum præ alio gravare. Item in locis ubi ſibi reſervat venationem, debet curare, ne ita feræ multiplicentur, ut afferant grave damnum vicinis prædiis. Denique cenſent Theologi venantes, aut piſcantes in locis ſibi a Principe reſervatis, non eſſe puniendos pœna corporali, ni forte tamen ſæpe id faciant, vel ita punitionem parvipendant, ut videantur ſpernere mandata Principis. Extra hoc caſus pœna corporalis videtur nimis gravis.

Expoſtulabis quale committant peccatum, qui piſcantur vel venationem exerceant contra edictum Principis, vel contra voluntatem Domini alicujus prædii particularis. Et reſpondendum eſt, quod ſi non ſequatur grave damnum vel Reipublicæ, vel Perſonæ particulari, id facientes raro, numquam graviter peccabunt, cum leges id prohibentes ut pure pœnales communiter judicentur: *Lugo de Juſt. diſp. 6. a 69. Anton. a Spir. S. diſp. 4. nu. 106.* Suppono tamen feras, ſeu piſces non eſſe ſub dominio alicujus perſonæ particularis. Poſſet etiam quis peccare mortaliter per accidens, ut ſi quis venando, ſeu piſcando contra Principis edictum; ſe exponeret periculo alicujus gravis damni cum gravi præjudicio ſuæ familiæ, tale enim præjudicium tenetur ſub gravi vitare. Cæterum puto non poſſe particulares Dominos ſine ſpeciali privilegio prohibere venationem in ſuis territoriis, nam hoc competit unicuique de jure communi? *Anton cit. n. 105. Dian. t. 6. tr. 2. reſol. 43.*

Q. IV. Quid dicendum ſit de eo, qui lignat & paſcit peccora in ſilvis Communis, maxime ſi adſit prohibitio?

R. I. Certum eſt poſſe unumquemque Civem lignare in ſilvis communibus, fructus etiam colligere, herbas ſecare, armenta paſcere &c. Ratio eſt, quia, eo ipſo quod iſta omnia ſint communia, omnes partes habent jus iis utendi tanquam re ſua ad ſuum commodum.

R. II. Si quis predicta faciat contram juſtam prohibitionem difficiliter graviter peccabit. Suppono igitur poſſe juſte prohiberi lignationem, vel paſtionem in locis Communibus, quando ſcilicet id neceſſarium eſſet bono communi; ne ſcilicet ſilvæ diſſipentur, paſcua deſtruantur, aut fiant nimia deteriora. Nihilominus etiam ſuppoſita juſta prohibitione, non de facili damnandus eſt peccati gravis, qui talem prohibitionem non ſervaret; nam tales leges prohibentes videntur latæ, vel

fal-

ſaltem acceptatæ ſolum hoc modo, ut ſcilicet Oppidani, qui capiuntur, vel convincuntur tranſgreſſores talis legis, pœnam luant: *Lugo de Juſt. diſp. 6. num. 91. Sanch. in Conſ. l. 7. cap. 5. d. 1. n. 20. Bonac. diſp. 2. quæſt. 3. p. 7. n. 27.* Maxime autem id haberet locum, ſi in totum, & quocumque tempore prohiberetur paſtio, aut lignatio, quia cum omnes habeant jus ſumendi neceſſaria ex locis communibus, non poſſunt omnino privari tali jure, ſi aliunde ſupplere non poſſint propriis neceſſitatibus quoad lignationem, & paſtionem.

Tunc autem in prædictis intervenire poſſet peccatum mortale, quando quis ita lignaret, & paſceret contra juſtam prohibitionem, ut ingens detrimentum Communitati inferretur, quod eveniret, quando notabiliter minueretur debita portio aliis Civibus; ſicut etiam ſi ſtirpes multum notabiles inciderentur; ſi ſternantur arbores prægrandes, aptæ ædificiis &c.

Q. V. Cujus ſint res, quæ inveniuntur.

R. I. Res quæ numquam fuerunt alicujus Domini, ſunt ſub dominio illius, qui eas primo occupavit. Ratio eſt, quia eo ipſo quod nemo eas occupaverit, ſunt in ſtatu communitatis, ut erant res antequam dividerentur, adeoque tranſeunt in dominium illius, qui eas primo apprehendit: *leg. item lapilli de rer. diviſ. §. Item lapilli Inſtit. eod. t., D. Th. 2.2. q. 66. art. 4. ad 2., Lugo de Juſt. diſp. 6. ſect. 19. n. 97.* Ita ſe habent lapilli, Margaritæ, quæ inveniuntur in littore maris &c. Notant etiam Theologi, quod ſi daretur aliqua lex id prohibens, judicanda eſſet pœnalis, adeoque non obligans ad reſtitutionem, niſi poſt ſententiam Judicis.

R. II. Res, quæ fuerunt alicujus Domini, ſed habentur pro derelictis, ſunt primo occupantis. *D. Th. cit.* Illas res habentur pro derelictis, quæ aliquis voluntatie projecit a ſe, vel non curat de iis recuperandis, cum poſſit. *Anton. a Sp. S. diſp. 4. num. 136.* vel propter longum tempus tranſactum & loci diſtantiam, ita ſe habent, ut Dominus non poſſit illas recuperare, nec ut ſuas agnoſcere. Hujuſmodi igitur res, cum ex derelictione Domini redeant ad ſtatum commnunem, fiunt primo occupantis: *§. ult. & penult. inſtit. de rer. diviſ. leg. 1. & ſeq. ff. pro derelicto.* Verum tamen eſt, quod ex ultimo capite, ſcilicet ob tempus tranſactum, & loci diſtantiam, difficile modo eſt judicare, res habendas eſſe pro derelictis, nam vendi poſſunt, & faciliſſime pretium ad Dominum tranſmitti.

Cavendum tamen eſt a judicando habenda eſſe pro derelictis bona naufragantium, vel quæ projiciuntur ratione incendii, vel alterius periculi. Ratio eſt quia ea ſolum habenda ſunt pro derelictis, quæ Dominus non ducit inter ſua bona eſſe computanda; ita autem non ſe habent quæ Dominus amittit, vel projicit ratione tempeſtatis, vel alterius periculi. Hinc in Bulla Cœnæ excommunicantur ſurripientes bona Chriſtianorum naufragantium; inventa in littore maris. Verum tamen eſt, quod ſi per multum temporis non compareat Dominus, qui vivus remanſerit, nec mittat qui nomine ſuo illa bona recuperet, tunc talia bona poterunt reputari ut derelicta. Sed in hoc ſtandum eſt arbitrio viri prudentis, & conſcientiæ non inclinatæ laxitatibus. Nec pariter judicanda ſunt bona derelicta, quæ vi fluminis, ſeu inundationis alio aſportantur: ſi enim prudentis arbitrio judicetur velle Dominum, ut ſibi reſtituatur, omnino ſunt illi reſtituenda, ſoluto pretio laboris, & periculi, cui aliquis ſe expoſuit ad illa recuperanda.

Q. VI. Cujus ſint res ab uno perditæ, & ab alio inventæ.

R. I. Qui invenit rem ab alio perditam, debet facere majorem, vel minorem diligentiam juxta qualitatem rei ad inveniendum Dominum, eoque invento, debet ſtatim illi reſtituere, cum non proinde amiſerit dominium, quia eam perdidit. Neque poteſt cogere Dominum ad aliquid ipſi tradendum, ut rem inventam reſtituat, cum non mereatur aliquod pretium ex hoc, quod rem ipſam invenerit. Hine condemnandi ſunt illi, qui non manifeſtant rem inventam, niſi poſtquam audiunt aliquam mercedem a Domino proponi; atenim hæc eſt veluti vi extorta, cum deberet ab inventore ſtatim manifeſtari.

R. II. Si poſt adhibitam diligentiam Dominus non compareat, res ab uno deperdita, & ab alio inventa eſt danda pauperibus, vel in aliquod opus pium eroganda. Ratio eſt, quia dum non amplius datur ſpes quod poſſit res, ſeu ejus pretium, quando res non poſſit conſervari, Domino reſtitui, diſtribuenda eſt juxta præſumptam voluntatem ipſius Domini, & hæc eſt, in opus pium applicetur; nam ita ſaltem redundat in bonum ſpirituale ipſius. Præterea quamvis multi Sacri Canones, ut videre eſt *cauſ. 4. qu. 15.* dum volunt res inventas applicandas eſſe uſibus piis, loquantur de rebus injuſte acceptis, quarum Dominus ignoratur, nihilominus conſuetudo, quæ eſt optima Legum interpres, extendit has leges ad omnes res ab uno deperditas, & ab alio inventas: *D. Antonin. p. 2. t. 1. c. 15. §. 2. Layman. l. 3. tr. 1. cap. 5. num. 24. Lugo de Juſt. diſp. 6. ſect. 12. n. 139.*

Hinc deducitur, quod ſi Inventor ſit pauper, poſſit rem inventam ſibi applicare, ſed ne a propria decipiatur paſſione, optimum erit ſi ſequatur in hoc conſilium proprii Confeſſarii, vel alterius Viri prudentis. Difficultas, autem eſſe poſſet, an ſi poſtquam res diſtributa eſt pauperibus, Dominus compareat, & adhuc res extet, ſit ipſi reſtituenda. Et quamvis non pauci affirment non teneri eam Domino reſtituere; quia non acceperunt ipſam mutuo, ſed in eleemoſynam, nihilominus ego crederem Domino eſſe reſtituendam, quia videtur ſolum dari ipſis in eleemoſynam ſub hac tacita conditione, ſi Dominus non compareat, dum adhuc res exiſtat: *Anton. a Sp. S. diſp. 4. numer. 144. Dian. t. 8. tr. 7. reſol. 25.* Cæterum ſi res non extaret apud pauperes, & diſtracta fuerit, non præmiſſa convenienti diligentia ad Dominum inveniendum, qui eam diſtraxit teneretur Domino comparenti pretium reſtituere, nam illum, omittendo debitam diligentiam, cum gravi culpa damnificaſſet. Ita communiter ſentiunt DD.

Q. VII. Cui competat Dominium Theſauri inventi.

R. I. Theſaurus improprius eſt Domino reſtituendus, Ratio eſt, quia ille dicitur theſaurus improprius, qui continet ſub terra, vel alio loco ſecreto pecuniam, vel alias res pretioſas ad majorem cuſtodiam &c. ſed adhuc extat memoria Domini, vel ejus hæredum. Hunc theſaurum eſſe Domino reſtituendum, vel hæredibus patet, nam cum ſciatur ad quem pertineat; qui illum invenit non poteſt ſibi appropriare. Hinc *leg. numquam §. Theſaurus, ff. de acquir. rer. domin.* dicitur committere furtum ille, qui hujuſmodi theſaurum ſurripit: *Anton. a Sp. S. diſp. 4. n. 130. Dian. t. 6. tr. 6. reſol. 2.*

R. II. Theſaurus proprie dictus eſt vetus depoſitio pecuniæ, ſeu aliarum rerum pretioſarum, cujus depoſitionis non extat memoria, unde non poteſt dici habere Dominum. De hujuſmodi theſauro variæ extant juris communis diſpoſitiones, Si igitur theſaurus fuerit inventus arte magica, totus eſt Fiſco adjudicandus: *leg. unica C. de theſauris & leg. nemo C. de maleficiis, & mathematicis.* Quia vero pœnæ ſuos Authores non debent egredi: *leg. ſancimus cap. de pœnis*, ideo puto non privandum eſſe ſua parte Dominum fundi, ſi non fuit author, ut per artem magicam quæreretur; *Trull. l. 7. c. 3. dub 8. n. 14. Dian. t. 6. tr. 6. reſol. 13. & 14.* Cæterum quia lex diſponens theſaurum arte magica inventum non cedere in utilitatem inventoris, mere pœnalis credenda eſt, ideo non obligat ante Judicis ſententiam; *Navar. in Man. c. 17. n. 135. Trull. l. 7. c. 3. dub. 8. n. 10., Anton. a Sp. S. diſp. 4. n. 132.*

R. III. Si theſaurus inveniatur in proprio fundo, vel in alio loco, ubi nullus habeat dominium proprietatis, ut ſunt viæ, forum &c. tunc theſaurus totus eſt inventoris. Neque refert in viis, vel plateis Principes habere dominium juriſdictionis; nam cum leges diſponentes partem vel totum theſaurum dandum eſſe Domino loci, ut ſtatim videbimus, ſint correctivæ juris naturæ, quo jure theſaurus inventus totus deberet eſſe inventoris, hinc eſt intelligendas eſſe ſtricte, ac proinde de habente dominium rigoroſum, quale eſt dominium proprietatis: *Leſſ. l. 2. cap. 5. dub. 16. n. 63. Anton. a Sp. S. diſp 4. num. 132.*

R. IV. Si theſaurus inveniatur in alieno fundo, vel invenitur caſu, vel ex induſtria, vel cum licentia Domini. Si invenitur caſu, media pars erit Domini loci, & media pars inventoris; nec expectanda eſt Judicis ſententia, ut media pars Domino aſſignetur; nam cum leges ita diſponentes non ſint pœnales, ſed fundatæ in æquitate (quia ſcilicet æquum eſt Dominum fundi commodum reportare ex re in ſuo fundo inventa) obligant in conſcientia, non expectata ſententia Judicis. Si fuit inventus ex induſtria in aliena poſſeſſione, volunt leges totum theſaurum Domino illius eſſe adjudicandum; at quia talis diſpoſitio eſt pœnalis, in pœnam nempe de-

licti

licti commiſſi, quærendo ſine licentia Domini theſaurum in alieno fundo, hinc eſt non obligare ante ſententiam Judicis, & ante hanc Domino dandam eſſe ſolum medietatem. Denique ſi aliquis effodit in alieno fundo de licentia Domini, ſciens ibi eſſe theſaurum, ſed id celando Domino, tunc multi volunt eſſe totum Domini quia in hoc caſu idem dicendum ac de Theſauro de induſtria in alieno fundo invento. Hoc tamen putarem verum non eſſe, ſi aliter conventum fuerit inter Inventorem, & Dominum, dummodo dolo non extorſerit licentiam effodiendi: *Dian. t. 6. tr. 3. reſol. 3.* Si vero ſolum conjecturaliter putabat eſſe theſaurum, & id Domino manifeſtavit, tunc totus theſaurus eſt Inventoris, niſi aliud in pactum deducatur: *leg. unica Cod. de Theſaur., l. is qui ff. de acquir. rer. domin. §. Theſaurus Inſtit. de rer. diviſ.*

Q. VIII. Quid dicendum, quando alter habet dominium directum, alter dominium utile fundi, in quo invenitur theſaurus.

R. Suppoſito Inventorem eſſe perſonam diverſam a prædictis Dominis, ipſi debetur dimidia pars theſauri, ſi caſu invenit; alia vero pars eſt inter prædictos Dominos dividenda. Si vero ex induſtria invenit poſt ſententiam Judicis eſt inter Dominos omnino dividendus. Si vero theſaurus inveniatur ab uno ex præfatis Dominis, jam illi competit dimidia pars, quatenus inventor, & medietas alterius dimidiæ partis, quatenus habens vel dominium directum, vel utile fundi, in quo inventus eſt, & ita tres partes erunt inventoris. Simplici uſufructuario, ſi non ſit Inventor theſauri, nil debetur de theſauro invento, quia theſaurus non reputatur velut fructus fundi, prædii, &c. *leg. divortio §. Si fundus ff. de ſolut. matr.* Ex hac ratione multi volunt neque ipſi Emphyteutæ aliquam partem theſauri competere, cum non habeat jus niſi ad fructum fundi ut docent DD., quos ſequitur *Dian. t. 6. tr. 8. reſol. 5. §. 1.* Hinc etiam theſaurus inventus in fundo dotali nullatenus pertinet ad Maritum, quia non eſt fructus, ſed ad Uxorem, quæ eſt Domina fundi dotalis: *Dian. reſol. 7. Paulus tr. 3. diſp. unic. p. 7. n. 8.* Cæterum circa hujuſmodi attendendæ ſunt leges municipales locorum; nam bene poteſt Reſpublica diverſimode applicare res, quas natura fecit communes, prout ſcilicet judicatum fuerit expediens bono communi: *Dian. reſol. 19.*

Solet etiam hic obiter quæri, an ſciens theſaurum abſconditum in aliquo fundo, poſſit illum emere pretio ordinatio. Et reſpondetur affirmative ex doctrina S. Th. *2. 2. q. 66. art. 5. ad 1.* Ratio eſt, quia pretium rerum commenſurandum eſt juxta communem rerum æſtimationem, non ſecundum ſcientiam privatam alicujus; ac proinde juſtum pretium agri erit illud, quod communiter tale reputatur: Poſtquam vero quis emit agrum, tunc jam habet theſaurum in ſuo fundo; ac proinde non tenetur partem illius alteri tradere: *Tolet. l. 5. c. 49. num. 7., Lugo de Juſt. diſp. 6. n. 126.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quoad animalia præcipue poteſt aliquando anceps eſſe Confeſſarius in ordine ad columbas. Hæ quidem cum conſuetudinem habeant redeundi, ordinarie ſpectant ad Dominum Columbarii, ſi tanto tempore non differant redire, ut prudentis arbitrio cenſeantur non amplius habere conſuetudinem redeundi. Hinc puto, poſſe tuto retineri Columbas, quæ ſine alicujus fraude alterius aggregantur Columbario. Secus ſi ibi includantur, vel particulari cibo alliciantur ad ibi perſiſtendum. De hac te Confeſſarius legat de Lugo *diſp. 6. n. 43.*

II. Confeſſarius non obliget ad reſtitutionem illum, qui in locis reſervatis non circumſeptis occidit animalia &c. At moneat venatorem graviter peccare, quoties ita venendo ſe exponit periculo alicujus gravis pœnæ, vel poteſt eſſe cauſa gravium diſſidiorum. Multo magis graviter peccat, quoties ſe exponit periculo, ut vulneretur a talium locorum cuſtodibus, vel ipſos vulnerandi.

III. Certe tenetur ad reſtitutionem, qui capit piſces in alterius rete, vel naſſa incluſos, ſi non poterant inde aufugere. Quod ſi capiens piſces, iterum tendat naſſam, & ita impleatur, ut non potuerit plures piſces Dominus capere, tunc nulla eſt obligatio reſtituendi piſces in naſſa captos, quia nullum damnum Domino illatum eſt.

IV. Paſcentes animalia, & lignantes in locis communibus, ordinarie loquendo, non peccant, nec tenentur ad reſtitutionem, ſed ſolum ad pœnam, ſi ex juſta cauſa hujuſmodi fuerunt prohibita: nulla autem juſta poteſt eſſe cauſa prohibendi miſerabilibus Perſonis lignarionem in locis communibus. Bene tamen poteſt eſſe grave peccatum ita lignare, ut ſylvis, ſeu nemoribus grave damnum inferatur, & ex hoc poteſt conſurgere etiam obligatio reſtitutionis, ſi grave damnum Communitatis inferatur. Ex his videat quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum iis, qui ſe accuſant in alieno lignaſſe. Neque etiam de facili condemnandus eſt peccati, & ad reſtitutionem, qui lignavit in loco alicujus particularis, ſed interrogandus eſt, an ligna mortua abſtulerit; & an Dominus in ſui uſum ſoleat illam conſumere, adeoque invitus reputari poſſit. Hac regula judicare poterit, an peccet ea ſurripiendo, & ad quid teneatur.

V. Multoties ſibi falſo blandiuntur homines ſibi retinendo res, quaſi ut derelictæ ſint reputandæ: ut ſi quis ex hoc capite ſibi retineat res a flumine aſportatas, ex incendio ereptas &c. Hæ omnes, ordinarie loquendo, ſunt reſtituendæ, ſed bene poteſt inventor prætendere pretium laboris, & periculi, cui ſe expoſuit in iis recuperandis. Aliquando etiam poteſt omnino retinere, dum nempe Dominus poſſet de iiſdem inquirere, & non inquirendo demonſtraret ſe totaliter illa negligere.

VI. Nihil exigere poteſt qui ſine periculo, & labore invenit res ab alio deperditas, unde ſi pro iis reſtituendis aliquid omnino exigatur, debet Confeſſarius ad reſtitutionem obligare: hæc etenim non dantur voluntarie, ſed ſolummodo quia alio pacto non poſſent res deperditæ recuperari. Secus eſſet, ſi quis Inventori offerenti ſine ullo prætio rem deperditam liberaliter aliquid daret.

VII. Si inventor tamquam pauper velit ſibi rem inventam applicare, non acquieſcat Confeſſarius quoad uſque non fecerit diligentiam Dominum inveniendi, eo majorem, quo res inventa eſt pretioſior.

CAPUT IV.

De modo acquirendi dominium per præſcriptionem.

Q. I. Quid ſit Præſcriptio, & Uſucapio.

R. Ex *l. 3. de Uſucapion.* Præſcriptio poteſt ita definiri: *Acquiſitio Dominii, & peremptio juris alterius cum continuatione poſſeſſionis tempore a lege præſcripto.* Cum igitur per præſcriptionem auferatur jus, quod Dominus habebat in aliquam rem, & in alium transferatur, hinc dicitur per præſcriptionem dominium acquiri, & jus alienum perimi.

Obſervandum igitur eſt, tam Leges Civiles, quam Canonicas admittere præſcriptionem; etenim cenſetur unumquemque poſſidere rem ſuam ſub hac tacita conditione, ab ipſa prima rerum diviſione incœpta quod poſſit a publica poteſtate per ſuas leges in alium transferri, quoties id judicatum fuerit bono communi expedire. Motiva autem cur expediens judicatum fuerit per præſcritionem rei alienæ dominium transferre, videntur colligi ex *l. ut perfectius C. de annali exceptione leg. cum notiſſimi Cod. de Præſcript., & ex c. vigilanti de Præſcript.* Hujuſmodi autem fuerunt, quia ſi aliquis poſtquam poſſedit per longum tempus aliquam rem ſervatis aliis conditionibus, de quibus ſtatim, cogeretur denuo alteri tradere eamdem rem, quia ipſam antea poſſederat, dominia rerum remanerent valde incerta, continua orirentur jurgia, & lites in infinitum protraherentur. Conveniebat etiam ita diſponere, ne homines eſſent nimis negligentes in cuſtodiendis ſuis juribus, & rebus.

Cum Præſcriptione confunditur Uſucapio, quamvis aliqui velint hujuſmodi diſtinguere, quaſi Uſucapio dicatur ſolum de rebus mobilibus. Præſcriptio vero de immobilibus. Sed non eſt tempus terendum in quæſtionibus inutilibus.

Q. II. Quæ ſint conditiones requiſitæ ad præſcriptionem.

R. Conditiones requiſitæ ad præſcriptionem ſunt quatuor, nempe poſſeſſio, titulus, bona fides, & continuatio poſſeſſionis tempore a lege præſcripto.

Q. III. Quæ poſſeſſio ad præſcriptionem requiratur.

R. Certum eſt ad præſcriptionem poſſeſſionem requiri, ut habetur *ex reg. ſine poſſeſſione de regulis juris in 6.* Verum non ſufficit ſola poſſeſſio naturalis, qua aliqua res detineatur; quid enim refert retinere aliquam rem, niſi quis

habeat animum illam ut ſuam retinendi! Neceſſaria eſt ergo ad præſcriptionem etiam poſſeſſio civilis, immo ipſa ſola ſufficit ad præſcribendum. Qui ergo aliquam rem nomine aliorum poſſident, uti ſe habent Religioſi, Tutores, Procuratores, Coloni, Emphyteutæ, Conductores, Pignoratores &c. non poſſunt eam præſcribere: *Paulus tr. 1. diſp. unic. p. 22. §. 4. n. 5.* & communiter. Idem dicas de Laicis reſpectu loci ſacri, Juriſdictionis ſpiritualis &c. nam cum jus ipſis reſiſtat, ſunt incapaces hujuſmodi poſſidendi: *cap. cum cauſam 7. de præſc. leg. uſucapionem ff. de uſucap. & §. Sed aliquando Inſt. eod. tit.*

R. IV. Qualis titulus requiratur ad præſcriptionem.

R. Titulus ad præſcriptionem requiſitus debet eſſe probabiliter præſumptus: *cap. ſi diligenti de præſcript. leg. Celſus ff. de uſucap.* Titulus probabiliter præſumptus eſt titulus quidem invalidus, ſed qui reputatur verus; ut ſi bona fide emas rem a non habente poteſtatem illam vendendi; nam tunc non datur titulus verus, ſed ſolum præſumptus, quatenus judicatur venditorem potuiſſe illam vendere.

Id tamen non habet locum in præſcriptione extraordinaria, de qua ſtatim dicemus; nam cum facile tituli obliviſcamur, in tali præſcriptione non requiritur titulus, ſed præſumitur.

Q. V. Quanto tempore debeat continuari poſſeſſio ad præſcribendum.

R. Ad præſcribendas res immobiles cum titulo requiruntur decem anni inter præſentes, & viginti inter abſentes. Ad præſcribendas vero cum titulo res mobiles tres anni requiruntur inter præſentes, & quatuor inter abſentes: *Authent. quas actiones C. de SS. Eccleſ. cap. ult. & penult. 16. q. 3.* Id verificatur, ſi res nullum habeant privilegium; nam contra res mobiles, ſive immobiles Eccleſiæ Romanæ non poteſt dari præſcriptio, niſi longiſſimi temporis, quales eſt tempus centum annorum. Ita habetur in Authentica citata, & *cap. cum a nobis 14. de Præſc.* Hujuſmodi tempus etiam requiritur ad præſcribenda ea, quæ fuerunt legata, donata, vel vendita Civitatibus: *Lugo diſp. 7. n. 87.*

R. II. Ad præſcriptionem rerum immobilium, vel mobilium ſine titulo requiritur tempus triginta annorum inter præſentes, & quadraginta inter abſentes: *leg. ult. Cod. in quibus cauſis.* Hac ſola extraordinaria præſcriptione quadraginta annorum poteſt præſcribi contra Eccleſias, Hoſpitalia, ſeu pias cauſas, ut conſtat ex Authentica ſupra citata, *&c. ad aures, c. illud autem, cap. quia judicante de præſcript.* Dixi, ad hanc præſcriptionem extraordinariam titulum non eſſe neceſſarium, quia leges eam ſtatuentes illum non requirunt: *l. ſicut in rem C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* ſicuti nec in hac præſcriptione adhibetur diſtinctio inter abſentes, & præſentes, quia eam jus non adhibet.

Multo minus nec eſſe eſt exhibere titulum in præſcriptione immemoriali, cujus nempe origo excedat memoriam hominum; nam ipſa immemorialis poſſeſſio eſt inſtar tituli, immo non poteſt ea melior titulus allegari: *Fagnan. in cap. cum Apoſtolicæ n. 6. de his quæ fiunt a Prælat.* dummodo ſit capacitas in poſſidente. Porro ad præſcriptionem tanti temporis, cujus initii non extet memoria, non requiritur lapſus centum annorum, ſed ſatis eſt, ſi Poſſeſſor, vel alii teſtes poſſint dicere de ſenſu proprio ita ſemper fuiſſe, & antea a ſuis Majoribus ita fuiſſe audierint: *Barboſ. in cap. cum vobis de præſcript. n. 5.*

Advertendum autem eſt præſcriptionem aliquando interrumpi, aliquando dormire. Tunc dicitur interrumpi, quando tempus præcedens conquaſſatur, & nihili habetur ſuperveniente interruptione. Hoc tamen maxime locum habet in interruptione naturali, quando nempe ceſſat præſcriptio, quia ſupervenit mala fides, ſeu amittitur civilis, & naturalis poſſeſſio. Quod ſi ceſſent hujuſmodi impedimenta, præſcriptio debet iterum inchoari a recuperata poſſeſſione, & poſtquam iterum redit bona fides: *Covar. part. 2. in cap. poſſeſſor §. 12. n. 6.* Interrumpitur etiam civiliter, quando nempe Poſſeſſor interpellatur ab adverſario per aliquem actum Juridicum, nempe per ſolam citationem, ſi agatur contra præſcribentem ſine titulo ſpatio triginta annorum: *l. cum notiſſimi C. de Præſcript. 30. vel 40. annorum,* vel per conteſtationem litis, ſi agatur contra præſcribentem cum titulo ſpatio decem vel viginti annorum: *l. mota litis C. de rei vindic. junct. leg. ſi pater tuus Cod. de Stat. Defunct.* Hoc tamen non procedit in triennali uſucapione inchoata cum titulo, & bona fide: *leg. 2. §. fin. ff. pro emptor.* unde ſi Actor quacumque ex cauſa litem non proſequatur, non eſt de nuvo inchoandum tempus ad uſucapiendum. Quæcunque etiam alia præſcriptio civiliter interrupta non ceſſat, ſi Actor litem movens vere non ſit Dominus rei; ſicut etiam ſi poſſeſſor vicerit, vel ſi per tranſactionem &c. Actor a lite ceſſaverit; nam tunc habetur continuatio temporis requiſiti ad præſcribendum, ſicuti ſi lis numquam mota fuiſſet: *Covar. p. 2. in cap. Poſſeſſor §. 12. n. 8. Engel. de præſcr. circ. fin.*

Præſcriptio dicitur dormire, quando ſuſpenditur propter ſuperveniens impedimentum, quo impedimento ſublato, ad complendam præſcriptionem continuatur tempus ſubſequens cum præcedenti, ſolo dormitionis tempore ſubducto: *cap. cum vobis 14. de præſcr. cap. ex tranſmiſſa 10. ibid. junct. Gloſſ.* Tunc autem dicitur intervenire impedimentum, quando jus dici non poteſt, vel ratione temporis, ut tempore belli, aut peſtis; vel defectu alicujus perſonæ, ut Eccleſia non habeat Epiſcopum, vel Rectorem, ſeu habeat inutilem, ſicut etiam ſi is contra quem præſcribitur, non poſſit agere. Hinc præſcribi non poſſunt res dotales contra mulierem, vivente marito; *l. in reb. ff. de jur. dot.* ſicut tali tempore non præſcribitur contra eamdem in dote repetenda. Item vivente Patre non poſſunt præſcribi bona adventitia contra filium: *l. 1. §. fin. de annal. except. Gloſſa in can. prima actione 16. q. 3. v. poſtliminio.*

Q. VI. Qualis debeat eſſe bona fides, quæ requiritur ad præſcribendum.

R. I. Jam diximus ſupra, unam ex conditionibus requiſitam ad Preſcriptionem eſſe bonam fidem Poſſeſſoris, quia ſcilicet ſibi prudenter perſuadeat rem eſſe ſuam, ſeu non alienam. Id conſtat ex regula *Poſſeſſor. 2. de regul. juris in 6. & ex cap. finali de præſcr.* Et revera ſciens rem eſſe alienam, eamque nihilominus detinens, clariſſime æquiparatur furi; ac proinde agit etiam contra jus naturale eam ſibi retinendo: non officit tamen bonæ fidei requiſitæ ad præſcriptionem, ſi ſit venialiter mala. Ita videtur deciſum in ſupracitato capite finali, nam ibi dicitur obſtare præſcriptioni mala fides, quæ eſt ex peccato mortali. Et ratio eſt, quia mala fidea leviter culpabilis, e. g. ex levi omiſſione alicujus majoris diligentiæ, non tollit quin Poſſeſſor ex aliis validioribus rationibus potuerit credere rem eſſe ſuam, adeoque dicendum eſt prudenter id crediſiſſe.

R. II. Ut detur bona fides in Poſſeſſore, oportet ab initio non incepiſſe poſſidere cum dubio prudenti, & rationabili. Ita deciſum habemus in ſupracitato capite finali de Præſcriptione. Et quidem quomodo poteſt dici poſſeſſor bonæ fidei, qui prudenter timet rem non eſſe ſuam? Certe tunc non poterit prudenter judicare eſſe ſuam, quod requiritur ad bonam fidem, adeoque retinendo rem peccaret, quia ſe exponeret periculo tollendi rem alienam: *Leſſ. de Juſt. l. 2. cap. 6. num. 10.* & communiter. Oportet ergo aliquo motivo rationabili dubium deponere, & tunc incipiet pro eo currere præſcriptio.

Qamvis autem dubium prudens, quo incipiatur poſſeſſio, excludat bonam fidem, non ita tamen dicendum, ſi ſuperveniat poſſeſſioni bona fide inchoatæ. Ratio eſt, qui ad excludendam bonam fidem, quam quis jam habeat quoad aliquam rem, neceſſarium eſt ſcire eſſe alienam; hanc autem ſcientiam non habet, qui ſolum dubitat, an ſit ſua ea res, quam jam ſuam crediderat. Ita communiter Theologi cum Gloſſa *in cap. fin. de præſcript.* Verum tamen eſt tunc poſſeſſorem teneri ad adhibendam moralem diligentiam pro inveſtiganda veritate, eaque non comperta, poteſt credere eſſe ſuam ex illa regula: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis.*

R. III. Etiam ignorantia Juris clari, dummodo ſit inculpabilis, non obſtat bonæ fidei requiſitæ ad præſcriptionem. Non movetur hic quæſtio de ignorantia inculpabili facti, nam hanc non obeſſe præſcriptioni habetur *ex leg. Juris 4. ff. de Juris, & facti ignorantia.* Hinc qui emit equum ab iniquo Poſſeſſore, putans tamen ipſius eſſe, utpote habens ſolum ignorantiam facti, poteſt præſcribere: *Roſignol contr. 1. præa. 2. num. 17.* Quæſtio ergo eſt de ignorantia juris clari; ut ſi emens a ſupradicto iniquo poſſeſſore equum, putaſſet illum potuiſſe vendere ut ſuum, & movetur quæſtio, quia in lege ſupra citata, & *leg. nunqam 31. ff. de uſuc.* dicitur ignorantia juris clari obeſſe præſcriptioni. Hinc multi Doctores dicunt cum tali ignorantia non dari præſcriptionem; cum etenim præſcriptio introducta ſit lege poſitiva,

non videtur admittenda in caſibus; in quibus a jure excluditur.

Nihilominus valde probabiliter ſuſtineri poteſt noſtra reſponſio, etenim ideo leges nolunt præſcriptionem dari cum ignorantia juris clari, quia præſumitur talem ignorantiam allegantem non habere bonam fidem; cum ergo iſtæ leges in præſumptione fundentur ſemper cum talis præſumptio ſit falſa, bene poterit cum eis non concordare forum conſcientiæ. Et de facto etiam Authores contrarii dicunt præfatas leges non obſtare, quin Milites, Mulieres, Ruſtici, & Minores poſſint præſcribere, quia in eis non præſumitur mala fides: ubi ergo de facto iſta mala fides non detur, poterit in foro conſcientiæ admitti præſcriptio: *Lugo de Juſt. diſp. 7. n. 32. Anton. a Sp. S. diſp. 5. n. 157.*

R. IV. Mala fides Auctoris facit Succeſſorem reputari Poſſeſſorem malæ fidei ſi ſit illius hæres, ita ut non poſſit præſcribere tempore ordinario; ſecus ſi non ſit hæres. Prima pars reſponſionis probatur, quia fictione juris hæres reputatur veluti eadem perſona cum defuncto, unde cum iſte haberet poſſeſſionem mala fide infectam, idem præjudicium reputatur habere ejus Succeſſor. Præterea ad præſcribendum tempore ordinario requiritur titulus, hunc autem omnino removent leges ab hærede Auctoris malæ fidei, ut patet *ex lege cum hæres ff. de diverſ. tempor. præſcr., & leg. ult. Cod. de Uſucap.* E contra quia hæres reputatur eadem perſona cum defuncto, poſſeſſio defuncti, ſi erat in bona fide, continuatur in hærede; & ita ad præſcribendum computare poteſt etiam tempus, quo defunctus poſſedit: *§. Diutina Inſt. de uſucap. leg. dolia §. Eum vi ff. de contrah. empt. Lug. diſp. 7. n. 57.*

Dixi hæredem Authoris malæ fidei non poſſe præſcribere tempore ordinario; nam bene poteſt præſcribere tempore extraordinario, ſi incepit bona fide poſſidere. Ratio diſcriminis eſt, quia in hærede immediato fingitur fictione juris mala fides, quia non habet titulum poſſidendi, ubi ergo non requiritur titulus ad præſcribendum, ut evenit in præſcriptione extraordinaria, neque fictione juris reputabitur mala fides in hærede, & conſequenter poterit præſcribere *Anton. a Spir. San. n. 179.* & alii apud ipſum.

Quæ dicta ſunt ſolum verificantur de hærede immediato, non vero de mediato, vel de eo qui ab Authore malæ fidei habet aliquid titulo legati, donationis, emptionis, vel alio titulo, nam hi neque fictione juris referunt Perſonam illius, a quo aliquam rem habuerunt; unde concurrentibus debitis conditionibus, poſſunt præſcribere tempore ordinario: *§. Sed tamen Inſtit. de Uſucap., leg. Vitium ff. de diverſ. tempor. præſcr. Leſſ. l. 2. cap. 6. num. 43.* Ipſe etiam hæres immediatus Authoris malæ fidei, licet non poſſit præſcribere rem tempore ordinario, bene tamen ipſius fructus: *l. bonæ fidei ff. de acquir. rer. dominio.*

Præfata doctrina, ſcilicet quod hæres mediatus, Legatarius, Donatarius &c. poſſint præſcribere tempore ordinario rem habitam ab Authore malæ fidei, duas patitur limitationes. Prima eſt, quod ſi res ſit immobilis, & verus Dominus neſciat illam ab alio poſſideri, tunc ad eam præſcribendam neceſſarium eſt tempus extraordinarium: *Authen. malæ fidei C. de longi temporis præſcrip.* Bene vero poteſt præſcribi tempore ordinario, ſi Dominus ſciat ab alio poſſideri, & non ſe opponat. Secunda eſt, quod etiam tempus extraordinarium requiritur ad præſcribendam rem furtim, ſeu violenter occupatam, quando immediate habeatur ab ipſo fure: *leg. ſicut in rem 3. C. de præſcr. 30. vel 40. annor. Trull. in Decal. l. 7. c. 4. dub. 12. n. 3. Anton. a Sp. S. diſp. 5. n. 188.* Id tamen verificatur de re furtiva, quam quis bona fide acceperit ex aliquo juſto titulo, puta emptione &c. nam res furtiva habita a latrone, quæ ſine titulo poſſideatur, numquam præſcribitur, quia ſemper eſt vitioſa: *Lugo de Juſt. diſp. 7. ſect. 8. n. 138. Bonac. de reſt. diſp. 1. q. 3. punct. 5.*

Q. VII. An ad præſcribendum ſervitutes aliaſque obligationes requiratur bona fides.

R. I. Obligationes, quæ de ſua natura tendunt ad aliquid agendum, vel non agendum, non præſcribuntur cum mala fide. Ratio eſt, quia jure canonico rejicitur omnis præſcriptio, quæ eſt cum peccato, & mala fide: *cap. ult. de præſcr.* Præterea ſi quis exiſtens in mala fide velit ſe exuere per lapſum temporis ab obligatione agendi, v. g. reſtituendi alienum, eo quia a creditore non exigatur, hoc nihil aliud eſſet, quam peccati continuatio. Si vero quis mala fide velit præſcribere contra obligationem non agendi, attollendo e. g. ædificium, quod ſcit non poſſe attollere, aperiendo feneſtram, quam ſcit non poſſe aperire, pariter peccat, quia ſciret ſe lædere jus proximi.

R. II. Præſcribi poſſunt obligationes, quæ referuntur dumtaxat ad patiendum, vel ſubeundum onus per ſolam negligentiam Actoris, ſeu eo quod tales ſervitutes non exigantur. Demus e. g. aliquem habere ſervitutem in meo prædio, & negligere ea uti per tempus a lege ad præſcribendum præfixum, hic non dicitur obſtare mala fides præſcribentis, nam bene ſcit jus alterius, licet ſimul ſciat ſe ad nihil teneri, ſi alter non exigat. Item non intervenit ipſius peccatum, cum ſupponatur non impedire alteri tranſitum per ſuum prædium; unde nihil eſt, quod impediat præſcriptionem, quamvis potius dici debeat alterum jus ſuum ratione propriæ negligentiæ amittere, quam contra ipſum præſcribi: *Laym. l. 3. tr. 1. c. 8. n. 12. Engel. de Præſcr. n. 18. Lugo diſp. 7. n. 78.*

Q. VIII. An dentur res, quæ præſcribi non poſſint.

R. Plura dantur, quæ a lege præſcribi prohibentur. Nullo igitur tempore præſcribi poteſt homo liber: *§. Sed aliquando Juſt. de uſucap.* quamvis ſervus, ſi viginti annis etiam ſine titulo bona fide ſe geſſerit pro libero, præſcribat contra Dominum ſuam libertatem: *leg. 2. C. de long. temp. præſcript. junct. Gloſſ. fin. ibid.*

Præſcribi non poſſunt res publicis uſibus deputatæ, ut forum, via publica, pons &c. *leg. Uſucapionem ff. de Uſucapion.* Accedit ratio, quia res publicæ a privatis non poſſidentur, ſed promiſcue uſurpantur; ſine poſſeſſione autem non datur præſcriptio. Concordat textus *in l. 2. ff. de via publica.*

Laici non poſſunt præſcribere res ſacras, ut Eccleſias, loca Religioſa, jus decimarum, conferendi beneficia &c. quia non valent hujuſmodi poſſidere: *cap. cum cauſam 7. de præſcr.* Bene tamen poteſt Perſona Eccleſiaſtica hujuſmodi præſcribere adverſus aliam perſonam Eccleſiaſticam: *cap. 1. de præſcr.* aliiſque capitibus.

Socius poſſidens rem communem pluribus; non poteſt totam ſibi præſcribere adverſus alios ſocios, cum etenim non ſuo tantum nomine, ſed etiam aliorum poſſideat: *leg. ſi communem ff. quemadmodum ſervitutes amittantur*, non habet titulum poſſeſſionis ad præſcribendum contra portionem ſociorum: *Leſſ. l. 2. de Juſt. c. 6 dub. 10. n. 47.*

Actus meræ facultatis, & prorſus liberi non inducunt præſcriptionem: *l. 2. ff. de via publica, Covar. in cap. poſſeſſor p. 2. §. 4. n. 6. Pirrhing. de præſcr. n. 17.* & communiter: Hinc ſi quis per centum annos, & ultra libere iviſſet ad aliquod molendinum, non poteſt cogi vi præſcriptionis ut illuc eat. Item ſi quis ex mera ſua libertate admiſiſſet aliquos Eccleſiaſticos ad aliquam functionem, quæ de jure illis non competat, non poſſunt vi præſcriptionis prætendere, ut ad eam in poſterum vocentur. Fallit hæc doctrina quando aliquis non ex mera libertate, ſed propter jus quod alii habere ſaltem putarent, ad talem functionem vocaſſet; ſicut ſi aliquis ex jure præſumpto alterius ad illius molendinum iviſſet: *Covar. cit. Abbas c. ſignificante n. 1. de appell.*

Limites Provinciarum, Diœceſum, & Parochiarum etiam cum titulo, & per tempus immemorabile præſcribi non poſſunt: *c. ſuper eo de Paroch.* ibique Barboſa & alii. Limites vero prædiorum, privata authoritate conſtituti, ſpatio quadraginta annorum cum bona fide præſcribuntur: *leg. competit C. de Præſcr. 30. vel 40. annor.*

Reſervata Principi in ſignum ſupremi dominii, puta præſtatio tributi &c. præſcribi non poſſunt: *l. competit. cit.*

Subditi vero quamvis non poſſint præſcribere exemptionem contra Superiorem Eccleſiaſticum extinctive, eo enim ipſo quod ſint ſubditi, parere debent, bene tamen præſcribere poſſunt exemptionem ab obedientia translative, puta ab Epiſcopo ad alterum Prælatum, vel immediate ad Summum Pontificem. Poſſunt etiam præſcribere exemptionem partialiter, puta ut non ſolvant aliquid Epiſcopo. De his videndi *Barboſa p. 3. de Offic. & poteſt. Epiſcop. Pirrhing. ſub titulo de præſcript. n. 22. Engel. ibid. n. 7.*

Q. IX. An poſſit habere locum præſcriptio reſpectu rerum, quas lex prohibet alienare.

R. Ad hoc dignoſcendum obſervanda ſunt ſequentia. Non habet locum præſcriptio, ſi res, quæ prohibentur alienari, non poſſint poſſideri, ut ſunt res ſacræ, & publicæ. Item ſi lex prohibeat aliqua alienari in favorem ipſarum rerum, ut ſunt fundus dotalis, Fideicommiſſum &c. non valet contra eos præſcriptio, ſi non incepe-

rit,

Digitized by Google

rit, antequam v.g. fundus datus eſſet in dotem; quod ſi tunc incœperit, præſcribi poſſunt tempore ordinario: *leg. ſi fundum ff. de fund. dotal.* Si denique lex ſolummodo prohibeat, ne alienatio fiat ſine aliqua ſolemnitate, tunc concurrentibus requiſitis ad præſcriptionem, procedit præſcriptio, maxime ſi ſolum error facti interveniat; ut ſi quis emiſſet a minore putans eſſe majorem, vel ab Eccleſia putando adfuiſſe conſenſum Apoſtolicum, quamvis reveta non adſuerit. Videatur *Abbas in cap. cum non liceat de præſcr. nu. 7. Pirrbing. ſub titulo de præſcr. num. 35.*

Q. X. An aliquando completo tempore præſcriptionis res ſit reſtituenda.

R. Pro certo habendum eſt, eum, qui præſcripſit aliquam rem, poſſe eam retinere tuta conſcientia; ſicut enim leges poſſunt etiam Dominis invitis impedire translationem dominii, quando id expoſcit bonum commune, ita poſſunt dominia aliquorum in alios transferre, etiam illis invitis, quando ita idem bonum commune expoſcit, ob quam rationem diximus ſupra leges admittere præſcriptionem. Pariter quia ob bonum publicum introducta eſt præſcriptio, & non in ſolam pœnam negligentiæ Dominorum, inde eſt quod etiamſi iſti non fuerint negligentes in recuperandis rebus ſuis, adhuc tamen poſſit etiam contra eos currere præſcriptio: *Lugo de Juſt. diſp. 7. n. 5. Laym. l. 3. tr. 2. c. 8. Navar. cap. 17. n. 85. Fagnan. in cap. ſi quis n. 50. de Regularib.*

Nihilominus ſi prior Dominus per Judicem in integrum reſtituatur, tunc res, quæ fuit præſcripta, eſt Domino reſtituenda, cum ita ſtatuant leges, ex quibus provenit præſcriptio. Hoc beneficium reſtitutionis in integrum primo conceditur Minoribus, & durat per quadriennium, computandum a die completæ præſcriptionis, & ipſis Minoribus cognitæ. Item reſpectu illorum habet locum in præſcriptione ſive ordinaria, ſive extraordinaria, ſive fuerint negligentes in impedienda præſcriptione, ſive non: *cap. 5. de reſtit. in 6. leg. ult. C. de tempor. integ. reſtit. & l. unic. C. 1. adverſ. Uſucap.* Idem beneficium habent Eccleſiæ, Hoſpitalia, Monaſteria, aliæque piæ cauſæ, cum inſtar Minoris, & Pupilli reputentur: *c. 5. & 2. de reſt. in integr in 6.* Majoribus conceditur in præſcriptione ordinaria beneficium reſtitutionis in integrum, dummodo probent non fuiſſe negligentes in ſua re recuperanda; ut ſi invincibiliter ignoraverunt rem eſſe ſuam, ſi fuerunt abſentes, ſi infirmi, vel alio legitimo impedimento detenti.

Regulæ in praxi obſervandæ:

I. Si Confeſſarius non ignoret quæ dicta ſunt de præſcriptione, in pluribus caſibus conſulere poterit conſcientiæ ſui Pœnitentis. Hæres e.g. adinvenit Patrem acquiſiviſſe pecuniam ex injuſta negociatione, ac proinde pluribus ſcrupulis inquietatur. Obſervet igitur ſi poſſit judicari, Patrem habuiſſe bonam fidem, & titulum putativum, quia e.g. erat vir timoratæ conſcientiæ, & eas pecunias ex aliquo contractu acquiſivit, quamvis poſtea aliqua ratione claudicaſſe cognoſcatur, cum tunc pater illas pecunias ſpatio trium annorum præſcripſerit, non habet hæres onus reſtituendi. Idem dicas, ſi adinveniat in hæreditate res mobiles, quas per triennium bona fide, & cum aliquo titulo poſſederit. Si vero non habebat titulum, ſed ſolam bonam fidem, tunc neceſſe erat poſſediſſe ſpatio triginta annorum. Quod ſi Pater habens bonam fidem non poſſedit triginta annis, ſufficit ſi ipſe hæres tribus annis poſſederit bona fide; nam in ipſo etiam adeſt titulus hæreditatis, adeoque reſpectu ipſius ſufficit ad præſcribendum ſpatium trium annorum. Præfata doctrina applicanda eſt ipſi pœnitenti, ſi bona fide fecit negotium alias injuſtum, ex quo pecuniam acquiſivit; vel ſi bona fide, & cum titulo rem mobilem non ſuam poſſedit.

Si vero in hæreditate reperiat rem immobilem, puta aliquem fundum, qui alterius Domini erat, tunc Confeſſarius ad conſulendum conſcientiæ Pœnitentis, ſequentia obſervet. Si Teſtator erat in mala fide, hæres non poteſt illam rem ut ſuam retinere, niſi forte hæres continuaverit bona fide poſſeſſionem per tempus extraordinarium, nempe triginta annorum, vel quadraginta, ſi præfatæ res ſint Eccleſiæ. Si vero Teſtator erat in bona fide, & titulum habebat poſſidendi, ſufficit ſi poſſederit decem annis inter præſentes, & viginti inter abſentes, quadraginta vero ſi bona immobilia erant Eccleſiæ. Ubi advertendum, ſufficere ſi tale tempus fuerit expletum per poſſeſſionem, quam bona fide habuit Teſtator, & eam, quæ continuavit bona fide in hærede, nam tunc poſſeſſio Teſtatoris prodeſt etiam hæredi. Obſervandum etiam præfatam doctrinam valere, ſi ſermo ſit de rebus quæ præſcriptioni ſubjaceant, quales non ſunt fideicommiſſa, & fundi dotales.

Applicet Confeſſarius eamdem doctrinam Pœnitenti, quem adinveniat aliquam rem alienam immobilem poſſidere. Poſſedit e. g. aliquis rem fructiferam immobilem cum titulo, & bona fide novem annis, his tenetur reſtituere eamdem rem immobilem; non vero fructus, quos per ſex annos percepit, nam illos præſcripſit. Si vero non habebat titulum, nec ipſos fructus poteſt retinere, nam tunc non præſcribuntur niſi ſpatio triginta annorum.

CAPUT VI.

De Dominio Filiorum familias, qui ſunt ſub patria poteſtate.

Q. I. Quid ſit patria poteſtas, & quomodo diſſolvatur.

R. I. Ante dominium filiorum neceſſe eſt explicare quid ſit Patria Poteſtas; ex ipſius enim explicatione facile poſſumus inferre plura, quæ pertinent ad dominium filiorum familias. Præterea non agimus hic de patris poteſtate, quæ jure naturali competit Patri quatenus eſt filio ſuperior, quam poteſtatem dixi etiam competere Matri, dum egi de votorum irritatione. Sermo eſt de patria Poteſtate ſecundum jus civile, quam omnino aufert Matri: *§. Fœmina Inſt. de adoption.*

Patria igitur Poteſtas eſt jus, quod Pater habet in filios, & eorum bona. Quantum ad perſonam Filiorum poteſt Pater illos vendere, ne fame pereat: *l. 2. C. de Patrib. qui &c.* Poteſt filiis impuberibus facere ſubſtitutionem pupillarum, ut dicam agendo de eadem ſubſtitutione. Non poteſt filius cum extraneo in judicio agere ſine conſenſu Patris: *leg. actiones ff. de action. & oblig.* Quantum vero ad bona filiorum, ſtatim videbis quid dicendum ſit.

Non ſolum vero ſunt ſub patria poteſtate filii legitimi, ſed etiam adoptati adoptione perfecta, ſeu arrogatione, quæ fit authoritate Principis: *l. 2. §. final. cap. de adoption.* Illegitimi non ſunt ſub patria poteſtate, niſi fuerint legitimati per ſubſequens matrimonium, vel Reſcriptum Principis, dummodo tamen ipſe legitimatus conſentiat: *Sanch. conſ. l. 1. cap. 1. dub. 12.*

R. II. Pluribus modis Filius liberatur e Patria Poteſtate. Primo, per mancipationem factam coram Judice, Patre & Filio conſentientibus. Ad hanc mancipationem cogi etiam poteſt Pater, ſi nempe nimis excederet in punitione Filiorum, ſi Filias proſtitueret, ſi acceptavit hæreditatem, vel legatum ſub conditione filium emancipandi; & e converſo poteſt Filius cogi ad conſentiendum emancipationi, ſi & ipſe ita acceptaverit. Quod ſi Filius gratuita Patris voluntate emancipatus, ingratus exiſtat, illum factis aut verbis injuriando, revocatur in patriam poteſtatem. Secundo, diſſolvitur patria poteſtate per mortem naturalem, & civilem Patris. Tunc autem dicitur civiliter mortuus, quando fuit miſſus in perpetuum auxilium in locum determinatum, vel ſi fuit damnatus ad perpetuum carcerem, vel ſi ejus bona ob aliquod crimen fuerant publicata. Redit autem in ſupradictis caſibus patria poteſtas, ſi Pater in priſtinum reſtituatur ex Principis indulgentia. Inducitur etiam mors civilis per profeſſionem Religioſam, unde ſolvitur patria poteſtas ſive Pater, ſive Filius in aliqua Religione profiteatur. Tertio, ſolvitur patria poteſtas, per hoc quod Filius aſſequatur magnam dignitatem, ut ſi fiat Cardinalis, Epiſcopus, Præfectus magnæ urbis, Dux militum inter majores &c. Ex hoc probabilis redditur etiam illorum opinio, qui volunt etiam per Sacerdotium, utpote quia eſt Dignitas major quacumque Dignitate ſæculari, ſolvi patriam poteſtatem. Verum ex jure potius colligitur oppoſitum, cum in eo ſolum filius factus Epiſcopus, liberetur a patria poteſtate, ut videre eſt *cap. per venerabilem qui fil. ſint. leg. legit. &c.* Ultra prædictas cauſas alia non datur, unde ſolvatur patria poteſtas, adeoque Filius etiam ſenilis ætatis, etiam Doctoratu inſignitus, etiam in ſtatu matrimonii, eſt ſub patria poteſtate: *Sanch. dub. 14. Lugo diſp. 5. ſect. 1.*

Q. II. Quot ſint bona Filiorum familias.

R. Hujuſmodi bona ſunt in quatruplici differentia, ſcilicet

licet Caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, adventitia & profectitia. Bona Caſtrenſia ita dicuntur a caſtris, quia ſcilicet ſunt illa, quæ competunt Filio occaſione, ſive ratione belli, aut militiæ. Ita igitur ſe habent bona mobilia, quæ Filius habet a Parentibus, vel aliis, ut eat ad bellum, ſtipendium militare, præda &c. ſicut etiam hæreditas, quam Filius habuerit occaſione militiæ. Pariter computantur inter bona Caſtreſiuſia, quæ peculio caſtrenſi comparantur, ſive ſcilicet tale peculium negotiationi exponatur, ſive ludo &c. Adnumerantur denique inter bona caſtrenſis, quæ habuit Filius a Parentibus, vel aliis, ut obſequatur Perſonæ Regiæ, & Principi, & quæ ratione talis obſequii acquiſivit: *Lugo ſect. 2. n. 15. Leſſ. l. 2. c. 4. d. 3. n. 7.*

Bona quaſi caſtrenſia ſunt, quæ dantur Filio ut diſcat literas, ſive exerceat aliquod publicum officium, e. g. Advocatis, Medici, Tabellionis, Lectoris cujuſcumque facultatis; & quæ Filius acquirit ratione talis offici. Item hujuſmodi reputantur bona data Filios familias ab Imperatore. Imperatrice, Rege, aut Regina, ſive Principe, quamvis dentur intuitu Patris; *leg. cum multa cod de bonis quæ liberis &c.* Talia item ſunt bona, quæ dantur, aut legantur Filiofamilias, ut ipſorum etiam habeat uſufructum, quæ acquirit ex officio, aut Beneficio Eccleſiaſtico, ſicut etiam quæ quomodolibet acquirit Filius gaudens privilegio Clericali; *Authent. Presbyter. c. de Epiſc. & Cleric.* ac denique Patrimonium ab aliis, quam a Parentibus datum Filio in titulum, ut ſuſcipiat Ordines Sacros: *Lugo diſp. 5. ſect. 2. n. 19. Sanch. l. 2. conſ. c. 2. dub. 3. n. 13.*

Bona adventitia, quæ alias non ſunt caſtrenſia aut quaſi caſtrenſia, ſunt ea, quæ adveniunt Filio non a Patre, vel intuitu illius, ſed vel ex ſucceſſione Matris, aut Avorum Maternorum, vel etiam paternorum. Item talia ſunt, quæ Filio dat Pater non donatione ſimplici, ſed remuneratoria, in remunerationem ſcilicet meritorum ipſius. Denique quæ acquirit filius jure hæreditatis, vel labore, induſtria, negotiatione, legato, caſu, &c. *Sanch. dub. 4. n. 4.*

Bona profectitia ſunt, quæ habet Filius vel immediate a Patre, vel primario, intuitu, & occaſione Patris, Si vero data ſint etiam intuitu Patris, ſed Primario data ſint alia ratione e. g. ob Filii obſequia, talia bona non ſunt profectitia, ſed adventitia. Quod ſi Filius non ſit ſub patria poteſtate, tunc etiam ea, quæ illi dantur primario intuitu Patris, non cenſetur profectitia: *leg. adhuc ff. de uſufr. Sanch. l. 1. conſ. c. 2. dub. 7. n. 3. Leſſ. l. 2. c. 4. dub. 3. n. 7.*

Q. III. An præfata bona ſpectant ad Patrem, vel ad Filium.

R. I. Reſpectu bonorum caſtrenſium, & quaſi caſtrenſium Filius habet ipſorum pleniſſimum dominium, nempe proprietatem, uſumfructum, & adminiſtrationem. Conſtat ex toto titulo de Peculio Caſtrenſi in *ff. & Cod.* Si vero Filius nondum nactus fuerit pubertatem, adminiſtratio eſt apud Patrem, vel Tutorem; unde non poteſt de eis diſponere, vel alienare abſque ipſorum conſenſu: *§. Papillus ff. Inſt. de inutil. ſtipulat.*

R. II. Filius habet proprietatem in bonis adventitiis, non vero uſumfructum, ſed iſte eſt apud Patrem: *§. Igitur Inſt per quas perſonas l. quacumque leg. cum oportet c. de bonis quæ liberis &c.* Filius nihilominus habet ipſorum uſumfructum, ſi Pater ipſum cedat, nec tenetur eum computare in partitione cum aliis Fratribus. Item ſi ipſi aliquid donetur, vel relinquatur ex teſtamento cum conditione, ut habeat etiam uſumfructum: *Auth. ut liceat Matr col. 8. c. de bonis, quæ liberis &c.* Si vero Filius ſit hæres neceſſarius bonorum, quæ ipſi alias relinquerentur, cum in ea ſuccedat non ex diſpoſitione Teſtatoris, ſed ex diſpoſitione legis, non valet Teſtator, quia libere non diſponit de illis bonis, privare Patrem uſufructu ipſi a lege conceſſo. Pariter Filius habet uſumfructum bonorum, quæ Pater noluiſſet ipſum habere. Illi ſunt caſus frequentiores, in quibus Filius habet proprietatem, & etiam uſumfructum bonorum adventitiorum.

R. III. Pater habet proprietatem, uſumfructum, & adminiſtrationem circa bona profectitia Filii: *leg. cum oportet C. de bonis quæ liberis, §. Igitur Inſt. per quas perſonas.* Hoc igitur periculum ſolum proficit Filio, ut talia bona non publicentur, caſu quo bona Patris ob aliquod delictum publicarentur, *leg. 3. §. Sed utrum ff. de minorib.* Ab hac doctrina excipiendum eſt Patrimonium conſtitutum Filio a Patre pro recipiendis Sacris Ordinibus, vel Filio, aut Filiæ pro matrimonio contrahendo; nam licet hujuſmodi ſint profectitia, quatenus adducenda ſunt in hæreditatis partitionem cum aliis Fratribus, nihilominus uſusfructus, ex quo recepta fuere, non adducendus eſt in partitionem, nec idem uſusfructus, & adminiſtratio pertinent ad Patrem: *Molin. de Juſt. tr. 2. diſp. 233. Palaus diſp. unic. de Juſt. punct. 7. §. 1. num. 7.*

CAPUT VI.

De bonorum Eccleſiaſticorum dominio; & quomodo ſint impendenda.

Q. I. **Q**Uotuplicia ſint bona Eccleſiaſticorum.

R. Hujuſmodi bona ad tria genera reducuntur, nempe ad Patrimonialia, quaſi patrimonialia, & mere Eccleſiaſtica. Patrimonialia ſunt, quæ Eccleſiaſtici habent titulo ſucceſſionis, vel ab ipſis comparata fuere labore, induſtria, vel alio modo. Quaſi patrimonialia ſunt, quæ habet Eccleſiaſticus non ratione alicujus beneficij, ſed ratione alicujus miniſterii Eccleſiaſtici. Hujuſmodi ſunt ſtipendia, quæ habet pro Miſſa celebranda, pro adminiſtrandis Sacramentis, pro anniverſarii, pro vicaria temporalia, pro officio Cantoris. Non nego tamen aliquos velle non dicenda bona quaſi patrimonialia, quæ Eccleſiaſtici intuitu beneficii, vel officii Parochialis acquirunt, non acquiſituri, ſi non haberent beneficium ut ſunt ea, quæ dantur ex benedictione nuptiarum, pro adminiſtrandis Sacramentis, pro aſſociatione defunctorum &c. quæ bona etiam dicuntur fructus ſtolæ. Ratio eſt, quia quod datur ratione beneficii videtur eſſe bonum mere Eccleſiaſticum: *Van. Eſpen. p. 2. tit. 33. de pecul. Cleric. cap. 1. a num. 41.* At communior opinio contrarium docet, nam quamvis præfata bona non acquirerentur, niſi adeſſet beneficium, nihilominus non dantur a Laicis intuitu beneficii, ſed ratione induſtriæ, & laboris: *Molin. diſp. 142. num. 2., Laym. l. 4. tr. 2. cap. 3. num. 1. Engel. de Pecul. Cleric.* Illa denique dicuntur bona mere Eccleſiaſtica, quæ proprie titulo beneficii percipiuntur.

Q. II. Quale dominium habeat Eccleſiaſticus in bona præſata.

R. I. Eccleſiaſtici habent abſolutum dominium bonorum patrimonialium, aut quaſi patrimonialium. De bonis patrimonialibus exinde conſtat, quia non per hoc, quod aliquis aſſumat ſtatum Eccleſiaſticum amittit illud jus & dominium, quod antea habebat circa ſua bona patrimonialia, nec fit deterioris conditionis quam Laicus. Idem dicendum de bonis quaſi patrimonialibus, cum ea habent a Fidelibus in ſtipendium ſui operis, abſque eo quod vel ex natura rei, vel ex intentione dantium ſit illis adnexum aliquod onus, vel obligatio. Neque refert quandoque talia ſtipendia eſſe valde pinguia, cum libere dentur a Fidelibus; & hac ratione etiam pauper fit dominus pinguis eleemoſynæ, quæ ipſi tribuatur: *Laym. l. 4. tr. 2. c. 3. n. 1. Engel. de Pecul. Cleric. num. 2. Palaus de Juſt. diſp. un. p. 7. §. 3. n. 3.*

Solet hic eſſe lis inter DD. an quotidianæ diſtributiones ob aſſiſtentiam horis Canonicis reputanda ſint bona quaſi patrimonialia. Non pauci affirmant, quamvis enim illæ diſtributiones ex fructibus Beneficii extrahantur, nihilominus judicandæ ſunt velut bona quaſi patrimonialia, quia dantur ut ſtipendium diurni laboris. Ad eum modum, quo licet merces cantoris, magiſtri Grammatices &c. extrahatur ex fructibus Præbendæ, vel Beneficii, adhuc reputatur bonum velut patrimoniale, quia datur in ſtipendium laboris: *Pirching. de Pecul. Cleric. num. 2. Engel. ibid. n. 4.*

R. II. Eccleſiaſtici habent dominium etiam bonorum mere Eccleſiaſticorum. Ratio eſt primo, quia poſtquam facta eſt a legitima poteſtate diviſio rerum communium, unuſquiſque fit Dominus illius partis, quæ illi fuit aſſignata. De bonis autem mere Eccleſiaſticis facta eſt diſtributio in quatuor partes, prima nempe applicata fuit Pontifici, ſecunda Clericis, tertia fabricæ, quarta pauperibus: *cap. vobis enim, cap. cognovimus 12. quæſt. 2.* Quamvis igitur ante factam diviſionem non eſſent Eccleſiaſtici Domini bonorum mere Eccleſiaſticorum, quia adhuc erant communia, bene tamen poſt talem diviſionem, ut bene docet etiam S. Th. 2. 2. *q. 185. art. 7.* Probatur ſecundo, quia jus Canonicum ob diverſa crimina imponit Eccleſiaſticis hanc pœnam, ne ſcilicet faciant fructus ſuos, & ſufficit videre Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. & ſeſſ. 24. cap. 12.* Si ergo Eccleſiaſtici non

com-

commutant illa crimina, faciant fructus ſuos adeo-que ſunt ipſorum Domini. Denique probatur, quia invaluit conſuetudo, ut Eccleſiaſtici de ſuis bonis ſaltem valide teſtentur, ergo ſignum eſt ipſorum habere dominium.

Hæc opinio quoad bona convenientia honeſtæ Clerici ſuſtentationi, dici poteſt communis, & etiam quoad bona ipſi ſuſtentationi ſuperflua quamplures docent: *Molin. diſp. 143. num. 2. Barboſ. l. 3. Jur. Eccleſ. univ. cap. 17. Fagn. in cap. ſi quis ſane ult. de pecul. Cleric. Laym. l. 4. tr. 2. cap. 3. n. 3.* Fatendum nihilominus eſt quamplures docere Clericos non eſſe Dominos bonorum Eccleſiaſticorum ſuperfluorum; & moventur quia non ſolum jure antiquo, ſed etiam novo poſt factam talium bonorum diviſionem Eccleſiaſtici non dicuntur ipſorum Domini, ſed Procuratores; *cap. inquirendum 4. de pecul. Cleric. cap. 2. de Donat.* itemque dicitur non poſſe de iiſdem teſtari: *cap. 1. c. 3. c. 7. c. 12. cap. final de pecul. Cleric.* Addant, non potuiſſe Pontifices mutare naturam bonorum Eccleſiaſticorum; cum autem bona ſuperflua ſuſtentationi ante diviſionem fateantur omnes non fuiſſe ſub dominio Clericorum, nec habuiſſe poteſtatem talibus bonis abutendi ſine onere reſtitutionis, idem modo dicendum videtur. Item dicunt Pontifices non voluiſſe transferre per diviſionem dominium bonorum ſuperfluorum in Clericos, ſed id feciſſe ad evitanda ſcandala, & lites, nam remanente omnium bonorum diſtributione penes Epiſcopos, multi indebite diſtribui perſæpe conclamaſſent. Hinc concludunt hujuſmodi bona eſſe ſub ſpeciali dominio Chriſti, utpote ipſius intuitu data, ſicut bona deſtinata ad Fabricam, & ornatum Eccleſiarum, quorum non ſunt Domini, nec Clerici, nec Laici. Remanet ergo juxta hanc opinionem Clericos bonorum ſuperfluorum ſollummodo habere adminiſtrationem. Denique ad illoa textus, quibus dicitur Eccleſiaſticos facere fructus ſuos, reſpondent deſignari eſſe ſub ipſorum dominio, quæ ad congruam ipſorum ſpectant ſuſtentationem. *Van. Eſpen. p. 2. tit. 32. de pecul. Cler. Bellet. Diſquiſ. Clerical. de bon. Cleric. §. 2. n. 2.* & quamplures apud ipſum.

Q. III. An ſaltem debeat Eccleſiaſticus impendere in uſus pios ſuperflua ſuæ ſuſtentationi.

R. Bona mere Eccleſiaſtica, quæ ſuperſunt congruę ſubſtentationi, nullatenus impendi poſſunt in uſus profanos, ſed debeat piis operibus applicari. Probatur reſponſio primo, quia ita præcipit Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 1. de Reform.* Secundo quia apud ſacros Canones, & noviſſime apud Tridentinum loco citato, bona mere Eccleſiaſtica dicuntur res Dei, ſive Deo ſacratæ; ſicut autem dictat ratio naturalis turpe omnino eſſe res alicui Sancto dicatas in uſus profanos impendere, multo magis iniquum eſſet ita inſumere res Deo dicatas. Denique quia cum non ſolum SS. Patres & SS. Canones Raptores, & fures appellent Clericos, qui bona mere Eccleſiaſtica in uſus profanos inſumunt, ſed etiam ipſos veluti Tutores & Patres pauperum nuncupent, dant ſaltem intelligere peculiari quadam ratione obſtatum Clericatus ad ipſos pertinere opitulari indigentibus; & ita ipſorum bona etiam patrimonium Chriſti appellant. Quamvis igitur non ſatis appareret ex Juſtitia teneri ad eroganda ſuperflua ſuo ſtatui in uſus pios, cum ſolum per quamdam exagerationem contrafacientes a pluribus dicatur fures appellari; nihilominus etiam ratione ſtatus Clericalis peccabunt mortaliter, ſi notabilem quantitatem ex præfatis non impendant in uſus pios.

Ex his autem habetur non ſolum ex jure Eccleſiaſtico oriri obligationem erogandi ſuperflua in uſus pios, nam aliter facientes vel peccant contra Charitatem, quia diſtrahunt in alios uſus deſtinata a fidelibus in ſubſidium pauperum; vel contra Religionem, quia, male impendunt res, quæ Dei ſunt; vel contra Juſtitiam, pro libito diſponentes de iis, quæ ſua non ſunt, unde neceſſe eſt etiam contra jus naturale, & Divinum peccare: *Vaſq. Opuſc. de eleem. cap. 4. n. 12.*

Hic autem ſemper præ oculis duo ſunt habenda. Primum eſt, non ſtatim condemnandum peccati mortalis Eccleſiaſticum, qui ex ſuperfluis propriæ ſuſtentationi diſtrahit in uſus profanos eam quantitatem, quæ in furto ſufficiens eſſet ad peccatum mortale. Id taxandum eſt arbitrio prudentum, adeo ut ſi multa ſuperſint ex bonis Eccleſiaſticis, ad peccatum mortale neceſſaria ſit major quantitas; & minor, ſi minora ſuperſint ex ipſis bonis. Secundum eſt, quod cum Clericus habeat jus, ut ſuſtentetur ex bonis mere Eccleſiaſticis, ſi in ſui ſuſtentationem inſumat bona patrimonialia, aut quaſi patrimonialia, poteſt ſibi compenſare ex bonis mere Eccleſiaſticis, & tantum ex iſtis impendere ad ſui libitum, quantum ex præfatis bonis conſumpſit. Idem dicendum ſi propria parſimonia detrahat de bonis Eccleſiaſticis, quæ ad propriam conveniunt ſuſtentationem; cum etenim horum plene ſit Dominus, poteſt ad ſui libitum de bonis patrimonialibus diſponere: *Laym. l. 4. tr. 2. c. 3. n. 2. Leſſ. l. 2. c. 4. n. 37. Engel. de pecul. Cleric. n. 7.*

Q. IV. Quomodo regulanda ſit congrua ſuſtentatio Eccleſiaſtici.

R. Hujuſmodi congrua ſubſtentatio regulanda eſt arbitrio virorum prudentum, & timoratæ conſcientiæ, qui debent attendere ſequentia. Primo, debent conſiderare, quam dignitatem, & ſplendorem afferat Beneficium, & hujuſmodi debent decenter ſuſtineri arbitrio prudentum, intra limites tamen modeſtiæ Eccleſiaſticæ: *Sanch. l. 2. conſ. c. 2. dub. 91. Molin. diſp. 35. Barb. l. 3. jur. Eccl. c. 13. n. 138.* Secundo, debet attendi nobilitas, & doctrina Beneficiarii, nam colligitur ex ſacris Canonibus ita plura deberi pro decenti ſuſtentatione: *Gloſſ. in cap. conquerente 6. de Cleric. non reſid. V. ſufficientia, erga cap. de multa 28. de præb. V. ſublimes, Trident. ſeſſ. 24. c. 17.* Et ratio eſt, quia tam nobiles, quam literati honorem, & utilitatem conferunt Eccleſiæ, unde æquitas poſtulat, ut non ſolum quia ſublimioris ſtatus cenſentur, ſed etiam quia majora habent merita, plus quoque pro congrua ſuſtentatione ipſis aſſignetur: *Laym. cit. n. 2.* & communiter. Advertas tamen pro literatis non intelligi eos, qui tales ſe reputant, vel ſolum vix ſunt mediocriter docti, quamvis ita ſe inflent, verbiſque magnificent, quaſi Primam Salmantinam Cathedram occuparent. Item advertendum non licere illis tantum ex bonis Eccleſiaſticis inſumere, quantum judicarent inſumere poſſe ex bonis patrimonialibus ad conſervandum ſplendorem ſuæ nobilitatis. Tertio, debet attendi in congrua ſuſtentatione includi etiam moderata convivia interdum facta amicis, & Conſanguineis juxta qualitatem proprii ſtatus, ſicut etiam moderatas donationes factas ad conciliandos animos, & ad benevolentiam oſtendendam ipſius etiam conſanguineis: *Lugo de Juſt. diſp. 4. ſect. 4. n. 66. Laym. l. 4. tr. 2. c. 3.* Quarto, obſervandum hanc congruam ſuſtentationem non conſiſtere in indiviſibili, ſed admittere medium, infimum, & ſummum, & ita videmus inter viros Eccleſiaſticos ejuſdem qualitatis, & conditionis; aliquos plus impendere, aliquos minus, licet omnes ſint timoratæ conſcientiæ. Quamvis autem poſſit Beneficiarius impendere uſque ad ſummam juxta ſui conditionem, melius faciet, ſi medium teneat. Moneo etiam ſæpe non expedire plurimorum, attendere conſuetudinem; nam plures dantur parum timorati, & indocti, qui ſuam ſuſtentationem pro ſua voluntate menſurantur.

Q. V. Qui veniant nomine Pauperum, quibus Eccleſiaſticus debet dare ſuperflua proprio ſtatui.

R. Pro hujuſmodi pauperibus non debent intelligi ſolum ii qui oſtiatim quærunt eleemoſinam, immo his minus quam aliis eſt tribuendum, quia ſemper inveniunt onde vivant. Præcipue igitur ſunt ſublevandi illi, qui non ſunt tam humili loco nati, & aliunde non habent quomodo vivant juxta conditionem ſui ſtatus, nec ſine maximo rubore publice petere poſſunt eleemoſynam. Si inter pauperes conſanguinei, magis iſti ſunt ſublevandi, quam alii; cum magis teneamur noſtris, quam externis. Hic etiam obſervandum, quod ſi aliquis acquireret aliquam conſpicuam Dignitatem in Eccleſia, maxime Cardinalatus, aut Epiſcopatus, etiam Conſanguinei quodammodo elevantur ad Statum altiorem, unde ſi ex ſe non habeant quomodo decenter ſuſtententur, prout exigit Conſanguinitas, ſive affinitas cum illo Eccleſiaſtico, poteſt iſte ex redditibus ſui Beneficii, quæ neceſſaria ſunt ipſi tribuere: *Molin. diſp. 146.*

Regulæ in praxi Obſervandæ.

I. Si Confeſſarius adinveniat Clericum inſumpſiſſe bona Eccleſiaſtica ſuperflua ſuo ſtatui in uſus non pios, quæſo antequam eximat illum ab onere reſtituendi, bene perpendat, an ſatis probetur ea opinio, qua dicitur non teneri ex juſtitia talia bona in pia opera impendere, nam contrariam *certiſſimam, & nullum dubium admittere*, dicit Sfrondratus; opinionem non inducentem obligationem juſtitiæ eſſe *errorem graviſſimum contra bonos mores, & contra juſtitiam*, dicit Sotus *in Tract.*

de vit. Sacerd. in princ. Juris Hæreſim appellat Archidiac. *in cap. Statatum §. Aſſeſſorum de Reſcript. in 6. Novam, & periculoſam* Comitolus *l. 1. q. 70.* ac denique ſententiam contrariam unice *veram* dicit *Tannerus tom. 3. diſp. 4. de Juſt.* Ego ſi verum fateri debeo, nunquam ſequenti adverſæ opinionis ratiocinio potui reſpondere. Ultro igitur etiam concedatur Clericos habere dominium bonorum ſuperfluorum, non videtur poſſe negari hoc illis competere ſub certa conditione, & pacto illa erogandi in uſus pios, quoties re vera evadant illis ſuperflua, adeoque peccabunt contra juſtitiam eadem bona in tales uſus non inſumendo: ficut diceretur peccare contra juſtitiam ille, cui aliqua ſumma data eſſet ad peregrinandum, eum conditione dandi paupeeibus, quod ſupereſſet, ſi re vera non daret. Quod autem tradita ſint Clericis bona Eccleſiaſtica ſub præfata expreſſa, vel tacita conditione, inde, meo videri, ad evidentiam deducitur, quia fideles dando bona Eccleſiis, intellexerunt facere opus undequaque pium, ac meritorium pro anima ſua, adeoque ſalrem tacite voluere ut omnia in pios uſus impederentur. Hinc SS. Canones relicta Eccleſiis appellanr res Dei, patrimonium Chriſti, & pauperum, vota fidelium, pretia peccatorum. Ita habent plures Canones conſenti *cauſa 12. q. & cauſa 16. q. 1.* Sciat ergo Conſeſſarius, quod hoc ratiocinio omnino convictus obligarem ad reſtitutionem Ecceleſiaſticum, qui non pie ſuperflua impendiſſet; & ſi aliquando forte a reſtitutione excuſavi, id intelligendum volo, dum aliqua ſibi neceſſaria ſubrraxerit, & pie non erogaverit.

II. Notet Confeſſarius non raro Eccleſiaſticos errare in regulanda propria decenti ſuſtentatione. Nobiles Eccleſiaſtici excedunt non raro in propriis veſtibus, quæ aliquando, ſi minus accederent ad pompam ſecularium, non ita eos dedecerent. Excedunt non raro in numero earundem veſtium. Excedere poſſunt in largitionibus, quæ faciunt Perſonis ſibi conjunctis. Excedunt io inſumendo in ludis, qui non ſemper fiunt honeſtæ recreationis gratia. Excedere poſſunt in victu, dum fere ſemper cibos non mediocris valoris volunt. In his omnibus data proportione excedera poſſunt Eccleſiaſtici non ignobiles; & certe non ſine ſtomaco auditur quandoque Rectores animarum in prandiis magnam pecuniam inſumere, quando pauperes, quos debereot alere, in ſumma egeſtate reperiuntur. Quod ſi ita agendo graviter illaqueare propriam conſcientiam aliquis afferat, ipſi irridendo admonitionem parvipendunt; & dum ſe ſuorum eſſe redituum Dominos reſponderunt, magiſtralem tationem, qua ſibi liceat non levem ipſorum partem in prandiis inſumere, aſſignaſſe opinantur. Oh talium miſerabilium Eccleſiaſticorum quam maxime illacrimanda ignorantia!

III. Advertat Confeſſarius etiam peccate, poſſe Eccleſiaſticos in applicando ſupetflua operibus piis, ſi in iis debitum ordinem non ſervent. Aliis igitur piis operibus anteponendi ſunt pauperes; unde bona Eccleſiaſtica *pauperum patrimonia* dicuntur; & ita Canones ob ſublevandos pauperes etiam permittunt ipſa Eccleſiæ vaſa diſtrahere: *can. aurum. 70. cauſ. 12. q. 2.* ubi eriam advertendum, nomine pauperum non ſolum intelligi eos qui carent neceſſariis viræ aut naturæ, ſed etiam nobiles maxime ſi non ex proprio vitio careant neceſſatiis ad decentem ſui ſuſtentationem: *can. conſideranda 17. diſt. 86.* & communiter. Inſuper in ſubveniendo pauperibus debet convenientem diſtributionem attendere; adeoque non dandum eſt uni pluſquam neceſſe ſit; ne ita impotens reddatur Eccleſiaſticus ad alios ſublevandos: *can. pulchra 18 diſt. 86.* Inter pauperes eriam eſt ordo ſervandus, ita ut primo ſubveniatur magis indigentibus, & inter hos conſiderandi, qui mendicare erubeſcunt; nam hi ſolent pluſquam alii, egeſtate premi; *can. conſideranda 17. diſt. 86.* Cæteris autem paribus, aliis pauperibus præſerendæ ſunt perſonæ bonæ vitæ: *can. non ſtatis 14. ibid.* At ſupra cæteros in æquali egeſtate præferendi ſunt conſanguinei, cum non ſolum titulum habeant paupertatis, ſed etiam ſanguinis: *can. cæterum can. eſt probanda diſt. 86.*

Videat ergo Confeſſarius non eſſe tutum in conſcientia illum Eccleſiaſticum, qui, poſtpoſitis pauperibus, ſuperflua in alios uſus pios inſumit, etiam in ornamenta propriæ Eccleſiæ non neceſſaria, vel reſervata fundanda Beneficia &c. Quid ergo dicendum de illis Eccleſiaſticis tam ſæcularibus, quam Regularibus, qui bona Eccleſiaſtica inſumunt ſine neceſſitate in ampliandis propriis ædibus, Monaſteriis & in ſuperfluis ornamentis, quando adſunt pauperes; qui ita contra eos S. Bernardi verbis inclamant: *Noſtrum eſt, quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur quod expenditis, noſtris neceſſitatibus demitur, quidquid accedit vanitatibus veſtris! ep. 42. ad Archiep. Senonenſ.*

Si Eccleſiaſtici ſuperflua non conſumpſerint, quia non adſint pauperes (hoc difficillime evenit dum Eccleſiaſtici volunt ſuæ obligationi ſatisfacere) putat *Lugo de Juſt. diſp. 4. ſect. 3. n. 38.* debere dare, & relinquere ſuperflua Eccleſiæ, in qua habent beneficium. Id tamen intelligendum eſt, ſi non ſit ſufficienter proviſa, vel ære alieno gravetur, nam ſi non indigeat, conveniens eſt ut ſuperflua eroget in aliis cauſis piis magis indigentibus.

IV. Ne Confeſſarius pluſquam par eſt, inquietet Eccleſiaſtici conſcientiam, qui timeat an bene diſpenſaverit bona Eccleſiaſtica, vel velit de propriis bonis diſponere: primo videat an reditus ſui beneficii excedant ipſius congruam ſuſtentationem. Si non excedant, omnino liber eſt a peccato, quocumque modo diſtribuerit bona ſua, etenim etiamſi implicaverit in ſui ſuſtentationem bona patrimonialia, quaſi patrimonialia, & parſimonialia, potuit loco illorum ſubrogare quæ habuit ex beneficio, nam jus habebat illius reditibus ſe ſuſtentandi. Poteſt proinde de bonis, quæ habet, libere diſponere. Duo tamen advertere debet, nempe de ſuperfluis, etſi non ſint bonis Eccleſiaſticis, debere pauperibus ſubvenire eo modo quo, dixi in Tractatu de Charitate. Item removere debet quantum poteſt ſcandalum ſæcularium, nam hi videntes Eccleſiaſticos ſuperfluos facere ſumptus, vel multas divitias ex teſtamento relinquere, ſolent ubique de Eccleſiaſticis detrahere, quaſi quæ omnino debita ſunt pauperibus, in conſanguineos, vel alios diſtrahant.

Si vero reditus Beneficii vere ſuperſint congruæ ſuſtentationi, & non conſumpſerit Eccleſiaſticus in ſublevando pauperes, in alios uſus pios, ut ſupra dictum eſt, primo confeſſarius curet, ut graviter doleat de hujuſmodi peccaro. Secundo, ut hujuſmodi ſuperflua ſtatim pie eroget, & ſi eſt in puncto mortis, moneat hujuſmodi Eccleſiaſticum non ſatis conſulere ſuæ conſcientiæ, ſi prætermiſſis pauperibus, diſponat talia bona in alios uſus pios impendenda.

V. Moneat Confeſſarius Eccleſiaſticorum Conſanguineos, ne importuni ſint in expoſtulando excedentes donationes, ſi ſciant Eccleſiaſticum non habere de bonis patrimonialibus, unde ita poſſit elargiri. Certe primo peccant peccato ſcandali, nam inducunt Eccleſiaſticum ad elargiendum, quod ſine gravi culpa dare non poteſt. Secundo io opinione, quam credo veriſſimam, non poſſe ea dare ſine onere reſtituendi; idem onus ſubire deberent tales conſanguinei. Hinc ſi ex teſtamento reſtinquantur hæredes, ſemper conſulerem, ut animadverterent an vere in hæreditate adſint bona vere Eccleſiaſtica: nam quamvis amplecti velint opinionem ad reſtitutionem non obligantem, conſtat ex quotidiana experientia ob hujuſmodi bona etiam proprias facultates perire.

QUÆSTIO II.

De Reſtitutione.

CAPUT I.

De Reſtitutionis natura, ejuſque Radicibus.

Q. I. Quid ſit Reſtitutio.

R. In præſenti ſumitur reſtitutio in ſenſu rigoroſo, quatenus importat reparationem damni alteri irrogati. Hinc differt a ſolutione, & a ſatisfactione; nam ſolutio non ſupponit damnum irrogatum, ſed etiam abſque illo exhibetur, ut cum ſolvimus Deo, quod promiſimus per votum, vel ſolvimus venditori pretium rei venditæ. Differt vero a ſatisfactione, quatenus hæc ſolet exhiberi pro damnis irrogatis in honore, & fama, reſtitutio autem fit pro damnis irrogatis in bonis fortunæ. Hinc per pœnitentiam nihil reſtituimus Deo, cum nihil ab ipſo fuerit realiter ablatum per peccatum, ſed ei ſatisfacimus pro injuſtitia ipſi illata, & ita dicitur pars integralis Pœnitentiæ.

Reſtitutio prædicto modo ſumpta ita communiter definitur: *Reſtitutio eſt actus juſtitiæ commutativæ, quo reparatur damnum proximo irrogatum.* Jam dixi *cap. 1.* præcedentis quæſtionis obligationem reſtitutionis non poſſe conſurgere ex nuda juſtitia diſtributiva, ac proinde in allata definitione dicitur actus juſtitiæ commutative.

Q. II. An detur præceptum Reſtitutionis; & an ſit poſitivum, vel negativum.

R. I. Datur præceptum naturale reſtituendi, etenim ſicut

ſicut jus naturale præcipit non auferre ab altero rem ſuam, ita & quod reſtituatur res ab altero ablata. Id etiam præcipitur præcepto Divino, unde dicitur *Exod. 22. Si læſerit quiſpiam agrum, vel vineam &c. damni æſtimationem reſtituet. Ad Rom. 8. Reddite omnibus debitum.* Item de reſtitutione datur præceptum poſitivum humanum: *cap. peccatum de regul. jur. cap. ſicut dignum de homicid. &c.* Quamvis igitur reſtitutio non ſit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, ut patet in eo, qui eſt impotens ad reſtituendum; nihilominus votum reſtituendi eſt neceſſarium neceſſitate medii, cum unuſquiſque debeat habere animum adimplendi præcepta, ad quæ tenetur, ſemper cum poteſt.

R. I. Præceptum reſtituendi revera eſt negstivum, nam idem eſt ac præceptum non retinendi rem alienam, invito Domino. In idem igitur coincidere videntur præceptum negativum non furandi, & præceptum reſtituendi, nam qui prohibet rem alienam invito Domino ſurripere, & prohibet non retiuere; unde hoc præceptum quia negativum violstur per actum poſitivum, nempe per dictam retentionem. Obligat etiam ſemper, & ad ſemper, ſicut alia præcepta negativa; nam ſemper & pro ſemper obligat ad reſtitutionem rei alienæ, quando Dominus eſt rationabiliter invitus, ut res ſua retineatur; & ita eſt continuo peccato ille, qui dum poteſt non reſtituit. Neque refert dicere præcepta negativa violari per actum poſitivum, adeoque non eſſe præceptum negativum præceptum reſtituendi, cum per actum negativum frangatur, nempe non reſtituendo. Non refert, inquam, hoc dicere, quia revera violatur per actum poſitivum, nempe retinendo rem alienam: *Lugo de Juſt. diſp.8.n.18. Anton. a Sp.S.tr.10.d.7.n.248.*

Q. III. Quæ ſint radices reſtitutionis.

R. Radices reſtitutionis commode reducuntur ad duo capita, unde poteſt dici obligationem reſtituendi oriri *ex injuſta actione, & ex re aliena. Injuſta actio* importat obligationem reſtituendi ob quodcumque peccatum commiſſum contra Juſtitiam commutativam, nempe vel furto, vel uſura, vel adulterio, vel homicidio, vel damnum quodcumque in bonis fortunæ inferendo. *Res aliena* quamvis poſſit explicare etiam obligationem reſtituendi, quam habet fur, qui alterius rem furatus eſt, eamque apud ſe retineat; nihilominus cum hæc obligatio melius explicetur ex prima radice reſtitutionis; nempe ex injuſta actione, ideo *res aliena* explicat obligationem poſſeſſoris bonæ fidei, illius nempe, qui retinebat rem alienam, neſciendo eſſe alienam, quam tamen reſtituere tenetur, ſtatim ac ſcit eſſe alienam. Ad hanc radicem reducuntur, quæ debentur ex quocumque contractu, v.g. legato, promiſſione, mutuo &c. nam licet ille, cui res debentur ex tali titulo, non habeat jus in re, habet tamen jus ad rem, ſive ut res ſibi tradatur, unde eam retinens poteſt dici rem alienam retinere. His addi poteſt alia reſtitutionis radix, quæ a Juriſtis dicitur *ex quaſi contractu*, & datur in eo, in cujus abſentia aliquis ſine ipſius mandato ejus negotia utiliter geſſit, impendendo aliquid de proprio, quod omnino reſtituendum eſt. Ita etiam Tutori reſtituenda ſunt, quæ ex propriis impendit, bona fide negotia ſui pupilli faciendo: *§. igitur & 6. Tutores Inſtit. de Oblig. quæ quaſi ex contr. naſcitur.*

Q. IV. Ex qua culpa conſurgat injuſta actio, vel omiſſio obligans ad reſtitutionem, quando damnum ſequitur præter intentionem operantis.

R. Antequam reſpondeam quæſito, præmitto celebrem diviſionem culpæ, in Theologicam ſcilicet, & juridicam. Culpa Theologica conſideratur a Teologo, quatenus eſt connexa cum peccato mortali, vel veniali. Culpa juridica præſcindit a peccato, & conſurgit ex eo quod omittatur aliqua diligentia, unde poſtea alterius damnum conſurgat. Hujuſmodi culpa alia eſt *latiſſima*, ſcilicet dolus manifeſtus; *alia latior*, ſcilicet dolus præſumptus; alia *lata*, ſcilicet omiſſio diligentiæ, quam communiter adhibere ſolent diligentes in tali re, vel negotio; alia *levis*, nempe omiſſio diligentiæ, quam adhibere ſolent *diligentiores*; alia *leviſſima*, omiſſio ſcilicet diligentiæ, quam adhibere ſolent diligentiſſimi. Si quis e.g. aliquam rem non exigui valoris ſibi commodatam relinquat domi in cubiculo, quo multi etiam externi poſſunt intrare, dicitur omiſiſſe diligantiam, quam communiter ſolent adhibere diligentes ad conſervandam rem alicujus valoris ſibi commodatam, & ita dicitur committere culpam *latam*. Si vero eam relinquat in ſecretiori domus cubiculo, ubi ſolum e.g. Uxor, vel alter Domeſticus probatæ fidei habet acceſſum, adhuc dicitur commi-

tere culpam levem, ſi cubiculum clave non obſeravit, quia ita ſolent facere diligentiores. Si vero clave cubiculum obſeravit, ſed omiſit impellere januam ad probandum an re vera fuerit clave obſerata, dicitur commiſiſſe culpam leviſſimam, quia omiſit quod ſolent facere diligentiſſimis. His prælibatis.

Dicendum in foro conſcientiæ non dari obligationem reſtituendi, niſi damnum ſequatur ex culpa gravi Theologica, quæ de ſua natura ſit cauſativa talis damni. Probatur reſponſio hac unica brevi, ſed efficaci ratione, quia ſcilicet, cum hic ſermo ſit de reſtitutione, quæ oriri poteſt ex injuſta actione, ut detur obligatio reſtituendi pro foro conſcientiæ, talis actio debet eſſe injuſta in foro conſcientiæ, at nunquam verificatur facere actionem injuſtam, qui non cauſat damnum ex ſua gravi culpa, ex quocumque capite teneretur ad tale damnum impediendum etiam ex officio, vel ex contractu: *Lugo de Juſtit. diſp 8. ſect.4. a n.49. Laym.l.3.tr.3.p.1.c.6.nu.1. Tamb. in Decal.l.8.tr.3.c.2.§.1. & 4.*

Dices poſſe etiam abſque peccato mortali eſſe obligationem reſtituendi; ut ſi damnum commiſſum fuerit ex culpa veniali, quamvis tunc obligatio reſtituendi ſit tantum ſub levi.

Contta nihilominus eſt, quia in materia levi utique poteſt dari obligstio ſub levi reſtituendi, quando ſcilicet aliquis damnificavit alterum cum plena advertentia in eadem materia levi. At ſuppoſito damnum eſſe grave, vel erit obligatio reſtituendi ſub gravi, vel nulla erit obligatio. Ratio eſt, quia materia gravis de ſua natura importat grsvem obligationem: ſi ergo non illatum ſit damnum grave ex culpa gravi, jam deerit omnis obligatio reſtituendi, ſcilicet non levis, quia damno gravi ſolum correſpondet obligatio reſtituendi ſub gravi; non gravis, quia non fuit commiſſum ex culpa gravi.

Addidi in reſponſione, niſi ſequutum fuerit ex culpa, *quæ de ſua natura ſit cauſativa talis damni*, ad deſignandum non teneri ad reſtitutionem illum, qui quamvis peccet mortalitet, faciendo aliquam actionem injuſtam, nihilominus hæc non eſt de ſua natura ordinata ad damnum grave inferendum. Exemplum ſit in fure, qui ingreſſus eſt domum ad furandum, & caſu domum incedit: iſte non tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ ſequuta fuerunt ex tali incendio, nam quamvis graviter peccaverit domum ingrediendo animo furandi, nihilominus ejus actio non eſt ex ſua natura cauſativa talis damni, & reſpectu incendii eſt involuntaria. *Leſſ. l.2.c.2.n.26. Bonac. diſp.1. q.3. §. unic. n.9.* & alii, quos ſequitur *Dian.5.p. tr.4. reſol.46.* Itam exemplum ſit in eo, qui adhibet omnem diligentiam, quam debet adhibere ad præcavendum alterius damnum, at omitit majorem facere diligentiam, ad quam tamen non tenetur, ea prava intentione ut damuum alterius ſequatur. Iſte quidem peccat mortaliter ob præfatam malam intentionem, at nihilominus cum ejus actio non intelligatur mortaliter cauſativa talis damni, in ſuppoſitione quod ſequatur, quia fecit quantum debebat ad præcavendum illud, non intelligitur in effectu; ſed ſolum in affectu Juſtitiam lædere; obligstio autem reſtitutionis conſurgit, eo quod re vera lædatur Juſtitia, & non ſolum affective: *Bonac. cit. n.7.*

Scio quamplures obligare ad reſtitionem illum, qui dans operam rei illicitæ alteri cauſat damnum, quamvis præter intentionem. Item ad reſtitutionem damnant illum, qui eo animo aliquam levem diligentiam omittit ut damnum proximi ſequatur. Verum ultra rationes directas ſupra allatas, quæ illum excuſant, habemus validiſſimam rationem reflexam, quia nempe in dubio *melior eſt conditio poſſidentis*; unde cum in ſupradictis caſibus valde ſit dubitandum tum propter rationes intrinſecas utriuſque partis, tum propter extrinſecam authoritatem Doctorum inter ſe diſſidentium, an conſurgat obligatio reſtitutionis, conſequens eſt non debere tale onus poſſidenti imponi: *Sanch.l.2. conſ.cap.4.dub.5.n.9. Leſſ.l.2 cap.7. dub.6.n.26. & c.9.dub.16.n.113.*

R. II. Quæ huc uſque dicta ſunt non militant pro foro externo, nam ſtatim ac in hoc foro probata eſt culpa Juridica major, vel minor juxta diverſitatem rerum, quas infra explicabo, Judex condemnat ad damnum reparandum, non inquirendo an cum tali culpa unita ſit etiam culpa Theologica. Verum foro externo non ſemper conformare ſe debet forum internum, quamvis primum non innitatur tali præſumptioni. Dantur igitur quædam leges ſolum ordinatæ ad tuendsm publicam pacem, & ad faciendum ut homines diligentes ſint ad damna alterius

rius præcavenda. Iſtæ leges ſolum reſpiciunt forum externum, cum ſolum externam pacem, & politiam reſpiciant; unde ante ſententiam Judicis non tenetur ſe illis conformare forum internum. Ita ex vi *leg. 1. & leg. penult. ff. de his qui deficiunt; vel effodiunt.* Caput Familiæ tenetur compenſare damnum factum tranſeunti, ſi aliquid e ſua domo projectum fuerit, nec fuit proclamatum, ut tranſeuntes damnum poſſent vitare. Huic legi reſpicienti ſolum externam pacem non tenetur ſe conformare pro foro conſcientiæ Caput familiæ, ſi nullam habuit culpam in tali damno inferendo. Idem dicas de legibus, quæ obligant Dominum ad compenſandum damnum factum a ſuo animali, quamvis ſine ſua culpa: *tot. titul. quadrupes pauperem feciſſe dicatur in inſtit. & in ff* ſicut & damnum culpabiliter quidem factum a mancipio, ſed ſine culpa Domini, *§. Domino Inſtit. de Noxalib. Action. l. quoties l. de illo ff. ead. tit.*

Poſt ſententiam vero Judicis teneretur quis ſolvere quantum Leges decreverunt; nam cum Judicis ſententia eſſet juxta, utpote judicans ſecundum leges reſpicientes publicam pacem, bene poteſt inducere obligationem etiam pro foro conſcientiæ: *Luga diſp. 8. a nu. 39. Sanch. l. 1. de matr. diſp. 37. n. 4.*

Q. V. Quid conſiderare debeat Confeſſarius ad judicandum, an interceſſerit culpa obligans ad reſtitutionem.

R. I. Juxta Forum externum ad dignoſcendum culpam obligationem ad reſtitutionem, ſequentia eſſent obſervanda. Si aliquis habeat rem alterius ſolum ob ſui commodum, ut in Commodato, ſi pereat, tenetur etiam de culpa leviſſima. Si vero ipſi ſit tradita in commodum utriuſque, ut ſi quis equum pretio conductum haberet, tenetur de culpa levi. Denique ſi quis habeat rem alterius ſolum ob commodum ipſius, ut in depoſito, tenetur ſolum de culpa lata. Ita judicat forum externum, quod ſequuntur quamplures Doctores etiam pro foro conſcientiæ.

R. II. Cum non dixerimus non conſurgere obligationem reſtituendi pro foro conſcientiæ, niſi interveniat gravis culpa Theologica, ſequitur hanc eſſe per nos unicam regulam, attendendam a Confeſſario, ut videat, an ſit obligatio reſtitutionis ex quacumque actione damnum proximi ſequatur. Verum obſervare debet Confeſſarius, quod ea culpa, quæ in aliquo caſu eſſet levis, vel etiam leviſſima, in alio poteſt eſſe gravis propter majorem obligationem, quam quis poteſt habere circa cuſtodiendas res proximi. Ad eum modum quo injuria, quæ prolata a filiofamilias in extraneum eſt levis, gravis reputatur, ſi eadem injuria conviciet Patrem, utpote quia tenetur erga ipſum ad majorem reverentiam. Applicando igitur doctrinam ad caſum noſtrum. Culpa quæ erit levis in eo, qui teneretur removere damnum proximi ſolum ex communi hominum convictu, poterit eſſe gravis in eo; qui ad hoc tenetur ex officio, vel ex contractu, iſti enim habent majorem obligationem cuſtodiendi rem alienam. Item culpa quæ erit levis in eo, qui tenetur cuſtodire rem alienam ex contractu, ſed ſolum in gratiam alterius facto, poterit eſſe gravis in eo, qui ad hoc munus tenetur ex contractu facto in gratiam utriuſque; & multo magis ſi fuit factus ſolum in gratiam ſui; nam ſtatim patet iſtum teneri ad diligentiorem cuſtodiam rei alienæ. Penſandæ ergo ſunt omnes circumſtantiæ, & ſi in caſu particulari culpa, quę alias eſſet levis, reputaretur propter majorem obligationem gravis, Confeſſarius debet obligare Pœnitentem ad reſtitutionem: *Leſſ. l. 2. c. 7. dub. 7. num. 32. Lugo diſp. 8. ſect. 9. n. 114.*

Facilius erit confeſſario dignoſcere culpam gravem in eo, qui ſe obligaſſet ad adhibendam diligentiam multo majorem quam alii; vel locaſſet operam ſuam in tractandis rebus, quæ ſummam expoſcerent diligentiam, nam iſte ex obligatione voluntarie aſſumpta peccaret graviter, ubi alii fortaſſe neque venialiter peccarent, ut evenire facile poſſet in primo caſu.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Eo quod præceptum obligans reſtitutionem ſit negativum, advertere debet prudens Confeſſarius non ſatis eſſe diſpoſitum pro abſolutione Pœnitentem qui habet animum reſtituendi, niſi ſimul habeat animum reſtituendi ſtatim ac dabitur opportunitas, dum poſſit; ita enim expoſcunt præcepta negativa, quæ obligant ſemper, & pro ſemper.

II. Cum ille, qui tenetur ex officio ad alterius damnum præcavendum, debeat ſcire, quæ ad tale officium pertinent, ad quod non tenetur qui ex officio non obligatur, ideo obſervandum, Theologos, Confeſſarios, Parochos, Juriſconſultos &c. dantes ex ignorantia craſſa pravum conſilium, ex quo ſequatur alterius damnum, teneri ad reſtitutionem; etenim cum ex vi proprii officii teneantur ad talem ignorantiam expellendam, jam ſi pravo conſilio ſunt cauſa alterius damni, clarum eſt provenire ex ipſorum injuſta actione graviter culpabili, & per conſequens teneri ad reſtitutionem.

III. Cum dixerimus ſecundum majorem, vel minorem obligationem culpam, quæ in aliquo levis eſt, in alio poſſe eſſe gravem, & obligare ad reſtitutionem, ideo Confeſſarius in penſanda negligentia, ex qua damnum ſequutum eſt, debet præcipue attendere, an quis teneretur ex ſtipendio ad tale damnum removendum; nam tunc, cum conſurgat major obligatio, omiſſio majoris diligentiæ poteſt gravis judicari. Demus e.g. Medicum aliquem curare non ex ſtipendio, ſed ex pura charitate; ſi non ſit ita frequens, & diligens in inviſendo infirmo, non ita facile graviter peccabit, dummodo notabiliter non deficiat. At bene omiſſio illius diligentiæ, quæ in præfato caſu reputaretur levis, gravis poſſet judicari, ſi ex ſtipendio medeatur ægroto; nam tunc tenetur & diligentius, & frequentius inviſere infirmum. Idem dicas de Juriſconſulto, de Cuſtode rerum alterius &c.

CAPUT II.

De obligatione reſtituendi quam habet Poſſeſſor bonæ, malæ, vel dubiæ fidei.

Q. I. QUæ teneatur reſtituere Poſſeſſor bonæ Fidei.

R. I. Poſſeſſor bonæ fidei, hoc eſt, ille, qui ſine conſcientia peccati mortalis poſſidet rem alienam, ſtatim ac cognoſcit rem eſſe alienam, & debet eam Domino reſtituere, tenetur illam reſtituere ſi extet. Ratio eſt, quia vel eam acquiſierit contractu lucrativo, v.g. per donationem, vel contractu oneroſo, v.g. per emptionem, non proinde verus Dominus illius rei amiſit dominium, quando non tranſierit tempus requiſitum ad præſcriptionem; eo autem quod res ſit aliena, non poteſt retineri, quia detentio rei alienæ furto æquiparatur. Poterit vero agere ad reſtitutionem pretii contra illum, qui eam ipſi vendidit, ut per ſe clarum eſt, & habetur *leg. mater tua 3. l. Mancipium 23. Cod. de rei vendic. D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 6. Luga diſp. 17. ſect. 1. n. 1.*

Ubi etiam obſervandum, poſſidentem bona fide rem alienam uſu non conſumptibilem, ut equum, agrum &c. non plene ſatisfacere propriæ conſcientiæ, ſi loco rei vellit dare pretium æquivalens; nam cum ſit ſub dominio prioris Domini, injuſte cogeretur rem ſuam vendere, vel commutare; ut habetur etiam *leg. manifeſti Cod. de ſolution.* Non eſſet vero id grave peccatum, quando Dominus non haberet ſpecialem affectum ad ipſam rem, & facile poſſet, pretio ſibi tradito, aliam ſimilem ſibi comparare. Nullum etiam eſſet peccatum, ſi daretur cauſa rationabilis non reddendi Domino rem ſuam, v.g. ne manifeſtaretur fur, a quo fuit furata &c. *Luga diſp. 17. ſect. 5. an. 100.*

R. II. Si res aliena non extet, Poſſeſſor bonæ fidei ſolum tenetur reſtituere id, in quo factus eſt ditior, hoc eſt, id, quod de ſuis bonis non conſumpſit. Eo quod e.g. poſſidebat centum aureos, quos putabit ſuos, aggreſſus eſt iter Romam verſus, non facturus hoc iter, quando non habuiſſet illos nummos, tunc nihil teneretur reſtituere, ſi illos in itinere conſumpſit, quia ſi non habuiſſet, nihil de ſuo conſumpſiſſet. Si vero adhuc voluiſſet facere tale iter, tenetur reſtituere quantum non conſumpſit de propriis nummis; nam in hoc factus eſt ditior. Pari ratione Titius eo quod poſſidebat bona fide prædium Caii, ſplendidus vixit, non victurus cum illo ſplendore, ſi ſciviſſet tale prædium non eſſe ſuum; in tali ergo caſu Titius nihil tenetur reſtituere, quia nihil habet, quod alias conſumpſiſſet. Si autem cum eodem vixiſſet ſplendore, quamvis tale prædium non habuiſſet, tunc quia conſumendo redditus talis prædii, pepercit redditibus propriorum prædiorum, tantum debet reſtituere, quantum de iſtis non conſumpſit. Igitur, univerſaliter loquendo, ſolum tenetur reſtituere id, in quo factus eſt ditior, quia tunc res alie-

na

Google

na exiſtit in æquivalenti. Si vero res aliena fuit conſumpta, & poſſeſſor bonæ fidei in nihilo factus fuit ditior; tunc cum non teneatur ad reſtitutionem ex iniqua actione, ſed ſolum ex re accepta, & hæc neque exiſtat in ſe, neque in æquivalenti, nulla conſurgit obligatio reſtitutionis: *Lugo n 8. Roſignol. de reſt. prænot. 3. n. 4. Tambur. l. 8. tr. 3. c. 3. a a. 3.*

Q. II. Quæ teneatur reſtituere Poſſeſſor malæ fidei.

R. I. Poſſeſſor malæ fidei tenetur reſtituere rem, ſi extet, & ſi non extet, tenetur dare pretium rei, etiamſi in nihilo factus ſit ditior. Prima pars exinde conſtat, quia Dominus non perdidit dominium ſuæ rei, eo quod ipſi fuerit ablata, unde ſemper eſt illi reſtituenda. Secunda pars etiam patet, quia ratio exigit, ut ſi injuſte alteri intulit damnum, æquale ipſe ſubeat damnum, etiamſi nullum ex re aliena habuerit emolumentum: *D. Th. 2. 2. q. 62. art 6.*

R. II. In ſolvendo pretio rei alienæ, quæ non extat, Poſſeſſor malæ Fidei debet primo attendere pretium, quo illam vendidiſſet verus Dominus. Secundo, debet attendere pretium, quo illam ipſe vendidit, quamvis talis pretio non vendidiſſet Dominus. Tertio, ultra pretium debet damna compenſare. Prima pars patet, quia ſi Dominus venditurus erat ſuam rem tempore incrementi, tale pretium debet ſolvere iniquus Poſſeſſor, quamvis eam minoris vendiderit, etenim in illo majori pretio Dominum damnificavit. Si vero Dominus eo vendidiſſet pretio, quo illam vendidit fur, tunc iſte ſolum tenetur ad tale pretium erogandum: *Lugo diſp. 18. ſect. 6. n. 132. Laym. lib. 3. ſect. 5. tr. 2. c. 4. n. 7.*

Secunda pars probatur, quia, quamvis Dominus infimo vendidiſſet pretio, nihilominus ſi fur majori pretio vendidit, quia e. g. illam vendidit tempore majoris incrementi, hujuſmodi pretium debet Domino reddere; nam hujuſmodi pretium non eſt fructus induſtriæ, ſed fructus rei uſque ad illud tempus ſervatæ. Ita ſi ſervavi triticum vendendum uſque ad tempus majoris incrementi, pretium non eſt fructus induſtriæ, ſed fructus tritici uſque ad illud tempus ſervati; & ita dicitur triticum tali tempore tanti ſtetiſſe. Porro clarum eſt, quod ſicut res aliena ſub dominio veri Domini perſeverat, ita & ad ipſum pertinet pretium illius, quod conſideratur ut fructus talis rei, vel ut talis res æquivalenter. Præterea res aliena ſervata apud iniquum poſſeſſore uſque ad tempus majoris pretii, adhuc tali tempore erat Domini; ſi ergo diſtrahatur per venditionem alio modo a poſſeſſore malæ fidei, Dominus patitur damnum in re ſua, quæ tunc tanti valebat, cur ergo non eſt totum damnum compenſandum? *Lugo diſp. 18. ſeſſ. 6. num. 126. Palaus de Juſt. quæſt. unic. p. 24. §. 9. num. 9.* Scio plures DD. contrariam tenere ſententiam, ſed apud me numquam ſatis probabilis viſa eſt. Tertia pars reſponſionis probatur, quia iniquus poſſeſſor cum teneatur ad reſtitutionem ex injuſta actione, debet, ut dictum eſt, ſubire omne damnum, quod alteri intulit. Si ergo ex ſurreptione alienæ rei aliud damnum ſequutum eſt vero Domino, teneretur & iſtud compenſare; ut ſi neceſſe habuerit alium equum pretio conducere, eo quod illi furatus fuerit proprium equum.

Advertendum tamen in caſibus ſupradictis Poſſeſſorem malæ Fidei poſſe ſemper deducere expenſas, prout poſtea dicemus.

R. III. Poſſeſſor malæ Fidei, etiamſi res aliena apud ipſum pereat, alias etiam peritura apud Dominum, tenetur nihilominus ſatisfacere pro damno illato, & ſolum poteſt ſe eximere, ſi res aliena periiſſet eodem modo, & tempore apud Dominum. Probatur utraque pars reſponſionis, eas exemplificando. Periit e. g. res aliena apud iniquum Poſſeſſorem incendio, quæ alias periiſſet apud Dominum furto, in iſto caſu tenetur iniquus poſſeſſor ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia debebat conſervare talem rem Domino incolumem; neque refert caſu apud ipſum periiſſe, revera etenim periit ex injuſta actione iniqui poſſeſſoris, unde tenetur ad reſtitutionem, quamvis & apud Dominum periiſſet. E contra demus caſum abſtuliſſe aliquam rem Petri, dum domus ejus comburebatur, & nihilominus non potuiſſe poſtea eam ſalvare ab incendio, in quo etiam periiſſet apud Petrum, in iſto caſu non tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia injuſta actio Caii non fuit cauſa, quod res Petri perierit, nam eodem tempore, & incendio apud ipſum periiſſet; & ita damnum, quod patitur, non poteſt dici ab actione Caii derivaſſe: *Leſſ. l. 2. cap. 12. dub. 5. num. 95. Laym. l. 3. ſect. 5. tr. 2. cap. 4. num 3. Palaus diſp. unic. p. 24. §. 9. num. 2.*

Q. III. Quæ teneatur reſtituere Poſſeſſor dubiæ Fidei.

R. I. Poſſeſſor dubiæ Fidei, ſi incepit dubia fide poſſidere, ultra quam quod peccaverit, ſe exponendo periculo rem alienam uſurpandi, tenetur rem totam Domino reſtituere, quem debet ſufficienti diligentia inquirere. Si vero Dominus non compareat, & vinci non poſſit dubium, quod res potuerit eſſe aliena, tunc reſtitutio facienda eſt pro qualitate dubii. Prima pars reſponſionis ex ſe patet, quia res ſemper pro Domino clamat, & ideo a poſſeſſore dubiæ fidei ſufficienti diligentia inquirendus eſt; cum enim dubitet prudenter rem eſſe alienam, non debet ſe exponere periculo alienam rem detinendi, quod ſequeretur, ſi Dominum non inquireret. Quod ſi utiliter geſſit rem Domini, quia ſi ipſe non emiſſet, nunquam fuiſſet rem ſuam recuperaturus, poteſt aliquid a Domino repetere, arbitrio prudentis viri, cum Domino talis emptio fuerit proficua: *Bonac. diſp. 1. q. 2. p. 2. a n. 14. Trall. l. 7. c. 11. dub. 4. n. 5.* Non poſſum vero adhærere illi, qui putant poſſe totum pretium repetere; injuſtum etenim omnino videtur Dominum cogi emere rem ſuam, cum nihil curaſſet de re ita recuperanda, ſi alias non empta fuiſſet viliſſimo pretio.

Secunda pars probatur, quia, ſi non ſuperetur dubium, ex una parte Poſſeſſori non favet ſua Poſſeſſio, etenim cum dubio, adeoque mala fide cœpit poſſidere, & ita non poteſt ſibi integram rem retinere. Ex alia parte, cum non certus ſit rem illam eſſe alienam, neque videtur obligandus ad totam reſtituendam. Ratio igitur poſtulat, ut pro qualitate dubii plus minuſve illam rem cum aliis dividat, ita ut ſi perſona, de qua dubitat poſſe eſſe illam rem, certa ſit, illi ſuam partem tradat, ſi vero ſit incerta, det pauperibus: *Bonac. diſp. 1. q. 2. p. 2. a n. 14. Dian. t. 8. n. 7. reſol. 40.* Non puto tamen improbabilem opinionem illorum, qui dicunt, quod licet peccet qui incipit cum dubio poſſidere, nihilominus nihil debeat reſtituere, ſi rem, quam dubitat eſſe alienam, habuit a poſſeſſore bonæ Fidei. Ratio eſt, quia habens rem a tali poſſeſſore ſuccedit in omne jus illius; ſi ergo poſſeſſor bonæ fidei, poſtquam fruſtra quæſivit Dominum, poteſt rem totam ſibi retinere, ita dicendum in caſu præfato: *Anton. a Sp. S. tr. 10. diſp. 9. n. 395* & alii apud ipſum.

R. II. Si poſſeſſor dubiæ fidei incepit bona fide poſſidere, & dubium poſſeſſioni jam inceptæ ſuperveniat, tunc tenetur adhibere ſufficientem diligentiam ad inquirendum Dominum, eoque non invento, poteſt totam rem ſibi retinere. Si vero talem diligentiam omittat, & poſtea non poſſit adinveniri Dominus, tenetur reſtituere pro dubii quantitate. Prima pars reſponſionis quoad neceſſitatem adhibendi ſufficientem diligentiam, patet ex jam dictis. Quod vero poſſit ſibi rem integram retinere, ſi Dominus non compareat, probatur, quia omnia Jura favent poſſeſſioni bona fide inceptæ unde habet locum illa regula: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis.* Secunda vero pars probatur, quia eo quod omiſerit ab initio ſufficientem diligentiam ad inquirendum Dominum, iſti damnum certo intulit, nam ipſum privavit ſpe, quam poterat habere, ut inveniretur; iſta autem ſpes eſt lucro æſtimabilis, unde pro ipſius qualitate eſt compenſanda.

Obſervare etiam hic eſt, quod quamvis antequam dubium deponatur; non liceat uti re uſu conſumptibili, fruſtra enim tunc quæreretur Dominus; bene tamen poteſt Poſſeſſor ea uti poſtquam facta ſufficienti diligentia, dubium depoſuit; unde tunc veluti bonæ fidei Poſſeſſor poteſt eam conſumere, & vendere. Duo tamen advertenda ſunt. Primum eſt, quod ſi talem rem vendat, tenetur ſuum dubium maniſeſtare emptori, nam vendit rem vitioſam: *Anton. a Spir. S. tr. 10. diſp. 9. num. 398.* Si vero ea utatur, debet habere intentionem ſolvendi pretium uſus Domino comparenti, ſi ex tali uſu fiat ditior: *Bonac. diſp. 1. q. 2. part. 2. nu. 9.* Quod ſi res conſumatur, & forte poſtea Dominus compareat, ad nihilum tenebitur, niſi ad id, in quo factus eſſet ditior. *Roſignol. de reſt. diſp. 1. §. 2. nu. 6. Antonin. a Spir. S. tract. 10. diſp. 9. num. 396.*

Quod dictum eſt in hac ſecunda reſponſione de Poſſeſſore, cui ſupervenit dubium poſt inceptam bona fide poſſeſſionem, aliqui limitant dicendo non habere locum, quoties poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, rationes validiores ſuaderent rem eſſe alienam. E contra alii dicunt ſemper eſſe meliorem conditionem Poſſeſſoris, qui incepit bona fide poſſidere, neque eſſe rationabile illum

expo-

Digitized by Google

expoliare poſſeſſione, niſi evidenter conſtet rem, quam poſſidet, eſſe alienam. Mihi autem diſtinguendum videtur, & dicendum, quod ſi rationes faventes Poſſeſſori ſint tenuis probabilitatis, tunc quia non fundant judicium prudens, non ſufficiunt ut ſaltem pro majori parte non ſit expoliandus re, quam poſſidet. Si vero non ſint tenuis probabilitatis, quamvis contrariæ rationes ſint validiores, puto non eſſe obligandum ad relinquendam rem, quam poſſidet, quia ſcilicet ratio poſtulat, ut nemo expolietur re, quam poſſidet, niſi certo conſtet eſſe alienam: *Lugo diſp. 17. n. 93. Anton. a Sp. S. tr. 10. diſp. 9. a. 393.*

Q. IV. Qui fructus ex re aliena percepti, ſint reſtituendi a Poſſeſſore bonæ, & malæ fidei.

R. I. Poſſeſſor bonæ fidei tenetur reſtituere omnes fructus naturales, ſi extent, ſi non extent, *id*, in quo factus eſt ditior. Poſſeſſor vero malæ fidei, etiamſi non extent. Neuter autem tenetur ad reſtituendos fructus pure induſtriales. Prima pars probatur, quia fructus naturales ſunt, quia ex ipſa re naturaliter, & ſpontanee oriuntur abſque ulla, vel fere ulla hominum induſtria, ut herba pratorum, fructus arborum, plures fœtus &c. Ratio autem aperte dictat rem fructiferam Domino fructificare, ac proinde tales fructus ad Dominum pertinere. Quod ſi amplius non extent, conſtat ex dictis Poſſeſſorem bonæ fidei non teneri niſi ad id, in quo factus eſt ditior, & Poſſeſſorem malæ fidei etiam ad id, quod ex re aliena non habet, ſive factus fuerit ditior, ſive non. Secunda pars probatur, quia fructus pure induſtriales non oriuntur ex re aliena, ſed ſunt fructus induſtriæ illius, qui ea utitur ad illos comparandos, unde cum ſint fructus propriæ induſtriæ, pertinent ad illum, qui ipſam induſtriam poſuit. Sit exemplum in eo, qui aliena pecunia lucratus eſt, certe lucrum non eſt fructus illius pecuniæ, nam pecunia de ſua natura aliam non producit pecuniam, ſed eſt fructus induſtriæ illius, qui uſus eſt illa pecunia tamquam inſtrumento ad illud lucrum ſibi comparandum: *D. Th. 2. 2. qu. 62. art. 6. & opuſc. 73. c. 20. Laym. l. 3. tr. 2. c. 3. n. 3. Tambur. l. 3. tr. 3. cap. 2. §. 7. n. 22.* Si tamen poſſeſſor malæ fidei ex retentione alienæ pecuniæ damnum cauſavit, quia e. g. Dominus non potuit eam negociationi exponere, reſtituere debet, quantum valebat ſpes lucrandi.

R. II. Tam Poſſeſſor bonæ, quam malæ fidei tenentur reſtituere fructus mixtos, & ſi non extent. Poſſeſſor bonæ fidei tenetur tantum ad id, in quo factus eſt ditior; uterque tamen poteſt deducere expenſas juxta æſtimationem propriæ induſtriæ. Probatur iſta reſponſio obſervando fructus mixtos partim eſſe naturales, & partim ab induſtria hominum provenire, ut ſunt fructus vinearum, ſegetes, plures fœtus, qui habentur ex gregibus; nam non habentur ſine induſtria hominum in eis ſuſtentandis: & paſcendis. Qua parte igitur naturales ſunt, utique pertinent ad Dominum rei, ex qua oriuntur, cum ſemper verum ſit rem ſuo Domino fructificare. Qua parte vero ſunt induſtriales, cum pertineant ad Poſſeſſorem etiam malæ fidei, poteſt deducere expenſas factas, ut res aliena Domino fructificaret, & ſimul valorem ſuæ induſtriæ. Hæc omnia tamen ſunt regulanda juxta ea, quæ paulo poſt dicemus de expenſis deducendis a Poſſeſſore bonæ, & malæ fidei.

Interim advertendum reſtituendos Domino tales fructus, etiamſi ille non fuiſſet percepturus, quia cum ſint fructus ſuæ rei, ad ipſum pertinent: *Lugo diſp. 17. num. 58. Tambur. in Decal. l. 8. tr. 3. cap. 2. §. 7. n. 23.* Semper tamen obſervandum, Poſſeſſorem bonæ fidei non teneri ad reſtituendum niſi id, in quo factus eſt ditior, ſi tales fructus non extent, & Poſſeſſorem malæ fidei teneri ad omnes reſtituendos, ſive extent, ſive non extent. Multo magis tenetur ad reſtituendos etiam fructus, quos ex re ſua juſte percepiſſet Dominus, etiamſi ex tali re poſſeſſor malæ fidei nullos ipſe perceperit; etenim ex ſua injuſta actione hoc damnum intulit, quod impedierit Dominum a talibus fructibus percipiendis: *cap. gravis de Reſt. Spoliat.* Ita ſi aliquis mala fide domum alterius poſſidebat, nulli tamen eam locando, Dominus vero locaſſet, talis Poſſeſſor tenetur dare Domino etiam pretium, quod ex locatione habuiſſet, quia in hoc Dominum damnificavit; *Lugo diſp. 18. n. 51. Tambur. num. 23.* Ubi nota, pretium rei locatæ, juxta ſententiam, meo videri, omnino tenendam, non debere dici fructum induſtriæ, ſed rei; neque enim datur pro induſtria Locatoris, ſed pro uſu rei locatæ: *Laym. l. 3. tr. 2. cap. 4. num. 7.* Eadem ratione cenſeo reſtituendum ab iniquo poſſeſſore pretium receptum ex locatione torquis alienæ, ſicut contra aliquos docent *Bonac. de reſt. diſp. 1. q 3. p. ult. §. 1. n. 4. Laym. cap. 3. n. 6. Azor. 3. p. l. 4. c. 2. q. 2. Trull. in Decal. l. 7. cap. 5. diſp. 12. n. 5.*

Q. V. Quas expenſas teneatur reſtituere Poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei.

R. Tam Poſſeſſor bonæ, quam malæ fidei poſſunt deducere expenſas neceſſarias, & utiles, non vero voluntarias. Ratio primæ partis, ea eſt, quia Juſtitia non exigit Dominum debere reportare emolumentum ob reſtitutionem ſibi factam; iſtud autem emolumentum reportaret, ſi non deducerentur expenſæ neceſſariæ, ſine quibus ſcilicet res non conſervaretur, vel notabiliter deterioraretur, vel ſi non deducerentur expenſæ, utiles, quæ reddunt rem pretioſiorem, ut ſi domus melioretur &c. *Sanch. l. 2. in Decal. c. 23. a n. 138. Lugo diſp. 17. ſect. 2. num. 61.* Inter has expenſas computantur etiam induſtria, & labor in colligendis fructibus; in re melioranda, vel conſervanda; nam quamvis fierent ab iniquo poſſeſſore, Domino invito, re vera cedunt in ipſius utilitatem: *Leſſ. l. 2. cap. 12. dub. 16. num. 101. & dub. 17. num. 111.*

Advertere tamen oportet, quod ſi Dominus conſervaturus, vel melioraturus fuiſſet ſuam rem abſque talibus vel abſque tantis expenſis, tunc cum in hoc damnificatus fuerit, non poſſunt tales expenſæ a poſſeſſore male Fidei deduci, bene vero a poſſeſſore bonæ Fidei, utpote qui non cauſavit tale damnum actione injuſta. Ita in deducendis expenſis non eſt attendendum quanti valeant melioramenta, nam rei melioratio ad dominum pertinet, ſed ſolum attendendum quod circa illam eſt impenſum, & cujus ſint valoris labor, aut induſtria illius, qui tales fecit expenſas: *eg. in fund. ff. de rei vendicat.* Denique obſervandum, quod ſi tantæ ſint expenſæ, ut excedant fructus rei, Dominus non tenetur illas integre ſatisfacere tam Poſſeſſori bonæ, quam malæ Fidei, quia alias cogeretur majori pretio rem ſuam ſibi comparare, & ita verificaretur tales expenſas non fuiſſe ipſi utiles. Standum ergo eſſet arbitrio boni, & prudentis viri.

Secunda pars reſponſionis ex eo probatur, quia expenſæ, quæ ſunt pure voluntariæ, ſunt illæ, quæ nec erant neceſſariæ, nec reddunt rem pretioſiorem, ſed ſolum deſerviunt ornatui, & voluptati; unde cum in reſtitutione rei, in qua factæ ſunt tales expenſæ, nihil de plus Domino reſtituatur, quam ſua res valeat, non tenetur aliquod erogare tam poſſeſſori bonæ, quam malæ fidei pro talibus expenſis. *Sanch. l. 2. in Decal. c. 23. num. 130. Laym. l. 3. ſect. 5. tr. 2. cap. 4. nu. 4.* Non nego tamen, quod ſi iſtæ expenſæ poſſint ſeparari abſque rei detrimento, non poſſit uterque poſſeſſor eas deducere, ut ſi e. gr. vellent removere aliquos lapides poſitos ad ſolum ornatum.

Q. VI. Quid reſtituere teneatur Poſſeſſor bonæ, vel malæ Fidei, ſi rem alienam emerunt, vel vendiderunt.

R. I. Poſſeſſor bonæ Fidei, ſi emit rem furtivam, poteſt illa reſtituere furi, quando neceſſe ſit ad pretium recuperandum, etiamſi putet a fure eam rem non eſſe reſtituendam. Ratio eſt, quia contractus involuntarius vel eſt de ſua natura nullus, vel revocabilis ad arbitrium illius, qui deceptus eſt: in noſtro autem caſu contractus fuit omnino involuntarius, cum cauſa ipſius fuerit ignorantia, quod res eſſet aliena, nullus enim eſt timoratæ conſcientiæ, qui velit rem alienam emere. Neque dicas rem ſemper pro Domino clamare: hoc enim verum eſt, ſi poſseſsor non poſſit reſcindere contractum; cum etiam aliunde reſtituendo rem alienam furi, ut ſe ſervet indemnem, non eam ponat in deteriori ſtatu, quam invenerit: *Bonac. de Reſt. diſp. 1. q. 4. p. 2. n. 1. D. Ant. 2. p. t. 1. c. 12. §. 16. Lugo diſp. 17. ſect. 2. n. 29.*

R. II. Poſseſsor malæ Fidei tenetur reſtituere rem alienam, quam emit, etiamſi illam reſtituendo debeat illius pretium amittere. Ratio eſt, quia non ſolum tenetur ex re accepta, ut poſseſsor bonæ fidei, ſed etiam ex injuſta actione; etenim emere rem alienam ſibi appropriandam, idem eſt ac illam de novo furari. Sicut ergo primus fur tenetur rem alienam immediate Domino reſtituere, quia tenetur ad reſtitutionem ex injuſta actione, ita & qui emit ſcienter a fure. Hæc ratio mihi ſemper valde efficax viſa fuit, unde numquam potui con-

tra-

Digitized by Google

trariæ DD. opinioni adhærete: *Rebell. 1. p. l. 2. q. 6. n. 6. Trull. l. 7. c. 11. dub. 5. n. 4.*

R. III. Qui emit rem alienam, & bona fide iterum vendit, tenetur Emptori teſtituete pretium, quamvis in nihilo factos ſit ditior. Exemplificatur in eo, qui bona fide emiſſet equum furatum decem nummis aureis, ac denuo vendidiſſet eodem pretio. Iſte in nullo factus eſt ditior, ut patet, & nihilominns ſi Dominus compareat, & velit ſuum equum, ſecundus emptor tenetur illum dare, quia res ſemper pro Domino clamat, ac primus emptor debet pretium reſtituete ſecundo emptori. Ratio eſt, quia venditor ſemper tenetur emptori de evictione, ita ot ſi res ſit evicta, debeat venditor emptori pretium reſtituere. Præterea contractus fuit nullus; nam unuſquiſque in emendo intelligit emere rem, quæ ſit venditoris, & ſi hoc non verificetur, deeſt ejus conſenſus; eo ipſo autem quod conttactus ſit nullus, debet omnino reſcindi ad inſtantiam illius, qoi fuit læſus. Denique ſecundos emptor damnificatus eſt a primo emptore, nam eo ipſo quod vendiderit rem, quæ non erat ſua, modo alter emptor cogitur eam reſtituere Domino; hoc aotem damnum eſt compenſandum a venditore, qui bona fide rem vitioſam vendidit: *Bonac. diſp. 1. q. 4. p. 2. n. 5. Leſs. l. 2. c. 14. dub. 5. Rebel. l. 2. q. 3. n. 3.*

R. IV. Si aliquis emit bona fide rem alienam, & deinde majori pretio vendidit, debet reddere Domino illud majus pretium. Ratio eſt, quia quoties incrementum pretii non proveniat ab induſtria venditoris, ut ſi ipſam ſua arte melioraſſet, vel alio tranſportaſſet, ipſum incrementum provenit ab ipſa re, immo cum pretium ſuccedat loco rei, *leg. ſi rem ff. de peten. hered.* illud majus pretium eſt eadem res æquivalenter. Sicut ergo rei fructus, immo ipſa res ad Dominam pertinet, ita & incrementum pretii: *Azor. 3. par. l. 4. c. 3. q. 2. Rebel. l. 2. de reſtit. q. 3. & l. 9. de contr. q. 8. ſect. 1. n. 9.*

Q. VII. Quid dicendum de eo, qui bona fide rem alienam accepit a fure, qui habet ex propriis, unde reſtituat.

R. Certe ſi res non eſt uſu conſumptibilis, Domino reſtituenda eſt, ſi extet, quia pro ipſo clamat, & ſi non extet, latrone non reſtituente, qui ab eo rem mala fide accepit, reſtituere debet, quantum ex ea percepit, qui vero bona fide, id in quo factus eſt ditior. Difficultas ergo ſolum poteſt eſſe circa res, quæ ſunt materia mutui, vel uſu conſomuntur, ot ſunt pecunia, frumentum, vinum, oleum &c.

Pro quo advertendom, quod quamvis dom caſu; vel communi conſenſu admiſcetur res aliena cum propria, totus cumulus ſit utriuſque: *Inſt. de rer. domin. 5. Quod ſi* 28. nihilominus per mixtionem rei alienæ cum propria, quando admiſcetur animo acquirendi dominium, & non poteſt ſeparari, totale acquiritur dominium, ut quando admiſcetur pecunia furata cum propria, oleum, frumentum, & vinum furatum cum proprio: *leg. ſi alieni nummi ff. de ſolution. leg. idem Pompon. ff. de rei vendicatione.* Dominus vero totius pecuniæ, ſeu cumuli habet obligationem reſtituendi quantum miſcuit, ſicuti Dominus rei, quam alter miſcuie, jus habet ut ſibi ex illo cumulo fiat ſatis. Hoc aotem in omninm ſententia verum eſt, quando admiſcetur res aliena cum propria, quæ ſit in majori quantitate, quia major pars trahit ad ſe minotem: *lib. 23. §. 4. ff. de rei vendicat.* Quamplures vero abſolute dicunt per quamcumque mixtionem acquiri dominium rei mixtæ, quando hæc non poteſt ſeparari, qoia verificatur ratio Gloſſæ in præfatam legem, *ſi alieni nummi*, ſcilicet quod mixtio habeat vim conſumptionis. Qood ſi res mea ſit valde exigua, tunc credo pet mixtiooem me non adepturum dominium alterius rei, ſi hæc ſit in magna quantitate; ut ſi multas menſuras vini alieni miſcerem cum parva menſura mei, cum parum pro nihilo reputetur, unde potius tunc meum vinum in alterios tranſiret dominium, quia veloti abſorberetur a vino alterius: *Tambur. in Decal. l. 8. tr. 3. §. 4. n. 12.* His poſitis, facilis eſt reſolutio caſus.

Si igitur aliquis accepit a fure rem uſu conſomptibilem, antequam illam fur miſceret modo dicto cum propria, debet illam Domino reſtituere, qnia ſemper eſt Domini; & ſi fuit diſtracta a Poſſeſſore bonæ fidei, habet jus ab eo exigendi, id in quo factus eſt ditior, ut ſæpe dictum eſt.

Dices, quod ſicut latro poterat ſatisfacere Domino, aliam conſimilem propriam pecuniam reddendo, vel aliud coofimile frumentum, abſque eo quod redderet in individuo pecuoiam furatam &c., ita qui accepit a latrone pecuniam furatam, frumentum furatum &c. poteſt relinquere latroni onus reſtituendi ex prapria pecunia, vel ex proprio frumeuto.

Contra tamen eſt, quia licet in tebus conſumptibilibus, quæ functionem accipiunt, non ſit obligatio reſtituendi eamdem rem, ſi extet, ſed ſufficiat reddere rem æqualis valoris, nihilominus res, ſi extat, eſt principaliter obnoxia reſtitutioni, unde Dominus, ſi non fuit ſatiſfactus a Lattone, poteſt ſemper velle, ut ſua res ſibi tradatur: Hoc tamen intelligendum dum res aceeptas a ſure non miſcuerit cum propriis; quamvis etenim tune debeat tantumdem reſtituere, ſi tales res habuit ex contractu lucrativo, aut donatione, quia tunc ratione illarum ſit ditior, at notant Theologi apud Dianam *p. 6. tr. 3. reſol. 134.* non tamen ſi habuit ex contractu onerofo, nam tunc non ſit ditior, & aliunde per mixtionem acquirit dominium talium rerum: *Tambur. in Dec. l. 8. tr. 2. c. 3. a n. 1.*

Si vero e contra aliquis accepit a fure rem uſu conſumptibilem, poſtqoam fur cum propriis miſcuit, jam id, qood accepit, erat furis, unde nihil tenetur Domino reſtituere: *Azor. p. 3. l. 4. cap. 2. q. 4. Laym. lib. 3. tr. 4. cap. 19. num 23. Tambur. in Decal. l 8. tr. 3. c. 3. §. 4. n. 1.* Quod ſi fur non ſit potens reſtituere, tunc tenetur ad reſtitutionem, qui mala fide eas accepit a fure; nam licet illæ res per mixtionem fuerint ſub dominio furis, nihilominus qoi eas mala fide acceptat, ſua acceptatione omnino cooperatur injuſtæ actioni furtis, qua ſe cum alterius damno impotentem reddit ad reſtituendum, unde & ipſe ex injuſta actione tenetur ad reſtitutionem: *Palaus de Juſt. diſp. unic. p. 14. n. 7.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Eo quod Poſſeſſor bonæ fidei ad reſtitutionem non teneatur, niſi factus ſit ditior ex re aliena, aliqua dabo exempla, ex quibus poterit Confeſſarius quoſcumque caſus reſolvere, Si e. g. aliquis eo quod ac cibo furato comederit, pepercit ſuæ cœnæ, non debet reſtituere quanti valebat ille cibus, ſi multum ſtabat, ſed quantum ex propriis non conſumpſit parcendo ſuæ cœnæ. Si pepercisti tuæ veſti, eo qnod conſumpſeris bona fide alienam, non debes reſtituere pretium iſtius, ſi moltum ſtabar, ſed quantum non expendiſti, eo quod non conſumpſeris propriam. Quod ſi in primo caſu ſi non comediſſet de cibo alieno, neque de proprio comediſſet, ac pariter in ſecundo caſu ſi veſtem alienam non comſumpſiſſet, neque conſumpſiſſet propriam, nihil tenetur reſtituere, quia in nullo factus eſſet ditior.

Obſervet etiam Confeſſarios in dubio, an aliquis factus fuerit locupletior ex re aliena, nullam dari obligationem reſtitutionis, quia cum ſemper melior ſit conditio poſſidentis, talis obbligatio eſt elare probanda in utroque foro. Obſervet quoque, quod ſtatim ac Poſſeſſor bonæ fidei cognoſcit rem alienam eſſe, data opportunitate, debet eam ſtatim reſtituere, & ſi ſit in mora eulpabili reſtitutionis, obſervandæ ſunt circa eum regulæ poſſeſſotis malæ fidei.

II. Confeſſarius dum vult obligare injuſtum poſſeſſorem ad reſtitutionem pretii alicujus rei, quam Dominus ſervare volebat uſque ad tempus, quo melior futura erat, obſervet non eſſe obligandum ad totum pretium, quo tunc ſtetit, ſed ſolum ad pretium quod correſpondet ſpei, ſi illa res erat ſubjecta alicui periculo, ita ut poſſet interire, antequam ad tale tempus perveniret. Fur e g. vendidit vitulum Sempronii, qui volebat illum ſervare uſque dum major factus eſſet, non tenetur fur reddere in tali caſu totum pretium, quo ſtetiſſet talis vitulus factus bos, nam poterat mori, antequam perveniſſet ad illum ſtatum vel ulterius poterat parum incrementi acquirere &c. In rebus igitur, qoæ vel poſſet perire, vel quæ fortaſſe parum meliores evadere poſſunt, ſi diſtrahantur a fure in ſtatu deteriori, & erant aliunde a Domino ſervandæ uſque ad Statum meliorem, arbitrio boni viri æſtimandum eſt, quaotum valere poſſet ſpes lucri a Domino ſperati, & juxta eam obligandus eſt fur ad reſtitutionem, ita ut quo major eſt ſpes lucri, eo ad majorem teſtitutionem eſt obligandus. Quod ſi Dominus non erat ſervaturus uſque dum ad meliorem Statum perveniſſet, & fur ſervavit, & eo tempore vendidit, debet ex opinione,

nione, quam puto veriſſimam, totum pretium Domino dare, quia pretium eſt fructus rei, deductis tamen neceſſariis expenſis pro ea re factis, & valore laboris.

III. Dum Confeſſarius audit Pœnitentem aliquem damnificaſſe in re, ex qua Dominus fructus ſperabat, vel majus pretium precepturum, non ſtatim obliget ad reſtituendum valorem rei, ſimulque ſpem fructuum percipiendorum. Abſtulit e. g. Pœnitens parvum vitulum, quem Dominus volebat vendere poſt aliquot annos factum grandiorem, ſatisfacit ſuæ conſcientiæ, ſi ſtatim reſtituat Domino pecuniam, quæ ſufficiat ad emendum alium ſimilem vitulum; nam emptione illius poteſt ſibi Dominus compenſare totum, quod paſſus eſt, damnum. Quod ſi novus vitulus emptus moriatur, vel parum incremanti acquirat, tunc non plene ſatisfieret dando pecuniam pro emendo alium vitulum loco furati, nam iſte fortaſſe non obiiſſet, vel majus acquiſiviſſet incrementum. Datur ergo obligatio aliquid aliud reſtituendi arbitrio viri prudentis. Quæ dicta ſunt applicanda ſunt furanti gallinam, quæ valde erat uvipara, incidenti arbuſculum, ex qua poſt aliquod tempus fructus ſperabantur. Quod ſi detur caſus, ut reſtituendo Domino valorem rei ablatæ, non poſſit ſtatim ſubſtituere aliam ſimilem rem, ex qua lucrum, ſeu fructus Dominus ſperabat, tunc Confeſſarius non ſolum debet obligare ad reſtituendum valorem rei, ſed etiam valorem ſpei lucrandi, ſeu percipiendi fructus.

IV. Multoties anceps eſt Confeſſarius in determinando quid reſtituere debeat fur, ſi res furata crevit & decrevit in pretio, & neſcitur, an Dominus vendidiſſet tempore incrementi, vel decrementi; ſi etenim poſſet Confeſſarius ſcire quo tempore erat a Domino vendenda, facile eſſet determinare pretium reſtituendum, attentis tamen, quæ dixi in fine ſecundæ regulæ. In caſu igitur, quo ignoratur, an Dominus venditurus eſſet rem tempore pretii majoris, vel pretii minimi, Confeſſarius obliget ad reſtituendum pretium, quod eſt medium inter majus, & minimum. Vendita e. g. eſt res furata triginta nummis aureis, & deinde decrevit pretium uſque ad viginti. Confeſſarius obliget ad reſtituendum viginti quinque, ita enim æquitas ſervatur, nam etſi fur fortaſſe damnificaverit Dominum ſolum in pretio viginti aureorum, forte etiam damnificavit in pretio aureorum triginta; & ſicut æquum non eſt triginta ſolvere, quia incertum eſt, an tantum intulerit damnum, ita æquum non eſt viginti ſolummodo ſolvere, quia uſque ad triginta potuit damnum inferre. Solvat ergo medium inter viginti, & triginta.

V. Notet item diligenter Confeſſarius facillime incœpiſſe poſſidere cum dubio eos, qui emunt ab iis, qui prudenter non poſſunt judicari Domini rei, quam vendunt. Hinc ſaltem debet judicare Poſſeſſores dubiæ fidei illos, qui emunt a Filiisfamilias, & a Famulis, ſi vendant ut ſuas res, quæ non ſolent ad ipſos pertinere. Præcipue autem tales judicandi ſunt illi, qui emunt a mulierculis, vel homuncionibus ex plebe ſericum, nam illud ſolent furari Mercatoribus. Quamvis ergo iſti emptores neſciant a quo emerint, vel cui debeant reſtituere, debent pro qualitate dubii reſtituere pauperibus, ut ſupra dictum eſt.

VI. Quamvis ex communi doctrina non ſint deducendæ expenſæ voluntariæ, factæ circa rem, quæ reſtituitur, nihilominus notet Confeſſarius pro praxi difficile eſſe, ut tales expenſæ non reddant ipſam rem aliquo pacto æſtimabiliorem. Hinc eſt, quod licet Dominus non ſit cogendus ad ſolvendas omnes expenſas, ipſe enim indiget re ſua, non ornamento illius; nihilominus cum tales expenſæ, qua parte redunt rem æſtimabiliorem, reducantur ad expenſas utiles, poſſunt in aliqua parte, arbitrio ſcilicet viri prudentis, detrahi tam a Poſſeſſore bonæ, quam malæ fidei.

VII. Poteſt accidere ut aliquis ſcienter emat rem alienam cum hac intentione ut illam Domino reſtituat. In hoc caſu obſervare eſt, quod ſi poſtea Dominus non compareat, emptor, detracto pretio erogato, debet dare pauperibus quod ſupereſt. Si vero Dominus compareat, poteſt ab eo exigere totum pretium erogatum, ſi rem ipſius minoris emit, quam valeret, nam utiliter geſſit negotium ipſius Domini. Si vero eam ſolvit furi æquali, vel majori pretio Dominus non tenetur ſolvere niſi id, quod juſtum reputatum fuerit arbitrio viri prudentis; nam tunc Emptor non utiliter geſſit Domini negotium, & ſi iſte totum pretium teneretur ſolvere, deberet omnino emere rem ſuam. Secus eſſet dicendum, ſi illa res tam grata eſſet Domino, ut notum eſſet, voluiſſe quocumque pretio illam e manu furis eripere.

CAPUT III.

De obligatione reſtituendi ob injuſtum impedimentum alteri illatum, ne aliquod bonum conſequatur.

Q. I. Quid reſtituere teneatur, qui vel minis, vel dolo, vel etiam ſolis precibus, & ſuaſione alterum impedit a conſequutione alicujus rei, ad quam habebat jus in re, vel ad rem.

R. Impediens aliquem a conſequutione boni, ad quod jus habebat, non ſolum vi, & fraude, ſed etiam ſolis precibus divertens Collatorem talis boni, tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia cooperatur actioni injuſtæ; eo enim ipſo quod aliquis jus haberet ad tale bonum, ex juſtitia erat illi dandum, & proinde qui facit, ut non detur, cooperatur actioni juſtitiæ contrariæ, adeoque tenetur ad reſtitutionem, ſemper cum ipſe Collator non compenſet damnum illatum: *Lugo de Juſt. diſp.* 18. *num.* 90. *Laym. lib.* 3. *tract.* 2. *cap* 7. *num.* 1. Si vero impedimentum non apponatur impediendo Collatorem, ſed impediendo ipſum, qui vult conſequi illud bonum, tunc ſi impediatur ſolum blanditiis, & precibus, nulla eſt obligatio reſtituendi; nam dum ſolis precibus avertitur a conſequutione boni, ad quod jus habebat, libere, & voluntarie ſe ab illo avertit. Ita ſi ſolis precibus averterem Artificem a non laborando illa die, illa hebdomada &c. nihil reſtituere deberem, quia ex propria voluntate abſtinuiſſet a labore. Secus ſi illum impediſſem minis, ac dolo, nam tunc modo injuſto impediſſem, ne uteretur jure ſuo: *Bonac. diſp.* 1. *q.* 2. *p.* 12.

Advertere etiam hic eſt, quod in ſuperiori caſu, dum ſcilicet impedivi Collatorem, ne daret alicui bonum, ad quod jus habebat, conſiderandum eſt, an firmiter fuiſſet determinatus ad dandum ſtatim illud bonum, & tunc reſtituere debeo quantum valebat tale bonum. Dixi *ſtatim*, nam ſi aliquod tempus intercedere debebat antequam traderetur, poterat Collator mutare voluntatem, & tunc, quia non erat certa conſecutio talis boni, non eſt reſtituendus ad æqualitatem valor boni ſperati. Si vero non erat firmiter determinatus, reſtituere debeo juxta æſtimationem majoris, vel minoris ſpei, quam aliquis habebat ad illud bonum conſequendum: *Bonac. diſp.* 2. *q* 2. *n.* 6. Si denique Collator nullatenus nolebat illi dare tale bonum, tunc quocumque modo quis impediat, nihil debet reſtituere, utpote quia non fuit cauſa efficax talis damni.

Q. II. Quid reſtituere teneatur, qui vel vi, vel fraude, aut ſuaſione, & blanditiis impedivit alium a conſecutione boni, ad quod nullum jus habebat nec in re, nec ad rem.

R. Si impeditus fuit fraude, & dolo, eſt illi facienda reſtitutio, ſeu compenſandum damnum juxta æſtimationem ſpei, quam habebat, ut ſupra dictum eſt. Ratio eſt, quia quamvis non haberet aliquod jus in bonum ſeparatum, habebat tamen jus, ne dolo, aut fraude impediretur a conſequendo bono, quod ſperabat a Benefactore. *Lugo diſp.* 18. *num.* 91. *Azor.* 3. *part. lib.* 4 *cap.* 9. *Anton. a Spir. S. tract.* 11. *diſp.* 8. *num* 346. Hæc opinio omnino certa eſt, ſi fraus, & vis fuit in ordine ad Legatarium, Donatarium &c. Si vero fraus, & vis fuit contra Donatorem, vel Teſtatorem, non clare conſtat conſurgere onus reſtituendi. Ratio eſt, quia tunc nullam injuriam patitur Legatarius, vel Donatarius, ſed ſolummodo Teſtator vel Donator, quorum ſolummodo læditur libertas. Ex alia vero parte nullum jus ſupponitur habuiſſe Legatarium, vel Donatarium ad illa bona; unde quamvis impediti fuerint fraude, & dolo, quia tamen, dum hæc ſe tenent ex parte Teſtatoris, nulla illis fit injuria, & non expoliantur aliquo jure, quod habeant in ipſa bona, hinc eſt non ſatis apparere obligationem reſtituendi, quæ imponi non debet ſine evidenti ratione: *Roſign. de Reſt. prænot.* 12. *ſect.* 7. *num.* 8. Si vero Collator impeditus fuit ſolummodo precibus, & ſuaſione, certe nulla exinde oritur obligatio reſtitutionis; nam cum non impedita fuerit ejus voluntas dolo, & fraude, ſed ſolum precibus, & ſuaſione, jam Collator, ſeu Benefactor relictus

fuit,

fuit in plena libertate dandi quod volebat, & ita nulla injuria ſuit alicui illata.

Cæterum obſervandum, quod ſi aliquis impedivit indignum a conſecutione alicujus Officii, aut Beneficii, nihil tenetur reſtituere, etiamſi id præſtiterit ſraude, vi, & dolo, quia nullam illi fecit injuriam, cum ſit contra intentionem Eccleſiæ, vel Reipublicæ, ut talibus Beneficia, vel Officia conſerantur: *Lugo de Juſt. diſp.17.n.96.*

Q. III. Quid reſtituere teneatur, qui impedit ne Beneficium detur Digniori.

R. I. Si tale Beneficium collatum fuit per oppoſitionem, ſive, ut dici ſolet, per concurſum, multi volunt omnino reſarciendum eſſe damnum ipſi Digniori illatum, & hoc damnum tale eſſe, quanti æſtimantur ipſius Beneficii proventus deductis expenſis &c. Ratio eſt, quia dum Beneficia dantur per concurſum, Collator veluti tacite init contractum de Beneficio conſerendo habiliori, ad hoc enim inſtituit concurſum ut digniorem agnoſcat, ut dixi in Tractatu de Beneficiis: eo ipſo ergo quod ipſi non conferatur, violatur juſtitia commutativa, ex qua violatione conſurgit onus reſtitutioni. Non eſt tamen improbabilis negativa ſententia, quia dici poteſt Eccleſiam non inſtituere concurſum ad dandum jus concurrentibus ad Beneficium, ſed ad utilitatem Eccleſiarum, & animarum: *Paſſer. de Elec, cap.30.n.193.*

R. II. Si Beneficium conferatur extra concurſum; tunc (maxime quando vis, & ſraus continent peccatum injuſtitiæ adverſus concurrentem ad Beneficium, ut dixi ſupra) ſi Collator impediatur vi, & ſraude, ne illud conferat digniori, illi facienda eſt reſtitutio juxta ſpem, quam habebat de Beneficio aſſequendo. Si vero aliquis impellat collatorem precibus, & blanditiis, tunc reſtitutio facienda eſt Communitati, ſeu Eccleſiæ juxta damna, quæ ſequuntur ex electione minus digni. Ratio eſt, quia ex una parte Perſonæ particulares nullum habent jus ad bona propria Communitatis, qualia ſunt Beneficia, vel publica Officia, unde quando non impediantur modo injuſto ab illis conſequendis, non violatur relate ad ipſos juſtitia commutativa, & ita non eſt obligatio reſtituendi. Ex alia parte Collatores, ſive Electores ex vi propri Officii, ideoque ex contractu tenentur præcavere, quantum poſſunt damna Eccleſiæ, vel Communitatis quod non præſtant prætermittendo Digniorem, & ita tenentur ad damna, quæ ſequuntur ex tali electione. Quod ſi ipſi tenentur ad talia damna, tenebuntur etiam qui illos inducunt ad talem electionem, ut de ſe conſtat: *Navar. c.17. n.70. Sanch. in conſ. l.2. c.1. dub.45. nu.15. Lugo de Juſt. diſp.35. n.76.*

R. III. Qui ſolum precibus, & ſuaſione impedit Digniorem ab aſſequutione Beneficii, vel Officii ut detur indigno, non tenetur reſtituere digniori. Ratio eſt, quia, quamvis cooperetur actioni injuſtæ Collatoris, nihilominus non eſt injuſta contra juſtitiam commutativam relate ad Digniorem, ut patet ex dictis ſupra, ſed ſolum relate ad Eccleſiam, vel ad Communitatem.

Q. IV. Quid dicendum, ſi aliquis impediat ſolis precibus, ne alter conſequatur aliquod bonum ad quod nullum habet jus, ſed tamen id faciat ex pravo animo illum damnificandi.

R. Jam ex doctrina etiam in ſuperioribus firmata, ex prælato pravo animo nullam conſurgere dicendum eſt obligationem reſtituendi. Ratio eſt, quia talis obligatio ſolum habet locum, dum realiter, & effective violatur juſtitia commutativa; ex pravo autem animo ſolum violatur affective; *Anton. a Spir. S. tr.10. diſp.8. num.346.*

Q. V. Quid reſtituere teneatur qui impedit ne Fiſco bona applicentur, ſi id faciat vi, & frandibus.

R. I. Si id impediatur ante legitimam ſententiam declarativam criminis, vel applicativam talium bonorum Fiſco; nulla eſt obligatio reſtituendi. Ratio eſt, quia Fiſcus nullum jus habet ab bona particularium, niſi poſt legitimam ſententiam, Semper cum ergo quocumque modo impediatur talis ſententia, nulla poteſt eſſe obligatio reſtitutionis, cum Fiſcus nullo jure quod habeat privetur.

R. II. Impediens Fiſcum ab acquirendis aliquibus bonis, poſt præfatam ſententiam tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia poſt talem ſententiam Fiſcus acquirit jus ad rem ad talia bona, unde non eſt talibus bonis medus injuſtis privandus: *Azor.t.1.l.15.c.8.q.5. Lugo diſp. 8. ſect.5.n.108. Dian.3.p.tr.5.reſol.52.*

Q. IV. An teneatur ad reſtitutionem impediens ſolis precibus, ne bona communia, inter aliquos diſtribuenda, Perſonæ particulari conſerantur.

R. I. Si electio perſonarum, inter quas diſtribuenda ſunt talia bona, pendeat ex ſola voluntate Patroni, vel Diſtribotoris, tunc impediens ſolis precibus, ne dentur alicui determinatæ Perſonæ, nihil tenetur reſtituere, quia non impedit medio injuſto; & aliunde illa Perſona nullum jus habet ad talia bona ex ſola voluntate Patroni &c. diſtribuenda.

R. II. Si electio Perſonarum non pendeat a voluntate Patroni, vel Diſtributoris, ſed eſt determinata, quatenus ſcilicet illa bona diſtribuenda ſunt inter Perſonas talis Civitatis, talis Familiæ &c. tunc impediens etiam ſolis precibus, ne perſona habens neceſſarias qualitates talia bona diſtribuenda conſequatur, tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia ſicut Patronus ſeu Diſtributor id non faciendo, non ſolum peccat contra juſtitiam Diſtributivam, ſed etiam commutativam, ut dictum eſt, dum explicavimus quam obligationem inducat juſtitia diſtributiva, ita etiam qui illum quomodocumque inducit ad id faciendum. Porro ex violatione juſtitiæ commutativæ clarum eſt conſurgere obligationem reſtituendi: *Lugo n.150. Navar.l.17.n.72.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum teneatur ad reſtitutionem impediens etiam ſolis precibus, ne aliquis conſequatur bonum, ad quod ſaltem habeat jus ad rem, ſequitur teneri ad reſtitutionem qui impedit etiam ſolis precibus, ne adimpleatur donatio, vel promiſſio jam acceptata, nam ex acceptatione conſurgit jus ad rem in eo, qui acceptavit. Idem dicendum de eo, qui impediret, ne confirmaretur legitima electio, ne præſentatus confirmaretur, ne promotus acciperet poſſeſſionem &c.

II. Quia non eſt obligatio reſtitutionis, ſi impediatur aliquis ſolis precibus a conſecutione boni, ad quod nullum jus habeat, inferat Confeſſarius non eſſe obligandum ad reſtitutionem, qui hoc modo impedit, ne exequatur promiſſio nondum acceptata; qui impedit Divitem, ne cuidam pauperi det eleemoſynam; qui curat ut Teſtator novum faciat Teſtamentum in alterius favorem &c. Si vero hujuſmodi impedimentum appoſitum fuerit vi, & dolo, maxime in ordine ad illum, qui ſperabat aliquod conſequi bonum, tunc datur ex dictis obligatio reſtitutionis, quanti poteſt æſtimari ſpes illorum, qui credebant aſſequi tale bonum, hæreditatem, eleemoſynam &c.

III. Notet Confeſſarius multoties in his peccare Artifices, nam ut ſibi comparent lucrum ex aliquo artefacto, ſolent detrahere de aliis Artificibus, quibus illud artefactum erat committendum. Mulieres igitur ſaltum dicunt e.g. illos non eſſe nimis fideles, negligenter ſe habere in alienis rebus cuſtodiendis, non ſatis eſſe in propria arte perfectos &c. ita aliorum lucra impediunt, & nec ipſi, nec Confeſſarii cogitant de reſtitutione facienda.

In hoc genus peccati incidunt illi Potentes, qui impediunt creditores a conſequendis ſuis creditis a Debitore qui alias, vel in totum, vel in partem poteſt ſatisfacere. Vel igitur ſe iratos demonſtrans Creditoribus ſi coram Judice jus ſuum proſequantur, vel imperans Satellitibus ne Debitorem capiant, etiam miniſtrande ſi ceperint. At quis eſt, qui cogitet de reſtitutione ſao cienda injuſto hujuſmodi impedimento?

IV. Obſervet Confeſſarius, quod quamvis inducens ſolis precibus ad conferendum Beneficium, vel Officium minus Digno, vel Indigno, teneatur reſtituere Communitatis, ſeu Eccleſiæ damna ipſis exinde derivantia, nihilominus non ſtatim obligandus eſt ad reſtitutionem. Primo igitur tenetur reſtituere ipſe indignus, & dimittere Officium. Secundo, tenetur reſtituere ipſemet Collator. Tenetur tertio qui induxit Collatorem ad dandum Officium, vel Beneficium indigno.

CAPUT IV.

De cauſis, quæ ſunt obnoxiæ reſtitutioni.

Q. I. QUot ſint cauſæ obnoxiæ Reſtitutioni: & quid requiratur, ut vere teneantur reſtituere.

R. I. Ultra cauſam principalem, quæ tenetur ad reſti-

reſtitutionem, quæ cauſa eſt Executor damni, (excipe mandantem, qui tenetur ante executorem), aut alterius injuriæ, ut fur, e.g., homicida, incendiarius &c. aliæ dantur cauſæ, vel poſitive, vel negative concurrentes ad actionem injurioſam, & comprehenduntur ſequentibus verſiculis,

Juſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus,
Participans, Mutuus, non obſtans, non manifeſtans.

R. II. Ut aliqua ex præfatis cauſis ad reſtitutionem teneatur, oportet fuiſſe cauſam efficacem damni, hoc eſt, quod ſuo mandato, conſilio &c. applicaverit Executorem ad opus damnoſum. Ratio eſt, quia ſi Executor jam erat applicatus, & determinatus ad damnum inferendum, conſulens vere non influxit in tale damnum, ut docet etiam *S. Th. 2. 2. qu. 62. art. 7.* quod ſi non influxit in damnum, non tenetur reſtituere: *Anton. a Sp. S. tr. 10. diſp. 29. n. 1494.*

Si vero non influit in totum damnum, ſed in partem ipſius, tenetur reſtituere eam partem, in quam influit; ut ſi parato & determinato ad furandum decem, ſuadeas, ut furetur quindecim, teneris tantum quinque reſtituere vel ſi parato, & determinato ad percutiendum Petrum, ſuadeas, ut atrocius percutiat, teneberis reſtituere eam partem damni, quæ ex atrociori percuſſione derivavit. Ratio eſt, quia quamvis illa atrocior actio, illud majus furtum ſit phyſice cauſa totius actionis damnificativæ, nam non datur alia actio tendens ad furtum decem ſummorum, alia ad furtum quinque, nihilominus qui ſuadet exceſſum furti, non eſt vere cauſa moralis totius damni, ſed ſolum damni gravioris; neque enim poteſt dici vere fuiſſe cauſam furti quindecim aureorum, qui parato, & determinatiſſimo furari decem, ſolum conſulit, ut quinque ſuperaddat: *Roſign. de Reſt. 1. prænot. 12. ſect. 1. n. 3.*

R. III. Neque pariter præſumitur cauſa efficax damni, qui dubitat, an illud intulerit, necne. Ratio eſt, quia leges volunt in pari ratione reum eſſe abſolvendum: *leg. 2. ff. de condition. ob turpem cauſam*, & in dubio nullum eſſe expoliandum re, quam poſſidet, juxta illud axioma: *Melior eſt conditio poſſidentis*. Hinc ſequitur dubitantem, an damnum intulerit, necne, poſſe præſumere non intuliſſe. Idem dicas, ſi aliquis certus ſit damnum intuliſſe, ſed dubitet, an majus, vel minus damnum intulerit; poteſt enim præſumere ſolum minoris damni fuiſſe cauſam efficacem, ita etiam conſentientibus regulis juris in 6., ubi dicitur: *In obſcuris minimum eſt ſequendum: Leſſ. l. 2. c. 15. dub. 4. n. 38. Bonac. diſp. 1. q. 2. p. 4. n. 1.*

Hanc autem doctrinam puto veram non eſſe, quando præſumi debet ſolummodo cauſa mei ſactum fuiſſe damnum, ut præſumendum puto, quando dubitarem, an damnum ſequutum ſit ex meo mandato, vel conſilio. Ratio eſt, quia ſi aliud aliqua ratio non ſuadeat, nemo præſumitur malum ſua ſponte facturus: *l. merito 51. ff. pro ſocio*, vel ſaltem præſumitur indeterminato ad faciendum, vel non faciendum malum. Si ergo malum faciat, rationabiliter credendum eſt determinationem ex meo conſilio, vel mandato derivaſſe: *Covar. in Clem. ſi furioſus p. 2. §. 2. Bon. p. 4. n. 3. Leſſ. l. 2. c. 27. dub. 3. n. 13.*, & hanc opinionem innuit *S. Th. 1. 2. qu. 62. art. 7.*

Q. II. An reputanda ſit cauſa efficax damni, qui movet alium non paratum ad damnum inferendum, ſi, ipſo non movente, alter fuiſſet, qui ſuo mandato, vel conſilio moviſſet ad damnum inferendum.

R. Mihi reſpondendum videtur teneri ad reſtitutionem, utpote quia eſt cauſa efficax damni illati; nam revera alium non paratum, & non determinatum movit ad damnum inferendum. Primus ergo, qui mandavit vel ſuaſit damnum, habet onus reſtitutionis, quia vere in damnum influxit, quod onus habuiſſet ſecundus, ſi primus jam non influxiſſet: *Lugo diſp. 19. ſect. 1. n. 6. & 16. Bon. de Reſt. d. 1. q. 2. p. 7. n. 7.*

Q. III. Qui teneantur ad reſtitutionem vi illius verbi *juſſio*.

R. Tenentur omnes expreſſe, vel tacite mandantes maleficium, ſive damnum Proximi, ſi non revocaverint mandatum, & revocatio innotuerit mandatario. Contrariam quorumdam opinionem damnavit Innocentius XI. dum ſub *num. 26.* hanc damnavit propoſitionem. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem ipſius damni illati*. Ratio eſt, quia ſemper cum aliquo pacto damnum imperatur inferendum a non parato illud inferre, jam mandans eſt cauſa efficax talis damni, ac proinde tenetur ad reſtitutionem. Immo quia mandatarius non operatur niſi veluti inſtrumentum, & ſubordinatus mandanti, iſte eſt cauſa principalis, & primo loco tenetur ad reſtitutionem. Quod ſi revocaverit mandatum, & talis revocatio innotuerit mandatario, tunc non eſt amplius reſtitutioni obnoxius, quia ſtante tali revocatione, jam non operatur in vi mandati, ſed ex propria malitia. Oportet tamen, ut dixi, quod revocatio mandati innotuerit mandatario; nam alias operaretur in vi mandati, & ita mandans intelligeretur fuiſſe cauſa efficax damni. Nec pariter cenſeo a reſtitutione excuſari, qui revocavit mandatum, ſi mandatarius putavit non ſerio revocari, vel invincibiliter revocationis oblitus exequutus eſt mandatum; nam tunc revera damnum facit ex vi mandati: *Lugo diſp. 19. a nu. 26. Antonin. diſp. 30. num. 1397.* Cæterum ſi non poteſt mandatum revocare, debet monere illum, cui damnum eſt inferendum, ut ſibi conſulat, & hoc etiam ſaltem cum æquali ſuo damno; ratio etenim dictat, ut potius ipſe, qui culpabilis eſt, debeat damnum ſubire, quam innocens: *Lugo de Juſt. diſp. 19. num. 30 Antonin. a Spir. S. tr. 10. diſp. 30. n. 1398.*

Q. IV. Qui ſint Conſulentes; & qui ratione conſilii dati teneantur ad reſtitutionem.

R. I. Nomine Conſulentium veniunt in præſenti, qui ſcienter, vel ex culpabili ignorantia præbent conſilium ad malum non parato illud facere. Item venit, qui ad id blanditiis inducit, promittit præmia, rogat, petit, inſtruit, affert rationes ſuadentes ad damnum inferendum &c.

R. II. Quando Conſilium datum eſt in ordine ad veritatem, ſufficit demonſtrare conſilium fuiſſe falſum, ut ceſſet obligatio reſtituendi. Dediſti e. g. conſilium ad damnum inferendum, v. g. ad non reſtituendum; fundatum in ratione, quam poſtea cognoſcis eſſe falſam, ſufficit dicere dediſſe conſilium falſum, ut ceſſet onus reſtitutionis, ſi poſtea damnum ſequatur. Pari ratione dediſti conſilium fundatum in aliqua hiſtoria, ſive facto falſo; ut ſi dediſſe conſilium Joanni occidendi Petrum, quia falſo dicebatur occidiſſe fratrem ipſius Joannis, certe ſufficit manifeſtaſſe talem falſitatem. Ratio eſt, quia ſemper cum conſilium datum eſt in ordine ad veritatem, in tantum habet efficaciam, in quantum ratio allata, ſive factum reputatur verum. Semper cum ergo ipſorum falſitas manifeſtetur, ruit efficacia conſilii, adeoque ſi quis accepit conſilium, adhuc damnum inferat, ex propria malitia operatur.

R. III. Etiamſi conſilium datum ſit non ad manifeſtandam veritatem, ſed ad indicandam convenientiam, & utilitatem, quæ ex damno proximo inferendo reſultaret, adhuc probabiliſſimum eſt poſt revocationem conſilii non teneri conſulentem ad reſtitutionem. Demus e.g. Titium ſuaſiſſe Paulo, ut occideret eum, a quo fuit graviter injuriatus, ea ratione, qui ſcilicet, ſi id non præſtet, nihili ab omnibus habebitur; & ob id Paulum talem occaſionem determinaſſe. Certe ſi poſtea Titius revocet conſilium, dicendo hujuſmodi rationem pro nihilo eſſe habendam ab homine chriſtiano, cujus verus honor debet eſſe Chriſti humilitatem, & abjectionem imitari; certe, inquam, ſi poſtquam hujuſmodi, aliiſque rationibus ſuum conſilium nullatenus eſſe ſequendum demonſtravit, adhuc Paulus vederet homicidium, ut vir fortis ab hominibus habeatur, videtur potius moveri a propria malitia, quam a conſilio Titii: *Azor. 3. p. l. 4. c. 11. q. 2. Antonin. a Spir. S. diſp. 29. num. 1402.* & alii, quos ſequitur Diana *p. 3. tr. 5. reſol. 89.*

Advertere tamen eſt quoddam diſcrimen, quod intercedit inter mandantem, ac conſulentem. In mandatario ergo, cum tota voluntas exequendi mandatum orta fuerit ex vi mandati, ſequitur, revocato mandato, ad nihil amplius ex juſtitia teneri mandantem, quia abſtulit totum id, quod fuit cauſa perverſæ voluntatis in mandatario. Quod ſi iſte velit adhuc ex propria malitia maleficium perpetrare, mandans tenebitur ex ſola charitate monere offerendum, quando id poſſit facere ſine gravi damno, juxta regulas aſſignatas in Tractatu de Charitate. E contra quia conſulens movit alterius voluntatem ratione utilitatis, & convenientiæ, ſi adhuc poſt revocationem conſilii ratio allata pro utilitate, & convenientia movet illum, cui dedit conſilium ad damnum faciendum, conſulens tenetur potiori ratione monere lædendum, ut ſibi caveat; nam cum aliquo pacto

in

Digitized by Google

in tale damnum inferendum influxerit, ita debet modis omnibus, quibus poteſt, illud impedire.

Q. V. An ſi Mandatarius, aut conſilium exequens damnificentur, teneantur, mandans, & conſulens damnum ipſis illatum reſarcire. Et reſponderi ſolet ordinarie nequaquam teneri, ſi libere exequantur mandatum, aut conſilium; ſcienti enim, & conſentienti nulla fit injuria. Id autem maxime locum habet circa Conſultorem; nam qui acceptavit conſilium, nullatenus intelligitur coacte acceptare: *cap. nuper de reg. jur. in 6. Bonac. diſp. 1. q. 2. p. 7. num. 16.* Excipe ſi mandatum veniat a Superiore, nam tale imperium eſt quædam vis moralis; unde qui ex tali imperio agit, operatur veluti coacte, & per conſequens injuriam patitur in operando. Hinc Superior, qui illum moraliter cogit, tenetur ad damna, quæ prudenter timeri poterant in executione illius mandati: *Rebell. l. 2. qu. 14. ſect. 3. num. 14.*

Q. VI. Qui ſint conſentientes, qui teneantur ad reſtitutionem.

R. Nomine *conſenſus* veniunt illi, qui non ſolum habent complacentiam de malo alterius, ſed de facto efficaciter influunt in damnum, ſubſcribendo e. g. injuſtæ liti, & condemnationi, ferendo ſuffragium in electione indigni &c. Dixi qui de facto efficaciter influunt; nam alias non verificatur vere damnificaſſe, & ita non ſunt damnandi ad reſtitutionem. Hinc ſi Conſiliarius Principis conſenſit in bellum injuſte inferendum, cum tam Princeps eſſet omnino determinatus illud inferre, non tenetur aliquid reſtituere. Si Elector ſuffragatus eſt in electione indigni, quando jam collata fuerant ſuffragia ſufficientia pro illius electione, non tenetur ad compenſanda damna ex tali electione derivantia &c. *Lugo de Juſt. diſp. 19. num. 17. Anton. a Sp. S. diſp. 29. num. 1408. Roſign. de reſt. 1. præn. 12. ſect. 3. num. 2.*

Advertendum tamen eſt, in triplici caſu non eſſe attendendam præfatam doctrinam. Primo, quando quis renueret dare ſuum ſuffragium, ad quod ex juſtitia tenetur, & ex negatione talis ſuffragii alii eſſent ſufficientes ad eligendum indignum, vel aliud damnum perpetrandum; nam cum teneretur ex juſtitia dare ſuffragium, tenebatur ex juſtitia obſtare malo, dando votum negativum: *Lugo num. 61. Anton. num. 1410.* Secundo, quando omnes ſimul conſpirarunt ad injuſte dandum ſuffragium; cum etenim omnes ſint tunc concauſæ illius damni, nihil refert, an aliquis dederit ſuffragium prius, vel poſterius. Tertio, quando ſuffragium publice fertur, & ſperare eſt quod ſi tu deneges ſuffragium, & crimineris præcedentes Electores, qui alias eſſent ſufficientes ad eligendum, ſint ſententiam mutaturi; nam etiam in iſto caſu, ſi non feratur ſuffragium in oppoſitum, non ponitur obſtaculum pravæ electioni, damno inferendo &c. ut dictum eſt in primo caſu: *Bonac. diſp. 1. q. 2. p. 8. num. 4. Rebell. l. 2. qu. 14. ſect. 5. num. 30.*

Q. VII. Qui intelligantur ſub illo verbo *palpo*; & quando teneantur ad reſtitutionem.

R. Palpones proprie ſunt laudatores, & adulatores; & tunc tenentur ad reſtitutionem, quando ſuis laudibus, vel etiam conviciis movent malefactorem ad damnum perpetrandum. Vir e. g. Nobilis quamvis fuerit injuratus, nihilominus non cogitabat de vindicta: Acceſſit *Palpo*, & exaggerans quam gravis ſit injuria in virum nobilem, ſuis verbis provocat illum ad vindictam. Idem dicas de eo, qui demonſtraret quam nihili a mundo habeatur, qui non ulciſcitur de ſuis inimicis. En quomodo laudibus, vel conviciis poteſt aliquis induci ad malum perpetrandum; & conſequenter inducens; utpote cauſa movens ad tale damnum inferendum, tenebitur ad reſtitutionem quando advertit ſuis laudibus, vel objurgationibus alium inducendum ad damnum inferendum: *Roſign. 1. de reſt. præn. 12. ſect. 4. num. 2.*

Q. VIII. Quid ſignificet illud verbum *recurſus*.

R. Pro *recurſu* intelliguntur Receptatores malefactoris. Obſervandum autem hic eſt, an ex eo quod quis recepter furem, ſeu malefactorem, vel ejus prædam, fiat aptus ad damnum inferendum, ſeu ſaltem illud liberius exequatur. In tali caſu receptatur malefactor, ut malefactor, ac proinde conſurgit ex tali recurſu obligatio reſtitutionis. Si ergo e. g. antequam furtum, vel aliud damnum ſit perpetratum, aliquis recipit domi malefactorem, illum fovendo, defendendo, ipſius inſtrumenta ſervando, ex quo fit habilis ad damnum inferendum, tunc intelligitur formaliter præbere recurſum, ſeu malefactorem, ut malefacturem recipere; & ita ut cooperans ipſius injuſtæ actioni tenetur ad reſtitutionem; *D. Th. 2. 2. qu. 62. art. 7.* Si vero recipiatur malefactor non dando illi ſecuritatem ad malum agendum, ſed alio titulo, e. g. amicitiæ, conſanguinitatis, vel hoſpitii, ſicut cæteri hoſpites, tunc non adeſt obligatio reſtituendi. Idem dicatur, ſi poſt perpetratum delictum, malefactor & ipſius inſtrumenta domi abſcondantur, vel adjuvetur ad fugiendum; nam ſicut poteſt ipſe ſe abſcondere, & fugere, ita & poteſt quis ad hæc illi auxilium præbere: *Lugo diſp. 19. num. 72. Bonac. de reſt. diſp. 1. qu. 2. p. 9. num. 6.* Pari ratione, ſi ex eo quod aliquis e. g. receptet prædam furis, iſte excitetur ad furandum, utique erit obnoxius reſtitutioni, ſecus ſi exinde fur non moveatur. Verumtamen eſt, quod ſi recepit rem furatam, poteſt illam Domino reſtituere, & ad id tenebitur ratione rei acceptæ.

Q. IX. Qui ſint participantes, qui teneantur ad reſtitutionem.

R. Nomine Participantium veniunt illi, qui aliquo modo, præter ſupra enumeratos, concurrunt ad inferendum damnum. Porro dupliciter quis poteſt dici participans, ſcilicet vel in re accepta, vel in actione. Si aliquis abſque eo quod cooperatus fuerit furto, participaverit de re furata, tenebitur ad reſtitutionem ſecundum quod diximus de poſſeſſore bonæ, & malæ fidei. Si vero quis participaverit in actione, videndum an participaverit in tali actione per actionem indifferentem, vel per actionem ex ſua natura injuſtam. Si participavit per actionem de ſua natura indifferentem, nec proxime in damnum influentem, v. g. ſervando inſtrumenta furis, videndum eſt an id faciat metu gravis damni, vel ſine tali metu. Dum id faciat metu gravis damni, ſicut liberatur a culpa, ita & liberatur ab onere reſtitutionis. Si non fecit metu gravis damni, tenetur ad reſtitutionem, quoties ita agendo aliqua ratione in damnum influxit; neque enim habet rationem qua excuſetur ad ita influendum: *Leſſ. l. 2. cap 9. dub. 18. Bonac. de reſt. diſp. 1. q. 2. p. 10. n. 3.*

Quod ſi aliquis participaverit in actione malefactoris per actionem ex ſua natura injuſtam, v. g. claves falſas faciendo, terga defendendo, portas reſerando, tunc ut cauſa efficax damni non poteſt a reſtitutione excuſari. Agentes autem de ſcandalo, dum explicavimus vitia oppoſita Charitati, examinavimus quando attentis omnibus circumſtantiis actiones judicandæ ſint indifferentes, necne. Cæterum ſi liceat hinc meam explicare opinionem, puto, quandoque etiam exercentes has actiones proxime vel etiam immediate in furtum vel damnum influentes excuſari poſſe a culpa, & etiam a reſtitutione. Obſervo igitur tunc hujuſmodi actiones eſſe pravas, quando fiunt, Domino rei rationabiliter invito, credi autem poteſt Dominum invitum non eſſe in duplici caſu. Primo quando facerem hujuſmodi actiones ex metu gravis mali mihi inferendi ab aliquo me cogente ad damnum inferendum, & aliunde damnum quod paſſurus eſſet Dominus, non illi allaturum eſſet grave incommudum. Secundo, quando etiam me non cooperante, adhuc damnum eſſet illi inferendum, & aliunde ego non cooperaret niſi ob metum gravis mali imminentis. Cum in his circumſtantiis credi poſſit Dominum non eſſe invitum, nec eſſet culpa, nec onus reſtitutionis: *Laym. l. 3. tr. 1. c. 6. n. 7.*

Q. X. Qui ſint non loquentes, non impedientes, non manifeſtantes, qui tenentur ad reſtitutionem.

R. Obſervate eſt omnes teneri ex charitate ad impediendum damnum alterius; quoties id poſſint ſine ſuo gravi incommodo, alias enim convincerentur non ſervare legem de proximo diligendo. Nihilominus qui ſolum tenetur lege charitatis ad damnum proximi impediendum, non tenetur ad reſtitutionem, ſi illud non impediat, quia injuſta actio, ex qua oritur obligatio reſtitutionis, debet eſſe contra Juſtitiam. Qui igitur tenentur ex juſtitia damnum impedire, tenentur ad reſtitutionem; ſi id non præſtent, quia per omiſſionem actionis, quam ponere tenebantur ad damnum impediendum, intelliguntur tale damnum voluiſſe, illi autem tenentur ex Juſtitia ad damnum proximi impediendum, qui ad id tenentur vel ex officio, vel ex contractu: unde qui tenebatur ex officio, ſeu ex contractu clamare, aut loqui ad impediendum damnum; & qui tenebatur ſe opponere damnificatori, ſeu illum manifeſtare, tenetur ad reſti-

reſtitutionem, ſi id non præſtet. Ita qui recepto ſtipendio ſe obligavit ad aliquid cuſtodiendum, tenetur ad reſtitutionem, ſi illius rei ſurreptionem non impedivit; vel ſi non manifeſtavit furem, ſeu fraudatorem gabellarum, quando ob ſtipendium inter accuſatures ſe ſe annumeravit; nam ex contractu oneroſo ad id ſe obligavit. Ex officio tenentur ad impedienda alterius damna, maxime Perſonæ publicæ, ut Principes, Duces belli, Gubernatores, Tutores, &c. Advertere tamen eſt quod ſi non poſſent impedire alterius damnum niſi cum ſuo gravi damno, *ordinarie* non tenerentur id facere, quia non cenſentur talia officia cum tanto gravamine ſuſcepiſſe: *Bonac. diſp. 1. qu. 2. p. 11. num 5. Anton. a Sp. S. tr. 10. diſp. 30. n. 1419. Roſign. de reſt. p. 12. ſect. 7.* Dixi *ordinarie non tenerentur*; nam ſi ſermo ſit de gravi damno Communitatis, ſive ſpirituali, ſive temporali, ut ſequeretur in diſſeminatione hæreſis & machinatione in Patriam, tunc tenerentur illud impedire etiam cum vitæ diſpendio; præcipue enim ad hujuſmodi mala præcavenda dantur Dignitates, & ſtipendium exploratoribus aſſignatur.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Qoamvis veriſſima ſit illa doctrina, neminem teneri ad damnum reparandum, niſi fuerit cauſa efficax damni, adeoque poſſe a damno reparando eximi, ſi Executor jam erat determinatus ad illod inferendum, nihilominus Confeſſarius in praxi non ſtatim debet hujuſmodi doctrinæ acquieſcere. Si ergo determinato damnum ſtatim inferre ſuadeat quis, mandet &c. ut illud inferat, poteſt Confeſſarius illum a reſtitutione eximere, quia jam ille erat determinatus, & conſequenter conſilium, ſeu mandatum in damnum non influxit. At ſi aliquis, quamvis eſſet determinatus ad damnum inferendum, nihilominus nolebat illud inferre niſi poſt plures dies, aut poſt menſem, tunc obſervare debet Confeſſarius an eſſet ſpes ut intra tale tempus animum mutaſſet, ut communiter accidere ſolet, quando non amplius ira ferveſcit. Si certo moraliter dabatur talis ſpes, & aliquis ſuo mandato, & conſilio fuit cauſa ut executor damnum ſtatim inferret, vel quod animum poſtea non mutaret, tunc conſulens, ſeu mandans in defectu principalis tenentur ad reſtitutionem, quia patet ipſos fuiſſe cauſam damni.

II. Conſideret item Confeſſarius, quod quamvis conſulens minus malum determinato majus inferre, non intelligatur cauſa efficax illius damni, quia non conſulit malum, ſed electionem minoris mali; nihilominus teneretur reſtituere, ſi adjuvaret ad minus malum inferendum, quia tunc eſſet cauſa efficax illius.

III. Eo quod non teneatur ad reſtitutionem, niſi qui fuit cauſa efficax damni, Confeſſarius abſolvat ab onere reſtitutionis illum, qui ſuo exemplo eſt cauſa damni; ut ſi quis in hortum ingrediendo ad aliquid ſurripiendum, exemplo ſuo alios attraxerit ad idem præſtandum. Quamvis igitur qui ſuo exemplo videt alios inducendos ad malum, peccet contra Charitatem, nihilominus non dicitur efficaciter influere in actionem injuſtam, ſed ſolum eſſe occaſionem, ut alius ex ſua malitia motus damnum exequatur. Generaliter verum eſt, quod ſi ad aliquod malum ſolum dedimus occaſionem, non conſurgit obligatio reſtitutionis, quia non verificatur dantem occaſionem efficaciter in malum influere, ſed malum efficaciter derivare a ſola malitia illius, qui ſinit ſe excitari a tali occaſione. Ita Theologi abſolvunt a reſtitutione illum, qui dedit alapam alteri, unde ille mœrore conſumptus mortuus eſt, nam in ordine ad mortem ſolum fuit occaſio, non cauſa per ſe influens.

IV. Item non reputandus eſt cauſa efficax damni, qui ratum habet malum nomine ſuo factum, neque enim ejus ratihabitio poteſt dici cauſa mali jam perpetrati. Verum quidem eſt, in jure ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari, ut habetur *cap. ratihabitionem de reg. jur. in 6.* ſed hoc intelligendum vel quantum ad pœnam in foro externo, vel quantum ad malitiam peccati, vel quantum ad confirmandum contractum nomine ſuo factum.

V. Accidiſſe aliquando compertum eſt, famulos, vel ruſticos aliquod damnum mandato Domini perpetraſſe; unde poſtea ad triremes, exilium, carcerem, ſeu pœnam pecuniariam damnati fuerunt. Certum eſt in his caſibus Dominos non ſolum teneri ad reparanda damna facta a mandatariis, ſed ea etiam quæ paſſi ſunt ipſi mandatarii, & ipſorum familia; ſed cogitant ne de his damnis reparandis? Cogitent ſaltem Confeſſarii, & ſine abſolutione dimittant, uſque dum non ſatisfaciant propriæ obligationi.

VI. Obſervavi aliquando Perſonas ſcrupuloſas, dum timent aliquid injuſte fieri, putare ſe ſatisfacere propriæ conſcientiæ, ſi vel abſtineant a dando ſuffragium, vel ab approbando quod proponitur, vel ab interveniendo illis ſocietatibus, ubi de illis rebus agendum eſt. Peccant igitur non dando ſuffragium, ſemper cum dando negativum poſſent impedire. Peccant poſitive non reprobando, quoties pariter impedire poſſent; Peccant demum non interveniendo, ſi poſſent impedire, quoties ratione ſui ſtatus, vel officii intervenire deberent. Difficiliter etiam excuſari poterunt a reſtitutione, ſi damnum injuſte ſequatur, quoties, ut dixi, ratione officii, vel ſtatus debebant ſive loquendo, ſive alio pacto impedire, & non impediverunt.

VII. Quamvis certum ſit teneri ad reſtitutionem vituperantes, irridentes, conviciis afficientes aliquem, quia non ulciſcitur, vel aliud maleficium non perpetratur, nihilominus obſervare debet Confeſſarius cum aliquibus Theologis, inadvertentiam, & bonam fidem excuſare aliquando adulatores, ſeu vituperatores ab onere reſtitutionis.

VIII. Cum ratione *recurſus* intelligantur reſtitutioni obnoxii defenſores malefactorum, videat Confeſſarius non eſſe abſolvendos Magnates, alioſque viros potentes, qui cum videant ſuos famulos fidentes ipſorum protectioni plura damna facere, nihilominus non impediunt; nam convincuntur revera ipſos protegere, quoties non impediunt ne alios damnificent. Ultraquamquod Domini tenentur ex officio impedire hujuſmodi damna famulorum. Multo magis tenentur ad reſtitutionem Potentes, qui faciunt domum ſuam facinoroſorum aſylum.

IX. Sunt participantes in actione damnificativa, adeoque tenentur ad reſtitutionem, qui ad eum defendendum comitantur malefactorem; qui aſſiſtit ut explorator, ſi aliquis forte ſuperveniat; qui terga defendit; qui prædam cuſtodit; qui etiam ut miniſter uſurarii exigit uſuras, niſi forte ſit ex miniſtris minus principalibus, qui eas non exigant, ſed ſolum numerent pecunias, ſcribant &c., nam hi poſſunt excuſari, ſi non poſſint derelinquere ſine gravi incommodo Uſurarii famulatum. Vide etiam quæ dixi *quæſt. 9.*

X. Cum teneantur ad reſtitutionem damni illati omnes, qui eum poſſent illud impedire, & tenerentur impedire ex officio, vel ex contractu, adhuc tamen non impedierunt, obſervet Confeſſarius omnes ſequentes eſſe reſtitutioni obnoxios: Curatores, & Tutores non impedientes damna ipſorum, qui ſuæ tutelæ, & curæ ſunt commiſſi: Medici, & Chirurgi graviter deficientes in cura infirmorum, ſi habeant ſtipendium: Patresfamilias non impedientes, quin uxor, liberi, & ſervi alios damnificent; Principes non impedientes latrocinia, monopolia, homicidia, aliaque damna; atque idem dicatur de omnibus his, qui exercent publicam poteſtatem. Cuſtodes agrorum, montium, vinearum &c. graviter negligentes in impediendo damnificatores: Servi non impedientes extraneos rem domini ſurripere; nam ratione famulatus cenſentur obligati ad cuſtodiendas res Domini ab injuriis exterorum, non vero tenentur ex juſtitia eas tueri contra Domeſticos, niſi forte illis ſint ſpecialiter creditæ. Cuſtodes Gabellarum non impedientes ipſarum defraudatores. Verum tamen eſt, quod quamvis ſint obligandi ad reſtituenda damna ſequuta ob non ſolutam gabellam, nihilominus non ſunt obligandi ad pœnam ſolvendam, quam luerent defraudatores gabellarum, ſi eſſent a Cuſtodibus accuſati. Ratio eſt, quia licet hujuſmodi Cuſtodes teneantur ex juſtitia accuſare defraudatores, id nihilominus non eſt in ordine ad mulctam, quam coguntur ſolvere, ſed in ordine ad pretium ſolvendum pro mercibus aſportandis, introducendis &c. Ultraquamquod Gabellarum Emptores ſolum habent jus ad tales mulctas poſt ſententiam Judicis, unde ſi cuſtos non accuſet, nullam illis facit injuriam.

Confeſſarii vero, licet teneantur ad reſtitutionem, quando ex malitia, vel ignorantia graviter culpabili ſuo pravo conſilio ſunt cauſa, ut qui tenentur reſtituere non reſtituant, ut dicitur etiam de omnibus, qui dant hujuſmodi conſilia; nihilominus ad reſtitutionem non tenea-

Digitized by Google

tenentur, ſi ſolum negative ſe habeanr, hoc eſt, non moneaut pœnitentem de obligatione reſtitutionis. Ratio eſt, quia, quamvis ex vi ſui officii, adeoque ex juſtitia teneantur incumbere bono ſpirituali pœnitentis, non tamen tenentur ex Juſtitia attendere bonis temporalibus illius, cui deber pœnitens reſtituere. Peccabunt igitur, ſed non tenebuntur ad reſtitutionem;

XI. Multoties non impedientes alterius damnum liberantur a reſtituendo, quamvis ad id ex juſtitia tenerentur. Tunc autem id verificatur, quando impediendo ſubire deberent grave damnum vel in bonis fortunæ, vel in vita; nam cum tanto incommodo non cenſentur ſe obligate, quoties bonum publicum non periclitetur. Ita excuſari poſſunt ſatellites, ſi timentes grave damnum a Potente illos minitante, non detrudant in carcerem debitorem, vel exulem non capiant. Id ipſum dicendum in caſu, quo timeant graviter vulnerari. Quod ſi exules graviter bono publico noceanr, tunc etiam ſe exponere debent periculo vitæ, ſi adſit ſpes illos capiendi, vel fugandi, quia præcipue ad hunc finem ſtipendio conducuntur;

C A P U T V.

De Ordine, quem ſervare debent cooperantes ad injuſtitiam, dum debent reſtituere; & quando teneantur in ſolidum.

Q. I. QUi ordo ſervandus ſit in reſtitutione, ſi plures aliquam rem furati ſint.

R. Primo integre tenetur reſtituere ille, apud quem res eſt, vel ſi non eſt, eam conſumpſit. Ratio eſt, quia ſi res apud illum extet, jam clamat pro Domino, adeoque debet illam Domino reſtituere. Si vero ipſe ſolus conſumpſit, jam ſolus reportavit commodum, & utilitatem ex re aliena, adeoque tenetur ad totum pretium ipſius erogandum. Si autem iſte vel nolit, vel non poſſit reſtituere, tunc tenentur ad reſtitutionem illi, qui cooperati ſunt ad actionem injuſtam furandi; etenim & ipſi adjuvando ad rem alienam ſurripiendam; onus illins reſtituendæ ſubjure. Verum tamen eſt, quod ille, apud quem res eſt, val eam conſumpſit, debet illis refundere quantum reſtituerunt, neque enim conveniens eſt emolumentum ex furto reportare: *Azor. 3. p. l. 4. c. 19. Tambur. in Decal. l. 8. tr. 4. c. 2. ſ. 7. n. 3.*

Q. II. Quis ordo ſervandus ſit in reſtitutione, quando nulla res fuit ablata, ſed tantum damnum irrogatum.

R. I. Primo loco tenetur qui imperavit, ut ſuo nomine, vel in ſui commodum, & gratiam fieret damnum; nam hoc ipſo, quod nomine ſuo, & in ſui gratiam voluit fieri maleficium, ipſi principaliter damnum eſt tribuendum, ac proinde totum in ſe ſuſcepit onus reſtitutionis. Secundo loco tenetur qui minis, vi, fraudibus, &c. coegit aliquem ad damnum irrogandum; nam cum ipſe modo injuſto alterum reddiderit reſtitutioni obnoxium, ipſe primus debet luere pœnas ſuæ injuſtitiæ, quatenus modo dicto alterum coegit ad damnum irrogandum: *D. Th. 2. 2. q. 62. art. 7. Lugo diſp. 19. ſec. 2. n. 53. Laym. l. 3. tr. 2. c. 6. n. 5. Tamb. an. 4.* Debet tamen cogens ita ſe habere, ut ratione officii, vel potentiæ, vel offerendo pecuniam, &c. intelligatur ſuo mandato influere, alias malum ex pura malitia executoris proceſſiſſet. Quicumque vero mandet, ut ſuo nomine inferatur damnum, vel velit, ut in ſui honorem fiat, ſemper eſt cauſa principalis, nam tunc exequentes damnum cenſentur illi deſervire. Tertio loco tenetur Exequutor. Ratio eſt, quia ſi excipiatur ille, qui imperavit, qui ſuo nomine fieri voluit; & qui coegit, Exequutor eſt cauſa principalis, & reliquæ ipſi acceſſoriæ; nam qui conſulit, laudat, præbet recurſum &c. id facit in gratiam ipſius exequutori; & ſemper cum illum non induxerunt ad malum vi, & fraude, verificatur libere exquutum eſſe injuſtitiam: *D. Th. Laym. Tambur. loc. cit.*

R. II. Si cæteræ cauſæ poſitivæ ſolum influant ut tales, nullus ordo eſt inter eas ſervandus, ſed omnes æque tenentur ad reſtitutionem poſt cauſas principales ſupra enumeratas, ſecundum tamen influxum, quem in damnum præſtiterunt. Quod omnes æque primo teneantur poſt cauſas, principales, exinde probatur; quia omnes ſunt cauſæ principalibus acceſſoriæ; ut conſtat de conſulente, conſentiente, adulante, communicante, receptatore, & ſubminiſtratore. Tenentur tamen reſtituere ſecundum majorem, vel minorem influxum, quem præſtiterunt, nam quo magis aliquis influxit movendo ad exequendum damnum, eo magis conſtat teneri ad reſtitutionem: *Leſſ. l. 2. c. 13. d. 6. n. 49. Laym. l. 3. tr. 5. c. 6. c. 6. n. 5. Anton. a Sp. S. diſp. 30. a n. 1428. Roſign. præn. 12. ſect. 8. n. 2.* Cum hoc tamen ſtat bene poſſe aliquem teneri ad compenſandum integrum damnum, juxta dicenda paulo poſt de obligatione in ſolidum reſtituendi.

Dixi in reſponſione nullum ordinem ſervandum eſſe inter cæteras cauſas poſitivas, ſi dumtaxat, ut tales influxerunt, hoc eſt, ſi ſolum influxerunt conſulendo, conſentiendo &c.; nam ſi una influxit mota ab alia, ſeu ut inſtrumentum illius, cauſa movens tenetur primo, & principaliter reſtituere ante cauſam motam. Demus e. g. conſulentem non ſolum ſuaſiſſe damnum irrogandum, ſed alium moviſſe ad laudandum, ad receptandum &c. conſtat tunc conſulentem teneri ad reſtitutionem ante laudantem, participantem &c. utpote quia iſti fuerunt cauſa damni ut moti a conſulente, atque ita ipſe reſpectu iſtorum eſt cauſa principalis.

Q. III. Quis ordo ſervandus ſit inter cauſas negativas, ſeu privativas, quando adeſt obligatio reſtituendi.

R. Quamvis certum ſit, quod ſi damnum non ſequutum ſuiſſet te clamante, impediente, manifeſtante &c. quando ad id ex juſtitia tenebaris, tenearis ad reſtitutionem damni; nihilominus certum eſt cauſas negativas non teneri ad reſtitutionem, niſi poſt poſitivas: nam iſtæ magis influunt in damnum, quam illæ, quia negativæ ſolum non avertunt damnum, cum poſſent, & tenerentur; poſitivæ vero illud actione poſitiva, & realicauſant: *Lugo de Juſt. diſp. 19. ſect. 5. a. n. 120. Laym l. 3. tr. 2. c. 6. n. 5.*

Si vero cauſæ poſitivæ non reſtituant, tunc inter negativas ordo ſequens ſervandus eſt. Si res ſolum mediate erat ſub cuſtodia Superioris, Magiſtratus &c., & immediate ſub alterius cuſtodia, caſu quo pereat, primo tenetur reſtituere cuſtos, deinda Superior, aut Magiſtratus &c. ſi non curarunt, ut cuſtodes ſe gererent diligenter. Extra hunc caſum primo tenetur Superior, nam ipſius negligentia cenſetur cauſa primaria damni; deinde cuſtos rei; tertio qui juridice inquiſitus celat veritatem, cum ex officio debuiſſet manifeſtare; quarto negligens monere, & dare bonum conſilium, quando ad id tenetur ex juſtitia: *Leſſ. l. 2. c. 13. num. 80. Lugo diſp. 19. ſect. 4. n. 134.*

Q. I. Quando plures teneantur in ſolidum ad reſtitutionem, dum plures cauſæ concurrunt ad idem damnum, hoc eſt, quando unaquæque teneatur totum reſtituere, aliis non reſtituentibus.

R. I. Poſtquam aliqua res fuit furata, quamvis plures concurrant ad eam conſumendam, unuſquiſque tenetur ſolum ad reſtitutionem partis, quam conſumpſit, quamvis alii ſuam partem non reſtituant. Ratio eſt, quia nullus ex iis, qui conſumunt rem furatam, poteſt dici totum damnum cauſaſſe, cum jam revera furtum fuerit factum; ac proinde non poſſunt obligari ad reſtitutionem totius, ſed ſolum ad partem, quam conſumpſerunt: *Bonac. diſp. 1. q. 2. p. 10. n. 11.*

R. II. Si plures cauſæ concurrant ad totum damnum inferendum partialitate cauſæ, & effectus, non tenentur ad totum damnum, ſed ſolum ad partem damni, quod fecerunt. Tunc dicuntur plures fuiſſe cauſæ partiales partialitate cauſæ, & effectus, quando non intulerunt damnum mutuo conſilio, & conſpiratione, ſed alii erant aliorum inſcii, & inſuper nemo totum damnum cauſavit, ſed ſolum partem ipſius. Quod in tali caſu nemo teneatur ad totum damnum, exinde conſtat, quia neque aliquo pacto movit alias concauſas, neque totum damnum revera intulit: *Molin. diſp. 734. n. 2.*

R. III. Si plures concurrant ad damnum partialitate cauſæ, ſed non partialitate effectus, tunc puto omnes teneri ad reſtitutionem in ſolidum. Tunc verificatur iſte caſus, quando licet unus de ſe non ſit ſufficiens ad ponendum totum damnum, nihilominus ſine ipſo nullatenus fieret; ut ſi duo ſint neceſſarii ad intrandum in aliquam domum ad furandum, iſti dicuntur concurrere ad furtum partialitate cauſæ, nam unus ſine auxilio alterius non poterat domum ingredi, non vero partialitate effectus, nam unicuique illorum poteſt imputari totum damnum; nullum etenim damnum ſequeretur, ſi unus illorum non concurreret. Ideo ergo unuſquiſque iſtorum tenetur ad totum damnum, quia in totum reputatur influere; ſi enim non concurriſſet, quamvis partialiter, nullum eveniſſet damnum: *Tambur. in Decal. l. 8. tr. 4. c. 1. ſ. 8. n. 7., & 9.*

R. IV. Si plures cauſarunt damnum non individuum,

ſed diverſum, non tenentur niſi ad partem damni, quod unuſquiſque fecit. Demus e. g. plures intraſſe in aliquam vineam, & ſingulos partem ejuſdem vineæ devaſtaſſe, unuſquiſque tenebitur ad compenſandum duntaxat damnum, quod cauſavit. Ratio eſt, quia jam ex ſe ſolum partem damni cauſavit, aliunde autem ſupponitur & ſine ipſo damno ſequutum fuiſſe, non incitaſſe, nec moviſſe alios ad vineam devaſtandam; unde cum nec fuerit cauſa totius damni, nec totum cauſaverit, non tenetur ad totum reſtituendum, ſed ſolum ad eam partem, quam ipſe fecit: *Leſſ. l. 2. c. 13. dub. 4. n. 37. Molin. diſp. 734.* Qui vero fuit principalis motor, & alios incitavit ad damnum inferendum, totum tenetur reſtituere, quia tunc ſeſe intelligeretur cæteras cauſas moraliter applicaſſe ad totum damnum inferendum, & per conſequens totum teneretur reſtituere. Exemplum ſit in Duce militibus imperante aliquid devaſtare. Item ſi plures ſe mutuo excitent ad aliquod damnum inferendum, quamvis ſinguli ſolum partialiter damnum inferant, nihilominus totius damni cauſa reputantur, utpote quia quod facit unus, facit ex alterius ſuaſione &c. *Leſſ. n. 36.*

R. V. Si plures cauſarunt idem damnum individuum, vel poſuerunt cauſam totalem damni, omnes tenentur ad reſtitutionem in ſolidum. Supponamus e. g. plures ſimul conſpiraſſe ad eumdem hominem occidendum, ad eamdem domum incendendam, ad eumdem adamantem furandum, unuſquiſque tenetur totum damnum reſtituere, aliis non reſtituentibus. Ita habetur ex *leg. ita vulneratus §. finali ff. ad leg. Aquil., & ex leg. vulgari ff. de furtis.* Concordat etiam ratio, quia cum de nullo ipſorum verificari poſſit ſolum partem damni intuliſſet, nam damnum eſt individuum, ſequitur unumquemque moraliter totum cauſaſſe, & omnes veluti una manu ad idem opus indiviſibiliter concurriſſe. Idem dicas, ſi duo ponant cauſam totalem damni, puta ſi ambo aliquem lethaliter vulnerarent; ſi ambo ſimul ponant cauſam ſufficientem ad domum comburendam; nam de utroque verificaretur totum damnum cauſaſſe. *Tambur. loc. cit. §. 8. num. 3. Bonac. diſp. 1. q. 2. p. 19. n. 10., & 16.*

Q. V. An ad reſtitutionem teneatur ille, qui ſolum tenetur in defectu principalis, ſi dubitet, aut neſciat principalem reſtituiſſe. Idem quæritur quando plures æque primo tenentur reſtituere, & unus ignorat, an alter reſtituerit.

R. Qui ignorat an alter reſtituerit, vel de hoc dubitat, debet prius facere diligentiam ſufficientem ad videndum, an Principalis, vel Conſocii reſtituerint. Poteſt autem moraliter eſſe certus non reſtituiſſe, quoties adinveniat illum, qui principaliter debebat reſtituere, vel Conſocios adhuc deperdite vivere, & maxime ſi perſeverent in furando, damnificando &c. unde in tali caſu deberet vel partem damni, vel totum reſtituere, juxta ſuperius dicta. Idem judicare debet non reſtituiſſe, quoties ſciat eſſe valde pauperes. Si vero poſt factam debitam diligentiam nullum habeat fundamentum credendi alios non ſatisfeciſſe propriæ conſcientiæ, poteſt prudenter præſumere ſatisfeciſſe, quia in dubio peccatum non eſt præſumendum, & ita ſe eximere ab obligatione reſtituendi id, ad quod alii tenentur. Hinc ſi ſolum tenebatur in defectum principalis, poteſt omnino a reſtitutione abſtinere, quia poteſt præſumere cauſam principalem ſatisfeciſſe. Si ſimul cum aliis conſociis tenebatur, quia damnum individuum cauſarunt, poteſt præſumere alios portioni ſibi competenti ſatisfeciſſe, & ita ſolum reſtituere ſuam portionem: *Salmant. tr. 3. c. 1. part. 5. n. 152.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Si Confeſſario ſe aliquis præſentet, qui damnum cauſaverit, non ſtatim illum ad reſtitutionem obliget, ſed videat bene memoria retinere ordinem, qui ſervandus eſt inter cauſas reſtitutioni obnoxias. Primo ergo interroget, an rem alienam habuerit, aut conſumpſerit, & in tali caſu ſtatim eſt ad reſtitutionem obligandos. Si rem alienam non habuit, aut conſumpſit, videat ſi fecerit damnum nomine proprio, aut potius alterius mandato, & tunc videat, an reſtituerit qui mandavit; nam tunc Executor a reſtitutione liberatur. Idem ſervet, ſi coactus fuit ad furtum, ſive ad damnum inferendum vi, minis, fraudibus, aut convitiis. Iſtis non reſtituentibus, vel non valentibus reſtituere, ſtatim obliget ipſum Executorem ad reſtitutionem.

Demum vero accedit ad Confeſſarium ille, qui conſuluit furtum, vel damnum, ſeu ipſum furtum, aut damnum inferendum laudavit, antequam ipſum obliget ad reſtitutionem, videat, an mandans, ſeu executor reſtituerint; nam ipſi tenentur ante laudantem, conſulentem, recurſum præbentem &c., & ipſis reſtituentibus, conſulens &c. nihil reſtituere tenetur. Dum vero prædicti non reſtituerint, obliget conſulentem, qui æque proxime tenetur cum Palpone recurſum præbente, cæteriſque cauſis poſitivis.

Denique ſi accedat ad Confeſſarium, qui non impedivit furtum, vel damnum, cum alias potuiſſet, & ex juſtitia debuiſſet impedire, debet primo videri, an reſtituerint cauſæ poſitivæ, quæ damnum fecerunt. Illis reſtituentibus, nihil reſtituere tenetur, qui non impedivit. Si vero non reſtituant, debet Confeſſarius interrogare, an iſte, qui non impedivit, habuerit immediate rem furatam ſub ſua cuſtodia, & tunc ſtatim obligare debet ad reſtitutionem, quando cauſæ poſitivæ furti, vel damni non reſtituant. Dum vero non ſit immediatus cuſtos rei, & damnum, ſeu furtum ſequutum fuerit etiam ex negligentia Superioris, vel alterius authoritatem habentis, iſte principaliter debet reſtituere, eoque non reſtituente, Cuſtos; poſt iſtum, qui debebat manifeſtare, & non manifeſtat; ac denique non dans conſilium quod potuiſſet damnum impedire, dum tamen tenebatur ex juſtitia dare tale conſilium. Debet etiam conſiderare Confeſſarius, an qui non impedivit, non ſatisfecerit ſuæ obligationi ex timore alicujus gravis damni ſibi vere imminentis; nam tunc ut plurimum Cuſtodes rerum, ſatellites &c. tenentur impedire, quoties aliud non exigat bonum publicum.

Videat Confeſſarius hanc regulam, & ſequentes memoria firmiter retinere, alias vel nimis indulgens, vel nimis ſeverus erit in obligando Pœnitentes ad reſtitutionem.

II. Debet etiam advertere Confeſſarius excuſari cauſas minus principales a reſtitutione, quoties Dominus, qui paſſus eſt damnum, condonavit reſtitutionem cauſæ principali, & ita liberaretur a reſtitutione executor damni, quoties remitteretur mandanti. Non vero cenſetur liber a reſtitutione principalis, eo quod condonata fuerit reſtitutio cauſæ ſecundariæ, immo ſi fuerint plures cauſæ æque ad damnum concurrentes, per liberationem unius, non cenſentur aliæ liberari a reſtitutione pro ſuo rata.

III. Confeſſarius volens in praxi cognoſcere, an pœnitens teneatur in ſolidum reſtituere, hoc eſt an teneatur etiam reſtituere partem alterius, ipſo non reſtituente, primo interroget, an fecerit cum aliis damnum communi conſilio, & conſpiratione; & ſi ita non factum fuit, ſolum tenetur reſtituere damnum a ſe factum. Si vero damnum illatum eſt communi conſilio, & conſpiratione, tunc interroget; an ipſe primus alios induxerit ad furtum, damnum &c., & in tali caſu eſt obligatus in ſolidum, & ante eos, quos induxit ad damnum inferendum. Si vero non primus alios induxerit, interroget, an ſine ipſo ſequutum fuiſſet damnum; nam quando, eo non concurrente, alii non feciſſent, damnum moraliter ipſi poteſt totum imputari. Si vero damnum adhuc ſine ipſo ſequutum fuiſſet, & alios non induxit, tunc interroget, an res furata, vel damnificata fuerit diviſibilis, ita ut omnes ſuam partem obtinuerint rei furatæ, vel fecerint ſuam partem damni: & in tali caſu non tenetur niſi ad partem damni, quod fecit, vel ad partem rei, quam furatus eſt. Quod ſi res erat indiviſibilis, tunc unuſquiſque qui fuit cauſa, vel furti, vel damni, tenetur in ſolidum ad reſtitutionem, ut ſi plures furati fuerint adamantem, equum, bovem &c. ſi plures fuerint cauſa mortis alicujus, incederint eamdem domum &c.

IV. Denique Confeſſarius, ſi ad ipſum accedat, qui non fuit principalis cauſa furti, vel damni, adeoque ante ipſum alii ad reſtitutionem tenebantur, moneat ipſum, ut videat, an cauſæ principales reſtituerint. Si de hoc non poſſit certiorari, poterit præſumere reſtituiſſe, dum non habeat præſumptionem in contrarium; & tunc iſta daretur, vel quando cauſæ principales non poſſent reſtituere, vel quando ſciret adhuc perſeverare in furando, damnificando &c.

CA-

CAPUT VI.

De Reſtitatione facienda ex acceptis ob turpem cauſam; ex donatione illicita, & reprobata a legibus; vel ex receptis pro acta malo; qui debebat omitti, aut pro acta bono, qui fieri debebat.

Q. I. AN poſt perpetratum maleficium, ſeu damnum, ille qui ſecit, retinere poſſit pretium ſibi collatum.

R. I. Dicitur in quæſito *poſt perpetratum maleficium*, nam certum eſt ante malum perpetratum quamcumque promiſſionem ſactam, ut illud fieret, nullo jure ſubſiſtere; cum enim talis promiſſio provocet ad malum, adeoque nullo pacto poſſit adimpleri, conſequens eſt nullatenus eſſe obſervandam. Si ergo aliquid datum ſit vi talis promiſſionis, & malum non ſit perpetratum, utique eſt reſtituendum, utpote quia promiſſio erat de ſua natura nulla.

R. II. Poſt malum perpetratum, (præſcindendo modo a prohibitione juris poſitivi,) danda eſt pecunia promiſſa Malefactori, e. g. Meretrici, Homicidæ, ſive cuicumque, qui in gratiam promittentis ſecit aliquod malum. Pro quo obſervandum, quod quamvis peccatum conſideratum in ſe & ſormaliter ſit ſemper deteſtabile, ac nullo pretio dignum, nihilominus conſideratum ſecundum materiale, hoc eſt, quatenus poteſt alicui afferre delectationem, commodum, utilitatem &c. reputatur pretio æſtimabile. Ex hoc autem formatur ſequens ratio. Eſt ſolvendum illi, qui fecit rem pretio dignam, quoties pro tali re promiſſum eſt pretium; cum ergo qui facit malum, faciat in gratiam alterius rem pretio dignam, non eſt expoliandus mercede ſibi promiſſa. Hinc meretrices poſſe retinere pretium, quod ipſis datur, habetur *leg. idem ſi ob ſtupr. ff. de condit. ob turp. cauſ.* & docet S. Thomas 2. 2. *q. 62. art. 5. ad* 2. & *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 2.* Præterea ſi mulier ſit uxorata, dicendum eſt talem mercedem poſſe ſibi retinere, utpote quæ datur illi ab adultero, ut ſibi retineat: *Bonac. diſp. 1. q. 3. part. 3. num. 12. Dian. p. 2. tr. 17. reſol. 7.*

Præfata tamen doctrina duas patitur limitationes. Prima eſt, non poſſe meretricem, aut alium Malefactorem retinere quod ſuperflue extorſerunt per dolum, aut fraudem; nam tunc illud ſuperfluum non libere datur. Secunda eſt, non poſſe meretricem &c. retinere quod habuit a non potente illud dare; ut ſi pretium recipiat a Filiofamilias de pecunia, quæ ad ipſum non pertineat. Idem dicas, ſi pretium habeat a Religioſo, quamvis habeat a Superiore licentiam diſponendi de aliquibus bonis. Scio plures Theologos velle alienationem rei, quam Religioſus expendit in uſus turpes, non eſſe judicandam irritam, quia quamvis ſit contra voluntatem Superioris, non tamen videtur velle Superior eſſe irritam. Nihilominus contraria omnino tenenda eſt ſententia; & probatur, quia ut talis alienatio ſit valida, debuit poſſe Superior dare facultatem aliquid alienandi in uſus turpes, quam certe non poteſt dare: *Pal. tr. 7. diſp. 2. p. 21. §. 3. a. 1. Trull. l. 7. cap. 14. d. 8. a. 3.* Non nego tamen quod ſi peccando damnificavit mulierem, ipſi honorem auferendo, non poſſit poſtea ipſi dare ex bonis, de quibus diſponere poteſt; nam tunc non dat ob turpem cauſam, ſed ad compenſandum damnum. Idem dicas ſi daret ob ſuſtentandos filios, quos ex ea genuiſſet.

Q. II. An Fœmina poſſit retinere tradita ſibi ab aliquo viro, ut ab ea extorqueat conſenſum turpem, ſi vere poſtea non conſentiat in malum.

R. I. Si vir det fœminæ ſub conditione explicita, vel implicita, ut conſentiat in actum turpem, certum eſt debere poſtea reſtituere, ſi non conſentiat; nam non adimplevit conditionem, ſub qua illi aliquid ſuit datum.

R. II. Si nullatenus interceſſit prædicta conditio, quamvis vir dederit ad eam alliciendam, adhuc fœmina poteſt ſine injuſtitia retinere, quod ſibi ſuit abſolute, & liberaliter traditum, & Amaſius ſibi imputet, ſi fuit nimis credulus in ſperando actum turpem: *Lugo de Juſt. d. 18. ſect. 3. n. 49. Molin. d. 777. num. 3. Dian. p. 2. tract. 16. reſol. 38.* Dixi poſſe ſine injuſtitia retinere; ſi enim aliunde cognoſcat ea ſibi dari ad eam ad turpia alliciendam, ſemper peccat contra charitatem; nam vir ſi videat a muliere munera recipi, ſemper magis ſit audacior, ſicut e contra mulier redditur magis proclivis ad conſentiendum.

Q. III. An ſi pro malo faciendo promiſſum aliquid fuerit ſupra pretium ſupremum, attendenda ſit talis promiſſio poſt malum perpetratum.

R. Quamvis unuſquiſque retinere poſſit, quæ ſibi fuerunt prodigaliter tradita, ſi potens ea dare, velit ea illi relinquere titulo liberalis donationis, ſecus dicendum eſt, ſi prætendat tamquam ex Juſtitia debitum, quod ſibi promiſſum eſt ſupra juſtum pretium. Ratio eſt, quia ſicut prodiga promiſſio ſemper continet peccatum veniale, ita erit ſaltem peccatum veniale dare quod prodige promiſſum eſt. Quod autem non poteſt ſine peccato adimpleri, nullam importat obligationem; etiamſi promiſſum fuiſſet ſub juramento. Qui ergo prodige promiſit pro malo perpetrando, ſolum tenetur dare quanti ſolet æſtimari illa actio mala. Nihil etiam teneretur dare, ſi res eſſet impartibilis: *Trull. l. 7. c. 14. dub. 8. a. 2.*

Hucuſque locutus ſum de iis, quæ licet dare, vel retinere pro actu malo perpetrato, attento jure naturæ, modo videndum quid dicendum, ſi aliquid detur contra id, quod diſponunt leges.

Q. IV. An teneatur ad reſtitutionem, qui aliquid recipit donatione illicita, & reprobata per Leges.

R. Videtur nullatenus poſſe retineri quod datum eſt donatione illicita, & reprobata per leges; nam omnes conventiones, quæ fiunt ob perpetranda peccata, ab ipſis legibus dicuntur nullæ, & nullam inducere obligationem, ſicut & tales contractus non valere &c. Id patet ex *leg. juris gent. ff. de pactis, leg. ſi plagis ff. de verbor. obl. leg. generaliter & ſeqq. C. eod. tit.*, & *ex can. non ſane 14. quæſt. 5.* Accedit authoritas S. Thomæ pluribus in locis, ut 2. 2. *q. 32. art. 7. ad* 2. & *q. 62. art. 5. ad* 2. & jam docuerat in *4. diſt 15. q. 2. art. 4. q. 2.* Et quidem cum iſtæ leges non fundentur in falſa præſumptione, & videantur reddere hominem incapacem ad recipienda munera pro actione peccaminoſa, (excipe meretricium) non apparet quomodo ſibi poſſit hujuſmodi retinere: *Faga. in cap. Ne innitaris de Conſt. a. 336.*

Nihilominus non paucos Patronos habet contraria ſententia, qui putantes leges ſolum velle obligare ad reſtitutionem in pœnam peccati, dicunt acceptum donatione reprobata per leges, ſolum eſſe reſtituendum poſt ſententiam Judicis, & ſaltem expectandam eſſe ſententiam declarativam criminis. Quamvis igitur leges dicerent hujuſmodi reſtitutionem faciendam eſſe, non expectata Judicis ſententia, cum id commode intelligatur, ſi dicatur non expectandam eſſe ſententiam declarativam pœnæ, bene vero expectari poſſe ſententiam declarativam criminis; hinc dicunt, ante hanc ſententiam non dari onus reſtituendi. Affirmant denique quod etiamſi viderentur velle irritas, & nullas donationes reprobatas per leges, non ſolum pro foro externo, ſed etiam pro interno, nihilominus ſecundum hanc partem non eſſe receptas, ſemper cum datur aliquid non pro ipſo peccato, ſed quatenus actio peccaminoſa ſecundum materiale quod habet, eſt utilis, conveniens, ſeu delectabilis illi, qui dat aliquid pro eadem actione: *Lugo diſp. 18. a. 55. Bonac. diſp. 1. quæſt. p. 3. n. 3.* & alii quos ſequitur *Dian. p. 6. tr. 6. reſ. 59.*

Stante probabilitate utriuſque ſententiæ, ego in praxi ita me gererem. Si ille, qui promiſit aliquid pro actione peccaminoſa, nundum impleverit promiſſum, illum non obligarem ad aliquid tribuendum propter fundamenta primæ ſententiæ. Si vero jam dediſſet pecuniam promiſſam pro actione turpi, non obligarem qui eam recepit ad reſtitutionem ante Judicis ſententiam propter fundamenta ſecundæ. Cæterum advertendum, quod ſi ille, qui hujuſmodi recepit, velit ea reſtituere, ſequendo primam ſententiam, non tenetur reſtituere illi, qui dedit; nam ſe privavit dominio rei, ſive pecuniæ, quam dedit ob turpem cauſam, & ulterius leges etiam videntur ipſum privare tali dominio. Si ergo ille qui accepit, putet non poſſe retinere, cum aliunde non teneatur dare illi, qui dedit, dare poteſt pauperibus.

Q. V. An teneatur ad reſtitutionem qui accipit aliquid ut pretium actus, quem debebat facere, ſeu pro deſiſtendo a malo, quod debebat omittere.

R. I. Suppoſito aliquem ex officio, vel quia habet a Republica, ſeu Principe aſſignatum ſtipendium, debere aliquid ex juſtitia facere, vel omittere, nihil poteſt recipere tamquam pretium ſibi debitum. Ratio eſt, quia cum recipiat pecuniam pro re, quam debet facere, vel omittere, dans non intelligitur liberaliter dare, nemo enim ſolet ſolvere pro eo quod ſibi debetur: Si ergo dat, intelligetur involuntarie dare ad redimen-

dam aliquam vexationem, adeoque non intelligit transferre dominium rei datæ in recipientem: *Lugo diſp. 18. ſect. 3. n. 63. Bonac. diſp 3. q. 3. p. 2. n. 1.* Hac ratione puto etiam motum fuiſſe Alexandrum VII. ad damnandam eam opinionem, quæ dicebat: *Si duo litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.* Cum igitur Judex non debeat manere ſuſpenſus, ſed proferre pro una ex partibus ſententiam, etiam quando in conflictu diverſarum opinionum profert ſententiam pro una parte, exercet munus Judicis, adeoque facit id ad quod jam tenetur ex juſtitia, & pro quo recipit ſtipendium, unde non poteſt pro eodem actu novum ſtipendium ſumere: nec poteſt præſumi liberaliter datum ab eo, pro quo protulit ſententiam.

Limitant aliqui hanc doctrinam dicendo e. g. Judicem poſſe recipere ab aliquo tertio v. g. a Paulo, ut preferat ſententiam juſtam in favorem Petri. Ratio iſtorum eſt, quia cum non teneretur proferre talem ſententiam in gratiam Pauli, poteſt ex hoc capite pecuniam accipere. At mihi placere neutiquam poteſt hæc opinio; tum quia revera accidit pecuniam prore, quam gratis debet facere; tum quia quicumque det pecuniam, ſemper præſumetur dare ad removendam injuſtam vexationem, quam timet e. g. imminere amico, adeoque omnino involuntarie dat; *Lugo diſp. 18. ſect. 3. n 64 Rebel. 2. p. l. 8. q. 20. n. 1.*

Cæterum ſi ille, qui aliquid tenebatur facere ex juſtitia adhibuit extraordinariam induſtriam, & laborem, ad quem non tenebatur, tunc poterit aliquid recipere. Demus e. g. aliquem habere ſtipendium pro aliqua re cuſtodienda, & adhibere laborem, & induſtriam, quam communiter non adhibent cuſtodes, certe poſſet aliquid recipere ultra ſuum ſtipendium, ut de ſe patet.

Q. VI. An qui debet aliquid ex Juſtitia facere, poſſit recipere quod ſibi liberaliter videtur dari.

R. I. Huic quæſito reſpondendum primo eſt, quod ſi id quod datur, detur antequam fiat opus, quod recipiens tenetur facere ex Juſtitia, ordinarie loquendo, ſemper illicite recipit. Et quidem loquendo de Judicibus, ſatis conſtat illicite petere quodcumque munus ante ſententiam; nam id ipſis ab utroque jure prohibetur, ut patet *ex leg. Plebiſcito ff. de offic. Præſid. leg. ſolet. ff. de offic. Proconſul. Ant. novo jure 2. de pœna Judicis, Auth. de Jud. §. Nullo quoque, & cap. cum ab omni de vit., & Honeſt. Cleric. cap. Statutum de Reſcrip. in 6.* Eſt etiam id contra jus naturæ, nam Judex accipiens munera ab uno ex litigantibus lite pendente, ſe ponit in gravi periculo, ut poſtea in prolatione ſententiæ valde pendeat in illius favorem in præjudicium alterius; ut dicitur enim Eccleſ. 20. *Xenia, & dona excæcant oculos Judicum.* An autem debeat reſtituere hujuſmodi munera etiamſi ſupponantur liberaliter tradita, pendet ab iis, quæ dicta ſunt in reſponſione ad ſuperius quæſitum.

Verum, ut dixi, ordinarie loquendo; etiam ea, quæ videntur dari liberaliter, ſi dentur pro opere, quod recipiens tenetur facere ex Juſtitia, ſemper illicite recipiuntur ante opus faciendum; nam revera non poteſt præſumi liberaliter dari, cum nemo velit liberaliter dare pro aliqua re, quæ ſibi ex Juſtitia debetur. Hæc autem ratio non ſolum probat illicite hujuſmodi recipi, ſed etiam non poſſe retineri, ut conſtat ex ſupradictis.

R. II. Propter opera debita ex aliis virtutibus etiam ex charitate, non eſt obligatio reſtitutionis, etiamſi propter illa facienda aliquid recipiatur. Et quidem ſi dentur munera propter opera præſtanda ex aliis virtutibus, non conſurgere obligationem reſtituendi ex eo patet, quia qui ea dat, non intelligit dare ad redimendam vexationem, ſed ad alliciendum eum, qui debet talia opera facere, ac proinde liberaliter dat: Exemplum ſit in Patre, qui, ut inducat filium ad Chriſtiane vivendum, plurima ei dona largitur; certe conſtat ipſum liberaliter dare talia dona ſub conditione licita adimplenda ex parte filii accipientis. Idem dicas de omnibus iis, quæ dantur animo proximum lucrandi.

Convincitur etiam non eſſe obligationem reſtitutionis, ſi aliquid recipiatur propter ea, quæ debemus ex charitate adimplere, quia quamvis recipiens peccet contra Charitatem, renuendo facere opus niſi habito ſtipendio, nihilominus revera ponit opus lucro æſtimabile, ad quod ex Juſtitia non tenebatur, unde poterit tale lucrum retinere. Exemplum ſit in medico, qui teneatur mederi ex Charitate infirmo pauperi, exiſtenti in gravi neceſſitate, & nihilominus nolit mederi, niſi habito ſtipendio. Iſte quidem peccat; at cum ponat opus lucro æſtimabile, quod non tenebatur ponere ex Juſtitia, non tenetur ad reſtitutionem: *Lugo diſp. 15. ſect. 3. num. 67. Bonac diſp. 1. q. 3. p. 2. num. 9. Dian. 3. par. tr. 5. reſ. 55.*

Q. VII. An poſſit quis licite retinere quod ipſi datur, ne aliquid faciat, quando alias habebat animum non faciendi.

R. Id exemplificari poteſt in eo qui non habebat animum delinquentem accuſandi, & nihilominus aliquid accipit, ut non accuſet, vel etiam extorquet a delinquente illum accuſare minitando, in hoc igitur caſu puto ſatis eſſe probabile nullam eſt obligationem reſtituendi; quamvis etenim non haberet animum, jus nihilominus habebat accuſandi, unde cum recipiendo pecuniam ſe privet tali jure, ex tali capite valet pecuniam retinere, ni excedere judicetur privationem talis juris: *Sanc. de matr. l. 4. diſp. 9. num. 9. Palaus tr. 2. diſp. 1. punct. 10. n. 5. Leſſ. l. 2. de Juſt. cap. 17. d. 6. num. 42.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum non ſit obligatio adimplendi promiſſionem, qua parte prodiga eſt, Confeſſarius in praxi abſolvat juvenes ab adimplendis promiſſis excedentibus, quæ faciunt mulierculis, ut obtineant uſum corporis ipſarum. Advertere tamen debet, quod id, quod eſſet excedens reſpectu publicæ meretricis, poteſt eſſe juſtum reſpectu Viduæ honeſtæ famæ, Uxoratæ, Virginis &c.

II. Cum non ſit obligandus ad adimplendum promiſſum, qui aliquid ſe daturum liberaliter promiſit propter actionem peccaminoſam faciendam; videat Confeſſarius non eſſe obligandum ad ſolutionem, qui e. g. aliquid promiſit Judicibus ob injuſtam ſententiam, Advocatis ob injuſtam defenſionem Clientum, Teſtibus ob falſum teſtimonium, Sicariis ob occiſionem hominum, ſicut & quibuſvis peccatoribus, ut faciant peccata, e. g. ut furentur, ut non jejunent &c. Cum hæc promiſſa reprobentur per leges, ſequitur ex ſupradictis valde probabile eſſe nullam inducere obligationem.

III. Quia non licet retinere quæ accipiuntur, ut pretium, & ſtipendium actus, quem quis debet ex Juſtitia facere, ſeu omittere, advertere debet Confeſſarius non ſolum exigi tale pretium, quando explicite petitur, ſed etiam ſi implicite petatur. Explicite petitur quando deducitur in pactum, vel quando aliquis proteſtatur ſe hoc, vel illud non facturum, ſeu omiſſurum, niſi illi aliquid detur, Tunc autem petitur implicite quando non expeditur negotium, quod quis debet ex Juſtitia expedire; quando ſine cauſa retardatur juſta ſententia: quando non ſatisfit creditori, vel nimis ſolutio differtur; quando opponitur futilis difficultas in reſtituenda re aliena, ut Dominus aliquid remittat &c. Uno verbo quando opponuntur multæ moleſtiæ, & vexationes, a quibus aliquis non ceſſat, niſi poſtquam habuit pecuniam, vel aliam rem lucro æſtimabilem. Bene advertet confeſſarius hæc omnia involuntarie dari, neque enim darentur, niſi apponeretur injuſta vexatio, ac proinde ſemper ſunt reſtituenda.

IV. Ex præfata doctrina videat Confeſſarius omnes ſequentes teneri ad reſtitutionem, ſi aliquid accipiant. Primo, omnes illi, qui tenentur ex Juſtitia aliquid omittere, & volunt omittere niſi recepto pretio: ſi e. g. Sicarius aliquid exigat ne occidat hominem; ſi fur ne furetur; ſi Judex ne injuſtam proferat ſententiam; & teſtis, ne dicat falſum. Deinde tenetur reſtituere Judex, ſi pretium recipiat pro proferenda ſententia juſta; Teſtis pro dicenda veritate; & Elector pro digniori eligendo. Idem dicas de eo, qui recipit ut ſolvat debitum ut reſtituat honorem, & famam, ut ſolvat legata relicta in Teſtamento, ut reddat depoſitum, ut rem inventam Domino reſtituat. Denique tenentur reſtituere illi, qui aliquid recipiunt pro diſtribuendis aliquibus bonis pauperibus, Virginibus, Viduis &c. ſi id ipſis incumbat ex Teſtamento, vel mandato alterius. Item moneo Confeſſarios, ut bene animadvertant hos non ſatis ſe ipſos excuſare, dicendo receptiſſe quod ſibi fuit liberaliter traditum; nam ut plurimum illis aliquid traditur, quia retardant ſolutiones, & opponunt varias moleſtias, & vexationes; unde verificatur vel a pretium pro eo, quod debent ex juſtitia facere, vel omittere.

CA-

CAPUT VII.

De loco, in quo facienda eſt reſtitutio, & quibus Perſonis.

Q. I. QUo loco facienda ſit reſtitutio.

R. I. Poſſeſſor bonæ fidei ſolum tenetur reſtituere rem in loco, ubi eſt. Ratio eſt, quia, cum poſſeſſor bonæ fidei nullam culpam commiſerit in retentione rei alienæ, æquum non eſt ut propriis expenſis, ſi opus ſit, illam mittat ad creditorem, atque ita damnum patiatur: *l. poſſeſſor ff. de petit. hæredit.* Quod ſi Dominus non poſſit admoneri, vel neceſſe eſſet tot facere expenſas, mittendo rem ſuam Domino, ut excederent valorem ipſius rei, tunc videndum eſt, an poſſit ad illum pretium mitti; & ſi hoc nequaquam fieri poſſit, & res poſſit conſervari, tunc, conſignanda eſt loco pio, eo pacto, ut eam reſtituat Domino, ſi compareat. Denique ſi nulla ſit ſpes Dominum fore adventurum, res tradenda eſt ipſius conſanguineis, & ipſorum defectu Pauperibus. Ratio horum omnium eſt, quia ita præſumitur voluntas rationabilis Domini: *Laym. l. 3. tr. 2. cap.* 10. *n.* 4. *Anton. a Sp. S. tr.* 10. *diſp.* 30. *n.* 1472. Quod ſi Poſſeſſor bonæ fidei alio tranſtulit rem alienam, nec tunc puto debere propriis expenſis ponere in loco, in quo eam habuit, nam cum nulla culpa ex parte ipſius interceſſerit, neque etiam conſonum rationi eſt, ut eam nunc patiatur propter rem alienam reſtituendam: *Cajet.* 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 3.

R. II. Poſſeſſor malæ fidei debet propriis expenſis mittere rem alterius ad eum locum, in quo eam Dominus habiturus fuiſſet, ſi illi non fuiſſet ablata. Ratio eſt, quia ſi dominus patiatur damnum, eo quod rem non habeat in tali loco, id provenit ex culpa iniqui poſſeſſoris; adeoque æquum eſt, ut tale damnum compenſet. Idem dicas de Debitore moroſo, ſi ex eo quod fuerit in mora culpabili non poſſit poſtea ſine aliquibus expenſis ſolvere ſuo creditori: *Laym. l.* 3. *tr.* 2. *c.* 10. *n.* 3. *Anton. a Sp. S. tr.* 10. *diſp.* 31. *n.* 1460. Verum tamen eſt quamplures Theologos a reſtitutione excuſare Poſſeſſorem malæ fidei, & moroſum Debitorem, ſi ſumptus pro reſtitutione facienda majores eſſent, quam res ipſa valeret; nam non videtur Dominus poſſe hoc rationabiliter velle, & nimia eſſet inæqualitas inter Debitorem & Creditorem, ſi cum tanto onere facienda eſſet reſtitutio: *Lugo diſp.* 20. *num.* 108. *Anton. loc. cit.* Verum ergo nequaquam acquieſcere poſſum huic opinioni, quando agatur de reſtitutione rei magni valoris. Admitto igitur quod ſemper cum iniquus poſſeſſor mittere non poſſit Domino rem ſine magnis expenſis, poſſit eam vendere, & mittere pretium loco rei, vel etiam differre ſolutionem uſque dum minoribus expenſis ipſum pretium per cambium ad Dominum mittat. At ſi darentur tales circumſtantiæ, ut reſtitutio rei magni valoris fieri non poſſet ſine magnis expenſis iniqui poſſeſſoris, puto debere eas ſubire. Ratio eſt, quia ſi Dominus grave incommodum patiatur ex re ipſi ablata, rationabiliter vult ſibi reſtitui; ex alia vero parte, ſi iniquus poſſeſſor debeat facere magnas expenſas ad rem reſtituendam, hoc ex ipſius culpa provenit, unde ratio dictare debet, ut potius Reus pœnam, cujus ipſe cauſa fuit, ſubeat, quam innocens ſine ſua culpa grave incommodum patiatur. *D. Th. in* 4. *diſt.* 15. *art.* 1. *q.* 1. *art.* 5. *q.* 4. *ad* 2.

R. III. Debitum ex contractu ſolvendum eſt in loco contractus, ſi alter locus non deſignetur. Ratio eſt, quia ſi aliud non exprimatur, locus contractus videtur deſignatus pro reſtitutione facienda. Obſervare tamen eſt, locum aliquando tacite deſignari, tunc ſcilicet quando ſolutio non poſſet commode fieri in loco ubi traditur res, vel pecunia; ut ſi e. g. hujuſmodi tradantur in via, vel itinere, non eſt æquum Debitorem ibi ſolvere, ſed ſolvere debet in loco creditoris.

Sed adhuc expoſtulabis cujus expenſis facienda ſit reſtitutio debiti ex contractu, ſi unus ex contrahentibus neceſſitate compulſus, vel obligatus talis debiti, alio migraverit. Dixi, ſi neceſſitate compulſus vel oblitus talis debiti alio migraverit; nam ſi voluntarie alio ſe tranſtulit, ipſe, utpote cauſa expenſarum debet eas ſubire, & aliunde ex vi contractus res ponenda tantummodo erat in loco contractus. Reſpondendum eſt ergo, obſervandum eſſe in cujus commodum factus fuerit contractus, & tunc iſte debet expenſas ſubire; illius enim eſt incommodum, cujus fuit commodum. In mutuo e. g. & commodato expenſæ faciendæ ſunt a Debitore: nam in ipſius commodum celebrantur tales contractus. E contra in Depoſito expenſæ faciendæ erunt a Creditore, cum in ipſius commodum fiat talis contractus: *Leſs. l.* 2. *cap.* 15. *d.* 8. *num.* 53. *Bonac. diſp.* 1. *quæſt.* 5. *p. unic. a n.* 10.

Q. II. An res reſtituenda ſit ei, cui fuit ablata.

Si ille a quo res fuit ablata, eam juſto titulo poſſidebat, debet eidem reſtitui. Ratio eſt, quia dum eam juſto titulo poſſidebat, injuſte fuit expoliatus ſua poſſeſſione, quare ad reparandam injuriam ipſi irrogatam, debet denuo poni in amiſſa poſſeſſione. Demus exemplum in eo, qui juſte aliquid poſſidebat titulo pignoris, aut depoſiti, iſte certe patitur injuriam, ſi expolietur re apud ipſum oppignorata, aut depoſita; quapropter ad reparandam talem injuriam debet denuo ipſi reſtitui. Secus dicendum ſi illius nihil interſit, ut Domino reſtituatur, vel niſi valde veroſimile eſſet eam in præjudicium Domini alienaturum, aut nonniſi cum magna difficultate reſtituturum. In his caſibus Domino reſtituenda eſt, etſi ex reſtitutione damnum, ſed non grave timeatur.

R. II. Si res fuit ablata illi, qui ipſam ſine juſto titulo poſſidebat, ut ſi ablata fuit furi, vel moroſo detentori, tunc Domino eſt reſtituenda. Ratio eſt, quia ille, cui fuit ablata, nullam injuriam paſſus fuit, ac proinde non eſt talis injuria reſtitutione compenſanda. Verum tamen eſt, quod ſi reſtitutio ſecrete fiat, tunc aliquo modo monendus eſt Dominus, ne iterum talem rem petat, & ille, a quo fuit ablata, ne iterum reſtituat: *Molin. t.* 3. *diſp.* 741. *Rebell.* 1. *p. l.* 2. *q.* 11. *Bonac. diſp.* 1. *q.* 4. *p.* 1. *n.* 5.

R. III. Si quis habeat rem alienam contractu lucrativo, puro donatione, poteſt, & debet eam Domino reſtituere. Ratio eſt, quia non eſt reſtituenda illi, qui eam dedit; etiamſi poſſederit bona fide, quia re vera nullum jus habet ad eam, adeoque eſt reſtituenda Domino. Excipitur caſus, in quo quis habuiſſet rem alienam ex contractu depoſiti, pignoris, ſeu commodati; nam fides horum contractuum exigit, ut reſtituatur illi, qui eam dedit quamvis monendus ſit eam eſſe alienam, ut eam Domino reſtituat: *Laym. l.* 3. *ſect.* 5. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 5. *Palaus t.* 32. *d.* 1. *p.* 18. *§.* 9.

R. IV. Si quis habuerit rem alienam contractu oneroſo, puta ex venditione, & illam habuerit a poſſeſſore bonæ fidei, poteſt ad recuperandum pretium illi eamdem rem reſtituere ut dixi *c.* 2. *q.* 6.

Q. III. An facienda ſit Domino nova reſtitutio, quando res ſua ad illum miſſa, ad eum non pervenit.

R. I. Quamvis, juſta interveniente cauſa, reſtitutio non fiat immediate a debitore, ſed mediate, puta mediante Confeſſario, vel alio viro reputato fideli; nihilominus ſi res erat ex delicto reſtituenda, quomodocumque ad Dominum non perveniat, facienda eſt nova reſtitutio. Id colligitur, *ex cap. ſignificaſti de pignor. & leg. incendium, ſi certum petatur.* Ratio autem eſt, quia uſque dum res reſtituenda effective ad Dominum non perveniat, non reparatur inæqualitas cauſata per injuſtam actionem, quæ alias reparanda eſt per reſtitutionem. Propterea Poſſeſſor malæ fidei obligatur etiam ad caſus fortuitos, quare ſicut denuo deberet reſtituere, ſi aliquis illi furaretur pecuniam, quam apud ſe paraverat ob reſtituendum, ita ſi eadem pecunia ſurripiatur in via a Portatore, vel Latronibus. Demum Portator gerit perſonam mittentis, quapropter ſicut denuo teneretur reſtituere, ſi res reſtituenda apud ipſum periret, ita & ſi pereat in manu Portatoris: *Leſs.* 2. *c.* 16. *d.* 6. *n.* 65. *Laym. l.* 3. *ſect.* 5. *tr.* 2. *c.* 12. *Bonac. d.* 1. *q.* 3. *p.* 9. *n.* 3. & 8. Secus dicendum, ſi Portator eſſet ab ipſo Creditore deſignatus, quia tunc gereret Perſonam illius, quare ſi pereat apud ipſum, idem eſt ac ſi periret apud Creditorem. Idem dicas, ſi Portator electus fuit de conſenſu creditoris; vel ſi creditor reliquit arbitrio debitoris ejus electionem, quia tunc creditor conſenſit in talem Portatorem alias reputatum fidelem.

Extra hos caſus puto omnino tenendam eſſe ſupradictam ſententiam, quamvis non deſint Theologi, qui contrarium defendant. Ipſorum autem præcipua ratio numquam ſatis mihi arriſit; ideoque enim putant non eſſe faciendam novam reſtitutionem, quia ſi juſta interveniat cauſa, qua debitor excuſetur a reſtitutione facienda per ſeipſum, etiam creditor cenſetur conſentire in hoc, quod fiat reſtitutio mediante nuntio, alias reputato fideli. Hæc, inquam, ratio numquam ſatis mihi arriſit; nam

quamvis tacite creditor conſentiat in tali modo reſtituendi, numquam tamen intelligit ſe privare jure, quod ipſi res ſua effective reſtituatur; neque intelligit talem rem ad ſe mitti, ea ratione, ut ſibi pereat, ſi injuſta actione ablata fuerit,

R. II. Quando quis habet apud ſe rem alienam, quam putabat eſſe ſuam, ſufficit ſi illam mittat ad dominum per nuntium reputatum fidelem, nec tenetur denuo reſtituere, quamvis ad Dominum non perveniat. Ratio eſt, quia non tenetur ad reſtitutionem ratione injuſtæ actionis, nam poſſidebat rem alienam bona fide, nec ratione rei acceptæ, nam nullo pacto apud ipſum remanet, illam etenim miſerat ad Dominum,

R. III. Si res debita erat ex contractu, nec transferat in dominium debitoris, tunc ſi iſte reſtituat per nuntium reputatum fidelem, etiamſi res pereat, non eſt facienda nova reſtitutio, ſecus ſi transferunt in dominium Debitoris. In contractu e.g. depoſiti, commodati, pignoris &c. res non tranſit in alterius dominium, ſed perſeverat ſub domini dominio, unde eſt eadem in individuo reſtituenda, In tali caſu, ſi fiat reſtitutio per nuntium reputatum fidelem, & nihilominus pereat; jam perit ſine culpa debitoris. & cum aliunde res ſemper ſuo Domino pereat, ſequitur debitorem non eſſe obligandum ad novam reſtitutionem, ut colligitur etiam *ex capite ſignificaſti de pignor.* Solum teneretur Debitor ad reſtitutionem, quando Dominus cum eo conveniſſet, ut non mitteret ad ipſum ſuam rem, niſi per Nuntium a ſe deſignatum, nam tunc fuiſſet in culpa alteri tradendo,

E contra ſi res debita erat ex contractu, in quo transferatur dominium, ut in mutuo, tunc res, quæ reſtituenda mittebatur, perit debitori, nam erit Dominus illius. Hinc ſi reſtituere debeas pallium, quod commodatum habebas, & centum aureos, quo mutuo habueras. ſi iſta omnia pereant apud eum, quo mediante reſtituebas, non teneris iterum reſtituere pallium, nam perit ſuo Domino, ſi mittebatur per nuntium reputatum fidelam, bene tamen iterum teneris reſtituere too. aureos, quia erant ſub tuo dominio. Neque etiam teneretur debitor denuo pecunias reſtituere, quoties creditor deſignaſſet portatorem, vel conceſſiſſet debitori, ut eligeret quem vellet; nam tunc cum portator repræſentaret perſonam Creditoris, perinde eſſet, ac ſi ipſi facta foret reſtitutio: *Lugo diſp 21. num 57. & ſeqq., Laym. lib. 3. ſect. 5. tr. 2. c. 12.*

Q. IV, An reſtitutio facienda ſit Creditori, quando res reſtituenda futura eſt illi, vel aliis nociva.

R. I. Si res reſtituenda debeat deſervire in damnum ſpirituale creditoris, debitor tenetur ex charitate differre reſtitutionem, dum id facere poſſit abſque gravi ſuo incommodo. Reſponſio iſta procedit, quando eſt ſpes quod negatio rei reſtituendæ proficiet ad damnum impediendum, nam ſtante tali ſpe denegatio illa eſt medium ad impediendum damnum ſpirituale proximi; & Charitas dictat alia media eſſe adhibenda, quoties talem facere poſſumus abſque gravi noſtro incommodo. Et id etiam magis locum habet, ſi quis velit uti re reſtituenda in damnum alicujus innocentis, ut ſi aliquis velit ſibi reſtitui pecuniam depoſitam, ut ea utatur ad ſolicitandam mulierem; nam eadem Charitas dictat præcavenda eſſe damna Innocentis. Dixi tamen, ſi id fieri poſſit abſque gravi incommodo, nam medium ordinatum ad evitandum peccatum non eſt detentio alterius rei, ſed correctio fraterna; ac proinde non tenetur quis cum ſuo gravi incommodo inquirere quomodo alius erogaturus e. g. ſit ſuas pecunias,

Dixi pariter teneri ex Charitate differre reſtitutionem &c. ut innuerem non teneri differre ex juſtitia, quando agitur de ſolo damno ſpirituali vitando. Ratio eſt, quia debitori non incumbit ex juſtitia curare, ut Creditor utatur pecunia, vel alia re reſtituenda in rebus licitis; & ulterius medium directum ad impediendum damnum ſpirituale proximi, non eſt rem alterius retinere, ſed illud fraterne corrigere; *Leſs. l. 2. c. 16. n. 53. Navar. cap. 17. a num. 62.*

R. II. Si debitor cognoſcat Creditorem abuſurum re reſtituenda in damnum corporale ſuum, vel alterius, poteſt differre reſtitutionem, immo ex juſtitia tenetur, Quod poſſit differre clarum eſt, nam reſtitutio facienda eſt in commodum Creditoris; dum vero abuſurus eſt re reſtituenda modo dicto, non eſſet in commodum, ſed in incommodum. Quod vero ad id teneatur ex juſtitia exinde probatur, quia unuſquiſque ex juſtitia tenetur non influere in damnum alterius, patet autem Creditorem id facere, quoties reſtituendo rem alienam cognoſcit ſe præbere inſtrumenta ad damnum cauſandum: ut ſi e. g. reſtitueret Domino arma apud ſe depoſita, quoties cognoſceret ipſum Dominum illis armis aliquem mutilaturum, vel occiſurum. Et quidem in tali caſu non minus concurreret ad mortem alterius ſubminiſtrando arma apud ſe depoſita, quam ſi propria ſubminiſtraret. Limitanda tamen eſt prædicta doctrina in caſu, quo debitori grave damnum immineret ex negata reſtitutione rei alienæ, nemo enim cum magno ſuo incommodo tenetur alterius damnum impedire; *Leſs. l. 2. cap. 16. d. 4. n. 59.*

Q. V. An ſatis ſit reſtituere Creditori ſui Creditoris.

R. I. Si utrumque debitum ſit contractum ob eamdem cauſam, omnes conveniunt, Debitorem ſatisfacere ſolvendo Creditori ſui Creditoris. Conduxi e. g. domum a Titio, quam is antea conduxerat a Sempronio; in hoc caſu poſſum ſolvere penſionem locationis Sempronio, & non Titio; *Leg. utr. præſente ff. de conſt. pecun.*

R. II. Etiamſi debitum ſit ob diverſam cauſam contractum, ſatisfacio ſaltem in foro conſcientiæ meo Creditori, totidem ſolvendo ipſius Creditori. Debeo e. g. centum Franciſco, quia ab ipſo domum conduxi, & Franciſcus totidem debet Joanni, quia ab ipſo totidem mutuo accepit, bene potero dare Joanni centum aureos, quos debeo Franciſco. Ratio eſt, quia ſolvendo centum Joanni, quos debeo Franciſco, libero Franciſcum a certa obligatione, quam habebat ſolvendi centum, unde nullam facio ipſi injuriam; nam idem eſt alicui dari centum, ac ipſum liberare a certa obligatione centum ſolvendi. Præterea in tali caſu intercedit æqua, ac juſta compenſatio; nam ex una parte ſum debitor Franciſci propter domum ab ipſo conductam, ex alia vero parte ſum creditor æqualis ſummæ, quia Joannes, cui ſolvo, transfert in me jus ſuum, quod habebat in Franciſcum; unde cum ſim Debitor, & Creditor æqualis ſummæ, nullam facio injuriam meo Creditori ipſi non ſolvendo, ſed ſolvendo ipſius Creditori: *Laym. l. 3. ſect. 5. tr. 2. c. 9. n. 8. Bonac. diſp. 1. q. 4. p. 2. n. 1.* Omitto hoc deſignare, quibus tribuenda ſint bona incerta, vel res deperditæ, nam de hoc actum q. 1. capite tertio *quæſ. 5. &c.*

Regulæ in praxi Obſervandæ.

I. Quamvis dixerimus rem eſſe reſtituendam illi, a quo fuit ablata, ſi eam juſto titulo poſſidebat, advertere nihilominus debet Confeſſarius, quod ſi ille, qui eam poſſidebat, prudenter judicatur ſuſpectus, quia e. g. eſt valde callidus, avarus, prodigus, ſeu fur, tunc debet ſuadere, ut reſtitutio fiat Domino, nam ſi ſuam rem non deperdet, ſaltem magna difficultate recuperabit. Id autem intelligendum volo, quando ex reſtitutione facta domino nullum damnum poteſt probabiliter imminere reſtituenti.

II. Demum obſervandum eſt, quod quamvis in praxi tutiſſima ſit illa doctrina, quod quis liber remaneat a reſtitutione per ſolutionem factam Creditori ſui Creditoris, nihilominus ſi ſuus Creditor ſperet ſibi remittendum eſſe debitum, vel concedendam notabilem dilationem ad ſolutionem, tunc ipſi fieret injuria per ſolutionem factam ſuo Creditori, ut de ſe patet, & proinde non eſſet ſolutio facienda ipſius Creditori.

CAPUT VIII.

De Ordine ſervanda in reſtitutione.

Q. I. AN Leges tum Canonicæ, tum Civiles perſcribentes ordinem ſervandum in reſtitutione, obligent in conſcientia.

Quidquid dicitur in iſto capite attendendum eſt in ſuppoſitione, quod debitor non ſit potens omnibus creditoribus ſatisfacere.

R. Mihi probabilius eſt hujuſmodi leges obligare etiam pro foro conſcientiæ, adeoque ante Judicis ſententiam. Ratio eſt, quia iſtæ leges non ſunt pœnales, ſed præceptivæ, ordinatæ ad publicum bonum; leges autem quæ non ſunt puræ pœnales, non falſæ innituntur præſumptioni, ſed præceptivæ, obligant etiam in foro conſcientiæ ad ſui obſervantiam, utpote derivante a legitima authoritate, quæ poteſt in utroque foro obligare: *Lugo diſp. 20. ſect. 5. numer. 87. Leſs. lib. 2. c. 15.*

Digitized by Google

c. 15. n. 36. Trull. l. 7. c. 14. d. 12. n. 22. Non auderem tamen tamquam improbabilem contrariam ſenrentiam damnare, quia ipſam probabilem reputant multi Theologi. Reſpondent autem rationi ſuperioris ſententiæ dicendo, quod licet præſatæ leges ſint præceptivæ, nibilominus commode poſſunt intelligi præcipere ſolum pro ſoro exteriori, eaſque Judices ſervare debere in judicando ob tuendam publicam quietem, & tranqnillitatem: *Marchant. & alii, quos ſequitur Dian. 5. p. tr. 13. reſol. 79. & 3. p. tr. 5. reſol.* 10.

Q. II. An ſi res debita in propria ſpecie adhuc perſiſtar, reddenda ſit ei, qui illam dedit, ante omnes alios Creditores.

R. I. Si nondum tranſlatum ſit dominium talis rei, ut evenit in pignore, depoſito, commodato &c. utique reddenda eſt domino. Ratio eſt, quia alii Creditores ſatisfaciendi ſunt ex bonis, quæ ſint ipſius Debitoris, non vero quæ ſint aliena. Si Dominus ergo ſit cerrus, talia bona illi reddenda ſunt, ſi incertus, Eccleſiæ, Pauperibus &c.

R. II. Si Dominium rei, quæ adhuc extat, tranſlatum ſit in Debiturem, dum nondum ſolutum ſit pretium, vel de probabile eſt eſſe ante alios reſtituendam illi, qui eam tradidit. Caſus poteſt accidere in contractu emptionis, & venditionis, in quo poſtquam res eſt tradita emptori, & pretium ei creditum, tamer non ſolutum, transfertur dominium in ementem juxta plures DD. Quod autem res ita vendita, ſi adhuc extet, ante alios Creditores poſſit Venditori reſtitui in caſu expoſito, exinde quampluribus valde probabile reputatur, quia, ultraquamquod alienum repuratur ab æquitate naturali, ut res quam alius a me emit non ſoluto pretio, alteri tradatur, videtur res ita vendita non ſolum tacite hypothecata venditori, ſed etiam quod remaneat veluti pignus pro pretio; unde nolente, vel non potente ſolvere emptore, contractus reſcindirur, & res redit ad dominum priorem: *Rebell. l. 2. q. 10. ſect. 1. & 2. Bonac. diſp. 1. qu 8. p. 2. num.* 8. Illud certum eſt, quod ſi res ita vendita erat Eccleſiæ, Fiſci, vel Minoris, eſt ipſis reddenda, nam ipſorum rerum dominium, non transfertur niſi ſoluto pretio: *leg. ſi Curator. 5. §. fin. ff. de jure Fiſci, Lugo diſp. 20. ſect. 2. num. 15. Laym. lib. 3. tract. 2. cap. 11. numer. 2.*

Q. III. An debita certa ſint incerti præferenda.

R. Quamvis non pauci non improbabiliter ſuſtineant non dari talem prælationem, mihi contraria atridet opinio. Ratio autem eſt, quia creditores certi habent jus fortius quam pauperes, qui ſuccedunt loco creditorum incertorum; unde iſti non poſſunt agere in judicio, ut ſibi debita incerta tradantur ex juſtitia commutativa, bene vero creditores certi: qui vero habent jus fortius præferendi ſunt iis, qui babent jus minus forte. Pauperes etiam habere jus minus forte iterum probatur, quia, fortaſſe nulla ratione eſſent ipſis debita bona incerta, niſi ita haberetur ex jure poſitivo, ut ſuo loco dictum eſt. Patet autem Creditores certos habere pleniſſimum jus naturæ, ut ſibi tradatur quod ipſis debetur: *Leſſ. l. 2. c. 15. d. 2. n. 4. Laym. l. 3. tr. 2. c. 11. n. 1.*

Q. IV. An aliquis ordo ſervandus ſit inter ea, quæ debentur ex contractu oneroſo, & ea, quæ debentur vel ex contractu gratuito, vel ex delicto.

R. I. Prius ſolvenda ſunt, quæ debentur ex contractu oneroſo, puta venditione, locatione &c., nam quæ debentur ex contractu gratioſo, e. g. ub promiſſionem acceptatam, legatum &c. Ratio eſt, quia dum bona Debitoris non ſufficiunt ad ſolvendum omnibus, velle ex illis ſolvere, quæ ex nulla obligatione Debitor promiſit, idem eſſet ac velle ſacere eleemoſynam de re aliena. Ulterius promiſſiones liberales vel non tenenr, vel reſcinduntur, quoties talis ſuperveniat rerum mutatio, ut ſi fuiſſet prævisa, prudenter non fuiſſent ſactæ: *leg. inter eos §. Is quoque ff. de re judicata: Lugo diſp. 20. ſect. 7. n. 140. Rebel. 1. p. lib. 2. 19. q. n. 14.*

R. II. Si comparentur debita ex contractu oneroſo, & ex delicto; non ſatis video cur admitti debeat inter ipſa aliqua prælatio. Non ignoro aliquos putare prius ſolvenda debita ex delicto, quia prius videtur recedendum ab injuria graviori, qualis eſſe ab eis judicatur debitum ex delicto contractum. E contra alii putant debita ex contractu licito magis ſolvenda quam debita ex delicto, cum creditor tantumdem dederit, ut ſibi poſtea redderetur. Verum, ut dixi, ego neſcio ſatis videre cur ſtrictius debeam centum aureos, quos mutuo accepi, ac alios centum, quos debeo ex damno illato, cum in utroque caſu, quod debetur, debeatur ex ſtrictiſſimo jure Juſtitiæ. Suppoſito ergo non dari ſpecialem phypothecam, vel ex alia cauſa prælationem reſpectu alicujus ex præſatis debitis, utrique Creditori ſatisfaciendum eſſet pro rata, ſi debitor non valerer integre ſolvere &c. *Lugo ſect. 3. num. 36. Palaus d. 1. p. 18. §. 19. num. 3. Laym. l. 3. tr. 2. c. 11. n. 6.*

Q. V. Quis Ordo ſervandus ſit inter Creditores hypothecarios.

R. I. Ante reſponſionem ſupponendum eſt Creditores hypothecarios eſſe illos, qui non ſolum habent obligatam perſonam Debitoris ad ſolvendum debitum, ſed etiam ipſius bona; unde ubicumque ſint, intelligantur veluti oppignorata Creditori. Inter Creditores vero hypothecarios alii habent tacitam hypothecam, alii expreſſam, alii ſolum generalem, alii ſpecialem. Tunc datur hypotheca tacita, quando leges volunt bona Debiroris remanere hypothecata Creditori; ſicut & datur *expreſſa*, quando ita expreſſe conveniunt contrahentes. Hypotheca generalis intervenit, quando debitor habet obligata omnia ſua bona Creditori, & ita taliter, ut nullum particulare bonum exprimatur; & ſi exprimatur aliquod bonum particulare, ut *hæc Domus, hic ager &c.* conſurgit hypotheca ſpecialis. Inter iſtas autem hypothecas hoc datur diſcrimen, quod hypotheca generalis intelligatur afficere bona debitoris, quatenus illius ſunt: unde ſi ad alium tranſeant, tranſeunt ſine aliquo onere; hypotheca vero ſpecialis ita intelligatur afficere bonum hypothecatum, ut ab ipſo ſemper indiviſa maneat, etiamſi tranſeat ad alium poſſeſſorem. Item notandum creditores nullam habentem hypothecam dici perſonales, ſive chirographarios, & habere ſolum perſonam directe obligatam, & indirecte ejus bona, quatenus ſcilicet poſſunt agere adverſus perſonam, ut ſibi ex ipſius bonis perſolvatur. His poſitis.

Creditores hypotecharii præferendi ſunt perſonaſibus, etiamſi hi ſint antiquiures; & poſſint inſtrumento publico probare ſuum creditum: *leg. eos, qui potiores in pignore habebantur, leg. pro debito Cod. de bonis author. Judic. poſſid.* Ratio eſt, quia cum Creditores hypothecarii habeant directe actionem in bona debitoris, utpote quia ſibi ſunt oppignorata, & veluti ex parte alienata, habent jus majus, ut ſibi ſolvarur de talibus bonis, quam perſonales, qui directe ſolum habent jus in Perſonam. Ex ſpeciali ergo, & potiuri jure, quod habent hypothecarii, ſunt præferendi non habentibus hypothecam: *Lugo diſp. 20. ſect. 4. nu. 39. Palaus diſp. 5. part. 8. §. 16. num. 2.*

R. III. Inter creditores hypothecatios, cujuſcumque rationis ſit ipſorum hypotheca, dummodo non ſit privilegiara, nulla datur prælatio, ſed obſervanda eſt illa regula Juris, qui prior eſt tempore, potior in jure habeatur: *leg. 2. & ſeq. ff. & C. qui potiores in pignore habeantur, & ex leg. hac edictali 6. C. de ſecun. nuptiis* Et quidem erat æquum ira ſanciri, ne nova superveniens obligatio per novam hypothecam minueret jus quæſitum alterius, quo ſibi habebat illius rem jam obligatam, & hypothecatam: *Palaus n. 3. Laym. l. 3. ſect. 5. tr. 2. c. 11. n. 3. Bonac. diſp. 1. q. 8. p. 2. n. 16.*

R. III. Creditores hypothecarii privilegiati anteponendi ſunt hypothecariis non privilegiatis anterioribus, ſi ſolum habeant tacitam hypothecam. Ratio eſt, quia ex jure habent talem prælationem. Dixi tamen *hypothecariis non privilegiatis*; nam inter hypothecarios privilegiatos puto ſervandam eſſe illam regulam, ut qui prior eſt tempore potior ſit jure. Ulterius dixi, *ſi ſolum tacitam habeant hypothecam*; nam nimis durum videretur, poſteriorem Creditorem expoliare per hypothecam privilegiatam creditorem anteriorem eo jure, quod expreſſe deduxerat in pactum: *Laym. cit. Palaus num 6.*

Porro hyporhecæ privilegiatæ ſunt ſequentes. Hypotheca, quam habet uxor ſuper bona mariti pro ſolutione ſuæ dotis: *leg. aſſiduis C. qui potiores*; & ſi res dotales exiſtant, runc præferuntur omnibus creditoribus, etiam habentibus expreſſam hypothecam: *leg. in rebus Cod. de Jure dotum*. Non attenditur vero privilegium dotis, ſi dos non fuerit recepta. Auctuarium vero dotis factum a marito habet privilegium dotis, quia acceſſorium ſequitur principale. Hypotgeca, quam habet Fiſcus ſuper bona illius, qui cum eo contrahit; & hæc hypotheca omnino hypothecæ dotali comparatur: *l. is qui ff. de jur. Fiſc.* Hypotheca, quam habet ille, qui dedit pecuniam ad emendam domum, vel prædium; & præfertur talis hypotheca cuicumque habenti hypothecam gene-

generalem: *leg. 3. ff. qui potiores &c.* & multo magis ſi dedit pecuniam ad emendam domum cum pacto ut remaneat hypotheca: *leg. licet C. qui potiores*. Quod ſi pecunia credita ſit ad refectionem domus, navis, prædii, alteriuſve rei, qui credidit talem pecuniam ſupra talem rem habet hypothecam, quæ præfertur omni alteri hypothecæ ſpeciali, & expreſſæ ſupra eamdem rem; nam ſine tali pecunia mutuata pignus, vel hypotheca non ſubſtitiſſent: *leg. interdum 5. ff. qui potiores*. Hypotheca comprobata publico inſtrumento, hæc enim antefertur hypothecæ confectæ ſcriptura privata: *leg. Scripturas C. qui potiores*. Quia tamen ideo hypotheca comprobata publico inſtrumento præfertur hypotheca, de qua ſolum conſtat per Scripturam privatam, quia in hac præſumitur fallacia, hinc eſt, quod ſi abſit omnis ſuſpicio fraudis, nulla detur prælatio inter præfatas hypothecas: *Leſſ. l. 2. c. 15. Palaus diſp. 1. p. 18. §. 12. Laym. l. 3. tr. 2. c. 11. n. 5.* Dantur aliæ hypothecæ in jure privilegiatæ, quarum notitia potius pertinet ad Juriſperitos, quam ad Theologos.

Q. VI. Quis ordo ſervandus ſit in ſolvendo Creditoribus Peſonalibus.

R. I. Primo ſolvendum eſt Creditoribus Perſonalibus privilegiatis. Primi vero creditores perſonales privilegiati ſunt creditores ex cauſa funeris, & anteponi debent Creditoribus hypothecariis, quamvis privilegiatis: *leg. penult. ff. de relig. & ſumpt. funer.* aliiſque juribus. Quamvis autem jura loquantur de expenſis dumtaxat neceſſariis factis in funere, extenduntur communiter ad debitum contractum pro Infirmi curatione; ut in ſolvendo Medicis, Chirurgis &c., in conficiendo Inventario, & Teſtamento: *Laym. l. 3. tr. 2. cap. 11. n. 3. Palaus d. 1. p. 18. p. 15. num. 3.* Quoad debita autem cum Pharmacopæo, ſolummodo privilegiata ſunt quæ contracta fuerunt in ultima infirmitate: *Surdus decis. 225.* & DD. communiter. Alter Creditor perſonalis privilegiatus eſt Sponſa, quæ dedit dotem ante matrimonium; licet enim poſt contractum matrimonium ſit creditrix hypothecaria privilegiata, nihilominus ante contractum matrimonium eſt ſolum creditrix perſonalis privilegiata, & præfertur pro receptione ſuæ dotis aliis creditoribus perſonalibus: *leg. quæſitum §. Sponſa ff. de privil Credit*. Tertio, eſt Creditor perſonalis privilegiatus, qui ſine aliquo lucro depoſuit ſuas pecunias apud publicum Depoſitarium, ſeu Nummularium. Certe ſi tales pecuniæ exiſtant in propria ſpecie, ſunt omnino reſtituendæ deponenti; nam tradendo illas Depoſitario ſine lucro, conſervavit ipſarum dominium. Si vero Depoſitarius illas conſumpſit, Deponens fit creditor perſonalis privilegiatus, & præfertur omnibus creditoribus perſonalibus: *leg. ſi ventr. ff. de privil. Credit., leg. ſi hominem ff. depoſiti*. Ultimo, cenſetur creditor perſonalis privilegiatus Reſpublica ſi aliquid illi ſolvendum ſit: *leg. bonis venditis ff. de privileg. Credit.* Et obſervare eſt, quod inter hos Creditores perſonales privilegiatos non attenditur prælatio temporis, ſed cauſa; unde qui habet cauſam potiorem aliis præfertur: *leg. privil. ff. de privil. credit*,

R. II. Inter creditores perſonales non privilegiatos, quibus ſolvendum eſt poſt creditores privilegiatos, ſequens ordo poteſt ſervari. Primo, quod aliis præferatur, qui potior eſt tempore; quamvis enim in jure civili illa regula: *Qui potior eſt tempore, potior eſt jure*; reſtringatur ad creditores hypothecarios, in jure tamen canonico ſine ulla limitatione approbatur, ut patet *ex regula 54. Juris in 6.* Et quidem Creditor anterior, licet tantum perſonalis, nihilominus habet ſibi indirecte obligata bona debitoris ante creditorem poſteriorem; ac proinde ipſius juri jam quæſito non eſt æquum per poſteriorem creditorem derogari. Hac ratione etiam in aliis rebus anteriores poſterioribus præferuntur: ita qui prius conduxit operas alicujus, præfertur ei, qui poſtea eaſdem conduxit: *leg. in operis ff. locati*: qui prius emit, præfertur poſteriori, ſi huic res non fuit tradita: qui prius contraxit ſponſalia, præfertur alteri, qui poſtea cum eadem contraxerit. Et ratio horum omnium eſt, quia ſecundus contrahens non valet derogare juri jam quæſito a primo contrahente: *Lugo diſp. 20. ſect. 7. num. 147. Rebel. 2. p. l. 2. qu. 19. num. 11. Tolet. l. 5. cap. 25.*

Secundo, beneficio legum inter Creditores perſonales præfertur ille, qui in judicio debitum petiit, & obtinuit ſententiam, & id in præmium ipſius vigilantiæ, & diligentiæ; *leg. in hominem §. Quoties ff. de poſſeſſ.*, *leg. qui autem §. Sciendum ff. quæ in fraudem Creditorum*. Quod ſi interim alter Creditor non ſolum obtinuit in judicio ſententiam, ſed etiam exequutionem, iſte præfertur ſupradicto, qui dumtaxat ſententiam obtinuit, nam vi talis exequutionis remanent ipſi velut oppignorata, & hypothecata bona Debitoris.

Tertio, valde probabile eſt poſſe a debitore præferri poſteriorem creditorem, ſi aliis non petentibus ſuum creditum, ipſe petat a debitore etiam extra judicium, nam videntur jura facere eum aliis potiorem propter majorem ipſius diligentiam: *leg. qui autem cit., leg. pupillus ibidem, & leg. inter eos ff. de re judicata. Navar. in Man. c. 17. n. 52. & 58. Leſſ. l. 2. c. 15. n. 39. Cabaſſut. in prax. jur. can. 6. c. 22. n. 13.*

Duo alia valde diſputant Theologi, volentibus primo non paucis poſſe debitorem, cujus bona ad ſolutionem omnium non ſufficiunt (ſemper locuti ſumus in iſta ſuppoſitione) poſſe ſolvere creditori indigenti, remanente inſoluto creditore non indigente. Ratio horum Authorum eſt quia, cum obligatio reſtitutionis reſpiciat evitare damnum proximi, videtur in reſtitutione pauper anteponendus, cum plus damni patiatur. Alii e contra dicunt equale eſſe jus pauperis, & divitis cum utrique ſit ſolvendum ex juſtitia commutativa; ac proinde nullam proprietatem eſſe ex hoc capite inter eos ponendam: *Lugo diſp. 20. ſect. 7. numer. 161. Azor. t. 3. l. 4. c. 29. quæſt. 4.* Secundo, plures Theologi volunt, quod licet Debitor peccet integre ſolvendo uni ex creditoribus non petenti ſuum debitum, quando ex hac ſolutione diminuitur quod dandum eſſet aliis habentibus jus æquale, nihilominus poſſit tuta conſcientia creditor præfatus retinere integram ſolutionem ſui debiti. Id conantur probare quia, bona debitoris non ſupponuntur hypothecata aliis Creditoribus, hic enim agimus de Creditoribus mere perſonalibus, & ex alia parte non accipit ſupra id quod ſibi debetur. Verum adhærendum puto contrariæ ſententiæ, nam ſemper cum plures Creditores habent jus æquale in bona debitoris, non video quomodo unus poſſit retinere id, quod ſupra alios accepit, nam ſuo juri, quod erat cum aliis æquale, non correſpondebat tanta quantitas ex bonis debitoris: *Palaus d. 1. p. 18. §. 21. num. 6. Bonac. d. 1. quæſt. 8. p. num. 23. & 27.* Quod ſi dentur aliquæ leges, paulo ante etiam a nobis citatæ, quæ denegent revocationem ſoluti, dicendum eſt id factum fuiſſe ad lites vitandas; qua ratione a legibus non datur actio in judicio, cum in emptione, & venditione non fuerit deceptio infra dimidium juſti pretii, & tamen certum eſt deceptorem teneri ad compenſandum deceptum.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Prima regula ſit quod Confeſſarius, dum agitur de graduatione Creditorum, non tam facile fidat ſuæ ſcientiæ, ſed alios etiam conſulat, ſimulque Juriſtas; nam tantæ ſunt in hac materia exceptiones, ſive ex jure communi, ſive municipali, ut facillime poſſit quis errare. Et de facto in quodam caſu, de quo fuit interrogatus, ſi valde mea me non fallat opinio, vir communi æſtimatione doctus, non bene ordinem inter Creditores ſervando, cuidam Creditori bis centum nummos aureos non erogandos perperam pronunciavit.

II. Notet Confeſſarius, quod ſi ſuus pœnitens ſciat non poſſe omnibus ſolvere, non poteſt ſua ſponte gratificare Amico, vel Conſanguineo integrum illorum creditum ſolvendo in præjudicium anteriorum, nam tunc clare conſtat contra iſtorum jus fieri. Id ſolent facere Debitores, antequam publicetur non eſſe omnibus ſolvendo, unde id bene perſpectum habeat Confeſſarius.

III. Notet Confeſſarius etiam peccare illum, qui in præjudicium Creditorum accipit aliquid a non potente ſolvere, vel id habeat ex titulo oneroſo, vel lucrativo; & id verum puto cum communiori ſententia, etſi ipſe non inducat ad dandum. Ratio, meo videri, eſt ſatis clara, quia nempe per ſolam acceptionem cooperatur peccato debitoris, & influit in damnum creditorum, adeoque etiam tenetur ad reſtitutionem: *Bonac. diſp. 1. q. 8. p. 2. num. 7. Anton. a Spir. S. diſp. 4. num 155.* Videat ergo Confeſſarius omnino peccare uxores inducentes Maritum, quem ſciunt impotentem ad ſolvendum, ad expenſas non neceſſarias; immo ex eo ſolum quod aliquid non neceſſarium accepent a Marito,

adeo-

Digitized by Google

adeoque teneri ad reſtitutionem. Si proinde uxor non habeat dotem unde vivat, nec filii quomodo aliunde ſibi provideant, poſſunt ſolummodo ex bonis Mariti, vel Patris, quæ ad ipſorum ſtatum neceſſaria ſunt recipere, quia non datur obligatio reſtituendi, a proprio ſtatu decadendo. Cæterum ſi quis aliquid accipiat bona fide ab hujuſmodi debitore etiam titulo gratuito, poteſt excuſari a reſtitutione, ſi intra annum a Creditoribus datum non repetatur; neque etenim tenetur reſtituere ex injuſta acceptione, cum acceperit bona fide, neque ex re accepta, cum illam a vero domino habuerit, & aliunde anno elapſo non detur Creditoribus actio ad repetendum: *l. 1. ff. quæ in fraud. Credit.*

IV. Cum dixerim leges ſtatuentes ordinem ſervandum in ſolvendo creditoribus, valde probabilius eſse obligare etiam pro foro conſcientiæ, neſcirem conſulere alicui debitori, vel creditori, ut tales leges, vel communes, vel municipales non obſervaret. Nihilominus, ut verum fatear, ſi jam ab ipſis aliquid factum eſset contra tales leges, quod tamen eſſet juxta jus commune, ſive jus naturæ, non ſtatim illos in foro conſcientiæ obligarem ad reſtitutionem. Demus e.g. aliquem debitorem, cujus bona non ſufficiunt pro ſolvendo omnibus creditoribus, prius ſolviſſe alicui creditori (non loquor de creditoribus hypothecariis, qui aliquam rem ſibi obligatam habent) perſonali poſteriori, quia fuerit diligentior in petendo, ſive pauperior, quam alii, ego ante ſententiam Judicis poſt tale factum non condemnarem ad reſtitutionem. Ratio mihi eſt, quia ut vidimus initio ſuperioris capitis, valde probabile quamplures putant tales leges ſolum obligare pro foro externo, & poſt ſententiam Judicis; unde cum probabile ſit licite poſſideri quod ſolutum eſt contra tales leges, dum id non adverſetur juri naturali, ſequitur talem creditorem poſſe perſeverare in ſua poſſeſſione uſque ad Judicis ſententiam, ex illa communi regula, quod nemo ex delicto incerto debet ſua poſſeſſione privari.

Ex præfatis exemplis poſſunt alia inſerri juxta doctrinam in ſuperiori articulo explicatam,

C A P U T IX.

Quo tempore facienda ſit reſtitutio; & de cauſis ab eadem excuſantibus.

Q. I. QUo tempore facienda ſit reſtitutio.

R. I. Qui habet rem alienam ex delicto, vel etiam ex re accepta, tenetur facere reſtitutionem ſtatim ac commode poteſt, etiam Domino non petente rem ſuam: *l. quoque in diem ff. de verbor. obligat. & l. in re furtiva ff. de conſtit. furtiva.* His legibus exprimitur detentorem moroſum eſſe, adeoque culpabilem eum, qui non reſtituit, ſtatim ac commode poteſt. Ratio eſt, quia, ut vidimus initio hujus Tractatus, præceptum reſtituendi vel eſt expreſse, & formaliter negativum, vel involvit præceptum negativum; ſcilicet de non retinenda ſe aliena, invito rationabiliter Domino; præcepta autem negativa, & pro ſemper obligant. Prætetea, ſi non reſtituatur res creditori, quoties commode fieri poteſt, injuſte privatur uſu rei ſuæ, & ita ipſi injuria irrogatur: *D. Th. 2. 2. q. 62. art. 8. Bonac. diſp. 1. qu. 6. p. unic. num. 1. Anton. a Sp. S. diſp. 30. a num.* 1450. Dum dicimus tamen reſtitutionem eſſe faciendam, ſtatim ac commode fieri poteſt, id eſt intelligendum moraliter, ita ut non ſtatim peccati damnandus ſit, qui, cum poſset, per brevem moram reſtitutionem differt. Ad judicandum igitur, an in dilatione ſolutionis, quæ antea commode fieri poterat, intervenerit peccatum grave, attendenda eſt & renitentia domini in dilatione talis ſolutionis, & damnum quod ex hoc ſequi poſſet. Quamvis autem dominus magnam oſtenderet renitentiam etiam pro brevi mora in reſtituendo, non ſtatim judicarem debitorem eſſe reum peccati gravis; nam magna renitentia præciſe pro brevi dilatione, non videtur rationabilis; ſecus ſi debitor vellet ſine juſta cauſa per aliquos dies reſtitutionem differre; & id creditor valde ægre ferret. Dum vero ex brevi mora reſtitutionis ſequeretur damnum grave creditori, conſtat ſolum ratione talis moræ, grave committi peccatum, & deberet Debitor ita moroſus damnum compenſare.

R. II. Qui rem debet alteri ex contractu, vel quaſi contractu, debet reſtituere tempore in contractu definito; ſi vero tempus deſignatum non fuerit, poteſt expectare ut admoneatur. Prima pars reſponſionis de ſe conſtat, unde qui debet tempore aliquo determinato reſtituere rem, quam debet ex contractu, non debet expectare ut admoneatur; nam dies in contractu aſſignata interpellat pro Domino: *cap. fin. de loc. st. & conduct.* Secunda vero pars probatur quia, licet ex natura contractus etiam diem non deſignantis, deberet debitor reſtituere quamprimum poſſet, nihilominus conſuetudine introductum eſt ut admoneatur, nam creditor non petendo videtur conſentire in dilationem. Id autem non eſſet verum, vel quando creditor oblitus fuiſſet crediti; vel ſi deberet rem ſibi debitam expoſcere a Potente, & non haberet animum petendi. *Bonac. loc. citat.* Idem dicendum quando contractui adjectum fuiſſet juramentum, nam juramentum vim habet interpellationis, & obligat ut quamprimum debitum reddatur: *Palaus d. 1. p. 18. §. 7. n. 2.* Verum tamen eſt, quod loquendo de debito ex contractu, plures Theologi non ſunt ita faciles in condemnando de peccato mortali debitorem, qui ſine damno creditoris differt ſolvere, cum firmo tamen propoſito ſolvendi. Ratio eſt, quia dilatio ſolutionis debitæ ex contractu, v.g. ex mutuo, emptione &c. non reputatur ab ipſis tam injurioſa, quam ſi differatur reſtitutio, dum aliquis poſſideat rem alienam, ſive ex re accepta, ſive ex injuſta actione, ſive reſtituere teneatur ex damno illato.

Illud tamen certum eſt, quod etiam notabilis dilatio ſolutionis debitæ ex contractu, id creditore ægre ferente, in materia gravi eſt peccatum mortale, cum non ſolum fiat contra jus, quod habet creditor, ut ſibi debito tempore ſolvatur, ſed etiam gravi injuria afficiatur, dum differretur debita ſolutio, quando id ipſe fert ægerrime. Sicut etiam eſt peccatum mortale velle in materia gravi ſolvere per partes, quando debitor poſſet totum ſolvere, & ſolutio ita facta per partes eſſet cum renitentia creditoris: *Bonac. d. 1. qu. 6. p. unic. n. 16.*

Q. II. Qualis impotentia ſolvendi excuſet a reſtitutione.

R. Non ſolum impotentia phyſica, qua aliquis nullatenus poteſt ſolvere, ſed etiam moralis excuſet a reſtitutione, ſeu a dilatione illius. Impotentia autem moralis conſurgit, quando reſtitutio non poteſt fieri abſque gravi incommodo debitoris, & pro tunc ceſſat obligatio reſtitutionis, quia etiamſi creditor ægre ferret ſibi non fieri ſolutionem, ſeu reſtitutionem, adhuc tamen eſſet invitus irrationabiliter, ac proinde non eſſet attendenda ejus renitentia in concedenda dilatione. Ultraquamquod, cum reſtitutio ſit actus juſtitiæ ordinatus ad ſervandam æqualitatem, non habet locum, quando reſtitutio fieri deberet cum gravi incommodo debitoris, nam tunc non ſervaretur æqualitas.

Tunc autem primo cenſetur Debitor non poſſe facere reſtitutionem abſque gravi ſuo incommodo, quando ex reſtitutione prudenter poſſet timere periculum ſalutis animæ ſuæ, vel ſuorum; ut ſi ex eo, quod reſtituendo non poſſit quis ſe, vel familiam alere, videat ſe furaturum, ſeu alias injuſtitias commiſſurum, vel proſtituturum uxorem, filias &c. *D. Antonin. 2. p. t. 2. cap. 8. Lugo de Juſt. diſp. 21. a num. 13. Bonac. diſp. 1. qu. ult. p. 1. num.* 12. Secundo, reſtitutio non poſset fieri ſine gravi incommodo debitoris, quando ex reſtitutione pateretur grave damnum in aliis bonis ordinis ſuperioris, puta in honore, & fama, & multo magis ſi in vita, libertate, membris &c. *Lugo cit. Tolet. l. 5. cap. 25. n. 7. & 10. Roſignol. prænot. 6. n. 6.* Tertio, non tenetur reſtituere, qui ex reſtitutione patitur grave damnum in bonis fortunæ, ut ſi deberet vendere aliquam rem multo vilius quam mereretur; & ſi deberet ſe privare inſtrumentis ſuæ artis, quibus ſuſtentatur &c. *Lugo diſp. 21. num. 10. Anton. a. Sp. S. diſp. 30. num.* 1479. Non tamen reputatur pati grave damnum debitor, quando ex reſtitutione privaretur magno lucro, quod ſperaret ex aliqua negotiatione, nam hoc non eſt pati damnum in ſuis bonis; neque æquum eſt creditorem ſuis rebus privari, ut debitor ex eis lucrum recipiat, maxime ſi creditor ex privatione ſuarum rerum detrimentum patiatur: *Palaus tr. 32. d. 1. p. 17. §. 4. num. 2. Bonac. diſp. 1. q. ult. p. 1. num.* 29. Quod ſi lucrum, quod ſperat debitor, ſit moraliter certum, & illud quærat ad ſatisfaciendum etiam aliis creditoribus, quibus alias non poſſet ſatisfacere, tunc ille, qui etiam cum aliquali ſuo damno nollet pati dilationem reſtitutionis, videretur ir-

rae

Digitized by Google

rationabilitec invitus, ac proinde in tali caſu debitor poſse eamdem reſtitutionem differre.

Duo nihilominus adhuc hic remanent examinanda. Primum, an debitor ad vitandum ſuum damnum poſſit differre ad reſtitutionem, quando etiam creditor ex tali dilatione ſimile damnum patitur. Secundum eſt, an ſoppoſito debitorem habere juſtam cauſam differendi reſtitotionem, teneatur ad damnum emergens, vel locrum ceſſans, quod ex tali dilatione patitur creditor.

Circa primum communius docent Theologi, exiſtentibus in extrema neceſſitate tam creditore, quam debiture, ipſum ſolvere non teneri, quia in illo ſtatu omnia redduntur communia, & res ſunt illius, qui apud ſe eas habet. Si vero uterque exiſtat in gravi neceſſitate, quamplures volunt meliorem reputandam eſſe conditionem creditoris, adeoque debitorem teneri ad reſtitutionem. Sed probabiliter alii ſuſtinent contrarium, ſuppoſito debitorem non babere rem, quæ ſit ſub dominio creditoris, ut eveniret, ſi illius rem furatus eſſet, & adhuc extaret; ſicut etiam ſuppoſito per iniquam ablationem, ſeu damnificationem oon conſtituiſſe creditorem in gravi neceſſitate. Stante ergo debitorem ſive ex contractu, ſive ex delicto, dicunt iſti Aothores, nun habere rem, quæ ſit ſub dominio creditoris, vel per iniquam ablationem non conſtituiſſe creditorem in gravi neceſſitate; tunc debitor æqualem patiens neceſſitatem, oon videtur cogendus ad ſtatim reſtituendum. Ratio ipſorum eſt, quia debitor poſſidet quod ſuum eſt; nemo autem tenetur reſtitutionem facere ex proprio, niſi quando id poteſt facere ſine gravi incommodo, quod incommodum certo patietur, ſi eſt in gravi neceſſitate. Si vero meam liceat proferre ſententiam; ſemper putarem quod dum reſtitutio facienda eſt pro delicto, & creditor æqualem patitur neceſſitatem, ſive incommodum, non poſſit debitor differre reſtitutionem, quia in pari caſu ſemper reputatur melior conditio innocentis: *Lugo diſp.20. de Juſt. num.5. Anton. a Spir. S. d. 32 num.1479.* Excuſarem ergo tantummodo debitorem; dum ageretur de extrema neceſſitate, quia ſcilicet, ut dictum eſt, tunc omnia ſunt commonia.

Ex hac doctrina ſequitur reſpooſio ad ſecundum quæſitum, an ſcilicet debitor teneatur ad locrum ceſſans, vel damnum emergens, quod patitur creditor ex dilatione reſtitutionis. Et reſpondendum quod ſi obligatio reſtitotionis oriatur ex delicto, debet debitor prædicta ſolvere, nam ſempee tunc verificatur provenire ab injuſta actione debitoris quidquid damni patitur creditor, & æquum non eſt ex ipſius culpa creditorem damnum pati: *Leſſ. l. 3. cap.16. d. 2. num.32. Bonac. diſp. 1. quæſt. ult. p. 1 num.40.* Si vero non oriatur ex delicto; tunc ad ea non tenetur; nam debitor ad ea tenetur, quando eſt in mora culpabili ſolvendi, & non eſt in tali mora, quoties habet juſtam cauſam differendi ſolotionem, Quod ſi debitor veller ſolutionem differre ad lucrum acquirendum, ut dixi paulo ante, tunc putarem ſolvere debere creditori lucrum ceſſans, vel damnum emergens; equitas enim poſtolat, ot ratione locri ſibi acquirendi creditori non præjudicet.

Q. III. An concedenda ſit dilatio reſtitutionis, ſi debitor reſtituendo creditori non præjudicet.

R. Differre poteſt ſolutionem ſi ſtatus fuerit juſte acquiſitus, ſecos ſi injuſte. Ratio primæ partis habetur ex ſupradictis, nam cum reſtituere cadendo a proprio ſtatu juſte acquiſito afferat magnum incommodum, jam debitor intelligitur moraliter impotens ad reſtituendum. Advertere tamen debet iſte debitor debere removere omnia ſuperflua ſuo ſtatui, ut poſſit reſtituere; ac proinde vir nobilis omnia ſuperflua in veſtibus, recreationibus, cibis, famulis &c. removere deberet: nam tenetur adhibere media proportionata ad ſatisfaciendum creditoribus, qualia ſunt remotio omnium, quæ ſunt ſuperflua. Ratio ſecuodæ partis eſt, quia velle conſervare non reſtituendo ſtatum injuſte acquiſitum, eſt velle perſeverare in retentione illarum rerum, quas acquiſivit per furta, uſuras &c. nam his modis injuſte acquiritur ſtatus. Qoi igitur injuſte acquiſierunt ſtatum altiorem, retentis ſolom iis, quæ ſibi ſunt neceſſaria juxta ſtatum, quem habebant, antequam injuſte ſublimiorem ſtatum acquirerent, cætera omnia debent reſtituere. Non improbabilem tamen puto limitationem, quam aliqui faciunt, nempe non teneri ad excidendum a ſtatu etiam male acquiſito illum, qui vellet per vices reſtitoere, ſi interim parciſſime vivendo, & accumulando etiam lucra ſuæ profeſſionis, melius conſulere poſſet ſuis creditoribus, tametſi eum aliqua dilatione, quam ſi omoia diſtrahendo, ſe privaret facultate deinceps luctandi: *Laym. l. 3. tr. 2. c. 32. num. 2.*

Q. IV. Quando condonatio Creditoris reddat Debitorem liberom a reſtitotione; & an ſufficiat præſumpta.

R. I. Remiſſio facta a creditore, ſi foit omnino libera, & voluntaria, ſeu a legibus non reprobata, liberat a reſtitutione. Ratio eſt, quia remiſſio debiti eſt idem ac gratioſa, & liberalis donatio, ac proinde omnino liberat a reſtitutione. Debet autem, ut dixi, eſſe omnino libera, & voluntaria. nam alias non intelligeretur liberalis, & gratioſa; ut ſequeretur quando talis remiſſio obtineretur a creditore per dolum, ignorantiam, fraudem &c. ut ſi debitor ſe fingeret pauperem impotentem &c. Idem dicendum, ſi condonatio fiat ſolum alicujus partis, itaut creditor ſit contentus majoris ſummæ. Si etenim compoſitio facta fuerit abſque dolo, & fraude, quoniam debitor ſincere manifeſtavit ſuum ſtatum, tunc dici poteſt, remiſſionem partis ſuiſſe plene voluntariam. Si vero facta fuerit remiſſio, quia Debitor non manifeſtavit plene ſoum Statum, aut aufugit, ſeu ſe recepit in Eccleſiam, ut in minori ſumma componeretur, cum majorem poſſet ſolvere, tunc talis remiſſio non liberaret Debitorem in foro conſcientiæ, utpote cum fraude & dolo extorta. *Lugo diſp. 21. ſect. 4. num. 46. Anton. a Sp. S. d. 31. num.* 1486.

Addidi, remiſſionem non debere eſſe a legibus reprobatam, quia ſi invalidatur a jure, nollum parit effectum. Ita e.g. ſe habet remiſſio, quam obtineret aliquis Canonicus pro retinendis diſtributionibos correſpondentibus tempori abſentiæ; nam hujuſmodi remiſſio invalidatur a Tridentino *ſeſſ. 24. cap.* 12. *de Reform.* Similiter *cap. exigit de cenſib. & exaction.* invalidatur remiſſio, quam obtineret Epiſcopus pro retinendis iis, quæ tempore viſitationis recepiſſet ſupra ſumptus non neceſſarios. Immo additur pœnam de duplo intra menſem reſtituendo, ſub alia pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda.

R. II. Poteſt vel differri, vel omitti reſtitutio, ſi certo moraliter conſtet. Creditorem in id conſentire. Et quidem ſi non haberentur rationes poſitivæ ſuadentes Creditorem conſentire vel in dilationem, vel in omiſſionem reſtitutionis, non poſſet differri, & multo minus omitti ſolutio; nam conſtaret de obligatione reſtituendi, nullatenus vero de conſenſu Creditoris in dilationem, vel omiſſionem reſtitutionis. Si vero pluri-ma probabilitate conſtaret, Creditorem vel remittere debitum, vel conſentire in dilationem ſolotionis, tunc tuta conſcientia poteſt debitor vel non ſolvere, vel differre; ita enim prudenter credit concedere Creditorem. Rationes autem unde poſſit argui talis voluntas Creditoris, deſumi debent ab illius liberalitate, ab amore erga debitorem, a paupertate debitoris, a conſanguinitate &c. Non ſemper tamen ſatis convincunt; unde valde attendendæ ſunt diverſæ circumſtantiæ, ex quibus vir prudens poſſit judicare in Creditore talem voluntatem: *Navar.. c.17. 158. Lugo diſp.* 21. *num.52. Bonac. diſp. 1. quæſt. ult. p. 1. n. 1.*

Q. V. Qualiter debitum compenſatione extinguatur; & qoæ ſint conditiones reqoiſitæ ad licitam compenſationem.

R. I. In foro conſcientiæ debitum extingoitur compenſatione ſive proprie, ſive improprie tali. In compenſatione proprie dicta debitum in omni foro extingui exinde probatot, quia talis compenſatio intervenit, quando quis eſt ſimul debitor, & creditor ejuſdem ſummæ; unde qua parte eſt quis Creditor, conſtat eliden jus ſui Creditoris, ſecundum quod erat debitor, & ita ſuum debitum extinguit. Hinc compenſatio *l. 1. ff. de compenſat.* definitur: *Debiti, & Crediti inter ſe invicem contributio*, & per ipſam debitum extingui ſtatuitur: *leg. cum ambo, leg. cum aliter leg. idem juris ff de compenſationibus.*

Conſtat etiam extingui compenſatione improprie dicta, quæ melius vocaretur recuperatio debiti, & intervenit, quando non datur debitum ex parte utriuſque, ſed ſolum ex parte unius, qui cum nolit ſolvere, dat occaſionem Creditori, ut clam ſurripiat ex bonis illius, quantum ipſe debet. Cum igitur in hoc caſu Creditor tantum ſurripiat, quantum ipſi debetur, idem eſt ac ſi ipſi debitor ſatisfeciſſet, ac proinde non amplius debitum

bitum

Digitized by Google

bitum perſeverat. In foro externo non admittitur compenſatio circa id, quod debetur Regi, Civitati, alterive Communitati; *l. mea C. de compenſat., leg. ob negotium ff. eod. tit.* Item non admittitur compenſatio in ordine ad debitum contractum ob injuriam alteri factam, v. g. quia ipſum percuſſit, ipſius rem furatus fuit &c. *l. fin. C. de compenſat.* Item in debito ex depoſito; & hoc ultimum tenent etiam nonnulli Theologi, quia ita videtur clariſſime expreſſum, & ſancitum: *cap. bona fides de Depoſito.* Sed communius tenent Theologi dari locum compenſationi etiam in Depoſito; ſi enim aliquis e. g. non ſervet mihi fidem ſolvendo centum aureos, quos debet, cur & ego non poſſum ipſi fidem non ſervare, retinendo rem ſuam apud me depoſitam in compenſationem mei crediti? Dicunt autem jus poſitivum id prohibent ſolum loqui de foro externo; *Lugo d. 16. ſect. 5. n. 89. Laym. l. 3. tr. 2. c. 9.*

Solum ergo non erit locus compenſationi, ſi aliquis promiſiſſet ſe ſoluturum debitum, & cedere compenſationi; nam ita promittendo ceſſit juri compenſationis, & aliunde promiſſio fuit de re licita, & poſſibili. Extra hunc caſum non video cur in aliis non ſit locus licitæ compenſationi, etiamſi aliquis juraſſet ſe debitum ſoluturum; nam ſuppoſito non renuntiaſſe compenſationi, cum juramentum ſequatur naturam actus, cui adhæret: *cap quemadmodum de jurament.* tale juramentum de ſolvendo debitum habet ſemper imbibitam hanc conditionem, *ſi debebo ſolvere*: poſita autem compenſatione, non eſt obligatio ſolvendi: *Molin. diſp. 270. Navar. l. 3. c. 1. n. 393. Dian. 3. p. tr. 10. reſol. 17.*

R. II. Conditiones ad licitam compenſationem ſunt plures. Et ſuppoſito non amplius per compenſationem auferendum, quam eſſet debitum, nec in compenſatione auferri poſſe, niſi bona Debitoris, reducuntur ad ſequentes. Prima, quod debitum ſit certum, & liquidum; nam cum in dubiis melior ſit conditio poſſidentis, nemo expoliandus eſt jure, quod habet, niſi conſtet eſſe debitorem &c. Secunda, quod compenſatio non cedat in damnum Debitoris, vel alterius. Hinc Creditor, qui ſe occulte compenſavit, tenebitur ex charitate curare, ne alteri imputetur, quod ablatum fuit; & ſi commode poteſt, tenebitur monere debitorem de compenſatione, ut non amplius maneat in mala fide, credendo ſe eſſe debitorem, vel ne iterum ſolvat &c. Tertia, quod debitum ſit ex juſtitia; quamvis enim aliqui teneant habere locum compenſationem etiam in debitis ex charitate, nihilominus id non videtur tenendum; nam admittitur compenſatio pro recuperandis iis, quæ alter debet reſtituere, & reſtitutio ſolum oritur ex debito ex juſtitia: *Bonac. diſp. 1. q. ult. p. 2. n. 13. Diana p. 7. tr. 13. reſ. 59.* Ultima conditio, quæ ad licitam compenſationem deſideratur, eſt, ut interveniat authoritas Judicis, ſi commode fieri poteſt. Ratio eſt, quia propulſare injuriam factam eſt officium Judicis, unde ſi aliquis velit ſibi propria authoritate jus dicere, facit injuriam publicæ poteſtati: *D. Th. 2. 2. q. 66. art. 5. ad 3.*

Hic tamen adverte, quod Judicis authoritas requiritur in compenſatione impropria, quando ſcilicet occulte ſurripitur, quod debitum eſt, non vero in compenſatione proprie dicta, de qua actum eſt initio hujus quæſiti. Item notandum, quod licet peccet, qui ſibi compenſat propria authoritate, non tamen tenetur reſtituere, quia ſurripit, quod ſibi debetur. Tale vero peccatum non eſt grave reputandum, cum videatur fieri parvum nocumentum publicæ poteſtati, ſive Judici; *Lugo diſp. 16. ſect. 5. n. 91. Dian. p. 10. tr. 16. reſol. 60.* Denique advertendum non eſſe obligationem utendi Judicis authoritate, quoties id non poſſit fieri ſine gravi incommodo; ut ſi quis eo quod uteretur Judicis auctoritate, timeret a Debitore potente aliquam injuriam, vel jacturam rei familiaris, illius amicitiæ &c. Idem dicas ſi creditum alias certum non poſſit probari; nam in talibus caſibus occulte ſurripere, quod ſibi debetur, non eſt uſurpare publicam authoritatem, ſed defendere proprium jus, quod alia via defendere commodom non eſt: *Lugo cit. Paulus tr. 32. d. 1. part. 16. §. 3. n. 6.* & alii, quos ſequitur *Dian. p. 7. tr. 16. reſol. 17.*

Inter has conditiones requiſitas pro compenſatione, majus expoſcit apud Theologos examen illa, qua dicitur, compenſationem non habere locum, niſi creditum ſit certum, unde

Q. VI. An Creditum reputandum ſit certum, eo quod probabile ſit aliquid deberi.

R. Ante reſponſionem ſuppono probabilem opinionem aliquid mihi deberi, poſſe verſari circa jus, & circa factum. Tunc verſatur circa jus, quando attentis legibus, & placitis DD. redditur probabile aliquid mihi debitum eſſe. Verſatur vero circa factum, quando probabile eſt aliquid factum fuiſſe, ex quo poſſit conſurgere probabilitas mei crediti; ut ſi probabile ſit initum fuiſſe aliquem contractum, ex quo conſurgere poſſet meum creditum. His ſuppoſitis,

Si probabilitas crediti ſit circa jus, & tanta ſit, ut manifeſte longe ſuperet rationes partis contrariæ, puto poſſe habere locum compenſationem. Ratio mihi eſt, quia in tali caſu unuſquiſque Judex deberet ſententiam ferre pro Creditore, cum debeat ſequi opinionem probabiliorem, ut conſtat ex opinione ſecunda inter damnatas ab Innocen. XI. Cum ergo in omnium Judicum ſententia conſtaret de tali credito, cur & non poteſt Creditor ſibi compenſare, ſi alia via non poſſit illud obtinere? Neque hic habet locum illa communis doctrina qua dicitur quod uſquedum non conſtet certo de Credito, melior ſit conditio poſſidentis; nam primo, plures dicunt tale axioma attendendum in dubio rigoroſo, quando ſcilicet rationes ſunt utrinque æquales. Secundo, alii dicunt tale axioma valere in probabilitate facti, ut ſtatim dicemus. Sed melius reſpondetur dicendo, quod dum rationes Creditoris ſunt longe validiores, quam rationes Debitoris, illius creditum ſit certum, nam pro ipſo ab omni Judice deberet proferri favorabilis ſententia.

Illud tamen animadvertendum omnino volo, Creditorem non debere a ſeipſo efformare judicium de probabilioritate ſuarum rationum. Primo etenim, dum agitur de probabilitate juris, ſive an potius uni, quam alteri faveant leges, & rationes, judicium non poteſt fieri niſi a viris doctis, & maxime verſatis in illis materiis; eo magis quia, quod ſæpe ab uno judicatur probabilius, ab altero minus probabile reputatur: quapropter puto neceſſe eſſe communiter rationes Creditoris judicari probabiliores. Secundo, quia etiamſi qui ſe præſumit eſſe creditorem, ſit vir doctus, poteſt faciliime ab amore lucri hallucinari, ac proinde ſuas rationes judicare probabiliores. Debet ergo expectare judicium a Judice, ſi id non poſſit, a Viris vere doctis, qui debent eſſe cohærentes in judicando ipſius rationes valde probabiliores.

R. II. Si probabilitas præſumpti Creditoris ſit circa factum, non habet locum compenſatio etiamſi rationes iſtius ſint probabiliores. Ratio eſt, quia DD. communiter aſſerunt Judicem non poſſe deturbare poſſidentem a re poſſeſſa, etiamſi majores probationes circa factum ſint penes Actorem. Id autem probant, quia leges non permittunt aliquem damnari, niſi delictum, vel debitum plene probetur; unde ſi Actor non probet iniiſſe talem contractum, vel feciſſe tales operas, quarum ratione dicit eſſe creditorem, non poteſt Judex pro illo proferre ſententiam. Quod ſi Judex in tali caſu ob probationes etiam majores non poteſt Actori favere, multo magis neque privatus poteſt uti occulta compenſatione. Juxta doctrinam hucuſque explicatam regulanda ſunt ea, quæ forte obiter alibi dicta ſunt in hac materia: *Viva in propoſit. 37. ex damnatis ab Innoc. XI a n. 8.*

Q. VII. An habens multa debita poſſit ingredi in Religionem; & an per talem ingreſſum extinguantur.

R. I. Si debita ſint Domini incerti, ut quando reſtituendum eſt pretium rerum inventarum, & Dominus ignoratur, tunc non eſt neceſſe differre ingreſſum in Religionem. Ratio eſt, quia juxta ſuperius dicta, eroganda ſunt pauperibus non tam ex juſtitia, quam ex pietate, & jure Eccleſiaſtico, unde non tenebitur quis differre ingreſſum in Religionem, ut ſolvat talia debita ex pietate ſolvenda: nihil enim magis pium, quam offerre ſe Deo & ſua omnia in Religione.

R. II. Si debita fuerint contracta ex liberali promiſſione, ad ea ſolvenda nemo tenetur in ſæculo manere; nam cum illa contraxerit ex propria liberali voluntate, ſemper in tali obligatione ſubintelligitur conditio: *niſi transfero ad ſtatum perfectiorem: Lugo de Juſt. diſp. 21. ſect. 6. num. 68. Sanch. in Decal. l. 4. c. 19. num. 31. & 36.*

R. III. Si quis brevi ſperet ſe poſſe creditoribus ſolvere, tenetur differre ingreſſum in Religionem; nam in tali caſu æquam non eſſet ipſum omittere obligationem naturalem juſtitiæ, ut non differat opus, quod ſolum cadit ſub conſilio, quale eſt ingreſſus in Religionem. Excuſandus ſolum eſſet, quando etiam per breve tempus differendo, eſſet in extraordinario periculo pec-

candi &c. Porro tunc intelligeretur brevi tempore poſſe Creditoribus ſatisfacere, quando id poſſet præſtare intra biennium, vel etiam triennium : *Sanch. cit. n. 8. Leſſ. l. 2. c. 41. d. 3. n. 32.*

R. IV. Etiamſi debita ſint ex contractu oneroſo, vel delicto, non tenetur debitor in ſæculo manere, ſi non ſperet ſe ea ſoluturum, niſi poſt longum tempus. Ita docet *S. Th. 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3.* contra plures Theologos contrarium ſentientes. Ratio eſt, quia perſona hominis liberi de ſe, & de ſus natura non eſt obligata ad ſatisfaciendum Creditoribus, ſemper cum ergo cedat omnibus bonis, quæ habet in ipſorum favorem, ſatisfacit propriæ obligationi. Confirmatur, quia præceptum naturale de ſolvendis debitis obligat ſemper cum fieri poteſt ſine gravi detrimento proprio, & maxime in bonis altioris ordinis : valde autem gravaretur debitor, & maximum pateretur detrimentum in bonis ſpiritualibus, ſi ut ſolveret creditoribus, deberet abſtinere ab ingreſſu in Religionem, quando nec de præſenti, nec ita de proximo habeat ſpem illis ſolvendi ; *Lugo diſp. 21. n. 67. Leſſ. l. 2. c. 16. diſp. 8. n. 32. Dian. 2. p. tr. 2. de dub. Regul. reſ. 41.* Verum tamen eſt, quod ille, qui ingreſſus fuiſſet in Religionem ære alieno gravatus, habita licentia a Superiore, teneretur facere, quæ facere poſſet juxta decentiam ſtatus & perſonæ, ut iiſdem Creditoribus ſatisfaceret : *Lugo a num. 81.*

Obiter autem hic notare volo, Sixtum V. per ſuum motum proprium editum anno 1585. prohibuiſſe ingreſſum in Religionem illis, qui ex propria culpa gravati ſunt ingentibus debitis, & non poſſunt de præſenti ſatisfacere ; quod tamen poſſunt facere in ſæculo manendo. Voluit etiam eſſe nullam ipſorum profeſſionem ; ſed quoad hoc decretum Sixti, fuit revocatum per alium motum proprium Clementis VIII.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Sit valde cautus Confeſſarius in impertienda abſolutione illi, qui cum commode potuiſſet reſtituere, nondum tamen reſtituit, licet fuerit in alia confeſſione admonitus de tali obligatione. Nec regulariter credere debet illius verbis, quibus affirmat modo habere firmum propoſitum reſtituendi : nam poteſt prudenter dubitari de tali propoſito, cum non adimpleverit promiſſa jam facta. Præterea qui adhuc retinet alienum, cum poſſet & teneretur reſtituere, eſt in actuali peccato : unde ſi aliquæ extraordinariæ circumſtantiæ temporis, loci, & cauſæ, non ſatis perſuadeant per contrariam voluntatem tale peccatum retractaſſe, non debet illum abſolvere.

II. Non ſtatim acquieſcat, quando pœnitens dicit ſe impotentem ad ſolvendum ; nam ſi non poterit totum ſolvere de præſenti, poterit ſolvere partem. Item bene perpendat ſtatum pœnitentis, quando affirmat nullatenus neque in futurum habiturum facultatem ſolvendi. Illum diligenter examinet, an aliquid conſumat in ludis, & in carnalibus peccatis ; an aliquid in ſuperfluis commeſſationibus, recreationibus &c., an in ſuperfluo luxu pro ſua perſona, uxore, ſeu familia. Neque refert parum in iis inſumere, etenim ſi id frequenter faciat, quod parum eſt reſpectu unius diei, vel etiam hebdomadæ, multum erit reſpectu unius menſis, & multo magis reſpectu unius anni ; unde verificatur defraudare creditores in re gravi. Id ergo attendere debet Confeſſarius, ſed cum grano ſalis, ne ſit nimis rigidus in prohibendis omnibus honeſtis recreationibus.

III. Item non ſtatim conſentiat pœnitenti allegaranti tacitum conſenſum Creditoris in dilationem ſolutionis, vel dicenti ex ea nullum incommodum creditori provenire. Ordinarie loquendo, qui conſentit in dilationem, invite conſentit, ne e. g. affligat amicum, ne videatur nimis rigidus cum conſanguineo, vel propter alias ſimiles rationes, optando revera in corde ſuo ſibi fieri ſolutionem. Item perraro accidit ex dilata ſolutione nullum provenire incommodum creditori. Si igitur creditor ſit aliquis artifex, vel indigebit ſolutione ob familiæ inopiam ; vel ad comparandas res pro ſua arte neceſſarias, quas ſi cogatur emere credito, nonniſi pretio ſummo poterit obtinere, & fortaſſe ultra ſummum. Si creditor ſit perſona nobilis, vel mercator, ex dilata ſolutione vel non poterit extinguere cenſum, vel reſtituere pecuniam, ratione cujus ſolvit intereſſe, vel aliquod negotium facere &c.

IV. Bene perpendat Confeſſarius ægroti, ipſum non ſatisfacere propriæ conſcientiæ, eo quod juſſerit in teſtamento hæredi reſtituere. Jam dixi unumquemque debere reſtituere ſtatim ac commode poteſt, cum non poſſit ſine injuſtitia alienum retinere, unde debet ipſe per ſe reſtituere. Ex alio etiam capite debet id præſtare, quia nempe experientia compertum eſt multoties hæredes non ſatisfacere injunctæ reſtitutioni, vel nimis differre. Quod ſi ex aliqua juſta cauſa, puta infamiæ, non poteſt per ſeipſum reſtituere, id ſecreto præſtet vel mediante Confeſſario, vel alia perſona. Solum ergo capax erit abſolutionis, quando tales adeſſent circumſtantiæ, ut nec per ſe, nec per alium poſſet ſatisfacere ; tunc etenim ſufficeret hæredi reſtitutionem imponere.

V. Quia debitor ex delicto non excuſatur a reſtitutione facienda etiam cum gravi incommodo, quoties idem incommodum ſubeat creditor, ideo advertat diligenter Confeſſarius in ſimilibus caſibus non ſolum ad incommodum pœnitentis, ſed etiam creditoris ; & ſi iſte ſimile incommodum patiatur, non excuſet debitorem a reſtitutione. Id vero attendendum non ſolum in bonis fortunæ, ſed etiam, & multo magis in bonis altioris ordinis ; ac proinde ſi aliquis alterum in fama offendat, tenetur ipſam reſtituere etiam cum jactura proprii honoris, & famæ. Si ex eo quod alter falſo accuſatus ſit, fuit condemnatus ad mortem, tenetur iniquus accuſator manifeſtare veritatem, etiamſi timeat æquale ſupplicium &c.

VI. Debet etiam Confeſſarius eſſe valde cautus in examinando ſtatu illorum, qui vel omittunt, vel differunt reſtitutionem, quia affirmant nihil habere ſuper id, quod eſt neceſſarium decentiæ proprii ſtatus. Facile, ſi id ad diligens examen revocabitur, non eſſe omnino verum reperiet ; multa etenim ſuperflua vel in veſtibus, vel in famulatu apparebunt.

VII. Ratione præſumptæ condonationis facile poſſunt excuſari famuli, amici, filii, eſculenta, aut poculenta occulte ſurripientes, quia non audent petere ob verecundiam ; nam non ſolet diſplicere Domino acceptio, ſed modus, ſcilicet, quod occulte ſurripiantur. Verum tamen eſt, neque hoc eſſe generaliter verum, maxime reſpectu Dominorum, qui omnibus modis optant locupletari. Attendenda ergo eſt Domini liberalitas, amor erga filios, famulos &c. Item an ex tali ſurreptione domus gravetur, & ex his, aliiſque judicandum, an poſſit præſumi condonatio. Si vero clam nummi ſurripiantur, puto difficiliter poſſe talem condonationem præſumi, niſi ad ſummum reſpectu filiorum, neque hoc ſemper.

VIII. Non raro evenit audire confeſſionem debitoris, qui ſe compoſuit cum ſuis creditoribus, ſed conſcientiæ remorſu agitatur, quia cum devenerit ad pinguiorem fortunam, poſſet modo aliquid de plus creditoribus tribuere. In hoc caſu puto, quod ſi talis debitor ingenue manifeſtaverit ſuum ſtatum creditoribus ; unde ab eis aliquam remiſſionem acceperit, non debet Confeſſarius illum ad ulteriorem reſtitutionem obligare, quia illa remiſſio ſine fraude obtenta, rationem habet abſolutæ, & omnino voluntariæ condonationis. Idem dicendum de debitore, qui ſine fraude ceſſit bonis ; & ſi aliquid occultavit, illud omnino neceſſarium erat ad ſui ſuſtentationem. Non ita de eo, qui fraudulenter bonis ceſſit ; nam ultraquamquod non gaudeat privilegio ceſſionis bonorum, neque illi ſuffragatur quæcumque remiſſio a creditoribus obtenta, utpote fraudulenter extorta.

Illud etiam advertere debet Confeſſarius ex pura ceſſione bonorum etiam per actus ignominioſos non extingui obligationem reſtitutionis, ſed ſolum ſuſpendi uſque ad tempus melioris fortunæ : *Lugo diſp. 21. ſect. 3. n. 40. Anton. a Sp. S. d. 31. n. 1491. Dian. 1. 6. tr. 5. reſ. 20. & 21.* Quod ſi etiam accedat remiſſio creditorum, diſcurrendum eſt ut paulo ante : & ſi aliqui creditores nil remittere voluerunt, in ſtatu melioris fortunæ illis integre ſatisfaciendum eſt, ut bene contra aliquos notat Bonacina *diſp. 1. qu. ult. p. 2. n. 7.*

IX. Non ſint faciles Confeſſarii in admittendo, tamquam juſtas compenſationes illas, quas multoties ſolent facere famuli, ruſtici &c. Seipſos defendunt dicendo habere ſtipendium valde inferius ſuis laboribus : occupari a dominis in aliis miniſteriis, ad quæ non tenetur ; dominum aliquid de plus habuiſſe in partitione frugum, vini, olei &c. Sed hæ rationes ſæpe non convincunt, quia etiam ſtipendium famulatus habet ſuam latitudinem ; & ſemper cum eſt intra latitudinem infimi, verificatur eſſe juſtum. Item animadvertere eſt, an alii reperirentur qui etiam neceſſitate non coacti tali ſtipendio con-

Digitized by Google

contenti eſſent, cum multi ſint, qui velent ſuam operam locare; an ultro famulatus offeratur, maxime non indigenti, nam ex his omnibus pretium deſcreſcit. Item animadvertere eſt, an Dominus plura ſubeat incommoda pro ſamulis, & colonis, ad quæ non teneatur; nam tunc poteſt præſumi pro iis velle ſibi correſponderi, aliquid imponendo ultra miniſteria conventa. Denique conſiderandum quid coloni pro ſe conſumant uvarum, caſtanearum &c. nam ex hoc capite poteſt licitam reddi Domino aliquid de plus in partitione exigere. Univerſim ſemper conſideret Confeſſarius non ſtantium eſſe judicio ipſorum, ut apparet ex propoſitione 37. damnata ab Innocentio XI. quæ ita ſe habet: *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte Heris ſuis ſurripere ad compenſandum operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt*. Hæc adnotavi etiam agendo de quarto Decalogi præcepto.

X. Ultimo notet Confeſſarius, quod ſi lata fuerit excommunicatio contra illos, qui hoc vel illud furati ſunt, ſeu contra illos, qui furati fuerint, non habet locum, dum quis aliquid occulte ſurripuit in juſtam compenſationem, nam iſte vere non commiſit furtum.

CAPUT X.

De Gabellis; & de obligatione reſtituendi, ſi fraudentur.

Q. I. Quid ſit Gabella, & quas conditiones habere debeat, ut ſit juſta.

R. I. Nomine Gabellæ rigoroſe dictæ venit tributum, quod ſolvi debet pro mercibus, atque ita ſolet definiri: *Tributum publicum a Principe in communem utilitatem exactum*: *Tolet. in Sum. lib. 5. cap. 72.* Quod ſolvitur pro tranſitu perſonæ dicitur *Pedagium*; quod pro rebus, quæ navi deferuntur, dicitur *Portorium* quod pro ſecuritate viarum, *Guidagium*. Hæc omnia veniunt nomine Gabellæ; & cui non licet imponere Gabellas, neque præfata imponere licet: *Bon. de reſt. t. 3. de 2. qu. 9. par. 1.* His accedit taxa, ſeu collecta, quæ ſub gabellæ, ſeu vectigalis nomine non venit, & eſt pretium quod ſolvitur, ſervata proportione ſubſtantiæ cujuſcumque.

R. II. Ut vectigalia juſta ſint, ſequentes conditiones requiruntur. Primo, legitima poteſtas ea imponendi, quæ reſidet in ſolis Principibus, & Rebus publicis Superiorem non agnoſcentibus; neceſſe eſt etenim ut a populo iis ſubminiſtrentur, quæ neceſſaria ſunt ad ſuſtentandam ſuam dignitatem, ad adminiſtrandam juſtitiam, ad hoſtes arcendos &c. Secundo, requiritur ut vectigal non imponatur niſi ob juſtam cauſam, ob aliquam nempe neceſſitatem, cui aliter provideri non poſſit; alias novum vectigal ad opprimendos, & deprædandos populos deſerviret. Ubi etiam advertendum non poſſe dici adeſſe juſtam cauſam gabellam imponendi, ſi probabilius ſit non eſſe imponendam; nam ſubditi expoliandi non ſunt poſſeſſione ſuorum bonorum, quoties probabilius eſt non eſſe novis gabellis gravandos: *Mend. in epiſt. tom. V. gabella num. 2.* Tertio, vectigal excedere non debet neceſſitatem, quæ urget. Quarto, non eſt inſumendum a Principe in prodigas largitates, vel in ſumptus voluptuarios, qui modum excedant, nam ſola ratio boni publici, ad quam etiam reducitur conveniens Principis ſuſtentatio, gabellas juſtificat. Quinto, ceſſante cauſa, cujus ratione impoſita fuit Gabella, & ea ceſſare debet. Quod ſi nova cauſa ſuperveniat, ratione cujus imponenda eſſet nova gabella, præcedens poteſt continuari, tunc etenim ſolum commutatur materia. *Sanch. l. 2. conſ. c. 4. d. 8. n. 3.*

Illud etiam obſervandum in imponendis collectis pro neceſſitate Principis, ſive Communitatis, ſubditos majores habentes facultates, magis eſſe gravandos, adeoque attendendam æqualitatem geometricam, ſcilicet faciendam collectam proportionate, ad civium facultates; unde ſi habens mille ſolvere debet decem, unum tantum ſolvendum eſt ab habente centum: *Graff. l. 2. cap. 125. num. 37. ex l. 1. C. de vectigal.*

Q. II. Quando Princeps removere debeat gabellas; & quando ad reſtitutionem teneatur.

R. I. Cum princeps non ſit Dominus bonorum ſuorum ſubditorum, debet non ſolum ab excedentibus tributis cavere, ſed etiam ab iis multiplicandis, fieri enim poteſt quamcumque particularem gabellam eſſe juſtam, quæ tamen injuſta reddatur ob ipſarum multiplicitatem. Hinc ſemper abſtinere omnino debet ab imponendis novis vectigalibus ſubditis nimis gravatis, ſed debet removere ſumptus non neceſſarios; & ſi oporteat, removere etiam penſiones conceſſas ex cauſa remunerationis, quia tales conceſſiones intelligi debent factæ ſub conditione, ſi publica utilitas non expoſcat removeri: *Valenſuel. conſ. 99. p. 2. a num. 29.* Multo magis debet in poſterum princeps abſtinere ab immoderatis pompis, ludis, luxu &c. quando ex his cauſis cogitur nova imponere vectigalia, ut ita citius poſſit eadem vectigalia removere; neque deſunt dicentes non poſſe Principem imponere nova vectigalia, quoties ſua culpa in talem neceſſitatem ſe redegerit.

R. II. Si princeps ex ſua culpa coactus eſt novas imponere gabellas reſtituere debet ſtatim ac poteſt, quia culpabiliter populis damnum intulit: *Cabaſut. in Theor. Jur. can. l. 6. cap. 18. num. 7.* Item reſtituere debet quando impoſuit, vel continuavit gabellas injuſtas, nempe ſine juſta cauſa: puta quia impoſuit ad prodigaliter impendendam pecuniam in excedentibus recreationibus, pompis, Villarum nimio ornatu, Theatris &c. vel quia impoſuit pluſquam publica neceſſitas exigeret: *D. Th. 2. 2. quæſt. 66 art. 8. ad 3.* Demum tenetur reſtituere, ſi Princeps non præſtet ea, ob quæ gabella fuit impoſita, nam tunc ceſſat, & injuſte exigitur. Nec referret talem gabellam bona fide exactam fuiſſe, nam bona fides utique excuſare poteſt a formali peccato, non vero a reſtitutione: *Lugo de Juſt. d. 36. ſect. 4. num. 61., Sanch Conſ. l 2. cap. 4. d. 4. d. 8. nu. 5. Bon. de reſt. d. 2. q. 9. p. 1. n. 10.*

Q. III. Super quibus rebus imponi poſſint gabellæ.

R. Quidam affirmant vectigalia imponi poſſe ſolum ſuper ea, quæ cauſa negociationis advehuntur, ut præſcribi videtur *l. univerſis C. de vectigal.* & docet Cajetanus *v. vectigal. verſ. reputatur*; nec ab exteris exigi poſſe idem Cajetanus cum aliquibus aliis docet, quia ipſi non videntur gravandi ſolum ex cauſis, quæ tangant cives. Nihilominus primo dicendum eſt bene etiam poſſe a cæteris exigi; ſi etenim illis permittitur negociari & lucrari, æquum etiam eſt perferre onera Principis, qui hæc illis permittit atque ita etiam fert communis omnium Principum praxis; *Lug. diſp. 36. n. 19. Bon. diſp. 2. q. 9. p. 1. n. 4* Secundo, dicendum vectigalia imponi poſſe etiam quoad victualia, ſi tamen hæc regula ſervetur; ut nempe major vectigalium pars circa merces imponatur, minima vero circa communia victualia. Ratio eſt, quia violatur juſta vectigalium forma, ſi magis; vel etiam æque onerentur pauperes quam divites, nam unuſquiſque contribuere debet juxta proportionem facultatum, & lucrorum: ſi autem gravia eſſent vectigalia circa communia victualia, ſtatim conſtat valde gravari pauperes, qui neceſſe habent illis ſibi providere; aliunde autem deſunt illis aliæ facultates, ac lucra quibus compenſari poſſit gravamen vectigalium, quod non ſequitur reſpectu divitum. Dum vero vectigalia prædicta ſint valde moderata; non poſſunt conqueri pauperes, ſi cogantur ſolvere; nam æquum eſt quodcumque membrum contribuere neceſſitatibus Reipublicæ: *Mol. t. 2. d. 674 Lugo d. 35. n. 25.* & alii apud ipſum.

Q. IV. An defraudantes gabellas teneantur ad reſtitutionem.

R. I. Certum eſt non teneri ad reſtitutionem fraudantes gabellas manifeſte injuſtas, ut de ſe patet. Unde primo poteſt eſſe dubium, an teneatur reſtituere fraudator gabellæ dum dubitat, an ſit juſta. Mihi autem dicendum videtur in dubio negativo non eſſe obligationem ſolvendi gabellas, quia in tali dubio incumbit petenti onus probandi ſe juſte petere: *Lugo d. 36. ſect. 6. n. 89.* At nihilominus in praxi difficile eſt dari hoc dubium negativum, quo ſcilicet non appareat ratio pro juſtitia, vel injuſtitia gabellarum; etenim ſi vetus ſit, & communiter recepta, præſumendum eſt eſſe juſtam: *Sanch. lib. 2. Conſ. c. 4. d. 6. a num. 4.* Item præſumendum eſt eſſe juſtam, ſi imponatur a Principe vere pio. Idem dicendum, ſi ipſi imponentes gabellam, ut evenit in Senatoribus Rerumpublicarum, debeant eidem ſubjacere, & maxime ſi pro majori parte; neque etenim etiam ſibimet imponerent gabellam injuſtam. E contra apparere poſſet injuſta, ſi conſtaret imponi pro immoderatis pompis &c. ſi viri prudentes, quibus conſtet

Digitized by Google

ſtet ſtatus rerum, dicant novum vectigal eſſe iniquum Hinc etſi *Lugo num.* 19. & alii apud ipſum dicant etiam in dubio poſitivo de juſtitia, vel injuſtitia gabellæ, non eſſe obligationem eam ſolvendi, quia poſſunt ſubditi ex ratione probabili, quam habent de ipſius injuſtitia, putare injuſtam, maxime cum melior ſit conditio poſſidentis; nihilominus dicendum in praxi facile haberi poſſe motiva, quibus juſtitia, vel injuſtitia gabellarum deprehendatur, ut dictum eſt. Non pauci autem pro Principe præſumendum dicunt, & pro ejus poſſeſſione, quoties ratio valde urgens contrarium non ſuadeat: *Bon. d.* 2. *qu.* 9. *pra.* 1. *num.* 7. *Lezau. V. gabella. n.* 3.

R. II. Fraudantes juſta vectigalia ad reſtitutionem obligantur. Scio non deeſſe, qui contrariam ſequantur opinionem, cui tamen numquam potui acquieſcere. Qua ratione igitur Principi ſolvenda ſunt vectigalia? Ego in hoc manifeſte agnoſco ex utraque parte obligationem juſtitię commutativæ. Certe igitur Princeps tenetur ex officio incumbere ſaluti, & ſecuritati populorum, adminiſtrationi juſtitiæ, ne deſit annona &c. atque in his culpabiliter deficiendo, tenetur de damno, quod populus pateretur. At hæc certe præſtare non poterit ni ſolvantur vectigalia: unde ſolvuntur ratione contractus *facio ut des*, præſata etenim præſtat Princeps, ut populus det illi quomodo præſtet: & e converſo dat populus, ut Princeps faciat. Hinc Matth. 22. ait Chriſtus: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Ceſari*. Et Apoſtolus ad Rom. 13. *Reddite ergo cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*, qua ratione loquendi non pœna ſolvenda explicatur, ſed quod erat ex juſtitia debitum. Cum igitur, ex dictis, gabellæ ſint ex juſtitia commutativa ſolvendæ, conſequens eſt illas fraudantes ad reſtitutionem teneri: *Sotus l.* 4. *de juſt. qu.* 6. *art.* 4. *Toles. l.* 5. *c.* 7. *num.* 3. *Leſſ. l.* 2. *c.* 33. *d* 8. *Laym. l.* 3. *tr.* 3. *c.* 3. *n.* 5.

Q. V. An gabellæ ſint ſolvendæ, ſi non expoſcantur.

R. Si conſuetudo eſt non ſolvendi gabellas, ſi non expoſcantur, tunc liber quiſque eſſet ab iis ſolvendis, ſi non petantur, quia tunc talem eſſe mentem Principis præſumeretur: *Sanch. l.* 2. *Conſ. c.* 4. *d.* 10. *num.* 2. At ſi ferat conſuetudo, ut velit Princeps gabellas etiam non petitas ſolvi, quapropter mulctentur non ſolventes, inhærendo doctrinæ ſupra firmatæ, dicendum eſt eſſe ſolvendas, dum etenim juſtæ ſupponantur, ex juſtitia ſolvendæ ſunt: *Graff. l.* 2. *c.* 23. *n.* 3. *Trull. l.* 7. *Decal. c.* 12. *d.* 4. *n.* 10. Id etiam multo magis attendendum, dum gabellarum exactores ſe remittunt conſcientiæ merces deferentium; nam tunc iſti videntur acceptare onus integre ſolvendi pro mercibus, quas deferunt: *Bonac. d.* 2. *q.* 6. *punct.* 1. *num.* 6.

Q. VI. An Creditor Principis poſſit ſe compenſare, non ſolvendo gabellas.

R. Non pauci docent id fieri non poſſe, quoties Princeps alicui vendiderit jus exigendi gabellas, nam tunc compenſatio fieret cum damno tertii, quod eſt illicitum: *Sanch. lib.* 2. *Conſ. cap.* 4. *dub.* 48. *num.* 3. *&c.* At non videtur reprobanda contraria ſententia; nulli etenim facit injuriam, qui jus ſuum proſequitur, quamvis inde per accidens alterius damnum ſequatur: *cap. cum Eccleſia Vulterana de elect., leg. injuriarum §.* 1. *ff. de injuriis l.* 1. *§. Denique Marcell. ait ff. de aqua pluv. arcend.* Hinc neminem teneri ad ſolvendas gabellas injuſtas pro certo tenet Cabaſutius *l.* 6. *in Theor. Jur. can. c.* 18. *num.* 9. *& cap.* 23. quamvis exinde damnum emptori gabellarum ſequatur. Videtur autem injuſte exigi gabella a Creditore Principis, quoties alia via non poſſit ſuum creditum obtinere, altera etiam ratio efficacior eſt quia conductores gabellarum bene ſciunt injuſte gravatos a Principe velle ſibi compenſare non ſolvendo gabellas, unde illas emunt cum hoc præjudicio, contenti ſe compenſare mulctis, ſi fraudatores deprehenderint: *Cabaſut. cap.* 18. *cit.*

Regulæ in praxi Obſervandæ.

I. Confeſſarii, & Conſiliarii Principum debent illos cum omni libertate admonere, quoties videant gravari populos ratione ſumptuum ſuperfluorum. Contra illos ita loquitur S. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 8. *ad.* 3. *Tales Reges, ac Principes ad reſtitutionem tenentur, ſicut & latrones, & tanto gravius peccant, quam latrones, quanto periculoſius, & communius contra publicam juſtitiam agunt, cujus Cuſtodes ſunt poſiti.* Moneant eos, perpetuas eſſe non debere novas gabellas, ſed ceſſante cauſa cujus ratione fuerunt impoſitæ, eſſe removendas, ni alia cauſa emergat. Moneant reſtituere debere, quæ ratione alicujus rei faciendæ exegerunt, ſi poſtea non præſtiterunt, ac pro rata ad reſtitutionem teneri, ſi non integre præſtent. Dum agitur de novæ gabellæ impoſitione moneant abſtinendum eſſe quod fieri poteſt a communibus victualibus, nam alias faciendo facile pauperes injuſte gravantur.

II. Etſi Confeſſarius in ea eſſet opinione non dari obligationem reſtituendi ob fraudatas gabellas, videat nihilominus, ne quoad hoc indulgeat Potentibus, qui merces proprias, & aliorum ſine ſolutione gabellarum volunt ſæpe introducere. Oritur ex hujuſmodi abuſu publicum damnum; cum etenim hac ratione gabellarum pretium valde minuatur, hinc eſt cogi poſſe Principes ad novas imponendas gabellas, cum priores non amplius ſufficiant ad onera Principatus ſuſtinenda. Ex novi autem vectigalis impoſitione en commune onus, quod omnes tenentur ſubire ex Potentum multiplici vectigalium fraudatione: ac proinde illos excuſare neſcirem ab hoc publico damno compenſando.

III. Quamvis putem imponi poſſe vectigalia valde moderata ſuper communia victualia, nihilominus non obligarem ad reſtitutionem pauperes, qui ſemel & iterum hujuſmodi vectigalia non ſolverent. Judicare, meo videri, debet prudens Confeſſarius non poſſe eſſe mentem Principis, ut reſtituere teneantur pauperes quandoque talia vectigalia fraudantes, ſed potius velle illis indulgere.

QUÆSTIO III.

De reſtitutione facienda ratione homicidii; vel ratione ſtupri, aut adulterii.

DE homicidio actum eſt explicando quintum Decalogi præceptum; ſicut & de Stupro & Adulterio ſextum explicando. Remanet hic agere de obligatione reſtitutionis, quæ poteſt ex his delictis conſurgere.

CAPUT I.

De obligatione reſtituendi ratione homicidii.

AN aliquid ſit reſtituendum præciſe ex injuſto homicidio, mutilatione, vulnere &c.

R. Nil eſt reſtituendum præciſe ob injuſtum homicidium, mutilationem &c. Ratio eſt, quia vita & membra hominis, utpote quia ſunt bona ordinis valde ſuperioris, non ſunt pretio æſtimabilia, ac proinde neque poſſunt prætio compenſari. Et de facto ſi alicui amputatum eſſet brachium, omnes dicerent ſemper magis poſſe accipere ab offenſore, ſi offenſio eſſet pretio æſtimabilis, quod ſignum clarum eſset numquam eſse pretio compenſabilem. Hinc *Exod.* 21. vulnerans non dicitur condemnandus ob vulnus illatum, ſed ſolum ob lucra amiſsa, quæ læſus poterat operando acquirere, & ob expenſas factas in curatione: *Lugo de Juſt. diſput.* 11. *ſect.* 1. *num.* 5. *Bonac. diſp.* 2. *q. ult. ſect.* 2. *p.* 1. *n.* 10. *Anton. a. Sp. S. tr.* 10. *d.* 8. *num.* 373. *Dian. t.* 8. *c.* 1. *reſol.* 78. Videtur *S. Th.* 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad.* 1. docere contrarium ſed dicunt loqui de eo, quod decet, non quod cadit ſub obligatione. Et quidem decet Confeſsarium in foro pœnitentiario imponere offenſori obligationem pecuniam erogandi offenſo, maxime ſi non ſint perſonæ nobiles; ita enim facilius inter Perſonas ordinis inferioris conciliatur pax, & concordia.

Q. II. Quæ damna temporalia ſint compenſanda ab occidente, vel mutilante; & in qua quantitate.

R. I. Primo, tenetur ſatisfacere pro expenſis neceſſario factis in curatione: *cap.* 1. *de injur.* Secundo, omne lucrum ceſsans, & damnum emergens *leg. ult. de his qui dejecerunt, & effuderunt. leg. ex hac lege ff. ſi quadrupes pauperiem*. Perinde homicida, vel mutilator tenetur compenſare quod ratione vulneris &c. non fuit lucratum negotiatione, arte, vel officio &c. Quibus autem perſonis debeat reſtituere propter commiſſum homicidium, videbitur poſtea: Expenſæ funeris non ſunt compenſandæ, quia faciendæ neceſsario erant tempore mortis naturalis. Quod ſi propter anticipa-

cipationem mortis, ob aliquam cauſam majores factæ fuerint, quam alias eſſent faciendæ, hoc damnum eſſet omnino compenſandum.

R. II. Ad determinandam quantitatem reſtituendam attendendum eſt lucrum in ſpe, non lucrum in re, item tempus quod ſperabatur victurus, qui fuit occiſus; ac denique detrahendum quod ipſe occiſus, vel vulneratus conſumpſiſſet. Certe non eſt reſtituendum quantum ipſe occiſus lucraturus erat, ſed quantum æſtimari poterat illa ſpes lucri acquirendi ex officio, arte, negociatione &c. nam cum illud lucrum poſſet infirmitate, infortuniis, aliiſque cauſis impediri, certe non tanti ſtat, ac lucrum in re. *Lugo diſp. 11. ſect. 2. a num. 41. Bonac. diſp. 2. qu. ultim. ſect. 2. par. 1. num. 6.* Deinde faciendum eſt computum temporis, quo aliquis victurus ſperabatur; at non juxta *l. computationi ff. ad leg. falcid.* ubi tempus futuræ ætatis uſque ad ſexaginta annos aſſignatur; nam ibi ſolum ſermo eſt de alimentis alicui ad vitam legatis. Computum ergo in noſtro caſu faciendum eſt juxta prudentum arbitrium; qui attentis valetudine, ætate, applicatione, aliiſque circumſtantiis, alios nedum ad quadrageſimum annum perventuros judicabunt, alios ſupergreſſuros ſexageſimum, ac ſeptuageſimum: *Lugol. cap. Sanch. lib. 1, cap. 4 diſp. 2. num.* 10. Denique non tenetur lædens reſtituere quæ mortuus conſumpturus fuiſſet, ſi viveret, & mutilatus, ſeu vulneratus, ſi ſanus eſſet: nam ſi lucraturi erant ſexaginta nummos, & conſumpturi viginti quinque, iſti non ſunt reſtituendi, ut de ſe patet.

Quidam volunt in taxanda reſtitutione facienda ab occiſore, vel mutilatore detrahendam eſſe æſtimationem laboris, & moleſtiæ, quam ſubire debuiſſet occiſus, vel mutilatus in exercenda arte, vel negotiatione. Sed merito diſplicet hæc doctrina, cum unuſquiſque habeat locum injuriæ, ſi a laborando impediatur, unde ſi per vim, & dolum impediam, ne quis laboret, reſtituere debeo totum lucrum, quod ex meo impedimento ſuo labore non acquiſivit: *Sanch. n. 2. Bonac. diſp. 2. qu. ult. ſect. 2. p. 1. num. 8.*

Q. III. Quæ cauſæ excuſent a reſtitutione facienda ratione homicidii, vulneris, mutilationis, &c.

R. I. In omnibus caſibus, in quibus capite ultimo ſuperioris quæſtionis debitor ex delicto excuſatur a reſtitutione, excuſatur etiam homicida, mutilator &c.

R. II. Ceſſat obligatio reſtitutionis, quando certo poteſt credi hæredes occiſi, vel vulneratum, aut mutilatum eam non admiſſuros; & ite regulariter loquendo, non habet locum inter nobiles, & divites, qui potius dedecori haberent ſibi fieri reſtitutionem: *Sanch. dub. 12. n. 6. Dian. part 5. tr. 4. reſol. 61.*

R. III. Etiamſi homicida, vel mutilator patiantur pœnam legis, nihilominus non excuſantur a reſtitutione damnorum, ſi ipſi, quorum intereſt, expoſcant. Ratio mihi eſt, quia per pœnam legis, qua ſatisfit Reipublicæ, non ſatisfit damnis cauſatis perſonis particularibus. Non deſunt qui tenent contrarium, nihilominus propter rationem dictam mihi multo magis probabilior apparet allata ſententia: *Sanch. tom. 1. Conſil. lib. 1, cap. 4. diſp 6. n. 2. Lugo d. 1. ſect. 2. n 48. Bonac. diſp. 2. qu. ult. ſect. 2. part. 1. n. 14.*

R. IV. Excuſatur a reſtitutione ille, qui ab alio provocatur ad pugnam, quamvis vulneret, vel occidat provocatorem; nam eo ipſo, quod aliquis provocet alterum, tacite renunciat juri ſuo, ſi lædatur. Idem dicas, ſi duo ſe viciſſim ad pugnam provocent, & pari conſenſu pugnam aggrediantur, uterque enim cedit juri quod habet, ne ab altero lædatur; ſemper enim ac quis provocat, vel lubens deſcendit ad pugnam, dat poteſtatem alteri ut contra ſe agat quoad poteſt: *Lugo ſect. 3. num. 66. Laym. lib. 3 ſect. 3. tract. 3. cap. 6. num. 5. Dian. part. 3. tract. 6. reſol. 52.* Eadem doctrina probabiliter extenditur ad illum, qui occidit provocatum, quando iſte poterat ſine dedecore ſe eximere a pugna, ut ſi quis provocatus fuerit ad duellum, quod poteſt ſemper repudiari abſque infamia: eo enim ipſo quod poterat repudiare abſque infamia, jam ſi illud acceptet, plene voluntarie acceptat, atque videtur cedere juri quod habet, ne lædatur. Secus poſſet dici, ſi aliquis contumeliis, ac verbis injurioſis alterum ad rixam provocaret, quam iſte acceptaret, ne vilis, & puſillanimis haberetur; nam tunc, cum adigeretur ad pugnam veluti coacte, non cenſetur remittere provocanti reſtitutionem damnorum, ſi occidatur, vulneretur &c. *Sanch. lib. 1. conſc. c. 4. d. 18. n. 1.*

Major difficultas eſt in caſu, quo aliquis abſque provocatione alterum invaderet, & invaſus excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, occideret; ſeu vulneraret aggreſſorem.

In hoc igitur caſu, ſi invaſus in ſui defenſione mortaliter peccet, dum excedit moderamen inculpatæ tutelæ, non pauci volunt teneri ad integre compenſandum damnum illatum, quia illud cauſavit actione graviter injurioſa. At alii non minus probabiliter aſſerunt, non teneri ad compenſandum in integrum omnia damna, ſed aliquid minus arbitrio prudentum, juxta majorem, vel minorem culpam. Ratio iſtorum eſt, quia cum invadens ſciat invaſum non facile temperare dolorem, & non facile ſervare modum debitum in ſui defenſione, jam invadendo ſaltem ex parte eſt ſibi ipſi cauſa damni, & velut tacite videtur remittere aliquid damnorum, quæ cauſat invaſus, dum non ſe defendit ſervando moderamen inculpatæ tutelæ: *Rebell. part. 2. lib. 3. qu. 12. num. 7. Bonac. diſp. 2. quæſt. ult. ſect. 2. par. 1. num. 2.* Item ſi invaſus tenebatur fugere, cum id potuiſſet facere abſque dedecore, ut evenit reſpectu Monachi, Clerici &c. tunc dicendum eſt teneri ad reſtitutionem eo modo, quo paulo ante dictum eſt. Ratio eſt, quia eo quod fugere poſſet ſine dedecore, jus non habebat occidendi, vulnerandi &c. adeoque ſi id faciat, violat juſtitiam commutativam, & tenetur ad reſtitutionem.

Q. IV. Quando homicidium caſuale excuſet ab obligatione reſtituendi.

R. I. Homicidium cauſale excuſat ab obligatione reſtitutionis, ſi cauſa appoſita non fuit efficax, vel ſi homicidium non fuit prævisum. Tunc cauſa homicidii non intelligeretur efficax reſpectu illius, quando vulnus allatum ex ſe non erat lethiferum, ſed tale evaſit incuria medicorum, vel vulnerati. In dubio autem, an perierit ex vulnere, vel ex ignorantia Medici, ſeu Chirurgi, potius præſumendum eſt ex vulnere mortuum eſſe, ni talis ſit ignorantia Medici, vel Chirurgi, ut potius in ipſos mors ſit refundenda. In hoc caſu non eſſe obligationem reſtituendi probatur, quia vulnerans vere non fuit cauſa homicidii, ſed Chirurgus, vel ipſius negligentia. Hinc vulnerans teneretur ſolum ad damna, quæ ex vulnera ſequuta eſſent. Secus dicendum, ſi vulneratus obiit, quia in loco non erat Chirurgus, qui vulneri mederetur; nam revera mors tunc ſequuta fuiſſet ratione vulneris inflicti. Tunc vero homicidium non fuiſſet prævisum, quando qui dabat operam rei, ex qua ſequutum fuit, non prævidit, vel adhibuit omnem cautionem ad illud vitandum, ut ſi quis commiſit homicidium vel in venatione, vel in ebrietate, præmiſſa omni cautione ne ſequeretur. Etiam in hoc caſu nulla eſt obligatio reſtitutionis; nam revera homicidium non fuit volitum, nec in ſe, nec in cauſa. Quod ſi qui commiſit homicidium, vel vulneravit, omiſit quæ ſub mortali tenebatur præcavere, ne committeretur, tunc conſtat teneri ad reſtitutionem damnorum &c. Hinc tenetur ad talia damna reſtituenda, qui prævidit ſe in ebrietate commiſſurum homicidium, vel vulneraturum, & non fecit quantum potuit, ut hæc impediret. Volunt tamen Teologi mitius cum hoc eſſe agendum, utpote quia vulnus, vel homicidium non fuit ipſi in ſe voluntarium, ſed in ſola cauſa: *Diana p. 5. tr. 4. reſol. 46. & 47.*

Q. V. Quibus Perſonis ſit reſtituendum ob damna ex homicidio ſequuta.

R. I. Homicida tenetur ſolvere hæredibus defuncti, quicumque illi ſint, debita realia, quæ contraxit ante mortem cum eodem defuncto. Huſuſmodi debita ſunt expenſæ factæ ante mortem in curatione; lucrum quod ceſſavit eo quod diebus, quibus vixit poſt vulnus, nil potuit acquirere ſuo labore; ac denique pecunia, quam homicida promiſit erogare, ut illi remitteretur injuria coram Judice. Quod autem hæc debita ſint ſolvenda hæredibus defuncti, quicumque ſint probatur, quia hæredes ſuccedunt in quodcumque jus reale defuncti; unde cum defunctus haberet jus, ut hæc ſibi ſolverentur, idem jus tranſit ad hæredes: *Lugo diſp. 11. ſect. 4. n. 73. Dian. part. 5. tr. 4. reſol. 53.*

R. II. Homicida tenetur compenſare damna ſequuta

ex

Digitized by Google

ex homicidio ſolummodo hæredibus neceſſariis. Hæredes neceſſarii intelliguntur Parentes, filii, filiorum filii, nempe Nepotes, & idem in caſu noſtro dicitur de Uxore; nam licet non ſit hæres Mariti, nihilominus pertinet ad ipſius familiam, & eſt neceſſario ſuſtentanda ratione Matrimonii. Quod autem his debeat homicida compenſare damna ex homicidio ſequuta, probant communiter DD., quia cenſentur moraliter veluti una perſona cum Defuncto; unde in occaſione defuncti intelliguntur veluti damnificati in propria perſona, ſeu ſaltem in re ſua, quia debebant habere a defuncto alimenta; & proinde homicida, quia intelligitur ipſos damnificaſſe, vel in perſona, vel in re ſua, tenetur ad compenſanda damna ipſis ſequuta. Debet ergo ipſis dare alimenta, quæ habebant a defuncto, hoc eſt, omnia neceſſaria ſecundum decentiam ſtatus; ſicut etiam debet compenſare commoda, & lucra, quæ amiſerunt propter occiſionem defuncti. Id tamen intelligendum eſt juxta ea, quæ ſuperius dicta ſunt. Non eſt autem improbabile, quod ſi uxor æque commode nubere poſſit, quamvis id nolit, vel ſi habeat qui eam liberaliter alat, non ſit obligatio aliquid ei reſtituendi; quia tunc non cenſetur damnificata in rebus pecunia æſtimabilibus: *Lugo diſp.* 11. *ſect.* 4 *num.* 88. *Filiuc. tom.* 2. *tr.* 32. *c.* 8. *num.* 207.

Ex ratione ſupra allata inferendum cum communiori ſententia, homicidam non teneri ad aliquid reſtituendum fratribus, conſanguineis, aliiſque, quos defunctus ex ſua liberalitate alebat; etenim cum iſti non reputarentur una perſona cum defuncto, non intelliguntur damnificati nec in ſe, nec in propriis; ac proinde eorum damnum conſideratur veluti per accidens obvenire: *Filiuc. loc. cit. Lugo num.* 77. *Bonacin. d.* 2. *quæſt. ult. ſect.* 2. *part. ultim. num.* 2. Idem dicas de creditoribus, qui occaſione mortis non poſſunt conſequi ſuum creditum. Id autem non ſolum probatur ex allata ratione, ſed ulterius, quia in nullo foro datur actio creditoribus defuncti contra ipſius homicidam, unde ſignum eſt ipſis non competere. Præterea jus creditoris non poteſt ſe extendere ultra facultates, quas habebat defunctus, vel quas veroſimiliter habiturus erat. Suppoſito ergo homicidam reſtituere hæredibus lucra, quæ defunctus veroſimiliter acquiſiviſſet, jam etiam fecit quantum debet, ut debitis defuncti ſatisfiat, ac proinde ad nihil ultra tenetur: *Lugo diſp.* 11. *ſect.* 4. *num.* 83. *Filiuc. num.* 209. *Bonac. loc. cit. p.* 1. *n.* 16.

Hic tamen advertere eſt, quod ſi Defunctus antequam moreretur, condonavit interfectori damna, quæ ſequutura erant ex ſua morte, nullum jus remanet hæredibus neceſſarii petendi reſtitutionem eorumdem damnorum; nam tale jus principaliter erat in perſona defuncti; & ab ipſo in filios &c. redundat. Si ergo ab iſto remittatur, omnino ceſſabit reſpectu aliorum: *Bonac. n.* 16. *Dian. p.* 5. *tract.* 4. *reſol.* 58.

Tria nihilominus hic ſunt adnotanda. Primum eſt, quod ſi hæredes neceſſarii non habebant aliunde unde vivant, peccabit contra Charitatem, qui ante mortem remittit interfectori reſtitutionem damnorum, quæ ex ſua morte ſunt ſequutura; nam prius debet conſulere hæredibus neceſſariis, quam extraneis. Secundum eſt, non intelligi factam remiſſionem damnorum, eo quod occiſus dixerit Confeſſario, ſe libenter remittere injuriam ſibi factam; nam, niſi aliud exprimatur, hoc intelligi debet in ordine ad deponendum odium, & ad obtinendam abſolutionem ſacramentalem. Tertium eſt, quod etiamſi remiſerit injuriam quoad forum externum, adhuc non intelliguntur remiſſa damna, expenſæ, & intereſſe; per remiſſionem etenim factam, etiam quoad forum externum, ſolum intelligitur remiſſio quoad jus deferendi ad Judicem acceptam injuriam.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Obſervet Confeſſarius quod licet verum ſit vitam hominis liberi, vulnus illatum &c. non eſſe pretio æſtimabilia, nihilominus homo injuſte læſus poteſt tranſigere cum offenſore, & ex pacto aliquid accipere in pecunia &c., & hoc vel ſequendo illam opinionem, qua dicitur vulnera, & mutilationem eſſe pecunia compenſabilia; vel quia ita decrevit Judex in pœnam delicti; vel quia vulneratus, vel conſanguinei occiſi poſſunt criminaliter agere in judicio contra offenſorem, unde ut deſiſtant a querela, ſeu accuſatione, quod eſt pretio æſtimabile, poterunt ſumere pecuniam, de qua in tranſactione convenerunt.

II. Bene advertat Confeſſarius, qui moribundo aſſiſtit, iſtum monendum, ut ante mortem declaret, an provocaverit ad pugnam offenſorem, vel pari conſenſu cum ipſo pugnam fuerit aggreſſus; nam cum in tali caſu nulla ſit obligatio reſtitutionis reſpectu homicidæ, debet ante mortem id declarare moribundus, ne ipſius hæredes ab ipſo aliquid exigant. Item debet manifeſtare, ſi occiſus fuerit ab eo, quem abſque provocatione invaſit, quamvis invaſus exceſſerit modum in ſe defendendo; nam ex ſupradictis probabiliſſimum eſt, invaſum tunc non teneri integre reſtituere damna, ſed aliquid minus arbitrio prudentum, qui debent conſiderare invadentem ſibi fuiſſe cauſam damni, alterum injuſte invadendo; ſicut etiam debent perpendere quem exceſſum commiſerit invaſus in ſe defendendo.

III. Advertat demum Confeſſarius, nullatenus ſuadendum vulnerato, ut remittat offenſori damna ſequuta ex vulnere, vel ſequutura ex ipſius morte, quoties verum ſit ipſius filios, ſeu alios hæredes neceſſarios indigere reſtitutione talium damnorum.

CAPUT II.

De Reſtitutione ratione ſtupri, ſeu adulterii.

Q. I. Quid reſtituere teneatur, qui defloravit Virginem conſentientem abſque ulla ſpe conjugii.

R. I. Deflorator nihil reſtituere debet Virgini defloratæ, libere conſentienti in ſui deflorationem.

Ratio eſt, quia, ſi libere conſentiat, nullam patitur injuriam, juxta vulgatum axioma: *Scienti, & conſentienti nulla fit injuria*: quoties vero nullam patitur injuriam, neque poteſt habere locum reſtitutio.

R. II. Neque tenetur reſtituere aliquid parentibus præfatæ puellæ. Ratio eſt, quia nemo dicet ipſam puellam teneri ad aliquid reſtituendum Parentibus, vel Curatoribus, quia ipſa eſt domina ſui corporis: ſi ergo non tenetur ipſa, quæ eſt cauſa principalis damni, multo minus deflorator. Sicut igitur qui aliquem conſentientem in ſe ipſum damnificat, non tenetur ad reſtitutionem, licet exinde alicui tertio per accidens damnum ſequatur: ita dicendum in caſu noſtro, quamvis ex defloratione puellæ libere conſentientis aliquod damnum reſpectu Parentum conſurgat: *Laym. l.* 3. *tr.* 3. *p.* 4. *cap.* 13. *a.* 2. *Lugo de Juſt. diſp.* 12. *n.* 8. *Anton. a Sp. S. tr.* 10. *d.* 8. *n.* 589. Si nihilominus ratione talis deflorationis debuerunt Parentes dotem augere ad filiam in matrimonio collocandam, cum tunc patiantur hoc damnum ex culpa defloratoris, neſcirent aliqui illum excuſare ab hujuſmodi damno compenſando.

Q. II. Quid reſtituere teneatur qui vi, aut fraude defloravit virginem, nulla facta promiſſione matrimonii.

R. Qui vi, fraudibus, aut minis defloravit Virginem, tenetur compenſare omnia damna ex tali actione ſequuta. Ratio eſt manifeſta, quia injuſte talia damna cauſavit, adeoque ea compenſare tenetur, ut dicitur etiam *cap.* 1. *ſi culpa, de injuriis*. Si autem in pœnam criminis non condemnentur ad eam ducendam, non poteſt condemnari, vel ad eam dotandum, vel ducendum: *cap.* 1. *de adulteriis*, ſed ſufficit in foro conſcientiæ ita ipſius augere dotem, ut æque bene nubat, ac ſi non vi oppreſſa fuiſſet; ita etenim agendo damna cauſata compenſat. Optimum tamen erit, ſi illam ducat, quando Virgo id expoſcat; nam ita plenius damnum ipſi factum compenſabit: *Laym. l.* 3. *p.* 3. *cap.* 13. *Lugo de juſt. d.* 12. *n.* 14. *Anton. a Sp. S. d.* 8. *n.* 290. Sicut autem injuſtus ſtuprator non tenetur ducere puellam quam oppreſſit, ſed ſatis eſt ſi compenſet damna dotando; ita nec puella tenetur admittere in damni compenſationem matrimonium, quod ipſe offerat, ſed poteſt velle, ut ſuum damnum pecunia compenſetur; alias ex injuſta alterius actione cogeretur ſe privare libertate ducendi in maritum quem vellet: *Lugo diſp.* 12. *n.* 12. *Leſſ. l.* 2. *c.* 10. *d.* 2. *n.* 12. *Rebell.* 2. *p. lib.* 3. *q.* 8. *num.* 9.

Quod

Quod dicitur de virgine vi, & fraudibus oppreſſa, dicendum pariter eſt de quacumque muliere honeſtæ famæ vi, ac fraudibus cognita, ſi ex injuſto concubitu aliquod damnum patiatur; nam cum ſequatur ex injuſta actione oppreſſoris, ſemper eſt recompenſandum. Si vero Virgini, vel cuicumque honeſtæ mulieri injuſte cognitæ nullum damnum ex hoc ſequatur, vel quia peccatum commiſſum fuit in occulto, vel quia æque bene nupſit, ac ſi cognita non fuiſſet, vel quia ingreſſa eſt Religionem, injuſtus oppreſſor ante ſententiam Judicis nihil reſtituere tenetur, cum nullum damnum cauſaverit; & aliunde Virginitas ablata, ſeu copula injuſte extorta non ſit pecunia compenſabilis: *Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. 3. c. 13. n. 4. Anton. a Sp. S. tract.* 10. *diſp.* 8. *n.* 286. Idem dicendum, ſi puella defloraia libere remittat Amaſio omne damnum, ut de ſe conſtat.

Cæterum Tractatu ſequenti q. 1. cap. 2. & in Tractatu de Matrimonio, ubi de impedimento coactionis, explicabitur quando vere intercedat coactio, ſeu metus cadens in conſtantem virum. Solum hic adverto, reſpectu fœminæ dici poſſe intercedere coactionem, ſi preces ſint tam extraordinariæ, tam importunæ, & frequentes, ut tantam moleſtiam mulieri inferant, quod quaſi invita conſentiat. Ita colligitur ex *leg. 2. de raptu Virginis, & ex Gloſſa in cap. ſcienti de regul. juris in 6.* Intelligitur pariter vim inferre mulieri ille, qui vi prius ipſam provocaret amplexibus, tactibus &c. nam quamvis poſtea libere conſentiat, id provenit ex antecedenti violentia, qua poſita fuit in tali ſtatu, ut non poſſet niſi difficillime reſiſtere. Demum dicitur inferre vim ille, qui proteſtatur mulieri ſe nolle diſcedere niſi conſentiat, quando eſſet in tali loco, ut niſi diſcederet, remaneret ſuſpicio de peccato, adeoque infamaretur: *Salmant. tr. 13. cap. 2. p. 1. §. 1. a n. 14.* De obligatione violantis Virginem ſub ſpe matrimonii agam cap. 2. de ſponſal.

Q. III. Quæ obligatio reſtitutionis conſurgat ratione adulterii.

R. I. Si ex adulterio ſequatur partus, quem adulter certo moraliter ſciat eſſe ſuum, poſt tertium annum tenetur alere; & ſi exponatur Hoſpitali ſine juſta cauſa, compenſanda ſunt damna eidem Hoſpitali. Quod teneatur filium ex jure naturæ, & pietatis poſt tertium annum alere, conſtat, quia ex tali jure unuſquiſque debet conſervare vitam illi, cui eam dedit: *c. 2. de converſ. infid.* & probat ibi Gloſſa, *& leg. nec filium, C. de patria poteſt.* Quod ſi vi & fraude copulam extorſiſſet, tunc neque tribus primis annis tenetur mater alere filium, ſed ad id teneretur adulter, quæ enim cauſantur per injuriam, debent ex juſtitia compenſari: *cap. ſi culpa de injuriis.*

Si vero Hoſpitali exponatur ſine juſta cauſa, certum apud me eſt, parentes divites debere reſtituere ipſi Hoſpitali expenſas ab ipſo factas pro ipſorum prole nutrienda; nam Teſtatores, qui reliquerunt propria bona Hoſpitalibus, nunquam intellexerunt iniquitati divitum ſuffragari, eoſque eximere ab onere alendæ prolis; adeoque cum damnum inferant hoſpitali, in eo proprium filium exponendo, tenentur tale damnum reſarcire: *Dian. t. 8. tr. 7. reſol.* 47. Si vero adfuit juſta cauſa exponendi prolem Hoſpitali, ad vitandam ſcilicet infamiam, & notam, tunc non nego probabiliter poſſe dici non dari onus reſtituendi. Ratio ea videtur eſſe, quia mens Fundatorum Hoſpitalium non videtur fuiſſe, ut qui ex juſta cauſa filios exponunt, ad expenſas reparandas teneantur; ſicut neque exiſtimatur voluiſſe Peregrinos, alias in patria divites, reficere hoſpitalibus expenſas, quæ faciunt in ipſorum euatione, ſed bene judicatur voluiſſe providere præſentibus eorum neceſſitatibus: *Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 14. n. 4. Anton. a Sp. S. diſp. 8. n.* 311.

R. II. Si adulter certo ſciat prolem eſſe ſuam, tenetur compenſare damna exinde obvenientia aliis legitimis filiis in partitione hæreditatis &c. ſive ſuaſerit inter alios filios a matre ſupponi, ſive non. Et quidem quod teneatur reſtituere damna, ſi ſuaſit adulteræ ſupponere ſpurium inter alios filios, conſtat qui fuit cauſa poſitiva damni, tum propter alimenta, quæ ipſi tribuerentur ſicuti aliis filiis; tum propter portionem hæreditatis, quæ ipſi obveniret. Ubi etiam advertendum in hoc caſu æque principaliter teneri ad reſtitutionem adulterum, & adulteram; nam licet dum quis præbet conſilium in gratiam exequutoris, primo iſte teneatur, & poſtea conſulens, & e contra primo teneatur conſulens, dum aliquid conſulit faciendum in gratiam ſui; nihilominus in caſu noſtro, cum filius ſupponatur in commodum utriuſque, uterque æque primo tenetur pro rata, & unus in ſolidum in defectu alterius.

Quod autem teneatur reſtituere, etiamſi ipſis conſilio non fuerit a Matre inter alios filios ſuppoſitus probatur, quia, eo ipſo quod filium habeat ex adulterio, eſt ex ſe, & non per accidens cauſa talis ſuppoſitionis; ſcit enim mulierem nolle revelare ſuam turpitudinem, ac proinde prolem ex eo ſuſceptam, inter filios mariti ſuppoſituram. Hic igitur poteſt illud axioma applicari: *Qui eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati*, nam eo ipſo quod quis generet ex aliena uxore, ſequitur Filium generatum inter legitimos ſupponendum: & ita iſta ſuppoſitio, ex qua damna aliis oriuntur, proprie provenit tamquam ex cauſa ex concubitu cum aliena: *Leſſ. de Juſt. l. 2. c. 10. d. 6. n. 41. Anton. a Sp. S. diſp. 8. n.* 307. *Dian. t. 2. tr. 6. reſol.* 235. Et quamvis aliqui contradicant, omnes tamen in hoc convenire debent, teneri adulterum a tertio anno filio præſtare alimenta, vel ea compenſare.

R. III. Si adulter non certo moraliter ſciat prolem eſſe ſuam, ſed de hoc dubitet, nihil tenetur reſtituere. Ratio eſt, quia nemo eſt expoliandus re ſua propter dubiam obligationem, & dubium eſt, an teneatur aliquid dare, ſemper eum non eſt fere moraliter certus prolem ex adultera ſuſcepiſſe. Ulterius leges & DD. ſemper præſumunt filium eſſe Mariti, quoties certo non conſtat de oppoſito. Inſuper propter dubium quod ſit ſpurius, non eſt Filius expoliandus jure legitimitatis: *Azor. 3. part. l. 5. c. 6. qu. 4. Laym. l. 3. tract. 3. c. 14. num. 3. Lugo de Juſt. diſp. 13. numer.* 17.

Ex hoc inferunt non pauci, quod ſi mulier ita cum duobus rem habeat, ut non ſit ratio cur filius procreatus ſit potius dicendus unius, quam alterius, nemo iſtorum teneatur aliquid reſtituere; nam etiam in iſto caſu reſpectu utriuſque eſt incerta obligatio alendi filium: unde tali obligationi incertæ non poteſt correſpondere onus certum dandi aliquid pro ipſius alimentis. Ad eum modum, quo, ſi certum ſit, vel Paulum, vel Franciſcum aliquem occidiſſe, & incertum quis eorum determinate ſit homicida, nemo ipſorum eſt puniendus; nam ſtante tali incertitudine, ſi aliquis puniatur, poteſt innocens puniri. Hæc tamen opinio non mihi videtur admittenda; nam cum certum ſit, utrumque injuſtam actionem patraſſe, cui correſpondere poſſit obligatio filium alendi, non video cur non teneantur pro rata ſatisfacere huic obligationi. Quamvis igitur incertum ſit quis filium genuerit, certum eſt unumquemque potuiſſe generare: huic autem certo delicto poteſt ſine injuſtitia correſpondere certa obligatio filium pro rata alendi, & reparandi pro rata omnia damna ex filii procreatione ſequuta: *Azor. loc. citat. Molin. de Juſt. diſputat.* 103. *num.* 3. *Dian. t. 9. tr. 3. reſolut.* 138. & ex parte *Lugo diſput. 13. num. 19. & 24.*

Q. IV. Ad quid teneatur adultera; & an ad impedienda damna filiis legitimis, teneatur prodere ſuum crimen.

R. I. Si mulier certa moraliter ſit ſuſcepiſſe filium ex adulterio, debet facere quantum poteſt ut compenſet damna, quæ exinde aliis filiis proveniunt, nam revera fuit cauſa talium damnorum. Debebit ergo caute procurare, ut Maritus ſpurio ſolam legitimam tribuat. Si habet extradotalia, ea ſolis legitimis impertietur; vel minuendo ſumptus, & laborando quantum patitur decentia ſui ſtatus, curabit dare legitimis, quæ ſibi ſuperſunt. Demum ſuaſione, & modis licitis inducet ſpurium, (ſi tamen libere id velit facere) ad ingrediendum in Religionem.

R. II. Ordinarie loquendo adultera non tenetur ſuum crimen revelare. Ratio primo eſt, quia iſta revelatio nihil prodeſſet, quamvis Mater cum juramento, & in puncto mortis ſuum crimen revelaret. Nihil, inquam, prodeſſet, nam præcipue ubi agitur de proprio præjudicio, nemo tenetur credere dicto unius teſtis, quamvis qualificati: *cap. per tuas de probat.* Item eſt notum per regulas juris non habendam eſſe fidem allegantí propriam turpitudinem cum alterius præjudicio; & maxime in caſu noſtro, cum ſæpe Matres inter ipſos filios alios impenſe ament, alios

vero odio proſequentur: *Azor. 3. p. l. 5. c. 6. qu. 4. Tamb. l. 1. c. 3. §. 4. n. 10. Filiuc. tr. 32. c. 9. n. 225. Dian. t. 2. tr. 6. reſol. 234.* Tunc ſolum filius teneretur credere Matri aſſerenti eſſe ſpurium, quando hæc manifeſte faceret ipſi cognoſcere Maritum abſuiſſe toto tempore, quo potuit procreari, vel ex dicto Medicorum &c. fuiſſe impotentem ad generationem; ac proinde ipſum tamquam illegitimum ſemper fuiſſe reputatum. Ulterius conſtat bona inferioris ordinis eſſe reſtituenda cum diſpendio bonorum ordinis ſuperioris; unde ſi non poſſint compenſari damna fortunæ, quæ ſequuntur ex adulterio, niſi cum periculo vitæ, vel famæ, non datur obligatio talia damna compenſandi. Præterea, ſi verum eſt ceſſare, vel ſuſpendi obligationem reſtituendi, quoties non poteſt fieri ſine magno detrimento debitoris, nam tunc creditor non eſt rationabiliter invitus, multo magis id valebit in caſu noſtro, in quo non poſſent reſtitui damna, quæ ex adulterio ſequerentur, ſine gravi detrimento vel vitæ, vel famæ. *D. Anton. 2. p. tit. 1. c. 13. §. 8. & tit. 2. c. 7. §. 4. Leſſ. l. 2. c. 10. d. 7. num 53. Tolet. l. 2. c. 4. d. 9. Dian. 3. p. tr. 5. reſol. 30.*

Præfata nihilominus doctrina aliquas patitur limitationes. Prima eſt quod ſi mulier non ſit honeſtæ famæ, ſed paſſim fuerit habita ut inhoneſta, tunc, dum ſperet ſibi fore credendum, debet manifeſtare ſuum crimen, nam in tali caſu illius fama pro nihilo habetur, unde non tanti æſtimatur, ut ratione ipſius non teneatur removere damnum filiis legitimis obventurum; *Laym. l. 3. tr. 3. p. 2. c. 14. n. 1. Anton. a Sp. S. diſp. 8. n. 310.* Idem dico ſi, licet reputetur honeſtæ famæ, revelando ſuum crimen Marito & Filio; certa ſit avertendi damna ex ſua culpa cauſata, & pariter ob Mariti, & filii bonitatem certa ſit non eſſe vexandam, & totum ſilentio prætereundum, nam in talibus circumſtantiis ſe apud ipſos infamare, non reputaretur grave detrimentum: *D. Antonin. 2. p. tit. 7. c. 7. §. 4. Leſſ. l. 2. c. 10. d. 6. n. 58.* Secunda eſt; quando ageretur de ſucceſſione in aliquod Regnum, vel Principatum; nam in tali caſu ſi ſpurius eſſet malæ indolis, itaut prævideretur non parum nocumenti allaturum bono communi, tunc præponderantiam publici boni deberet mulier manifeſtare ſuum crimen ad impediendum ſpurio ſucceſſionem; & ut loco illius legitimus optimæ indolis ſubſtitueretur. Tertia demum limitatio eſt caſu, quo ſi legitimus privetur hæreditate; remaneret cum infamia, & dedecore; nam aliquando divitiæ ſunt inſtrumenta ad acquirendum honorem, & ad illum conſervandum. Suppoſito ergo quod legitimus, ſi privetur hæreditate, ſimul honore, & fama privetur; tunc cum melior ſemper ſit conditio innocentis, deberet adultera ſe honore privare, ut eo legitimus non privaretur. Semper tamen advertendum, quod manifeſtatio criminis ſit profutura, nam alias imprudenter proprium crimen abſque fructu manifeſtaret.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quamvis dictum ſit Defloratorem Virginis conſentientis, ſine ulla prævia promiſſione, non eſſe obligandum ad aliquam reſtitutionem, nihilominus advertat Confeſſarius, quod ſi deflorator ſit valde nobilis, & dives, & fœmina pauper, videtur obligandus ad aliquam reſtitutionem, nam licet non interceſſerit pactum expreſſum, videtur tamen implicitum interceſſiſſe, eo quod enim mulier pauper conſentiat a viro nobili, vel divite deflorari, cenſetur in id conſentire, quia putat defloratorem ſibi poſtea proviſurum de opportuno remedio &c. Hinc communiter etiam illi Theologi, qui non admittunt dari ex juſtitia talem obligationem, nihilominus monent Confeſſarios ut imponant diviti defloratori aliquam pœnam pecuniariam ſolvendam defloratæ.

II. Cum extra præfatum caſum, deflorator virginis libere conſentientis nihil ex juſtitia reſtituere teneatur, debet Confeſſarius cogere mulierem ad veritatem dicendam, ſi ipſa, vel ipſius Parentes agerent contra ipſum in judicio, ut eam dotaret, vel duceret. Verum utique eſt, quod a Judice cogetur eam ducere, quia præſumitur fuiſſe deceptam: *cap. 1. & 2. de Adulter. leg. unic. ff. de rapta:* nihilominus quia hæ leges fundantur in præſumptione deceptionis, ſicut non obligant in conſcientia, ſi falſa ſit præſumptio, ita tenetur mulier detegere veritatem, ne deflorator propter falſam præſumptionem cogatur a Judice, ad id, ad quod non tenetur.

III. Item advertat in praxi Confeſſarius non eſſe excuſandum ab obligatione vel dotandi, vel ducendi Puellam illum, qui eam vi, & fraude cognovit, quamvis certo reperiat non eſſe Virginem, ut communiter judicabatur. Etenim accedens ad eam vi, & fraude, modo injuſto eam exturbavit ab opinione virginitatis, & conſequenter tenetur compenſare damnum, ſi ſequatur, uno ex modis præfatis.

IV. Non ſolent animadvertere Confeſſarii virum, vel mulierem laborantes morbo gallico teneri ad reparanda damna, quæ exinde obveniunt illis, cum quibus peccant, quando iſti ignorant tali morbo laborare. Id ergo bene notet Confeſſarius, ut quantum fieri poteſt obliget maxime divites ad reparationem damnorum, quæ puellis, præcipue honeſtæ famæ, ex hac cauſa obvenere.

V. Solet dici Matres debere ſuadere filiis conceptis ex adulterio, ut in Religionem ingrediantur. Advertat tamen Confeſſarius non licere Matribus vim, neque preces adhibere nimis moleſtas, & importunas, cum unuſquiſque debeat frui plena libertate in electione ſui ſtatus. Si ergo adhibitis moderatis precibus, & conſiliis, filius nolit Religionem ingredi, neque alia ſuppetat via ad reparandum malum filiis legitimis imminens, ad nihil amplius tenetur.

VI. Non facilis ſit Confeſſarius in obligando mulierem, quæ concepit ex adulterio, ut ſi præmoriatur Marito, det Confeſſario, vel alteri licentiam manifeſtandi poſt ipſius mortem illius crimen ad avertenda damna, quæ ex illegitimo legitimis provenerit. Ut ergo mulier teneatur dare hanc licentiam, debet primo certa eſſe ex hac manifeſtatione damna eſſe reparanda, quod ex dictis valde difficile eſt. Secundo, debet prudens Confeſſarius animadvertere, an manifeſtando moribundæ hanc obligationem, illa facile annuet. Si etenim Confeſſarius putet fortaſſe non conſenſuram in hujuſmodi manifeſtationem, nec verbum debet de ea facere; nam eo quod manifeſtatæ obligationi nollet ſatisfacere, in peccato moreretur.

QUÆSTIO IV.

De Reſtitutione ob injurias contra honorem, & famam.

CAPUT I.

De Contumelia, Suſurratione, Deriſione, & Maledictione.

Q. I. Quid ſit Contumelia, & quot modis ſequatur.

R. I. *Contumelia eſt injuria, qua aliquis in ipſius præſentia dehonoratur.* Sicut igitur honor eſt quædam proteſtatio facta per ſigna exteriora alterius excellentiæ, e contra contumelia dabitur, quando quis aliqua injuria demonſtrabit non agnoſcere in altero talem excellentiam, qua ſit dignus honore. Si tamen injuria fiat in abſentia, non eſt contumelia, ſed detractio, nam tunc ſolum famæ infertur præjudicium, ut ſuo loco videbimus; immo ex eo quod proferatur in abſentia, demonſtratur perſonam revereri. Contumelia ergo proprie datur, quando injuria profertur in præſentia injuriati, nam tunc injurians non reveretur perſonam.

R. II. Contumelia fit verbis, & factis. Sicut igitur aliquis honoratur illius excellentiam ore pronuntiando, & factis, ſe inclinando, aliiſque ſignis externis; ita contumelia primo conſiſtit in verbis, exprimendo id, quod conducit ad alium inhonorandum, & deinceps in factis, ut ſi aliquo ſigno quis oſtendat alterum flocci pendere &c. Facta ergo, ſi conſiderentur non ut facta, ſed ut ſunt ſigna quibus demonſtratur aliquem parvipendi, induunt naturam contumeliæ.

Prout contumelia verbis profertur habet diverſa nomina. Si ad aliquem parvipendendum objiciatur defectus culpæ, dicitur contumelia, ut ſi dicatur: *tu es fur.* Si objiciatur defectus pœnæ, dicendo e. g. *Tu es luſcus, ſtultus &c.* dicitur *convicium.* Denique dicitur *improperium,* ſi objiciatur defectus indigentiæ, maxime reducendo ad memoriam auxilium præſtitum in ſtatu indigentiæ.

Ex dictis habetur contumeliam eſſe ex genere ſuo

peccatum

peccatum mortale, nam per eam deprimitur, ſeu aufertur houor, qui pluris æſtimatur divitiis. Poteſt eſſe peccatum veniale, ſi proferatur verbum modice inhonorans, vel ſi ex ſubita ira proferatur abſque intentione dehonorandi: nullum autem erit peccatum ſi, maxime a Superiore, proferatur verbum contumelioſum ad confuſionem, & correctionem peccantis. Melius tamen ordinarie eſt, Superiores in corrigendo a ſimilibus verbis abſtinere, ne videantur ex paſſione, non ex Charitate procedere. Item ex dictis colligi poteſt contumeliam eſſe majus peccatum detractione; licet enim fama, cui opponitur detractio, pluris æſtimetur, quam honor, cui opponitur contumelia, nihilominus cum contumelia proferatur in præſentia, & ſcienter, magis involuntarie toleratur, quam ipſa detractio, quæ fit in abſentia, & inſcia perſona læſa.

Q. II. An qui proximum inhonoravit, teneatur honorem læſum reſtituere, & quomodo.

R. I. Cum unuſquiſque jus habeat ad ſuum honorem, conſequens eſt, ut qui tale jus lædit, teneatur ad reſtitutionem, ut de ſe conſtat.

R. II. Qui privative alicujus honorem lædit, non exhibendo ſcilicet honorem debitum, puta non ſalutando, ſufficit ſi poſtea exhibeat ſigna ſufficientia honoris, & reverentiæ; nam his ſignis demonſtrat vere dignum eſſe honore, quem illi negaverat: *Bonac. diſp. 2. q. 5. p. 2. n. 3.*

Q. III. Qui alterum poſitive in honore læſit, objiciendo e. g. contumelias, convicia &c. ita debet reſtituere honorem, ut juxta æſtimationem virorum prudentum, videatur honori læſo ſatisfeciſſe. Si e. g. Superior iuhonoravit ſubditum, vel vir nobilis plebejum, ſatis erit ſi aliquod ſpeciale ſiguum benevolentiæ, vel honoris erga illos oſtendant; nam ita inrelligirur ab his ſufficienter honori læſo ſatisfieri. Si vero Subditus inhonoravit Superiorem, vel plebejus Nobilem, multoties nec ſatis erit ſola petitio veniæ, niſi etiam alia humiliationis ſigna addantur, vel etiam genuflexio. Si demum inhonoratio interceſſit inter æquales, non facile ſatisfiet honori læſo ſolita exhibeudo ſigna reverentiæ; nam hæc exhibenda ſunt etiam dum uon intercesſit inhonoratio. Facillime proinde judicabunt prudentes addendam eſſe humilem excuſationem, vel petitionem veniæ. Ita videntur conciliari poſſe diverſæ opiuiones in hac materia, & inter alios legendi ſunt *D. Anton. 2. p. tit. 2. cap. 2. p. 3. Laym. lib. 3. tract. 3. p. 2. cap. 7. num. 6. Anton. a Spir. S. tr. 11. diſp. 4. a num.* 126. qui bene uotant multoties ad reſtitutionem honoris uon ſufficere ſolam familiaritatem cum læſo; nam læſus eam aliquando admittit uon ad condonaudam injuriam, ſed ad vitanda ſcandala, inimicitias &c. Illud etiam notandum puto numquam mihi placuiſſe opinionem illorum, qui negant obligatiouem reſtituendi honorem, ſi contumelia illata fuit in occulto; nam etiam ex contumelia occulta remanet aliquid, quod eſt cauſa doloris, adeoque eſt reparandum. Verum tamen eſt, non tantum exigi ad hujuſmodi reſtitotionem, quantum dum contumelia fuit publica: *D. Anton. 2. p. t. 2. c. 2. §. 3. Lugo diſp. 15. n. 54. Anton..n.* 128.

An vero calumniato ad retundendam calomuiam liceat opponete calumniatori crimen verum, ſed occultum, ſive etiam falſum crimen, videbimus, dum in tractatu de octavo Decalogi præcepto ſermo erit de reo opponere accuſatori, vel teſti aliquod crimen.

Q. III. An Chriſtianus debeat patienter ſuſtinere illatas contumelias.

R. Docet *S. Thom. 2. 2. q. 72. art. 3.* præcepta patientiæ ſervanda eſſe in præparatione animi, quatenus nempe unuſquiſque debet eſſe paratus ad ſuſtinendas injurias, quoties expediens fuerit. Hinc obſervat, Chriſtum in ſua paſſione non præbuiſſe alteram maxillam, quamvis ita faciendum dixerit. Primo autem, reputatur conveniens retundere injurias, quando ita expoſcit bonum injuriantis, ut ſcilicet emendetur. Secundo, quando neceſſe eſt ſervare famam ad populi ædificationem; ut facile evenit reſpectu Superiorum, Religioſorum &c. in his caſibus locum habet illud *Proverb.* 20. *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam.*

Q. IV. Quid ſit ſuſurratio, & quale peccatom.

R. I. Suſurratio ſolet definiri: *Verbum ſeminans diſcordias inter amicos.* Ita colligitur ex *S. Th. 2. 2. q. 74. art. 1.* Differt a detractione, quia hæc intendit famam deturpare, ſuſurratio veto ſolvere amicitiam. Hinc ſuſurro *Eccleſiaſtes* 28. dicitur bilinguis, quia duplici lingua ad duos otitur; ut enim ſeminet inter eos diſcordiam, uni de alio maledicit.

R. II. Suſurratio gravius peccatum eſt ipſa detractione, & contumelia; uam intendit aliquem privare alterius amicitia, quæ eſt majus bonum fama, & honore, quibus privant detractio, & contumelia. Et quidem quod amicitia ſit majus bonum fama probatur, quia fama eſt medium ad obtinendam amiciriam; appetitur enim fama, ut quis idoneus ad aliorum amicitiam reddatur. Item conſtat quod majus bonum eſt amicitia, quam honor, unde magis optamus amari, quam honorari. Si vero quis curet diſſolvere amicitiam duorum, quia eſt illis pernicioſa, nullum malum eſt, immo meritorium eſſe poteſt; & ad hanc diſſolvendam poteſt quis in medium proferre etiam vitia moralia vera, ſi opus ſit, nam præſtat impedire, ne Innocens a vitioſo amico ſeducatur. Multi etiam non improbabiliter aſſerunt licere modis licitis curare, non jam ut aliqui fiant inimici, ſed alterum excludere ab alicujus familiaritare, ut ſe in locum ipſius intromittat: ut ſi quis curet alterum excludere a familiaritate Principis, ut ea ipſe fruatur. Ratio iſtorum eſt, quia ſicut licite impeditur aliquis precibus, & ſuaſionibus a conſequutione alicujus Legati, quod Teſtator volebat ipſi relinquere, quamvis impediens curet, ut ſibi relinquatur; ita precibus, aliiſque modis licitis poteſt quis ſe intromittere in alretius familiaritarem, & amicitiam, quamvis propter hoc alter ſit excludeudus. Ratio autem a priori eſt, quia ſicut legatum pender ab alterius libera voluntate, ita & amicitia; unde ſicut licet primum modis licitis impedire, ita & amicitiam: *Bonac. diſp. 2. quæſt. 6. p. 2. num. 6.* Huic tamen opinioni non acquieſco, nam nemo habet jus ad legatum nondum obtentum, jus vero videtur habere ad amicitiam, & familiaritatem, quam, ut ita dicam, actu poſſidet; unde non cenſeo poſſe ſine injuria a tali jure deturbari: *Filiuc. trat. 40. c. 5. q. 3. num. 140. Trullenc. lib. 8. c. 7. d. 3. num. 7.*

Q. V. Quid ſit Deriſio, & quale peccatum.

R. I. Deriſio dicitur *Ludus verborum ex proximi defectibus, ut erubeſcat.* Propter motivum igitur & finem diverſum differt a peccatis explicatis in præcedentibus quæſitis; nam deriſio non intendit diminuere famam, ut detractio, neque honorem, ut coutumelia, neque ſolvere amicitiam, ut ſuſurratio, ſed ſolum cauſare pudorem, & verecundiam.

R. II. Deriſio eſt ex genere ſuo peccatum grave, ſi defectus gravis objiciatur, ut docet *S. Thom. 2. 2. quæſt. 85. art. 2.* nam graviter offendit alium, qui ad eum deridendum, & confundendum gravem objicit defectum. Poteſt eſſe leve, ſi levem objiciat defectum; nihilominus ſi aliquis prævideat, quod objiciendo alteri vitium non per ſe grave, graviſſime feret talem irriſionem, difficiliter excuſabitur a peccato gravi contra charitatem. Scio aliquos excuſare a peccato gravi illum, qui objicit alteri levem defectum, quamvis cognoſcat ægerrime laturum, ſi id proveniat ob ipſius vile ingenium, & animi puſillanimitatem; nam tunc, dicunt iſti, gravis perturbationis & erubeſcentiæ uon eſt cauſa irriſio, ſed alterius ſtultitia. Verum hæc doctrina merito a majori parte Theologorum rejicitur, nam revera ſine cauſa rationabili cauſaretur gravis perturbatio, & erubeſcentia in proximo, quamvis id ex ejus puſillanimitate proveniret; unde neſcio videre quomodo ita agens non graviter deficiat ſaltem contra Charitatem: *Molin. diſput. 21. num. 4. Trull. lib. 8. cap. 7. d. 3. num. 10. Bonac. diſp. 2. q. 5. p. 1. num. 14.* Nullum e contra erit peccatum, ſi honeſtæ recreationis cauſa alicui aliquis levis defectus abſque contemptu, & dehonoratione objiciatur, ex quo parvo rubore prævideatur ſuffundendus; nam id bene reduci poteſt ad virtutem eutrapeliæ.

Q. VI. Quid ſit maledictio, & quale peccatum.

R. I. Maledictio poteſt definiri: *Verbum, per quod pronunciatur malum contra aliquem, optando, vel imperando.* Tunc pronunciaretur imperando, ſi quis e. gr. contra aliquem diceret: *Mala moriaris morte*; optando vero, ſi diceret: *Utinam mala morte moriaris.*

R. II. Maledictio eſt grave peccatum, ſi tria concurrant. Primo, ſi malum imprecetur ex iutentione, & animo. Secundo, ſi id fiat ex perfecta deliberatione. Tertio, ſi malum, quod imprecatur, ſit grave. Si aliquid deficiat ex ſupradictis, maledictio erit peccatum leve. Limitarem tameu hanc doctrinam in caſu

qno Pareotes, quamvis non ex animo, quaſdam ſcandaloſas imprecationes adverſus filios pronunciarent, ut ſi eos Diabolo committerent; nam verba illa prout prolata a Parentibus in filios, videntur ex ſe gravem deſormitatem importare, vel ſaltem in eis apprehendi, quamvis ex animo noo pronuncientur. Idem videtur dicendum, ſi aliquis ſeipſum Diabolo committat. Dum vero maledictiones includunt deſiderium alicujus mali, diverſificantur ſpecie; nam accipiunt ſpeciem a malo, quod alicui deſideratur. Hinc deſiderium homicidii pertinet ad homicidium; deſiderium furti ad furtum &c. *D. Th. 2. 2. q. 76. art. 4. ad 2.*

Obſervare etiam eſt, maledictiones prolatas in creaturas irrationales, non eſſe niſi peccata venialia, qualia ſunt alia verba otioſa. Poſſent eſſe peccatum grave, ſi maledicerentur in ordine ad creaturas, quibus deſerviunt; ut ſi malediceretur equus Petri, optando ut ipſi a Diabolo rapiatur. Eſſent vero peccatum blaſphemiæ, ſi maledicerentur ut ſunt Creaturæ Dei.

Regulæ in praxi obſervandæ,

I. Cum omnes contumeliæ tendant ad dehonorandam perſonam, conſequens eſt eſſe nmnes ejuſdem ſpeciei; unde non opus eſt Confeſſarium interrogare pœnitentem qua cotumelia aliquem affecerit, quoties confeſſus eſt ſe protuliſſe in proximum verba graviter contumelioſa. In ſententia nihilominus illorum, qui volunt explicandas eſſe in confeſſiooe circumſtantias notabiliter aggravantes intra eamdem, ſpeciem, quædam contumeliæ atrociores viderentur explicandæ; puta ſi aliquis alterum vocaviſſet proditorem, hæreticum &c.

II. Notet Confeſſarius gravem eſſe ignorantiam circa obligationem honorem reſtituendi, & ita paſſim videmus illos, qui proximum vel verbis, vel factis dehonorarunt, nil curare de illata irreverentia, & contentos eſſe, ſi communia honoris ſigna perſonæ inhonoratæ exhibeant. Videat ergo Confeſſarius pro qualitate perſonarum minori, vel majori excuſatione honorem læſum eſſe reſtituendum, & juxta judicium prudentum obliget ad ſatisfaciendum.

III. Cum licitum ſit diſſolvere per ſuſurrationem amicitias pernicioſas, advertere debet Confeſſarius id faciendum eſſe minori infamia, qua fieri poſſit. Hinc ſi ad diſſolvendam amicitiam periculoſam, quam habeat juvenis cum aliqua muliere, ſatis ſit manifeſtare ipſius defectus naturales, ut quod ſit turpis, minus gratioſa &c. tunc abſtinendum erit a manifeſtatione defectuum moralium.

IV. Confeſſarius moneat pœnitentem magnam prudentiam eſſe neceſſariam, dum cauſa recreationis aliquis deridetur; nam facile graviter peccari poteſt propter magnam triſtitiam, & erubeſcentiam, quam prævidetur paſſurum illum, qui deridetur. Non deſinat etiam increpare illum, ſi derideat qui incumbunt operibus pietatis, & cum aliquo fervore Domino inſerviunt; hoc etenim eſt vitium maxime pernicioſum contra virtutem obſervantiæ; nam ita homiues multoties impediuntur a bene agendo. De hac irriſioue dicitur *Job 12. Deridetur Juſti ſimplicitas.*

V. Quia maledictiones, quæ ex animo noo pronunciantur, ordinarie non ſunt peccatum grave, ideo Confeſſarius non facile coudemnare debet peccati mortalis mulierculas, quæ filiis maledicunt, vel Ancillis, & Ruſticos, qui idem præſtant ſibi, vel aliis; nam id faciunt facere ira, & prava conſuetudine, & potius, ut ſignificent impetum furoris, & impatientiæ, non vero optando malum, quod imprecantur. Semper tamen maxime redarguat Parentes proferentes in filios hujuſmodi maledictiones, quamvis non ex animo; quæ ſi erunt ex atrocioribus, difficiliter excuſari poterunt a gravi culpa, quamvis non fuerint ex animo prolatæ.

VI. Advertat demum Confeſſarius non eſſe ſufficiens ſignum, quod maledictio oon fuerit ex animo prolata eo quod ſtatim pœnituerit maledicentem eam protuliſſe: Bene potuit paſſio iræ, & furoris flectere ad conſenſum voluntatem maledicentis; & maxime ſi maledictio prolata fuit in ioimicum, ſeu illum, a quo accepimus grave malum.

CAPUT II.

De Detractione.

Q. I. Quid ſit detractio, & quale peccatum.

R. I. Detractio defioitur: *Injuſta denigratio alienæ famæ facta in abſentia.* Cum igitur fama conſiſtat in illa bona opinione, quam de nobis alii habent, qui minuit illam opinionem apud auditores, propalando alterius crimen, dicitur de ipſo detrahere, ſive ejus famam denigrare. Si ſit ſimplex detractio, talia verba proferuntur in abſentia; ut dictum eſt ſupra. Quod ſi verbum iofamatorium proferatur in præſentia infamati aliis audientibus, tunc conjunguotur contumelia, & detractio; etenim quatenus Detractor alloquitur offenſum, irreverenter cum eo agendo, dum profert adverſus ipſum verbum inhonorans, dicitur contumeliator, & peccare peccatu contumeliæ. Quatenus vero apud audientes per tale verbum minuitur recta opinio illius, contra quem tale verbum profertur, dicitur peccare peccato detractionis. Hinc in confeſſione explicanda eſt iſta duplex malitia; & conſurgit obligatio reſtituendi honorem, & famam.

R. II. Detractio eſt ex genere ſuo peccatum mortale. Ratio eſt, quia aufert bonum de ſe multum æſtimabile; nempe bonam famam, quæ magis æſtimatur, quam ipſæ divitiæ. Dicitur proinde Proverb. 22. *Melius eſt bonum nomen, quam divitiæ multæ; &* Eccleſiaſt. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam multi theſauri magni & pretioſi.* Poteſt autem detractio eſſe peccatum veniale, ſi de proximo narretur aliquod leve crimen, leviter dumtaxat infamans; vel ſi narretur grave, ex quo tamen tenuis infamia reſultet reſpectu perſonæ, de qua dicitur; ut ſi de Juvene narrentur aliqua peccata laſciva, de quibus aliquando potius ſe jactat; vel de milite, quod fecerit duellum, vulneraverit &c. Econtra ſi ex levi defectu reſultet gravis infamia, erit peccatum grave detractionis: ut ſi de fœmina honeſtiſſima, vel de gravi viro narretur aliquid minus honeſtum, quamvis ad grave peccatum non pertingat, vel ſi de homine, qui in opinione eſſet ſanctitatis, diceretur ſolitum eſſe mentiri, licet non in materia gravi.

Q. II. Quot modis fieri poſſit detractio.

R. Ex S. Thoma 2. 2. *quæſt. 73. art. 3. ad* 1. modi quibus de proximo detrahimus, reducuntur ad ſequentes. Primo falſum alteri imponendo, quæ detractio, cæteris paribus, eſt detractio omnibus pejor. Secundo, augendo peccatum. Tertio, revelando crimen occultum. Quarto, ſiniſtre interpretando quod bonum eſt, & ſi id fiat ſine fundamento, cum detractione conjungetur judicium temerarium. Hi modi ſequenti verſiculo continentur.

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens.

Dantur alii quatuor modi, quibus indirecte læditur fama proximi. Primo, negando bonum alterius. Secundo, minuendo idem bonum. Tertio malitioſe reticendo, quando ex taciturnitate videtur approbari malum, quod de altero dicitur. Quarto, frigide laudando. Ubi obſervandum majorem detractionem eſſe frigide laudare, quam maledicere; nam qui maledicit, habetur pro inimico, & proinde parva ipſi fides adhibetur. Qui vero frigide laudat, videtur amicus, & reputatur remiſſe laudare, quia ipſi deficiat materia laudis. Præfati quatuor modi ſequenti explicantur verſiculo.

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remiſſe.

Eſt etiam obſervandum fieri detractionem etiam per ſigna; ut ſi conſpurcetur janua mulieris honeſtæ famæ, idem enim eſſet ac dicere, quod eſt mulier inhoneſta. Advertere quoque eſt, quandoque lædere famam alterius eſſe tantum contra Charitatem; ut de eo qui reticet, quando non tenebatur ex officio invigilare alterius famæ, & honori. In tali autem caſu non datur obligatio reſtitutionis, cum hæc oriatur tantum ex violatione Juſtitiæ.

Q. III. An ſit peccatum detrahere de Defunctis.

R. Cum

R. Cum homo non ratione corporis, ſed ratione animæ & juris quod eſt in voluntate, ſit capax famæ, & rectæ opinionis, ſequitur quod. cum anima poſt mortem corporis perſeveret, perſeverat pariter in ea jus ad famam, ac proinde non poſſe Defunctis auferri ſine injuſtitia. Verum tamen eſt, cæteris paribus, minus peccatum eſſe detrahere de Defunctis, quam de vivis; nam Defuncti minus æſtimant famam, eaque non indigent ad recte vivendum: *Lugo diſp. 14. ſect. 4. n. 44. Bonac. diſp. 2. q. 4. p. 2. num. 3.* Sunt qui putent nullum eſſe peccatum detrahere de Defunctis damnatis, quales ſunt Pagani, Hæretici &c. ſemper cum de ipſis detrahere non redundet in dedecus familiæ. Ratio iſtorum eſt, quia non amplius ſunt noſtri proximi. Verum contraria eſt tenenda ſententia: nam ſicut non licet eis deſiderare duplex tormentum, & id eſſet contra Charitatem, quia adhuc ſunt noſtri proximi ſecundum naturam; ita eadem ratione erit contra Juſtitiam graviſſima crimina illis imponere, vel occulta propalare. Id autem maxime attendere debent Hiſtoriographi, dum manifeſtant Defunctorum crimina, præcipue ſi redundent in dedecus familiæ: *Molin. diſp. 28. Rebell. l. 4. qu. 3.* Non nego tamen, quod ſi utilitas, quæ reſultat ex revelatione criminis defuncti, præponderet damno, ex tali revelatione eventuro proſapiæ, non liceat Hiſtorico illud revelare. Et quidem videtur expedire bono publico, ut quæ non ſunt nimis occulta tranſcribantur; nam ex illis plurimum poſteri inſtruuntur in conſiliis capiendis, & timore infamiæ deterrentur a criminibus patrandis.

Q. IV. Quid ſit Libellus famoſus, quo de proximo detrahitur; & quale peccatum.

R. I. Libellus famoſus definitur: *Scriptura, vel Signum, quo revelatur alterius infamia, ut publica fiat vel ſtatim, vel paulatim.* Ex hac definitione habetis primo, cenſeri authorem libelli famoſi etiam illum, qui aliquo ſigno publicat alterius infamiam, quæ erat ſecreta: puta, ſi appendantur cornua ad januam, vel feneſtram alicujus, ut videntes judicent ipſius conjugem eſſe adulteram. Secundo, habeatis, quod quamvis hæc vox *libellus* denotare videatur aliquam ſcripturam longam; nihilominus vere dicitur libellus famoſus quæcumque ſcriptura etiam parva, qua alterius infamia, alias occulta publicetur. Item dicuntur libelli famoſi illæ ſchedulæ, quibus, occultato nomine authoris, detegitur alterius crimen occultum, & ſimul manifeſtantur, qui de illo crimine poſſint teſtificari. *Graff. l. 1. de caſib. reſerv. c. 19. n. 4. Bon. diſp. 2. q. 4. p. 9. a num. 4.* Ex talibus vero Scripturis non poteſt Superior ad inquiſitionem criminis procedere: *c. inquiſitionis §. Tertiæ de accuſationib. l. unica §. Sane C. de libellis famoſis.* Denique cum libellus famoſus dicatur Scriptura &c. qua detegitur alterius crimen occultum, ſequitur non eſſe libellum famoſum illam Scripturam, in qua continentur crimina jam publica. Neque pariter eſſet libellus famoſus, ſi contineret dumtaxat jocoſa, & non graviter infamantia. Quinimmo nec author libelli famoſi diceretur, qui ſcriptura aliqua publicum redderet defectum occultum, qui publico bono graviter officeret; & maxime ſi id faceret zelo correctionis, aut ejuſdem publici boni.

R. II. Conficere libellum famoſum eſt peccatum gravius particulari detractione; nam hæc, cum ſoleat fieri verbis, minus divulgatur, & minus remanet, quæ vero fit per ſcripturam magis divulgatur, & magis remanet, cum ſcripta perſeveret.

Si quis petat, quæ pœnæ a jure ſtatutæ ſint contra conficientes libellos famoſos, reſpondendum de jure aſſignari excommunicationem ferendam: *Can. qui alterius 5. q. 11.* Si vero libellus ſit contra Papam, aut Cardinalem, Author incurrit ipſo facto excommunicationem, ut ex pluribus Extravagantibus, maxime S. Pii V. Item conficientes libellos non contra particularem Religioſum, ſed contra Ordines Minorum, vel Prædicatorum, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ex quadam Conſtitutione Alexandri IV.

Q. V. Quale peccatum ſit detrahere de Proximo per verba generalia, ſive revelare ipſius defectus naturales.

R. I. Ad dignoſcendum, an peccatum grave ſit detrahere de proximo per verba generalia, præcipue id penſandum eſt ex circumſtantiis. Si e. g. perſona, quæ loquitur, talis ſit, ut nonniſi propter cauſam gravem loqui ſolita ſit, & potius minus, quam magis dicere, & ſi audientes propter malam affectionem in pejorem partem ſint interpretaturi quæ audiunt, certe in talibus circumſtantiis detractio non poſſet a mortali excuſari: *Navar. cap. 17. num. 24. Bonac. diſp. 2. q. 4. p. 2. num. 7.* Si vero aliquis valde loquax dicat de altero eſſe ſuperbum, iracundum, avarum &c. facile talia verba excuſari poterunt a gravi detractione, eo quod ille non minus ſolitus ſit venialia, quam gravia dicere: & aliunde talia verba poſſunt ſignificare etiam defectus leves: *Dian. p. 1. tr. 5. reſol 69.*

R. II. Propalare defectus naturales, poteſt eſſe peccatum detractionis, ſi referantur in talibus circumſtantiis, in quibus poſſit alterius fama valde denigrari; ut ſi e. g. objiciantur defectus natalium, quando id erat occultum, & ob id ille, de quo dicuntur tales defectus alias occulti, parvipendatur, ut ordinarie evenire ſolet. Exemplum item ſit, ſi de aliquo referatur eſſe filium Clerici, fuiſſe conceptum ex adulterio &c. Immo poteſt alia via peccari ob hujuſmodi revelationem graviter contra juſtitiam; ut ſi puella propter revelationem talium defectuum amittat occaſionem nubendi; ſi vir aliquo officio excludatur &c. etenim unuſquiſque jus habet, ut in ſui præjudicium non manifeſtentur ipſius occulti defectus. Cæterum, ordinarie loquendo, manifeſtatio naturalium defectuum non excedit culpam venialem, quia graviter non ſolent officere alterius famæ: ut ſi de aliquo dicas eſſe gibboſum, ignarum &c. *Leſſ. l. 2. c. 11. d. 3. num. 14. Dian. p. 5. tr. 6. reſol. 69.*

Q. VI. An peccet peccato detractionis, qui refert alterius defectus, ut ab alio auditos.

R. I. Ita referre graviſſima delicta, ut hæreſis, ſodomiæ, proditionis in patriam &c. ſemper eſt grave peccatum; nam ut graviter deturpetur fama propter ſimilia crimina, ſat eſt, ſi de eis ingeratur ſuſpicio; & ſuſpicio ſaltem ingreditur, quoties de ipſis etiam de auditis ab aliis aliquis culpabilis notetur. Excipe ſi ita narrentur audita, ut omnino falſa demonſtrentur apud eos, apud quos narrantur.

R. II. Narrare gravia crimina audita, & non eadem falſa demonſtrare, eſt gravis detractio, quamvis ut audita narrentur. Ratio eſt, quia ob pravam noſtram inclinationem faciliime malum de proximo creditur; & ita etiam hujuſmodi loquutionibus graviter alterius fama remanet vulnerata. Et quidem, ſi. e. g. de fœmina honeſtæ famæ dicat quis ſe audiviſſe fuiſſe fornicatam, quis non videat quantum ſuæ famæ apud audientes amittat? *Trull. lib. 3. cap. 10. dub. 5. a num. 2.*

Q. VII. An ſit gravis detractio revelare uni, vel alteri Viro cordato occultum, ſed grave crimen alterius?

R. Ego ſemper putavi talem detractionem eſſe gravem; nam licet in præfato caſu non reddatur apud omnes infamis ille, de quo tale crimen narratur; nihilominus in parte ejus fama denigratur. Iſta autem partialis denigratio grave damnum reputatur; nam apud omnes maxime æſtimatur eſſe in bona opinione apud ſapientes; unde apud aliquem ex his alterum infamare, non cenſenda eſt levis detractio. Talis igitur infamatio pariſicanda eſt furto, quod alicui fieret, non de omnibus, ſed de re magni valoris. Ita tenuit Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 12. *art.* 1. *ad* 2. *Lugo diſp.* 14. *ſect.* 4. *num.* 51. Cæterum omnes concedunt ad leniendum dolorem offenſæ, ad conſilium petendum, & ad ſui conſolationem, licitum eſſe aliquibus injuriam ſibi irrogatam manifeſtare, quia in tali caſu obligatio ſilendi videretur nimis dura; cum maxime valde inclinemus ad dolorem leniendum, inquirendo miſerationem amicorum, ut notat *S. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 38. *art.* 3.

Q. VIII. An ſit gravis detractio infamare de novis criminibus illum, qui jam de aliis eſt diffamatus.

R. Cum unus ex modis quibus detrahimus, ſit alicujus infamiam augere, ſequitur quod, ſi delictum quod de novo revelatur, notabiliter augeat infamiam jam diffamati, revelari non poſſit ſine gravi detractione, ut de ſe patet. Porro tunc reputatur nova gravis infamia, quando delictum, quod de novo propalatur, non ſubintelligitur ſub alio jam revelato, nec eſt illi affine. Si ex. g. de muliere adultera dicatur fuiſſe fornicatam, non erit gravis detractio, quia in primo crimine aliud continetur. Quod ſi de eadem diceretur furatam

ratam fuiſſe, erit peccatum lethale detractionis; nam iſta nova detractio in primo crimine non continetur. Et quidem qui ex ono capite famam amiſit, famam ex aliis capitibus magni ſolat æſtimare; *Leſſ. l. 2. c. 11. d. 14. Bonac. diſp. 2. q. 4. p. 7.*

Q. IX. An ſit grave peccatum derractionis narrare in alio loco delictum, quod eſt publicum, ubi fuit commiſſum.

R. Ante reſolutionem quæſiti ſupponendum aliquid tripliciter dici publicum. Primo, aliquid dicitur publicum, ſeu notoriom jure, quod ſcilicet notom factum eſt per publicam Judicis ſententiam. Secundo, aliquid dicitur publicum *de facto*, quod ſcilicet factum eſt in præſentia multurum, ut in foro, in platea &c. vel paſſim a pluribus videtur; ut ſi quis inverecunde, & publice teneant concubinam. Tertio, illud dicitur publicum, quod eſt *famoſum*, quando ſcilicet fama alicujus criminis ex ſufficienti orta fundamento, ad multos pervenit. Ubi notandum, quod ad hoc, ut aliquid publicum dicatur, ſufficit innotuiſſe tot perſonis, ut brevi credatur perventurum ad communem notitiam; & quia quod dicitur a majori parte in parvo loco, brevi ad publicam notitiam perveniet, ideo poblicum dici poteſt. Ut autem aliquid publicum dicatur in magna Civitate, vel Oppido, non eſt neceſſe ut a majori parte ſciatur, nam eo ipſo quod multis innoteſcat Perſonis, abſque eo quod ſciatur a majori parte, brevi ad communem notitiam perveniet. His poſitis.

Loqui de alicujus crimine, quod ex dictis poteſt dici publicom, coram illud ignorantibus, non eſt detractio. Ratio eſt, quia extenſio talis infamiæ non poteſt dici gravis; nam cito illud delictum etiam apud ignorantes publicabitur; *Molin. diſp. 32. n. 8. Bonac. d. 2. q. 4. p. 6. num. 6.* Si ergo fiat abſque cauſa, ad ſummum erit peccatum veniale; & ſi cum cauſa nullum peccatum. Ex hoc autem inferendum, non eſſe gravem detractionem publicare in aliquo loco delictum alicujus alibi perpetratom, ſi ad illum locum illius fama brevi eſſet perventura, quia jam ex ſupradictis cenſetur publicum; & id verum eſt etiamſi per injuſtitiam fuerit publicatum. Quod ſi ſciretur crimen divulgatum falſum eſſe, noo poſſet ſine gravi injuſtitia referri ab illis, qui ſciunt eſſe falſum.

R. II. Crimen in aliquo loco publicum publicitate juris ſimpliciter tali, poteſt publicari in alio loco, ad quem illius fama non facile eſſet perventura. Ratio eſt, quia ad terrorem malefactorum talia crimina a Judice taliter poblicantur, ut velit ad omnium notitiam pervenire; unde tempore majoris concurſus ſententia per publicum Præconem redditur nota. Hinc talia crimina typis mandantur, & hiſtoriis divulgantur: *Lugo diſp. 14. ſect. 6. n. 72. & 76. Bonac. loc. cit.* Quod ſi crimen non ſit publicum notorietate juris ſimpliciter tali, quia non adhuc prolata eſt ſententia, non poteſt propalari, quamvis notum ſit per depoſitionem teſtium, & confeſſionem Rei, nam ex ſola ſententia Judicis amittit quis jus ad famam, ſi alias crimen non eſſet notum notorietate facti.

Ulterius advertendum ſententiam debere eſſe omnino publicam, hoc eſt, non ſolum notam intra limites alicujus Congregationis, Monaſterii &c. ſed etiam in Villa, Civitate &c. nam quando profertur ſententia contra aliquem in loco particulari, nolunt Judices publicam fieri extra illum locum. Ita autem faciunt, vel quia putant ſufficere ad emendationem Rei, ſi tantum intra limites particularis loci ſciatur ejus infamia, vel quia putant conveniens eſſe, ut non divulgetur ſententia ad removenda ſcandala, aliaque inconvenientia.

R. III. Delictum famoſom, vel publicum publicitate facti in ono loco, poreſt etiam publicari in alio loco, in quo ignoratur, etiamſi non credatur ad talem locum perventuram notitiam illius criminis. Ratio eſt, quia ſi tale delictum famoſum ſit, ideo eſt tale, quia Reus dedit de illo indicia manifeſta, ſi vero ſit publicum publicitate facti, ideo tale dicitur, quia illud in publico commiſit. Qui autem ita crimen commiſit, patet ceſſiſſe juri, quod habebat ad famam, nec curaſſe an ſuum crimen ſciretur nec ne; unde non videtur malum, ſi illud propaletur etiam ubi notum non eſt: *Lugo num. 72. & 80. Navar. in Manual. cap. 8. num. 26.* & alii, quos ſequitur *Diana 3. part. tr. 5. Miſcell. reſol. 17.* & alibi. Limitanda nihilominus eſt hæc doctrina; ut ſcilicet non intelligatur habere locum, quando præterita infamia ita eſt oblivioni mandata, ut illius non amplius extet memoria; nam tunc ille, qui commiſit delictum, taliter ſe habet, ac ſi numquam illius crimina fuiſſent publicata. Quamvis ergo numquam potuerit acquirere jus, ut diceretur bonus pro eo tempore, quo fuit malus, potuit tamen per emendationem, & omnimodam infamiæ abolitionem acquirere jus, ne apud neſcientes dicatur aliquando improbus fuiſſe: *Molin. diſp. 33. num. 2. Lugo diſp. 14. ſect. 6. n. 85.*

Q. X. Quæ cauſæ excuſent a peccato detractionis, ſi alicujus crimen publicetur.

R. I. Prima cauſa excuſans, ſi manifeſtetur alterius crimen, eſt dum delinquens nolit ſe emendare, poſtqoam fuit ſecreto correctus. Ratio eſt, quia ordo charitatis expoſcit ut prius conſulatur ipſius bono ſpirituali, quam temporali; unde expediet illius crimen manifeſtare, quando id ſit neceſſarium ad illius emendationem.

R. II. Secunda cauſa excuſans a peccato; ſi manifeſtetur alterius delictum occultum, eſt ſi id ſit neceſſarium ad vitandum grave damnum vel commune, vel proprium, vel aliorum. Ratio eſt, quia nemo intelligitur rationabiliter velle ut ſervetur jus, quod habet ad famam cum aliorum præjudicio. In tali igitur caſu non læditur ex intentione alterius fama, ſed potius vitatur proprium damnum, vel aliorum. Ad eum modum, quo, ſi quis ob ſalvandam vitam, vel ob aliud damnum vitandum fugiat, & fugiendo ſegetes conculcet, id non facit intentione conculcandi ſegetes; ſed utendi jure, quod habet, ne grave damnum ſibi inferatur. Advertendum tamen, non revelandum eſſe alterius delictum, niſi hoc neceſſarium ſit ad impediendum malum commune, vel proprium, vel alterius: *Lugo diſp. 14. ſect. 8. Bonac. d. 2. q. 4. p. 8.*

R. III. Altera cauſa licitam reddens manifeſtationem occulti criminis eſt bonum commune, vel bonum ipſius diffamati. Tunc e. g. id eveniret, quando perſona inhabilis concurreret ad Beneficium curatum; nam ſi tunc non manifeſtaretur ejus occulta inhabilitas, ſeu pravi ipſius mores, caſu quo ipſi conferendum ſit Beneficium, fieret grave nocumentum bono communi, Animabus ſcilicet, quas regendas aſſumeret, & ipſimet, cui conferretur, nam eſſet in continuo ſtatu peccati. Si vero vir inhabilis, ſeu perditos habens mores, vellet promoveri ad Ordines, vel ad Beneficium non curatum, tunc ipſius inhabilitas eſſet revelanda ſolum ad evitandum damnum ſpirituale ipſius. Cæterum ſi aliquis indignus ad Ordines promoveri, vel ad aſſequendum Beneficium bona fide procedat, qui eſt conſcius illius criminis, debet prius illum ſecreto monere ut deſiſtat: *Bonac. punct. 8.* In hac igitur materia univerſaliter attendenda eſt doctrina *S. Thom. 2. 2. quæſt. 73. art. 5.* ſcilicet quod ſi verba, quibus alterius fama minuitur, dicantur ob neceſſitatem, vel finem honeſtum, carent malitia detractionis, quia diminutio famæ non ſequitur per ſe, ſed præter intentionem.

Q. XI. Quale ſit peccatum audire, & tolerare detrahentem.

Q. I. Si quis non ſolum audiat detrahentem, ſed etiam induxerit ad detractionem, interrogando, urgendo, animum addendo &c. peccat contra Charitatem reſpectu detrahentis, & contra Juſtitiam reſpectu illius, de quo detrahitur. Reſponſio de ſe eſt manifeſta; nam cum inducat detrahentem ad malum, illique præbeat occaſionem peccandi, clarum eſt reſpectu ipſius peccare contra Charitatem. Quod vero peccet contra juſtitiam reſpectu illius, de quo detrahitur, item eſt manifeſtum; nam eſt cauſa quod in fama damnificetur, & proinde, non reſtituente illo, qui detrahit, tenetur ad reſtitutionem famæ ille, qui induxit ad detrahendum: *D. Th. 2. 2. quæſt. 73. art. 4.*

R. II. Si aliquis non incitet detractorem, ſed nihilominus ſe complaceat in detractione, quatenus eſt grave damnum proximi, graviter peccat contra Charitatem, nam in re gravi deficit, ſeſe complacendo in damno gravi ſui proximi: *D. Th. loc. cit.* Quod ſi quis audiendo detractorem non ſe complaceat in detractione, quatenus eſt grave proximi damnum, ſed ſolum auſcultat detractionem ex curioſitate, vanitate, otioſitate &c. tunc non peccabit mortaliter.

R. III. Si audiens Detractorem ſit Superior, probabilius credo peccare contra Juſtitiam, ſi infamatus

ſit ejus

Digitized by Google

fit ejus ſubditus. Ratio mihi eſt, quia quicumque Superior tenetur ex Juſtitia promovere, & attendere bono ſui ſubditi, hoc autem per infamiam non parum diminuitur, cum per detractionem bonum nomen amittatur; ex quo etiam fit non valere in aliis bonum ſpirituale promovere. Si ergo Superior non impediat detractionem, ipſe in defectu detrahentis tenebitur ad famæ reſtitutionem. Dixi, ſi infamatus ſit ejus ſubditus, nam ſi non ſit ejus ſubditus, ſolum peccare poterit contra charitatem; nullus enim Superior tenetur ex juſtitia conſulere bono ſpirituali, vel temporali Perſonæ ſibi non ſubditæ. Item aliquibus ſolum peccare videtur contra charitatem, ex eo præciſe quod non impediat detractorem, quamvis ſit illi ſubditus, nam ſubditus libere amplexus eſt peccatum detractionis, Superior autem ex dictis non tenetur niſi ex Charitate corrigere ſubditum jam libere peccantem.

R. IV. Quamvis audiens detractionem non ſit Superior, nihilominus ſi non habeat cauſam rationabilem ipſum retrahentem a non impedienda detractione, peccat graviter contra Charitatem, detractionem non impediendo. Rario eſt, quia primo reſpectu detrahentis peccat contra præceptum correctionis, dum commode poſſet illum a detractione avertere. Reſpectu vero infamati peccat contra charitatem, quatenus dictat impediendum eſſe grave proximi damnum, ſemper cum id facere commode poſſumus. Tenebitur ergo vel corrigere detractorem; vel ad aliam materiam ſermonem divertere; vel ſaltem triſtem vultum oſtendere, ut enim dicitur *Prov. 25. Ventas aquilo dsſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrabeatem.*

Cauſæ autem rationabiles, quæ poſſunt excuſare audientem detractionem ab ea impedienda, ſunt ſequentes. Prima, ſi neſciatur, an crimen, de quo eſt ſermo, ſit publicom, nec ne; namquamvis ſit ignotum audienti, poteſt nihilominus habere talem publicitatem, ut ſine peccato poſſit manifeſtari. Immo ſi loquens non ſit homo perditus. nec dicat ſe occulta narrare, vel id certo ſciatur, præſumendum eſt loqui de crimine habente dictam publicitatem. Secunda, ſi non habeatur ſpes correctionem eſſe profuturam. Tertia, ſi impediendo detractionem jam inceptam, potius augeatur infamia illius, de quo eſt ſermo. Id evenire poteſt, quando jam detractor talia dixit, ut auditores habuerint confuſam notitiam gravis criminis. Tunc melius eſt permittere proſequutionem detractionis: nam poſtquam auditores rem totam diſtincte perceperint, forſaſſe non tam gravem eſſe dignoſcent; vel advertere poterunt detractorem ex odio, ſeu paſſione loqui, & ita fidem non mereri. Quarta, ſi detractor loquatur de alterius crimiae, vel ad conſilium capiendum, vel ad proprium leniendum dolorem. Quinta, ſi audiens detractorem timeat grave damnum ſibi adveniendum, ipſi reſiſtendo, uam ſcir e.g. non ſine gravi offenſione paſſurum publicam correctionem; maxime ſi detractor opinetur non eſſe ſaltem grave peccatum loqui uni, quem putat virum ſecretum, de alterius crimine,

Regulæ ia praxi obſervandæ.

I. Non raro plures ex libellis famoſis, vel epiſtolis, quæ vulgo dicuntur *ciecbe*, moventur ad inquirenda crimina illius, qui tamquam Reus in talibus ſcripturis accuſatur. Id advertere debet Confeſſarius; nam jure prohibitum eſt ex talibus ſcripturis moveri ad inquiſitionem contra aliquem. Immo id eſt contra jus naturale; unuſquiſque enim jus habet, ut contra ipſum non procedatur ſine ſufficientibus indiciis, qualia non ſunt, quando notitia de illius crimine non habetur, niſi mediantibus talibus ſcripturis.

II. Si Confeſſarius velit bene cognoſcere, an gravis, vel levis fuerit detractio, non ſtatim de hoc judicet, audito crimine, quod Pœniteus dicit ſe propalaſſe. Bene, ut diximus, poteſt eſſe gravis detractio, etiamſi fuerit propalatus defectus levis, ſi id factum fuerit de honeſtiſſima perſona; vel de aliquo, qui non exiguæ bonitatis haberetur. Poteſt e contra eſſe levis detractio gravis peccati propalatio, quando id dictum fuerit de perſona, cujus famæ notabiliter non officiat. Ut ſi de Juvene ſolito amoribus fœminarum incumbere, dicatur cum fœmina peccaſſe, laborare morbo gallico &c. Semper tamen conſulendum eſt Pœnitenti tacere; raro enim, ut dici ſolet, tacuiſſe nocebit,

III. Debet Confeſſarius increpare Pœnitentem, tamquam Reum gravis detractionis, ſi adhibeat quaſdam generales formulas dicendi, quæ ſolent innuere graves defectus. Hujuſmodi ſe habent illi modi loquendi: *Scit me illum cognoſcere. Scit quid fecerit. Scit me poſſe illum ad taceadam cogere. Nam aſſero bonam non eſſe, ſed ſafficit. Habet domi ſuæ, de quo cogitare debeat, abſque eo quod cogitet, & loquatur de me &c.* Hujuſmodi confuſæ loquutiones multoties aliquid pejus faciunt concipere, quam ſi in particulari grave quid diceretur.

IV. Eſt alter modus valde noxius detrahendi, quem omnino corrigere debet Confeſſarius, ſcilicet narrare alienos defectus ut ab aliis auditos. Hinc ſolent aliqui multoties dicere. *Ego ita eſſe aon credo, ſolam narro quæ audivi. Ille, vel illa &c.* Quamvis ita referens aliquod crimen. aſſerat ſe illud non credere; nihilominus audientes multoties pravum conceptum concipiunt de eo, de quo tale crimen divulgatur, & ita illius infamia, ut dici ſolet, vires acquirit eundo.

V. Solent etiam plures loqui de alterius crimine tamquam jam publico notorietate juris, eo quod aliquis fuerit de ipſo coram Judice accuſatus; & multo magis ſi illud Reus fuerit confeſſus. Verum id tamquam illicitum redarguere debet Confeſſarius, ſemper cum non fuerit etiam notum notorietate facti. Solum ergo ratione notorietatis juris licitum eſt loqui de alterius crimine poſt ſententiæ prolationem, uam tunc volunt Judices publica fieri aliorum crimina ad terrorem malefactorum &c.

VI. Quia ad alterius emendationem licite publicantur ipſius crimina, quando alia non ſuppetat via, ideo in tali caſu bene poteſt denunciari Patri Filius delinquens, Servus Domino &c. Item quia licite ad aliorum malum evitandum manifeſtaretur alterius crimen, bene poteſt moneri ille, cum quo habitat aliquis fur, ut ſibi caveat. Item poteſt moneri qui habet ſocietatem cum habente perditos mores, ut illum relinquat, ſi periculum ſit, ut & ipſe pervertatur. Item poteſt infirmus moneri de inſcitia ſui Medici, clientulus de ignorantia Advocati, vel alter de imperitia Artificis, quoties his defectibus non manifeſtatis, poteſt alteri grave præjudicium inferri. Quam maxime etiam Charitas exercebitur, ſi dum videtur aliquis propter ignorantiam ſui Confeſſarii in multis errare, moneatur de illius ignorantia, ne dum uterque cæcus exiſtit, ambo in foveam cadant. Alterius falſa apparentia ſanctitatis non eſt detegenda, quoties non eſt periculum, ut ab illius hypocriſi alii ſeducantur.

Quod ſi ad impediendum malum perſonæ particularis licite manifeſtantur aliorum delicta, quanto magis ad impediendum commune? Immo tunc etiam cum noſtro incommodo eſſent detegenda, ut conſtat ex dictis, dum actum eſt de Charitate. Hac ratione omnino manifeſtanda eſt inſufficientia Medici, Chirurgi, Advocati, Confeſſarii, Concurrentis ad publicum officium, Agrimenſoris &c.: & idem dicendum, ſi quamvis eſſent ſufficientes, malitioſe, & perverſe ſuum officium exercerent.

Univerſaliter autem in detegendis aliorum vitiis, eo quod immineat bono communi, vel innocentibus præjudicium, tria ſunt obſervanda. Primum, quod talia vitia ſint omnino certa. Secundum, quod non manifeſtentur pluſquam neceſſe ſit ad alterius damnum præcavendum. Tertium, quod manifeſtatio non fiat ex odio, vel invidia, ut frequenter evenire ſolet inter illos, qui ſunt ejuſdem artis, vel profeſſionis.

VII. Cum tot ſint cauſæ excuſantes ſaltem a gravi culpa audientem detractionem; ideo Confeſſarius moneat ſuum pœnitentem, maxime ſi ſit conſcientiæ ſcrupuloſæ, ne anxius ſit dum audit detrahentem. Suadeat utique illi, quantum poteſt, ut detractionem impediat, ſaltem triſtem faciem demonſtrando; at ipſum doceat ex doctrina *S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 4.* omittendo correctionem ex timore, vel ex quadam negligentia, ſeu verecundia plerumque venialiter peccaturum, ſi illi non incumbat ex officio corrigere detrahentem, vel non prævideat grave malum ex detractione ſequuturum. Doctrina autem S. Thomæ maxime attendenda pro ſcrupuloſis, qui neſciunt diſcernere, quando vere adſit obligatio impediendi detractionem, & aliunde valde grave illis eſt ſuperare illam repugnantiam, quam experiuntur; dum putant adeſſe corrigendi obligationem,

CAPUT III.

De Reſtitutione famæ ablatæ per Detractionem, & de cauſis excuſantibus a tali Reſtitutione.

Q. I. QUando Detractor teneatur famam reſtituere; & coram quibus debeat reſtituere; & qualia damna.

R. I. Quoties quis per actionem graviter culpabilem alterum infamavit, tenetur illi famam reſtituere. Ratio eſt, quia juſtitia exigit, ut alteri reſtituatur, quod ipſi injuſte fuit ablatum. Advertere tamen eſt, quod ſi quis peccavit tantum contra charitatem, ut in aliquibus caſibus, annotatis in capite ſuperiori, non teneatur ad famæ reſtitutionem: ſicut enim reſtitutio eſt actus juſtitiæ, ita non conſurgit ejus obligatio niſi ex violatione juſtitiæ.

R. II. Quamvis non deſint qui dicant detractorem non debere famam reſtituere, niſi penes auditores immediatos, non vero penes mediatos, illos nempe, qui audierunt ab iis, coram quibus detraxit; ego nihilominus puto omnino diſtinguendum eſſe. Si Detractor igitur putavit primos auditores futuros eſſe ſecretos, nec crimen ab ipſo propalatum vulgaturos, cenſeo non debere reſtituere famam niſi apud primos Auditores; nam ulterior divulgatio nec fuit prævifa, nec volita in ſua cauſa. Si vero bene prævidit primos Auditores iterum detracturos, tunc puto teneri, quantum poteſt, reſtituere famam etiam apud eos, apud quos iſti detraxerunt. Ratio eſt, quia cum præviderit illos ulterius detracturos, coram illis detrahendo voluit pariter cauſam ulterioris detractionis; unde cum in ſua cauſa detractio iſtorum ſit ipſi imputabilis, conſurgit etiam in ipſo obligatio reſtituendi. Ita & tenetur reſtituere, qui alteri ſubminiſtravit inſtrumenta ad novum damnum alicui inferendum: *Anton. a Sp. S. diſp. 3. a num. 88. Tambur. in Decal. l.9. c.3. §.5.n.1. Dian. t. 8. tr.7.reſol. 64.*

R. II. Ille etiam qui inculpabiliter, attamen graviter alterum infamavit, tenetur ad famæ reſtitutionem. Iſte igitur ſe habet ſicut ille, qui bona fide rem alienam abſtulit, & poſtea eſſe alienam cognoſcit. Sicut ergo iſte, ſtatim ac cognoſcit rem eſſe alienam, & Dominum rationabiliter velle ſibi reſtitui, non poteſt amplius rem retinere; ita evenit in caſu noſtro. Et quidem quis negabit retinere alterius famam illum, qui retractando ſuum dictum poſſet reſtituere infamato famam, quamvis innocenter ablatam, & tamen non vult reſtituere? Præterea juſtitia non ſolum obligat ad non inferendum culpabiliter damnum, ſed etiam ad illud removendum, & non conſervandum, etiamſi inculpabiliter cœperit inſerri; ita qui inculpabiliter incendit alterius ſegetes, tenetur ex juſtitia incendium extinguere, ſi poteſt. Pari ergo ratione, qui inadvertenter, vel per actionem ex alio capite ſolum materialiter injuſtam alterum infamavit, tenetur illius damnum removere; & non conſervare, ſuum dictum retractando.

Inter illum autem qui alterum infamavit actione formaliter injuſta, & eum qui id fecit actione materialiter injuſta, aſſignant DD. ſequens diſcrimen. Primus, qui alium infamavit actione graviter culpabili, tenetur reſtituere famam etiam cum ſuo gravi incommodo, cum diſpendio ſcilicet propriæ famæ, bonorum fortunæ, & aliquando etiam cum periculo vitæ, ut videbimus poſtea. Ille vero, qui alterum infamavit actione ſolum materialiter injuſta, quia ſcilicet graviter non peccavit infamando, non tenetur reſtituere famam ablatam cum gravi ſuo incommodo in propria fama, in divitiis, & multo minus in vita. Solum teneretur ad id præſtandum cum gravi ſuo incommodo, ſicut dictum eſt de illo, qui actione formaliter injuſta alterum infamavit, quando cum commode potuiſſet avertere infamiam ab infamato, id præſtare neglexiſſet, & exinde plurima damna infamato accidiſſent: *Laym. l.3. ſect.5. tr. 3. p.2. cap.7. num.1. Lugo diſp. 15. ſect. 1. n. 4. Trull. l.7. c.10. d.25.*

R. IV. Si detractor prævidit, vel ſaltem dubitavit ex ſua detractione aliquod damnum ſequuturum vel in communi, vel in particulari, tenetur ad compenſanda damna, quæ de facto ex tali detractione ſequuntur. Ratio eſt, quia de facto tunc detractor talia damna cauſavit, & unuſquiſque tenetur compenſare damna, quæ cauſavit. Dixi *ſi Detractor prævidit, vel ſaltem dubitavit &c.* nam ſi talia damna aliquatenus non prævidit, non voluit ſuam detractionem ut cauſativam talium damnorum, adeoque ad ea, utpote ſibi non voluntaria, compenſanda non tenetur. *Laym. num. 4. Lugo ſect. 2. n. 31. Molin. diſp. 45. n. 3. Reginal. l. 10. n. 315.* Reſtitutio vero talium damnorum, quando de facto evenerint, integre facienda eſt, ſive per detractionem alter fuerit infamatus falſi criminis impoſitione, ſive manifeſtatione criminis veri, ſed occulti, ſemper enim verificatur totum damnum per actionem injuſtam fuiſſe cauſatum. Quod ſi detractor moriatur antequam hujuſmodi damnis ſatisfecerit, tunc debent illis ſatisfacere hæredes; etenim hoc debitum, utpote reale, afficit non ſolum perſonam, ſed etiam bona. E contra hæredes non habebunt obligationem famæ reſtituendæ, ſi id non præſtiterit defunctus; nam hoc onus eſt perſonale; & ideo ad hæredes non transfertur: *Lugo ſect. 2. num. 8. Navar. in Manual. c. 18. num. 45.*

Q. II. Quomodo facienda ſit reſtitutio, ſi detractor impoſuit falſum crimen; vel manifeſtavit verum, ſed occultum.

R. I. Qui impoſuit falſum crimen, ſi alio modo non poſſit, famam reſtituere tenetur dicendo ſe falſum dixiſſe; & ſi hoc non ſufficiat, tenetur addere juramentum, immo putarem etiam adhibendos teſtes, ſi fieri poſſit, ad manifeſtandam innocentiam infamati. Ratio horum omnium eſt, quia hujuſmodi non ſunt media extraordinaria, valde difficilia ad reſtituendam famam injuſte ablatam, & conſequenter ad ea adhibenda videtur teneri, qui alterum injuſte infamavit: *Lugo diſp. 15. ſect.2. n. 26. Bonac. d. 2. q.6. p.15. n.4. Dian. p.2. tr. 5. Miſcel. reſol. 29.*

R. II. Qui alterum injuſte infamavit, occultum, ſed verum illius crimen detegendo, debet illi famam reſtituere omnibus modis, quibus reſtitui poteſt abſque mendacio. Data ergo opportunitate illum, quantum fieri poteſt, laudare, debet dicere ſe male fuiſſe locutum, deceptum fuiſſe tale crimen detegendo; nam re vera Diabolus illum decepit: vel etiam dicat erraſſe, nam omnis qui peccat, errat. Credo etiam poſſe dicere, ſe *neſciviſſe quod dicebat*, quando alterius crimen occultum manifeſtavit, vel *ſe falſum dixiſſe, ſeu mentitum eſſe*. Pro quo ſciendum, quod licet nunquam licita ſit reſtrictio mentalis, adhuc tamen in urgenti neceſſitate licitum eſt uti verbis habentibus duplicem ſenſum, alterum naturalem licet falſum, alterum ſpiritualem verum, ſi ea proferens intendat ſecundum hunc ſenſum proferre. Poteſt igitur dicere ſe neſciviſſe quæ dicebat, nam juxta S. Scripturæ locutionem, quod non poteſt dici, ignotum reputatur; & in hoc ſenſu dixit Chriſtus *Marc.14. De die autem illo nemo ſcit, nec Filius hominis*. Item poteſt dicere ſe falſum dixiſſe, ſeu mentitum fuiſſe; nam peccavit in tali detractione, & peccata in S. Scriptura dicuntur falſitates, & mendacia, juxta illud *Pſ.4. Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Puto autem nullatenus poſſe dicere revera crimen illud non fuiſſe commiſſum; nam neſcio quomodo talis loquutio poſſet a mendacio excuſari. Vide quæ dixi de juramento amphibologico.

Q. III. Quæ cauſæ excuſare poſſint a reſtituenda fama.

R. I. Prima cauſa excuſans a reſtitutione famæ eſt impoſſibilitas illam reſtituendi; ut ſi infamia ſit adeo divulgata, ut moraliter impoſſibile ſit illam diſſipare. Advertere tamen eſt, quod ſicut ille, qui non poteſt reſtituere totum, tenetur ad reſtitutionem partis, ſi poteſt; ita ille qui non poteſt alterius infamiam a ſe cauſatam diſſipare, tenetur diminuere, ſi poteſt. Ad nihilum autem tenebitur Detractor, ſi auditores ipſi non crediderint.

R. II. Secunda cauſa excuſans a reſtitutione famæ eſt, ſi detractor ob eam reſtituendam teneretur ſubire incommodum longe majus, quam patiatur ipſe infamatus. Ratio eſt, quia tunc infamatus irrationabiliter prætenderet ſibi famam reſtitui. Exemplum ſit in eo, qui ſi deberet reſtituere famam, ſe poneret in manifeſto vitæ diſcrimine, vel pateretur damnum longe majus in fama, quam ipſe infamatus; unde in tali caſu ſufficit ſi detractor eum honoret, & laudet in eo genere virtutis, in quo ipſum infamavit.

Dixi,

Dixi, ſi detractor teneatur ſubire incommodum longe majus, quam patiatur ipſe infamatus, nam ſi damnum ſit inter eos æquale, vel paulo majus reſpectu detractoris, tenetur ipſum ſubire, nam in pari cauſa ſemper potior eſt conditio innocentis. Hinc ſi detractor ob ſuam detractionem poſuit infamatum in periculo vitæ, tenetur ſe ſubjicere eidem periculo ad eum liberandum; ſi debeat reſtituere famam cum derrimento ſuæ famæ non longe majoris, debet reſtiuere, & ſuæ culpæ imputare, ſi cum tali detrimento teneatur reſarcire quod ſua detractione cauſavit: *Leſſ. l.2. c.11. dub.23. n.138. Lugo d.15. ſect.2. n.29. Reginal. l.19. n.45.* Quia autem pecunia reputatur bonum ſama interius, ideo etiam cum gravi detrimento bonorum fortunæ fama eſt reſtituenda; hoc eſt, non eſt attendenda ipſorum jactura, ſi neceſſaria ſit ad famæ reſtitutionem. Hoc autem evenire poſſet, ſi ad eam reſtituendam neceſſe eſſet facere aliquam diligentiam, aliquod iter agere, quod fieri non poſſet ſine ſumptu pecuniarum.

R. III. Ceſſat tertio obligatio reſtituendi famam, ſi infamatus alia via ipſam tecuperavit, & ſi auditores certificati fuerint verum non eſſe, quod detractor affirmaverat, etenim cum jam ſama fuerit reſtituta, non eſt bis facienda eadem reſtitutio. Ita ſi Paulus reſtituat Petro equum, quem Joannes furatus fuerat, non tenerur iſte iterum reſtituere. Idem dicendum ſi infamia judicetur a prudentibus oblivioni mandata, nam tunc iterum loqui de crimine ſive vero, ſive falſo, dequo aliquis olim fuit infamatus, eſt potius infamato nocere, & vulnera jam curata aperire. Dixi, ſi prudenter judicetur infamiam eſſe oblivioni mandatam; nam non convenit interrogare hos, aut illos, ſi recordentur criminis olim narrati: hoc etenim idem eſſet ac illud iterum in memoriam revocare, ſed ſatis eſt, ſi eo quod non amplius de eodem homines loquantur, judicari poſſit in oblivionem abiiſſe. In dubio autem oblivionis, ſi certum ſit innocentem non lædendum, obligandus eſt detractor ad famam reſtituendam, & ad compenſanda damna, quæ paſſus fuit infamatus, uſquedum ejus infamia non fuit oblivioni mandata: *Lugo n.35. Rebell. l.4. q.13. n.7.*

R. IV. Ceſſat quarto obligatio reſtitutionis, ſi crimen, quod detractor detexit, aliunde factum fuerit publicum, ſicut non eſſet obligatio reſtitutionis, ſi ab initio ſuiſſet publicum. Sed hic etiam adnotare oportet, quod ſi infamatus paſſus fuerit aliquod damnum, antequam illius crimen fieret publicum, detractor tenetur illud compenſare: *Bonac. diſp.2. q.6. p. ult. n.8.*

R. V. Probabiliſſime ceſſat obligatio reſtitutionis pro infamia, ſi infamatus, ſervata æqualitate, infamavit ſuum detractorem. Ratio a priori ea videtur eſſe, quia licet infamatus infamando ſuum detractorem, non provideat damno ſibi in ſama illato, nihilominus videtur remittere detractori debitum, quod habet, ut ipſi famam reſtituat. Ad eum modum quo, ſi ille, cui Petrus domum incendit, contra incendat domum Petri, quamvis incendendo illius domum non reparet ſuum damnum; nihilominis facto ipſo intelligirur remittere Petro obligationem reparandi damnum ſibi illatum. Et revera in quocumque debito temporali, quando debita ſunt paria, ſi unus non vult alteri ſetvare jus, nec iſte tenetur ſolvere ſuum debitum: *Lugo diſp.15. n.31. Anton. a Sp. S. d.3. a num.96.*

Debent tamen infamia eſſe in utroque æqualis; nam ſi Petrus infamavit Paulum in una materia, & Paulus infamavit Petrum in pluribus materiis; vel in una graviſſima, tunc Paulus teneretur ad reſtitutionem famæ, uſque dum ſervetur æqualitas. Præterea obſervare eſt, quod etiamſi uterque æqualiter ſe infamaverint, uno volente famam reſtituere, & alter teneretur reſtituere; nam compenſatio non habet locum, invito alio. Ita ſi debeo centum aureos Petro, & iſte habeat apud ſe meum adamantem ſimilis valoris, volente me ſolvere centum, quos debeo, Petrus debet mihi adamantem reſtituere, alias poſſet me cogere ad vendendam rem meam. Advertendum etiam, quod, licet poſtquam duo ſe æqualiter infamaverint, poſſit habere locum compenſatio, ſi neuter velit famam reſtituere, nihilominus non licet infamare ſuum detractorem. Ratio eſt, quia alterum infamare non eſt medium proportionatum ad recuperandam propriam famam, unde non eſſet niſi vindicta. Solum id licitum redderetur, quando defectus alias verus, qui objiceretur infamatori, deſerviret ad infringendam illius fidem; nam tunc ipſum infamare eſſet propriæ famæ defenſio.

Q. III. An qui non poteſt famam reſtituere, teneatur illam pecuniis compenſare.

Affirmant non pauci Theologi, ſed non minus probabilis eſt contraria ſententia; etenim Juſtitia ſolum obligat vel ad reſtitutionem rei ablatæ, vel ad æquivalens. Dum agitur de fama reſtituenda, pecunia non eſt res ablata, nec æquivalens; nam cum fama ſit bonum ordinis ſuperioris, ſuperat omnem pecuniæ æſtimationem, & ita ſi infamato des mille, adhuc reputare poteſt plus ſibi deberi: *Laym. l.3. ſect.5. tr.5. p.2. c.7. n.3. Reginal. l.10. n.242. Navar. cap.17. n.92. Filiuc t.2. tr.32. c.10. n.239.* Solum detractor teneretur infamato pecuniam erogare poſt ſententiam Judicis; ſicut enim iſte poſſet illum punire exilio, carcere &c. ita & poſſet obligare ad dandam pecuniam infamato; & cum ſententia eſſet juſta, teneretur detractor illi ex juſtitia obtemperare. Item detractor teneretur dare pecuniam infamato, ſi cum eo paciſceretur de aliqua pecunia ſolvenda ut juſtam querelam deponeret, vel cederet juri de ſatisfactione petenda; & cum tale pactum eſſet juſtum, ex Juſtitia obligaret.

Aliqui etiam admittunt infamatum poſſe pecunia ſibi compenſare injuriam in fama ſibi illatam. Ad id autem probandum admittunt non poſſe habere locum compenſationem, quando creditum eſt tantum probabile, quia tunc acciperetur certum pro incerto. At volunt poſſe dari compenſationem, quando creditum eſt certum, & ſolum probabilitatis verſatur circa modum ſe compenſandi, an ſcilicet liceat ſe hoc, vel illo modo compenſare. In caſu autem noſtro debitum reſpectu detractatoris eſt, certum, quia infamavit, & conſequenter eſt certum creditum infamati; cum ergo probabile ſit poſſe ſe pecunia compenſare, cur non poterit id præſtare? Et quidem tunc pro credito certo aliquid certum acciperet, quod non videtur importare illam deordinationem, quæ ſequitur, quando creditum non eſt apud omnes probabilius, ſed tantum mere probabile, adeoque incertum.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quamvis non improbabile multi dicant eſſe ſufficere, ſi detractor reſtituat famam apud immediatos auditores; nihilominus ego Confeſſario aliud in praxi faciendum ſuaderem, ſi detractor alterius læſit famam apud viros, de quorum ſecreto dubitabat, nam re vera apud illos detrahendo fuit cauſa ulterioris infamiæ. Ad eum modum quo, qui partem alicujus domus incendit, tenetur de toto damno, ſi ob combuſtionem illius partis & aliæ fuerunt combuſtæ. Poſſet ergo ſe retractare ſaltem in loco publico, ubi ſciret eſſe plures, apud quos pervenerit detractio a ſe primo facta ſolum apud aliquos & ita etiam apud mediatos auditores famam reſtituere.

II. Quia noſtris temporibus ſummopere crevit malitia, multoties ex ipſa retractatione augetur infamia illius, de quo fuit facta detractio. Id autem ſequitur, quoties ex retractatione potius inferunt auditores detractorem vera dixiſſe, & modo ſe retractare potius conſcientia ſtimulante, & ob imperium Confeſſarii. Hinc neceſſaria eſt magna prudentia in Confeſſario, dum edocere debet ſuum Pœnitentem de modo ſe retractandi; nam ille modus, qui poſſet eſſe proficuus apud rudes, poteſt potius eſſe noxius apud doctos, & peritos. Videat ergo Confeſſarius, an potius expediat tacere, & non exprimere retractationem, & ſolum occaſionibus oblatis ex animo, ſerio, & ſine illo retractationis ſigno bene loqui de læſo; laudare illius virtutes; agere cum illo honorifice, & aſſerere eſſe virum probum, honeſtum &c.

III. Item obſervet Confeſſarius, an infamia ſit oblivioni mandata; nam refricare memoriam ejus, quod forte fuerat oblitum, potius eſſet nova injuria infamati. Id autem maxime ſolet habere locum, dum audiuntur confeſſiones generales, & pœnitentes ſe accuſant de detractionibus olim factis ſine famæ reſtitutione, vel ſaltem non recordantur ſe reſtituiſſe. Si igitur præſumi poſſit infamiam jam abolitam eſſe, Confeſſarius non obliget pœnitentem ad ſe retractandum, ne iterum reviviſcat memoria crimininis jam obliti.

IV. Moneat ſerio Confeſſarius ſuum pœnitentem de obligatione famam reſtituendi. Edoceat quod ſi falſum crimen impoſuit, tenetur etiam cum juramento ſe retractare; & ſi neceſſarium ſit, puto cogendum eſſe ad adhibendos etiam teſtes, ut fama reſtituatur: numquam etenim ſatis percepi hoc medium eſſe adeo extraordinarium, ut nulla ſit obligatio tali medio utendi ad famam reſtituen-

dam

ctam. Si vero verum crimen dixit, ſed quod erat occultum, edoceat quomodo ſine mendacio poſſit etiam dicere: *mendacium dixi: dixi quod neſciebam: falſum protuli.* His modis famam reſtituendi uti poteſt, quando nulla alia ſuppetat via reſtituendi ut ſi non ſatisſit dicere: *male loquutus ſum: quod dixi, dicere non poteram &c.*

V. Advertat Confeſſarius alios e contra ſcrupuloſiores eſſe in detegendis aliorum culpis, quando ſaltem ex charitate omnino eſſent detegendæ. Hinc videmus multos retrahi a manifeſtanda infidelitate famulorum, & famularum, vel illorum pravos mores, ne, ut dici ſolet, panem amittant, quando alias dictaret omnino hæc eſſe manifeſtanda ad removendum aliorum damnum vel temporale, vel ſpirituale. Ita pariter manifeſtandi ſunt pravi mores ſociorum, inhabilitas Artificum, Miniſtrorum: ignorantia Medicorum, Judicum, Advocatorum, & Confeſſariorum, ſicut etiam ſi hi laxi ſint, & palpones; ſemper etenim magis expedit Innocentium bono conſulere, manifeſtando vitia quæ poſſunt aliis, & multo magis bono communi officere, quam illa cum aliorum detrimento occultare, ut dixi etiam capite ſuperiori.

VI. Quamvis Confeſſarius ſequi poſſit illam opinionem, quo ſcilicet fama non ſit pecunia compenſabilia; nihilominus ſi perſonæ infamatæ ſint pauperes, optimum erit conſilium, ſi pœnitenti detractori imponat in ſatisfactionem aliquam pecuniam ſolvere in beneficium infamati.

VII. Ultimo, Confeſſarius non deſinat graviter redarguere ſuos pœnitentes, ſi peccatum detractionis non abhorreant; ac ipſos edoceat quam difficiliter reparantur damna, quæ vel in ſama, vel in bonis fortunæ ex detractione ſequuntur. Ipſos etiam dimittat ſine abſolutione, ſi poſtquam prima vice fuerunt moniti, famam, aliaque damna temporalia non reſtituerint. Item ſi aliquem libello famoſo infamaverunt, videant, ut alio libello famam reſtituant, ſi obtinere velit abſolutionem.

CAPUT IV.

De Secreto, Judicio Temerario, Dubio, Opinione, & Suſpicione.

QUia non raro detractio ortum habet a Secreto non ſervato, Judicio temerario, Dubio &c. hinc credo Theologos occaſionem ſumpſiſſe de hujuſmodi agere in præſenti Tractatu.

Q. I. Quot modis Secretum contingat.

R. Triplex Secretum in præſenti diſtinguitur. Primum eſt, ſi quis caſu, vel induſtria alterius novit ſecretum, vel ipſi aliquid fuit revelatum ex animi levitate, abſque promiſſione ejuſdem ſecreti ſervandi. Exemplificatur hoc ſecretum in eo, qui aliquo ex modis prædictis ſcivit ubi aliquis occultaverit ſuas pecunias, novit alterius delictum, vel defectum; ſecretum Principis penetravit &c. Secundum eſt, quando aliquis, licet non requiſitus, promiſit ſervare ſecretum de re, quæ ex natura ſua non inducebat obligationem ſecreti. Tertium eſt ſecretum commiſſum, & ſimul promiſſum, ſcilicet quando quis mihi manifeſtavit aliquid ſub ſecreto, & ego promiſi me illud ſervaturum. Iſtud autem ſecretum poteſt committi tacite, & expreſſe. Tunc committitur tacite, quando ex circumſtantiis conſtat alium mihi rem ſub ſecreto committere, quamvis id non exprimat verbis, & ego eodem modo accepto. Tunc vero dicitur expreſſe commiſſum, & promiſſum, quando aliquis verbis mihi commendavit ſecretum & ego eodem modo promiſi illud ſervare.

Q. II. Quomodo peccet, qui non ſervat ſecretum.

R. I. Eſt peccatum mortale non ſervare ſecretum, quod ex natura rei ſequitur, quoties ex illius revelatione læditur is, cujus eſt ſecretum. Ratio eſt, quia unuſquiſque jus habet, ut ſibi ſervetur ſecretum, quod ex natura rei debet ſervari; ſi ergo reveletur per actionem injuſtam læditur jus alterius, & ſi hoc fiat in materia gravi, non poteſt non eſſe peccatum mortale. Ex hoc autem, ut de ſe patet, oritur obligatio compenſandi quæcumque damna, quæ ex tali revelatione ſequerentur.

R. II. Si ſecretum fuit promiſſum de re, quæ de ſua natura non expoſcebat ſecretum, obligat juxta intentionem promittentis. Si ergo aliquis intellexit ſe obligare ex urbanitate, fidelitate &c. non vero ex juſtitia, non tenebitur ſub gravi ad ſecretum. Quod ſi aliquis promiſit ſecretum, intendendo ſe obligare ſub gravi, & talis promiſſio fuit acceptata, tunc obligatio ſervandi ſecreti eſſet ſub gravi. Hoc autem dignoſci poteſt animadvertendo, ſi dum aliquis promiſit ſecretum, interrogatus fuiſſet, an intellexiſſet ſe obligare ſub gravi, adnuiſſet, vel non. Si adnuiſſet, & aliunde materia erat gravis, ſignum eſt ſe voluiſſe obligare ſub gravi, adeoque ex juſtitia. Si vero non adnuiſſet, judicandum eſt ſolum ſe obligaſſe ſub levi, adeoque ex urbanitate, ſeu fidelitate: *Lugo diſput. 14. ſect. 9. numer. 140.*

R. III. Si ſecretum fuit commiſſum implicite, vel explicite, & ſimul promiſſum, dum ſit de re gravi, obligat ex juſtitia commutativa ad ſui obſervantiam ſub mortali. Ratio eſt, quia in hujuſmodi ſecreto ſervando intercedit quaſi contractus oneroſus hoc pacto: Qui exponit ſuum ſecretum ſubit onus illud revelandi ſub conditione tamen, ut ille cui revelat tale ſecretum, non manifeſtet, & iſte promittit non revelare, cum ergo primus ſubierit onus ex parte ſua revelandi ſuum ſecretum, tenebitur alter ex juſtitia ſtare conditioni, ſub qua revelatum eſt: *Lugo n. 139. Sanch. lib. 6. conſ. c. 6. dub. 1. n. 4. Bonac. diſp. 1. q. 3. p. unic.*

Q. III. Quæ ſint cauſæ excuſantes a peccato, ſi reveletur ſecretum.

Q. I. Quando ſecretum fuit promiſſum, & non commiſſum, tenetur quis illud revelare, ſi juridice interrogetur, ſecus ſi fuit promiſſum, & commiſſum. Prima pars probatur, quia, ſi ſecretum fuit tantum promiſſum, jam ſecretum de re, quam quis tenebatur manifeſtare, maxime interrogatus a legitima poteſtate; unde ex ſua promiſſione non poteſt illud occultare, alias faceret rem injuſtam, & illicitam. Exemplum ſit in eo, qui erat præſens, dum commiſſum fuit aliquod delictum, & promiſit illud non manifeſtare. Certe ſi de hoc legitime interrogetur, tenetur illud manifeſtare, neque enim vi promiſſionis factæ, etiam juratæ, poteſt ſe eximere ab eo revelando; nam promiſſio etiam jurata non poteſt illum obligare ad aliquid injuſtum, ſcilicet ad non revelandum quod de ſua natura erat revelabile. Ratio ſecundæ partis eſt, quia eſt de jure naturæ, ut ſervetur ſecretum commiſſum, & promiſſum, unde non poteſt revelari etiam Judici; nam Judex non poteſt abrogare jus naturæ, neque intelligit interrogare contra id, quod eſt de jure naturæ. Hinc etiam præſtito juramento de veritate dicenda, qui aliquid ſcit ſub tali ſecreto poteſt abſolute negare ſe illud ſcire, ita reſpondendo juxta mentem interrogantis, qui non intelligit interrogare de re, quæ ex jure naturæ non poſſit revelari. Dixi, eſſe de jure naturæ ſervare ſecretum commiſſum, & promiſſum, nam ratio naturalis dictat, quod, ablata obligatione ſervandi hujuſmodi ſecretum, infinita incommoda ſequerentur, nihil enim manifeſtaretur vel ad petendum conſilium, vel ad levamen magnis doloris &c. *Lugo n. 141. Bonac. a n. 9.*

R. II. Quodcumque ſecretum poteſt ſine peccato manifeſtari, quoties quis ad id adigeretur metu mortis, vel alterius magni damni. Ratio eſt, quia nemo cenſetur ſe voluiſſe obligare ad alterius ſecretum ſervandum cum gravi ſuo incommodo. Limita hanc doctrinam, ſi ex manifeſtatione ſecreti bonum publicum periclitaretur. Hinc Secretarii tenentur ſervare ſecretum Principis, etiam cum vitæ diſpendio, quoties bonum Civitatis periclitaretur; & miles tenetur ſervare ſecretum ſui Ducis, ſi ex manifeſtatione clades exercitus immineret. Secus ſi manifeſtatio leviter bono publico officeret; nam nemo cenſetur ſe obligaſſe ad ſecretum cum tanto incommodo ob leve malum removendum: *Sanch. l. 2. conſ. c. 6. d. 2. n. 5. Trull. l. 7. c. 10. d. 32. n. 9.*

R. III. Poteſt non obſervari ſecretum, quando juſta cauſa excuſat ab ejus obſervantia. Prima cauſa eſt damnum commune, quod ſequeretur, niſi manifeſtaretur ſecretum; nam tunc Charitas dictat eſſe manifeſtandum. Secunda cauſa eſt damnum Innocentis; nam Charitas dictat non ſervandum eſſe alterius ſecretum cum damno Innocentis. Tertia cauſa eſt damnum ipſius, qui commiſit ſecretum; nam ſi obſervantia talis ſecreti cedit in ipſius damnum, tunc non eſt ſervandum, quia contrarium expoſcit Charitas, etiamſi ipſe inſiſteret pro illius obſervantia. Id maxime habet locum, quando neceſſe eſt manifeſtare ſecretum, ut eruatur a peccato ille, qui ipſum commiſit; nam tunc eſt manifeſtandum quantum ſat eſt ut corrigatur; *Molin. d. 36. Reginal. lib. 24. nu. 312.* Alia

cauſa

Google

cauſa manifeſtandi ſecretum eſt voluntas præſumpta, ſeu interpretativa illius, qui ſecretum commiſit. Id autem rationabiliter præſumitur, quoties ille, cui commiſſum eſt ſecretum, eſt in talibus circumſtantiis, ut ſi poſſet petere licentiam manifeſtandi ſecretum ipſi concederetur.

Q. Quando quis excoſetur a peccato gravi, ſi revelet ſecretum.

R. Prima cauſa excuſans a gravi culpa eſt parvitas materiæ, ſi ſcilicet res, quæ ſub ſecreto committitur, non eſt tanti momenti, ut poſſit inducere gravem obligationem. Secunda cauſa excuſans a gravi culpa eſt, ſi reveletur ſecretum uni, vel alteri viro prudenti, qui religioſe ſecretum ſint ſervaturi, ſemper cum ex tali revelatione non ſequatur infamia, vel aliud detrimentum illi, qui commiſit ſecretum. Ratio eſt, quia parum refert, ſi ab uno, vel altero ſciatur, qui illud ſub æquali ſecreto ſint ſervaturi: *Lugo diſp. 14. ſect. 9. n. 147. Azor. 3. p. l. 13. c. 31. d. 3. Trull. n. 3.* Hoc tamen intelligendum eſt, dummodo ſecretum non reveletur uni illorum, cui certo vel probabiliter credatur nolle manifeſtari ab eo, a quo fuit commiſſum; ſi in eo enim concurrant ſpeciales rationes, ob quas noluerit illi manifeſtari, gravis injuria illi irrogatur revelatione ſecreti. Tertia cauſa eſt imperfecta advertentia, & deliberatio; ut ſi quis revelet ſecretum, quia non recordetur ſufficienter fuiſſe ſibi ſub ſecreto commiſſum, vel quia non ſatis advertit eſſe rem magni momenti. Si tamen quis dubitet, an res ſibi commiſſa fuerit ſub ſecreto, vel an ſit parvi momenti, necne, debet ſervare ſecretum, ne ſe exponat periculo irrogandi proximo gravem injuriam.

Q. V. An liceat exquirere alterius ſecretum; vel alterius literas aperire.

R. I. Inquirere alterius ſecretum de re gravi eſt ex genere ſuo peccatum mortale. Ratio, quæ communiter affertur, eſt, quia unuſquiſque jus habet, ut ipſe ſolus ſciat ſuum ſecretum, vel ſolum ille, cui voluerit communicare; ſi ergo violetur tale jus in materia gravi, erit peccatum mortale ex genere ſuo. Nihilominus illæ cauſæ, quæ, ut ſupra dixi, excuſant a peccato mortali revelationem ſecreti commiſſi, poſſunt etiam excuſare a tali peccato revelationem iſtius ſecreti. Hinc ſi reveletur uni, vel alteri alterius factum, vel res ſecreta, qui obſervabunt quidem, ſed tacebunt, non erit peccatum grave; oportet tamen ex revelatione talis ſecreti non poſſe illius infamiam derivare, vel grave pati damnum. Item oportet obſervare, quod aliquia ex illis non ſit ex illis, quibus ſpecialiter, vellet non manifeſtari. Poſitis præfatis conditionibus, neque erit mortale, ſi aliquis inquirat alterius ſecretum animo apud ſe illud retinendi. Licite demum, & laudabilitar exquiritur alterius ſecretum, quando id expoſcit neceſſitas. Si v. g. agatur de conferendo beneficio, de eligendo Parocho, Gubernatore &c. de contrahendo matrimonio, licitum eſt inquirere de moribus etiam perſonarum. Cæterum ea, quæ ita de his perſonis innoteſcunt, ſub ſecreto ſervanda ſunt.

R. II. Eſt peccatum mortale contra juſtitiam aperire literas clauſas, & ſigillatas, vel legere etiam apertas, ſi reperiantur in loco ſecreto, vel etiam in loco publico, dum caſu ibi ceciderunt. Ratio eſt, quia unuſquiſque jus habet ad ſuum ſecretum, ſive verbis prolatum, ſiva ſcriptis mandatum, ſive factis exequutum; unde non poteſt ſine gravi ipſius injuria tale jus in materia gravi violari. Dixi, vel etiam in loco publico &c. nam ſi præter intentionem ibi ceciderunt, adhuc illius Dominus intendit illas ſub ſecreto manere: *Lugo diſp. 14. ſect. 9. n. 18. & 150.* Secus ſi Dominus illas in forum publicum projecerit, quia tunc cedit juri ſuo. Idem etiam plures DD. dicunt verificari, dum Dominus in minutas partes laceraverit, & in locum publicum projecerit; nam tunc etiam videtur ceſſiſſe juri ſuo, & pro derelictis ſuas literas habuiſſe; *Lugo loc. cit. Laym. l. 3. ſect. 5. tr. 3. p. 1. c. 4. n. 4.*

Aſſignantur plures caſus, in quibus non eſt peccatum mortale, vel etiam nullum peccatum alienas literas legere. Primus eſt, ſi Prælatus expediens judicet aperire literas ſubditorum (dummodo ad illum non mittantur a Superiori Prælato) ſi illas etenim legat, utitur jure ſuo. Secundus, ſi poteſt præſumi illum, qui mittit literas, vel illum ad quem mittuntur, contentos eſſe, ut literæ aperiantur. Tertius, ſi ſciatur literas nihil grave continere; tunc etenim alterum ob parvitatem materiæ non erit grave peccatum. Quartus, ſi ab aliquo intercipiantur literæ ad propriam defenſionem, quia ſcilicet valde probabiliter judicetur aliquid in illis poſſe contineri, quod cedat in proprium damnum. Ita excuſatur qui ad ſuum damnum præcavendum intercipit literas ſui inimici; Gubernator ſi judicet expedire Reipublicæ, & bono communi aperire literas ſuorum civium, vel aliorum; & Dux ſi intercipiat literas hoſtium ad eorum ſecreta cognoſcenda. Verum tamen eſt, ſolum legi poſſe ea, quæ pertinent ad finem, ratione cujus indagatur alterius ſecretum; *Sanch. l. 2. conſ. l. 6. c. 2. d. 3. n. 3. Navar. in Man. c. 18. n. 55. Bonac. d. 2. q. 2. p. unic. n. 5.*

Q. VI. Quid ſint, & in quo differant Judicium Temerarium, Dubium, Opinio, & Suſpicio.

R. I. Judicium Temerarium illud dicitur, quod ex levibus indiciis concipitur de alicujus gravi peccato; neque enim poteſt dici temerarium illud judicium, quod concipitur ex juſtis, & ſufficientibus cauſis, tunc enim eſt rationi conſonum. Dantur quandoque aliqui gradus, antequam perveniatur ad judicium. Primus gradus eſt dubium ſeu dubitatio, quando ſcilicet animus eſt pendulus inter rationes utriuſque partis, & nulli parti adhæret. Suſpicio, quæ eſt ſecundus gradus, non importat aſſenſum determinatum uni parti, ſed nihilominus incipit animus inclinare potius ad unam partem, quam ad aliam. Tertius gradus eſt opinio, qua aſſentimur determinate uni parti, cum formidine tamen quod poſſimus errare. Hinc ex parte continet dubium; nam cum talis aſſenſus non excludat omnino formidinem de oppoſito, adhuc dubium habet ſuum locum; dicimur etenim dubitare de iis, de quibus non ſumus certi. Judicium denique, ut dictum eſt, importat aſſenſum determinatum, & certum, quod certo aliqua res ita ſe habeat &c.

Quamvis detur aliqua diſtantia inter dubium, ſuſpicionem, & opinionem, unde majora indicia requirantur ad hoc, ut ſuſpicio, & opinio non ſint temerariæ, quam ut non ſit temerarium dubium, quod nullum importat aſſenſum, nihilominus DD. promiſcue de his loquuntur propter parvum diſcrimen, quod inter hujuſmodi reperitur; & quod dicunt de ſuſpicione temeraria & peccaminoſa, idem dicunt de dubitatione.

Q. VII. Quando Judicium ſit temerarium, & graviter peccaminoſum.

R. I. Judicium dicitur temerarium, quando formatur ex conjecturis, & indiciis, quæ non moverent hominem prudentem ad ita judicandum. Si ergo indicia, & conjecturæ non ſint leves, ſed tales, quæ remota paſſione, movere poſſent quemcumque virum prudentem ad judicandum, utique tale Judicium non eſt temerarium, neque ullus conqueri poteſt, ſi de illo male judicetur; nemo enim poteſt dicere violari jus, quod de ſe non male judicetur, quoties habentur indicia ſufficientia ad male de illo judicandum. Notat autem S. Thomas 2. 2. *q. 60. art. 3.* judicium temerarium præcipue ex tribus capitibus provenire. Primo, quia ille, qui judicat, malus eſt, adeoque alios judicat qualis ipſe eſt, dicente Spiritu S. Eccleſ. 10. *In via ſtultus ambulat, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat.* Secundo, ex eo quod aliquis male erga alios afficiatur; ſicut enim excuſare ſolemus, quantum poſſumus, quos diligimus, ita facile male judicare de iis, quos odio habemus. Tertio, judicium provenit ex longa experientia; unde ſenes, qui plurima peccata, & ſcelera viderunt, facile ſuſpicantur alios errare. Ex hoc ultimo capite potius minuitur malitia judicii; ex duobus vero ſuperioribus augetur, quia demonſtrant perverſitatem affectus.

R. II. Si judicium ſit firmum, & certum reſpectu determinatæ perſonæ; ſi ſit de materia gravi cum plena advertentia ex parte intellectus, & plena libertate ex parte voluntatis; ſi denique ſit in judicando arbitrio prudentum gravis temeritas, tale judicium non poteſt excuſari a peccato mortali. Ratio eſt, quia non poteſt non eſſe gravis injuria, & contemptus, aliquem æſtimare ſine cauſa improbum; ſicut igitur ex hac cauſa non poteſt a gravi culpa excuſari, qui falſum crimen alteri impingit, licet ſit apud unam tantum perſonam; ita dicendum in caſu noſtro, nam qui temerarie judicat apud ſe veluti crimen falſum alteri imponit: D. *Th. 2. 2. q. 60. art. 3.*

Oportet tamen intervenire conditiones enunciatas initio

tio hujus reſponſionis. Hinc non peccat graviter, qui aliquod crimen in mente ſua opponit perſonæ indeterminatæ; ut ſi aliquis videndo hominem a longe, nec agnoſcendo quis ſit, eum judicaret furem; nam ſemper cum judicium non ſit de perſona determinata, judicio prudentum gravis non irrogatur injuria. Excipe, niſi judicium temerarium fieret de aliqua Religioſa Communitate, temere judicando in ea committi gravia ſcelera; nam tunc fieret gravis injuria Communitati. Item non eſt grave peccatum temere judicare de aliquo defectu, ſeu culpa parvi momenti. Advertere tamen eſt, quod ſicut aliquando in detractione materia de ſe levis gravis reputatur in ordine ad aliquam perſonam, & materia de ſe gravis eſt levis in ordine ad alios; ita eadem regula attendenda in judicando, quando materia ſit levis, & quando gravis in ordine ad judicium temerarium, adeoque recolenda ſunt, quæ ſupra diximus de detractione.

Cum pariter judicium temerarium non ſit grave peccatum, niſi arbitrio prudentum in eo contineatur magna temeritas, hinc non erit peccatum grave ſi quis habens indicia ſufficientia ad ſuſpicandum, ulterius judicet certum mortaliter eſſe id, de quo fuit ſuſpicatus; nam habens indicia ſufficientia ad ſuſpicionem, adeoque quæ reddant rem veroſimilem, & valde probabilem, non judicat ex magna temeritate, ſi talem rem reputet certam moralitet; cum maxime certitudo moralis ſemper conjunctam habeat aliquam formidinem. Exemplum ſit in eo, qui videndo puellam in loco ſecreto, vel obſcuro cum adoleſcente, certo moraliter judicaret inter ſe turpiter agere; iſte etenim non judicat cum gravi temeritate, cum habeat indicia ſufficientia ad reddendum peccatum valde probabile.

Judicium denique temerarium in materia gravi deſinit eſſe mortiferum, ſi deſit plena advertentia, vel plenus voluntatis conſenſus. Ubi notandum, quod ad grave peccatum non ſufficit, ſi quis advertat ſe prave de alio judicare; ſed ulterius debet advertere ſe prave de alio judicare in materia gravi ſine indiciis ſufficientibus: *Lugo diſp. 14 ſect. 2. n. 26. Bonac. d. 2. q. 7. p. 8.*

Q. VIII. Quale peccatum ſit ſuſpicio, dubium, & opinio temeraria.

R. I. Suſpicio, Dubium, ſeu Opinio temeraria orta ex malevolentia, odio, invidia &c. ſunt peccatum mortale, ſi verſentur circa materiam gravem. Ratio eſt, quia quo ad judicandum de gravitate injuriæ necne, ſtandum eſt arbitrio prudentum; temerarie autem ſuſpicari in materia gravi ex malevolentia, invidia, & odio, reputatur a prudentibus gravis injuria; nam qui ita ſuſpicatur non ſuſpicatur ex errore, & fragilitate, ſed ex malo animo, ut proximum contemnat, pro vili habeat, & ne eugatur in ſuo corde illum ſibi prælerre: *Leſſ. l. 2. cap. 29. d. 3. n. 21.*

R. II. Suſpicio, Dubium, ſeu Opinio, licet temere fiant, nihilominus ſi oriantur ex errore, vel humana fragilitate, non ſunt peccatum mortale, quoties non ſint de delictis graviſſimis, vel verſentur circa perſonas excellentes, ſeu valde probas & religioſas. Ratio reſponſionis ea eſt, quia cum ſuſpicio, vel opinio non certe judicent malum de proximo, eo quod qui ſuſpicatur credit aliter eſſe poſſe, non inferunt gravem contemptum, & injuriam proximo, adeoque hujuſmodi ſuſpiciones ſunt tantum leve peccatum: *S. Th. 2. 2. q. 60. art. 3.* E contra quis non videat reputari graviſſimam injuriam ſine ſufficienti fundamento ſuſpicari de aliquo graviſſimum crimen; ut ſi ſuſpicetur eſſe hæreticum, Patriæ Proditorem &c.? Certe homines ægrius ferunt, ut de ipſis fiant hujuſmodi ſuſpiciones, quam ſi fieret de ipſis certum judicium de alio gravi delicto. Pariter quis non videat eſſe gravem injuriam temere ſuſpicari e. g. de Prælato S. Eccleſiæ eſſe fornicarium, ac eamdem ſuſpicionem habere de viro bono, & non exiguæ probitatis? *Azor. p. 3. l. 13. cap. 11. d. 3. Reginal. l. 24. n. 27. Lugo n. 14*

Q. IX. Quomodo dubia ſint interpretanda; & tunc maxime quando agitur de aliquo damno vitando.

R. I. Dubia in ordine ad proximum, poſſunt dupliciter interpretari. Primo negative, ſuſpendendo ſcilicet Judicium, & nolendo aliquid judicare tamquam de re ad nos non pertinente. Secundo, poſitive, determinate ſcilicet judicando aliquem eſſe probum, vel improbum. Primo modo licitum eſt quodcumque dubium interpretari; nam ſemper cum non habeo rationes certo dictantes aliquem eſſe probum vel improbum, ſi aliquem judicem determinate probum, vel improbum, me expono periculo errandi; & ita melius eſt nil definire de tali perſona, & Judicium quoad eam ſuſpendere. Neque per hoc aliquis deſinit ſe habere, ſicuti debet, erga proximum; nam ex una parte propter rationes, quas habet ipſi faventes, opinaretur eſſe probum, at non vult certo judicare propter rationes, quas habet in contrarium. Si vero aliquis in dubio vult de ſuo proximo poſitive judicare, dubium in meliorem partem eſt interpretandum. Ratio eſt, quia unuſquiſque jus habet, ut ſine fundamento ſufficienti non judicetur improbus; ſemper cum autem adſunt rationes æque dictantes eſſe bonum, vel improbum, non adeſt ſufficiens fundamentum ad judicandum improbum, ergo ex ſuppoſitione quod quis velit aliquid certo de ſuo proximo judicare, violaret ipſius jus, ſi certo improbum judicaret; debet proinde potius judicare ipſum eſſe bonum. Juxta hunc ſenſum intelligendum eſt illud axioma: *Dubia in meliorem partem ſunt interpretanda:* Et *in dubio delictum non eſſe præſumendum*, ut dicitur *l. merito ff. pro ſocio*. Et S. Th. 2. 2. *q.* 60. *art.* 4. ait, quod cum pro utraque parte dubium exiſtit, melius eſt errare bene judicando, quam male judicando veritatem attingere: *Lug. diſp. 14. ſect. 2. n. 21. Bonac. d. 2. q. 7. p. 3. n. 2.*

R. II. Quando agitur de aliquo damno vitando, in dubio poſſumus nos ita externe gerere, ac ſi dubia eſſet alterius bonitas. In his igitur circumſtantiis utique propter rationes ſupra allatas non poſſumus poſitive judicare proximum eſſe malum, at poſſumus ita nos externe gerere, ut vitemus quodcumque damnum, quod poſſet nobis evenire; nam jus habemus, ut cauti ſimus in præcavendo quocumque noſtro damno, ſemper cum non ſumus moraliter certi, illud non poſſe nobis accidere. Exemplum ſit in eo, qui ſervum, vel advenam domi reciperet, quorum mores ignoraret. Certe non poſſet hos judicare fures, cum non haberet ſufficiens fundamentum ad tale judicium efformandum. Ex alia parte poſſet externe ita ſe gerere quaſi fures eſſent, claudendo &c. nam ſemper cum quis non eſt certus, damnum aliquod ſibi non imminere, habet jus illud præcavendi. Id ſignificare voluit S. Thomas, dum 2. 2. *q.* 60. *art.* 4. *ad* 3. ait, in prædictis circumſtantiis dubia eſſe in pejorem partem interpretanda, non judicando, aut definiendo, ſed ſupponendo. *Bonac. n. 3. Sanch. in Sum. l. 1. c. 7. n. 17. Leſſ. l. 2. c. 29. d. 4. a n. 43.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Si Confeſſarius, ut par eſt, interroget ſuum Pœnitentem, frequenter adinveniet in prædictis peccare potuiſſe etiam graviter. Facilis igitur fortaſſe erit in revelandis etiam rebus gravibus ſibi ſub ſecreto commiſſis iis, quibus, qui commiſit ſecretum, vellet omnino occultas. Facilis erit in legendo epiſtolas, ut aliorum ſciat ſecreta. Facilis erit in inveſtigando interrogationibus, ut dici ſolet, ſuggeſtivis, quæ ſcit aliquem habere ſub ſecreto, cui etiam fortaſſe tenetur ex juramento. Moneat ergo; ut ab his omnibus abſtineat. Quod ſi ſuus Pœnitens in judicio eſt de aliqua re interrogandus, edoceat non poſſe eam occultare, ſi illa res non fuit illi ſub ſecreto commiſſa, ſed ſolummodo ipſe promiſerit non loquuturum; & hanc tenetur revelare, quamvis juraſſet non revelaturum. E contra non poteſt manifeſtare in judicio, niſi in caſibus exceptis, quæ habet ſub ſecreto commiſſa; adeoque moneat Confeſſarius pœnitentem neutique futurum mendacem, & perjurum, ſi juramento affirmet illam rem neſcire.

II. Advertat Confeſſarius nunquam deeſſe, qui per rimulas, feneſtras, & per inſidias, maxime tempore nocturno, velint omnimode de aliorum operibus certiorari; quam ingrediantur domum; cum qua colloquantur muliere &c. Hæc omnia utique illicite fiunt, & poteſt grave intervenire peccatum, quoties exinde proveniat alicujus gravis infamia. Videat ergo Confeſſarius, ne hujuſmodi fiant a ſuis pœnitentibus, & multo magis ne ſocios adhibeant ad aliorum facta inveſtiganda.

III. Advertant Confeſſarii Virorum timoratorum, qui nimis torquentur ſcrupulis propter judicia, quæ putant temeraria, raro hujuſmodi Viros graviter ſaltem peccare. Primo, quia quamvis ipſis videatur judicare, revera tamen ſemper habent aliquam formidinem de oppoſito, unde non perveniunt ad judicium. Secundo, quia licet ipſorum intellectus per aliquod tempus moratus fuerit in expendendo cum plena advertentia motiva, &

indi-

Digitized by Google

indicia, quibus videtur inclinari ad prave de altero judicandum, nihilominus voluntas non conſenſit, nec ſimul cum intellectu amplexa fuit tale judicium. Tertio, quia quamvis judicent de aliorum operibus, non reflectunt in eo judicio adeſſe poſſe peccatum, cujus rei ſignum eſt quod ſtatim ae timent ſe poſſe peccare, conantur intellectum a tali judicio removere. Demum quia dum ipſis videtur non poſſe removere intellectum a judicando, de facto non temerarie judicant pronter rationes fere evidentes, quas habent.

IV. In Suſpicionibus temerariis non ſtatim acquieſcat Confeſſarius, dijudicando nonniſi peccatum veniale interveniſſe ex illa fere communi regula, quod ſuſpiciones temerariæ non excedunt culpam venialem. Videat, an dum ſunt de materia gravi ex odio orientur, vel invidia; nam tunc ex ſupradictis ſuſpiciones temerariæ pertingere poſſunt ad peccatum mortale: in praxi autem multoties ita ſolet accidere.

V. Bene edoceat Confeſſarius ſuos pœnitentes de modo, quo abſque judicio, & ſuſpicione temeraria poſſunt ſibi a malo præcavere, ſuſpendendo ſcilicet quamcumque ſuſpicionem, & judicium, ſed interea ita ſe gerendo, quaſi damnum immineret, dum agitur ſcilicet de perſonis, quarum probitas non ſit nota. Ita ſi habeam domi aliquem, cujus probitatem ignoro, poſſum ita cuſtodire res meas, quaſi eſſet fur. Si maritus videat aliquem non ſemel circumcurſare ante fores domus, poteſt imperare uxori, & filiabus, ut ſaltem raro ad feneſtras accedant, ſimulque prohibere eas ab illius colloquio; interim tamen poſitiva judicare non debet eo ad malum finem tranſire. Ex his facila aſt ad cæteros caſus deſcendere.

QUÆSTIO V.

De Furto.

CAPUT UNICUM.

De Furto, & Rapina.

JAm ex dictis de injuſta ablatione rei alienæ, & de ipſius injuſta detentione, ſatis conſtat obligatio reſtituendi res furatas. Remanet nihilominus de ipſo furto agere, ut examinentur caſus, in quibus revera furtum non intercedit, adeoque non eſt obligatio reſtitutionis.

Q. I. Quid ſit furtum; & in quo differat a rapina.

R. I. Furtum definiri ſolet: *Acceptio occulta rei alienæ invito Domino.* Eoquod furtum ſit acceptio *occulta*, differt a rapina; nam hæc intervenit, dum res ſurripiuntur velori ſub oculis Domini. Quamvis autem furtum dicatur *acceptio*, non proinde ſequitur non pertinere ad furtum etiam iniquam detentionem, ſeu injuſtam procraſtinationem ſolutionis; habent etenim eamdem malitiam, ac ſi res alterius accipiatur. Hujuſmodi tamen in foro externo non ſubjacent pœnis furti: unde ſi lata eſſet excommunicatio contra furem, non afficeret iniquum detentorem, qui ab initio rem alienam buna fide habuiſſet; nec injuſte procraſtinantem reſtitutionem. Præterea furtum dicitur *acceptio occulta*, ad explicandum furem fraudulenter, & doloſe ſe gerere, ne videatur a Domino, ac proinde etiam multoties quærit tenebras. Dicitur acceptio occulta *rei alienæ*. Sub nomine *rei*, venit etiam uſus, & poſſeſſio, & ita dicitur furtum committere, qui privat injuſte commodatarium uſu rei, quam habet ſibi commodatam, & Depoſitarium re, quam habet apud ſe depoſitam; nam uterque injuſte privatur commoditate, & poſſeſſione rei, ad quam jus habent: *Laym. l. 4. ſect. 5. tr. 3. cap. 1. n. 1.* Additur, *invito Domino*, ideſt *rationabiliter*, *& quoad ſubſtantiam*; ſi enim ſit invitus *irrationabiliter*, ut, ſi nollet vel quid minimum ſibi auferri ab eo, qui patitur extremam neceſſitatem; vel ſi non ſit invitus quoad ſubſtantiam, quia ſcilicet non illi diſplicet aliquam tem ſibi ſurripi, ſed ſolum modus, quo ſurripitur, non committitur furtum.

Porro dantur diverſæ ſpecies furti, ſi attendatur diverſitas materiæ. Prima eſt *peculatus*, ſcilicet furtum de rebus Reipublicæ. Secunda *plagiatus*, furtum ſcilicet Perſonæ liberæ venditæ ſcienter, vel emptæ, quatenus nempe venditur, vel emitur propter utilitatem. Tertia aſt *abigeatus*, furtum ſcilicet pecorum, & jumentorum, quæ abiguntur, ut furentur. *Hæ* ſpecies theologice non diverſificantur, quia omnes habent rationem furti, ſed ſolum diverſificantur juridice ptopter diverſas pœnas illis impoſitas. Ultima ſpecies diverſa etiam theologice eſt ſacrilegium, dum ſcilicet furantur res Sacræ; nam tale peccatum ultra malitiam furti continet etiam peccatum contra Religionem, propter contemptum ſcilicet rerum ſacrarum. Aliqui volunt furari non Sacrum de Sacro, non continere præfatam malitiam Sacrilegii; at *cap. quiſquis inventus 17. q. 4.* hoc furtum dicitur eſſe ſacrilegium, & maxime id verificatur, ſi non ſacrum erat ſub cuſtodia loci ſacri; nam tunc & ipſi loco ſacro injuria irrogatur: *Bonac. in prim. præcept. Decalogi d. 3. q. 6. unic. num. 17. Suar. tit. 1. de Relig. l. 3. cap. 4. num. 7.*

R. II. Rapina definitur; *Ablatio violenta rei alienæ.* Si igitur aliquis injuſte, Domino reluctante, & repugnante, illius rem ab ipſo aufert, dicitur proprie rapinam committere. Ex hoc videtur rapina ſpecie differre a furto, non ſolum quia continet irreverentiam circa perſonam, ſub cujus oculis, vel a cujus manibus res ipſius furatur, ſed multu magis quia magis involuntaria eſt rapina, quam furtum; nam cum illa fiat coram, in aperto, & violenter, redditur multo magis involuntaria, quam furtum, quod fit in occulto.

R. III. Furtum, & multo magis rapina, ſunt ex genere ſuo peccatum mortale; adeoque excludunt a Regno, ut dicitur *ad Cor. 6. Nec fures Regnum Dei poſſidebunt.* Et quidem ratio etiam naturalis dictat non eſſe auferendum quod alienum eſt, nec id fieri poſſe abſque injuſtitia, jus alterius ita lædendo. Nihilominus ex triplici capite furtum poteſt excuſari a peccato mortali, ob neceſſitatem ſcilicet, ob voluntatem interpretativam Domini; cum nempe rationabiliter interpretatur non eſſe invitum, ut ab eo aliqua res auferatur, & ob parvitatem materiæ.

Q. II. Quæ neceſſitas excuſet a furto, vel rapina in acceptione rei alienæ.

R. I. Ante reſponſionem quæſiti advertere eſt triplicem dari neceſſitatem, extremam ſcilicet, gravem, & communem. Extrema neceſſitas ea dicitur, quando quis ita caret neceſſariis, ut ratione talis carentiæ ſit in periculo vitæ, vel mortalis infirmitatis, vel amittendi membrum &c. Gravis neceſſitas datur, quando aliquis caret neceſſariis ad ſuum ſtatum, ac proinde eſt in periculo cadendi a proprio ſtatu, amittendi honorem, vel incurrendi gravem calamitatem, ut infamiam, carcerem, captivitatem, longam infirmitatem, licet ſine vitæ periculo, magnam famem, mendicitatem &c. Ad hanc neceſſitatem reducitur periculum peccandi ex fragilitate, ut ſi quis propter talem neceſſitatem cogitaret de proſtituendis filiabus &c. Communis neceſſitas ea eſt, quam patiuntur communiter pauperes, & alii abjectæ conditionis; & cum certum ſit in hac neceſſitate omnino illicitum eſſe aliena ſurripere, ſolum remanet difficultas de gravi, & extrema neceſſitate.

Addunt alii aliam ſpeciem neceſſitatis, quam vocant quaſi extremam, ut eſt, quando ea quæ conſtituunt neceſſitatem gravem proxime diſponunt ad extremam, vel ita moleſte feruntur, ut potius mors optaretur, quam malum ſubire. Ita ſe haberet ille Nobilis, qui potius eligeret mortem quam ad ſe ſuoſque alendos mendicare, famulari, ſuccumbere arti mechanicæ &c. Eodem modo poſſet dici pati neceſſitatem quaſi extremam, qui pateretur captivitatem, maxime cum periculo amittendæ Fidei, vel vitæ. Demum advertere aſt ad conſtituendam neceſſitatem extremam, ſeu quaſi extremam, non opus eſſe ut mala, quæ illam conſtituunt, expectentur, & jam opprimant, ſed ſatis eſſe, ut prudenter, & cum fundamento timeantur. Nam ſi e. g. expectetur vel mortalis infirmitas, vel proximum mortis periculum, fruſtra tunc vellet quis ſibi ſubvenire ex re aliena &c. His poſitis,

In extrema, vel quaſi extrema neceſſitate licitum eſt rem alienam ſurripere, quantum neceſſe eſt ad eamdem neceſſitatem evadendam. Docent id communiter DD. & probant ratione S. Th. 2. 2. *q. 66. art. 7.* quia ſcilicet cum omnes habeant a jure naturæ poſſe ſibi providere in extrema neceſſitate, & proinde omnia Deus communia creaverit, non potuit hoc auferri jure gentium, quo facta eſt diviſio, & introductum *meum, & tuum*; alias enim jus gentium poſitivum potuiſſet derogare juri naturæ, quod eſt falſum, immo jus gentium fuiſſet iniquum, ſi ab eo fuiſſet ablata facultas ſibi providendi in extrema neceſſitate.

Adver-

Advertere etiam eſt iſt idem fieri poſſe in extrema neceſſitate proximi, quando non poſſet id facere a ſemetipſo, quia debemus proximos diligere, ſicut noſmetipſos. Si vero ille, a quo volumus in tali neceſſitate aliquid auferre, ſit in eadem extrema neceſſitate, tunc non licet illi aliquid ſurripere; nam in pari caſu melior eſt conditio poſſidentis. Quod ſi non verſetur in tali neceſſitate, tunc etiam vi licitum eſt aliquid ipſi ſurripere. Item obſervare eſt, quod ſi ſpes ſit Dominum daturum neceſſaria, tunc expedit ab eo petere rem, cujus indigemus; non eſſet tamen grave peccatum ſurripere non petendo, immo nullum, ſi perſonam conſtitutam in extrema neceſſitate dedeceret mendicare: *Lugo diſp. 16. ſect. 7. num. 240. Laym. l. 3. ſect. 5. tract. 3. part. 1. cap. 1. num. 7.*

Si denique ſcire quis velit, an tranſacta extrema neceſſitate reſtituendum ſit, quod in ea fuit a Proximo ablatum, reſpondendum eſt negative, ſi res amplius non extet. Ratio eſt, quia in tali neceſſitate non ſatisfacimus noſtræ obligationi mutuando, ſed debemus facere eleemoſynam proximo in tali neceſſitate conſtituto; unde cum id quod habuimus, fuiſſet nobis tradendum in eleemoſynam, non permanet obligatio reſtitutionis. Dixi tamen, ſi res non extet, nam ſi adhuc extet, ſignum eſſet ad evadendam extremam neceſſitatem ſolum neceſſarium fuiſſe uſum rei alienæ: unde poſtquam ea uſi fuimus, eſt Domino reſtituenda. Exemplum ſit in eo, qui ad vitandam mortem, uſus eſt equo Sempronii, certe poſtquam evaſit periculum mortis tenetur Domino reſtituere.

R. II. Gravis neceſſitas non excuſat a gravi culpa, ſi res aliena ſurripiatur. Non pauci docuerunt contrarium, ſed ipſorum opinionem damnavit Innocentius XI. dum ſub *n.* 36. ſequentem damnavit propoſitionem: *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* Ratio eſt, quia lex naturæ dictat eſſe illicita omnia ea, quæ etſi in caſu perraro concederentur, nam aperiretur via multis ſceleribus, & valde communis pax perturbaretur. Hinc eſt illicita ſimplex fornicatio etiam in caſu, quo proles agnoſceretur a Parentibus; ut eſſet probe educanda; nam ſi in tali caſu eſſet licita, facile homines præ paſſione ſibi perſuaderent ſemper aliquo modo poſſe ſubvenire bono prolis, & ita ſemper, vel fere ſemper ſibi putarent licitam fornicationem. Pariter hac etiam ratione numquam licet occidere Judicem, a quo certo injuſta imminet ſententia, aut calumniatorem, etiamſi innocens putet non poſſe alia via ſuum graviſſimum damnum vitare; quia ſcilicet hoc modo præ hominum paſſione, & malitia via multis homicidiis aperiretur. Opiniones contrarias damnavit Alexander VII. ſub num. 17. & 18. Item una ex rationibus, ob quas damnatæ fuerunt ab Innoc. XI. propoſitiones 43. & 44. quibus affirmabatur non eſſe grave peccatum ad propriam defenſionem imponere detractori falſum crimen, eſt, quia magnum oſtium aperiretur detractionibus, & calumniis; nam facile unuſquiſque judicaret id ſibi neceſſarium eſſe ad propriam defenſionem.

Cum igitur lex naturæ dictet numquam concedendum quod ſi in aliquo caſu admitteretur, aperiretur via multis peccatis, hinc conſtat etiam dictare nequaquam licitum eſſe furari in gravi neceſſitate. Ratio eſt, quia ſi quandoque licitum eſſet furari in gravi neceſſitate, id maxime verificaretur, quando evidenter conſtaret illum, a quo conſtitutis in gravi neceſſitate vellet furari, habere ſuperflua proprio ſtatui, nec alios eſſe conſtitutos in eadem gravi neceſſitate; nam ſi non habeat ſuperflua proprio ſtatui, vel alter ſit, cui vellet facere eleemoſynam, habet libertatem illam dandi cui vult. At neque debuit eſſe licitum in iſto rariſſimo caſu furtum; nam facile multi aliquibus anguſtiis preſſi ſibi perſuaderent ſe eſſe in gravi neceſſitate, & divitem ipſis determinare debere ſuccurrere, ac ita decepti a propria paſſione quampluribus furtis, aliiſque proinde inconvenientibus lata via aperiretur.

Q. IV. Quando furtum excuſetur a peccato mortali ratione parvitatis materiæ.

R. Parvitas materiæ in furto non ſolum eſt conſideranda in ſe, ſed etiam reſpectu perſonæ, cui aliquis furatur. Et ratio eſt, quia peccatum eo gravius dicitur, quo majus infert nocumentum, quia tunc major eſt injuſtitia, & magis eſt involuntarium reſpectu illius, qui patitur nocumentum. Cum ergo quod reputatur grave nocumentum reſpectu pauperis, ſeu mediocris perſonæ, poſſit eſſe valde leve reſpectu Principis, & magni divitis, hinc eſt parvitatem, vel gravitatem materiæ in furto penſandam eſſe etiam reſpectu diverſarum perſonarum. Hoc ſuppoſito, Theologi quamplures volunt eſſe peccatum mortale, ſi perſonæ particulari etiam diviti auferantur quatuor Julii, & Principi unum aureum. Ratio eſt, quia hæc materia in ſe non eſt levis, & aliunde eſt apta afferre grave nocumentum; nam quamvis divites, & Principes plures poſſideant divitias, habent etiam magna onera, & magnas expenſas, pro quibus neceſſariæ ſunt multæ divitiæ: *Bonac. diſp. 2. q. 8. p. 1. n. 7. Roſignol. de reſt. 1. prænot. 5. n. 13.* Non nego tamen in hac materia Authores diverſe opinari, ut videre eſt apud *Lugo diſp. 16. n. 22. &c. Tambur. in Decal. l. 8. tr. 2. c. 2.*

Si vero perſona non ſit ex pauperibus, neque ex divitibus, grave videtur committi furtum, ſi ab ipſa auferantur tres Julii: *Donat. t. 1. p. 2. tract. 5. q. 19. n. 33.* Denique reſpectu pauperis parvitas materiæ penſanda eſt ratione nocumenti; & cum grave nocumentum poſſit eſſe reſpectu illius ablatio unius Julii, & multo minus, hic eſt etiam in parvo furto reſpectu illius adinveniri non poſſe parvitatem materiæ.

Q. V. Quale peccatum ſit repetitis vicibus a pluribus, vel ab uno materiam parvam auferre.

R. Peccat graviter, qui per plura furtula pertingit ad materiam gravem. Pro quo advertendum, quod dum plures res parvæ coaleſcunt in aliquo effectu prohibito ab aliqua virtute, vel adverſantur alicui fini a Legislatore intento, tunc quando pertingunt ad materiam gravem, committitur peccatum mortale. Ratio eſt, quia cum coaleſcant, jam conſtituunt materiam gravem, ac proinde conſurgit culpa gravis. Dicere e. g. multa mendacia levia numquam de ſe pertingit ad peccatum mortale; nam non coaleſcunt in aliquo effectu prohibito a virtute veracitatis. At pluries e. g. comedere modicum quid in die jejunii, ita ut tandem quis comederit notabilem quantitatem, eſt peccatum mortale; nam opponitur graviter fini intento a Legislatore, & a virtute Temperantiæ, ut ſcilicet in die jejunii non comedamus extra prandium, & refectiunculam veſpertinam, quantitatem ſufficientem ad valde reficiendas vires, quod ſit ſive unica vice, ſive per plures vices eodem die jejunii ſumatur quantitas notabilis cibi. Hinc doctrina contraria fuit damnata ab Alexandro VII. cum damnavit propoſitionem 29.

Hac doctrina ſuppoſita, patet eſſe peccatum grave repetitis vicibus, ſurripiendo materiam parvam, ad materiam gravem pervenire; nam omnes coaleſcunt in hoc effectu, qui eſt graviter lædere jus alterius, quod ſub gravi prohibetur a virtute Juſtitiæ: *Laym l. 3. tr. 3. p. 1. cap. 1. n. 6. Reginal. l. 23. cap. 1. n. 22. Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 21. n. 6.* Hic tamen duo advertenda ſunt. Primum eſt, quod ſi furtum committatur per diverſa furtula, ut materia dicatur gravis, debet eſſe aliquanto majori, quam ſi unica tantum vice ſurriperetur; & multo magis ſi furtula fiant relate ad diverſos Dominos. Ratio eſt, quia Dominus videtur magis invitus, ſi gravis materia unica vice ſurripiatur, quam ſi diverſis vicibus; ſicut etiam minus inviti videntur Domini, ſi furtula non facta ſint uni ſoli. Hinc aliqui volunt ad conſtituendam materiam gravem in his caſibus debere eſſe fere duplo majorem, quam ſit materia gravis, quando unica vice uni ſoli aliquid ſurripitur: *Sanch. cit. n. 10. Dian. t. 7. tr. 3. reſ. 41.* Hæc tamen doctrina valet, ſi parva furtula non facta ſint ex induſtria & animo diteſcendi; nam ſi idem Dominus, vel diverſi Domini ſcirent parum ſibi diverſis vicibus furari, ut non tam facile ſit furtum detegere, & ita major remaneat libertas ex rebus ipſorum ſurripiendi, certe eſſent valde inviti, ut ita ipſis pauca per diverſas vices ſurriperentur; adeoque tunc ad conſtituendam materiam gravem non requireretur major materia, ac ſi unica vice furtum committeretur. Idem puto dicendum, ſi, qui furatur modica ab eodem Domino, brevi temporis intervallo tam crebro modica furatus eſt, ut pervenerit ad materiam gravem; nam idem moraliter eſt quinquaginta e. g. unica vice ſurripere, ac eamdem ſummam brevi temporis intervallo furari: *Carden. diſſert. 23. c. 3. art. 4. n. 113.*

Secundo, advertendum eſt, quod ſi diverſa furtula moraliter interpolentur, non valent materiam gravem conſtituere. Tunc autem per aliquos talia furtula, non ita facta ex induſtria, nec animo diteſcendi, moraliter interpolantur, quando inter unum, & aliud intercedit

ſpatium

ſpatium 15. dierum, alii vero volunt intercedere debere ſpatium unius menſis: *Anton. a Sp. S. tr.* 10. *d.* 6. *n.*224. At mihi nunquam placuit hæc doctrina, nam videtur poſſe eſſe rationabiliter graviter invitus Dominus, quod ſibi ab eodem ſingulis menſibus duo Julii ſurripiantur. Melius, meo videri, diceretur, ſi ſaltem duorum menſium interpolatio requireretur, dum agatur de materia, quæ licet non adhuc ſit gravis, nihilominus proxima eſt materiæ gravi.

Q. VI. An ſit obligatio reſtituendi, quæ per pauca furta ablata ſunt; & quibus reſtituendum.

R. I. Certum omnino eſt dari hanc obligationem, ſi materia furto ablata gravis ſit; unde Innoc. XI. ſub n. 38. ſequentem damnavit propoſitionem: *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.* Et quidem cum grave damnum illatum ſit, ratio dictat ſub gravi eſſe reſarciendo. Puto tamen ad auferendam culpam gravem ſufficere, ſi fur tantum reſtituat, ut quod remanet reſtituendum, leve ſit; nam tunc reſtitutio reducitur ad ſtatum, in quo non obligat ſub mortali. *Sanch. in Decal. l.* 7. *c.* 21. *n.* 9. *Lugo diſp.* 16. *n.* 41. *Laym. l.* 3. *tr.* 3. *c.* 1. *n.* 6.

R. II. Qui per pauca furta ſummam gravem a pluribus abſtulit, tenetur reſtituere, meliori modo quo poteſt, iis, qui damnum paſſi ſunt. Demus e. g. aliquos plures damnificaſſe minuendo pondera, vel menſuras, ſi iſti non cognoſcant in particulari, qui fuerunt damnificati, debent emptoribus reſtituere, augendo pondera, &c. nam ita melius compenſatur damnum; certum etenim eſt illud cives, & emptores paſſos fuiſſe: *Tamb. in Decal. l.* 8. *tr.* 4. *c.* 1. *§.* 3. *n.* 19. & plures alii quos ſequitur Diana *tom.* 4. *tr.* 3. *reſol.* 172.

Q. VII. Quando furta famulorum judicanda ſint peccatum grave.

R. Tunc furta famulorum non judicanda ſunt grave peccatum, quando attenta natura rei, quam ſurripiunt, & conditione Dominorum, judicari poteſt iſtos eſſe invitos, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum, hoc eſt, ſolum ipſis diſplicere quod res clam ſurripiatur, non vero quod ſurripiatur. Hinc non facile excuſari poſſent, famuli, ſi in materia gravi ſurriperent eſculenta, & poculenta extraordinaria, & delicatoria, quæ ſibi Dominus reſervavit, & multo magis ſi ſurripiant pecunias, & alias res pretio æſtimabiles; nam quoad hæc Dominus cenſetur, ordinarie loquendo, invitus & quoad ſubſtantiam, & quoad modum. Si vero ſurripiant eſculenta, & poculenta ex his, quæ ſolent famuli, & famulæ bibere, & edere, facilius poteſt judicari Dominos eſſe invitos non quoad ſubſtantiam, ſed tantum quoad modum, ſi tamen Domini non ſint ex tenacioribus, vel permanentur anguſtiis rei familiaris: *Anton. a Sp. S. tr.* 8. *d.* 5. *num.* 234. Semper tamen crederem dominos eſſe invitos etiam quoad ſubſtantiam, quando hujuſmodi ſorriperentur a famulis ad vendendum, ludendum, ad meretricandum &c. Item nunquam mihi placuit ea oppinio qua dicitur in furtis famulorum majorem requiri quantitatem, quam in furtis extraneorum. Suppoſito etenim famulum aliquid ſurripere, Domino rationabiliter invito, potius cenſetur magis invitus in furtis famulorum, quam extraneorum; unde non video quare major requiratur quantitas in conſtituendo materiam gravem in ipſorum furtis. An vero reſpectu famulorum poſſet habere locum compenſatio, dixi in Tractatu de quarto Decalogi præcepto.

Q. VIII. Quando furta filiorum pertingant ad peccatum mortale.

R. Conſtat ex dictis, quod ſemper cum pater poſſit judicari invitus non quoad ſubſtantiam, ſed ſolum quoad modum circa ea, quæ ipſi a Filiis ſurripiuntur, iſti non peccant mortaliter. Id autem judicandum eſt attenta tenacitate, vel liberalitate ipſius Patris, attento amore erga filios, attento ſtatu ipſius domus, an ſcilicet prematur paupertate, vel divitiis abundet, & ſimilibus. Item filius excuſatur a furto, ſi cum non habeat ex ſe, ſurripiat neceſſaria ad ſuum ſtatum quoad victum, veſtitum &c. nam jus habet ut a Patre ſuſtentetur: *leg. ſi quis a liberis ff. de liber. agnoſc.* Item excuſatur, ſi ſurripiat quæ more aliorum ſuæ conditionis expenſurus eſt in licitas, ac honeſtas recreationes, in aliquas eleemoſynas &c. vel ſi aliquid ſibi retineat, quia ſuo labore, & induſtria deſervit Patri in aliquo officio, arte &c. quando, ipſo non deſerviente, neceſſarium eſſet dare ſtipendium extraneo. In hoc igitur caſu, ſi non habeat animum deſerviendi gratis, & taceat ob reverentiam Patris, poteſt ſibi retinere ex iis, quæ lucraretur, quod ſupereſſet ſuæ congruæ ſuſtentationi: *Leſſ. l.* 2. *c.* 12. *d.* 13. *Bonac. d.* 2. *qu.* 10. *p.* 1. *n.* 8. *Trull. l.* 7. *c.* 5. *d.* 7. Denique omnino excuſaretur a furto, ſi aliquid Patri ſurriperet, eo quod iſte dilapidaret bona caſtrenſia, ſeu quaſi caſtrenſia filii, quorum ipſe Filius habet proprietatem, & uſumfructum; ſicut ſi dilapidaret bona ipſius adventitia, cum ipſorum habeat proprietatem, licet non uſumfructum, ut ſuo loco dictum eſt. Præter hos caſus, ſi filius ſurripiat ex bonis paternis materiam gravem, graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem. Quod ſi non reſtituat, debet adducere in partitionem cum aliis fratribus, id quod abſtulit, niſi debitum fuerit a Patre condonatum, vel fuiſſet condonaturus ſi rogaretur.

Advertere tamen eſt, in furtis filiorum ad conſtituendam materiam gravem requiri majorem quantitatem, quam in furtis extraneorum. Sunt qui dicunt non peccare mortaliter filium furantem a Patre prædivite minus quinquaginta aureis. Alii aſſerunt non peccare mortaliter, ſi ſurripiat intra annum 20. vel 30. aureos a Patre habente 1500. aureos annuos. Alii dicunt non eſſe mortale furari tres aureos a Patre divite, bene vero a Patre mechanico &c. Unum eſt, non poſſe ſtatui certam regulam, ſed Confeſſarium attendere debere facultates domus, uſum, ad quem pecunia ſurripitur, numerum filiorum, ætatem ipſorum, amorem Patris, maxime erga illum, qui furatur &c.

Q. IX. Quid dicendum de furtis Uxorum.

R. Non peccat Uxor ſurripiendo ex bonis Mariti, ſi iſte vel expreſſe, vel tacite conſentiat; & ſi ſolum invitus ſit quoad modum, peccabit venialiter. Non peccat, ſi ſurripiat pro faciendis donationibus remuneratoriis, & etiam aliis liberalibus donationibus, & eleemoſynis, ſicut etiam pro ludis, & honeſtis recreationibus ſecundum ſuum ſtatum. Multo magis ſi ſurripiat pro comperandis rebus ſibi & familiæ neceſſariis, quando in iis maritus eſt negligens. Item poteſt abſcondere bona Viri, ſi ſit diſſipator, quia potius hoc pacto illius bono conſulit. Eadem ratione poteſt illius bona alienare ad ipſius temporale damnum avertendum; vel etiam dare eleemoſynas, & facere miſſas celebrare pro ipſius anima, ut ad pœnitentiam reducatur, ſi perdite vivat. Non peccat etiam, ſi ſurripiat ex bonis viri, quia prævidet poſt ejus mortem non conſecuturam propriam dotem, vel alia bona, quæ ad ipſam pertineant. Denique poteſt ex ſua dote, vel ex bonis, quæ habet cum Marito communia, ſuccurrere indigentiæ Patris, Matris, Filiorum ex alio matrimonio, Patrum, & Sororum &c. In præfatis igitur omnibus caſibus poteſt Uxor ſurripere de bonis prædictis, quamvis vir contradiceret, quia eſſet irrationabiliter invitus: *Lugo diſp.* 16. *a nu.* 71. *Roſ-gaol. de reſtitut.* 1. *prænot.* 9. *a.* 9. *Anton. a Sp. S. tr.* 10. *d.* 6. *a num.* 228. *Tambur. in Decal. l* 8. *tr.* 1. *cap.* 2. *§.* 3. *n.* 11. Si extra prædictos vel ſimiles caſus ſurripiat ex bonis mariti, utique peccabit, ſed in taxanda materia gravi attendendum eſt id, quod dictum eſt de furtis Filiorum.

Q. X. Quando peccet Vir, ſurripiendo de bonis Uxoris, & filiorum.

R. Peccat graviter, ſi in materia gravi ſurripiat de bonis pertinentibus ad uxorem, quæ ſolent appellari extradotalia, vel paraphernalia. Item ſi ſurripiat de bonis pertinentibus ad Filios, de quibus ſatis locuti ſumus, dum egimus de peculio Filiorum. Advertat etiam Confeſſarius graviter peccare Virum, dum ita dilapidat bona ſua, ut valde præjudicet Filiis legitimis, qui habent jus ſuccedendi in talia bona; ſicuti etiam ſi talia bona dilapidando, non remaneat unde Uxor poſſit ſuam dotem recuperare &c.

Regulæ in praxi obſervandæ:

I. Dum aliquis ſe accuſat de furto patrato, non ſtatim acquieſcat Confeſſarius audita ipſius quantitate; nam ad dijudicandum de gravitate furti, ex dictis, neceſſe eſt etiam intelligere, ſi Dominus rei furatæ erat dives, vel pauper, ſeu mediocris ſtatus.

Item interroget, an ſi unica vice rem ſurripuerit, vel pluribus vicibus. Si pluribus vicibus, interroget, an ab initio habuerit intentionem pertingendi ad materiam gravem; nam tunc ab initio ſtatim graviter peccavit, ſicut etiam ſingulis vicibus, quibus levia furtula commiſit. Si vero poſtquam pervenit ad materiam gravem, adhuc

Digitized by Google

hac proſequatur levia res furari, multi non improbabiliter aſſerunt, quod ſi non habeat animum pertingendi ad novam materiam gravem, iſta nova furtula non ſint niſi peccatum veniale, & non continuentur cum præcedenti materia gravi; quia dum in primis furtulis pervenit ad materiam gravem, conſummatum fuit primum peccatum mortale, unde nova furtula ſunt principium alterius novi peccati, quod non fit grave, niſi uſque dum perveniant ad materiam gravem. Vel etiam dici poteſt novum furtulum additum quantitati, & furto mortali, ſolummodo leviter augere damnum jam illatum, adeoque non eſſe peccatum mortale: *Paſſer. t. 1. q. 186. num. 480.*, & alii apud ipſum. Si ab initio non habuit animum ad materiam gravem perveniendi, peccabit graviter quando ad eam perveniret. Semper tamen Confeſſarius interroget ſuum Pœnitentem, an crederet ſe peccare leviter, vel graviter; nam ſicut ignorantia poteſt illum multoties excuſare, ita ex conſcientia erronea poſſet graviter peccare, etiam ubi non eſt culpa gravis.

II. Qui damnificarunt emptores minuendo pretium, vel menſuras, ſolent velle reſtituere dando aliquid pauperibus, vel pro Miſſis celebrandis. Animadvertat ergo Confeſſarius communiter docere DD. hujuſmodi reſtitutionem faciendam eſſe ſolitis emptoribus, & civilibus, nam ita melius damnum reparatur.

III. Animadvertat Confeſſarius ſæpe ſæpius uxores, & filios res domeſticas ſurripere, dicendo ita neceſſarium eſſe ad decentem veſtitum, moderatos ludos, & honeſtas recreationes. Hi tituli prima facie videntur legitimi; at bene perpendat Confeſſarius, quod dum domeſticæ facultates vix ſuppetunt; dum Domus gravatur ære alieno, & dum multi ſunt filii, & filiæ, uxori aliiſque minores competunt recreationes, & ludi, minor in veſtibus pompa &c. adeoque falſo dicunt ſurripere pro veſtibus ſibi convenientibus, vel pro ludis, & recreationibus, quæ ipſis debentur. E contra ſi injuſte mariti prohibeant convenientes eleemoſynas, aliaque uxori, & filiis debita, non puto debere Confeſſarium illos prohibere a ſurripiendis, quæ ad hujuſmodi ſunt neceſſaria; nam ex ipſorum conditione, & ſtatu conſurgit jus ad hæc obtinenda, quo jure uxorem, & filios privare non poteſt Paterfamilias.

IV. Quamvis ſit certum uxorem, & filios graviter peccare, quoties ſine juſta cauſa ſurripiant notabilem ſummam, nihilominus Confeſſarius antequam obliget ad reſtitutionem, conſiderare debet, an Paterfamilias vere potuerit eſſe invitus ſolummodo quoad modum. Item animadvertat ſi rogatus daturus fuiſſet. Item ſi condonaturus reſtitutionem, poſtquam fuerunt ablata. Hujuſmodi judicium pendet a prudentia Confeſſarii, qui debet conſiderare, ut jam dixi facultates domus, liberalitatem Patrisfamilias, & ipſius amorem erga liberos, & uxorem. Si vero, his prudenter penſatis, Confeſſarius judicet Patremfamilias daturum fuiſſe, ſi fuiſſet rogatus, ſeu condonaturum reſtitutionem &c., tunc liberare poteſt uxorem, & filios ab onere reſtituendi.

TRACTATUS XIV.

DE CONTRACTIBUS.

Abſolutis quæſtionibus ad reſtitutionem pertinentibus; remanet de Contractibus agere. Ex ipſorum natura, plura an reſtituenda ſint, nec ne, dignoſcitur; unde non ſatis actum eſſet, ni & rationem, naturamque contractuum inſpiceremus. Hinc etiam fiet plene quæ ad Juſtitiam, & Jus pertinent, fuiſſe pertractata.

QUÆSTIO I.

De Contractibus in Genere.

CAPUT UNICUM.

De Contractibus in genere; de his qui poſſunt, vel non poſſunt contrahere; & de reſtitutione in genere.

Q. I. Quid ſit contractus; & quotuplex.

R. I. Contractus primo definitur: *Duorum, vel plurium in idem placitum, & conſenſus: leg. 1. ff. de pact.* Ex hoc conſtat non dari contractum ni ſaltem duo conveniant in idem, ſcilicet vel ad dandum, vel ad faciendum, vel ad non faciendum. Explicatur etiam contractus per obligationem, quam parit, unde *leg. labeo ff. de verb. ſign.* definitur: *Ultro, citroque obligatio.* Melius autem dicitur: *Conventio inter duos aut plures ex qua utrinque naſcitur obligatio.* Sed adhuc hæc definitio non comprehendit omnes contractus, illos ſcilicet, in quibus ſolum ex una parte datur obligatio, uti ſe habet promiſſio acceptata; ac proinde ut aſſignetur definitio comprehendens omnes contractus, ita debet efformari: *Contractus eſt mutua conventio inter duos, vel plures ex qua ſaltem ex una parte oritur obligatio.*

R. II. Contractus multipliciter dividuntur. Primo, dividitur contractus in *nominatum*, illum ſcilicet, qui habet proprium nomen, ut *emptio venditio, &c.* & *innominatum*, qui caret nomine proprio, & ſpeciali. Hujuſmodi contractus innominati ſunt quatuor, ſcilicet: do, ut des; facio, ut facias; facio, ut des; do, ut facias.

Secundo, dividitur *in contractum bonæ fidei, & contractum ſtricti juris.* Contractus bonæ fidei ſunt illi, in quibus Judex multa poteſt arbitrari ſecundum bonum, & æquum, non attendendo rigorem legis, & juris ſcripti. Ita ſe habent emptio, locatio, ſocietas, depoſitum, & permutatio. E contra contractus ſtricti juris ſunt illi, in quibus Judex non poteſt arbitrari, ſed ſequi debet rigorem juris, & verba expreſſa in conventione. Tales contractus ſunt, promiſſio liberalis, donatio, aſſecuratio, ſtipulatio: *Gloſſ. in cap. cum venerabilis §. Bonæ fidei de excep. Engell. de pact. num. 18. & 19.*

Tertio, dividitur in *explicitum, & implicitum.* Explicitus, ſeu formalis eſt ille, in quo expreſſe aliqua contrahitur obligatio. Implicitus, ſeu virtualis eſt ille, in quo obligatio tantum virtualiter contrahitur, ut ſi quis acceptavit aliquod officium, e. g. Tutelam, cenſetur ſe obligaſſe ad omnia, quæ tutela de ſua natura expoſcit.

Quarto, dividitur in *lucrativum, & onerosum*: Lucrativus, ſeu gratuitus eſt ille, in quo nil rependitur, ſed ex pura gratia, & liberalitate una pars tantum gravatur, ut in donatione, depoſito &c. In contractu oneroſo datur ex utraque parte obligatio; unde loco rei, quæ datur, aliquid debet reddi, ut in emptione, & venditione, in locatione &c.

Ultimo, dividitur in *nudum & veſtitum*. Contractus nudus ille dicitur, qui nihil habet, unde in foro externo pariat obligationem, ut eſt e. g. donatio, antequam de facto impleatur: veſtitus e contra habet unde in foro externo appareat obligatio, ut ſi acceſſerit ſtipulatio.

R. II. Quot modis perficiantur contractus.

R. Contractus quatuor modis perficiuntur. Aliquando perficiuntur ſolo conſenſu, aliquo ſigno externo ſufficienter manifeſtato, ut in emptione, venditione, locatione, conductione, ſocietate &c. de quibus fit mentio *§. 1. & ſeqq. Inſt. de v. oblig.* & poſſunt etiam fieri inter abſentes per epiſtolam, ſive per nuntium: *Leg. conſenſu fiunt ff. de action. & oblig.* Aliquando non perficiuntur niſi poſtquam intervenit traditio rei, ut

ut in depoſito, mutuo, commodato, permutatione, & pignore, de quibus *tot. tit. Inſtit. quib. mod. re contrahatur obligatio*. De jure antiquo quidam contractus, nempe ſtipulatio, non perficiebantur niſi accedente quadam formula verborum; *leg. 5. §. Stipulatio ff. de verb. oblig.* at de jure novo ſufficiunt verba ſatis exprimentia conſenſum contrahentium: *leg. omnes C. de contrah. ſtipul.* Demum quidam contractus perficiuntur ſcriptura, quando ſcilicet contrahentes non habent animum ſe obligandi, niſi poſt ſcripturam factam a Notario, ut evenire ſolet in Emphyteuſi &c. & ac idem videtur dicendum de omnibus contractibus ſtricti juris.

Q. III. Qualis obligatio oriatur ex contractu.

R. Ultra obligationem civilem, ſeu legalem, quæ oritur a lege poſita humana, oritus ex contractu naturalis obligatio; nam lex naturalis dictat debere nos eſſe fideles in ſervandis promiſſis, & conventionibus. Sive ergo contractus ſit nudus, ſive veſtitus, dummodo ſerio ſactus ſit, parit in foro conſcientiæ iſtam natusalem obligationem, quam attendere debent etiam Principes Supremi, contrahentes cum propriis ſubditis.

Q. IV. Quam obligationem pariat contractus ex metu initus.

R. I. Ante reſolutionem quæſiti plura obſervanda ſunt circa metum. Metus ergo ita definitur: *Inſtantis periculi, vel futuri cauſa mentis trepidatio*, *leg. 1. de eo quod metus cauſa &c.* Diſtinguitur in gravem, & levem. Gravis, qui & appellatur *metus cadens in virum conſtantem*, eſt de malo gravi, velut ſi timeatur mors, mutilatio, gravis jactura famæ, vel bonorum. Inſuper etiam requiritur, quod malum vere judicari poſſit eventurum, puta quia incutiens metum poteſt, & ſolet minas exequi. Si aliquid ex prædictis deficiat, metus, reputabitur levis, ut deſumitur *ex capit. cum dilectus 6. de his, quæ vi metus &c.*

Si iſte metus non incutiatus a cauſa libera, ſed ab intrinſeco, v. g. ex morte imminente, vel ab alio periculo, utique non invalidat contractum; nam ſi metus non omnino perturbet rationem, non impedit neceſſarium conſenſum, ut infra videbimus. Hinc validum eſt votum emiſſum in mortali infirmitate: *cap. ſicut nobis 17. de Regular.*

Item certe validus eſt contractus initus ex metu gravi a libera cauſa incuſſo, ſed juſte, ut ſi Judex minitetur mortem, ſi aliquis non faciat quod aliunde facere debet. Ratio eſt manifeſta, quia ut dixi cum metu ſtare poteſt ſufficiens conſenſus; & ſi juſte incutiatur, qui illum patitur, nulla afficitur injuria; unde nulla eſt ratio quare tales contractus non ſint validi:

Idem dicendum de metu quamvis injuſto, ſi non incutiatur ad extorquendum conſenſum. Hinc validum eſt matrimonium initum ab Adoleſcente, quem Pater Sponſæ volebat occidere, quia reperiit cum Filia impudice agentem, ſemper cum non minitatus fuerit mortem ad extorquendum conſenſum in matrimonium; tunc etenim in ordine ad matrimonium talis conſenſus non fuit per injuriam extortus: *Sperell. decis. 6. For. Eccl. numer. 1. & 6. Sanch. lib. 4. de matrim. diſt. 12. a num. 3. Barb. in cap. venient l. 2. x. 4. de Spoaſ.*

Aliud datur genus metus, qui dicitur reverentialis, quando nempe aliquis invitus, & quaſi coactus in aliquid conſentit, non audens præ reverentia contradicere Superiori; ut ſi Filius præ reverentia Patris, ſi Uxor præ reverentia Mariti, ſi ſubditus præ reverentia Superioris conſentiant, alias non conſenſuri. Hujuſmodi metus reverentialis ſolitarie acceptus non æquiparatur gravi metui cadenti in conſtantem virum, nec reddit irritos, vel irritabiles contractus, ut *leg. ad invidiam C. de iis, quæ vi metuſve cauſa, & leg. ſi Patre cogente ff. de rit. nupt.* Bene vero ſi accedant ſævitia, graveſque minæ, æquiparatur metui cadenti in virum conſtantem; vel etia ſi adjantur preces inſtantiſſimæ & ſæpius repetitæ; nam iſtæ quamplurimum vexant, & veluti opprimunt perſonas maxime ſubditas. Videantur *Maſcardus de probat. concl. 1054. Menoch. l. 3. de Præſump. præſumpt. 127. nu. 1. & 5. Sanch. lib. 4. de matr. diſp. 6.* apud quos non paucos eſt reperire aſſerentes ſolam reverentiam erga Superiores, & Parentes poſſe æquiparari metui cadenti in conſtantem virum. Idem dicunt de inſtantiſſimis, & valde repetitis precibus, de quibus ulterius ſermo erit in Tractatu de Matrimonio. His poſitis.

Quicumque contractus ex quocumque metu initi de ſua natura ſunt validi, quamvis aliqui irritentus jure poſitivo, & quamvis quis paſſus eſt metum, non teneatur facere, vel dare rem promiſſam. Quod tales contractus ſint validi exinde probatur, quia, licet metus cauſet involuntatium ſecundum quid, nihilominus quæ fiunt ex metu, niſi omnino ratio perturbetur, ſunt abſolute voluntaria; ubi autem adeſt conſenſus voluntarius, adeſt etiam quod neceſſarium eſt ad validitatem contractus. Hinc jura non dicunt eſſe irrita, ſed tantum irritabilia, quæ fiunt ex metu: *leg. fin. C. de his his quæ vi &c. cap 2. de his quæ vi &c.* Hoc autem verum eſt, ſive metus incutiatur ab eo, in cujus favorem celebratus fuit contractus, ſive ab alio tertio, ipſo ignorante: *leg. ſi cum exceptione §. in hac actione ff. de eo quod met. cauſ.* & favent *cap. 1. & 4. de his quæ vi &c.* Et quidem ſemper verificatur quod qui fecit aliquid ex metu injuſto, fecerit per injuriam, adeoque habet jus vel non tradendi quod promiſit, vel repetendi.

Sunt nihilominus quidam contractus, qui jure poſitivo ſtatim ſunt irriti, ſi ex gravi metu fiant: ſcilicet matrimonium, *ex capit. cum locum de ſponſ.* & profeſſio religioſa, *ex capit. 1. de his quæ vi &c.* Quod ſi hæc fiant ex metu levi non cadente in conſtantem virum, neque in foro externo, neque in foro conſcientiæ irritantur, cum ſint ex ſua natura, irreſcindibilia, ut in proprio loco declaratur. Item ipſo facto eſt irrita promiſſio, vel ſolutio dotis: *leg. ſi mulier ff. de dot.* electio Prælati: *cap. periculum. §. Cæterum de elect. in 6.* promiſſio, vel traditio rerum Eccleſiaſticarum: *canon. ſi quando 15. q. 6. capit. pervenit 2. de jurejur.* abſolutio ab excommunicatione: *capit. unic. de his quæ vi &c. in 6.* Demum quædam vota, ut explicatur in materia de voto.

Quod vero qui paſſus eſt metum non teneatur dare rem promiſſam probatur, quia contractus eſt reſcindendus, & qui paſſus eſt metum habet jus petendi reſtitutionem in priſtinum ob injuriam ſibi irrogatam; *leg. metum autem præſentem 9. §. Sed quod Prætor ff. de eo quod met. cauſ.* ad quid autem ſaltem pro foro conſcientiæ tradere rem, quam ſtatim poſſum repetere? Præterea qui metum injuſte incuſſit tenetur ad omnia damna provenientia ex tali metu, unde ſtatim teneretur reſtituere rem, quæ ſibi traderetur, ſuperflue ergo traderetur. Validitas igitur contractus ex metu initi ad nil aliud deſervit, niſi, ut contractus ſubſiſtat, ſi ita velit qui metum paſſus eſt.

Quæ dicta ſunt attendi poſſunt in foro conſcientiæ, ſive metus incuſſus fuerit gravis, ſive levis; etenim etiam conſenſus præſtitus ex metu levi, præſtitus fuit ex actione injurioſa, & injuſta, adeoque ille, qui ipſum paſſus eſt, poteſt non ſtare promiſſis: *Molin. diſp. 267. Leſſ. lib. 2. cap. 17. d. 6. numer. 46. Rebell. de oblig. juſt. p. 2. l. 1. quæſt. 5. numer. 9.* In foro externo ad evitandas frequentes lites non datur actio patienti metum levem: *leg. nec timorem 7. ff. de eo quod metus cauſ. &c.*

Q. V. Quam obligationem pariat contractus celebratus ex errore, vel dolo.

R. I. Dolus nil aliud eſt quam calliditas, fallacia, ſeu machinatio ad aliquem circumveniendum, ſeu decipiendum; *leg. dolum ff. de dolo malo:* & ſi talis dolus, vel error verſentur circa ſubſtantiam rei, contractus eſt nullus. Tunc autem interveniret dolus circa rei ſubſtantiam, quando quis dicto, vel facto, ſive omittendo quod dicere, vel facere tenebatur, inducit ad faciendum contractum de aliqua re diverſæ naturæ ab ea, de qua aliquis intendebat contrahere; ut ſi quis mendaciis, vel aliqua alia fallacia induceret ad emendum vitrum pro adamante. Intervenit vero ſolus error ſine dolo circa ſubſtantiam, quando abſque culpa contrahentium, putant falſo contrahere de re aliqua; ut ſi quis credens vitrum eſſe adamantem, abſque ſua culpa pro adamante venderet. Quod autem tales contractus ſint nulli probatur, quia, quando dolus, vel error ſunt circa ſubſtantiam deficit conſenſus; nam ut patet ex exemplo allato, con-

trahentes, vel ſaltem unus ex illis volunt contrahere de adamante, non de vitro, ubi autem deeſt conſenſus, neque poteſt intervenire contractus, ut de ſe patet habetque proprie hic locum illud effatum: *nullas eſſerrantis conſeaſas. leg. aon idcirco C. de jur. & fact. ignorant.*

R. II. Si dolus, vel error verſetur circa ſolas qualitates, vel extrinſecas circumſtantias contractus, non reddit contractum nullum; bene vero eſt reſcindibilis, ſi dolus, vel error dedit cauſam contractui.

Tunc dolus, & error non dicuntur dare cauſam contractui, quando quis adhuc eſſet contractaturus, etiamſi cognoviſſet illas qualitates, circa quas fuit deceptus, vel erravit. Ut ſi aliquis adhuc empturus fuiſſet adamantem, quamvis cognoviſſet non habere illam perfectionem, quam optabat. Hujuſmodi autem error, ſeu dolus dicitur concomitans. Quod autem interveniente tali dolo, vel errore, contractus ſit validus conſtat, quia datur conſenſus circa ſubſtantiam rei, de qua fit contractus, & ita intervenit quod eſt neceſſarium ad ſubſtantiam contractus. Habet nihilominus deceptus actionem contra Deceptorem, non ad invalidandum contractum, ſed ad reſarciendum ſibi damnum, quia res, quam habuit, non erat tam perfecta ut volebat: *leg. Julianus §. Si venditor ff. de action. vendit. Zoeſius tit. de dolo malo aumer.* 12. *Laym. lib. 3. ſection. 5. tract. 4. cap. 5. aumer. 2.*

Tunc dolus circa qualitatem dat cauſam contractui, quando, ſi cognita fuiſſet talis qualitas, contractus non fuiſſet initus, ut ſi ver. gr. in exemplo ſupra allato, non emiſſet quis adamantem, ſi illius imperfectionem cognoviſſet. Talis dolus, vel error dicitur antecedens. Probatur autem neque per hunc dolum invalidari contractum, quia adhuc conſenſus circa ſubſtantiam rei. Neque refert quod quis non contraxiſſet, ſi cognoviſſet rei imperfectionem; nam hoc non probat non adfuiſſe conſenſum, ſed ſolum quod deceptus non conſenſiſſet, ſi cognoviſſet imperfectionem. Solent allegari quædam Leges, quibus videntur declarari nulli contractus bonæ fidei, ſi dolus illis dederit cauſam. Verum commode explicari poſſunt, ſi dicatur ideo a talibus legibus hujuſmodi contractus dici nullius roboris &c. non quia de facto non ſint validi, ſed quia ad inſtantiam decepti ſunt reſcindibiles omnes contractus, quibus dolus dedit cauſam *arg. §. 1. Inſtitut. de except. & l.g. de dolo vel metu C. de inutil. ſtipulation.* Dixi, ad inſtantiam decepti; nam decipiens tenetur ſtare contractui, cum non ipſi, ſed ſolum decepto jura ſubveniant: *c. Cum univerſorum* 8. *de rer. permutat.* Quod ſi dolus dans cauſam contractui fuiſſet commiſſus non a Contrahentibus, ſed ab aliquo tertio, ipſis ignorantibus, tunc contractus non eſſet reſcindibilis, quia neuter ex contrahentibus dolum cauſavit; bene tamen deceptus poteſt agere contra deceptorem pro damno ſibi illato reſarciendo: *leg. 2. ff. de proxenetis*, & ſi iſte non ſit ſolvendo, tenentur principalis, quatenus ex alterius dolo factus ſit locupletior.

Q. VI. An ſit validus contractus celebratus ſine ſolemnitatibus a jure præſcriptis.

R. I. Si jus dumtaxat prohibeat celebrari contractum ſine præſcripta ſolemnitate, peccare quidem poteſt illam omittens, at contractus ſubſiſtit, ut patet *ex cap. ad Apoſtolicam de Regular.* Et ratio eſt quia aliud eſt prohibere, ne aliquid fiat, aliud irritare, ne valide fiat, & bene poteſt unum ab alio ſeparari. Ita prohibitum eſt contrahere matrimonium cum impedimento non dirimente, ſeu non præmiſſis denunciationibus, & nihilominus validum eſt, ſi contrahatur.

R. II. Etiamſi omittantur ſolemnitates Juris, ſine quibus contractus declaratur irritus, & nullus, adhuc poteſt attendi in foro conſcientiæ, ſi non declaretur a jure nullus pro utroque foro; vel ſi non intercedat Judicis ſententia. Supponit hæc reſponſio contractum eſſe validum jure naturæ, quia ſcilicet interceſſerit verus conſenſus. Hoc ſtante probatur poſſe adhuc attendi pro foro conſcientiæ, etiamſi leges illum annullent, quia ex communi DD. abrogatio juris præſertim naturalis, eſt ſtricte interpretanda, nec eſt in dubio inducenda; dum ergo jura annullant, & declarant irritum contractum jure naturæ validum, ſunt ſtricte interpretanda, adeoque ita intelligenda, ut removeant obligationem civilem, & pro foro externo, non vero pro foro conſcientiæ. Ulterius ſumus in dubio, an talia jura velint etiam abrogare obligationem naturalem, vel tantum civilem; nam plures DD. ſentiunt ſolum intelligenda eſſe de abrogatione obligationis civilis; cum ergo ſimus in dubio, an extendantur etiam ad obligationem naturalem tollendam, dicendum eſt non extendi. Hoc idem probatur ex alio principio utriuſque juris, quia ſcilicet cum infirmatio contractus ſit odioſa, & præjudicans, tenendum eſt quod eſt minoris præjudicii, & minoris pœnæ, ex regula 30. & 49. juris in 6. ac proinde jura infirmantia contractum bene poſſunt intelligi valere ſolum pro foro externo: *Reginal. lib.* 25. *aumer.* 105. *Sanch. lib. 4. Conſ. cap. 2. dubia.* 14. *aumer.* 5. *Filluc. tom. 2. tract. 34. cap. 7. numer.* 150. *Laym. lib. 1. tr. 4. cap. 16. aum. 6.*

Dixi tamen id verum eſſe, ſi leges, non pleniſſime annullent talem contractum, ita ut irritum illud reddant pro utroque foro, ut fecit lex Tridentini, quando declaravit nullum matrimonium contractum ſine Parocho, & Teſtibus. Ratio eſt, quia dum expedit bono publico, vel neceſſarium eſt ad removenda peccata, bene poſſunt leges velle eſſe pro utroque foro nullum, quod alias eſſet validum. Et in tali caſu neque vult jus naturale eſſe validos actus, ſeu contractus, qui lege poſitiva pleniſſime infirmantur; nam ipſa ratio, ſeu lex naturalis dictat non attendendas eſſe particulares obligationes, quoties bono publico officiant, vel conducant ad fovenda peccata.

Addidi, *vel ſi non intercedat Judicis ſententia*; nam ſi Judex vi legum pronuntiet irritum contractum; quia alias de jure naturæ erat validus, ipſius ſententia etiam pro foro conſcientiæ eſt attendenda. Ratio eſt eadem ac illa, quæ ſupra allata eſt, quia ſcilicet non ſolum jus divinum, ſed etiam jus naturale dictat expedire, immo neceſſarium eſſe bono publico, ut attendatur in quocumque foro juſta ſententia a Judice prolata, alias omnia confuſionibus replerentur.

Dices pro foro conſcientiæ attendendam eſſe ſententiam Judicis, quando non nititur falſæ præſumptioni; quoties autem annullat contractus alias jure naturæ validos, quia in ipſis deeſt ſolemnitas a jure præſcripta, ipſius ſententia nititur falſæ præſumptioni, quia nempe præſumitur interfuiſſe fraudem, & dolum.

Contra tamen eſt, quia dum Judex vi legum irritum declarat aliquem ex prætatis contractibus, non ideo ſemper movetur, quia pateat in tali contractu adfuiſſe fraudem, ſed quia judicat expediens eſſe bono communi illos declarare irritos propter periculum, quod intervenire poſſint fraudes, dum omittuntur ſolemnitates a lege præſcriptæ. Non igitur nititur in falſa præſumptione, quod nempe in hoc caſu particulari intercedat fraus, ſed in vera, quod ſcilicet ſit periculum, ut interveniat, ſi ſolemnitates omittantur; quo ſtante bene poteſt velle irritos eſſe tales contractos.

Q. VII. Quando intelligatur validus contractus initus ſub conditione.

Hanc materiam fuſe tractant Theologi, dum agunt de conſenſu ad matrimonium requiſito. Breviter nihilominus etiam hic explicabo. Igitur.

R. I Conditiones neceſſariæ non ſuſpendunt contractum, ſed illum abſolutum relinquunt, & habentur pro impletis. Ut ſi dicatur, *contraho tecum, ſi ſol oriatur, ſi venerit Anti chriſtus*, quæ conditio neceſſaria eſt ex ſuppoſitione divini decreti. Quod iſtæ conditiones non ſuſpendant contractum conſtat, quia, cum iſtæ conditiones nullo pacto poſſint impediri, non reputantur futuræ, ſed veluti præſentes in ſuis cauſis, ſeu in Divino decreto, & proinde cum reputentur præſentes habentur pro impletis. Secus dicendum eſſet, ſi apponerentur tales conditiones ad deſignandum tempus, quo quis vellet contractum valere: *Lugo diſputat. 23. ſection. 3. numer. 336.*

R. II. Conditiones generales, quæ inſunt omnibus contractibus, illos non ſuſpendunt, qualea ſunt: *ſi vivero, ſi conſenſeris &c.* Ratio eſt, quia cum includantur in omni contractu,

non

non intelliguntur appoſitæ ad ſuſpendendum contractum.

R. III. Conditiones impoſſibiles, & turpes reddunt nullos contractus. Ita habetur *leg. non ſolum 31. ff. de action. & oblig. l. impoſſibile ff. de verb. oblig. §. Si impoſſibilis Inſtit. de inutil. ſtipul.* Ratio autem eſt, quia conſenſus præſtitus ſub conditione debet expectari uſque ad eventum conditionis, fruſtra autem expectaretur eventus conditionis impoſſibilis, ſicut etiam non eſt expectandus eventus conditionis turpis, ſcilicet peccaminoſæ. Ultraquamquod conditio peccaminoſa reputatur impoſſibilis, dicimur enim tantum poſſe, quod jure poſſumus. *Lugo ſect. 3. num. 368. Bonac. diſp. 3. quæſt. 1. p. 4. num.* 10. Iſtæ conditiones impoſſibiles, & turpes habentur pro non adjectis Matrimonio, & ultimis Voluntatibus, & ita per eas non invalidantur ex particulari legum diſpoſitione, ut ſuo loco explicabitur.

R. IV. Aliæ conditiones, ſi ſint de præterito, vel de præſenti non ſuſpendunt contractum, ſuſpenditur vero a conditione honeſta de futuro contingenti uſque ad adventum ipſius conditionis. Conſtat igitur non ſuſpendi contractum a conditione de præterito, vel de præſenti; ut ſi quis diceret: *contraho tecum, ſi heri comediſti, vel ſi modo rideas*; nam ſi conditio vel fuit, vel eſt, contractus jam exiſtit, & e contra jam eſt invalidus, ſi conditio vel non fuit, vel non eſt. Bene vero ſuſpenditur a conditione de futuro contingente; nam contrahentes non habent animum ſe obligandi, ſeu transferendi rei dominium uſque ad adventum illius conditionis; ut ſi quis diceret, *Contraho tecum, ſi cras erit pulcrum tempus: ſi talem meum negotium commendabis &c.* Verum tamen eſt neutram partem poſſe reſilire a contractu, ſi non ſuperveniat aliqua juſta cauſa; quamvis enim contrahendo ſub tali conditione non intellexerint ſtatim ſe obligare ad tradendam rem, vel aliquid aliud faciendum, intelliguntur tamen ſe obligaſſe ad expectandum conditionis eventum.

Cæterum non eſt confundenda conditio appoſita contractui, & modus. Tunc aliquid apponitur veluti conditio, quando ita illi alligatur conſenſus, ut ſuſpenſus remaneat uſque ad conditionis adventum. Modus vero contractui appoſitus non illum ſuſpendit, ſed eſt onus alteri impoſitum, & explicari ſolet per ly *ut*, veluti ſi dicatur, *contraho tecum, ut mihi famuleris*. Conſtat hunc contractum ſtatim habere ſuum valorem, & ſolummodo obligationem imponi ſuo tempore adimplendam: *leg. cum ab eo ff. de contrahen. empt.* adeoque non deſinit contractus habere ſuum valorem, etſi contrahens non habeat animum onus apponendi, ſeu poſtea non opponat.

Sunt qui putant, adimpleta conditione, neceſſarium eſſe novum conſenſum, ut contractus fiat abſolutus, & purus. Verior nihilominus videtur contraria ſententia, nam cum ſuppoſuatur conſentium non fuiſſe retractatum, adhuc virtualiter exiſtit; & proinde nihil deficit, ut contractus dicatur perfectus, & abſolutus, cum non amplius expectandus ſit conditionis eventus ad ejus perfectionem, & aliunde, ut dixi, conſenſus adhuc perſeveret. Ita etiam ſancitum videtur *leg. hæc venditio 7. ff. de contrah. empt. & leg. potior 11. ff. qui potior, Lugo num.* 186. Et hoc verum eſt, etiamſi contrahentes ignorent adimpletam fuiſſe conditionem; nam non alligarunt ſuum conſenſum cognitioni talis adimpletionis, ſed ſolum ipſius adimpletioni. Id etiam habetur *§. Conditio Inſt. de verb. oblig. leg. inſtitutio ff. de condit. & demonſtrat.*

Q. VIII. Quid neceſſarium ſit, ut aliqui licite, & valide contrahant.

R. I. Sermo in præſenti eſt de contractu, qui pariat obligationem civilem, qua ſcilicet, vi legum conceditur actio, & exceptio in foro externo in altero ex contrahentibus adverſus obligatum; vel ſaltem naturalem, qua ſcilicet quis teneatur in conſcientia juxta rei gravitatem, dictante lege naturæ debere nos eſſe fideles in promiſſis. Illi igitur poſſunt licite, & valide contrahere, qui habent uſum rationis, liberam ſuorum bonorum adminiſtrationem, vel a lege non prohibentur. Quod requiritur uſus rationis clare patet, quia ſine ipſo non poteſt dari humanus conſenſus, neceſſario requiſitus ad contractum. Item requiritur libera adminiſtratio propriorum bonorum; nam alias illam non habens non poteſt in alterum transferre dominium rerum ſuarum, ut fit in contractibus. Hinc poſtquam Judex interdixit prodigo adminiſtrationem ſuorum bonorum, & dedit illi Curatorem non poteſt nec valde ſua bona diſtrahere. Denique oportet leges ob bonum commune non reddidiſſe aliquem inhabilem ad contrahendum. Hac ratione Tutor, & Curator, durante tutela, aut cura, nequeunt contrahere cum Minore, aut Pupillo: *leg. non licet, leg. ſi emor. de contrab. emption.* Executores Teſtamentorum nequeunt in ſe transferre dominium rerum defuncti, niſi intercedat authoritas Judicis, vel alterius Executoris. Advocatus, durante lite, nequit emere, aut alio contractu habere res ſui Clientis: *leg. quiſquis Cod. de poſtulando*; quod idem ſancitur de Medico, durante infirmitate: *leg. Medicus ff. de variis, & extr. crimin.*

R. II. Quidam tantum contrahere poſſunt obligationem naturalem, non civilem, ii nempe qui prohibentur a lege civiliter obligari. Tales ſunt ſervi, qui implere tenentur quod promiſerunt, ſi id fieri poſſit ſine Domini præjudicio; ut conſtat *ex leg. quod attinet 32. ff. de reg. juris.* Neque Princeps Supremus poteſt civiliter proprio ſubdito obligari, cum ſit ſupra leges; at naturaliter obligatur, ſi cum ipſo contrahat, & Judex poteſt declarare habere talem naturalem obligationem: *Lugo diſputat. 22. ſect. 10. numer.* 280.

Q. IX. Quid dicendum de contractibus Minoris, Pupilli, & Filiifamilias.

R. I. Pupillus dicitur, qui nondum nactus eſt pubertatem, quæ in viris completur anno 14. & in fœminis anno 12. Maſculus dicitur proximus pubertati, quando complevit annum decimum cum dimidio, & fœmina quando complevit annum nonum cum dimidio. Pupillo datur Tutor, qui principaliter gerat curam ipſius, ſecundario vero ejus bona adminiſtret. Minor dicitur ille, qui nondum complevit annos 25. Huic datur Curator, præcipue, ut adminiſtret ipſius bona.

R. II. Pupillus, & Minor contrahentes ſine authoritate Tutoris, vel Curatoris civiliter contrahere poſſunt in ſuum commodum. Ita clare ſtatuitur *Inſt. §. 1. de author. Tutor.* Hinc ſequitur, quod ſi pupillus ſine authoritate Tutoris aliquid emerit, & Minor ſine authoritate Curatoris, ſi ipſum habeant, poſſint in foro externo obbligare Venditorem ad ſtandum contractui, iſte vero non; idque jus ſancivit in favorem illius ætatis. Bene tamen poteſt venditor, antequam impleat contractum, cogere Pupillum, vel Minorem ad procurandum conſenſum Tutoris, vel Curatoris; ſeu velle quod intercedat authoritas Judicis, aut quod juramento firment contractum, & id, ut ſe eximat a periculo damni. Quod ſi Minor id recuſet, convincitur fraudulenter egiſſe, & non bona fide *Leſſ. lib. 2. cap. 17. diſt. 8. num. 62. Sanch. l. 6. de matr. diſt. 38. a num. 9. Bon. d. 3. q. 1. p. 5. num. 5.*

Privilegium conceſſum pupillo, vel Minori extenditur ad Eccleſiam, nam inſtar Minoris conſideratur.

R. III. Minor, & Pupillus non poſſunt civiliter obligari, ſi alienent bona immobilia, vel mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, ſine authoritate Tutoris, vel Curatoris, & ſine Judicis decreto. Ratio eſt, quia ſi hæc omnia non intercedant, jus reſiſtit, & annullat tales contractus: *leg. 1. & plurib. ſeqq. ff. de rebus eorum, qui ſub tutela, vel cura ſunt, l. lex quæ Tutori Cod. de adminiſtr. Tutor. & leg. 7. 11. & 15. Cod. de prædiis minor.* Quod ſi Minor careat Curatore, poterit etiam civiliter obligari, ſi alia bona mobilia alienet; id enim ipſi non prohibetur a lege; non vero Pupillus, cum non habeat adminiſtrationem bonorum. *Molin. diſp. 224. Sanch. n. 8. & 27. Pal. d. 1. p. 4. §. 5. n. 6.*

R. IV. Si Minor & Pupillus contrahant ſine authoritate Tutoris, ſeu Curatoris, mihi probabilius eſt naturaliter, & in conſcientia obligari. Ratio eſt, quia obligatio naturalis oritur ex libero conſenſu, quem bene præſtare poſſunt Minor, & Pupillus. Hanc naturalem obligationem videntur & ipſæ leges innuere: *leg. pupillus 21. ff. ad leg. falcid. lib. 1. ff. de novat. leg. cum illud ff. §. 1. quando dies legati cedat.* Ad leges autem, quæ in contrarium afferuntur, reſpondendum eſt per eas ex-

Digitized by Google

cludi civilem obligationem ; ut dictum eſt ſupra de contractibus celebratis ſine ſolemnitatibus juris . Quod ſi aliquæ videantur excludere etiam obligationem naturalem , dicendum eſt loqui de obligatione naturali efficaci , & irrevocabili , non vero excludere abſolute obligationem naturalem , alias tamen eevocabilem , quia Tutor , & Curator poſſunt ad ſuum libitum curare reſciſſionem contractus: *Lugo diſputat.* 22. *ſect.* 10. *num.* 288. *Reginal. l.* 25. *num.* 149. *Laym. l.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 4. *c.* 9 *num.* 7. Semper tamen excipiendi ſunt contractus, in quibus, ut dixi ſupra , leges volunt debere intervenire Judicis ſententiam ; ea enim non interveniente , tales contractus a legibus pleniſſime annullantur, eiſque reſiſtunt : *leg. ſi ad reſolvendum* 7. *l. ſi quidem* , *leg. ſi minor* 15. *Cod. de prædiis minor*. Idem dicas de contractibus factis a Pupillo , qui nondum eſt pubertati proximus, vel de contractibus factis a Pupillo, vel Minore cum Tutore, & Curatore : *leg. non licet. Cod. de contrah. emption. leg. pupillus* 5. *ff. de author. Tutor.* In his ergo contractibus cum certum ſit neque dari naturalem obligationem reſpectu pupilli, ſeu minoris, poterunt eos non attendere ; & ſi impleverunt, poterunt rem ſuam repetere abſque beneficio reſtitutionis in integrum , utpote invalide diſtractam: *Lugo num.* 286.

R. IV. Filii familias, ſi ſint puberes , aut pubertati proximi, cum tunc habeant liberam adminiſtrationem bonorum caſtrenſium , vel quaſi caſtrenſium , poſſunt de illis contrahere; ſecus de bonis adventitiis , & profectitiis , ſi non intercedat conſenſus vel expreſſus, vel tacitus patris, quia profectitiorum non habent dominium , & adventitiorum non habent liberam adminiſtrationem. Quod ſi bona , quæ vellent alienare , eſſent immobilia, vel mobilia pretioſa , tunc etiam requireretur ſententia Judicis, ut dictum eſt ſupra de Minoribus. Cæterum ſi Filiusfamilias non vivat cum Patre, neque ab eo accipiat alimenta , poterit alteri ſaltem naturaliter obligari contractu innominato, facio ut facias, facio ut des locando ipſi ſuas operas artificiales. Dixi ſi a Patre non accipiat alimenta, tunc enim non debet Patri ſuas operas artificiales , ſed ſolum obſequium, & reverentiam ; ſecus ſi a patre accipiat alimenta. Beneficio autem Senatus conſulti Macedoniani, & *l.* 1. *& ſeqq. ff. & Cod. ad Senat conſ. Maced.* Filius-familias non poteſt civiliter obligari præcipue ex contractu mutui.

Q. X. Quid ſit reſtitotio in integrum ; & qoibus competat .

R. I. Reſtitutio in integrum dici poteſt : *Remedium juris extraordinarium, quo graviter læſus Judicis authoritate reſtituitur in eum ſtatum, ſeu jus , in quo fuerat ante læſionem*. Dicitur, *extraordinarium* , nam non conceditur talis reſtitutio, ſi ſuppetat aliud remedium reſcindendi contractum : *leg. in cauſa* 16. *ff. de minor.* Additur, *quo graviter læſus &c.* nam non conceditur propter modicam læſionem : onde ait Gloſſa *in leg. ſcio illud ff. de reſtitut. in integr. De minimis non curandum*.

R. II. Beneficium reſtitotionis in integrum conceditur omnibus Minoribus, qui ſcilicet nondum compleverunt annum 25. *leg.* 1. *& ſeqq. ff. de minor.* 25. *annis* . & hoc etiamſi contractus factus ſit de conſenſo Patris, Tutoris, val Curatoris : *leg. ſi tutor, vel curator &c.* Et ſi Majores facti tales contractus non confirmaunt, poſſunt tales beneficium expoſcere etiam poſt quadriennium, poſtquam cœperunt eſſe majores : *l.* 1. *&* 2. *Cod. ſi major. factus ratum habuerit*. Hujuſmodi privilegio gaudent etiam Eccleſiæ , Hoſpitalia , & quæcumque alia loca pia , nam ad inſtar minoris habentur . Quadriennium , quod ipſis competit ut reſtituantur in integrum , ſolet computari a die factæ læſionis : *cap. Eccleſia de reſtit. in integr. in* 6. Si nihilominus eo tempore vixit Prælatus, qui male alienavit , quadriennium ab ejus morte numeratur ; nam uſque dum vivit, Eccleſia reputatur abſque legitimo defenſore .

Regulæ in praxi obſervandæ.

Pro praxi advertere debet Confeſſarius , quod dum quis retinet aliquid ex aliquo contractu , quem plures Theologi ſuſtinent eſſe validum, non debet ſuum Pœnitentem obligare ad reſtitutionem, quamvis ipſe Confeſſarius ſequator opinionem ſtantem pro invaliditate contractus. Secus ſi contractus ſit reſcindibilis, & de facto Judicis ſententia reſcindatur.

Hinc ſi quis habeat aliquid ex contractu inito ob errorem, ſive dolum circa qualitates accidentales , non eſt cogendus ad reſtitutionem , etſi error dederit cauſam contractui ; nam , ut diximus , valde probabile eſt tales contractus eſſe validos , quamvis reſcindibiles a Judice ad petitionem decepti . Bene tamen debet obligare deceptorem ad reſarciendum decepto damnum, ſi forte adfuit.

Item qui habet aliquid ex contractu , in quo non intercesſerunt omnes ſolemnitates juris non eſt obligandus ad reſtitutionem, ſi alias fuit naturaliter validus , nec pleniſſime a Lege irritatus.

Item habens aliquid a Pupillo , vel Minore, abſque eo quod interceſſerit authoritas Tutoris , vel Curatoris , poterit illud retinere , dummodo non ſit ex iis, quæ non poſſunt alienari ſine Judicis authoritate. Quando vero contractus alias, nulli juramento firmentur, dictum eſt in primum Decalogi præceptom, dum ſermo fuit de juramento.

QUÆSTIO II.

De Contractu Emptionis, & Venditionis.

CAPUT I.

De Natura Emptionis, & Venditionis, de iis qui vendere, & emere poſſunt; & de rebus , quæ emi, & vendi poſſunt.

Q. I. QUid ſit Emptio , & Venditio ; & quæ ad eas requirantur .

R. I. Emptio, & Venditio poſſunt ita definiri: *Contractus bonæ fidei, ſolo conſenſu initus , ultro citroque obligatorius de merce pro pretio, & e contra de pretio pro merce tradendo*. Dicitur contractus bonæ fidei, quia non eſt contractus ſtricti juris; unde in iſto contractu licet multa non fuerint verbis expreſſa , nihilominus Judex poteſt arbitrari interfuiſſe ſecundum bonam fidem contrahentium, ut dictum eſt capite ſuperiori, agendo de diviſione contractuum. Dicitur , *ſolo conſenſu initus* , qoia iſte contractus qood ſubſtantiam perficitur ſolo conſenſu contrahentium , quatenus ſcilicet non poſſunt amplius recedere a contractu : *leg. ex empto* 11. *ſ.* 1. *ff. de action. empt.* Nihilominus accipit ultimo integritatem per mercis , & pretii traditionem, nam ſolum ſequuta traditione acquiritur rei emptæ dominium : *leg. traditionibus* 22. *Cod. de pactis , leg. numquam* 31. *ff. de acquir. domin.* Dicitur, *ultro citroque obligatorius* , nam ex utraque parte adeſt obligatio , in emptore nempe ad tradendum pretium , & in venditore ad tradendam mercem : *leg. ex empto cit.*

Porro hic pro merce intelligitur quæcumque res pretio æſtimabilis , ſive ſit immobilis , ſive mobilis : *leg. ſi in emptione* 24. *ſ. Omnium* 1. *ff. de contrah. empt.* Pro pretio intelligitut pecunia numerata : *ſ. item* 2. *Inſtitut. de emption. & vendit.* Quod ſi non interveniat pecunia , ſed detur merx pro merce , dici potius debet permutatio . Nihilominus ſi partim detur pecunia & partim merx , denominatio deſumi debet a magis principali ; ita ut ſi res , quæ pro alia datur , notabiliter excedat pecuniam , quæ inſimul cum ea datur , contractus dici debet permutatio ; ſi vero notabiliter prævaleat pecunia , dici debet *emptio , & venditio* . Quod ſi valor rei & pecuniæ , quæ dantur pro pretio alterius rei , ſint æqualis , vel fere æqualis valoris , tunc contractus ſortitur nomen ab intentione contrahentium , ita ut dicendus ſit *emptio, & venditio* , ſi intenderunt emere , vel vendere ; ſeu *permutatio*, ſi intenderunt permutare . Ratio eſt , quia contractus legem accipiunt ex intentione , & conventione contrahentium , ſi aliud non fuerit determinatum : *leg.* 1. *ff. depoſiti , & reg.* 85. *de reg. Jur. in* 6. *Lugo diſp.* 26. *ſection.* 1. *num.* 6. *Molin. d.* 336.

diſp.336. Bonac. d.3.q.2.p.1. num.7. Si vero in tali caſu non conſtet de intentione contrahentium, variant DD. & melius, meo videri, dicunt illi, qui docent eſſe duplicem contractum, nempe ex una parte permutationem, & ex alia emptionem. Hæc adnotare oportuit, nam alios effectus parit venditio, alios permutatio; ut ſuo loco videbimus.

R. II. Ad emptionem, & venditionem tria requiruntur, nempe conſenſus, res, ſeu merx certa, certum, & determinatum pretium. Et quidem primo commune eſt omnibus contractibus, ut ſine conſenſu non perficiantur; & quod ſaltem non ſit erroneus circa ſubſtantiam rei, de qua ſit contractus. Et cum non ſit neceſſe exprimere in venditione conſenſum; mediante ſcriptura: *leg. 4. ff. de pignor.* ſatis eſt ſi exprimatur quamvis verborum forma, quæ ſufficiat ad exprimendum talem conſenſum. Ulterius cum in hoc contractu non ſit neceſsarium ſcriptura exprimere conſenſum, ſequitur quod ſi partes non expreſſe convenerint de dando conſenſu niſi per ſcripturam, merito præſumatur ſcripturam poſtea factam dumtaxat majoris probationis, & aſſecurationis gratia factam fuiſſe, non vero quod antea contractus non eſſet validus. Clarum etiam eſt non dari emptionem, & venditionem, niſi adſit merx, quæ debet eſſe certa, & determinata: *leg. in conditione ff. de contrah. empt.* Mercedi correſpondet pretium ex parte emptoris quod pariter debet eſſe certum, & determinatum; unde invalida eſſet emptio, ſi vendens dicat: *vendo juſto pretio, quanti valet, quanti æſtimaveris*, nam adhuc pretium eſt indeterminatum: *§. Pretium Inſtit. de empt. & vendit. l. quod ſæpe 35. digeſtis de contrah. empt.* E contra valida eſt venditio, ſi venditor dicat: *Tanti vendo, quanti Judex, vel alter æſtimaverit &c.* nam tunc pretium ſufficienter intelligitur determinatum, ſi vere ille, qui nominatus eſt, rem taxet: *§. 1. Inſtit. de empt. & vendit. p. 1. & 2.*

Q. II. Qui poſſint emere, vel vendere, & qui poſſint cogi ad emendum, ſeu vendendum.

R. I. Quicumque qui non caret uſu rationis, vel a lege non prohibetur, poteſt emere, vel vendere. Ratio eſt, quia emptio & venditio eſt contractus jure gentium introductus ob vitæ neceſſitatem, ac proinde de ſe nulli intelligitur interdictus. Oportet tamen ementem, vel vendentem habere uſum rationis, alias non poſſet præſtare legitimum conſenſum; unde non ſunt capaces ad contrahendum infantes, amentes, & furioſi. Item oportet, quod non ſit legis prohibitio; nam bene propter juſtum aliquod motivum potuit aliquibus prohiberi emptio, & venditio. Ita jure prohibetur Clericis emptio, & venditio, facta ob finem negotiandi, ut ſuo loco dictum eſt. Adminiſtratores rerum alienarum nec per alium poſſunt emere res, quas adminiſtrant: *leg. non licet 46. dig. de contract. emption.* Tutores, ſi adminiſtrent bona pupilli, non poſſunt ea emere, niſi accedat conſenſus aliorum Tutorum, & authoritas Judicis: *leg. pupillus 5. §. 2. & ſeqq. ff. de author. Tutor.* Hæc prohibitio extenditur ad Curatores, Procuratores, & ad eos, qui aliena negotia gerunt: *leg. 34. §. fin. ff. de contrah. emption.* Id autem jure cautum eſt, ne fraudulenter decipiant illos, quorum bona adminiſtrant. Eadem prohibitio habetur reſpectu Judicum, & Officialium ipſorum, qui nec per ſe, nec per interpoſitam perſonam alia præter ſibi neceſſaria emere poſſunt: *leg. auſertur §. Quod a Præſide digeſtis de jur. Fiſc. leg. præſides ff. ſi certum petatur, aliiſque juribus.*

R. II. Quamvis, ordinarie loquendo, nemo cogi poſſit ad vendendum, nihilominus id fieri poteſt, ſi ita expoſcat bonum commune, vel favor Religionis. Quod nemo ordinarie loquendo cogi poſſit ad vendendum, clare habetur *leg. invitum 11. Cod. de contrah. empt. leg. nec emere 16. Cod. de jur. deliber.* nam ut habet lex *in re mandata Cod. mandati: Suæ quiſque rei moderator, atque arbiter exiſtit.*

Conſtat etiam unumquemque cogi poſſe ad vendendum, ſi ita expoſcat bonum publicum; nam ratio dictat ſemper eſſe præferendum bono particulari. Hinc tempore famis, inopiæ frumenti, ac aliorum victualium, poſſunt cogi ſubditi ad ſimiles res vendendas, ſicut etiam poſſunt emptores prohiberi, ne plus emant quam illis ſit neceſſarium: *leg. civitatum. 2. Cod. ut nemini liceat, Laym. liber. 3. tractat. 4. capit. 17. §. 5. num.34. Menoch. conſil. 237.* Pariter ſubditi habentes ſuperflua poſſunt cogi ad vendendum ſolis Civibus, & indigenis, vel potius iis, quam exteris, caſu quo non ſufficiat omnibus; nam ſemper major ratio habenda eſt pro Patria, & Civibus, quam pro Exteris: *Laym. loc. cit.* Hoc autem extenditur etiam ad Clericos, ita ut in communi neceſſitate cogi poſſint a proprio Superiore ad res ſuas vendendas, ut deciſum fuit in una *Brundaſina 7. Apr. 1641. apud Pignatellum to. 1. conſult. 471.* Et de facto jure Divino, & naturali etiam Clericus tenetur ſuccurrere fame laboranti: *can. paſce 21. diſt. 86.*

Ratione pariter boni publici cogi poteſt Dominus ad vendendas res ſuas, verb. grat. ſuam domum, agrum, fundum &c. ſi id neceſſarium ſit pro facienda via publica: *leg. ſi locus §. Cum via publica &c.* Idem dicas ſi neceſſarium ſit pro conſtruendo aliquo publico ædificio; *Laym. loc. citat. Molin. diſput. 341. num. 2.*

Denique cum pro bono, & jure publico intelligatur fieri, quod fit pro religione: *arg. l. 1. ff. de juſtit. & jur.* ob ipſius favorem cogi quis poteſt ad vendendam ſuam domum, fundum &c. ut ſi exempl. grat. id neceſſarium eſſet ad conſtruendam, vel ampliandam Eccleſiam, Hoſpitale &c. *Palaus de Juſt. diſp. 5. part. 19. num 4.* Si vero domus aliena, fundus &c. non eſſent neceſſaria, ſed tantum proficua pro favore Religionis, aut bono publico, tunc venditor non eſſet cogendus ad vendendam rem ſuam, quando id evenire non poſſet ſine ejus notabili detrimento, ſecus ſi cum modico damno: *Covar. lib. 3. Var. reſ. capit. 14. num. 7*

Dixi etiam, quod quis cogi poteſt ad emendum, quando ita bonum publicum expoſceret, quia ſemper bonum publicum eſt præferendum. Cogi proinde poſſunt ſubditi ad emendum frumentum pro publica neceſſitate ſervandum, ſi non amplius poſſit ſervari. Item cogi poſſunt ad ſibi comparanda vitæ neceſſaria, ſi prævideatur magna inopia, obſidio Civitatis &c. Plures alii caſus poſſent enumerari, in quibus poſſent ſubditi cogi ad vendendum, & emendum, ſed ſatis conſtare poſſunt ex ſupradictis: *Pal. loc. cit. Laym. lib. 3. tr.4. c.17 §. 5.*

Q. III. Quæ res vendi poſſint.

R. Niſi lex prohibeat, vendi poſſunt omnia ea, quæ ſunt pretio æſtimabilia. Hinc conſtat non ſolum vendi poſſe res immobiles, ſed etiam mobiles, & non ſolum corporales, ſed etiam incorporales; ut ſunt nomina, jura, actiones &c. hæc etenim omnia ſunt pretio æſtimabilia. Item vendi poſſunt non ſolum res exiſtentes, ſed etiam futuræ, quæ tantum ſunt in ſpe. Aſſignatur autem *leg. nec emptio 8. digeſtis de contrah. empt.* notabile diſcrimen inter res, quæ futuræ ſperantur ex cauſa naturali, & eas, quas per accidens, & veluti a fortuna, ut dici ſolet, ſperamus. Primæ cenſentur emi ſub tacita conditione, ſi naſcantur; unde ſi emantur futuri fructus agri, animalium, &c. & nulli fructus, aut partus naſcantur, emptor ad nihil tenebitur, ipſiſque pretium eſt reſtituendum, immo intereſſe, ſi venditor fuit cauſa ne fructus naſcerentur: *Molin. diſp. 340. num. 14.* Secundæ quia ſperantur a fortuna, adeoque quandoque eveniunt, quandoque non, non intelliguntur emi ſub aliqua conditione; ut ſi ematur jactus Aleæ, aut captus piſcium. Hinc emptor tenetur ad dandum pretium, de quo fuit pactum, etſi nil capiatur: *leg. cit. nec emptio.* E contra res capta erit emptoris, etiamſi duplo excedat pretium: *leg. ſi jactum 12. ff. de action. emptio.* Cæterum ſi contrahentes aliter conveniant, ſtandum eſt pactis, quæ fecerunt.

Dixi, ni lex prohibeat, nam leges aliqua prohibent vendere, vel emere, puta res litigioſas, res univerſitatis, & quædam alia, de quibus agunt Juriſtæ. Hic præcipue adnotare oportet prohiberi a legibus venditionem veneni: *leg. quod ſæpe 35. §. 2. digeſtis de contrah. empt.* Id autem ita intelliguntur Theologi, ut non liceat vendere venena, aliaſque res, quibus communiter homines male uti ſolent, ut eſſet clavis falſa &c. ni moraliter certo conſtet ad bonum uſum ab emptore expoſtulari. Si id certo non conſtet, utique non poſſent licite vendi, quia tunc miniſtraretur emptori materia peccati: *S. Thom. 2.2.q 169. art.2. ad 4. Sanch. in Sam. lib. 1. cap.7. num.17. Bonac. d. 3. quæſt. 2. p.2. n. 11.* Licite e contra venduntur res, quibus homines com-

communiter bene uti ſolent, quamvis aliquando ordinentur in malum uſum. Ita ſe habent chartæ luſoriæ, taxilli, arma & *D.Th. loc.cit* Verum tameo eſt, quod ſi hic & nunc conſtaret aliquem velle ea emere ad finem malum, venditor teneretur abſtinere a venditione; ſi etenim ex charitate tenemur impedire peccatum proximi, dum poſſumus id commode præſtare, multo magis debemus abſtinere a ſubminiſtranda materia ejuſdem peccati.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Solent multoties Perſonæ rudes velle recedere ab emptione, & venditione inter ipſas ſequuta, quia nondum factus fuit contractus per publicum Notarium. Verum hoc admittere non debet Confeſſarius, ſi non habuerunt intentionem præſtandi conſenſum niſi per publicum contractum: ut patet enim ex dictis, emptio, & venditio non expoſcunt ſcipturam ad ſui perfectionem ac proinde quando fit ſcriptura, potius intelligeodum eſt fieri ob contractus firmitatem in foro externo, quam pro ipſius valore.

II. Cum non ſubſiſtat contractus emptionis, & venditionis, niſi poſtquam taxata ſunt merx & pretium, advertere debet Confeſſarius, non obligandos eſſe ad emendum, vel vendendum illos, qui poſtquam egerunt de aliqua merce vendenda, convenerunt inter ſe dicendo: *Non ci ſarà da dire. Sta per me, e poi ci aggiuſteremo del prezzo &c.* His & ſimilibus dicendi formulis cum remaneat ſaltem pretium indeterminatum, adeoque cum nondum perfectus ſit contractus, poteſt uterque contrahens a contracto reſilire. Non ſunt pariter cogendi ad vendendum vel emendum, qui pactam fecerunt de aliqua re indeterminata, puta, de aliquo ex agnis gregis, de aliquo panno, nullum determinando inter plures pannos apothecæ &c.

III. Quamvis Tutores, Curatores &c. prohibeantur emere res, quas adminiſtrant; nihilominus advertere debet Confeſſarius, quod ſi illas emant eo majori pretio, quo aliis vendidiſſent, non ſunt inquietandi in foro conſcientiæ. Dixi tamen, eo *majori pretio*; nam cum ex vi ſui officii teneantur quærere utilitatem pupilli, minoris &c. id utique non facerent, ſi dum poſſent aliquid aliis vendere majori pretio, ſibi minori pretio, quamvis intra latitudinem infimi, compararent.

CAPUT II.

De iis, qui prohibentur negociari per emptionem, & venditionem.

Q. I. Quid ſit negociatio.

R. I. Negociatio proprie & rigoroſe dicta ea eſt, qua re aliqua comparatur, ut integra & immutata vendatur ad lucrum acquirendum. Illa ergo non eſt negociatio, qua emitur neceſſarium, & ſuperfluum venditur; ſicut nec eſt negociatio rigoroſa aliquid emere, ut arte, vel induſtria immutatum, carius vendatur. Ita colligitur ex *D Th. 2.2.q.77.art.4.*

Q. II. An Negociatores licite emere poſſint magnam copiam mercium, ut poſtea minuatim carius vendant.

R. Quamvis negociatio rigoroſa de ſe indifferens ſit, & ſolum poſſit eſſe mala ratione fraudum, finis, mendaciorum, perjuriorum &c. nihilominus puto illicitam etiam eſſe, quoties quis merces ad vitam neceſſarias in urbe exiſtentes in magna emat quantitate, ut poſtea cum lucro vendat. Ratio eſt, quia certe ratione talis emptionis cives damnum patiantur, cum cogantur emere pretio majori, videtur autem jus eſſe apud Rempublicam, ut nemo ita apud ſe accumulet merces ad vitam neceſſarias, ut cogantur cives emere majori pretio, ac ſi expoſitæ eſſent apud plures vendendæ. Accedit illud augmentum pretii non provenire, quia alias tanti illæ merces æſtimarentur ſed tanti venduntur, quia aliquis illas apud ſe in magna quantitate coadunavit; unde pretii augmentum, utpote proveniens ex alterius accumulatione illarum mercium, juſtum non reputandum eſt. Hinc talis negociatio dicitur turpe lucrum: *can quicumque 14. quæſt. 4.* & cogi poſſunt hujuſmodi negociatores ad vendendas merces minori pretio: *leg. 2. §. Cum in eadem ff. ad leg. rediam.*

Immo videntur ſatisfacere debere iis, qui carius emerunt propter ipſorum negociationem. Ita contra plures alios *Trull. l.7.c.20. d.18. Sotus l.6.de Juſt.q.2.art. 2. Navar.c.23.n.91.*

Dixi tamen non licere modo præſato apud ſe congregare merces exiſtentes in civitates, ne ſi apud paucos ſint, cives cogantur carius emere. Cæterum licite mercator curat merces in magna quantitate apud ſe ex aliis urbibus aſportari; nam tunc non privat cives commodo emendi mitiori pretio res, quæ jam ſint apud plures in Civitate. Locutus pariter ſum de mercibus ad vitam neceſſariis; merces enim non neceſſarias licite mercatores apud ſe accumulant; neque enim damnificatur Reſpublica, ſi hæ pretio rigoroſiori vendantur: ultraquamquod cum non ſint neceſſariæ pretium non ſolet eſſe taxatum.

Q. III. An Clericis liceat exercere negociationem proprie dictam; & quid ſi illam exerceant per alium.

R. I. Utique negociatio proprie dicta interdicta eſt Clericis, & Religioſis, cum valde indecorum ſit illos lucro captandu incumbere; tum quia negocia valde avocant a ſpiritualibus, in quibus tam Clerici, quam Religioſi debent occupari: *can. conſequens 88. diſt., cap. fin. d. vit. & honeſt. Cler., cap. 2. ne Cler. vel Monachi &c.* Nec ſolummodo prohibentur Clerici & Religioſi a negociando, ſed inſuper graviſſimæ pœnæ adduntur, excommunicatio nempe & ſuſpenſio, quæ tamen ſunt ferendæ ſententiæ, ut notant *Lugo diſp. 26. ſection. 3. numer. 23. Molin. diſp. 342.* Præterea pro rebus, quibus negociantur; ſolvere debent vectigalia: *capit. ultim. de vit. & honeſt. cleric., cap. quamquam de cenſib. in 6.* Solummodo lis eſt, an teneantur ſolvere vectigalia de hujuſmodi rebus, antequam ter admoneantur, ut deſiſtant a negociatione. Et quamvis *Barboſ. lib. 1. jur. Eccleſiaſt. univ. cap.42. num.130.* adhæreat tamquam probabiliori, ſententiæ neganti hujuſmodi obligationem ante trinam monitionem, nihilominus tutam puto in praxi contrariam opinionem; nam dici poteſt trinam monitionem prærequiri, antequam priventur immonitate a vectigalibus de bonis quaſi patrimonialibus, non vero requiri ut priventur immunitate a vectigalibus quoad res, ex quibus illicite negociantur: *Molin diſp. 342. numer. 10. Carolus de Graff. de effect. Clericorum eff. 3. num. 184. Salmant. tr. 14. cap. 2. num. 37.*

R. II. Non eſt illicitum negociari per alium, taliter, ut ille totam induſtriam præſtet in negocio. Ratio eſt, quia dum Eccleſiaſticus nullatenus per ſe exercet negociationem, dici non poteſt exercere opus indecens ſtatui Clericali, & diſtrahi ab operibus ſpiritualibus; quibus rationibus voluerunt SS. Canones vetitam Eccleſiaſticis negociationem. *Molin. diſp. 342. Leſſ. lib. 2.c.21.diſp.1.nu6, Filiuc. tr.35.c.t. q.8.n.25.* Bene autem monet Lugo *diſp.26. ſect.3.n.36.* non excuſandum eſſe ab illicita negociatione illum, qui ita negociaretur per famulum, ſeu miniſtrum, ut tota, vel fere tota ſuperintendentia eſſet apud ipſum; hoc enim revera eſt negociari per ſeipſum. Sicut autem hoc, ut infra dicam, eſt grave peccatum, ita leve eſſet, ſi modica tantum ſit ſuperintendentia.

Q. IV. An Clericis licita ſit negociatio, non omnino rigoroſa.

R. I. Si negociatio ſit œconomica, nempe ad lucrandum ex rebus propriis, dici non debet Eccleſiaſticis illicita, etenim Canones prohibent illam negociationem, quæ fit, aliena emendo, ut cum lucro vendantur. Hinc poteſt Clericus fructus recollectos in propriis prædiis alio mittere, ut carius vendat, vel ſervare uſque ad tempus, quo carius venduntur. Poteſt greges, aliaque animalia in ſuis prædiis alere, ut lucrum reportet vel ex fœtibus, vel ex ipſis animalibus, dum venduntur adulta, & ſaginata in propriis paſcuis. Poteſt locare animalia, ut oves, & boves, ſi habeat ex ſucceſſione, vel ex decimis. Poteſt vinum ſuum minuatim vendere, ſicut & ex proprio frumento facere panem coctum, illumque vendere. Reduci poteſt ad hanc negociationem carius vendere ea, quæ ad proprios uſus empta fuerant, non ſolum ſi ſuperſint, ſed etiam ſi detur opportunitas carius vendendi; neque etenim vera tunc intercedit negociatio, cum non empta fuerint animo carius vendendi. Multo magis id verificatur, ſi Clericus proprios proventus carius vendat, animo illos emendi

dum

dum pretium vilius erit; prohibitum enim eſt emere vilius ad carius vendendum, non carius vendere ad vilius emendum.

R. II. Licita eſt negotiatio induſtrialis, ſi non multum accedat ad negociationem lucrativam, de qua dictum eſt in ſuperiori quæſito. Pro negociatione induſtriali omnino licita illam intelligo, qua res emptæ propria arte, & induſtria vel mutantur, vel valde meliorantur, atque ita venduntur. Hanc negociationem, quæ præſefert induſtriam, & artem venditoris, non vero turpe lucrum, non improbant SS. Canones, nec Theologi. Hinc licite Clericus faceret ex auro, argento &c. artefacta ad vendendum; ex coloribus picturas; ex ſerico opera acu picta &c. Ita etiam fert communis praxis.

Dixi, ſi non multum accedat ad lucrativam a SS. Canonibus prohibitam. Hujuſmodi reputatur negociatio, qua emuntur uvæ, ut per famulos poſtea vinum vendatur; lanæ, ut per operarios conficiatur pannum ad vendendum. Item ſi conducerentur agri, vel aliæ res fructiferæ ad vendendos fructus; nam ſolum licet Clerico proprios agros colere, vel etiam accipere in affictum terrena a locis piis. Præfatæ aliæque ſimiles negociationes cum parum diſtent a negociatione rigoroſa, præſeferunt lucri aviditatem, quæ Eccleſiaſticos valde dedecent; illoſque ſummopere a Divinis avertunt, adeoque Clericis omnino prohibitæ reputantur. Quoad hanc materiam videantur Belletrus *in diſq. Cleric. p. 2. §. 51. de pœn. Cler. n. 1. Sperell. in deciſ. for. Eccl. deciſ. 94. Barboſ. l. 1. Jur. Eccl. c. 40. nu. 114. Lugo diſp. 26. ſect. 3. n. 34. Molin. diſp. 342.*

Q. III. An Omnibus Clericis prohibita ſit negociatio; & quomodo peccent negociando.

R. I. Certum eſt omnibus Religioſis vetitam eſſe negociationem, itemque omnibus Clericis in Sacris conſtitutis. Quoad Clericos Minoribus Ordinibus initiatos, communis opinio eſt non comprehendi ſub lege prohibente Clericis negociationem, ſi non habeant Beneficium; ſi etenim ſint beneficiati, cum tunc ratione beneficii debeant ſpecialiter vitam Eccleſiaſticam gerere, intelligi debent remoti a negociis ſæcularibus, inter quæ non ultimum locum habet negociatio. Sunt tamen & qui hujuſmodi Clericum velint non comprehendi ſub juribus ab initio citatis: *Molin. diſp. 342. Trul. l. 7. in Decal. c. 21. d. 9. num. 7.*

R. II. Omnes, qui comprehenduntur ſub prohibitionibus negociandi, peccant mortaliter, ſi negocientur, quia iſtæ leges ſunt juſtæ, & de re valde gravi, & ſub gravibus pœnis impoſitæ: *Barboſ. cit. n. 114. & 128. Bellet. diſquiſit. Cler. p. 2. §. 51. nu. 2.* & fere communiter. Excuſantur tamen a gravi culpa, ſi bis, vel ter negocientur, nam hoc intelligitur ad parvitatem materiæ pertinere; ulterius jura intelliguntur de Clerico exercente negociationem, non autem ſi bis, vel ter negocietur; *Barboſ. n. 120. Lugo d. 26. ſect. 3. n. 24.* Item omnino excuſatur Religioſus, vel Clericus, ſi negocientur ad ſe ſuoſque alendos: *Barb. nu. 119.* & communiter; colligitur enim *ex cap. dilecti de Decim. & c. pervenit d. 86.* aliiſque SS. Canonibus.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum ex opinione vere probabili liceat Eccleſiaſticis per alium negociari, quoties ipſi nihil, vel fere nihil negociis ſuperintendant; hinc ſemper putavi Confeſſarios omnino tutos in conſcientia reputare debere illos Eccleſiaſticos, qui dant propriam pecuniam ad ſocietatem Negociatoribus, vel contractu, ut dici ſolet, trium ſcriptorum, ſi nullam curam habeant de negociis, quæ fiunt a mercatoribus, ſolummodo ſuo tempore reportantes lucrum ex negociis ab ipſis peractis. Multo magis id licite faciunt, dum deſunt occaſiones implicandi in cenſibus, vel in emptione bonorum frugiferorum propriam pecuniam.

II. Videat Confeſſarius, quam gravi culpa inquinentur illi Eccleſiaſtici, & maxime Animarum Rectores, qui emunt frumentum, vinum &c. pretio viliori, ut poſtea carius vendant; hæc etenim eſt negociatio ipſis omnino illicita. Eodem inquinantur peccato dum emunt ad minutatim vendendum, faciendo panem de frumento. Immo nollem unquam Rectores Animarum proprium vinum minutatim vendere ad illud in ipſorum domibus bibendum; multi etenim, hac oblata occaſione, inebriantur cum gravi ſcandalo, populique obmurmurationibus: ſolent etenim dicere in cella vinaria Rectoris conſumi a Patribus-familias quæ domum deferre deberent ad ſuos ſubſtentandos: filios e domo ſurripere ut ibidem bibendo, & comedendo ſe ingurgitent; vel ſaltem ibi propria lucra dilapidare, dum interim Parentes, & alii e familia nec habent neceſſaria; Rectorem nimis lucro inhiantem non curare de tot ebrietatis peccatis &c. Majorem etiam dabit ſcandali, & detrahendi occaſionem, ſi ludum alearum computatoribus permittat. Hinc nullatenus illi concionanti, vel peccata in confeſſione redarguenti benignas aures præſtabunt; & en Animarum ruina. Conſideret ergo Confeſſarius quomodo ſe gerere debeat cum iis Rectoribus, qui fere cauponam in propriis ædibus habent. Hæc omnino vitantur abſurda, ſi illis tantum minutatim vendant vinum, qui volunt illud ad propriam domum deferre, vel etiam viatoribus; non vero illuc confluentibus vel ad ludendum, vel ad vinum immoderate bibendum.

III. Quamvis permittant SS. Canones Eccleſiaſticis propria bona colere, nihilominus ſuaderem Confeſſario, ne permittat Eccleſiaſticis ita exercere agriculturam, ſeu per ſe etiam viliora facere, ut populo deſpicabiles reddantur, ac deſiderio diteſcendi inflammari videantur. Cui quæſo noſtris temporibus non vilis appareret Rector ille animarum, qui vel per totam diem, vel majorem ipſius partem ligone terram foderet, ipſamque ſtercoraret; ac deinde terra, ſtercoreque ſordidatus ſacra faceret miniſteria? Ego utique illi concederem per ſe ipſum hortum colere, vites, aliaſque arbores amputare; at obteſtarer, ne alia viliora populo vidente præſtaret, ne ipſorum exponatur ludibrio, & ne paſſim dicant velle per ſe ipſum ruſticum agere, ne aliquid cogatur ſolvere Operariis.

IV. Antequam Confeſſarius prohibeat Eccleſiaſtico negociationem, in Domino videat, an ſatis habeat, ut provideat ſuis, ſuorum, & Eccleſiæ neceſſitatibus. Si non ſatis illi ſit, tunc permittat ei aliquam negociationem, ſed ſolummodo quantum ſua, ſuorumque neceſſitas expoſcit; & ita illam exerceat, ut quantum fieri poteſt, ſæcularium detractiones removeat.

V. Denique Confeſſarius ſerio increpet illum Eccleſiaſticum, qui totus eſt in exercendis aliorum negociis, ſeu gerit quaſi perſonam, vulgo di *Fattore*, in domo Nobilium. Hoc utique illum omnino divertit ab applicando rebus ſpiritualibus, ut præſtare teneretur; adeoque male ſonat apud SS. Canones, qui non ſolum generaliter prohibent Eccleſiaſticis negociationem, ſed etiam eſſe Miniſtros, & Procuratores Laicorum: *cap. 2. ne Cler. vel Mon.* ubi communiter Canoniſtæ.

CAPUT III.

De Pretio rerum venalium; & ex quibus cauſis augeri, vel minui poſſit.

Q. I. QUid ſit pretium; & quotuplex.

R. I. Pretium eſt pecunia certa, & determinata; quæ promittitur pro merce. Cur dicatur pecunia certa, & determinata conſtat ex dictis capite ſuperiori. Additur, *quæ promittitur*, ad innuendum non eſſe neceſſarium quod illico detur, ſeu ſolvatur pretium pro merce, ſed ſatis eſt ſi promittatur: *leg. 1. de contrah. empt.*

R. II. Pretium duplex eſt, legale, & naturale. Legale eſt illud, quod taxatur pro aliqua merce ab habente poteſtatem. Id autem multoties fit ad obviandum avaritiæ venditorum, ſeu etiam præpotentiæ emptorum, ne extorqueant merces pretio nimis vili.

Pretium naturale eſt illud, quod abſque taxatione legis menſuratur, ſed ſtatuitur communi, & prudenti judicio hominum, attenta rerum neceſſitate, utilitate, penuria, abundantia &c. Ex hoc autem provenit pretium naturale non conſiſtere in indiviſibili, ſeu in aliqua quantitate determinata, ſicut legale, ſed habere quamdam latitudinem; cum etenim hominum judicia varia ſint, conſequens eſt varium eſſe pretium naturale. Hic communiter dividitur in infimum, ſeu pium; in medium, ſeu moderatum; in rigoroſum, ſeu ſummum, & quocumque ex his pretiis res vendatur, ſemper juſte venditur.

pretium rei. Item dicas ſi lucrum ceſſans, vel damnum emergens eſſet in emptore, quatenus ſcilicet ſi rem non emeret, magnum deperderet lucrum, vel ſubiret aliquod damnum. Si propter hujuſmodi affectum, neceſſitatem vel utilitatem emptoris venditor vellet augere pretium ſupra rigoroſum, jam illud augeret propter id, quod ſuum non eſt, adeoque injuſte ageret.

R. III. Tertia cauſa augendi pretium eſt penuria mercium, & multitudo emptorum. Ratio eſt, quia communis æſtimatio pretium juſtificat: *arg. leg. pretia rerum ff. ad leg. falcid.* pluris autem æſtimantur res, quando raræ ſunt, & multi ſunt emptores, utpote quia difficilius poſſunt haberi: *Laym. l.3. tr.4. c.17. §.1. n.10. Pal. de juſt. diſp. 12. p.12. n.1.*

R. IV. Quarta cauſa augendi pretium non eſt dilata ſolutio, bene tamen periculum amittendi pretium, vel difficultas, moleſtia, & labor in eo obtinendo. Quod præciſe propter dilatam ſolutionem non liceat exigere aliquid ſupra pretium rigoroſum, conſtat *ex cap. conſuluit 30. de uſur.* Ratio etiam ſuffragatur, quia, ſi quod ſtat ſolum 100. aureis, vendam 110. quia non ſtatim 100. aurei ſolvuntur, idem eſt ac ſi mutuo darem 100. ut poſt aliquid tempus 110. acciperem, quod conſtat eſſe uſurarium: *Azor. 3. p. l. 8. c. 8. §. Vis igitur* & communiter.

Licite vero augetur pretium ob periculum illud amittendi. Et probatur *ex cap. in Civitate 6. de uſur.* nam ibi conceditur venditori augere pretium, eo quod ſperaret merces eſſe pluris valituras eo tempore, quo decreverat illas vendere. Si ergo periculum amittendi pretii, & incrementum eſt juſtus titulus tale pretium augendi, multo magis periculum amittendi ipſum pretium vel in toto, vel in parte. Probatur etiam ratione, quia, exponere ſe periculo gravis damni eſt pretio æſtimabile, ut deducitur etiam *ex leg. 6. ff. de nautic. fœn.* ergo pro tali periculo poterit aliquid licite exigere ille, qui ſe exponit periculo amittendi pretium ſuæ mercis. Sed de hoc periculo uberius, cum agemus de contractu mutui. Nec puto in ordinariis emptionibus ob augendum pretium ratione veri periculi neceſſe eſſe monere emptorem de tali augmento, nam potius offenderetur. Secus in venditionibus majoris momenti; nam ſicut in iſtis ſine emptoris offenſione expoſcitur pignus, vel Fidejuſſor, ita & poteſt exponi aliquid de plus exigi ratione periculi, quod prudenter timeatur. In hoc ſenſu admittendum eſt quod ſine ulla diſtinctione docet Leſſius *l. 1. c. 21. n. 55. & Mol. diſp. 356.* aliique. Eadem ratione probatur licitum eſſe augere pretium ob difficultates, labores, moleſtias &c. quæ prævidentur eventuræ in obtinendo pretio, dum merx credito venditur: nam de facto id etiam eſt pretio æſtimabile.

Q. V. Quæ ſint cauſæ minuendi pretium infra infimum.

R. I. Prima cauſa minuendi modo prædicto pretium eſt lucrum ceſſans, vel damnum emergens emptoris. Si quis v. gr. emat agrum, domum &c. in gratiam venditoris numerata pecunia, & ob id omittat aliud negotium ſibi proficuum & utile, hac ratione poterit velle emere pretio minus infimo, ut patet ex dictis in ſuperiori quæſito. Idem dicas, ſi debeat facere expenſas in conſervanda re, quam emit in gratiam ipſius emptoris: *Navar. c. 23. a num. 84. Leſſ. l. 2. c. 21. dub. 4. Pal. de juſt. diſp. 5. p. 10. n. 3.*

R. II. Altera cauſa minuendi pretium eſt copia mercium, & paucitas emptorum; nam tunc minus æſtimantur, & ex communi æſtimatione augetur, & diminuitur pretium: *arg. leg. pretia rerum ff. ad leg. falcid.*

R. III. Tertia cauſa minuendi pretium eſt, ſi merces in magna copia emantur, nam cum tunc venditor fiat habilior ad novas merces comparandas, & exoneretur moleſtis, & curis, quæ neceſſariæ ſunt in conſervandis mercibus, ſive illis minuatim vendendis, voluntarie accipit aliquid minus pretio conſueto. Præterea talis eſt communis conſenſus inter vendentes, & ementes; *Laym. lib. 3. tr. 4. c. 7. n. 10. Leſſ. l. 2. c. 21. dub. 4. in fin.*

R. IV. Quarta cauſa minuendi pretium eſt, ſi merx ultronee offeratur emptori, dummodo concurrat aliqua circumſtantia, ratione cujus tunc vileſcat. Pro quo obſervandum, quod præciſe ex hac cauſa quod a venditore merx offeratur emptori, non puto poſſe diminui pretium infra infimum. Ratio mihi eſt, quia eo quod a venditore offeratur, non evadit minus rara, ſeu minus utilis & bona; ac proinde non eſt cur pretium ſolum ex hoc capite ſit diminuendum infra infimum: Præterea ſicut ob privatam utilitatem, ſeu neceſſitatem emptoris non poteſt venditor, ex ſupradictis pretium augere, ita nec emptor poterit infra juſtum diminuere propter particularem neceſſitatem, qua venditor cogitur offerre ſuas merces. Nec obſtat illud vulgare dictum: *merces ultroneæ vileſcunt*; nam invaluit eo quia ſæpe adeſt aliqua circumſtantia unde vileſcant. Solent e. g. tales merces adeſſe in magna copia; vel pauci ſunt emptores qui eas requirant; ſeu tales merces ſolent eſſe minus utiles, vel etiam oneroſæ emptoribus &c. *Bonac. de Contractib. q. 2. p. 4. n. 28. Salm. tr. 14. c. 2. p. 9. §. 2. n. 105.*

R. V. Ob anticipatam ſolutionem non licet pretium diminuere, niſi in emptore adſit lucrum ceſſans; vel damnum emergens, vel periculum non habendæ mercis, vel habendæ minus bonæ. Quod ex vi præciſe anticipatæ ſolutionis non liceat emere pretio infra juſtum patet, quia, ſi emam modo pretio decem aureorum mercem ſtantem quindecim aureis, tradendam tamen poſt aliquos menſes, idem eſt ac ſi mutuo dem decem aureos, ut mihi poſtea quindecim tradantur, quod eſt manifeſta uſura. Ita communiter DD. Si vero eo quod anticipato emam, amittam aliquod lucrum, vel ſubeam aliquod damnum, vel me exponam periculo amittendi pretium, & non obtinendæ ſuo tempore mercis, tunc poteſt minoi pretium quanti æſtimantur hæc onera, quæ ſubit emptor.

Q. VI. An quæ voce præconis publice ſub haſta venduntur, quocumque pretio emi, vel vendi poſſint.

R. Juſtum pretium rerum, quæ ſub haſta venduntur, illud eſt quod offertur a licitatoribus, ſive rigoroſum excedat, ſive infimo emantur. Ratio eſt, quia quod ita vendatur, videtur a publica poteſtate illud taxari pro pretio juſto in hujuſmodi venditionibus quod ab emptoribus offertur. Secus dicendum, ſi lex ita taxaverit pretium in hujuſmodi venditionibus, ut ſaltem minoris vendi non poſſint: *Lugo diſp. 26. ſect. 4. n. 45. Trull. l. 7. cap. 20. dub. 3. n. 1. & 2. & dub. 6. n. 9. Dian. 3. p. tr. 8. reſol. 55.* Oportet tamen fraudes abeſſe & pretium oblatum juſtum intelligatur. Hujuſmodi autem ſunt, ſi immittantur emptores pretium exiguum ſimulate offerentes, & ſtatim deſiſtant ab ulteriori pretio offerendo; vel ſi immittantur ficti emptores ſimulantes velle emere, ut ita carius vendatur; vel ſi omnes emptores ſimul conſpirent nonniſi vile pretium offerendi, id enim præſefert monopolium. Cæterum nulla injuſtitia eſt rogare aliquos amicos, ne plus certa quantitate offerant, ut poſſit rogans rem obtinere juſto pretio, quamvis infimo; non intercedit etenim injuſtitia circa pretium, nec circa modum, quo impediuntur alii emptores a plus offerendo, cum ſolummodo deprecetur. Peccaret vero contra juſtitiam, ſi minis, vel importunis precibus uteretur, vel ſi rogaret, ut nec offerrent pretium juſtum: *Bon. d. 6. q. 2. p. 5. n. 10. Dian. 1. p. tr. 8. reſ. 76.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum non liceat vendere niſi intra latitudinem juſti pretii, nec pariter liceat emere niſi eodem juſto pretio, advertere debet Confeſſarius non eſſe tutos in conſcientia illos, qui a venditore ignorante emunt aliquam tabulam pictam, gemmam &c. pretio valde modico, dum alias eſſent multi valoris; nam juſtum pretium illius rei non commenſurandum eſt particulari æſtimatione venditoris ignorantis: ſed ex communi æſtimatione illorum, qui ſunt periti circa illas res.

Nec pariter tutus eſt in conſcientia venditor, qui ex emptoris inconſideratione, paſſione, animi levitate, ex nimio affectu ad rem, quam emit, exigit aliquid ſupra pretium rigoroſum; nam excedit limites juſti pretii. Neque poteſt dici præſumendum eſſe emptorem donare; nam donatio ordinarie non præſumitur, niſi id ex aliquo titulo poſſit probari: & de facto emptor non intendit donare, ſed emere, & venditor exigit pretium non ut donatum, ſed ut debitum.

II. Quia nemo tenetur in conſcientia ſtare pretio legali, ſeu taxato a Principe, quoties eſt manifeſte

inju-

injuſtum, hine eſt quod ſi vel ex prima taxatione pretii, vel ſi ex eo quod illud non fuit mutatum variatis circumſtantiis, nullum, vel ſere nullum lucrum reportent venditores, tunc non teneniur illud ſervare. Si ergo tunc alia via non poſſint ſibi de honeſto lucro providere, poterunt id facere diminuendo pondus, menſuram &c. Poterunt pariter mercibus aliam rem minus bonam immiſcere: ut; aliquid ſiliginis optimo frumento, aliquid aquæ vino &c. Hæc mixtio aquæ vino non admittitut ab aliquibus, quia emptor intendit emere vinum purum. Nihilominus ſi tali mixtione non efficiatur deterius eo, quod communiter vendi- tur tali pretio, non poſſum id reprobare, quia ſervatur æqualitas inter contrahentes. Secus ſi vinum emeretur ad conſervandum; nam vinum mixtum aqua difficile conſervatur.

III. Eo quod res meliores & excellentiores intra eamdem ſpeciem vendi poſſint ultra pretium taxatum a Lege ſequitur venditorem poſſe meliora ſeparare, & vendere ultra taxam, & quod remanet, vendre pretio taxato, ſi remaneat ejuſdem bonitatis ac id, quod illius ſpeciei communiter venditur. Advertere tamen eſt, quod id, quod venditur ultra taxam, non debet excedere tantum modice alias conſimiles merces in bonitate; nam *parvus* exceſſus nun variat commune pretium.

IV. Confeſſarii quoque advertete debent, quod quamvis non licite augeatur pretium ex eo preciſe quod merces credito vendantur; nihilominus in praxi dum venditio credito fit, fere ſemper adeſt aliquis juſtus titulus pretium augendi. Vel enim aderit ſaltem aliquod periculum pretium perdendi; vel aderit lucrum ceſſans, cum Mercatores ſoleant præſenti pecunia negociari; vel ſaltem aliqua moleſtia imminebit in pretio obtinendo. Quoties enim etiam illi, qui poſſent ſolvere, nolunt facere, niſi prius malis verbis affligant venditores, vel etiam minis? Advertere tamen oportet in his caſibus pretium non eſſe ſemper æqualiter augendum, ſed augendum, vel minuendum eſſe juxta proportionem. periculi, & moleſtiarum &c.

V. Quam maxime attendere debent Confeſſarii, ne emptores venditorum paupertate abutentes, ab illis emant res, quas offerunt viliſſimo pretio, memores ſolam neceſſitatem venditoris non eſſe ſufficientem rationem, ut merx ematur pretio minus infimo. Hinc ſæpe debent eos cogere ad reſarcienda damna illata miſeris venditoribus, cum ſæpe ex eo ſolum exiguo emant pretio, quod venditores ratione neceſſitatis vendere coguntur.

VI. In praxi attendere debent Confeſſarii, ne præciſe propter anticipatam ſolutionem emantur res pretio minus infimo. Id facere ſolent multi hyeme emendo a Ruſticis fœnum, folia propter bombyces, frumentum tradendum tempore meſſis &c. & quia anticipato emunt, pretio tam vili emunt, ut fere ſemper certi ſint ſe lucraturos.

VII. Non raro injuſtitiæ interveniunt in publicis licitationibus. Sciat proinde Confeſſarius non licere omnibus iis, qui aliquid emere volunt ſub haſta, convenire de non offerendo niſi tali pretio. Idem dicas quoad volentes emere vectigalia, vel alios proventus; hoc etenim reducitur ad ſpeciem monopolii, quo injuſtitia committitur adverſus venditores. Non per hoc tamen illicitum eſt rogare amicos, ne faciant nimis pretium aſcendere, ut ipſe rogans poſſit rem juſto pretio obtinere. Altera injuſtitia eſt, quando alii fraude & dolo prohibentur hujuſmodi emere. Ipſæ etiam preces ſi proveniant a viro potente in his circumſtantiis, in quibus, ſi quis illi non acquieſcat, poſſit timere aliquod malum, vi æquiparantur.

CAPUT IV.

De quibuſdam particularibus venditionibus, videlicet Officiorum, Nominum, Hæreditatis, & Rei alienæ.

Q. I. AN licite publica officia vendantur.

R. I. Quamvis leges poſitivæ, prohibeant venditionem, & emptionem officiorum temporalium; nihilominus ſi adſit conſuetudo legitime introducta, vendi, & emi poſſunt.

Quod hoc prohibeant leges poſitivæ, conſtat ex *Novell. 8. c. 1.* atque id juſtis de cauſis factum eſt; nam ſi publica officia venditioni exponantur, valde periculoſum eſt, ut indignis & ineptis conferantur. Si vero contraria conſuetudo legitime fuerit introducta, valide & licite venduntur talia officia; quatenus etenim afferunt lucrum & commoditatem, ſunt vero pretio æſtimabilia. Duo tamen advertere oportet. Primo, ne vendantur indignis & ineptis, ut de ſe conſtat. Secundo, ne vendantur pretio immoderato; nam ultra quamquod hujuſmodi officia habent pretium ſibi correſpondens juxta majus vel minus lucrum, & commoditatem quam afferunt; adhuc conſiderare eſt, quod ſi vendantur pretio immoderato, qui habent officia hujuſmodi pretio, ſummopere adlaborant per fas & nefas pretium expenſum recuperare. Contraria conſuetudo utpote fovens peccata, dicenda eſt corruptela, adeoque legitime non poteſt introduci: *cap. final. de conſuet. Navar. in man. c. 25. n. 7. Pal. de Juſt. d. 5. p. 18. n. 13. Azor. p. 3. l. 8. c. 7.*

Q. II. An Nomina, ſeu Actiones, Jura, Credita, Debita, Chyrographa licite minoris emi poſſint.

R. I. Quamvis Nomina, ſeu credita illiquida & litigioſa jure poſitivo emi non poſſint, id tamen licite fit, ubi eſt conſuetudo legitime introducta. Hanc utique emptionem & venditionem prohibuit jus poſitivum, ut conſtat *ex leg. quicumque 3. Cod. de litigioſis*. Immo ſi talia nomina ſimulate alicui donarentur, & revera venderentur pretio valde minori, debitor non teneretur ſolvere emptori niſi quod ipſe principali creditori tradidiſſet: *leg. ab Anaſtaſio 23. Cod. mandati*. Ita ſi quis creditum litigioſum 100. ſcutorum emiſſet 100. ſcutis, quamvis ipſi tale creditum adjudicaretur, nihilominus debitor non teneretur ſolvere niſi 100. ſcuta, quoties probaret tali pretio, ſuum debitum emptum fuiſſe. Stante autem conſuetudine legitime introducta, bene talia nomina, ſeu credita licite venduntur & emuntur, quia ſunt pretio æſtimabilia, & eo majori ſunt digna pretio, quo magis effulget ſpes, ut talia credita fiant in judicio certa.

R. II. Credita certa minoris emi poſſunt, ſi in emptore adſit lucrum ceſſans, aut damnum emergens; vel ſi ipſa credita difficiliter obtineri poſſint, aut futura ſint periculoſa &c. Et quidem ſi aliquis emendo alterius creditum anticipate ſolvat pecuniam, unde non poſſit ſuis negociis incumbere, vel aliud damnum patiatur, clarum eſt non pati debere hujuſmodi, & poſſe emere creditum tanto minoris, quantum neceſſe eſt, ut reparentur lucra, quæ paſſus fuit.

Idem dicendum, ſi creditum, licet liquidum, attamen ſit periculoſum, v. g. propter paupertatem debitoris, vel exigi haud poſſit ſine multis incommodis, ſeu etiam expenſis; nam talia credita licet certa in communi æſtimatione minoris reputantur: *Leſſ. l. 2. c. 21. d. 8. num. 65. Laym. l. 3. tr. 4. cap. 17. §. 5. n. 33.* Nec refert ab emptore fore conſequendum creditum abſque ulla difficultate & periculo ob ſuam particularem induſtriam, amicitiam &c. nam hoc per accidens ſe habet; & pretium crediti non attenditur penes aliquam circumſtantiam, quæ competat uni, aut alteri emptori, ſed penes communem æſtimationem. *Laym. cit. Lugo d. 26. n. 94. Mol. diſp. 361. n. 10.*

Ipſi etiam Debitores poſſunt minoris emere alterius creditum liquidum quidem, ſed periculoſum, ſeu difficilis exactionis: dummodo ipſi cauſa non ſint, ut tale evadat. Poſſunt, inquam, & ipſi minoris emere; nam ſemper cum emunt pretio juſto, non ſunt deterioris conditionis, ac ſint alii. Secus dicendum, ſi ipſi malitioſe redderent alterius creditum periculoſum, & difficilis exactionis; nam tenentur ſua debita ſine difficultate ſolvere; & aliunde nemo debet cum alterius injuria diteſcere, & reportare commodum ex ſua malitia, & dolo ut *ex reg. 168. juris, & ex cap. literis 2. de dolo, & contum.*

Quod dictum eſt de debitoribus, valet etiam de Officialibus & Miniſtris, qui Principum, vel aliorum pecuniam adminiſtrant. Et ipſi igitur, ſi non ſunt cauſa periculoſæ & difficilis ſolutionis, poſſunt minoris emere credita, quæ a creditoribus difficile exiguntur ab illis, quorum pecunias adminiſtrant. Id tamen in praxi non caret gravi periculo.

R. III. Creditum certum nulla difficultate ac moleſtia exigibile in futurum, & quod nullatenus eſt periculoſum, non poteſt minoris emi. *Suppono igi-*

tur

Digitized by Google

tur non intervenire im emptore lucrum ceſſans, vel damnum emergens. Hoc ſuppoſito probatur allata reſponſio, quia debet intervenire æqualitas inter pretium & mercem; eo autem ipſo quod creditum 100. aureorum nulla ſit difficultate exigibile, & nullo ſit periculo expoſitum, non ſtat minus 100. aureis, quamvis ſit in poſterum ſolvendum. Nec refert quod pluris æſtimari ſoleat res præſens, quam futura, ſive plus jus in re, quam ad rem: *leg. minus 204. ff. de regul. jur.* nam ita dicitur, quia ordinarie loquendo, in acquirenda re futura occurunt difficultates, pericula, ſive lucrum ceſſans, & damnum emergens.

Facit ad caſum noſtrum damnatio propoſitionis 41. facta ab Innocent. XI, quæ ita ſe habebat. *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.* Sicut igitur in mutuo pecunia futura nullo periculo, & nullis difficultatibus expoſita non poteſt minoris æſtimari, quam præſens, adeoque non poteſt mutuatarius ratione pecuniæ in futurum habendæ aliquid exigere ſupra pecuniam, quam modo dat; ita dicendum, creditum certum 100. aureorum, & certo & ſine difficultate in futurum exigibile valere etiam modo 100. aureis: *Laym. loc. cit. numer. 32. Molin. diſp. 361. Leſſ. lib. 2. c. 31. d. 8.*

Q. III. An hæreditas vendi, & emi poſſit.

R. I. Hæreditas nondum delata certi, & viventis Teſtatoris nec valide nec licite vendi poteſt. Ita expreſſe ſancitur *l. 1. ff. de hæred. vel action. vendit. & l. D. Quæſtione 30. C. de Pactis.* Ratio autem ita decernendi fuit, quia ſi alicui vendatur hæreditas Teſtatoris adhuc viventis, datur cauſa optandi illius mortem, unde talis venditio reputatur contra bonos mores. Secus eſſet, ſi Teſtator ipſe conſentiret, ut conſtat ex *leg. ult. 30. de pact.* nam tunc non eſſet illi moleſtum alterum ſuam hæreditatem ſperare.

R. II. Valide & licite venditur hæreditas nondum delata Teſtatoris incerti, vel Teſtatoris, qui creditur defunctus. Permittunt igitur leges venditionem hæreditatis Teſtatoris incerti: *arg. leg. ita vero 3. §. 2. & leg. ſi ſocietatem 73. ff. pro ſocio.* Ratio eſt, quia ſi quis e. g. venderet hæreditatem, quæ a quocumque Teſtatore ſibi adveniret, nullo aſſignato certo Teſtatore, nullius mors præmature deſideratur, ut de ſe conſtat. Idem ſequitur, ſi ematur hæreditas Teſtatoris, qui creditur defunctus; ut ſi quis diceret, vendo tibi hæreditatem mei Patrui, qui dicitur defunctus, ſi forte me inſtituit hæredem, quod ignoro: *leg. nam hoc 11. de hæred. & action. vend.*

R. III. Hæreditas jam delata, hoc eſt, illa quam quis poteſt cognoſcere, & adire ſine ullo impedimento, poteſt pro libito vendi, nam unuſquiſque eſt ſuæ rei moderator & arbiter. Porro nomine hæreditatis non plus intelligitur, quam quod ſupereſſet deductis legatis, ære alieno, & quibuſvis debitis defuncti: *arg. leg. ſubſignatum 36. de verb. ſign.* Si proinde emptor hæreditatis plus accepit, tenetur reſtituere. Dum vero dixi, *quod ſupereſt, deductis &c.* intellexi ſub nomine hæreditatis venire omnes & ſingulas res, jura, & commoda, ſive magna, ſive parva Teſtatoris, quæ hæres acquiſivit titulo hæreditatis, vel potuit acquirere; ſicut omnes actiones activas utiles ad aliquid proſequendum, vel acquirendum. Cum igitur hæc omnia veniant ſub titulo hæreditatis, pertinebunt ad emptorem ipſius hæreditatis: *leg. qui filii familias 14. ff. de hæred. vendit.* Actiones vero legatariæ ac fideicummiſſariæ, ſicut actiones paſſivæ, quas alii habebant contra Defunctum, non traſmittuntur in emptorem; Iſtæ etenim actiones proprie non ſunt venditoris, ſed creditorum in ipſum venditorem, unde, invitis creditoribus, nequit ſe ab illis eximere: *Pal de juſt. diſp. 5. p. 18. n. 2. arg. l. actio juris 2. c. de hæred. vendend.* Excipe nisi emptor hæreditatis, conſentientibus creditoribus, ſponte voluerit reſpondere, & ſatisfacere: *arg. l. actio juris citat.* vel niſi fiſcus vendiderit hæreditatem; nam tunc omnia onera hæreditatis pertinent ad emptorem: *leg. 1. C. de hæred. vend.*

Q. IV. An valida ſit venditio rei alienæ.

R. Quidquid dicant Juriſtæ de validitate emptionis & venditionis rei alienæ, ſaltem quando emptor bona fide emit, certum eſt apud omnes venditorem non poſſe transferre in emptorem dominium rei alienæ, ſive furtivæ, ſive non furtivæ. Ratio eſt, quia juxta reg. 79. Jur. in 6. *Nemo poteſt plus juris in alium transferre quam ſibi competere dignoſcatur*: conſequenter cum venditor nullum habeat dominium rei alienæ, neque illum poteſt in emptorem transferre: *Sanch. lib. 2. Sum. c. 23. n. 25. Reginal. l. 25. n. 255. Leſſ. l. 2. c. 20. num. 162.* Dicunt autem DD. ideo venditionem rei alienæ a jure validam dici, quia dominium pretii transfertur in venditorem, quamvis teneatur de evictione, & ad omnia damna, ſi vendidit mala fide; & ad id, in quo factus eſt ditior, ſi vendidit bona fide. Cæterum ſi emptor emat aliquam rem pecunia furtiva, iſta non tranſit in dominium venditoris. Secus dicendum, ſi talem pecuniam præſcripſiſſet, vel bona fide expendiſſet, vel ita propriis immiſcuiſſet pecuniis, ut non poſſet diſcerni. Dixi, ſi non poſſet diſcerni; nam ita ſancitur *leg. ſi alieni 78. §. De ſolut.* unde ſi poſſit diſcerni, ut ſi pecunia furtiva eſſet aurea, & pecunia venditoris argentea, tunc nullo modo per mixtionem acquiritur verum dominium.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quamvis juſta dicta in capite ſuperiori non illicite vendantur publica Officia, ſervatis ibi adnotatis, nihilominus in praxi difficile eſt fieri ſine peccato. Quoties igitur pretio vendantur, evenire ſolet, ut ex amore pecuniæ judicentur habiles, qui revera tales non ſunt; ut eligantur ii, qui magis proprio lucro, quam bono publico incumbunt; vel denique qui prævidentur extorſionibus & injuſtitiis velle recuperare multo plus, quam erogaverint pro officio obtinendo.

II. Vigilent Confeſſarii, dum vident creditores contentos eſſe minori ſumma, quam ſit pecunia ſibi debita, idque propter inopiam, quam credunt in debitore. Si aliqui ex his debitoribus ad ipſos accedant, diligenter examinare debent, an retardaverint ſolutionem hoc animo, ut ſibi debitum diminueretur, an plures in ſolvendo fecerint difficultates ob nimium amorem erga ſuam pecuniam, an ad vexandos creditores ſimulaverint ſe plura velle opponere in judicio, ut ſe eximant a ſolutione; an quamvis modo non eſſent ſolvendo, celaverint proximam ſpem, quam habebant ſeſe brevi tempore ſoluturos. Si his artibus a creditoribus obtinuerint diminutionem debiti, non ſunt tuti in conſcientia; creditores etenim ex errore conſenſerunt in tali diminutione. Secus eſſet, ſi Creditor nulla fallacia circumventus, vellet gratis remittere partem debiti; nam liberalis remiſſio debiti æquivalet ſolutioni. Tunc etiam id interveniret, quando nondum elapſo tempore ad ſolvendum determinato, creditor expoſceret ſolutionem debiti, gratis partem ipſius debiti remittendo; nam tunc abſque eo quod aliqua interveniret deceptio, creditor gratis & liberaliter partem debiti condonaret.

III. Quamvis communis doctrina doceat creditum liquidum, & nulla difficultate exigibile non poſſe minoris emi anticipata ſolutione, nihilominus rariſſime continget dari tale creditum, quod minoris non poſſit emi. Difficile etenim eveniet, ut in eo in poſterum exigendo non intercedat aliqua difficultas, moleſtia, periculum, lucrum ceſſans, ſeu damnum emergens, ex quibus capitibus pecunia futura ſemper minus valet, quam præſens.

IV. Rudes, qui res furatas, ſeu alienas habuerunt vel bona, vel mala fide, ſolent nolle eas reſtituere, niſi ipſis a Domino pretium reſtituatur, quod expenderunt, vel niſi aliquod lucrum reportent. In utroque male ſe gerunt; nam Dominus non tenetur pro re ſua aliquid dare, ne forte aliquis modico pretio rem furatam recuperaret, ut illam reſtitueret; nam tunc utiliter ipſius Domini negocium geſſiſſet. Solum ergo qui habet rem alienam, poteſt convenientibus precibus a Domino aliquid expoſtulare, vel acceptare gratis oblata, non vero ad id ipſum cogere, negando, vel difficultando reſtitutionem. Id etiam alibi adnotavi.

Digitized by Google

CAPUT V.

De venditione rerum vitio laborantium ; & de aliis fraudibus & dolis, quæ committuntur in emptione, & venditione.

Q. I. QUotuplex ſit vitium rerum, quæ venduntur.

R. Vitium in mercibus poteſt eſſe quadruplex. Primo, in ſubſtantia, ut ſi vendatur vitrum pro gemma, ſtannum pro argento &c. Secundo, in quantitate; ut ſi diminuatur menſura, pondus &c. Tertio, in qualitate; ut ſi vendatur pannum aduſtum pro bono. Ad hæc vitia reducitur quartum, quando ſcilicet venditur res materia aliena adulterata, ut vinum mixtum aqua, cera ſebo mixta, frumentum permixtum paleis, vel aliis ſeminibus &c.

Q. II. Quæ vitia teneatur emptor manifeſtare.

R. I. Si venditor expreſſe interrogetur, tenetur quodcumque vitium mercis manifeſtare. Ratio eſt, quia ſemper cum venditor expreſſe interrogatur de vitio, ſi illud neget, ſuo dolo & mendacio dat cauſam contractui; contractus autem, cui dedit cauſam dolus, & mendacium, non ſolum eſt illicitus, ſed eſt vel invalidus, vel invalidandus, ut patet ex dictis capite primo, & habetur *arg. cap. 15. & 16. de reſcript.* Verum nihilominus eſt, quod ſi venditor ſciat emptorem, manifeſtato adhuc vitio, eſſe illam rem empturum, tunc ſolum reus eſt mendacii; at contractus eſt licitus & validus, cum non dederit illi cauſam dolus & mendacium. *Lugo diſp. 26. n. 133.*

R. II. Si vitium rei eſt manifeſtum, venditor non tenetur illud manifeſtare, cum res ipſa loquatur, ac ita expreſſe habetur *leg. ea quæ 43. ff. de contrah. empt. & leg. 1. ff. de ædil. edict.* Nihilominus ſi vitium remaneat occultum, quoniam emptor eſt rudis & imperitus, debet venditor illud manifeſtare, cum reſpectu talis emptoris vitium dici debeat occultum: *Molin. diſput. 353. Pal. diſp. 4. de juſt. p. 18. Laym. lib. 3. tract. 4. c. 17. n. 14.* Idem probabilius puto dicendum, ſi vitium non cognoſcatur ex aliqua negligentia, ſeu inadvertentia emptoris, nam etiam reſpectu iſtius vitium eſt occultum. Et quamvis interveniat negligentia emptoris, nihilominus ſi venditor advertat emptorem vitium non cognoviſſe, ipſum tacendo videtur dolo dare cauſam contractui.

R. III. Si vitium eſt occultum, & pertineat ad ſubſtantiam, omnino eſt manifeſtandum, alias contractus non ſolum eſt illicitus, ſed etiam invalidus. Ratio eſt, quia deeſt conſenſus emptoris, ſi quoties e. g. vellit emere gemmam, detur illi vitrum; non ſtat autem contractus ſine conſenſu contrahentium, ut patet ex dictis in prima quæſtione.

Limitatur hæc reſponſio in caſu, quo diverſa ſubſtantia vendatur, & nihilominus æqualis ſit valoris, & æque deſerviat ad finem intentum ab emptore; nam tunc licet res ſit phyſice diverſa, eſt tamen moraliter eadem, ac proinde credi poteſt non abeſſe conſenſum emptoris, vel nonniſi irrationabiliter abeſſe. Hinc Pharmacopolæ ſolent dare medicamentum diverſum in ſubſtantia a pretio, quoties apud illos conſtat, illud, quod dant, eſſe æqualiter proficuum ad finem intentum ab emptore: *Lugo diſp. 26. n. 124.*

R. IV. Si vitium circa qualitatem ſit occultum & grave, venditor tenetur illud manifeſtare, ſecus ſi modicum. Tunc vitium circa qualitatem grave reputatur, quando reddit mercem vel omnino, vel parum utilem emptori, vel ipſi, aut alteri nocivam. In hoc caſu utique venditor etiam non interrogatus, tenetur vitium manifeſtare, nam emptor intendit emere rem ſibi utilem, & non nocivam; unde non adeſt conſenſus ipſius, ſi inutilis, vel noxia tradatur. Præterea patet dolum dare cauſam contractui, quoties hujuſmodi vitium non manifeſteretur a venditore. Ita communiter DD. *arg. l. 1. §. proinde ff. de ædilit. edict.*

Si vero vitium ſit modicum, hoc eſt, non reddat mercem vel inutilem, vel parum utilem, ſed ſolum paulominus utilem ad finem intentum ab emptore, tunc venditor non teneretur vitium manifeſtare. Ratio eſt, quia communis conſenſus vendentium & ementium eſt, ut talia modica vitia non manifeſtentur. Et quidem difficile eſſet invenire, qui vendere merces vellet ſi quodcumque vel minimum ipſarum vitium teneretur manifeſtare: nam difficile eſt merces ita perfectas habere, ut non laborent aliquo vitio, quod ſi manifeſtaretur emptoribus, facillime ſumerent occaſionem pretium plus juſto minuendi. Excipe ab hac doctrina caſum, in quo emptor proteſtaretur mercem aliquam in ſuo genere perfectiſſimam velle; nam tunc venditor non poſſet illi dare mercem aliquo vitio laborantem, ut de ſe conſtat.

R. V. Vitium circa quantitatem ſemper eſt manifeſtandum, quoties injuſtitia pretii non daret juſtam cauſam illud abſcondendi. Et quidem quod, ordinarie loquendo, manifeſtanda ſit minor quantitas, quæ tribueretur, clarum eſt, nam læderetur juſtitia, ſi ſolvendo pretium e. g. pro 10. ulnis panni, vel pro decem menſuris alicujus mercis, novem tantum tribuerentur. Secus dicendum, ſi pretium quod darent emptores, eſſet manifeſte injuſtum. Id autem tunc eveniret, quando pretium eſſet taxatum a Principe, at ita modicum, ut neque pertingeret ad pretium infimum naturale. Cum igitur male fuiſſet taxatum, poſſunt venditores tantum occulte emptoribus detrahere in quantitate, ut ſupersit pro ipſis aliquod honeſtum lucrum, ſicut etiam diximus ſupra, agendo de pretio legali, ſeu legitimo. Id etiam evenire poſſet, quando emptores inique convenirent de non emenda merce niſi tali, vel tali injuſto pretio. Immo in tali caſu, cum ex una parte venditores non teneantur deſerere ſua officia neceſſaria Reipublicæ, & propriæ ſuſtentationi, & ex alia non teneantur cum iſto damno vendere, ſibi providere poſſunt detrahendo de quantitate, ut jam dictum eſt: *Lugo diſput. 26. num. 125. Laym. tr. 4. cap. 17. num. 15. Gibal. de negoc. lib. 4. cap. 4. num. 7.* Neque obſtat emptorem e. g. vella 10. non 9. ulnas, ſeu menſuras, nam ſi una e. gr. occulte ſubtrahatur ut pretium ſit juſtum & proportionatum, irrationabiliter vult decem, ſed contentus debet eſſe novem ulnis, ſeu menſuris, quæ in decem expoſtulatis continentur.

De alio vitio proveniente ex mixtura mercis minus bonæ, ſatis ſupra dictum eſt.

Q. III. Quid reſtituere teneatur; qui vendit merces cum aliquo occulto vitio.

R. I. Si ſcienter id faciat, non ſolum tenetur reſtituere id, quanto minoris emiſſet emptor, ſi vitium cognoviſſet, ſed etiam deberet compenſare omnia damna, quæ exinde emptori provenirent. Ratio eſt, quia propter tale vitium merx erat minoris valoris; & ulterius venditor illud occultando, fuit injuſta cauſa damnorum &c. *Leg. Julianus 13. in princip. ff. de action. empt. & lib. 1. Cod. de ædilit. action. D. Th. 2. 2. q. 77. art. 3. Molin. diſp. 302. n. 2.* Neque ſuffragaretur venditori, ſi ſcienter tacendo occultum rei vitium, tempore contractus dixiſſet nolle teneri de vitiis occultis; nam cum hæc teneatur manifeſtare, non eximitur a tali obligatione, adhibita illa cautela, quæ ſolum prodeſt vitium ignoranti: *leg. quæro 39. ff. de emption. empt.* Item non eximitur a culpa, & a damnis reficiendis, ſi tacendo vitium occultum, quod non ignorat, ſolum e. g. in genere dicat: vendo tibi hunc equum habentem omnia vitia, ſcilicet, ferocem, claudum, cæcum &c. nam ita manifeſtare vitia idem eſt ac non manifeſtare: *Molin. n. 26. Navar. cap. 23. num. 89.*

R. II. Si venditor ignoraverit vitium mercis, non tenetur ad compenſanda damna emptoris, utpote qui non fuit cauſa culpabilis ipſorum, ſed ſolum ad reſtituendum quanto minoris emiſſet emptor, ſi vitium cognoviſſet. Excipe niſi præſcripſiſſet pretium, vel conſumpſiſſet bona fide, exinde non factus ditior, vel ſi tempore contractus re vera ignorans mercem eſſe vitioſam, teſtatus fuiſſet velle ſe vendere tanti, & non aliter, & nolle teneri de vitio occulto, ſi forte ineſſet; ſi enim ita proteſtetur, intelligetur emptor voluntarie in ſe ſuſcipere eventum rei, & quodcumque periculum: *arg. l. quæro 39. ff. de act. empt. Molin. loc. cit.*

Q. IV. Ad quid teneatur emptor, ſi venditor ex ignorantia tradat illi rem alterius ſubſtantiæ, ſed pretioſiorem, ut ſi traderet gemmam pro vitro.

R. Vel emptor cognoverit errorem venditoris, vel non, certum eſt ſtatim ac illum cognoſcit, teneri augere pretium uſque ad limites pretii juſti; alias enim non ſervaretur æqualitas; quam expoſcit juſtitia. Nec eſſet tutus in conſcientia emptor, ſi adver-

Google

vertens errorem venditoris, illum moneret, ut bene conſideraret rem ſuam, & expoſceret, an ſibi velit condonare majus pretium, quo poſſet æſtimari. Ratio eſt, quia etiamſi venditor dicat ſe condonare, de facto talis condonatio ex errore procedit, neque enim condonaret, ſi ſciret rei valorem; unde non habet talis condonatio tantam voluntarietatem, quantum neceſſe eſt, ut ſit valida: *Lugo diſp. 26. ſect. 8. n. 137. Pal. diſp. 5. p. 22. n. 2., Molin. diſp. 353.*

Q. V. An emptor alieni fundi, agri, domus &c. in quibus ſcit latere theſaurum, lapidicinas, venam metalli &c. licite ac valide emat pretin ordinario non admonito venditore de talibus rebus.

R. Communius cenſent DD. licitam ac validam eſſe talem venditionem; nam illud pretium eſt juſtum, quod eſt juxta communem æſtimationem, ille vero ager &c. communiter non pluris æſtimatur. Ita etiam innui videtur *in lib. fundi 77. ff. de contr. empt.* Card. de Luca *de empt. &c. vendit. diſc. 44.* refert ita deciſum fuiſſe a S. Rota.

Q. VI. An peccet contra juſtitiam, vel ſaltem contra charitatem, qui emit vel vendit rem pretio currente, ſi ſciat poſtea fore minuendum, vel augendum.

R. I. Hujuſmodi ementes vel vendentes non peccant contra juſtitiam; nam emunt vel vendunt juſtu pretio, cum emant vel vendant pretio currente, ut ſupponitur. Et de facto, ut habetur *Geneſ. 41.* Joſeph vir juſtiſſimus emit pretio currente magnam copiam frumenti, quamvis ſciverit ob futuram ſterilitatem pretium frumenti valde augendum. Quod ſi abſque injuſtitia quis emit pretio currente, dum ſcit pretium eſſe valde augendum, non eſt cur injuſte quis vendat pretio currente, dum ſcit pretium eſſe valde minuendum.

Id confirmari poteſt obſervando, quod qui vendere nunc vult, tenetur pretio currente vendere, quamvis ſciat merces, quas vendit, in futurum plus valituras: pari ergo ratione non tenebitur vendere infra prætium modo currens, etiamſi ſciat pretium brevi minuendum. Emptor pariter etſi ſciat pretium mercium brevi minuendum, nihilominus ſi vult eas modo emere non poteſt emere minori pretio currente; pari ergo ratione etſi ſciat pretium brevi valde augendum, non tenebitur emere pretio majori currente: *D. Th. 2. 2. q. 77. art. 8. ad 4., Leſſ. l. 2. c. 21. d. 5., Pal. de juſt. d. 5. p. 15. num. 3.*

Neque refert dicere involuntarie emere pretio currente illum, qui neſcit pretium mercium brevi minuendum, & involuntarie vendere pretio currente illum, qui ignorat pretium rei, quam vendit, brevi eſſe valde augendum, adeoque contractum, utpote involuntarium, eſſe nullum. Contra enim eſt, quia aliud eſt quod quis noluiſſet emere, vel vendere, aliud quod hic & nunc nolit emere, vel vendere. Qui ignorans pretium brevi valde minuendum, emit hic & nunc pretio currente, utique non emiſſet ſi ſciviſſet, & revera vult hic & nunc emere. Pariter qui hic & nunc vendit ignorans futurum augmentum pretii, utique non vendidiſſet ſi ſciviſſet, at de facto voluit vendere, nun ergo deeſt actualis conſenſus in tali emptione, vel venditione.

R. II. Qui emunt vel vendunt modo ſupradicto, neque peccant contra Charitatem. Ratio eſt, quia quicumque facit actum de ſe licitum, ſibique utilem, proſequitur jus ſuum; qui vero jus ſuum proſequitur nullatenus peccat, etſi exinde damnum proximi ſequatur, id enim per accidens ſe habet. Confirmatur, quia ſi propter alterius damnum deberemus ſemper omittere actionem alias licitam, multos deberemus actus omittere, & multis ſcrupulis eſſemus obnoxii: *Leſſ. num. 43. Molin. diſp. 354. Pal. cit.*

Plures nihilominus patitur limitationes præfata doctrina. Prima eſt, peccare contra charitatem, qui ex privata notitia pretium brevi fore valde minuendum, movetur ad vendendas ſuas merces in majori quantitate, alias non venditurus, & vendit cum gravi damno emptoris. Et quidem ſi adhuc fuiſſet venditurus, certe neque peccat contra charitatem; nam illi non debet obeſſe ſua privata notitia: & ulterius ſi licite alii vendunt tali tempore hujuſmodi merces in quacumque quantitate pretio currente, non eſt cur non poſſit idem facere, quia privata notitia ſcit pretium brevi valde minuendum. Item neque peccaret contra charitatem, ſi emptor adhuc fuiſſet paſſurus grave damum, quia e. g. tantam quantitatem mercium ab aliis emiſſet; in tali enim caſu ex una parte venditor uteretur jure ſuo vendendo pretio juſto currente, & ex alia charitatem non læderet: cum emptor adhuc tale damnum fuiſſet paſſurus. Solum ergo peccaret contra charitatem venditor, quando ex privata notitia moveretur ad vendendas merces in majori quantitate, quam non vendidiſſet, cum gravi damno emptoris; tunc etenim dum ipſe grave damnum non pateretur, faceret manifeſte contra illud principium lumine naturæ notum; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Secunda limitatio datur in caſu, quo quis propter talem venditionem reduceret emptorem ad gravem, vel extremam neceſſitatem. Si enim ex charitate tenemur ſuccurrere proximo exiſtenti in gravi, vel extrema neceſſitate, multo magis tenemur illum ad talem neceſſitatem non reducere.

Tertia limitatio eſt, quod peccat contra chatitatem qui poſſet ſuas merces vendere ſine gravi proximi damno, & nihilominus vendit emptori grave damnum paſſuro. Exemplum ſit, quando quis poſſet vendere, eas dividendo inter plures emptores, & nihilominus uni tantum vendit. Vel ſi poſſet vendere alicui, qui ſtatim iterum eas venderet, & nihilominus vendere illi, quem ſciret eſſe ſervaturum uſque ad tempus, quo ipſarum pretium eſt valde minuendum. In his circumſtantiis utique læditur Charitas; nam unuſquiſque ex tali virtute tenetur removere damnum Proximi, quando commode poteſt.

Q. VII. An venditor teneatur reſtituere, ſi mendaciis & perjuriis pertrahat emptorem ad pretium majus.

R. Nil tenetur reſtituere, ſi iſtud pretium non excedat ſupremum; nam communiter venditores falſo affirmant rem ſibi tanti ſtare, tanto pretio aliis vendidiſſe, &c. ut inducant emptorem ad dandum pretium ſupremum. Cum igitur hæ ſint ſolitæ artes vendentium, nec illis ſoleant emptores fidem præſtare, non peccant contra juſtitiam illis utendo, bene vero ſunt mendaces, & perjuri. Accedit quod ſi ementes illis fidem præſtent, id imputare debent propriæ nimiæ credulitati: *Salmanticen. tract. 14. cap. 2. punct. 9. num. 84.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Prima regula ſit, quod Confeſſarius ſerio increpare debet pœnitentes venditores, qui non ſolum non manifeſtant vitia ſuarum mercium, ſed omni arte & dolo conantur illa occultare, quamvis alias eſſent manifeſta. Increpet, inquam, de ſua injuſtitia, & moneat de obligatione reſtituendi, ſaltem exceſſus illum pretii, qui correſpondet merci perfectæ, non vero vitioſæ, Ita ſolent facere venditores frumenti, aliorumque ſeminum, ponendo ſub oculos frumentum perfectum, dum tamen intra ſaccum eſt imperfectum, & inferioris conditionis. Item vendentes pannum, vel quid ſimile oſtendunt partem, quæ nullo vel modico vitio laborat, occultando alias partes valde deterioris conditionis.

II. Quamvis permittere poſſit Confeſſarius venditoribus, ut aliquid diminuant de quantitate, quando pretium taxatum eſt evidenter injuſtum; nihilominus in hoc debet eſſe valde cautus. Primo, quia multoties dicunt venditores non reportare ex ſua merce honeſtum lucrum, quando de facto ſufficienter lucrarentur, niſi vellent plus æquo conſumere in victu, veſtitu, aliiſque non convenientibus recreationibus. Secundo, quia dum conceditur aliquid detrahere de pondere, & menſura, eo quod ex pretio taxato conveniens lucrum non reportant, plus juſto detrahunt; unde doctus Confeſſarius illis taxare debet quod ſine injuſtitia poſſunt detrahere.

III. Pariter advertere debet Confeſſarius in Nundinis maxime beſtiarum invaluiſſe hunc errorem, quod putant venditores licite ſe poſſe ad invicem circumvenire, vel ſatisfacere propriæ conſcientiæ, eo quod aſſeraat ſe vendere hanc vel illam rem, hanc vel illam beſtiam ut omni vitio laborantem. At cum de facto multo plus exigant de pretio, quam æſtimari poſſet illa res, quam vendunt, ſi ut vitioſa manifeſtaretur, hinc ſatis patet ipſorum injuſtitia; adeoque

tenen-

tenentur ad reſtitutionem exceſſus pretii, vel damnorum, quæ paſſus fuit emptor propter vitium, quod ſciebat venditor, & non manifeſtavit.

IV. Confeſſarius graviter increpet venditores de tot mendaciis, ſicut etiam perjuriis, quæ faciunt ut ſuas merces vendant, aſſerendo e. g. ipſas tanti emiſſe, adveniſſe de tali regione, eſſe perfectiſſimas &c. Et quidem ſi ſoleant graviter peccare falſo pejurando, vel differenda, vel deneganda eſt ipſorum abſolutio uſque ad emendationem, Si vero non graviter peccent, advertere debent Confeſſarii mendacia, aliaſque non graves fraudes venditorum non eſſe ordinarie loquendo, materiam ſufficientem pro abſolutione, cum in ipſis quoad hæc deſit verum propoſitum emendationis.

CAPUT VI.

De Periculo, Commodo, & Fructibus rei venditæ.

Q. I. AD quem pertineat periculum rei venditæ.

R. I. Si res fuit tradita emptori, ipſi perit, quamvis nondum ſolutum fuerit pretium. Ratio eſt, quia perit ſuo domino; eo autem ipſo quod res vendita tradita fuerit emptori, in ipſius dominium tranſivit, ut patet *ex leg. traditionibus* 20. *Cod. de pactis*. Nec refert pretium non fuiſſe ſolutum; nam contractus emptionis & venditionis ex hac parte ſatis completur per cautionem fidejuſſoriam, ut pignoratitiam præſtantiam ab emptore, vel ſi venditor habeat fidem emptori, vendendo rem credito.

R. II. Si res nondum tradita vendatur in individuo, v. g. hic equus, hoc pallium, hæc domus &c. totum periculum pertinet ad emptorem, ſi forte v. g. illa res pereat, vel fiat deterior. Ita aperte habetur *§. 3. Inſt. de empt. & vendit.* Ratio etiam ſuffragator, quia cum commoda & fructus talis rei nondum traditæ pertineant ad emptorem, ut ſtatim dicemus; conveniens eſt ad ipſum pertinere interitum, vel deteriorationem ejuſdem; etenim juxta regulam 55. Juris in 6. *Qui ſentit commodum, ſentire debet & onus: Leſſ. l. 2. c. 21. n. 95. Molin. diſp. 366. n. 11.*

Neque contrarium convincitur, ſi dicatur rem Domino perire, adeoque rem nondum traditam debere perire venditori, utpote quia adhuc ſub ejus dominio perſeverat. Reſponderi enim debet hoc verum eſſe, quando adhuc ad Dominum pertinent, non vero ſi ad alium pertineant fructus rei, quam per accidens venditor nondum tradidit. Vel etiam dici poteſt, quod licet res nondum fuerit tradita, nihilominus ſaltem fictione juris emptor illius Dominus reputetur, ut obſervat Pirhing. *ſub tit. de empt. & vend. n. 11.*

Hæc autem doctrina plures admittit limitationes. Prima eſt, quando contrahentes vellent periculum rei eſſe penes venditorem, quoadusque non fuerit tradita; etenim ut habetur ex reg. 85 Juris in 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur*. Secunda eſt, ſi res nondum tradita pereat ex culpa lata, vel levi venditoris: *leg. cuſtodiam 3., leg. ſi vendita 11. ff. de periculo & commodo rei vendit.* & alibi. Et ratio eſt, quia venditor debet eſſe cuſtos rei donec tradatur, conſequenter ipſe damnum ſubire debet; ſi pereat ex ipſius culpabili negligentia. Non tenebitur autem venditor de culpa leviſſima; nam emptio & venditio fiunt in gratiam utriuſque: *Molin. cit.*

Tertia limitatio eſt, ſi res pereat, vel deterior fiat, dum venditor eſt in mora culpabili ipſam tradendi; tunc enim periculum & deterioratio pertinent ad venditorem, cum ex reg. 26. Juris in 6. *Mora ſua cuilibet eſt nociva*, & habetur *leg. illud 17. ff de pericul. & comm. rei vend.* Si vero non ſolum venditor, ſed etiam emptor fuerunt in mora, ne res traderetur, tunc periculum pertinet ad illum, qui eſt in poſteriori mora, uti expreſſe ſancitur *cit. leg. illud &c.*

Quarta limitatio ſit, quod venditor tenetur ſubire damnum, ſi res vendita ante traditionem ex ipſius delicto fiſco adjudicetur, ut clare decernitur *leg. fundus 32. ff. locati*: ac proinde ſi pretium jam fuerat ſolutum, reſtituendum eſt emptori.

Ultima limitatio ſit, quod ſi emptio facta fuit conditionate, & interim pereat res ante conditionem adimpletam, damno ipſius venditoris pereat; nam ante adimpletam conditionem contractus nondum erat perfectus, & habetur *leg. neceſſario 8. ff. de per. & com. rei vend.* Si vero res non pereat, ſed tantum evadat deterior, tunc ſi adimpleatur conditio, res ita deteriorata pertinet ad emptorem, nec poteſt pretium diminuere: *arg. leg. cit. neceſſario*; Et ratio eſt, quia retrotrahitur ad tempus conventionis: *Molin. cit. num. 15., Pal. de juſt. d. 5. p. 24. numer. 4. Rebell. de oblig. part. 2. l. 9. quæſt. 15. num. 4.*

R. III. Si res vendatur ad corpus, periculum rei venditæ, etiam ante traditionem, pertinet ad emptorem, ſi vero ad menſuram pertinet ad venditorem. Tunc res venditur ad corpus, quando pretium non taxatur juxta numerum menſurarum, ſeu ponderum, ſed venditur per modum unius, abſque eo quod menſuretur, ponderetur, numeretur &c. Si vero taxetur pretium ſolvendum juxta numerum, pondus, ulnas, aut menſuras rei, quæ venditur, tunc dicitur res vendi ad menſuram. Si e. g. vendatur totus acervus tritici abſque eo quod pretium reguletur juxta quantitatem ſextariorum; dolium vini, abſque eo quod pretium reguletur juxta ſarcinas; vas olei, abſque eo quod ipſius menſuræ conſiderentur ut regula pretii; grex animalium, non tanto pretio juxta numerum ipſorum, tales venditiones dicuntur fieri ad corpus. E contra dicitur venditio ad menſuram, ſi pretium rerum taxetur, ſeu reguletur juxta numerum, pondera, menſuras, ſive ulnas. His poſitis.

Reſponſio conſtat *ex leg. cum convenit 2. Cod. de per. & com. rei vend.* Ratio etiam ſuffragatur, quia quando res emitur ad corpus, ſeu per modum unius, non attentis menſuris, ponderibus &c. mercis, contractus intelligitur perfectus ante menſurationem, numerationem &c. & per conſequens periculum mercis ſtat penes emptorem. Ex hac autem ratione patet *a* contrario, quod ſi res vendatur ad menſuram, periculum mercis pertinet ad venditorem, quoadusque menſuretur. Eo ipſo etenim quod voluerit aliquis acervum tritici, taxando pro pretio ſex e. g. Julios pro ſingulis ſextariis; ſeu hunc gregem, taxando aureum pro ſingulis capitibus beſtiarum, intelligitur non velle perficere contractum, uſque dum merx non fuerit numerata, menſurata &c. Concordat *lex cum convenit 2. Cod. de per. & com. rei vend.* Solum periculum ad emptorem pertinere, quando in contractu conſtitutus fuiſſet terminus, intra quem res eſſet menſuranda, numeranda &c. & ſtetiſſet per emptorem, quominus non facta fuiſſet menſuratio &c. vel ſi emptor, quamvis nullus conſtitutus fuiſſet terminus, noluiſſet ad inſtantiam venditoris intra certum tempus advenire ad numerandum, ſeu menſurandum. Tunc igitur quia contractus non fuit completus ex culpa emptoris, æquum eſt, ut ad ipſum pertineat periculum rei venditæ: *l. ſi quis vina 4. ff. de per. & cum. rei vend.*

Q. II. Ad quem pertineant commoda, & fructus rei venditæ.

R. I. Si res vendita tradita fuit emptori, ad ipſum pertinent omnes ipſius fructus & emolumenta, quamvis non ſit ſolutum pretium, dum tamen de ipſo fides habita ſit, vel præſtita cautio fidejuſſoria, aut pignoratitia. Ratio eſt, quia ubi lex non obſtat, res Domino ſuo ſemper fructificat; ſequuta autem traditione, & habita fide de pretio, res fit emptoris, ac proinde ipſi debet fructificare.

R. II. Si res empta tradita fuit, fructus adhuc pendentes pertinent ad emptorem, & hoc eſt verum, quamvis pretium non fuerit ſolutum, nec habita fides de illo, nec præſtita cautio fidejuſſoria, aut pignoratitia. Ratio eſt, quia in traditione rei intelligitur tradi quidquid ad ipſam pertinet, & eſt veluti pars illius; fructus autem pendentes ſive immaturi, ſive maturi reputantur pars fundi, ſive rei fructiferæ: *leg. 44. ff. de rer. div.* adeoque pertinent ad emptorem: *l. Julianus 13. §. 10. & 18. ff. de action. empti, & aliis legibus, Mol. diſp. 368., Pal. de juſt. diſp. 5. par. 25. num. 2., Laym. l. 3. tr. 4. c. 17. n. 17.*

R. III. Etiam fructus primum nati poſt abſolutum contractum emptionis & venditionis pertinent ad emptorem, quamvis res nondum fuerit tradita, nec præſtita cautio fidejuſſoria, aut pignoratitia, nec habita fides de pretio, ſeu conceſſa dilatio ad ſolvendum. Iſta reſponſio, quamvis ſit in controverſia apud DD. utriuſque fori, nihilominus efficaciter probatur *ex leg. Julianus 13. §. 18. ff. de action. empti, & ex leg. 13. & leg. penult. Cod. de action. empti*, ubi ſine ulla diſtinctione inter pretium ſolutum, & non ſolutum,

præ-

Googl

præcipitur tradi emptori fructus rei venditæ, nondum traditæ: immo *leg. 13. cit.* ſupponitur pretium nondum fuiſſe ſolutum, & tamen fructus emptori adjudicantur. Confirmatur, quia jure id clare ſtatuente *§. 3. Inſtit. de empt. & vendit.*, emolumenta, commoda, acceſſiones, incrementa rei venditæ, quæ ipſi adveniunt per acta venditione, pertinent ad emptorem, ergo etiam fructus ipſius rei; æquiparantur enim prædictis commodia, & incrementis; & ulterius de iiſdem procedit eadem ratio, ergo & eadem juris diſpoſitio.

Potiſſima nihilominus ratio concluſionis eſt, quia quamvis non tradita ſit res, nec fides habita de pretio, adeoque juxta communiorem opinionem non ſit translatum dominium; nihilominus juxta ſuperius dicta, periculum, & incommodum rei venditæ etiam ante traditionem, & pretium non ſolutum pertinent ad emptorem, ergo & ad ipſum debent pertinere commoda, & fructus ipſius rei; dictante æquitate naturali illius debere eſſe commodum, cujus eſt periculum & incommodum. Hæc ratio clare inſinuatur *§. 3. Inſt. de empt. & vendit.*, *& leg. id quod 7. ff. de per. & com. rei venditæ*. Nec refert dicere compenſari periculum, quod emptor ſubeſt, rei emptæ, per hoc quod pretium nondum tradiderit, & apud ſe retineat; etenim, ultraquamquod pecunia eſt de ſe infructuoſa, adeoque inſufficiens ad compenſandum periculum dictum, adhuc emptor, ſi res vendita pereat, debet pretium ſolvere, & compenſare emptori damna, ſi quæ ipſi obvenerunt ob culpabilitei dilaram ſolutionem: *Pal. cit. p. 26. a n. 4. Laym. n. 10. Leſſ. l. 2. c. 21. n. 109.*

Non nego tamen, quod ſi venditor ob dilaram ſolutionem pretii lucrum ceſſans patiatur, non poſſit ipſius compenſationem prætendere, ſibi etiam retinendo fructus rei venditæ, quantum neceſſarium eſt ad talem compenſationem; ſed hoc non facit, quia ad ipſum tales fructum pertineant, ſed ut ſe reddat indemnem propter lucrum, quod ſibi ceſſat: *Lugo diſp. 26. n. 215.* Et de facto ſi venditor propter dilationem ſolutionis nullum damnum emergens, vel lucrum ceſſans patiatur, non poteſt ſibi reſervare fructus, vel aliquid accipere ſine uſura, cum idem eſſet ac mutuo dare pretium rei venditæ, & poſtea ex eo velle aliquid ſupra ſortem accipere: *Lugo diſp. 25. n. 138. S. Anton. 2. p. tit. 1. c. 7. §. 29., Sanch. conſ. l. lib. 7. d. 21. a n. 2.*

R. IV. Poſſunt contrahentes ſpecialiter paciſci, & convenire circa perceptionem fructuum, & tunc ſtandum eſt tali conventioni, ſi non repugnet legibus, vel rationi. Ratio eſt, quia ut habetur ex reg. 85. Juris in 6. *contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.* Hinc ſi venditor tempore contractus tantum ſibi reſervet de fructibus, quantum prudenter timet lucri ceſſantis, vel damni emergentis, ſtandum eſt tali conventioni. Idem dicatur, ſi venditor ſibi reſervet dominium utile, & dominium directum, quoadusque pretium ſolvatur, dummodo tamen apud ipſum ſit periculum rei venditæ; tunc etenim ſubintrat illa regula: *illius debere eſſe periculum, cujus eſt commodum*: *§. 3. Inſt. de empt. & vendit.*

Q. III. Cujus ſit dominium, & commodum, ſeu fructus rei venditæ, ſi una & eadem res ſucceſſive in ſolidum pluribus vendatur.

R. I. Si neutri ementium res eſt tradita, illi tradenda eſt, qui prior emit. Ratio eſt, quia juxta reg. 54. Juris in 6. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*; unde & ad ipſum reputandum eſſet pertinere fructus rei venditæ. Idem dicendum eſt, quando ſuboriretur dubium, an in aliquem ipſorum translatum eſſet dominium. Quod ſi tamen ſecundus emptor pretium ſolviſſet, tunc in dubio præſumi poſſet in illum translatum fuiſſe dominium, & eſſe apud venditorem, ſi nondum fuit tradita, loco depoſiti: *Pal. de juſt. diſp. 5. p. 27. n. 13., Leſſ. l. 2, c. 21. d. 20. n. 140.*

R. II. Si res vendita tradita ſit ſecundo emptori, tunc præferenda eſt primo emptori; ut clare habetur *leg. quoties 15. Cod. de rei vindic.* Ratio eſt, quia cum ex ſæpe dictis dominium complete transferatur per traditionem rei, ſequitur ſecundum venditorem per traditionem acquirere perfectum dominium ſupra rem venditam; ac proinde poſſe ſibi eam retinere, non obſtante prima venditione, in qua nondum fuerat translatum dominium. Verum tamen eſt, venditorem peccare, & pœna falſi puniri, ut dicitur *leg. 2. ff. ad leg. Corn. de falſis*. Item primus emptor habet actionem contra venditorem, non ſolum ad recuperandum pretium, ſed etiam ad intereſſe, ita ut ipſi ſolvere debeat non ſolum pretium traditum, ſed etiam quantum ejus intererat, ne res jam ſibi vendita alteri non venderetur, & traderetur: *l. qui tibi Codic. de hæred. vel action. vend.*

Hæc doctrina limitatur primo, in caſu, quo primus emptor ſit privilegiatus, ita ut acquirat dominium rei venditæ etiam ante traditionem; ſi enim abſque traditione acquirit dominium, jam venditor non poterat illam vendere ſecundo emptori, utpote quia nemo poteſt valide vendere rem alienam. Emptores privilegiati ſunt Eccleſiæ, Monaſteria, Hoſpitalia, & alia loca Pia, vel qui emunt pro Civitatibus, vel pro redemptione captivorum: *leg. ut inter 23. C. de SS. Eccl. Mol. d. 369., Leſſ. l. 2. c. 21. d. 20. n. 141.*

Secunda limitatio eſt, ſi primo emptori res non ſolum fuit vendita, ſed etiam hypothecata; nam tunc propter talem hypothecam acquirit jus in re, unde ſecundus emptor, etſi ipſi fuerit tradita, non acquirit ſuper ipſam tam ſtabile dominium, itaut primus emptor poſſit ipſam ſibi vindicare: *leg. ſi prior. §. fin. ff. qui potior in pignor.*, *Molin. cit. Leſſ. n. 14.*

Ultimo limitatur eadem doctrina in caſu, quo ſecundus emptor ſciverit alteri jam fuiſſe venditam; tunc enim primus emptor intra annum numerandum a die notitiæ rem alteri fuiſſe venditam & traditam, poteſt eam ſibi vindicare: *leg. 1. & ff. quæ in fraudem creditor. & leg. ait Prætor. ibid. Mol. diſp. 369. n. 9. Laym. l. 3. ſect. 6. tr. 4. c. 17. n. 29.* Quamvis autem elapſo anno non teneatur ſecundus emptor rem primo emptori tradere, nihilominus ſi venditor, utpote principalis damnificator, non compenſet primo emptori damna, ſi quæ forte paſſus fuit, ad id tenetur ſecundus emptor; nam injuſte emit, cum ſciverit rem jam alteri fuiſſe venditam.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Obſervare debent Confeſſarii multoties venditores & emptores, poſtquam inter ſe convenerunt de re vendenda & emenda, ita ut contractus poſſet dici completus, retardare, ſeu impedire venditionem, vel quia res vendita crevit in pretio, & ita venditores nolunt amplius eam tradere; vel quia res empta deterior facta eſt, ſeu ejus pretium diminutum, & ita emptores nolunt tradere pretium, nec curant ſibi rem venditam tradi. Tam igitur venditores, quam emptores injuſte ſe gerunt; nam cum poſt contractum venditionis melioramenta, incrementa, ſicut etiam deterioramenta rei venditæ pertineant ad emptorem, non poteſt venditor nolle tradere rem, eo quod poſt venditionem illius creverit pretium; nec poteſt emptor nolle ſtare contractui, eo quod decreverit. Id paſſim faciunt ruſtici & rudes, nam poſteaquam vinum, oleum, beſtias, ſive quid aliud vendiderunt, ſi majus pretium reperiant, ſtatim alteri vendunt; & e converſo nolunt ſibi tradi rem emptam, ſi minori pretio illam emendam reperiant.

II. Aliud quod valde obſervare debent Confeſſarii eſt, quod poſtquam fuit res vendita, ſed nondum tradita ſolent venditores, ſeu illius familiares ab ea removere quidquid poſſunt, & fructus pendentes dilapidare. Nil ergo poſſunt removere de re vendita, neque aliquid ſibi ſumere de fructibus pendentibus, cum etiam ante traditionem ad emptorem pertineant. Ita ſolent facere, qui aliquem fundum vendiderunt; nam antequam tradatur emptori, ſibi ſumunt, vel permittunt familiaribus ſumere uvas, olivas, caſtaneas, herbas &c.

CA-

CAPUT VII.

De pluribus Pactis, quæ emptioni, & venditioni apponuntur: & in ſpecie de Pacto legis commiſſoriæ: de Pacto additionis in diem: de Pacto retrovendendi: ubi de Contractu Mohatræ; ac denique de Arrhis.

Q. I. AN contrahentes poſſint apponere pacta ſibi bene viſa contractui emptionis, & venditionis.

R. Ex ſæpe' dictis, juxta regulam 58. Juris in 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur*: unde patet etiam contractui emptionis & venditionis poſſe per contrahentes ſpecialia pacta apponi, & conſtat *ex toto tit. Cod. de Pactis inter emptorem & venditorem*.

Q. II. Quid ſit pactum legis commiſſoriæ; & quos effectus pariat.

R. I. Pactum legis commiſſoriæ, de quo *leg. 2. & 5. ff. de leg. commiſſ.*, & *cap. Significante 7. de pignor.* eſt pactum appoſitum a contrahentibus emptioni & venditioni, quo fit, ut niſi intra certum tempus ab emptore ſolutum fuerit pretium, res intelligatur inepta, & contractus nullus.

R. II. Primus effectus hujus pacti eſt, quod ſi emptor non ſolverit determinato tempore pretium, illico & ipſo jure res vendita intelligatur redire ad venditorem: *leg. fin. ff. de leg. commiſſ.* Neque ad hoc neceſſarium eſt venditorem monere, ſive interpellare emptorem ad ſolvendum, ut habetur *leg. ſi fundus 4. ib.*, nam quoad hoc dies determinata pro pretio, interpellat pro homine: *leg. magnam 12. Cod. de contrah. & commat. ſtipul.* Solum emptor poſſet ſe tueri, quando valeret allegare cauſam, qua impeditus fuerit a ſolutione, v. g. quia non potuit invenire venditorem &c. *leg. ſi fund. citata*: vel quia prohibitus fuit ſolvere a Fiſco; *leg. fin. de leg. commiſſ.* Secundus effectus eſt, qood etiam fructus rei venditæ interim ab emptore percepti redeant ad ipſum venditorem; ſicut etiam quod debeant reſtitui reliqua commoda, & acceſſiones rei venditæ, *leg. ſi fundus cit. & l. lege fundo 5. ff. de leg. commiſſ.* Nec refert emptorem verum acquiſiviſſe dominium ſupra fructus interim perceptos; nam leges in pœnam emptoris, qui fidem non ſervavit, voluerunt tale dominium eſſe reſolubile, & poſt reſciſſionem contractus habendum, ac ſi numquam fuiſſet.

Tertius effectus eſt, ut ſi emptor tempore determinato pretium non ſolverit, poſſit & ſit in libera voluntate venditoris, vel adhuc petere pretium, vel velle contractum pro irrito haberi; & rem ſibi cum fructibus reſtitui. Tenetur tamen ſe ſtatim determinare, & unum ex duobus eligere, facta autem electione non poteſt amplius variare, ut habetur *leg. ſi fundus 4. cit. & leg. 4. Cod. de pactis inter empt.* Renunciaſſe autem videtur pacto legis commiſſoriæ ſi poſt pretium tempore determinato non ſolutum, petat ipſum pretium, vel partem ipſios: *leg. poſt diem 7. ff. de leg. commiſſ.* E contra emptor non habet libertatem vel pretium ſolvendi, vel contractum irritandi, ſed debet ſe accommodare voluntati venditoris: *leg. 3. & 14. ff. de leg. commiſſ.* Et de facto ſi ita non ſancitum fuiſſet, quod introductum fuerat in favorem venditoris, in ejus odium & incommodum redundaret, quod omnino iniquum eſt, & irrationabile.

Q. III. Quid ſit pactum additionis in diem; & quos effectus pariat.

R. Sicut dum publice venduntor res ſub haſta, illi res addicitor, qui licitando plus offert, ita aliquando fit privata venditio alicujus rei, tradendo facultatem venditori, ut ipſi liceat alteri rem vendere, ſi intra certum tempus ab ipſo offeratur melior conditio. Hæc autem venditio dicitur facta cum pacto additionis in diem, qoia ſcilicet res non ſtatim primo emptori irrevocabiliter addicitur, ſeu datur, ſed in diem, hoc eſt, intra certum tempus determinatum a contrahentibus, ſi intra ipſum nullos compareat emptor offerens meliorem conditionem; eo autem tempore elapſo, addicitur irrevocabiliter primo emptori. Tunc autem dicitur offerri melior conditio, quando vel augetur pretium, vel promptior offertur ſolutio, vel in loco commodiori venditur; vel ſi emptor non exigat a venditore fidejuſſionem pro aſſecuratione pretii &c. *leg. ubi autem 4. ſ. fin. de in diem addit.* Et univerſaliter habetur pro meliori conditione qoidquid pertinet ad majorem utilitatem venditoris.

R. II. Effectus venditionis factæ cum pacto additionis in diem eſt, quod ſi intra tempus determinatum offeratur ab alio emptore melior conditio, & a venditore acceptetur, ſtatim & ipſo jure res vendita redeat ad venditorem: *leg. ſi quis ae lege 41. ff. de rei vendit.* & omnes ejus fructus, acceſſiones, & commoda, etiamſi ea percepiſſet primus emptor: *leg. item 6. ibid.* Poteſt tamen emptor deducere expenſas neceſſarias, quas pro eadem re feciſſet: *leg. Imperator 26. ib.* Denique ſi primus emptor eo tempore intermedio rem oppignoraſſet, adveniente ſecundo emptore cum meliori conditione, ut dictum eſt, ceſſat ſtatim pignus: *leg. ubi autem 4. ſ. de in diem addit.*

Ut tamen pactum additionis in diem ſortiatur ſuum effectum, plura debent verificari. Primo, debet ſecundus emptor offerre meliorem conditionem abſque dolo & ſimulatione, quia ſimulata habentur pro infectis: *leg. 6. Cod. ſi certam pet.* Quod ſi primus emptor, nolens amplius rem emptam, doloſe ſubſtituat alium emptorem, qui offerat quidem meliorem conditionem, ſed non ſit ſolvendo, valebit utique ſecunda venditio, at ipſe tenebitur ad compenſanda damna, quæ propter hoc paſſus fuerit venditor, qui ignoravit, ſecundum emptorem non eſſe ſolvendo. Ultraquamquod id de ſe conſtat, cum unuſquiſque teneatur compenſare damna a ſe cauſata, habetur etiam *ex leg. ſi venditor 14. ff. de in diem addit.* Secundo, debet venditor acceptare meliorem conditionem ſibi oblatam; nam ſi eam recuſet, uti facere poteſt, ſubſiſtet prima emptio. Tertio, ſi primus emptor velit præſtare meliorem conditionem ab alio oblatam, ſubſiſtet prima venditio: *leg. licet ff. de in diem addit.* Monendus propterea eſt primus emptor de meliori conditione ab alio oblata, ut videatur ſi velit ipſe eam præſtare: *l. neceſſe 8. ibid.* Ultimo, ſi intra tempus determinatum ad expectandam meliorem conditionem, venditor moriatur, ſuſtinetur venditio pro primo emptore, dummodo tamen intra illud tempus non offeratur melior cooditio ipſius hæredi: *leg. de prædio 15. ibid.*

Hic etiam adnotare oportet quandoque hujuſmodi venditionem additionis in diem fieri ſub conditione reſolutiva, quandoque ſub conditione ſuſpenſiva. Tunc conditio eſt reſolutiva, quando illa non expectatur, ut contractus ſit abſolutus & perfectus, ſed ſolum valet annullare contractus, ſi exiſtat talis conditio. Exemplum ſit in eo, qui abſolute venderet aliquam rem, reſervata nihilominus ſibi facultate contractum annullandi, qooties ultra octo vel plures dies offeratur melior conditio. Tunc vero conditio eſt ſuſpenſiva, quando quis non intelligeret vendere rem ſuam, niſi intra aliquod tempus determinatum deficiat aliqua conditio: ut ſi aliquis diceret, vendo tibi hanc rem, ſi intra octo dies melior conditio mihi non offeratur: vel ſit tibi venditum hoc prædium, ſi intra octo dies melior mihi non offeratur conditio. Exempla harum conditionum habentur *leg. 2. ff. de in diem addit.*

Si conditio fuit tantum reſolutiva, itaut emptio & venditio intelligerentur abſolute factæ, cum emptor factus fuerit Dominus rei, ad ipſum partinebunt fructus tempore intermedio percepti, acceſſiones & commoda rei emptæ, ſicut etiam ipſius periculum, ut conſtat ex ſupradictis. Adveniente vero conditione reſolutiva, poterit venditor rem venditam ſibi iterum vindicare, & fructus, & incrementa ipſius. Leſſius *l. 2 c. 21. dub. 15. n. 124.* *Bon. diſp. 3. q. 2. p. 7. num. 3.* Si vero conditio fuit ſuſpenſiva, tunc cum non intelligatur venditio completa ni intra tempus determinatum, ſi deſit talis conditio, dominium, fructus, commoda, ſicut & periculum rei venditæ, pertinebunt ad venditorem, utpote quia remanet Dominus rei venditæ, uſquedum non tranſierit tempus determinatum ad expectandum, ſi deſit conditio ſuſpenſiva.

Q. IV. Quid ſit pactum retrovendendi; & quos effectus producat.

R. Pactum retrovendendi eſt pactum appoſitum a contrahentibus emptioni & venditioni, ut emptor vel poſſit, vel debeat rem emptam venditori revendere, ut deſumitur *ex leg. 2. Cod. de pact. inter. empt.* Primo igitur hoc pactum intercedit, quando fit in gratiam ſolius venditoris, ita ut, eo poſtolante, teneatur emptor rem venditam ipſi revendere. Secundo,

fit

ſit in gratiam ſolius emptoris, quando ſcilicet venditor intra aliquod tempus tenetur rem venditam iterum emere. Tertio, ſit in gratiam utriuſque, quando ſcilicet emptor ſe obligat ad revendendum, venditore id poſtulante; & venditor ad emendum, ſeu redimendum, ſi poſtulet emptor.

Quandoque hoc pactum ſit ſine determinatione temporis, quando ſcilicet venditor tenetur redimere, quoties placuerit emptori, ſive emptor revendere, quoties placuerit venditori. Aliquando ſit cum determinatione temporis, & hoc vel quia aſſignatur tempus determinatum, intra quod emptor teneatur revendere rem emptam vel quia non poſſit redimi niſi tempore deſignato.

R. II. Pactum retrovendendi factum in favorem venditoris facit hunc effectum, quod emptor teneatur ipſi revendere rem ab ipſo venditam. nec poſſit ſe ab hoc onere eximere ſolvendo intereſſe. Non tamen tenetur fructus interim perceptos reſtituere. Quod teneatur emptor rem emptam revendere, probatur, quia ideo a legibus conceditur pactum retrovendendi in favorem venditoris, quia cum ſoleant vendere neceſſitate preſſi, poſſint denuo ſuas res recuperare; impediretur autem hoc privilegium, ſi, qui emerunt cum pacto retrovendendi, poſſent ſe eximere ab hac obligatione offerendo intereſſe. Ut autem de facto poſſint ſibi venditores rem emptam recuperare, conceditur ipſis contra emptorem actio ex vendito, hoc eſt, jus ad conſequenda ea, quæ ab emptore præſtari oportet: *l. 2. C. de pact. inter empt.* Dixi etiam non poſſe emptorem ſe eximere a reſtituenda re empta, ſolvendo intereſſe; nam ultraquamquod valde incertum eſt, ſi obligatus ad factum ſatisfaciat ſuæ obligationi ſolvendo intereſſe, nihilominus certum eſt non ſatisfacere, quando obligatio fuit præciſe & determinate de aliquo facto: unda cum in caſu noſtro obligatio ſit præciſe de facienda retrovenditione, non poteſt emptor ab ea ſe eximere offerendo intereſſe.

Dixi demum emptorem non teneri ad reſtituendos fructus perceptos uſque ad revenditionem. Notandum eſt ergo diſcrimen, quod intercedit inter pacta legis commiſſoriæ, & additionis in die ex una parte, & pactum retrovendendi ex alia. Ideo ergo, dum vi pactorum legis commiſſoriæ, & additionis in diem annullatur facta emptio, & venditio ab emptore reſtituendi ſunt fructus, ut dictum eſt ſupra, quia tunc taliter annullatur contractus, ac ſi nunquam factus fuiſſet; ſicut ergo ſi nunquam factus fuiſſet contractus, fructus non pertinerent ad emptorem, ita ſi vi talium pactorum diſſolvatur. Dum vero ſit nova emptio propter pactum retrovendendi, non diſſolvitur & reſcinditur prima emptio, quaſi nunquam facta fuerit, ſed ſit nova emptio & venditio, vi cujus qui erat emptor, ſit venditor & e contra; unde patet novum celebrari contractum, & conſtat etiam *ex leg. ab emptione 58. C. de pactis*. Stante ergo primam emptionem non reſcindi, cum ex ea emptor factus fuerit Dominus rei venditæ, & res ſuo Domino fructificet, ſequitur ad eum pertinere fructus ejuſdem rei, nec teneri ad reſtitutionem, Et de facto *l. cum te fundum 6. Cod. de pact. inter empt. &c.* Emptor non cogitur reſtituere niſi illos fructus, quos collegit, dum erat in mora retrovendendi.

Quoad fructus immaturos adhuc pendentes, dicendum eſt in retrovenditione debere compenſari ab eo, qui rem jam venditam ſibi redimit, & recompenſationem debere eſſe juxta valorem, quem habent tales fructus immaturi tempore retrovenditionis. Quamvis ergo dixerim capite ſuperiori fructus pendentes ad emptorem tanquam partem fundi, qui venditur, pertinere; nihilominus aliter hic diſcurrendum eſt. Et ratio eſt, quia ordinarie in vendendo augetur pretium ob fructus immaturos, ac proinde æquum eſt ad emptorem abſolute pertinere. At in retrovenditione debet emptor vendere rem eodem pretio, quo prius emit, unde convenit fructus immaturos ipſi aliquo pacto compenſare ſecundum valorem, quem habent tempore retrovenditionis: *Molin. diſp. 347. n. 3. Leſſ. l. 2. c. 21. num. 123.* Secus eſſet, ſi in retrovenditione poſſet venditor augere pretium ob fructus immaturos &c.

Sicut qui redimit rem jam ab ipſo venditam debet ſolvere æſtimationem fructuum pendentium, ita & debet ſolvere incrementa & commoda, quæ per alluvionem, vel alio modo rem reddiderunt meliorem, cum pertineant ad illum, qui eam emit. Et de facto ſi pericula, & incommoda rei venditæ cum pacto retrovenditionis ſpectant ad emptorem, & ad ipſum debet pertinere lucrum incrementi: *l ſiquid 7. ſ. Ult. ff. de reſcind. vendit. & l. penult. C. de ſolut.*

Q. IV. An licita ſit emptio & venditio cum pacto retrovenditionis.

R. Utrobique Jure licita eſt emptio & venditio cum pacto retrovenditionis in gratiam venditoris: *leg. 2. Cod. de pact. int. empt. & cap. cum Joannes de Fide Inſtrum. & Extr. regimini 1. & 2. de empt. & vendit.* Ratio etiam ſuffragatur, quia ſicut unuſquiſque habet poteſtatem vendendi rem ſuam, ita & habet poteſtatem apponendi in venditione conditiones & pacta ſibi bene viſa dummodo nulla violetur lex humana & divina: cur ergo non poterit & apponere obligationem emptori de re ſibi intra aliquod tempus retrovendenda? Hinc *leg. in re mandata Cod. mandati*, unuſquiſque dicitur rei ſuæ moderator & arbiter; & *reg. 85. Juris in 6.* habetur quod *contractus ex conventione legem accipere dignoſcantur*. Aliqua nihilominus adnotanda ſunt, ne ſub hoc contractu lateat labes uſuræ.

Primum eſt vendentes & ementes habere debere verum animum vendendi & emendi, non vero ſub hoc contractu abſcondendi mutuum palliatum. Servanda etiam eſt æqualitas intra rem & pretium; nam ſi res pretio nimis vili vendatur & ematur, videtur emptor dare mutuo illud vile pretium, ut interim percipiat fructus rei apparenter venditæ; nam certus eſt emptor venditorem brevi reſtituturum illud vile pretium, ut redimat rem ſuam. Ex hoc capite uſuraria dijudicatur quædam venditio vili pretio facta: *cap. ad noſtram 5. de empt. & vend.* Hic tamen advertere eſt, quod dum venditur aliqua res cum pacto retrovanditionis, minoris æſtimatur, quam ſi non venderetur cum ſimili onere; unde vile & exiguum pretium, de quo dictum eſt, non debet conſiderari, quia minoris vendatur, & ematur, cum de facto minus valeat, ſed quia de facto ſit valde vile & tenue, ita ut prudenter dejudicari poſſit pretium tam vile fuiſſe datum, ut venditor poſſit facile rem ſuam recuperare, & interim emptor, palliato mutuo ſub hac apparenti venditione, habeat fructus rei apparenter venditæ.

Secundo, obſervare eſt, quod dum intercedit pactum retrovenditionis, & res vendita fuit pretio valde vili, creſcit ſuſpicio animi uſurarii, ſi emptor vi talis pacti velit determinandum tempus ſibi valde proficuum; ut ſi determinaretur non licere venditori redimere rem emptam niſi poſt ſeptennium, nec poſſe poſt decennium. Hac pariter ratione reprobatur quædam venditio cum pacto retrovenditionis: *cap. ad noſtram &c. cit.* Tertio, dat ſuſpicionem animi uſurarii, ſi emptor renuat dare venditori pecuniam mutuo, offerendo pecuniam ſolum ſi vendat cum pacto retrovenditionis. Hoc tamen ſignum eſt fallibile; nam multi ex juſta cauſa renuunt dare mutuo pecuniam, parati ſolum ad emendum.

Duo alia ſigna labis uſurariæ habentur *cap. illos vos 4. de pignor.* Primum eſt, ſi emptor qui offert pactum retrovendendi, ſolitus ſit uſuras exercere. Secundum, ſi paciſcatur in retrovenditione majus ſibi pretium ſolvendum, quam ipſe dederit in emendo. Cæterum in foro conſcientiæ ſtandum eſt intentioni contrahentium; quamvis in foro fori modicum pretium, maxime unitum cum conſuetudine fœnerandi, faciat ſemper judicare hujuſmodi venditiones cum pacto retrovendendi eſſe palliatam uſuram. Clare etiam patet injuſtitia hujuſmodi contractus, ſi venditor, dum redimit rem venditam, cogatur dare emptori majus pretium, quam ipſe emptor ſolverit: *Azor. 3. p. l. 7. c. 12. Molin. diſp. 375. Leſſ. l. 2. c. 21. n. 113.*

R. II. Licita etiam eſt venditio facta cum pacto retrovendendi in gratiam emptoris; neque enim apparet qua ratione poſſit eſſe injuſta. Duo taman ſunt obſervanda. Primum eſt, ut dixi, ut emptor non velit a venditore, dum cogitur redimere rem ſuam, majus pretium, quam ipſe dederit. Secundum eſt, ut emptor, qui vult venditorem teneri ad redimendam rem venditam, quoties ipſi emptori placuerit, det majus pretium, quam ordinarium. Et quidem, ſi dum venditor vult emptorem teneri ad retrovenditionem, debet minuere pretium, quia res cum tali onere minus valet; ita e contra, dum emptor vult venditorem teneri ad redimendam rem ſuam, debet dare majus pretium; nam non ſolum emit rem, ſed ulterius imponit venditori onus pretio eſtimabile: *Leſſ. lib. 2. cap. 11. nu. 27. Covar. lib. 3. variar. reſolut. cap. 9. num. 3.*

Q. V. Quid ſit contractus Muhatra; & an licitus.

R. Contractus mohatra nil aliud eſt, niſi vendere alicui rem credito pretio ſupremo, vel medio, cum pacto, ut emptor illam revendat venditori pretio infimo pecunia numerata. Satim autem patet injuſtitia hujus contractus; nam idem eſt ac ſi venditor mutuo det e. g. 90. aureos, quando tale ſit pretium infimum rei, quæ apparenter revenditur, ut poſtea recipiat 100., ſi tale ſit pretium vel medium, vel ſupremum illius rei; cum pro tali pretio primo a venditore credito vendatur. Hinc Innoc. XI. ſub num. 40. hanc damnavit propoſitionem: *Contractus mohatra licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu revenditionis prævie inito cum intentione lucri*. Quod ſi non intercederet pactum retrovenditionis pretio infimo, non video tunc injuſtitiam in tali contractu. Demus v. g. Petrum accedere ad mercatorem, ut ſibi aliquam mercem credito vendat, certe talis mercator poteſt eam vendere pretio rigoroſo. Si poſtea Petrus, nullo antecedente pacto velit iterum revendere mercatori, utique mercator non tenetur illam emere eo ſummo pretio, quo vendidit, ſed bene poteſt infimo. Uſura ergo palliata in hoc contractu conſiſtit in pacto recuperandi pretio infimo rem venditam pretio ſummo, ut patet ex dictis: *Carden. in Chr. Theolog. in prop. 40. int. damn. ab Innoc. XI. Viva ibid.*

Q. VI. Quid ſit Arrha; & quem effectum præſtet.

R. I. Arrha eſt pecunia, vel quid aliud datum ab emptore ante ſolutionem in confirmationem contractus facti, vel in ſecuritatem faciendi. Ita dum contrahentes volunt, ut emptio & venditio perficiantur per ſcripturam, datur Arrha, donec contractus in ſcriptis perficiatur. Pariter dum ſuſpenditur emptio & venditio, donec alter conſentiat, vel taxetur ab aliquo pretium, dari ſolet Arrha in ſecuritatem, ut fiat contractus, quando acceſſerit conſenſus, vel taxatum fuerit pretium &c.

R. II. Arrha data in ſecuritatem contractus perficiendi, non impedit quin contrahentes valide & licite poſſint reſilire a contractu. Si tamen emptor ſine juſta cauſa velit reſilire, arrham deperdit. Venditor vero ſine juſta cauſa reſiliens, debet reſtituere arrham, & inſimul dare emptori de propriis bonis, quantum efficit valor acceptæ arrhæ; Ita expreſſe habetur *Inſt. de empt. & vendit. & leg. contractus 17. C. de fid. inſtrum.* Si demum non perficiatur contractus ſine culpa alterutrius, venditor debet reſtituere acceptam arrham, cum æquum non ſit deperdi ab emptore ſine ipſius culpa; *leg. ex empto 11. §. 6. ff. de action. empt.*

R. III. Si arrha detur in ſignum contractus jam facti, quamvis res nondum fuerit tradita, vel pretium ſolutum, non licet contrahentibus a contractu reſilire. Non deſunt qui dicant licere emptori non ſtare contractui jam facto, dummodo arrham relinquat, ſicut & venditori, dummodo reſtituat in duplo, ut ſupra dictum eſt; *Molin. diſp. 338. Palaus &c.* Verum magis communis eſt contraria ſententia, ſicut & magis juxta æquitatem. Si igitur, nulla data Arrha, non licet uni ex Contrahentibus recedere a contractu jam facto, altero invito, quamvis venditor vellet reddere duplum pretium emptori: *leg. 6. Cod. de reſcind. vendit.* multo minus id licebit, ſi data fuerit arrha; nam hæc datur ut contractus habeat majorem, non vero minorem firmitatem. Et quidem omnino abſurdum eſſet, ſi id, quod introductum fuit ad majus robur contractus, deſerviret, ut poſſet infirmari, & reſcindi: *Haunold. tr. 10. cap. 1. contr. 8. num. 36.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum pactum retrovenditionis, factum in favorem venditoris, reddat rem vilioris æſtimationis, conſideret Confeſſarius in tali emptione poſſe licite diminui quartam partem pretii, ſi nolint contrahentes ſtare arbitrio Judicis, ſeu boni viri, aut rationabili conſuetudini Regionis, in qua fiunt tales contractus. E contra ſi apponatur venditori obligatio redimendi rem venditam, debet emptor pretium modo dicto augere, quia tale gravamen appoſitum Venditori, eſt lucro æſtimabile.

II. Secundo, bene advertat Confeſſarius ne interveniat mutuum palliatum, dum obligatur Venditor intra tempus determinatum redimere rem jam venditam. Si igitur interceſſerit vera & ſincera voluntas vendendi & emendi nulla erit ibi uſura; & emptor, utpote verus Dominus, poterit percipere fructus rei emptæ, remanente apud ipſum talis rei periculo, ſi pereat abſque eo quod poſſit pretium recuperare. Quod ſi advertat non interfuiſſe ſinceram voluntatem vendendi & emendi, conſtat adfuiſſe mutuum palliatum, tribuente ficto emptore pecuniam, ut ſub titulo emptionis fructus rei ſibi traditæ percipere poſſit. Verum ſat eſt hanc ſinceram voluntatem emendi eſſe in emente, licet in vendente non ſit ſincera voluntas vendendi, quoties tamen emptor non cognoſcat venditorem ſimulare venditionem. Ratio eſt, quia dum procedit bona fide, ſimulatio venditoris non debet illi præjudicium afferre, & juſtitia vult ſervandum eſſe indemnem a venditore.

III. Obſervet Confeſſarius ſub titulo contractus retrovenditionis non poſſe reddi licitum illum contractum, qui vulgo dicitur *a godere*, & fit quando unus dat aliquam ſummam pecuniæ, & alter illi confert agrum, vel aliam rem fructiferam non reſtituendam, niſi cum reſtituitur pecunia. Iſte contractus eſt illicitus, quia non intercedit vera voluntas emendi & vendendi; & ita ſi res tradita pereat, non perit conferenti pecuniam. Si igitur qui dedit pecuniam, non patiatur lucrum ceſſans, vel damnum emergens, idem eſt ac ſi mutuo det pecuniam, ut aliquid ſupra ſortem accipiat ex fructibus rei ſibi collatæ.

IV. Ultimo advertat Confeſſarius non poſſe retineri arrham, niſi qui eam dedit injuſte reſiliat a contractu. In hoc ſolent homines multoties peccare, nam ſemper cum non fiat id, pro quo faciendo data eſt arrha, vulgo *caparra*, nullatenus volunt eam reddere, quamvis qui dedit arrham, ſine ſua culpa cogatur recedere a promiſſis.

CAPUT VIII.

De Monopoliis.

Q. I. QUid ſit monopolium; & quotupliciter committatur.

R. I. Hæc vox *monopolium* ſignificat venditionem factam ab uno tantum. Nihilominus comprehendit etiam venditionem factam a pluribus, ut ſtatim dicam.

R. II. Monopolium multipliciter ſolet committi. Primo, committitur monopolium, quando Mercatores inter ſe conveniunt, ne quis minoris vendat, ſeu ne quis eorum majori pretio emat aliquod genus mercium. Secundo, quando duo vel tres conveniunt de emendis omnibus mercibus alicujus generis, ut ipſi ſoli poſtea eas vendant juxta ſuum libitum. Tertio, quando aliquis, ut carius vendat ſuas merces, impedit ne ipſarum major copia introducatur in Civitatem. Quarto, contingunt monopolia, quando fiunt authoritate Principis.

Q. II. An monopolia ſint licita; & quando ex illis oriatur obligatio reſtituendi.

R. I. Injuſtum eſt monopolium, dum aliqui conveniunt de non vendendo, vel emendo niſi tali pretio. Quod injuſta ſint talia monopolia, primo probatur, quia a jure prohibentur: *leg. unic. Cod. de monopol.* Secundo, quia perſonæ particulares nullum jus habere poſſunt cogendi cives ad emendum e. g. pretio ſummo, & vendendum pretio infimo, quod evenit dum adeſt conſpiratio de non vendendo niſi pretio ſummo, & de non emendo niſi infimo.

R. II. Ego certum credo hujuſmodi monopolas teneri ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia qui alterum actione illicita damnificat, reſtituere tenetur damnum illatum; in caſu autem noſtro damnum ſupra explicatum oritur ex actione injuſta, non ſolum quia a legibus reprobata, ſed etiam quia læſiva juris Communitatis, habentis nempe jus, ut non cogatur a perſonis privatis emere pretio ſummo, & vendere infimo. Non habet proinde locum hic ea doctrina, qua dicitur non teneri ad reſtitutionem illum, qui ſine fraude & vi, ſed ſolis precibus divertit collatorem a tribuenda aliqua re. Vera eſt hæc communis doctrina, quia ille, qui conferre volebat, nullum jus habet, ut illi tribuatur; at Communitas jus habet ne a perſonis particularibus cogatur emere, vel vendere modo dicto, unde ex violatione talis juris dicendum eſt conſurgere obligationem reſtituendi: *Laym. de Juſt. l. 3. tr. 4. cap. 17. num. 43. Pal. diſp. 5. p. 34. n. 4. Rebell. 2. p. l. 9. q. 7. num. 5.*

Quod ſi aliquis ſuſtinere velit non teneri ad reſtitutionem, ſi non vendant ſupra pretium rigoroſum, ſaltem debent advertere tunc juſtum pretium non eſſe cenſendum

dum

dum illud, quod reſultat ex penuria mercium introducta per monopolium; nam tale pretium taxatur ab exercentibus monopolium, ac proinde ſolet eſſe injuſtum. Ut igitur in tali caſu cognoſcatur quale reputandum ſit juſtum pretium, advertendum eſt quo pretio venditæ fuiſſent illæ merces, ſi propter monopolium non appareret ipſarum penuria, & juxta illud pretio etiam ſummo licitum eſſet in tali opinione eas vendere, non vero pretio majori taxato ab exercentibus monopolium.

Ex hoc infertur quod etiam qui non fuit cauſa monopolii non poteſt vendere merces ſuas majori pretio, quo alias non vendidiſſet, ſi non fuiſſet monopolium, hoc eſt, non poſſe excedere pretium ſupremum, quo ſine monopolio venditæ fuiſſent. Hæc opinio mihi verior videtur contra plures aliter ſentientes, quia pretium introductum ratione monopolii, ſi excedat ſummum, quo ſine monopolio venditæ fuiſſent merces, revera eſt injuſtum. Nec refert dicere poſt monopolium communiter vendi tali pretio; nam in tali caſu communis æſtimatio de juſtitia talis pretii oritur ex errore, quod ſcilicet non convenerint monopolæ de ita vendendo, vel emendo: *Rebell. cit.*

R. III. Si committatur monopolium, impediendo, ne major copia mercium introducatur in Civitatem, peccatur contra juſtitiam, quoties id fiat vi, fraude & dolo. Si vero fiat ſolis precibus, poteſt eſſe peccatum contra Charitatem. Si igitur tale impedimentum vi, fraude &c. apponatur, conſurgit peccatum contra Juſtitiam Commutativam; nam Cives habent jus, ne talibus mediis impediantur ab emendo viliori pretio; cum ergo in tali caſu pretium mediis injuſtis creverit, adeſt peccatum contra juſtitiam commutativam, ac ſubinde obligatio reſtitutionis. Si vero præfatum impedimentum ſolis precibus apponatur, non violatur utique juſtitia commutativa, quia Cives non habent jus juſtitiæ, ne alii Venditores ſolis precibus a venditione removeantur: *Pal. diſp. 6. p. 34. n.8.*, *Lugo diſp 26. ſect. 12. nu. 179.*, *Bon. de Contr. diſp. 3. q.2. p. 5. n. 8.*

R. IV. Juſta interveniente cauſa licita ſunt monopolia, quæ fiunt publica authoritate. Iſta reſponſio de ſe eſt manifeſta; nam ſi juſta interveniat cauſa, ceſſabit omnis injuſtitia &c. Porro tunc intelligitur adeſſe juſta cauſa, quando conceditur ſolum aliquibus vendere aliquod genus mercium, dummodo ſolvant aliquam ſummam pecuniæ ob ſubveniendum publicis neceſſitatibus. Item ſi id fiat in remunerationem alicujus artis adinventæ. Pariter ſi ita neceſſe ſit, ut aliquæ particulares merces advehantur, quas non facile eſſet reperire qui eas venderet, ſi non haberet privilegium, ut ipſe ſolus venderet. Demum, ne quis cogatur cum ſuo detrimento aliquid vendere; & ita concedi ſolet Typographis, ut ſolum ipſi per aliquod tempus vendant aliquem librum: Quod ſi nulla eſſet juſta cauſa concedendi alicui, ut ipſe ſolus aliquas merces venderet, tunc peccaret Princeps, qui concederet, & peccaret qui expoſtularet tale privilegium; nam injuſte ageretur contra emptores, quia cogerentur carius emere, & contra alios Mercatores, qui tali negociatione ſibi aliquid eſſent lucraturi.

Advertere etiam eſt, quod dum intercedit juſta cauſa monopolia concedendi, ſaltem pro rebus ad vitam neceſſariis, debet publica authoritate pretium taxari, ne pauperes, & cives pretio nimis rigoroſo emere cogantur.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Ex præallegatis doctrinis poteſt Confeſſarius cognoſcere illicite agere, & veluti monopolium exercere illos Artifices, qui conveniunt de non perficiendo opus ab altero inchoatum, unde id prohibetur *leg. un. Cod. de monop.*; vel de non locandis ſuis operibus niſi certo pretio, cum id cedat in detrimentum Civium, & Reipublicæ.

II. Notet Confeſſarius in praxi difficile valde eſſe excuſare a reſtitutione exercentes monopolia. Ratio eſt, quia quamvis dicant non excedere limites juſti pretii, id aſſerunt non attendendo quale fuiſſet juſtum pretium, ſi non interveniſſet monopolium; ſed conſiderant pretium juxta incrementum quod habuit, poſtquam ratione monopolii introducta eſt penuria mercium.

III. Cum habeat onus reſtituendi ille, qui vi, vel fraude curat augeri, vel minui pretium, a Confeſſario obligandi ſunt ad reſtitutionem, qui ſpargunt falſum rumorem, vel conficiunt falſas literas de ſubmerſione navium quaſdam merces advehentium, ut ita pretium augeatur vel de earum adventu, ut minuatur &c.

CAPUT X.

De Proxenetis.

NOmine proxenetæ venit in præſenti ille, cui aliqua res traditur vendenda, vel emenda.

Q. I. An qui habuit a Domino aliquam rem vendendam pretio determinato, poſſit ſibi retinere exceſſum pretii, ſi pluris vendat.

R. I. Semper cum conſtet aliquo modo de mente Domini rei vendendæ, hæc ſervanda eſt, quoties tamen venditori det debitam mercedem. Si igitur aliquo pacto conſtet Dominum voluiſſe rem vendi eo meliori pretio, quo fieri poteſt; vel ſi determinavit pretium, non ideo determinaſſe, ut exceſſum illius vellet venditori relinquere, ſed ſolum, ne res ſua minoris vendatur, tunc clarum eſt venditorem non poſſe ſibi pretii exceſſum retinere, quoties habeat ſuam mercedem, vel gratis ſe offerat ad vendendum.

R. II. Etiamſi non conſtet clare de mente Domini rei vendendæ, adhuc, regulariter loquendo, non poteſt venditor exceſſum pretii pro ſe retinere. Ratio eſt, quia ordinarie loquendo, non intelligitur Dominus pretium determinaſſe, quaſi contentus ſit rem ſuam non pluris vendi, ſed ſolum ne minoris vendatur. Secundo. cum donatio non præſumatur, ni clare de ea conſtet; *leg. Campanus ff. de operibus liber.*, *& leg. fin. C. de Novat.* neque etiam præſumi debet Dominum exceſſum pretii ſupra taxatum venditori condonare. Tertio, neque poteſt venditor ſibi retinere exceſſum pretii, quia dicat ſtatim pro ſe emiſſe rem pretio determinato a Domino, ac deinde illam vendidiſſe veluti ſuam pretio majori; ut dictum eſt; etenim, Dominus, ordinarie loquendo pretium deſignat, non ne pluris, ſed ne minoris res vendatur, adeoque non intendere Proxenetam ſtatim vendere pretio a ſe deſignato, nulla adhibita diligentia, ſed velle, ut ſufficiens adhibeatur diligentia ad videndum ſi pluris vendi poſſit: *Navar. cap. 23. n. 97. Lugo diſp. 26. n. 150.* Aliud eſſet, ſi poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, non inveniret, qui vellet pluris determinato pretio emere; nam tunc poſſet eam rem ſibi pro tali pretio emere, & ſuo tempore majori pretio vendere: *Laym. l. 3. tr. 4. c. 17.*

Hoc autem totum procedit, quando proxeneta habet mercem jam conſtitutam pro ſua induſtria & labore vel quando ſe obtulit gratis rem vendere. Verum tamen eſt, quod etiamſi ſe obtulerit gratis rem vendere, ſi poſtea retineat pretium conveniens pro venditore rei, peccaret utique contra fidelitatem, non tamen contra juſtitiam, ni forte in promptu alter eſſet, qui gratis venderet rem Domino, Item obſervandum quod ſi vendidit pluris, quam Dominus determinaſſet, propter aliquam particularem & extraordinariam diligentiam, ad quam nullatenus teneretur, tunc iſte exceſſus pretii potius eſſet pretium ſuæ diligentiæ & induſtriæ, quam rei, ac proinde poſſet ſibi retinere.

Demum putare poſſe ſibi talem exceſſum retinere, quando nullus eſſet, qui vellet rem gratis Domino vendere, & ex alia parte nullam conſtituerit mercedem venditori; tunc enim poteſt præſumi aſſignaſſe pretium determinatum, ut vellet exceſſum illius deſervire pro venditoris mercede, cum nemo, ordinarie loquendo, præſumatur velle operam ſuam gratis aliis præſtare: *Pal. diſp. 4. p. 16. n. 1.*

Q. II. An deputatus ad aliquid emendum, ſi emerit minoris, ac Dominus præſcripſerit, poſſit ſibi appropriare quod minus impendit.

R. Negative. Ratio conſtat ex dictis; cum etenim Dominus determinat pretium, ne res majori pretio ematur, non ideo determinat, quia non minoris ematur, ſi fieri poteſt, ſed ne ematur pretio majori, quam ipſe taxaverit: *Pal. n. 3. Molin. diſp. 363. circa fin.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Obſervet Confeſſarius ſalariatos, nempe famulos, famulas, Adminiſtratores rerum alienarum, ſeu illos, qui propter mercedem aliquid vendendum ſuſceperunt, non habere ullam excuſationem, ut poſſint ſibi appropriare aliquid pretii rei venditæ, ac inaniter diligentias a ſe factas anteponere; cum ordinarie loquen-

do, tales diligentiæ non excedant illas, ad quas tenentur ex officio. Secus dicendum, ſi ipſorum diligentiæ vere fuiſſent extraordinariæ, nec ſolitæ fieri ab aliis ejuſdem profeſſionis, & officii.

II. Pariter notare in praxi eſt, multoties peccare Adminiſtratores rerum alienarum vulgo *Fattori*, qui ſibi appropriant tales res pretio ipſi determinato a Domino, retinendo poſtea pro ſe exceſſum pretii, quo illas vendiderunt. Tenentur igitur prius facere convenientem diligentiam, ut videant ſi poſſint vendere pretio majori, & ſi id præſtare non poſſint, tunc vere poſſunt ſibi pro tali pretio res appropriate, eaſque tempore a priori majori pretio vendere; neque enim cenſendi ſunt deterioris conditionis, quam alii emptores.

III. Difficile etiam in praxi eſt excuſare a reſtitutione illos, qui aliquam partem pretii ſibi retinent, eo quod dicant ſua diligentia minoris emiſſe, quam emiſſet ipſe Dominus; vel mercatorem in gratiam ſui minori pretio vendidiſſe. Primo igitur, diligentia ipſorum, ordinarie loquendo, non eſt talis, ut ad eam non teneantur vi ſui officii. Secundo, falſum eſt Mercatores in gratiam ipſorum minoris vendere; vere etenim ſi Dominus per ſe ipſum emiſſet, eodem pretio habuiſſet illam mercem. In hoc facile hallucinantur Sartores, qui ex eo quod putent Mercatores pannum in gratiam ipſorum vendere minoris, aliquid de plus exigunt ab iis, pro quibus emerunt. Non nego tamen, quod ſi vere Mercator pretio, quo vendidit ſartori, non vandidiſſet Domino, nec alter Mercator facile tali pretio vendidiſſet, non ſit probabile poſſe ſartorem aliquid de plus exigere ab eo, pro quo emit. Verum omnes conveniunt hujuſmodi eſſe ſemper periculis plena, & faciliime conſcientias prægavari.

CAPUT X.

De Evictione.

Q. I. Quid ſit Evictio.

R. I. Cum contingat aliquando, inſcio & invito Domino, rem ipſius alienari venditione, permutatione &c. jura conceſſerunt dominos poſſe Judicis aothoritate recuperare rem ſuam nondum præſcriptam, demonſtrando rem eſſe ſuam, & ſubinde inſtando, ut ſibi reſtituatur. Id ſignificat evictio ac proinde definitur. *Recuperatio apud Judicem rei ſuæ, quam alter juſto titulo acquiſierat*. At cum ex hoc ſequatur quod ille, qui juſto titulo rem poſſidebat, eadem re expolietur, conceditur eidem actio ex empto, hoc eſt, ut poſſit agere contra venditorem, & illum cogere ad reſtituendum pretium & intereſſe.

Q. II. Ad quid teneatur venditor ratione venditionis, antequam res ſit evicta.

R. I. Si venditor mala fide rem alienam vendit, utique non poteſt eam defendere contra Dominum inſtantem pro reſtitutione; id enim eſſet velle continoare in ſua injuſtitia, ſed debet eam ſtatim reſtituere Domino, ut habetur etiam *reg peccatum de reg. jur. in 6.*: ſicut etiam debet reſtituere emptori pretium, & intereſſe: *leg. ſervus 30. §. Si ſciens ff. de act. empti*; nam tenetur ad removendum omne damnum, quod illi ſua injuſta actione cauſavit.

R. II. Si venditor proceſſit bona fide neſciens rem, quam vendidit, eſſe alienam, quum primum movetur lis emptori ad rem evincendum, tenetur in ſe aſſumere litem, eamque proſequi propriis expenſis; neque enim æquum eſt emptorem, qui juſto pretio emit, tale damnum pati.

Verum tamen eſt, quod venditor teneatur de evictione, quædam a lege exiguntur. Primum eſt, ut emptor laudaverit emptorem, hoc eſt, legitime intimaverit, ſed denontiaverit litem ſibi motam eſſe de re empta: *leg. emptore, & lege empti actio 21. Cod. de evict.* Neque ſatis eſt ad hanc denunciationem ſimpliciter ſignificare litem motam eſſe, ſed expreſſe requirendos eſt venditor, ut ſuam rem defendat, & liti aſſiſtat; ita enim leges expreſſe requirunt, & habetur etiam *cap. final. de empt. & vendit.* Denique denunciatio fieri debet venditori tempore apto, quo poſſit, ſi ita ipſi placuerit, emptorem & rem litigioſam defendere: *Covar. l. 3. var. reſol. c. 17. n. 3. Molin. diſp. 18. n. 9.*

Excuſantur ab hac denunciatione facienda Minores; ſi etenim venditor aliunde ſciverit litem motam eſſe emptori, ipſi non privantur jure agendi contra venditorem in caſu evictionis. Idem, quod de Minoribus, dicitur de Eccleſia, quia fungitur jure Minorum: *cap. requiſivit &c. de reſtit. in integr.* Alii quoque excuſant emptorem a denunciatione, caſu quo venditor expreſſe promiſerit defenſionem ea moti ratione, quod ſcilicet ſi venditor, habita denunciatione, tenetur defendere rem venditam, etiamſi id non promiſerit, dum promiſit, tenebitur defendere etiam abſque denunciatione: *Molin. num. 13. Lugo diſp. 26. n. 159.*

Q. III. Ad quid teneatur venditor, poſtquam res fuit evicta.

R. I. Venditur tenetor reſtituere totum pretium, ſi res tota fuit evicta, vel partem pretii, ſi pars tantum evincatur: *l. bonitatis 13, leg. ex mille 64. ff. de evict.* Verum tamen eſt, quod ſi pars ſolum evincatur, non poreſt emptor agere ad reſciſſionem contractus, & ad reſtitutionem totius pretii, ſed tantum ut ipſi ſolvatur pars pretii proportionata: *arg. l. ædiles 38. §. 12. & 14 ff. de evict.* Solum poſſet agere ad reſciſſionem contractus, & reſtitutionem totius pretii, quando pars, quæ remaneret, vel eſſet inutilis, vel a parte evicta inſeparabilis: *leg. ædiles §. fin. ff. de ædilit. edict.*

R. II. Venditor non ſolum tenetur poſt evictionem pretium reſtituere, ſed etiam præſtare id, quod intereſt emptori rem non eſſe evictam: *leg. Titius 43. ff. de act. empt. & leg. evictare 70. ff. de evict.* Nomine autem illius quod intereſt, venit lucrum ceſſans & damnum emergens, quod patitur emptor: *leg. ſi ſterilis 21. §. 3. ff. de act. empt.* Item reſtituendæ ſunt expenſæ, quas ex mandato tacito vel expreſſo fecit emptor ratione litis; cum etenim hæ faciendæ ſint a venditore, debet eas emptori reſarcire. Denique nomine illius quod intereſt, venit etiam augmentum rei evictæ, quod debet emptor amittere reſtituendo illam Domino. Hinc ſi fundus alluvione creverit, illius augmentum emptori præſtandum eſt: *leg. victa re 16. princ. ff. de evict.* Puto tamen, venditorem non teneri ad damnum & intereſſe, nec ad ſolvendum augmentum rei, niſi poſt ſententiam Judicis, ſi bona fide proceſſerit; nam tunc non cauſavit talia damna per actionem injuſtam. Quod ſi proceſſerit mala fide, debet pretium una cum intereſſe reſtituere, etiamſi expreſſe convenerit nolle ratione evictionis ad aliquid teneri; nam tunc eſt injuſta cauſa damni ſequuti; & conſtat etiam *ex leg. tenetur 6. ff. de action. empt.* Ultraquamquod fraus & dolus nulli debent patrocinari: *cap. ex tenore de reſcript.*

Leges volunt etiam venditorem bonæ fidei teneri non ſolum ad pretium, ſed etiam ad intereſſe, ſi non vendiderit cum expreſſo pacto, quod nolit obligari ratione evictionis forſitan futuræ: *leg. ex empto 11. §. 18. ff. de act. empt.* quod tamen in foro conſcientiæ attendendum eſt ſolum poſt ſententiam Judicis. Cæterum ſi venditor bonæ fidei expreſſe conveniat cum emptore in caſu evictionis nolle teneri de pretio, liberabitur ab hoc onere, cum tunc intelligatur emptor in ſe ſuſcipere periculum: *leg. 11. ad fin. ff. de act. empt.* Item ſi ſolum vendat quidquid juris poſſit in re habere: *leg. quod ſi 13. ff. de hæred. act. vend.* In his tamen caſibus minoris res vendenda eſt, quantum ſcilicet valere poteſt periculum, quod in ſe ſuſcipit emptor.

Q. IV. Quando venditor non teneatur de evictione.

R. Aliqui ſunt caſus, in quibus venditor non tenetur de evictione, quorum aliquos adnotabo. Primus eſt, ſi emptor, quando non manifeſte conſtet rem eſſe alienam, omiſit denunciare Venditori litem motam, ut ſe poſſet defendere; nam tunc res evicta remaneret ob culpam emptoris. Secus dicendum, ſi manifeſte conſtet rem eſſe alienam; nam tunc inotiliter denunciaret, cum nullatenus poſſet venditor ſe defendere. Immo ſicut tunc teneretur, etiam poſitive invito venditore, litem deſerere, cum nunquam liceat cauſam injuſtam tueri, & id poterit, ipſo ignoraote.

Secundo, non tenetur venditor de evictione, ſi culpa emptoris res fuerit evicta; ut ſi emptor ex ſua culpa poſſeſſionem amiſerit, & ex reo factus ſit actor: *leg. ſi rem 29. §. 1. ff. de evict.*; vel ſi potuit præſcribere, & non fecit: *leg. ſi dict. 59. §. 3. ibid.*; vel ſi non appellavit a ſententia, abſente venditore, dum alias non cognoſceret ſententiam eſſe certo juſtam, *leg. ſi bona 11. C. de admin. Tutor. juncl. leg. Herennius 63. §. 2. ff. de elect.* Demum venditor excuſatur, & non tenetur de evictione, ſi emptor ſciens emat rem alienam, non reſervata ſibi actione ex empto, hoc

eſt,

eſt, agendi contra venditorem, ſi res fuiſſet evicta. Hoc tamen procedit pro foro fori nam in foro conſcientiæ, venditor tenetur pretium teſtituere; cum etenim vendiderit rem non ſuam, neque poteſt illius pretium retinere. Hæc pro viris Eccleſiaſticis adnotaſſe ſufficiat de emptione & venditione, cum alias optimum ſit aliqua & ipſos dignoſcere ad forum externum pertinentia.

Regulæ in praxi obſervandæ.

Cum venditor rei alienæ teneatur reſtituere pretium emptori ſtatim ac res remanet evicta, hinc nunquam ſatis percepi quod aliqui dicunt, venditorem, ſi proceſſit bona fide, & in nihilo ex tali venditione factus ſit ditior, nihil reſtituere debere. Demus e.g. bona fide aliquem rem alienam 100. aureis emiſſe, ad nihilum teneri dicunt, cum in nihilo factus ſit ditior. Verum quamvis hæc regula univerſaliter vera ſit, patitur nihilominus exceptionem, quando ex alio capite oritur obligatio reſtituendi, ſicut evenit in caſu noſtro; expoſcit etenim contractus venditionis, ut a quocumque venditore reſtituatur pretium, quoties res vendita evicta remaneat, quando nempe retineri non poteſt ab emptore, quia comparuit verus dominus illius.

QUÆSTIO III.

De Mutuo, & Uſura.

CAPUT I.

Quid ſit mutuum; qui poſſint mutuare; & qui eximatur ab obligatione reſtituendi mutuum.

Q.I. Quid ſit mutuum.

R.I. Mutuum idem ſignificat quod: *meum fiat tuum: Inſt. §. 1. quibus modis re contrahitur obligatio, & leg. 2. in princ. ff. ſi certum petatur*: Et de facto mutuando conceditur, ut id quod meum eſt, fiat alienum, ita ut ille poſſit de re ſibi tradita pro libito diſponere, exponendo, diſtrahendo, &c. ipſique pariter accreſcit, & decreſcit. Hoc poſito, mutuum bene poteſt definiri,

Contractus, in quo res uſu conſumptibilis alteri traditur quoad dominium & uſum, cum obligatione reddendi ſimilem in ſpecie, & bonitate. Hujuſmodi definitio, quæ dici poteſt communis, ſumitur *ex leg. mutuum ff. ſi certum petatur.*

Dicitur, *contractus, in quo res traditur &c.* neque enim contractus mutui perficitur ſolo conſenſu, ut emptio, venditiu, locatio & conductio &c. ſed traditione rei. Dicitur, *res uſu conſumptibilis*; nam mutuum in his rebus ſolet exerceri, ut vino, oleo, frumento, & pecunia. Hæc autem quamvis phyſice non conſumatur, in mutuo conſumitur moraliter, quatenus deſinit eſſe mutuantis, ac ſi non amplius exiſteret. Et quidem res uſu conſumptibiles, quæ ſunt materia mutui, ſolent eſſe aptæ menſurari, ut æs, argentum, aurum, vinum, oleum &c. ſeu numerari, ut pecunia. Hujuſmodi etiam dicuntur functionem accipere, quatenus ſcilicet una recte loco alterius ſubſtituitur, ut pecunia pro pecunia, vinum pro vino &c.

Additur, *quoad dominium & uſum*; nam in mutuo ita res mutuata fit accipientis, ut tanquam verus illius dominus poſſit quocumque modo de ea diſponere, diſtrahendo, conſumendo &c.

Demum dicitur, *cum obligatione ſimilem reddendi in ſpecie, & bonitate.* Ubi advertendum, quod dum eſt obligatio non reddendi rem ſimilem in ſpecie, ſed ſatis ſit ſi reddatur alterius ſpeciei, non eſt mutuum, ſed permutatio. Item ſi reddenda ſit eadem res numero, dicitur Commodatum, ſeu Depoſitum; quamvis enim etiam in mutuo reddi poſſit eadem res numero, quæ tradita fuit, hoc tamen non eſt ex vi mutui, cum mutuatarius potuerit eam conſumere. Dum demum dicitur quod reddenda ſit *ſimilis in ſpecie & bonitate*, advertere eſt in rebus aliam eſſe bonitatem intrinſecam, aliam extrinſecam. Intrinſeca dicitur illa, quæ eſt in ipſa re, ut ſi reddatur triticum ita purgatum, & ejuſdem perfectionis, quale fuit illud quod fuit acceptum; vel ſi reddatur pecunia non ſolum ejuſdem valoris, ſed ejuſdem auri, ſive argenti ita perfecti, qualis habita fuit a mutuante. Bonitas vero extrinſeca pendet a valore, quam res habet a Principe,

ab uſu Mercatorum &c. In mutuo non pecuniario, ſed frumenti, olei &c. ſatis eſt ſi reddatur res in ſpecie & bonitate ſimilis illi, quæ accepta fuit, quamvis ejus valor decreverit, dummodo debitor non ſit in mora, & culpa reſtituendi. Quid vero dicendum ſit in mutuo pecuniario, examinabitur inſra.

Q. III. Quotuplex ſit mutuum.

R. I. Mutuum aliud eſt formale & expreſſum, aliud virtuale & implicitum. Mutuum expreſſum & formale intervenit, quando de facto datur aliquid alteri, ut tranſeat in ipſius dominium, ut ſupra dictum eſt. Mutuum vero implicitum & virtuale eſt illud, quod palliatur ſub apparentia alterius contractus. Demus e. gr. aliquem, dilata ſolutione ad ſolvendum, vendere viginti aureis rem, cujus valor ſit tantum quindecim aureorum, tunc idem eſt ac ſub apparentia venditionis abſcondere mutuum 15. aureorum, ut poſt aliquod tempus viginti accipiat. Idem eſt, ſi quis anticipata ſolutione ſolvat 10. quod ſtat 15. aureis, poſt aliquod tempus accipiendum; hoc etenim idem eſt ac palliare ſub ſpecie emptionis mutuum decem aureorum, ut quindecim accipiantur.

R. II. Aliud eſt mutuum licitum, aliud illicitum, ſeu uſurarium. Licitum datur, quando traditur res gratis, ut reſtituatur alia ſimilis & æqualis bonitatis. Mutuum uſurarium, eſt, quando res non traditur gratis, ſed ultra obligationem reddendi aliam rem ſimilem, & æqualis bonitatis, aliquid tradendum eſt pro dilatione temporis.

Q. IV. Qui poſſint mutuare, & mutuum accipere.

R. Niſi adſit ſpecialis juris diſpoſitio, omnes, qui poſſunt contrahere, poſſunt mutuare, & mutuum accipere; ſi etenim poſſunt facere alios contractus, poterunt & hunc facere. Porro qui poſſint contrahere, videndum eſt prima quæſtione hujus Tractatus. Dixi, ni adſit ſpecialis juris diſpoſitio, nam Civitas, Eccleſia, Monaſterium, aliaque loca pia non obligantur ex mutuo: *leg. Civitas ff. ſi certum petatur, Aut hoc jus porrectum. Cod. de Sacroſ. Eccleſ., leg. 1. Cod. de ſolut.* Excipe niſi probetur pecuniam mutuo acceptam ab ipſorum Adminiſtratoribus, converſam fuiſſe in ipſorum utilitatem. Si jam Gubernator, ſeu Rector Civitatis, vel Oppidi mutuo acceperunt pecuniam de conſenſu Civium, adeſt obligatio reſtituendi, etſi Creditor non probet converſam fuiſſe in utilitatem Civitatis, vel Oppidi. Idem, dicas, ſi Rectores, & Adminiſtratores Eccleſiæ mutuo acceperunt pecuniam de conſenſu Prælati, ſeu Capituli; iſti enim cum liberam habeant adminiſtrationem rerum mobilium, potuerunt mutuo accipere pecuniam, & ære alieno obligari. Verum tamen eſt, quod ſi pro ſatisfaciendo tali æri alieno neceſſe eſſet alienare rem immobilem, ſive, mobilem pretioſam, quæ ſervando ſervari poteſt, tunc deberet Creditor probare pecuniam; mutuatam converſam fuiſſe in Eccleſiæ utilitatem; nam non conceditur alienatio prædictarum rerum ſine evidenti utilitate Eccleſiæ, aut ejus neceſſitate, & alienatio alias facta nulla eſt: *Molin. diſp. 300. Laym. l. 3. ſect. 5. tr. 4. c. 16. n. 7.*

Pariter beneficio legis *Si in rem Minoris Cod. quando ex facto Tutoris*, non tenentur Pupilli, & Minores ratione mutui, quod nomine eorum acceperunt Tutores & Curatores, ni mutuans probet pecuniam converſam fuiſſe in commodum, ſive utilitatem Minoris, ſeu pupilli. Id autem factum eſt ad refrænandam facilitatem Curatorum & Tutorum in accipiendo mutuum, & Fœneratorum in concedendo.

Q. V. Quid dicendum de mutuo facto Filiis-familias.

R. I. In Foro externo certum eſt Filios exiſtentes ſub patria poteſtate eximi ab obligatione reſtituendi pecuniam mutuo acceptam ſine conſenſu Parentum; unde nec ipſi, nec parentes, nec hæredes poſt ipſorum mortem tenentur talem pecuniam ſolvere. Id manifeſte patet ex celeberrimo Senatus Conſulto Macedoniano, in quo expreſſe conceditur Filiis-familias tale privilegium. Id autem non ſolum in favorem Filiorum, ſed etiam Parentum reſultat, quatenus ſcilicet ita non datur locus ut Filii ære alieno gravati inſidientur vitæ Parentum, ob ſolvenda ipſorum hæreditate debita contracta. Videtur etiam tale Senatus-conſultum reſpexiſſe pœnam mutuantium, ut ſcilicet retraherentur a dando mutuum Filiis-familias.

Excipiuntur tamen aliqui caſus, in quibus ratione mutui obligantur Filii-familias. Primo, ſi habeant bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia, quia ex illis tenentur

Digitized by Google

ſolvere. Secundo, ſi mutuum perſeveret in ſpecie, aut in virtute apud ipſos Filios; nam tunc cum facti ſint ditiores, tenentur ex re accepta. Tertio, ſi Filiifamilias credebantur ſui juris communi errore, eo quia e.g. exercebant publicum officium, vel mercaturam: *lib. 1. Cod. ad Maced. leg. ſi quis ff. ad Maced. & leg. Zenodorus C. eod. tit.* Quartu, ſi mutuum non datum fuit pecunia, ſed in aliis rebus, dummodo id non factum ſit in fraudem legis. Id eveniret quando darentur res venditione in pecuniam convertendæ, ut ita mutuum occultaretur; *leg. ſed Julianus §. Mutui ff. ad Macedon.* Quinto, ſubſiſtit mutuum factum Filiisfamilias, ſciente & conſentiente Patre. Sexto, ſubſiſtit pariter, ſi pecunia mutuo accepta a Filiosfamilias converſa fuerit in utilitatem Patris; ut ſi debuiſſet Pater facere aliquas expenſas, & pro iis faciendis Filius pecuniam mutuo accepiſſet: *leg. item ſi filius fam. 7. §. Quod dicitur ad Maced.* Denique tenetur Filiusfamilias de pecunia mutuo accepta, ſi poſt mortem Patris aliquo pactu mutuum acceptum ractificaverit, ſolvendo e.g. partem ipſius. Cæterum in foro externo nil refert ſi Filius renunciaverit Senatus Conſulto Macedon. nam cum privilegium inductum per tale Senatus conſultum primo non reſpiciat, dicunt Juriſtæ, favorem filiorum, ſeu Patrum, & pœnam Delinquentium, non ſufficit Filium renunciaſſe tali privilegio, & pœnis inductis in ordine ad alios.

R. II. Quoad forum internum ita puto ſe gerere debere Confeſſarium. Primo, ſi Filiusfamilias mutuum accepit in caſibus ſupra non exceptis, & nondum ſolvit, putarem non eſſe in conſcientia obligandum ad reſtitutionem; nam practice probabile eſt per Senatus Conſultum Maced. non ſolum liberari ab obligatione civiliter, ſcilicet pro foro externo, ſed etiam naturaliter contracta, ſcilicet pro foro interno. Ratio hujus ſententiæ eſt, quia ut dicitur in Tr. de Legib., lex lata ob publicam utilitatem, & ad avertenda mala a Republica, obligat etiam pro foro conſcientiæ; talis autem reputatur lex Senatus Conſulti Maced. utpote quæ reſpicit auferre omnem occaſionem machinandi mortem Parentibus, & Fœneratores punire, quod certe reſpicit publicum bonum, & utilitatem: *Sanch. l. 7. Decal. c. 32. n. 22., Laym. l. 3. ſect. 5. tr. 4. c. 15. n. 4. Pal. de juſt. diſp. 4. p. 5. n. 6.*

Hoc autem ſtante, Filiusfamilias neque teneretur reſtituere quod mutuo accepit, quamvis juraſſet, neque enim eſt obligatorium juramentum contra bonos mores, & in præjudicium Tertii. Hujuſmodi autem reputatur prædictum juramentum, utpote quia eſt contra bonos mores juramentum præſtitum de re prohibita a lege, reſpiciente bonum publicum; & alterius eſt in damnum tertii, ſcilicet Parentum; cum præbeat Filiis occaſionem peccandi, hoc eſt, machinandi, vel ſaltem optandi mortem ipſis Parentibus.

Si vero filiusfamilias mutuum ſolvat, non eſt obligandus mutuans ad reſtituendum quod accepit. Et quidem ſi Filiusfamilias reſtituat poſt mortem Patris, mutuans poteſt retinere, nam id etiam conceditur: *leg. ſed Pater familias §. Sep ſi non ff. ad Maced.* Quando vero mutuum ſolverit vivente Patre, nun eſt mutuans cogendus ad reſtituendum; etenim practice etiam probabilis eſt ſententia aſſerens exceptionem Senatus conſultus Macedoniant ſolum valere pro excludenda obligatione civili, non vero pro excludenda naturali. Ratio quamplurium Authorum, qui ſuſtinent hanc ſententiam ea eſt, quia jura poſſunt interpretari, quod liberent ab obligatione non naturali, ſed tantum civili, maxime quando licet actionem non concedant, nihilominus non reſiſtunt contractui, ut notavi etiam *qu. 1. quæſit. 9.* Præterea cum jura deobligantia Filiosfamilias a reſtitutione mutui videantur pœnalia, adeoque odioſa, ac præjudicent naturali obligationi, reſtringenda ſunt quoad fieri poteſt, adeoque ſunt intelligenda removere obligationem forenſem, non naturalem: *Bonac. de contr. diſp. 3. q. 2. p. 1. n. 6. Rebell. l. 8. q. 1. ſect. 2. n. 16.*

Doctrina tradita in hoc capite non continet pro praxi aliquam regulam, quæ ſtatim de ſe non pateat.

CAPUT II.

Quid & quotuplex ſit uſura, & quo jure prohibita.

Q. I. Quid ſit Uſura.

R. Cum nomen uſuræ derivetur ab uſu, aliquando ſignificat uſum alicujus rei; ſed magis communiter uſurpatur pro fructu, & commodo proveniente ab uſu alicujus rei. In hoc ſenſu uſuram ſumimus in præſenti; nam intelligimus pro uſura illud commodum, quod quis retrahere intendit ex pecunia alicui mutuo tradita, adeoque ut obliget mutuatarium non ſolum ad reſtituendam pecuniam mutuo traditam, ſed etiam aliquid ultra illam. Definitur autem uſura hoc modo ſumpta: *lucrum immediate proveniens ex mutuo*. Nomine lucri venit in præſenti non ſolum pecunia, ſed etiam quodcumque commodum temporale pretio æſtimabile, quod uſurarius retrahit ex mutuo ultra ſortem principalem, tanquam ſibi debitum ex obligatione juſtitiæ: *Laym. lib. 3. tr. 4. c. 16. n. 2.* Dicitur, *immediate proveniens ex mutuo*, quia uſura proprie committitur in contractu mutui; cum enim de ſua natura exigat, ut ſolum reddatur, quod mutuo traditum eſt, ſi aliquid ulterius a mutuante exigatur, & id non fiat ex alio titulo, ut infra dicemus, tunc dicitur uſura intervenire. In aliis contractibus, ſi aliquid exigatur ultra id, quod debitum eſt, non dicitur intervenire uſura, ſed vel fraus, vel dolus, vel injuſtitia. Hinc dicitur doloſus, qui vendit rem ultra pretium juſtum &c.

Ex his infertur, quod ſi quis mutuo det pecuniam alteri cum pacto, ut ultra capitale reſtituendum ſuo tempore, conferat illi aliquod Beneficium Eccleſiaſticum, ille proprie non diceretur uſurarius, ſed ſimoniacus, cum beneficium non importet commodum temporale, pretio, ſeu pecunia comparabile.

Ex dictis etiam intelligimus quid ſit contractus uſurarius, qui definiri poteſt: *Mutuatio cum pacto recipiendi aliquid ſupra ſortem ratione mutui.*

Q. II. Quotuplex ſit uſura.

R. I. Uſura generaliter dividitur in expreſſam, & tacitam, ſeu palliatam. Expreſſa dicitur illa, quam mutuans expreſſe petit pro mutuo, puta ſi mutuet 100. cum pacto expreſſo, ut poſt annum ſibi reddantur 104. Palliata eſt illa, ut dixi etiam capite ſuperiori, quæ retrahitur ex contractu mutui non quidem expreſſo, ſed ſub ſpecie aliorum contractuum palliato; ut quando emptor alicujus rei præciſe ob anticipatam ſolutionem ſolvit pro re empta pretium juſto minus; tunc enim ſolvendo e.g. decem pro merce valoris quindecim aureorum, convincitur mutuaſſe decem, ut poſt aliquod tempus quindecim accipiat. Iſtæ uſuræ, quæ ex vi mutui ſive expreſſe, ſive palliate recipiuntur, dicuntur lucratoriæ. De uſuris vero compenſatoriis ob damnum, quod emergat, vel ob lucrum quod ceſſet mutuanti, dicemus infra; ſicut & de uſuris punitoriis ob pactum de pœna ſubeunda.

R. II. Uſura etiam dividitur in mentalem & externam. Externa eſt illa, in qua intercedit pactum expreſſum, modo jam explicato. Uſura mentalis non ſignificat in præſenti ſolam voluntatem, ſeu intentionem celebrandi contractum uſurarium, ſed importat actualem mutuationem factam animo lucrandi aliquid ſupra ſortem, qui tamen animus nullo expreſſo pacto vel ſigno exterius manifeſtetur.

Q. III. Quo jure uſura prohibeatur.

R. I. Omnes DD. Catholici conveniunt uſuram eſſe prohibitam jure divino, & Eccleſiaſtico. De prohibitione Juris Eccleſiaſtici conſtat *ex Clem. unic. §. ult. de uſur., & cap. ſuper eo de uſur.* Prohibitionem Juris Divini probant plures textus tum veteris, tum novi Teſtamenti: *Levit. 5. Ne accipias uſuras ab eo, nec amplius quam dedi. Luc. 6. Mutuum date nihil inde ſperantes.* Quod aliquando Hebræis præmiſſæ videbantur uſuræ, dummodo exigerentur ab extraneis, juxta illud Deuter. 23. *Non fœnerabis fratri, ſed alieno*, dicendum eſt cum *D. Th. 2. 2. q. 78. art. 2.* hoc non fuiſſe conceſſum quaſi licitum, ſed permiſſum ad evitandum ne ſaltem acciperent uſuras a Judæis veri Dei cultoribus. Vel dici poteſt, Deum, qui eſt Dominus omnium, dediſſe Judæis dominium ſupra bona gentium; unde Judei exigentes ab illis uſuras, exigebant quod ſuum erat, non quod alienum.

R. II. Uſuræ prohibentur etiam jure naturali. Ra-

tio

Digitized by Google

tio eſt quia, jure naturæ prohibentur ea, quæ ſunt contra juſtitiam: quod autem uſuræ ſint contra juſtitiam patet, quia, vel lucrum capitur ex ipſa ſorte, ſeu capitali, quod mutuo datur, vel pro uſu ejuſdem capitalis, qui mutuatario conceditur, ex utroque autem titulo apparet injuſtitia. Primo enim mutuans non poteſt exigere aliquid ſupra ſortem ratione capitalis, quod tradidit mutuatario, quia alias non ſervaretur æqualitas inter datum & acceptum; daret enim ex. g. 100., & reciperet 104. quod eſt contra juſtitiam. Secundo, non poteſt recipere lucrum pro uſu ſui capitalis, quem mutuatario concedit, quia nemo debet accipere lucrum pro uſu rei non ſuæ; cum ergo ſors, ſeu capitale in contractu mutui tranſeat in dominium mutuatarii, jam utendo pecunia mutuo accepta, utitur re ſua, adeoque pro tali uſu nihil alteri debet; conſequens proinde eſt mutuantem reſtituere debere quidquid ſupra ſortem exigit.

Q. IV. An ſaltem uſura mentalis licita ſit.

R. I. Si mutuans celebrando contractum mutui non intendat lucrum immediate ex mutuo ſibi dandum ex obligatione juſtitiæ tanquam pretium, ſed ſolum ſperet occaſione mutui ſibi aliquid dandum eſſe a mutuatario ex amicitia, gratitudine & liberalitate, tunc nec peccat, nec tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia uſura eſt lucrum immediate proveniens ex mutuo, adeo ut recipiatur tanquam pretium ex juſtitia debitum ratione mutui: *D. Th. 2. 2. qu. 78. art. 2. & qu. 13. de malo art. 4. ad 13.*

Si igitur aliquid ſperaretur a mutuatario dandum ab ipſo ex gratitudine, & liberalitate, nulla in eo caſu intercedit uſura. Ita non dicitur Simoniacus ille, qui famulatur Epiſcopo propter ſtipendium, ſperans ulterius ſe etiam liberaliter accepturum aliquod Beneficium. Et hoc eſt verum, etiamſi qui ſperat aliquid accepturum a mutuatario grato & liberali, alias non mutuaturus eſſet; ſemper enim verum eſſe poteſt illud mutuum eſſe ſolum occaſionem, qua mutuans utitur ad excitandam liberalitatem mutuatarii, non vero cauſam immediatam lucri: *Pal. diſp. 4. p. 9. n. 2.*

R. II. Illicitum eſt, uſurarium intendere lucrum immediate ex mutuo, tanquam ſibi debitum ex juſtitia. Habetur expreſſum *in cap. conſuluit de uſuris*. Ratio eſt, quia, ſicut peccat ille, qui recipit lucrum immediate proveniens ex mutuo, tanquam pretium ipſius, ita peccat qui illud ex intentione ſperat; nam voluntas, ſeu ſpes obtinendi aliquod illicitum, illicita eſt.

Ex his ſequitur mutuantem non teneri ad reſtitutionem, quando mutuatarius ex mera gratitudine, & abſque ulla obligatione juſtitiæ illi aliquid donavit. Hoc autem verum eſt non ſolum quando mutuatarius ex gratitudine donat, & mutuans ſub eodem titulo recipit, ſed etiam ſi ea, quæ mutuatarius ex gratitudine donat, recipiantur a mutuante tamquam debita ex juſtitia; licet enim peccet mutuans ita recipiens, & quaudiu perſeverat conſcientia erronea, quod lucrum illud ſibi datum ſit tanquam pretium mutui, teneatur ad reſtitutionem; nihilominus poſtquam illi conſtitit de mente mutuatarii, poteſt ſibi tuto pretium retinere; non enim tenetur ad reſtitutionem ex re accepta, quia per donationem tranſivit in dominium ipſius, nec ex injuſta acceptione, quia juſte retinetur, quod a Domino liberaliter donatum eſt.

E contra ſi mutuatarius ſolvat lucrum animo uſurario tanquam debitum ex juſtitia, tenetur mutuans ad reſtitutionem, etiamſi recipiat tanquam datum ex gratitudine. Ratio eſt, quia illa ſolutio cenſetur eſſe involuntaria reſpectu mutuatarii, qui ſi ſciret ſe non obligari a mutuante ad aliquid ſolvendum, de facto nil ſolveret, cum ideo ſolverit, quia credit teneri. Verum ſi mutuans bona fide illud lucrum recepit & conſumpſit, non tenetur ad reſtituendum niſi id, in quo factus eſt ditior, juxta regulam de poſſeſſore bonæ fidei. Imo ſi bona fide illud retinuit toto triennio, non tenetur ad ullam reſtitutionem, juxta regulas de præſcriptionibus: *Leſſ. l. 2. c. 20. d. 6. n. 42.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Ex dictis intelliget prudens Confeſſarius obligandos eſſe ad reſtitutionem illos, qui non ſolent mutuare, ni aliquid ſupra ſortem a mutuatariis exigant, etiamſi nil de hoc in contractu paciſcantur. Siquidem cum mutuatarius ſciat ipſorum conſuetudinem exigendi uſuras, petendo ab illis mutuum, videtur tacite promittere ſe juxta morem uſuras ſoluturum; unde pactum tacitum adeſſe videtur. Idem dicas de illo, qui in mutuo principaliter intendit amicitiam mutuatarii, minus vero principaliter intendit lucrum tanquam pretium mutui.

II. Si nullum interceſſerit pactum uſurarium inter mutuatarium, & mutuantem, non ſolum explicitum, ſed neque etiam tacitum, & nihilominus mutuatarius aliquid ſolvat ſupra ſortem, cenſetur, ut ſupra dictum eſt, ille exceſſus ex liberalitate, & amicitia datus. Porro tunc intelligitur aliqua res data abſque pacto tacito, quando perſona dantis eſt dives, liberalis, grata, ſeu vinculo amicitiæ, conſanguinitatis, & familiaritatis conjuncta cum donatario. E contra vero, ſi dans fuerit pauper, extraneus, avarus &c. præſumitur ſolviſſe coactus, & ex vi alicujus pacti taciti, quod in contractu interceſſerit. Idem præſumi poteſt de mutuario ſolvente aliquid ſupra ſortem mutuanti, qui ſolet dicere nil prætendere ratione mutui, at nihilominus ſperare mutuatarium ſibi futurum gratum, remuneraturum beneficium &c.; ſi hæc enim ad aures perveniant mutuatarii, valde timeri poteſt non dare aliquid ſupra ſortem ex gratitudine, ſed veluti coactum ab iis, quæ dixit mutuans, maxime ſi illius interſit habere gratiam ipſius, & poſſe iterum mutuum petere &c.

III. In dubio quando mutuans moraliter certo ſibi perſuadere non poteſt id, quod ſibi datum eſt ultra ſortem, datum fuiſſe ex mera liberalitate, tenetur reſtituere, quia præſumitur datum ex aliqua obligatione, cum donatio non præſumatur, ut ſupra dictum eſt.

CAPUT III.

De diverſis Pactis mutuo adjectis.

Q. I. AN mutuatarius vi mutui obligari poſſit ad exhibendam amicitiam Amico, vel ad condonandam injuriam.

R. I. Bene a mutuante deduci poteſt in pactum amicitia pro mutuo, quia hæc non eſt lucro æſtimabilis, adeoque non verificaretur ratione mutui aliquid pretio dignum obtineri: *D. Th. 2. 2. q. 78. art. 2.* Secus eſſet ſi mutuans ratione mutui exigeret quædam particularia ſigna obſequii, & familiaritatis, quæ non neceſſe ſit inter amicos intercedere, obligatio etenim ad hæc præſtanda non poteſt non dici pretio æſtimabilis.

R. II. Si quis alias debebat deſiſtere ab offenſa, vel quia non poterat privata authoritate ulciſci, vel quia injuſte volebat aliquem offendere, poteſt deduci in pactum ut pro mutuo deſiſtat ab offenſa; neque etenim imponitur mutuatario obligatio, quam alias non habeat, unde non exigitur vi mutui aliquid lucro æſtimabile. Qui vero nullam habebat obligationem injuriæ remittendæ; & poterat per publicam poteſtatem vindictam exigere, non poteſt ratione mutui obligari ad offenſam remittendam, quamvis etenim ipſa offenſæ remiſſio non ſit lucro æſtimabilis, bene tamen obligatio ad eam remittendam: *Lugo diſp. 25. ſect. 5. n. 37. Laym. l. 3. tr. 4. c. 16. n. 2.*

Q. II. An poſſit deduci in pactum ut mutuatarius vi mutui faciat id, quod alias facere tenebatur.

R. I. Nullum peccatum eſt obligare mutuatarium, ut præſtet ea, quæ ex juſtitia tenetur, ut quod reſtituat alienum; præſtet operas, quarum pretium jam habuit; deſiſtat a perſecutione &c. Ratio eſt, quia ex vi talis pacti nullum lucrum reſultat mutuanti, quod alias non eſſet debitum, unde ex pacto adjecto contractui mutui potius dicitur redimi injuſtam vexationem; *Tambur. l. 8. de contr. tr. 3. cap. 8. num. 10. Leſſ. l. 2. cap. 20. dist. 8. num. 159.*

R. II. Quamvis aliquis ſolummodo ex charitate, vel religione teneatur aliquid præſtare, poteſt etiam ex vi mutui obligari ad illud ſatisfaciendum. Ratio eſt, quia non eſt quærere lucrum ex mutuo obligare aliquem ad non committendam injuriam, a qua debet deſiſtere, unde nec erit lucrum quærere ex vi mutui obligare mutuatarium, ut adimpleat ea, ad quæ tenetur ex charitate; idem etenim eſt ac obligare ad non inferendam Deo injuriam. Præterea tunc culpa eſt quærere lucrum ex mutuo, quando lucrum cedit in favorem mutuantis, at in caſu noſtro mutuatarius utilitatem habet ex vi pacti mutuo adjecti, quia cogitur non deficere a ſua obligatione, adeo-

que tale pactum reputare non debet ſibi oneroſum. *Lugo diſp. 25. ſect. 5. a. 49. Molin. diſp. 309. Leſs. lib. 2. cap. 20. d. 8. a. 59.* Hinc mutuans obligare poterit divitem, ſi mutuum velit, ut pauperi eleemoſynam elargiatur, Medicum, ut quando alius non eſt, curet infirmum; Mutuatarium, ut die feſto audiat ſacrum, votum adimpleat &c.

Q. I. An ex mutuo obligari poſſit mutuatarius ad remutuandum.

R. Certum eſt me poſſe a mutuatario expoſtulante pecuniam, ſtatim petere, ut ſimul mihi remutet frumentum &c. & ſi nolit poſsum negare pecuniam, ſicut poſsum negare amicitiam nolenti eam mihi exhibere. Oportet tamen non eſſe mutuatario damnoſum frumentum remutuare: ut ſi deberet emere frumentum ad remutuandum &c. Item certum eſt poſse mutuantem & mutuatarium ſe obligare ad invicem mutuandum; nam ſemper cum obligatio eſt utrinque æqualis, cum ſe obligent ad invicem mutuandum quoties indigeriut, nulla adeſt injuſtitia. Difficultas ergo reducitur ad hoc, an mutuans vi mutui obligare poſſit mutuatarium ad remutuandum; nam aliqui volunt nullam in tali caſu committi uſuram.

Sed dicendum eſt talem obligationem imponi non poſse mutuatario, cum ex vi mutui nihil exigi poſſit ſupra ſortem pretio dignum; talis autem obligatio remutuandi eſt pretio digna; ac proinde nullam committeret injuſtitiam, qui pro tali obligatione aliquod pretium acciperet: *Lugo diſp. 25. ſect. 4. n. 47. Bon. diſp. 3. q. 3. p. 2. num.* 10.

Q. IV. An deduci poſſit in pactum, ut mutuatarius det aliquod mutuanti ex titulo gratitudinis.

R. I. Certum eſt quod ſi aliquid detur a mutuatario ex benevolentia & gratitudine, præciſo quocumque pacto explicito, vel implicito, illud in conſcientia retineri poteſt, neque ullam uſuræ labem continet, ut ex iis, quæ ſupra diximus, ſufficienter colligitur. Difficultas ſolum eſt, an iſta obligatio gratitudinis, quam ex natura ſua mutuatarius ſubit, poſſit in pactum deduci; adeo ut mutuans fœneretur cum pacto, ut mutuatarius ultra ſortem conferat illi aliquam ſummam pecuniæ &c. ex gratitudine, & liberalitate.

R. II. Obligatio impoſita mutuatario dandi aliquid ultra ſortem ex gratitudine, & liberalitate eſt uſuraria. Ratio eſt, quia licet hoc pactum de conferendo aliquid ultra ſortem, videatur includere donationem; nihilominus eſt vera & rigoroſa ſolutio, & contractus oneroſus. Etenim ſicut ſiquis diceret ſe nolle rem vendere, ſed eam donare cum pacto, & non alias, ut donatarius iterum donet illi 50. nummos, is certe diceretur ſub ſpecie donationis palliare contractum venditionis, ac inſtituere verum contractum oneroſum: do, ut des, facio ut facias, ita ex paritate rationis dicetur celebrare contractum uſurarium mutuans cum pacto, ut mutuatarius donet aliquid ſupra ſortem. Et certe ſi ſemel hæc via aperiretur, uſura facile excuſaretur a peccato mortali, & aditus pateret ad omnes ſimonias, & fraudes jure Divino, & naturali prohibitas. Hinc intelligitur quam juſte ab Innoc. XI. damnata ſit ea propoſitio ſub num: 24. *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitam,*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Ex dictis colligitur obligandum eſse ad reſtitutionem mutuantem non ſolum quando pactus eſt cum mutuatario ſe aliquod acceptutum ab illo, titulo gratitudinis & liberalitatis; ſed etiamſi verbis tantum excitaverit, & induxerit mutuatarium ad remunerationem exhibendam. Ratio eſt, quia licet, ſpeculative loquendo, videatur mutuans in hoc caſu non imponere ullam obligationem, ſed relinquere in libertate mutuatarii, ſi aliquid velit, ſeu nolit conferre, adeoque ſi quid dedit, gratis omnino dediſse videatur; nihilominus in praxi obligandus eſt ad reſtitutionem, quia non eſt practice probabile mutuatarium plene voluntarie ſe moviſse ad dandum illi aliquid ſupra ſortem, cum potius cenſeatur inductus ex aliqua verecundia & timore: quandiu autem non eſt certum, quod mutuatarius dederit aliquid omnino liberaliter, nunquam liberatur mutuans ab onere reſtitutionis.

II. Hæc doctrina extendi debet etiam ad caſum, in quo mutuans verbis alliceret mutuatarium ad remunerationem mutuatione jam facta, quia ſemper videtur mutuatarius dare quaſi coacte, & ne ingratitudinis nota inuratur.

III. Cum quæcumque obligatio pretio digna, vi mutui impoſita mutuatario, importet labem uſuræ, caute obſervare debet Confeſſarius maxime inter perſonas rudes non paucas intervenire pactiones uſurarias. Aliquas adnotabo. Uſuraria eſt obligatio impoſita mutuatario, ut emat ex officina mutuantis; ut eat ad ſuum molendinum, vel Piſtrinum; ut ſolummodo a mutuante aſſumat boves, aliaſque beſtias ſaginandas; ut teneatur ipſi proprias operas locare &c. Idem dicas de obligatione impoſita mutuatario, ut pro mutuante fide jubeat; ut pecuniam, vel aliam rem mutuatam alibi reſtituat, ſi id non poſſit facere ſine ſuo gravamine; ut mutuum, vel partem mutui recipiat in debito, quod a tertio haberi non poſſit ſine expenſis & gravi labore, ut mutuum recipiat in mercibus, dum aliunde mutuatarius indiget pecunia, maxime ſi vendendo merces, debeat eas vendere viliori pretio, ac habuerit a mutuante.

IV. Dum aliqua ex pactis recenſitis intervenirent, ut Confeſſarius bene ſe gerat in obligando pœnitentem ad reſtituendum, quædam debet obſervare. Si igitur quæ geſſit mutuatarius ex obligatione illi impoſita, juſto pretio ſatisfacta ſunt a mutuante, ex hoc capite nullam illi imponere debet reſtitutionem; ut ſi mutuans ſatisfecit juſto pretio operas mutuatarii; ſi juſto pretio vendidit, dum ex obligatione emit ex ipſius officina, & ita de aliis. Solummodo obligare debet ad aliquid dandum ad recompenſandam obligationem ipſi impoſitam. Idem dicas quoad obligationem, ut pro mutuante fidejuberet. Si vero ex talibus obligationibus aliquod damnum paſſus eſt, quia e. g. poterat majori pretio operas ſuas locare, viliori pretio in alia officina emere, tunc totum damnum eſt recompenſandum. Idem dicas, ſi debuit viliori pretio merces vendere, quas mutuo habuit loco pecuniæ. Si vero mutuum recipit in debito ab alio tertio exigendo, tunc ſi in exigendo non ſubiit grave incommodum, dijudicari poteſt nil ex tali incommodo velle, ut gratum ſe oſtendat. Secus ſi incommodum fuit grave, & multo magis ſi neceſſe fuit expenſas facere ad illud exigendum.

QUÆSTIO IV.

De Titulis, quibus licite exigitur aliquid ultra ſortem in contractu mutui.

Q. I. AN liceat exigere aliquid ſupra ſortem ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis.

R. I. Lucrum ceſſare dicitur mutuanti, quando ratione pecuniæ mutuatæ carere cogitur aliquo fructu, & lucro, quod ſibi ex tali pecunia proveniſſet; puta ſi eam deſtinaſſet emendæ alicui rei fructiferæ &c. Damnum emergere dicitur, quando mutuans damnum aliquod ſubire cogitur in rebus ſuis, ex eo quod careat pecunia mutuata; ut ſi non poſſit triticum, vel aliquas merces emere, quas poſtea cogetur emere carius. Quæſtio igitur eſt utrum ex uno, vel altero ex iſtis titulis liceat aliquid exigere ultra ſortem.

R. II. Non ſolum ratione damni emergentis, ſed etiam ratione lucri ceſſantis licet aliquid ſupra ſortem exigere. De damno emergente conveniunt omnes DD. cum enim æquum non ſit ut aliquis patiatur damnum ex beneficio alteri facto, licite poteſt de ejuſdem damni compenſatione paciſci. De lucro vero ceſſante licet aliqui Canoniſtæ antiqui dubitarent, non minus eſt certum, quia illa ſpes lucri, quam habet mutuans, eſt pretio æſtimabilis, ac vendi poteſt; ſi ergo nil poſſet exigere ratione illius, non ſervaretur æqualitas, daret enim e. g. mutuatario 100. & ulterius in gratiam illius privaretur aliqua re pretio æſtimabili, & viciſſim ab eo non reſtituerentur, niſi illi 100. *D. Th. 2. 2. q. 62. art. 4. & q. 78. art. 2. ad* 1.

Ad hoc tamen; ut licite aliquid ſupra ſortem exigatur ex damno emergente, vel lucro ceſſante, tres conditiones intervenire debent. Prima eſt, ut damnum emergat, vel lucrum ceſſet ratione mutui, adeo ut alia via illis occurri non poſſit, nec reparari. Hinc ſi quis retineret domi otioſam aliquam pecuniæ ſummam, non poteſt ex pecunia mutuo data aliquid exigere ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, cum facile hæc omnia reparare poſſet procurando idem lucrum, & reficiendo damnum cum pecunia,

Digitized by Google

cunia, quam dumi otioſam retinet. Dixi, ſi domi otioſam retineret aliquam pecuniæ ſummam, quia ſi eam conſervare intendit, ut habeat paratam ad occurrentes domus neceſſitates, ad commodum familiæ, ad dotandas filias &c. tunc poteſt ratione pecuniæ mutuatæ aliquid exigere ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis; cum enim non teneatus in gratiam alterius ſe in aljquod diſcrimen conjicere, nec conſequenter tenetur privare ſe pecunia, quam ob tales neceſſitates apud ſe conſervare intendebat, ut reparet lucrum ceſſans, & damnum emergens proveniens ex pecunia alteri mutuata. Addunt aliqui te poſſe licite lucrum reportare, ſi mutuo tradas pecuniam, quam negociationi deſtinaveras, etiamſi aliam habeas otioſam domi, eamque apud te retinere decreveras, etiam abſque ulla neceſſitate; dicunt enim lucrum in eo caſu tibi vere ceſſare ex pecunia mutuata, nec te eſſe obligatum illud reparare exponendo negociationi aliam pecuniam, quam reſervare decreveras: *Leſſ. lib. 2. c. 20. d. 11. num. 86. Pal. tract. 32. diſp. 4. part. 15. num. 7. Trull. lib. 7. cap. 19. dub. 9. num. 3.* Verum caute agendum eſt in hac materia, ne aperiatur via uſuris & fraudibus.

Secunda conditio eſt, ut quando celebrari debet contractus mutui moneatur mutuatarius de lucro ceſſante, & damno emergente, & cum eo paciſcendum de intereſſe ſolvendo ex hoc titulo. Si enim non præceſſit hoc pactum, nil poſtea exigi poteſt, etiamſi vere ceſſet lucrum, vel damnum emergat; cenſetur enim in eo caſu mutuans omnia remiſiſſe, quæ ex hoc titulo exigrre poterat. Addatur, mutuatarium ſemper reſpondere poſſe ſe non accepturum fuiſſe pecuniam mutuo, ſi ſciviſſet a ſe aliquid ultra ſortem ſolvendum eſſe. Cæterum, ſi mutuum extorqueatur, vi, fraude &c. compenſandum eſt mutuatario lucrum ceſſans, vel damnum emergens, etſi non deducta fuerint in pactum, utpote quia illa patitur mutuans ex cauſa injuſta: *D. Thom. 22. quæſt. 78. art. 4. Lugo diſp. 25. ſect. 6. numer. 64.* Idem dicas ſi involuntarie quis mutuet; ut ſi mutuum det Principi, cui non poteſt denegare.

Limitatur quod dictum eſt de ſecunda conditione in caſu, qoo mutuatarius eſſet in mora culpabili ſolvendi, ſi mutuanti ex dilatione hujus ſolutionis vere damnum emergat, & lucrum ceſſet; tunc enim mutuatarius admonitus de hoc a mutuante, dum nolit ſolvere; tenetur ad intereſſe. Quod ſi terminus ſolutioni fuit præfixus, eo elapſo, etiam nulla facta interpellatione, mutuatarius negligens culpabiliter ſolutionem, tenetur de damno, & lucro ceſſante, quod inde proveniet mutuanti; dies enim in hoc caſu interpellat pro homine: *Leſſ. lib. 2. cap. 20. a numer. 99. Bonac. diſp. 3. quæſt. 3. part. 4. num. 4.* Dixi ſi mutuatarius eſſet in mora culpabili; nam ſi fuerit impotens ad ſolvendum, nullo modo obligatur ad intereſſe, ut de ſe patet, cum ad id non teneatur nec ex jure naturæ, nec ex jure poſitivo; cum jura loquantur ſolum de debitore moroſo: *Leſſ. num. 70. Rebell. 2. p. l. 8. q. 7. num. 4.*

Tertia conditio eſt, ut intereſſe pro lucro ceſſante, & damno emergente non ſtatim recipiatur quando mutuum traditur, puta ſi des mutuo 100. non potes ſtatim recipere 10. titulo lucri ceſſantis; tunc enim videris dare mutuo non 100. ſed 90. & ex illis accipere lucrum tanquam ſi 100. mutuares.

Q. II. An liceat accipere intereſſe ratione periculi amittendæ ſortis, vel moleſtiarum in ea recuperanda.

R. I. Certum eſt, quod ſi mutuatarius pro aſſequutione pecuniæ mutuo acceptæ exhibeat mutuanti pignus, vel fidejuſſorem, nihil ab eo exigendum eſt ratione periculi amittendæ ſortis, quia iſtud periculum vere abeſt. Neque mutuans poteſt renuere hoc pignus, ſuſcipiendo in ſe totum periculum, & ratione hujus exigere aliquid a mutuatario; non poteſt, inquam, hoc facere invito vel aliquo modo coacto eodem mutuatario, tunc enim imponeret onus indebitum, unde id reprobatur *cap. Naviganti de uſuris*.

R. II. Si detur verum periculum amittendæ ſortis, vel ad illam recuperandam plures moleſtiæ vere ſubeundæ timeantur, poteſt ex hoc titulo aliquid ſupra ſortem exigi. Cum enim hoc periculum ſit pretio æſtimabile, & illud ſubeat mutuans in gratiam mutuatarii, non video cur aliquo onere, ex parte ipſius mutuatarii compenſandum non ſit. Et quidem ſi mutuatarius daret mutuanti fidejuſſorem pro aſſecuratione pecuniæ mutuo datæ, idem fidejuſſor poſſet aliquid exigere ratione periculi, quod in ſe ſuſcipit, quare ergo ex eodem titulo non poteſt aliquid exigere ipſe mutuans, ſi ſuſcipiat in ſe hoc periculum, & ipſe ſit ſibi veluti fidejuſſor, vel ſi ſe exponat periculo amittendæ ſortis, ſeu difficillime recuperandæ? *Bonac. d. 3. q. 3. p. 5. n. 1. Laym. l. 4. tr. 4. c. 16. n. 13.*

Q. III. An pro carentia pecuniæ, ſeu obligatione expectandi mutui uſque ad certum tempus, poſſit aliquid exigi ſupra ſortem.

R. Cum pecunia præſens pretioſior videatur, quam futura, ideo non defuerunt DD. qui ea fuerunt ſententia, ut concederent mutuanti aliquid exigere a mutuatario ex hoc titulo, quod in gratiam ipſius carere debebat pecunia præſenti, & recipere illam in futuro. Et hoc maxime urgebatur in caſu, quo mutuans ſe obligabat ad expectandam ſolutionem ad aliquod certum tempus, puta ad annum &c. Verum hæc ſententia modo omnem probabilitatem amiſit, poſtquam prius ab Alexandro VII. dein ab Innoc. XI. inter damnatas recenſetur. Primus ſub numer. 42. hanc damnavit *Licitum eſt mutuanti aliquid ſupra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus*. Secundus ſub numer. 41. hanc iuſſit theſim: *Cum pecunia numerata pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit qui non minoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt Creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.* Ratio hujus condemnationis eſt, quia mutuum per hoc differt a precario, quod hoc ſtatim repeti poteſt; res enim deprecanti permiſſa omni tempore repeti poteſt: e contra vero mutuum non ſtatim repetendum eſt, ſed relinquendum toto eo tempore, pro quo mutuatum eſt. Cum igitur carentia pecuniæ ſit eſſentialis, & inſeparabilis a mutuo, petere aliquid ex hoc titulo eſt petere ex mutuo, quod illicitum eſt. Et hæc valent etiam pro illo, qui ſe obligat ad non repetendum niſi poſt longum tempus, quia non videtur eſſe minus intrinſeca mutuo obligatio non repetendi per aliquod tempus, quæ in omnibus contractibus mutui imbibitur, quam obligatio non repetendi niſi poſt longum tempus, quæ reperitur in aliquo particulari mutuo. Quod ſi creditor ex tali obligatione ſubit aliquod novum onus, ad quod non tenebatur, talis obligatio ſufficienter compenſatus ex parte mutuatarii per obligationem reſtituendi intra tempus determinatum, & dum, ſi interim res mutuata pereat, ipſi pereat: *Laym. l. 3. tr. 4. c. 16. num. 8. Lugo d. 25. ſect. 3. num. 17.*

Q. IV. An ratione pœnæ licitum ſit aliquid ſupra ſortem exigere.

R. Licet hoc titulo aliquid ſupra ſortem exigere, ſi pœna non addatur ad uſuras palliandas. Hinc poteſt in mutuo certa pœna imponi ſolvenda a mutuatario, ſi præſcripto tempore mutuum non reſtituat. Ratio eſt, quia ſi mutuatarius tempore præſcripto culpabiliter non ſolverit, peccat contra juſtitiam, quapropter juſte punitur, non quidem pœna legali, quam ſolus Superior imponere poteſt, ſed conventionali, quæ in contractibus a contrahentibus addi poteſt ad negligentes ſtimulandos: *l. ſi pacta Cod. de pactis. l. tranjectitiæ ff. de act. & obligat.* Addatur, quod ſi mutuans poteſt obligare mutuatarium, ut præſcripto tempore ſolvat, poteſt etiam uti mediis licitis & efficacibus, ut ille ſuæ obligationi ſatisfaciat, conſtat autem nihil eſſe efficacius ad cogendum mutuatarium, ut ſtet promiſſis, quam pœna ab illo in caſu tranſgreſſionis ſubeonda.

Ad hoc autem, ut iſta pœna a debitore ſolvenda liberetur ab uſuris, aliqua obſervanda ſunt. Primum, ne apponatur in fraudem uſurarum, ut contigeret in caſu, quo mutuans illam imponeret, cognoſcens mutuatarium fore impotentem ad ſolvendum tempore præſcripto, tunc enim convinceretur in ea pœna imponenda intendere lucrum, non vere pœnam, ſiquidem pœna non injungitur, ubi culpa non eſt. Nihilominus tamen in iſto caſu, tranſacto tempore præſcripto, & debitore exiſtente in mora culpabili, exigi, & retineri poteſt illa pœna, mutata prava voluntate retinendi illam, non ut lucrum proveniens ex mutuo; ſed ut veram pœnam in mutuo impoſitam ut diximus ſupra agentes de uſura mentali.

Se-

Secunda conditio eſt, ne cogatur pœnam ſolvere debitor non exiſtens in mora culpabili, nemo enim ſine culpa puniendus eſt: *l. Sancimus de pœnis, & cap. ſignificante de pignor.* Unde non tenetur ſolvere pœnam ille, qui eſt conjectus in vincula, detentus infirmitate &c. E contra vero tenetur, qui ſua culpa effectus eſt impotens, e. g. bona ſua dilapidando &c. prævidens ſe futurum impotentem ad ſolvendum mutuum tempore debito.

Tertio, pœna debet eſſe moderata, ſeu culpæ proportionata. Hinc non licet imponere pro pœna, ut ſi debitor non ſolvat, ſors duplicetur, vel pignus cedat mutuanti: *cap. ſignif. de pignor.*

Demum requiritur, moram conceſſam ad ſolvendum eſſe notabilem pro negotii & temporis qualitate juxta regionis conſuetudinem. Item minuenda eſt pœna pro rata debiti ſoluti: quare ſi pars debiti extincta ſit, pars etiam pœnæ remittenda: *Lugo diſp.* 25. *ſect.* 6. *num.* 110. *Trull. liber.* 7. *cap.* 19. *diſp.* 19. *num.* 1.

Diſputant aliqui, num iſta pœna etiam ante Judicis ſententiam debeatur, & licet non deſint DD. qui negent deberi, ea freti ratione, quod pœnæ non ſint debitæ ante ſententiam; alii tamen probabilius affirmant, eo quod pœna conventionalis, cum ſit voluntaria, jure naturæ ſervanda eſt, unde ſolum pœnæ judiciales Judicis ſententiam requirunt: *Leſs. lib.* 2. *cap.* 20. *d.* 15. *num.* 135. Si tamen creditor illam non exigat vel tacite, vel expreſſe, tunc nullo modo obligatur debitor ad ejus ſolutionem: qui enim non petit pœnam, cum poſſit, cenſetur condonare.

Q. V. An licitum ſit in mutuo pactum legis commiſſoriæ.

R. Pactum legis commiſſoriæ datur, quando mutuans pro ſecuritate accipit pignus mutuatario, eum pacto, ut ſi ille tempore præſcripto mutuum non reſtituat, totum cedat eidem mutuanti. Hoc autem pactum, ordinarie loquendo, illicitum eſt, & uſurarium, unde reprobatur a jure: *cap. ſignif. de pignor. lib.* 1. *& alt. Cod. de pactis pignor.* Et ratio eſt, quia cum pignus, ordinarie loquendo, excedat valorem debiti, ſi illud cederet mutuanti, jam reciperet pluſquam dediſſet.

Non prohibetur tamen pactum, ut ſi mutuum non reddatur ſtatuto tempore, pignus juſto pretio vendatur, & de pretio debitum ſolvatur, reſtitutio eo, quod ſupereſt, domino pignoris: *l. ſi fundus* 16. *ſ. ult. ff. de pignor.*

Dixi, ordinarie loquendo, hujuſmodi pactum non licere, quia datur aliquis caſus, in quo hæc regula fallit, ut in cauſa dotis, in qua ſi ſocer promittat Genero dotem, & interim illi tradat fundum loco pignoris, cum pacto, ut ſi ſtatuto tempore eam non ſolvat, fundum ſibi retineat loco dotis, hoc pactum validum eſt, & licitum, quia ſocer libere, & ſcienter id faciens, cenſetur illum pro dote aſſignare.

Q. VI. An creditor poſſit retinere fructus rei ſibi traditæ in pignus.

R. I. Pactum quo creditor poſſit uti pignore, ejuſque fructibus frui, uſque dum debitum fuerit perſolutum, dicitur Antichriſeos, & in mutuis ordinariis non licet, ut clare conſtat *ex lib.* 1. *Cod. de oblig. pign. & ex cap. cum contra de pignor.* Et quidem dominium pignoris non eſt penes mutuantem, ſed penes mutuatarium, unde ei debet fructificare. Ex quo deducitur eidem etiam dandos fructus a creditore perceptos, quos Dominus non percepiſſet; ut ſi quis tradat alteri in pignus agrum ſterilem, & ille ſua diligentia fructiferum reddat, fructus iſti dandi ſunt Domino agri, deductis tamen expenſis, & æſtimatione laboris in eo colendo. Imo debentur mutuatario etiam fructus, quos ille ex re oppignorata percepiſſet, & mutuans ex culpa ſua non percipit: *lib.* 2. *Cod. de act. pignorat.* Ratio eſt, quia fructus una cum fundo fructifero cenſentur oppignorati, unde ſicut reſtitui debet fundus, ita etiam fructus. Tenetur autem mutuans ad hanc reſtitutionem ex culpa lata & levi, non leviſſima; ea eſt enim obligatio conſurgens ex contractibus latis in gratiam utriuſque contrahentis, qualis eſt contractus iſte, de quo loquimur, ut ex communi DD. ſuo loco dictum eſt.

R. II. Quando Gener, vel alter loco ipſius, pro aſſecuranda dote non adhuc ſoluta, recipit a Socero fundum fructiferum, ipſe ſibi retinere poteſt fructus perceptos. Ita decium eſt *in capit. ſalubriter de uſur.* Quo titulo autem illos retinere poſſit, non conveniunt DD. Alii dicunt titulo lucri ceſſantis, alii titulo præſumptæ donationis, alii tandem communius & probabilius, ut onera matrimonii ſuſtinere valeat, nempe ut uxorem & familiam alat; ſicut propter eamdem rationem illi debentur fructus dotis, licet dominium illius ſit penes uxorem. Iſti autem fructus cum dentur marito in ſubſidium, ut honeſtius uxor alatur, ideo illi debentur, etſi non ſint abſolute neceſſarii ad onera matrimonii. Quin etiam diſſoluto matrimonio per mortem unius ex conjugibus, ſi filii remanſerint, poteſt alter conjux ſuperſtes fructus ejuſdem pignoris percipere; ſiquidem ſuſtinere debet onera matrimonii, eoſdem filios alendo. Quod ſi uxor ſuperſtes fuerit ſine filiis, poteſt illa recipere fructus ejuſdem pignoris titulo alimentorum, quia donec illi dos ſoluta fuerit, alii debet ex vi pacti dotalis ab hæredibus defuncti, unde illi ſuſtinent onera matrimonii loco, & nomine ipſius defuncti; ac proinde poſſunt ex hoc titulo retinere fructus pignoris, & tradere uxori viduæ titulo alimentorum.

Ex his infertur Maritum non poſſe recipere fructus pignoris, ſi non ſuſtineat onera matrimonii, puta quia uxor manſit in domo paterna, nec ab illo alitur.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Ex titulo damni emergentis non ita facile intereſſe exigi poteſt, maxime in divitibus, qui etiamſi mutuo aliquid dederint, tantum tamen domi retinent, quantum ſufficit ad reparandum damnum, ſi occurrat. Addatur non omne periculum damni emergentis ſufficere ad ſalvandam uſuram, ſed requiritur damnum, quod probabiliter quantum timeatur, & ſit in cauſa proxima, non vero remota. Hinc ſi quis haberet domum, quæ nullam ruinam minitaretur, non poſſet aliquid exigere ratione damni, quod ſibi proveniret, ſi domus iſta corrueret; nam hoc periculum eſt remotum, & non in cauſa proxima.

II. Ad exigendum intereſſe ratione lucri ceſſantis non ſufficit in praxi, ut detur occaſio exponendi ſuam pecuniam negotiationi lucroſæ, quod lucrum deperditur, ſi eadem pecunia mutuo detur; ſed requiritur, ut mutuans antea habuerit animum vere exponendi illam negotiationi; ſi enim iſtum dicat ſe habuiſſe, quando requiſitus fuit a mutuatario de tradenda ſibi pecunia, videtur ſub hoc titulo uſuram palliare.

III. Intereſſe ratione lucri ceſſantis non poteſt eſſe tantum, quantum ſperabatur futurum lucrum, ſed quantum valet ſpes illa, quam habet mutuans de lucro in futura negotiatione percipiendo; ſpes autem lucri eo minor eſt ipſo lucro, quo magis illud expoſitum eſt periculo, laboribus, & incertitudini. Hinc ſi quis habeat ſpem lucrandi 100. in negotiatione, non poteſt exigere 100. ratione lucri ceſſantis, ſed quanti valet in communi æſtimatione ſpes hujus lucri. Hinc vides quod ſi occaſio exponendi pecuniam negotiationi eſt imminens, aliquanto plus exigi poteſt. Si vero non ſit imminens, ſed ad futura ſperetur, minus exigi poteſt; immo etiam nihil, ſi nulla ſit probabilis ſpes, uti de facto nulla eſt in civitatibus, quæ mercantiles non ſunt, nec adeſt facile occaſio pecuniam in emptione agri, vel alicujus rei fructiferæ collocandi.

IV. Quamvis dixerimus poſſe aliquid exigi ratione periculi ſortis amittendæ, in praxi tamen iſte titulus raro excuſat contrahentes ab uſura palliata. Siquidem hoc periculum, ordinarie loquendo, vel nullum eſt, vel leve; nemo enim ſanæ mentis creditur daturus ſuam pecuniam alicui cum periculo probabili, ut ille poſtea non ſit ſolvendo.

V. Notet Confeſſarius non ſemper eamdem ſummam exigi poſſe a mutuante ratione præfatorum titulorum, ſed quandoque majorem, quandoque minorem, juxta ſpem majoris, vel minoris lucri; ut dixi, ſeu juxta majus, vel minus periculum. Item notet, quod ſi intercedant diverſi tituli, poteſt ratione utriuſque aliquid ultra ſortem accipere. Hinc ſi mutuans non ſolum ſe privet ſpe lucri acquirendi, ſe ulterius ſuam pecuniam vero periculo exponat, poteſt ratione utriuſque titu-

tituli ſupra ſortem accipere, quanti æſtimatur ſpes, qua ſe privat mutuans, & periculum, cui exponit ſuam pecuniam.

IV. Animadvertere præterea debet, quod licet mutuans cogere non poſſit mutuatarium, ut potius paciſcatur aliquid ſupra ſortem dandi pro damno, ſi eveniet, vel pro lucro, ſi ceſſabit, quam pro periculo vere probabili talis damni, vel pro carentia ſpei lucri acquirendi; nihilominus, ordinarie loquendo, poteſt accipere aliquid ſupra ſortem, etſi damnum non eveniat, vel lucrum non ceſſet. Ratio eſt, quia in his mutuis non ſolet paciſci de accipiendo aliquid ſupra ſortem, niſi pro periculo, quod timetur vel damni emergentis, vel lucri ceſſaturi. Non ſolet, inquam, paciſci niſi ratione talis periculi, & ita videmus mutuantem quamvis ſperet e. g. lucrari decem pro ſingulis centenariis, ſolummodo de tribus, vel quatuor aureis obtinendis paciſci. Cæterum ſi pactum eſſet de ſolvendo lucrum, ſi ceſſabit, vel damnum, ſi emergat, non ceſſante lucro, vel damno non interveniente, nil poſſet mutuans obtinere, ut de ſe patet.

VII. Notet Confeſſarius quod quamvis non poſſit mutuans aliquid exigere ſupra ſortem pro obligatione non repetendi mutuum niſi poſt longum tempus, nihilominus ſi prudenter timeat intra hoc tempus damnum emerſurum, vel lucrum ceſſaturum, ut de facto facile intra longum tempus hæc poſſunt evenire, poterit ex his titulis aliquid ſupra ſortem accipere. Debet tamen de hoc monere mutuatarium, & illum relinquere in libertate vel compenſandi damnum, ſi emerſerit, & lucrum, ſi ceſſaverit, vel potius dandi aliquid mutuanti pro tali periculo; hic etenim aliud jus non habet, niſi ut ſervetur indemnis.

VIII. Caveat Confeſſarius ab illa quorundam craſſa ignorantia, qua dicunt mutuantem nil poſſe obtinere, ſemper cum pignus obtinet a mutuatario. Utique nihil poſſet tunc obtinere ratione periculi ſortis amittendæ; at bene poſſet aliquid percipere ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, ſi vere hujuſmodi tituli interveniant.

IX. Diligens e contra ſit Confeſſarius in hujuſmodi titulis examinandis. Dantur e. g. caſus, in quibus mutuantes pecuniam ex timore illius amittendæ nolebant nec negociationi exponere, nec dare mercatoribus ad ſocietatem &c. nec ruſticis ad beſtias emendas. Si interim accedat aliquis mutuo pecuniam petens, mutuans paciſcitur de lucro ceſſante, dicendo quod poterat eam dare mercatoribus &c. At vere iſtud lucrum non ceſſat ratione mutui, cum mutuans vere nollet pecuniam dare mercatoribus, nec exponere alicui negociationi.

X. Denique ſemper animadvertat Confeſſarius quod ubi ceſſant juſti tituli aliquid ſupra ſortem exigendi, raro præſumendum eſt aliquid dari a mutuatario ex liberali donatione; & maxime ſi præſumptiones ſint pro ea excludenda. Tunc præcipue dantur tales præſumptiones, quando mutuatarius vel eſt pauper, vel non ſolet eſſe liberalis: quando aliquid daretur mutuanti, quia notum eſt non ſolere mutuare ſine intereſſe: ſi detur aliquid mutuanti, quando inſtat tempus ſolutionis, quia præſumitur dari ad tale tempus prorogandum; quando datur poſtquam mutuans conqueſtus eſt de ingratitudine mutuatarii, vel dedit aliqua ſigna, quibus inſinuavit ſe aliquid a mutuatario deſiderare: quando mutuatarius, qui aliquid tribuit mutuanti, magnam habebat neceſſitatem ab eo mutuum obtinendi; nam tunc præſumi poteſt dare non ex liberalitate, ſed ut urgenti provideat neceſſitati. Cæterum ſi e contra præſumptiones pro adſtruenda liberali donatione ſint fortiores, tunc præſumi poteſt donatio.

CAPUT V.

Ad quid teneatur Mutuatarius in ordine ad ſolvendum mutuum, & an poſſit petere mutuum ab Uſurario.

Q. I. AN in reſtituendo mutuo attendendum ſit incrementum, & decrementum rei mutuatæ.

R. I. Ordinarie loquendo in reſtituendo mutuo non pecuniario nulla ratio habenda eſt incrementi, vel decrementi quoad valorem rei mutuatæ. Hinc ſi quis mutuo dedat 100. libras olei, totidem reſtituendæ ſunt, nil curando, an oleum ſtet pluris vel minoris, quæ omnia patent ex definitione mutui tradita ſupra cap. 1. & clarius infra.

R. II. In reſtituendo mutuo pecuniario, ordinarie loquendo; ratio habenda eſt incrementi, vel decrementi; unde ſi mutuans tradidit 100. nummos aureos in aliqua ſpecie monetæ, & poſtea valor ejuſdem monetæ minuatur, non ſufficit totidem monetas reſtituere, ſed reſtituendum eſt mutuum juxta valorem, quem habebant monetæ tempore dati mutui. Ratio eſt, quia alias non ſervaretur æqualitas inter datum & acceptum, ſiquidem cum in pecunia potiſſimum, & ordinarie loquendo attendatur valor, ſervanda eſt hæc æqualitas in valore: *Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 16. numer. 14. Bonac. d. 3. qu. 4. part. 3. num.* 20. Hinc credo, quod etſi bona fide quis mutuaret 100. nummos aureos, nil curando de incremento, vel decremento futuro in reſtitutione, attendendus ſit præcipue valor, plus reſtituendo ſi illorum valor decreverit, & minus ſi creverit; nam pecuniæ eſſentia penes ipſius valorem attenditur: *Tolet. lib. 5. cap. 34. num. 4. Pal. d. 4. p. 1. a num. 6.*

Eadem ratione qui accepit mutuu mille ſcuta in auro, ſatisfacit reddendo in ære, quia ſcilicet valor eſt æqualis. Cæterum mutuans, ſi mutuavit in auro poteſt obligare mutuatarium ad ſolvendum in auro, quia utrobique eſt æqualitas. Si vero mutuavit in pecunia ærea, obligare non poteſt ad ſolvendum in auro, quia eſſet onus pretio æſtimabile: *Bonac. num. 24. & 26.*

Dixi ſupra, ordinarie loquendo, quia ſi mutuans, & mutuatarius pacti fuerint inter ſe, ut totidem monetæ reſtituantur, nulla habita ratione de augmento, & decremento, huic pacto ſtandum eſt, dummodo æque probabile ſit, ut valor ejuſdem monetæ creſcat, vel decreſcat; æqua eſt enim in eo caſu inter contrahentes conditio. Immo ſi probabile ſit, ut valor ejuſdem monetæ creſcat, neque ullum periculum immineat de ejus diminutione, poteſt mutuans cogere mutuatarium ad reſtituendas eaſdem monetas in ſpecie, caſu quo idem mutuans eas conſervaturus eſſet uſque ad tempus ejuſdem augmenti, alias pateretur damnum ex mutuo. Verum tunc non poſſet cogi mutuatarius ad non reſtituendum ante tempus, quo moneta augebitur, alias imponeretur illi onus ſupra mutuum: *Bonac. d. 3. q. 3. p. 3. n.* 20.

Q. II. An in caſu, quo mutuans credit certo augendas monetas alicujus ſpeciei, quas tradit mutuatario, poſſit mutuatarius cogi ad illas in ſpecie reſtituendas, ſuppoſito quod ipſe mutuans non eſſet eas conſervaturus uſque ad illud tempus.

R. Certum eſt mutuatarium non teneri ſolvere, ſeu reſtituere mutuum præciſe eo tempore, quo monetæ reſtituendæ pluris ſtabunt, & ſi ad hoc obligaretur ex vi pacti, illud eſſet uſurarium, adeoque nullam obligationem induceret. Si vero ſolum ex vi pacti obligetur ad reſtituendas eaſdem, & tot monetas in ſpecie, relinquendo in ejus libertate, ſi ante tempus augmenti monetarum ſolvere velit, tunc nihilominus dico hoc pactum eſſe uſurarium, adeoque non teneri mutuatarium reſtituere eaſdem, & tot monetas in ſpecie, ſed ſatis eſſe tantum reſtituere, quanti ſtabat pecunia mutuata. Ratio eſt, quia de facto reſtituendo tot monetas, quot recepit quo tempore valor earundem monetarum crevit, plus reſtitueret, quam recepiſſet. Illud autem augmentum, quod reſtitueret, non eſſet debitum titulo lucri ceſſantis, quia mutuans non erat conſervaturus eaſdem monetas uſque ad tempus, quo valor augendus erat, nec damni emergentis, ut de ſe patet, adeoque injuſte omnino exigeretur.

Hæc omnia non tantum valent pro mutuo pecuniario, ſed etiam applicari poſſunt mutuo non pecuniario, data tamen proportione. Hinc non poteſt cogi mutuatarius ad reſtituendum oleum, triticum &c. mutuatum in eadem quantitate, & proportione, quando non eſt æquale dubium, ut tempore reſtitutionis earundem rerum valor creſcet, vel decreſceret: *Laym. lib. 3. tr. 4. cap. 16. a num. 14. Bonac. d. 3. q. 3. p. 2. nu.* 20. In caſu tamen quod mutuans eaſdem res eſſet conſervaturus uſque ad tempus, quo pretium illarum augebitur, tunc poſſet mutuatarium cogere ad reſtituendum in eadem menſura & pondere, etiam quando tempore dati mutui prævidebatur augmentum illarum,

ut

ut conſtat *ex c. in Civitate, & cap. Naviganti de uſur.* Quod ſi contractus fiat bona fida, non aſſignato tempore reſtitutionis, adeo ut mutuatarius ſit liber ad reſtituendum quocumque tempore voluerit, tunc cogi poteſt ad reddendum in eodem pondere & menſura; & ſi ex hoc contingat mutuararium damnum pati, quia forte ante reſtitutionem valor earum rerum crevit, ipſe ſibi imputare debet, qui non ſuit magis ſollicitus in reddendo. Præterea in mutuo non pecuniario, principaliter attenditur æqualitas corporum, unde nulla eſt injuſtitia, ſi non accedat obligatio, qua cogatur mutuatarius reſtituere quando major erit valor rei mutuatæ. Hæc obligatio, cum ſit lucro æſtimabilis, imponi non poteſt vi mutui; ſi proinde hoc non interveniat, nulla erit injuſtitia recipere in eadem quantitate res mutuatas, quando crevit earum valor: *Laym. c. 15. n. 3. & cap. 16. n. 14. Leſſ. lib. 2. c. 28. d. 17. n. 154.*

Q. III. An licitum ſit petere mutuum ab uſurario, qui non eſt daturus ſine uſuris.

R. I. Certum eſt abſque juſta, & rationabili cauſa illicitum eſſe, & peccatum mortale, petere mutuum ab uſurario, qui non vult dare ſine uſura. Ratio eſt, quia charitas obligat ne præbeamus alteri materiam peccandi. Et quidem ſi ille non ſit paratus ad mutuandum, ſed ex alterius petitione excitetur, clarum eſt illi datam eſſe occaſionem peccandi. Si vero eſſet paratus, adhuc tamen non eſſet diſpoſitus ad faciendum tale numero peccatum, & hoc malæ determinationi cauſam daret, peccaret qui mutuum ab eo peteret abſque juſta cauſa. Fateor tamen minorem cauſam requiri, ne quis peccet petendo mutuum ab uſurario jam parato, quam ab eo, qui non eſt paratus.

R. II. Si juſta & rationabilis cauſa adſit, puta ſi pecunia requiratur ad aliquam actionem honeſtam, quæ ſine dedecore omitti non poſſit, nec pecunia ab alio haberi poſſit, quam ab uſurario, licitum eſt petere mutuum ab eo, quem ſcio non eſſe daturum ſine uſura. Et quidem licitum eſſe, ſtante prædicta cauſa, petere mutuum, patet ex illa generali regula, qua dicitur licitum eſſe ex juſta cauſa petere ab aliquo actionem, quam ille poteſt facere ſine peccato, licet prævideatur non facturus ſine illo; tunc enim tota culpa provenit ex mala voluntate peccantis, quam petens non intendit, ſed ſolum permittit: *S. Th. 2. 2. q. 78. art. 4.* Putant aliqui etiam licitum eſſe mutuum petere dicendo expreſſe: da mihi mutuum ſub uſuris. Ratio illorum eſt, quia, talis petitio hunc ſenſum conditionatum habet, videlicet: da mihi mutuum, & ſi non vis dare gratis, paratus ſum ſolvere uſuras, quæ loquendi ratio nil mali continet: *Lugo diſp. 25. ſect. 30. n. 228. Sanch. lib. 3. Decal. c. 8. n. 26.* Ego tamen non probarem illum modum petendi mutuum, nam abſolute petere mutuum ſub uſuris, eſt inducere ad ita mutuandum, quæ inductio nunquam eſt licita: *Pal. d. 4. part. 27. num. 1. Bonac. d. 3. qu. 3. p. 13. n. 1.*

Q. IV. An mutuatarius teneatur ſolvere uſuras promiſſas.

R. Si promiſſio juramento confirmata non fuerit, nullam parit obligationem, ſiquidem abrogatur *cap. debitores de jurejur.* Si vero juramentum additum ſit, nec petita fuerit relaxatio ejuſdem, tunc ſolutio facienda eſt, quia religio juramenti ſemper obligat ad præcavendam actionem, ſupra quam cadit, dummodo illa reſpectu facientis non ſit peccaminoſa. Conſtat autem ſolutionem uſurarum reſpectu debitoris licitam eſſe, & ſolum peccaminoſam quoad recipientem.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Advertat Confeſſarius in reſtitutione mutui pecuniarii intervenire poſſe uſuram, ex hoc ſolum quod mutuatarius non raro cogatur ſolvere in pecunia ſpeciei nobilioris, aurea nempe, dum argenteam habuit, vel argentea, dum æream. Item in praxi nunquam ſatis probabilem credidi illam opinionem, qua dicitur etiam in mutuo pecuniario bene poſſe attendi ad materiam, non ad valorem; adeoque mutuantem e. g. 100. monetas aureas Hiſpaniæ, totidem poſſe exigere, etſi creverit ipſarum valor, quia tunc mutuando habita potius eſt ratio materiæ, quam valoris. Verum hujuſmodi diſtinctio mire poteſt deſervire ad palliandas uſuras; cum etenim in quibuſcumque monetis, quod præcipue attenditur, ſit ipſarum valor, non videtur paciſci poſſe niſi de ipſarum valore reſtituendo; vel etiam materia, ſi tamen æque probabile ſit valorem augendum, vel minuendum, aut ſi mutuans erat illam ſervaturus uſque ad prævisum incrementum.

II. Debet item Confeſſarius animadvertere pecuniam dupliciter mutari, & variari. Prima variatio dicitur intrinſeca, quæ conſiſtit in diminutione ponderis, ſeu variatione materiæ, eo quod per aliquam admixtionem facta ſit deterior. Altera variatio dicitur extrinſeca, & tunc intervenit, quando licet moneta conſervet eandem intrinſecam bonitatem, quam habebat tempore, quo fuit contractum mutuum, nihilominus decreto Principis, vel uſu mercatorum auctus, vel diminutus fuit ejus valor. Si mutuatarius velit ſolvere mutuum pecunia, quæ fuerit extrinſece mutata, poteſt mutuans velle pecuniam, quæ ſaltem ſit ejuſdem intrinſecæ bonitatis, ac ea, quam ipſe mutuo tradiderit, vel quod defectus intrinſecæ bonitatis, qui eſt in nova pecunia, aliunde ſuppleatur. Ita tradi videtur *cap. olim, & cap. cum Canonicis de Cenſib.*: ac ita fuiſſe deciſum a S. Rota, refert Pammollis *deciſ. 44. annot. 1. n. 4. &c.* Ratio autem ea poteſt eſſe, quod quamvis in mutuo pecuniario, ordinarie loquendo, præcipue attendatur valor, non eſt quod ſimul attendi non poſſit æqualitas corporum, quæ æqualitas deeſt, ſi variata fuerit intrinſece pecunia. Dum vero adſit eadem bonitas intrinſeca in pecunia, qua ſolvitur mutuum, mutuans non debet attendere ad incrementum, vel decrementum extrinſecum, ſed ſufficienter ſervatur æqualitas in ſolutione, ſi attendatur valor monetæ, quem habet tempore ſolutionis.

III. Debet etiam Confeſſarius diligenter conſiderare quo pacto fiat mutuum in aliis rebus, puta frumento, vino, oleo &c. Primo, tale mutuum poteſt fieri bona fide, nullo aſſignato tempore reſtitutionis faciendæ, & etiam facta permiſſione mutuatario reſtituendi quo tempore voluerit. Si in hoc caſu mutuans petat ſibi reſtitui triticum, oleum &c. mutuatum, quo tempore auctum fuit eorum pretium, nullam committit uſuram, non ſolum quia in iſto caſu præcipue attenditur æqualitas corporum, ſed etiam quia mutuatarius erat in libertate reſtituendi tempore, quo ejus pretium non fuerat auctum, unde ſibi imputare debet, ſi diſtulit reſtitutionem. Secundo, poteſt fieri tale mutuum obligando mutuatarium ad reſtitutionem eo tempore, quo probabilius prævidetur augendum pretium frumenti &c. mutuati. In tali caſu videtur intervenire labes uſuraria, nam apponendo obligationem reſtitutionis pro tali tempore, clare conſtat intendi lucrum ex mutuo. Excuſari ſolum poſſet mutuans, ſi re vera erat conſervaturus frumentum uſque ad tempus incrementi, ut conſtat ex dictis ſupra. Tertio, fieri poteſt hoc mutuum dando frumentum deterius, & imperfectum, cum obligatione facta mutuatario, ut novum frumentum reſtituat majoris ponderis, bonitatis &c. In hoc mutuo intervenit uſura, ut de ſe patet, quia ex eo lucrum expectatur. Solum poſſet excuſari hoc mutuum, quando frumentum vetus imperfectum eodem pretio potuiſſet vendi, quo prævidetur vendendum novum, & in contrahendo tali mutuo conſideratus fuiſſet valor frumenti.

IV. Ultimo notare debent Confeſſarii multoties peccari petendo mutuum ab uſurario, niſi bona fides petentis illum excuſet. Id manifeſtum fiet, ſi obſervetur non poſſe ab uſurario mutuo expoſtulari pecuniam, niſi ad id cogat juſta, & rationabilis cauſa. Multoties autem talis cauſa non intervenit, nam ſolent petere mutuum ab uſurariis Filii-familias, aliique ad ludendum, vitia nutrienda. Hinc peccant petentes ad uſurario, & iſte mutuans ſub uſuris.

CA-

Google

CAPUT VI.

De Dominio, quo acquirit Uſurarius; & de obligatione, quam ipſe, ejuſque cooperatores habent ad reſtituendum.

Q. I. AN uſurarius acquirat Dominum rerum, quas per uſuras acquiſivit.

R. I. Uſurarius non acquirit dominium rerum, quas immediate per uſuras acquiſivit. Ita communius affirmant Theologi, & jure merito, nam ad transferendum dominium, ut etiam habetur *ex leg. nunquam ff. de acquir. rer. Domin.*, ultra traditionem requiritur juſtus titulus, quo aliquis fiat Dominus rei ſibi traditæ: iſto autem titulo omnino caret uſurarius, nam non acquirit rem ſibi traditam, niſi vi mutui, quo lege naturali, Divina, & Eccleſiaſtica iniquum eſt aliquid ſupra ſortem acquirere. Hinc ad probandum uſurarium acquirere dominium rerum, quas per uſuram acquiſivit, non ſatis eſt dicere mutuatarium voluntarie uſuras ſolvere; nam ſemper cum non intendat donare, convincitur non intendere transferre in alium plus juris quam ipſi debeatur, adeoque non intendere transferre in uſurarium dominium uſurarum, cum illud ipſi non debeatur: *S. Thom. 2. 2. quæſt. 78. art. 3., Pal. d. 4. part. 25. numer. 2., Bonac. diſp. 3. q. 3. part. 14. n. 1.*

Hæc doctrina patitur limitationem in caſu, quo res uſu conſumptibiles, per uſuras ab uſurario acquiſitæ, ita ab ipſo confundantur cum propriis ejuſdem ſpeciei, ut non amplius diſcerni poſſint, & ſeparari. Ita introductum eſt jure Gentium, ut habetur *§. Si duorum & ſeqq. Inſt. de rer. div., leg. ſi alien. 18. ff. de ſolut.* Verum tamen eſt quod licet uſurarius fiat e. g. Dominus totius acervi tritici, in quo commiſcuit alienum; ſeu totius cumuli pecuniæ, in quo alienam pariter commiſcuit, competit tamen mutuatario jus in re ut ſibi ſatisfaciat, detrahendo ante alios creditores ex acervo, vel cumulo quantum ſibi competit: *§. Si duorum Inſtit. de rer. diviſ., & leg. Marcellus 3. §. Pomponius ff. de rei vindicat.* Et quidem id juri naturali omnino conſentaneum eſt; cum enim certum ſit in hoc cumulo rem meam contineri, æquum eſt ut poſſim ex illo detrahere, quod mihi competit. Sed de his ſatis *Tract. 13. q. 2. c. 2. quæſt. 7.*

R. II. Res acquiſitæ ab uſurario pecunia uſuraria tranſeunt in dominium ipſius uſurarii. Ratio eſt, quia licet peunia uſuraria ſemper ſit aliena, quia non fuit acquiſita nec induſtria, nec juſto contractu, attamen res per talem pecuniam acquiſitæ ſive negociando, ſive emendo &c. conſiderantur non tanquam fructus pecuniæ, quæ eſt ſterilis, ſed tanquam effectus induſtriæ, & negociationis, & ita tranſeunt in dominium uſurarii: *leg. 8. C. ſi quis alteri, vel ſibi, & leg. ſi ex ea pecunia 6. C. de rei vind.* Verum tamen eſt, quod res de uſuris empta ſuccedit loco pecuniæ, quatenus ſcilicet ita obligata remanet mutuatario, ut pro reſtitutione facienda ipſa res ſit vendenda, ſi uſurarius ex alii bonis non reſtituat.

Sed dices non poſſe ſuſtineri quæ hucuſque dicta ſunt; cum etenim uſurarius non poſſit transferre in alium dominium pecuniæ, quam per uſuras acquiſivit, cum ſit aliena, neque ipſe viciſſim poterit obtinere dominium rei tali pecunia emptæ, alias contractus omnino claudicaret.

Ad hanc objectionem diſſolvendam obſervare eſt diſcrimen, quod intercedit inter res uſu conſumptibiles, ut ſunt pecunia, vinum, oleum &c. & inter res uſu non conſumptibiles; Iſtæ ſemper cum exiſtant, eædem numero reſtitui debent; res vero uſu conſumptibiles functionem accipiunt, nec eaſdem numero reſtituere oportet, ſed ſufficit ſi reſtituantur aliæ ſimiles, & æquivalentes: *l. ſi nummi ff. de ſolut.* Ex hac doctrina habetur, quod ſi diſtrahantur res uſu non conſumptibiles ab eo, qui non eſt verus ipſarum dominus; neque poteſt transferre in alium ipſarum dominium, quia ſemper eædem numero domino ſunt reſtituendæ. Si vero ab uſurario diſtrahantur res uſu conſumptibiles, cum non ſint eædem numero Domino obligatio, ipſarum alienatio valida eſt, maxime quando per talem alienationem ſubſtantia uſurarii non fiat minor, ſeu remaneat ſufficiens pro debitis ſolvendis. Ex his patet ad objectionem.

Sicuti dixi uſurarium habere dominium rerum, quas emit &c. pecunia uſuraria, ita habet dominium pecuniæ, quam acquirit ex venditione rei, puta frumenti &c. quod per uſuram obtinuit: *l. 48. quis vas in fine ff. de furtis.*

Q. II. Quæ teneatur reſtituere uſurarius.

R. Satis de ſe conſtat uſurarium non ſolum debere reſtituere quod ſupra ſortem obtinuit, ſed etiam lucrum ceſſans, & damnum emergens, ſive quæcumque alia damna, quæ paſſus eſt mutuatarius, qui ſolvit uſuras. Idem reſtituere debet omnes fructus naturales, quos obtinuit ex re fructifera, quam forte illi tradidit mutuatarius; non vero fructus induſtriales, ut ſuo loco dictum eſt. Qui vero aſſerunt uſurarium acquirere dominium rei per uſuram acquiſitæ, dicunt uſurarium poſſe ſibi retinere fructus præfatos, ſi mutuatarius tales fructus non fuiſſet percepturus, & hujus ſententiæ eſt etiam *Lugo diſp. 25. ſect. 11. n. 209.* At in ſententia D. Thomæ, & aliorum aſſerentium uſurarium non acquirere tale dominium, ſed apud mutuatarium remanere, dicendum omnes fructus reſtituendos eſſe ipſi mutuatario.

Q. III. Qui teneantur reſtituere, non reſtituente uſurario.

R. Non reſtituente uſurario, tenentur reſtituere omnes illi, qui effective, & efficaciter concurrunt ad damnum alterius. Secus illi, qui tantum remote concurrunt ad uſuras. Quod primi teneantur ſolvere, & reſtituere in ſubſidium, non reſtituente ſcilicet uſurario, clarum eſt; nam efficaciter & cum effectu concurrunt ad damnum mutuatarii, & qui ita concurrit ad damnum alterius, non poteſt a reſtitutione excuſari. Porro illi, qui hoc modo concurrunt ad uſuras, ſunt qui ſuadent & conſulunt ut nonniſi ſub uſuris mutuum tradatur: *Lugo diſp. 25. ſect. 11. numer. 216. Bonac. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 15. a num. 11.* Item Magiſtratus, Judices, & alii Domini Temporales, qui lege vel alio modo compellunt ad ſolvendas uſuras, ſeu impediunt ne reſtituantur ſolutæ; immo iſti ſunt ipſo facto excommunicati, ut *ex Clem. un. de uſur.* Solum poſſent excuſari Principes ſupremi, ſi ad majora damna præcavenda aliquos uſurarios in Principatu permitterent, nullum dantes illis auxilium: *Palaus diſp 4. p. 26. n. 6.*

Eodem modo ac ſupradicti tenentur ad reſtitutionem Notarii, qui conficiendo contractum palliant uſuras ſub nomine alicujus veri contractus; unde poſtea mutuatarius coactus eſt ſolvere uſuras vi talis contractus. Non vero tenentur ad reſtitutionem quamvis peccent, ſi fecerunt tale contractum de conſenſu mutuatarii, quia tunc non lædunt invitum, & aliunde non reportant lucrum ex mutuo ut uſurarius, ſed ratione ſui laboris. Item non tenetur ad reſtitutionem Notarius, ſi conficiat contractum aperte uſurarium; nam tunc ex eo, utpote aperte nullo, non poteſt cogi mutuatarius ad uſuras ſolvendas.

Sicut tenetur ad reſtitutionem Notarius, ita & Teſtes aſſiſtentes ſcienter contractui uſurario. Excuſantur vero & ipſi, ſi id faciant de conſenſu, & in gratiam mutuatarii.

Denique ſi ipſos non excuſet ignorantia, tenentur ad reſtitutionem factores, ſeu Miniſtri uſurariorum, qui nomine iſtorum conficiunt contractus, & cogunt ad ſolvendas uſuras; nam conſtat proxime, & effective ad illas concurrere.

Illi qui remote concurrunt ad ſolutionem uſurarum, ac proinde non tenentur ad reſtitutionem, ſunt qui numerant, ſeu ſimpliciter recipiunt pecuniam a mutuatario, aut ſolum referunt in libros rationem dati & accepti, nullatenus cogendo mutuatarios ad ſolvendum. Conſtat hos nullam injuriam facere ſolventibus, adeoque nullam contrahere obligationem reſtituendi.

Q. IV. Quas obligationes contrahant Hæredes uſurarii, ſive ipſius Legatarii & Donatarii.

R. I. Cum obligatio realis defuncti tranſeat ad hæredes, unam cum eo perſonam repræſentantes, ſequitur hæredes teneri ad reſtituendum quod uſurarius acquiſivit ſub uſuris juxta vires hæreditatis. Quod ſi adhuc extent res per uſuras acceptæ, iſtæ ante omnes ſunt reſtituendæ, cum non tranſierint in dominium uſura-

rii,

rii, ſed adhuc perſeverent ſub dominio mutuatarii, ut patet ex ſupradictis.

Difficultas eſt, an ſi plures ſint hæredes, & unus nolit ſolvere pro ſua rata, alii teneantur ſolvere etiam pro nolente ſolvere, ſi pars hæreditatis obtentæ ſufficiat ad integre ſolvendum. In qua difficultate putare cum communiori ſententia unumquemque ex hæredibus ſufficienter ſatisfacere, ſi ſolvat pro ſua parte; in diviſione etenim hæreditatis diviſa fuit obligatio reſtituendi, ita ut unuſquiſque teneretur ſolvere debita uſurarii juxta portionem, quam habuit hæreditatis. Non eſt ergo cur non ſolvente uno ex hæredibus, debeat obligatio aliorum augeri. Contrarium videtur docere Gloſſa *in cap. tua nos de uſur.* at revera ex tali capite ſolum convincitur omnes filius, ſive hæredes uſurarii debere debita defuncti ſolvere, non vero quod uno non ſatisfaciente poſt diviſionem hæreditatis debeant alii ejus partem ſatisfacere; *Covarr. l. 3. variar. c. 3. Sot. de juſt. l. 6. q. 1. ar. 4. Bonac. d. 3. de contr. q. 15. n. 14.*

R. II. Si Hæredes habeant bona ſufficientia pro integre ſatisfaciendo, Donatarii & Legatarii non tenentur ſolvere debita uſurarii, cum ad ipſos non tranſeant onera Teſtatoris, nec repræſentent ipſius Perſonam: *l. Hæreditas ff. de reg. jur.* Quod ſi hæreditas non ſit ſufficiens ad ſolvendum, tunc debita ſolvenda ſint etiam ex Legatis, & donationibus; nam ante iſta ſolvendum eſt id, quod defunctus debebat ex juſtitia reſtituere.

Q. V. An excuſari poſſit a reſtitutione uſurarius, vel quivis alter faciens contractum injuſtum in caſu, quo parati fuiſſent lucrum reportare ex alio juſto titulo, quem habebant, at ex ignorantia, vel inadvertentia omiſerunt.

R. Ex prædicta cauſa poſſunt excuſari rudes & indocti, non vero ii qui cognoſcunt injuſtitiam tituli, ratione cujus aliquid exigere intendunt ſupra ſortem. Ratio primæ partis eſt, quia rudes, & indocti neſcientes quo titulo aliquid exigere valeant ſupra ſortem; ſemper præſumuntur velle id exigere, eo titulo, quo licite fieri poteſt; ſive præſumuntur velle contrahere quo pacto contrahunt viri docti, & timoratæ conſcientiæ. Hinc quando verificetur juſtum titulum habuiſſe, convincuntur ſaltem implicite voluiſſe ex tali titulo lucrum reportare. Nec obſtat in contractu dici pecuniam fuiſſe *mutuo* datam; nam cum ignorent quid ſignificet contractus mutui, talia verba non poſſunt variare ipſorum intentionem, reportando aliquod lucrum licito & juſto titulo. Inſuper etiam ille, cum quo contrahunt, intelligitur ſaltem implicite conſentire de lucro ſolvendo propter aliquem juſtum titulum, ſemper cum verificatur bona fide contraxiſſe.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia illi, qui cognoſcunt naturam injuſti tituli, ex quo volunt lucrum reportare, & nihilominus ex tali titulo contrahunt, & apponunt obligationem, ut ſibi ex eo aliquid tradatur, convincuntur vere ex tali titulo voluiſſe contrahere; & proinde cum ratione illius non poſſint lucrifacere, tenentur ad reſtitutionem eo modo quo ſupra dictum eſt. Neque ſuffragatur potuiſſe ex alio juſto titulo contrahere, nam id probat, quod ſi advertiſſent, ex tali titulo contraxiſſent; non vero quod ex eodem titulo contraxerint; lucrum vero reportari non poteſt ex contractu, quem feciſſem, ſed ex eo quem feci. Ille autem qui fecit contractum mutui, & cognovit ejus injuſtitiam, patet feciſſe & voluiſſe facere contractum, ex quo nil poteſt lucrari: *Laym. lib. 3. tr. 4. c. 18. num. 13. Engell. ſub tit. de uſur. in fin.*

Q. VI. Quæ ſint pœnæ Uſurariorum.

R. I. Contra uſurarios occultos nulla repetitur in jure pœna latæ ſententiæ.

R. II. Contra uſurarios manifeſtos plurimæ ſunt pœnæ tum ex jure civili, tum canonico. Eæ autem habent locum, ſive ſint manifeſti notorietate facti, ut ſunt illi, qui publice tenent menſam expoſitam ad fœnerandum, vel ita frequenter ineunt contractus uſurarios, ut id notum ſit majori parti Civitatis, Oppidi, vel Paræciæ; ſive ſint manifeſti notorietate juris, ut illi qui in judicio fuerunt de uſura confeſſi, aut condemnati.

Præfatæ autem pœnæ contra publicos uſurarios ſunt ſequentes: Primo, incurritur infamia: *ex leg. improbor. fœnus C. ex quibus cauſ. infam. irrogetur; & ex cap. inter dilect. de exceſſib. Prælat. can. infames 6. q. 6.* Ex hoc autem ſequitur fieri irregulares, & inhabiles ad beneficia, *ex cap. cit. inter dilectos*. Ut vero notant DD., probabile eſt talem pœnam infamiæ & irregularitatis auferri per pœnitentiam, & reſtitutionem, ſive cautionem reſtituendi, unde ſi hæc præceſſerint, poterit Epiſcopus illos promovere ad Ordines &c. Si publicus uſurarius ſit Clericus, incurrit ſuſpenſionem; & dum non reſipiſcat, deponendus eſt, & privandus Beneficiis. Secunda uſurarii pœna habetur *cap. quia in omnibus de Uſur.* & *cap. quamquam eod. tit. in 6.* & eſt, arcendum eſſe a Sacramentis, nec permittendum Miſſæ miniſtrare, aut intereſſe, ut etiam dicitur a Trid. *ſeſſ. 22. in decret. de obſerv. & vitand. in celebr. Miſſ.* Hæc pœna aufertur, ſi realiter reſtituerit uſuras, vel dederit idoneam cautionem de reſtituendo pro viribus Patrimonii. Tertia pœna recenſetur *cap. quia in omnibus de uſur.* & eſt, repellendos eſſe uſurarios a faciendis oblationibus ſive in Miſſa, ſive extra Miſſam, utpote quæ conſiderantur tanquam male acquiſitæ. Si vero ipſorum patrimonium ſufficiat ad ſatisfaciendum pro uſuris, poſſunt ab illis accipi oblationes, quæ dantur titulo oneroſo, puta pro Miſſis celebrandis, & pro eleemoſynis faciendis. Quarta pœna, quæ habetur in ſupracitato *c. quamquam, & cap. quia in omnibus*, eſt ut publicus Uſurarius, etſi pœnitens moriatur, privetur Eccleſiaſtica ſepultura, ut dixi *tr. 4. qu. 2. c. unic. q. 6.* Id tamen intelligendum, niſi ante mortem pro ſua poſſibilitate reſtituerit, vel niſi ipſe, aut ejus hæredes dederint cautionem de reſtituendo quam primum potuerint. Conſonat Gloſſa *in Clem. 1. v. manifeſtos de ſepult.* Quod ſi moriatur impœnitens, tanquam publicus peccator debet Eccleſiaſtica ſepultura carere, quamquam præſtita fuerit cautio de reſtituendo. Immo ſi ſepultus fuerit in loco ſacro, ultra quam quod ipſo facto excommunicentur, qui id præſtiterunt, eſt exhumandus, & ſepeliendus in loco profano: *Clem. 1. de ſepult.* Quinta pœna quæ decernitur eodem capite *quamquam &c.* eſt quod publicus Uſurarius non poſſit facere Teſtamentum, & conſequenter nec codicillum, ſive quamcumque aliam diſpoſitionem ultimæ voluntatis. Quod ſi non moriatur impœnitens, & reſtituerit, vel data fuerit cautio de reſtituendo, teſtamentum poterit ſuſtineri. Aliæ pœnæ adnotantur a Canoniſtis, quas, non eſt neceſſe hic recenſere.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Dum agitur de reſtitutione facienda de rebus uſura acquiſitis, advertat Confeſſarius, maxime dum non ſufficerent facultates Uſurarii pro integre reſtituendo, quod non ſtatim decernere debet nulli eſſe integre reſtituendum, ſed tantum pro rata. Et ſuppoſita modo doctrina de ordine ſervando in reſtituendo, remanet adnotare hic pro praxi, quod cum in ſententia, quam puto veram, uſurarius non acquirat dominium rei per uſuras acquiſitæ, bene poteſt Confeſſarius ſuadere hæredi, ut ſi dicta res extet in individuo, integre reſtituatur mutuatario, cum adhuc perſeveret ſub ejus dominio, cæteris vero ſolvatur pro rata de rebus, quæ erant ſub dominio Uſurarii.

II. Ex præfacta doctrina aliam regulam pro praxi ſibi efformare poteſt Confeſſarius, & eſt quod licet hæredes uſurarii non teneantur ad ſolutionem uſurarum niſi pro rata hæreditatis obtentæ; nihilominus ſi aliquis ipſorum habuerit aliquam rem, quæ perſeveret in individuo, qualis data eſt a mutuatario, bene poteſt cogi ad integre eam reſtituendam, quamvis ejus valor ſuperet portionem, quam reſtituere debeat ipſe cohæres. Ratio patet ex dictis, quia ſcilicet adhuc perſeverat ſub dominio mutuatarii.

II. Advertat pro praxi Confeſſarius non ſtatim obligandos eſſe ad reſtitutionem uſurarum omnes etiam proxime ad eas cooperantes, quamvis ipſe uſurarius non reſtituat. Advertere ergo eſt, quod dum mutuatarius petit mutuum neceſſitate coactus, & illud non poteſt habere ab uſurario niſi ſub obligatione aliquid dandi ſupra ſortem, conſentit, ut illi, ſine quibus non poſſet mutuum habere, uſurario cooperentur. Tales ſunt Notarii, ſine quorum inſtrumento uſurarius non daret mutuum, Teſtes aſſiſtentes inſtrumento, tradentes mutuatario pecuniam uſurarii &c. Quamvis igitur iſti peccent concurrentes proxime ad actionem intrinſece malam, nihilominus poſſunt excuſari a reſti-

tu-

tutione, etiam non reſtituente uſurario, quia mutuatarius cum omnino vellet mutuum, libenter conſenſit ut uſurario cooperentur, ac proinde nullam ab ipſis accepit injuriam.

Quoſdam etiam liberare poterit Confeſſarius ab onere reſtitutionis, ſi illos examinando compererit bona fide, ſeu ignorantia inculpabili proceſſiſſe. Tales poſſunt eſſe, qui nomine uſurarii confecerunt inſtrumentum, & Factores compellentes mutuatarios ad ſolutionem.

IV. Notet Confeſſarius non ſtatim ac adinvenit aliquem contractum fuiſſe uſurarium, debere compellere mutuantem, ſive ipſius hæredes ad reſtitutionem. Primo ergo notet an mutuans fuerit indoctus, neſciens in quo conſiſteret labes uſuræ. Secundo, an habuerit, vel præſumi poſſit habuiſſe intentionem contrahendi modo licito & juſto, quod maxime dignoſci poteſt ex eo quod chriſtiane vivat. Tertio, advertat an contractus uſurarie factus, ratione illius, cui data eſt pecunia, potuerit licite fieri. Si e. g. dedit pecuniam alicui, qui non erat mercator, nec habebat fundos fructiferos, ſed ſolum accipiebat pecuniam pro quotidianis neceſſitatibus, pro ære alieno ſolvendo &c. utique non eſt locus, ut iſte contractus mutui reſolvatur in alium contractum licitum, quia in mutuatario deeſt titulus alterius contractus. Hinc in tali caſu mutuans, qui bona fide proceſſit, ſolum obligandus eſt ad reſtitutionem ſecundum quod factus eſt ditior, ut dicitur de Poſſeſſore bonæ fidei. Si vero dedit pecuniam mercatori, poteſt contractus mutui reſolvi in contractum ſocietatis; ſi alicui habenti fundos fructiferos, in contractum emptionis, vel cenſus; atque hos contractus convincitur virtualiter voluiſſe inire ſemper cum habuerit intentionem contrahendi modo licito & juſto. Neque, ut ſupra dictum eſt, facienda eſt vis in verbo *mutui* adjecto in contractu, nam ſemper cum ignorabat vim talis verbi, non verbum, ſed intentio contrahentis eſt conſideranda. Multo magis excuſari poſſet mutuans, ſi habebat lucrum ceſſans, vel damnum emergens, & ex ignorantia non adduxit hos titulos.

APPENDIX.

De Montibus Pietatis.

Q. I. Quid ſint Montes Pietatis.

R. Nomine Montis pietatis venit cumulus pecuniarum, frumenti, aut alterius ſimilis rei, collectus ex unius, vel plurium eleemoſynis, eo fine ut pauperes non cogantur mutuo accipere ab uſurariis, ſive Hebræis cum magno ipſorum detrimento. Nomine Montis pietatis venit etiam locus, ubi talis cumulus aſſervatur. Ad hujuſmodi montium erectionem quam maxime contulerunt S. Jacobus de Marchia, & B. Bernardinus de Feltria.

Q. II. Quæ ſint conditiones hujuſmodi Montium; & an ſint licitæ.

R. I. Conditiones hujuſmodi Montium ſunt ſequentes. Ut a mutuatariis detur pignus idoneum pro aſſecuratione pecuniæ mutuatæ. Ut reſtitutio pecuniæ mutuo acceptæ non poſſit poſt aliquod determinatum tempus differri. Ut non reſtituta præfata pecunia tempore determinato, vendatur publice pignus, & quod ſupereſt pecuniæ mutuatæ, tradatur mutuatario. Ut mutuatarius aliquid ſolvat pro expenſis neceſſariis Montis, puta pro ſtipendio miniſtrorum, pro emendis libris in quibus exatentur rationes dati & accepti, pro conducenda domo ipſius montis &c.

R. II. Hujuſmodi montes nullam continent labem uſurariam. Ita declaratum fuit ſpeciali Bulla Leonis X. quæ incipit; *Inter multiplices &c.* edita in Concilio Lateranenſi, & approbata ab eodem Concilio, ut patet ex ſeſſione decima. Neque obſtat aliquid a mutuatariis ſolvi, nam nil tradunt vi mutui, & in commodum ipſius mutuantis, ſed pro neceſſariis expenſis montia, quod utique juſtum eſt; neque enim tenetur mutuans impendere beneficium pecuniæ mutuatæ cum proprio incommodo, ſubeundo etiam dictas expenſas, ſed æquum eſt ut mutuatarii, qui commodum reportant ex talibus montibus, ſubeant etiam incommodum præfatarum expenſarum, ut de ſe patet.

Si vero aliquid ſuperſit ex pecuniis debitis a mutuatariis, expenſis neceſſariis ſatisfactis, reſtituendum eſſet, ſi poſſibile foret, Creditoribus; ſed quia difficillimum eſt dignoſcere qui ſint Creditores, ideo reſtitutio facienda eſt vel pauperibus, vel ſuperfluum in uſus pios erogandum: ipſi vero monti nihil applicari poteſt, ut mutuans eſt, ſed ſolum quatenus eſt locus pius, & de facto inter loca pia recenſetur a Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 8.

Ex dictis inferri poteſt Montes Pietatis non eſſe confundendos cum aliis montibus conſtitutis a Principe, ſeu Communitate; nam iſti non differunt niſi ſolo nomine a cenſibus, cum pro ipſorum fundo aſſignentur vel redditus vectigalium, vel aliæ res immobiles fructiferæ, quæ dividuntur in tot partes, quot ſunt centenarii pecuniæ acceptæ, & quilibet centenarius vocatur unus locus montis. Iſta loca alia ſunt temporalia, & vocantur vacabilia, quia morte emptoris redeunt ad Principem, & hac ratione major ſolet eſſe ipſorum fructus, puta 8. vel 10. aureorum. Alia ſunt perpetua, ſeu non vacabilia, unde tranſeunt ad hæredes, & proinde ipſorum fructus eſt valde minor, puta trium, aut quatuor aureorum.

QUÆSTIO IV.

De Contractu Cambii.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit Cambium; & quo titulo ex eodem poſſit lucrum reportari.

Q. I. Quid ſit cambium.

R. Cum cambiare idem ſit ac unam rem cum alia permutare, cambium in præſenti ſignificat *permutationem unius pecuniæ cum altera*. Ubi vides quod ſi una res pro alia detur, dicitur abſolute *permutatio*: ſi pecunia detur tanquam pretium unius rei, dicitur *emptio*: ſi vero pecunia detur pro alia pecunia, dicitur *Cambium*. Bene autem hic contractus, ne fruſtra in quæſtione nominis hæreamus, reducitur ad contractum innominatum: *do, ut des*.

Item ne S. Theologiam addiſcentibus voces obſcuritatem pariant, advertere eſt quod ille, a quo petitur cambium, dicitur Campſor, ſeu Numularius aut Bancharius; qui vero petit cambium, & accipit pecuniam a Campſore, dicitur Campſarius.

Q. II. Quotuplex ſit cambium.

R. I. Cambium dividitur in reale, & ſiccum: Siccum non eſt verum cambium, adeoque nec continet juſtum titulum lucrandi, ſed ideo ſit, ut ſub apparentia cambii verum mutuum pallietur. Audiatur quomodo hoc cambium ſiccum deſcribatur a S. Pontifice Pio V. in Bulla, quæ incipit: *In eam pro noſtro paſtorali officio*, & eſt 118. ejuſdem Pontificis. *Damnamus*, inquit, *ea omnia cambia, quæ ſicca nominantur; & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, ſeu ad alia loca, cambia celebrare ſimulent, ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, literas quidem ſuas cambii tradunt, ſed non mittuntur; vel ita mittuntur, ut tranſacto tempore, unde proceſſerunt, inanes referantur aut etiam nullis hujuſmodi literis traditis, pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, ubi contractus fuerat celebratus; nam inter dantes & recipientes uſque a principio ita convenerunt, vel certe talis intentio erat, neque quiſquam eſt qui in nundinis, aut locis ſupradictis, hujuſmodi literis receptis, ſolutionem faciat.* Cambium reale continet veram & legitimam pecuniarum permutationem, adeoque habet juſtum titulum ut aliquid lucri ex eo accipi poſſit.

R. II. Cambium reale ſubdividitur in minutum, & locale. Minutum datur, quando in eodem loco una pecunia pro alia datur, ut aurea pro argentea &c. pecunia unius Principis pro altera alterius Principis. Cambium locale intervenit quando permutatur pecunia præſens cum abſente, & e contra; & quia ſit mediis literis, cambium per literas appellatur.

Q. III. Qualis ſit juſtus titulus aliquid lucrifaciendi in cambiis minutis.

R. I. Prima cauſa, ratione cujus Campſor in cambio minuto poteſt aliquod lucrum reportare, eſt, quia plura facit in commodum Campſarii, quæ ſunt lucro æſtimabilia. Iſta autem ſunt inquirere & congregare pecunias diverſi generis, quæ ſint commodæ Campſariis; ut ſi velint auream pro argentea, & a

con-

di. Addi poteſt, accedente tempore nundinarum, multos eſſe qui petunt pecuniam ad cambium, & rariores qui dent; ex paucitate autem pecuniæ creſcere poteſt ejus valor, unde & ex hoc capite campſor illam ad cambium dans poteſt lucrifacere.

Q. II. Quid dicendum de illa praxi dandi a Campſore pecuniam ad cambium Titio Lucæ, vel Liburni, cum pacto, ut a Campſariis ſolvatur lucrum ſicut determinabitur in primis Nundinis; quamvis contrahentes certo ſciant literas cambii non eſſe ad Nundinas mittendas.

R. I. Si Campſor, qui dat Lucæ, vel Liburni pecuniam, accipit literas cambii ſolum apparenter tales, quia non ſolum ſcit non eſſe mittendas, ſed quia etiam cognoſcit Campſarium nec pecuniam, nec correſpondentem habere in Nundinis, nec habiturum, quia nemo vellet ipſius literas acceptare; in tali caſu neſcio quomodo iſtud cambium non ſit vere ſiccum; nam literæ, quæ dantur, taliter ſe habent, ac ſi non factæ fuiſſent. Intercedit igitur verum mutuum palliatum. Nec refert in iſto caſu campſorem potuiſſe alio contractu juſto lucrifacere, propter ea, quæ dicta ſunt capite ſuperiori de eo, qui mala fide vult ratione mutui aliquid lucrum, quamvis ſi advertiſſet, aliquem alium juſtum titulum potuiſſet habere. Si vero literæ erant ſolum apparentes propter jam dicta, id tamen ignoravit campſor, tunc reſpondendum eſt juxta ea quæ dixi capite ſuperiori reg. t.

R. II. Si Literæ, quæ dantur a Campſario poſſent mitti, & habere ſuum effectum in nundinis, tunc diſtinguendum eſt. Si non mittentur, quia Campſor ipſe curat Lucæ, vel Liburni fieri ſolutionem traditæ pecuniæ, ac proinde impedit tranſmiſſionem literarum, tunc nullum lucrum poteſt recipere; nam lucrum fundatum fuit in cambio, ac proinde ſi ab ipſo campſore impedietur, removetur fundamentum aliquod lucrum acquirendi.

Si vero tranſmiſſio literarum impediatur a campſario, qui velit ſolvere Lucæ pecuniam acceptam cum lucro, prout taxabitur in Nundinis, tunc puto campſorem poſſe vere lucrum reportare; nam in gratiam ipſius campſarii non tranſmittit litteras quas potuiſſet tranſmittere, & ita æquum eſt, ut reportet lucrum, quod acquiſiviſſet, literas mittendo. Nec, meo videri, refert ab initio prævidiſſe campſarium impediturum tranſmiſſionem literarum; cum etenim de facto, eas tranſmittendo, potuiſſet lucrum acquirere, ſe privando tali lucro ad petitionem campſarii, convenit ab ipſo Lucæ compenſari ratione lucri, quod ipſi ceſſat.

Q. III. Quid ſit cambium cum recurſu; & an ſit licitum.

R. I. Cambium cum recurſu ita ſolet fieri. Titius e. g. indigens Lucæ 100. aureorum, accedit ad Sejum Campſorem, illoſque ab illo accipit, ſe obligendo ad illos ſolvendos Liburni cum intereſſe Cambii. At quia Titius non habet Liburni Correſpondentem, dirigit literas cambii Liburnum ad Cajum Procuratorem, ſeu Miniſtrum Seji, ut ſuo nomine ſolvet Sejo 100. aureos cum intereſſe cambii; ſimulque Sejus ſcribit ad eundem Cajum, ut tanquam ſuus correſpondens, ſeu Procurator acceptet creditum, quod acquiſivit cum Titio, tradendo illi Lucæ 100. aureos. Cajus habitis literis, ut correſpondens Titii ſolvat ſibi tanquam Procuratori, ſeu Miniſtro Seji 100. aureos, & quatuor e. g. pro intereſſe cambii, quorum conſtituit Sejum Creditorem, & Titium Debitorem in Libris dati, & accepti. Et en abſolutum primum cambium.

Cum interim Titius non habeat pecuniam Liburni, ut ibi ſolvat debitum contractum cum Cajo, curat inſtitui novum cambium hoc pacto. Cajus ſcribit literas Lucam Titio, ut ſolvat Lucæ Sejo debitum, quod ſecum contraxit Liburni, atque ita Titius ſolvit Lucæ Sejo 100. & quatuor aureos pro intereſſe primi cambii; & iterum novum intereſſe pro iſto ſecundo cambio, ſeu recambio.

R. II. Quamvis iſtud cambium cum recambio videatur quampluribus Theologis cambium ſiccum, ſeu mutuum palliatum, nihilominus poteſt ſuſtineri; Et primo conſtat primum cambium Lucæ contractum, & Liburni ſolvendum, habere conditiones veri cambii: nam revera Campſarius vel pecunia actuali, vel pecunia ſibi credita a Procuratore Campſoris, ſolvit Liburni quod ſibi traditum fuit Lucæ. Nec obſtat feciſſe ſolutionem, mediante procuratore Campſoris; ſi enim poterat eam facere per alium Amicum, cur non poteſt idem facere per dictum Procuratorem? ſemper eum tamen non coactus fuerit facere ſolutionem mediante eodem Procuratore. Præterea non eſt novum eandem perſonam ſecundum diverſas conſiderationes gerere vices Creditoris, & Debitoris. Ita Tutor, qui aliquid debet habere a ſuo Pupillo, ut Tutor gerit vices Debitoris, & ſibi ſolvit ut Creditori. Ita in caſu noſtro Campſoris Procurator, ut correſpondens Campſarii veluti Debitori ſibi ſolvit, quatenus ut Procurator Campſoris repræſentat perſonam ipſius.

Hoc modo vere & realiter extincto primo cambio, poteſt vere & realiter fieri recambium Liburni contractum, & Lucæ ſolvendum; eo enim ipſo quod Correſpondens Liburni contentus ſit, & mandet ſolvi Lucæ quod Campſarius ſolvere debebat Liburni, virtualiter transfert Lucam eam pecuniam, eamque liberet ab omni periculo, ſi mittenda fuiſſet Liburno, unde conſurgit novus titulus ſolvendi novum intereſſe pro iſto recambio.

Solum non admitterem iſtud cambium cum recambio cum communiori Theologorum, quoties procurator Campſoris non haberet Liburni vel pecuniam propriam, vel aliud creditum diſtinctum ab illo, quod Campſor Lucæ acquiſivit; dum ibi pecuniam dedit Campſario, qui ratione talis crediti ſolvit pecuniam Liburni. Ratio eſt, quia, ut intelligatur Campſarius extinguere Liburni primum cambium, oportet concipere ibi habere aliquam pecuniam ſibi traditam vel re, vel virtute a Procuratore Campſoris. Si autem iſte non habeat, vel nolit dare ſuam pecuniam, jam de facto non dat Campſario pecuniam qua ſolvat, & extinguat primum cambium. Ulterius, ſi non habeat creditum diſtinctum ab eo, quod Campſor acquiſivit Lucæ per primum cambium, non poteſt illud transferre in Campſarium, & translatione talis crediti cambium extinguere; nam eo ipſo quod vere, & ſine fictione transferret in Campſarium tale creditum, illum liberaret ab obligatione contracta Lucæ; & ita non eſſet vera ſolutio cambii, ſed potius remiſſio, & condonatio pecuniæ Lucæ habitæ: *De Lugo diſp. 28. de Juſtit. numer. 61.*

Q. IV. Quæ ſint conditiones, quæ in Bulla S. Pii V. adnotantur pro cambiis.

R. Poſtquam S. Pontifex in ſua Bulla, quam edidit de cambiis, cujus initium eſt: *In eam pro noſtro paſtorali officio &c.* damnavit cambia *ſicca*, nonnullas aſſignat conditiones pro cambiis bene inſtituendis.

Prima conditio eſt, ne Campſor exigat lucrum, eo quod Campſarius differat ſolutionem ultra terminum præfixum. Et quidem dilatio temporis in ſolvendo non dat juſtum titulum aliquid lucrifaciendi, ut dictum eſt agendo de mutuo. Bene vero poterit exigi lucrum ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quæ facillime evenire poterunt Campſori, ſi longius ſolutio protrahetur, ut de ſe patet.

Altera conditio eſt, ut ratione lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis, ab initio non fiat pactum Campſario de certo & determinato lucro, ſi non ſolvat tempore conſtituto. Et quidem in foro externo, non ſolvente Campſario tempore determinato, non cogitur ad aliquid ſolvendum ex mora, ſi non interpelletur judicialiter pro ſolutione facienda, cum intimatione, & proteſtatione reparationis lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis, ut pluries deciſum habemus apud S. Rotam, & videre eſt apud de Luca *in Tr. de Cambiis diſc. 2. 11. & 13.* Quia tamen hæc omnia fundantur in præſumptione fraudis & doli, ideo tutum exiſtimo pro foro conſcientiæ poſſe ab initio paciſci de determinato intereſſe pro periculo, quod probabiliter timetur, lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis, ſemper cum vere probabiliter timeatur, & intereſſe ſeu lucrum non ſit excedens; ſi enim id licitum eſt in aliis contractibus, cur non in iſto? *Tamb. l. 9. de contr. tr. 3. c. 5. §. 1. a n. 18.*

Tertia conditio eſt, quod cambia realia non fiant niſi ad primas nundinas, vel ad primos terminos juxte

Digitized by Google

ruxta receptam conſuetudinem locorum, Pro primis autem nundinis intelligendæ ſunt illæ, ad quas Campſarius commode mittera poteſt literas ſuo correſpondenti, ut de facto ibi ſolvat. Verum tamen eſt, quod ſi Campſor ſine incremento pretii vult concedere cambium etiam ad ſecundaa, tertias, & ulteriores nundinas, non ſaceret contra Bullam, cum hæc præſcripta fuerint in favorem Campſarii, & in ipſius favorem cederet cambium etiam ad ſequentes nundinas, ſemper cum id fieret ſine augmento lucri.

Ultima conditio eſt, ut pro aſſignandn termino competenti pro ſolutione habeatur ratio longinquitatis, vel propinquitatis locorum. Id ſtatutum eſt, ne præfigendo terminum longiorem ſolutioni, quam exigat ipſum cambium, exigatur majus pretium cambii præciſe ob dilatam ſolutionem. Dixi præciſe ob dilatam ſolutionem non oriri juſtum titulum lucriſaciendi, Cæterum ſi propter dilationem temporis majora prævideantur pericula, & majus ſit lucrum ceſſans in Campſore, ex hoc capite poterit pretium augere, dummodo de hoc moneat Campſarium. Hac ratione multi Theologi excuſant Campſores, qui ſi primo menſe dant pecuniam ad cambium ſolvendum in primis nundinis, plus lucri exigunt, quam ſi dent in ſecundo, vel tertio menſe; *Moſin. d. 404., Leſſ. lib. 2. c. 23. d. 6. & 12.*

Q. V. Quid dicendum de conditionibus, ſeu obligationibus continuandi cambia, & recambia uſquedum Campſarius ſolvat.

R. Dum fit contractus cambii ſolet in eo apponi pactum, ut ſi campſarius non ſolvat in primo termino, ſeu primis nundinis cambium, intelligatur retinere eandem pecuniam ad cambium pro ſecundo termino, ſeu pro ſecundis nundinis, & ita ſolvat novum intereſſe, Iterum ſolet fieri aliud pactum, ſcilicet quod ſi poſtquam literæ redierunt a correſpondente Liburno ex. gr. Lucam cum recambio, Campſarius Lucæ non ſolvat, fiat tertium recambium, & ita uſque dum Campſarius de facto ſolvat pecuniam quam habuit cum intereſſe decurſo &c. His poſitis,

Dicendum eſt primum pactum evidenter eſſe injuſtum. Ratio eſt, quia ſi inſtituo primum cambium, dando pecuniam Lucæ, ſolvendam in primis nundinis, jam ſi Campſarius non ſolvat in primis nundinis quomodo fieri poteſt novum cambium, & propter illud fieri pactum de novo intereſſe? Certe pro novo cambio requiritur actualis vel virtualis traditio novæ pecuniæ, & illius virtualis translatio de uno loco ad alium. Stante autem campſarium non ſolvere in primis nundinis, nec campſorem dare novam pecuniam, non fit nova ipſius translatio de uno ad alium locum, quapropter ex titulo novi cambii non poteſt campſor novum obtinere intereſſe. Dixi, ex titulo novi cambii, nam ſi campſor patiatur lucrum ceſſans, eo quod exem. gr. poſſet dare pecuniam ad novum cambium, ſi illam ſolveret Campſarius, tunc poſſet exigere quantum pateretur lucri ceſſantis.

Pactum iterum de recambiando non continet juſtum titulum ad aliquid lucrandum, nam cum ſit onus ſuperadditum contractui cambii, eſt injuſtum. Solummodo ergo campſor poſſet obtinere quantum ex mora Campſoris ipſi ceſſat de lucro. Univerſaliter loquendo advertere eſt iſta & alia pacta cambiis ſuperaddita, de ſe eſſe injuſta, ac ſolum poſſe juſtificari novum lucrum, quod exigat campſor ultra intereſſe cambii, ex titulis lucri ceſſantis, damni emergentis, periculi, aut moræ, de quibus recole quæ dixi agendo de mutuo.

Regula in praxi obſervanda.

I. Non ſit nimis facilis Confeſſarius in admittendo adeſſe juſtum titulum aliquid lucrifaciendi in iis cambiis, in quibus dantur e. g. Lucæ literæ ſolvendæ Liburni, ſed re vera adveniente tempore præfixo ſolutioni, Liburnum non mittuntur, & pecunia ſolvitur Lucæ cum intereſſe cambii. Verum igitur eſt, quod ſi literæ de facto poterant mitti Liburnum a campſore, & ibi campſarius, qui eas dedit, poterat Correſpondentem habere, licet campſori non mittenti literas in gratiam campſarii id expoſcentis, lucrum cambii reportare, nam poterat tale lucrum obtinere literas mittendo. At non ſemper ita evenit; cum multoties campſarius, qui pecuniam recipit Lucæ, & dat campſori literas ſolvendas Liburni, ſit ære alieno gravatus, ſeu valde pauper, unde bene dignoſcitur neminem futurum Liburni, qui ipſius literas acceptaret, ac proinde clarum eſt in tia circumſtantiis celebrari contractum cambii, ut mutuum pallietur.

II. Animadvertat item Confeſſarius dari quandam praxim cambiandi, quæ ſemper aliquod examen expoſcit. Titius v. g. accipiens Lucæ pecuniam a campſore dat ipſi literas ſolvendas Liburni a ſeipſo. Hæc praxis utique poteſt ſuſtineri, ſi Titius habeat Liburni pecuniam, ſeu merces unde ex eis poſſit Liburni ſolvere debitum. At de facto non ſemper ita evenit, nam ultraquamquod non habeat Liburni nec pecuniam, nec merces, pariter neque illi facile eſſet correſpondentem adinvenire, qui nomine ipſius ſolveret. En ergo quod hic etiam latet merum mutuum.

III. In cambio cum recambio fortaſſe Confeſſarius adinveniet falſitatem, & mutuum palliatum. Ut igitur hujuſmodi cambium vere & realiter fiat, oportet Campſorem hunc animum habere, quod ſi nempe ſuus Procurator, qui ut correſpondens campſarii ſibi ſolvit, quatenus gerit vices ipſius campſoris, non poſſit poſtea ſolvere, & fiat decoctus, ipſe campſor patiatur damnum, & non campſarius, alias ſolutio fuiſſet mere apparenter facta, ut de ſe conſtat. Si autem Confeſſarius interrogabit Campſorem, cujus vere voluerit eſſe tale damnum, ſi ſuus Procurator non fuiſſet ſolvendo, fortaſſe adinveniet hunc animum defuiſſe, atque ita cognoſcet omnia fuiſſe apparenter facta.

QUÆSTIO V.

De Cenſibus.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit Cenſus; & de conditionibus pro iis inſtituendis.

Q. I. QUid ſit Cenſus.

R. Cenſus bene definitur: *Jus percipiendi annuam penſionem ex re aliena utili, & fructifera, vel perſona alterius*. Dum dicitur, *jus percipiendi &c.* deſignatur proprie cenſum non conſiſtere in illa annua penſione, quæ ſolvitur, ſed in jure eam percipiendi, & de facto qui vendit cenſum, non dicitur vendere penſionem, ſed jus eam percipiendi. Oportet autem hanc penſionem deducere ex re aliena fructifera; nam res ſterilis non poteſt dare ſundamentum, ut ex ea aliquid ſolvatur. Dum vero additur, *vel perſona alterius*, ſignificatur quod emi poteſt etiam jus aliquid annuatim percipiendi ex iis, quæ aliquis lucratur ex ſua induſtria, labore &c. Cæterum obſervandum, quod ille, qui accipit pecuniam, & ex hoc contrahit obligationem aliquid quotannis ſolvendi ex re ſua, dicitur cenſuarius; qui vero data pecunia emit jus illud percipiendi dicitur cenſualiſta.

Q. II. Quotuplex ſit cenſus.

R. I. Cenſus primo dividitur in reſervativum, & conſignativum. Reſervativus tunc datur, quando aliquis transfert in alium rem ſuam & quoad dominium directum, & quoad utile, reſervata ſibi aliqua penſione ſolvenda ſingolis annis, juxta *l. fin. Cod. de rer. permut.* E contra in cenſu conſignativo retinetur dominium rei, ſuper quam conſtituitur, & ſolum a Domino rei transfertur in alium jus percipiendi penſionem e tali re.

R. II. Cenſus conſignativus, de quo hic ſermo eſt, dividitur in perſonalem, realem, & mixtum. Perſonalis eſt jus exigendi aliquam penſionem ex iis, quæ aliqua perſona lucrabitur ſua induſtria, opere, & labore. Dicitur non mere perſonalis, ſi addatur aliqua res loco pignoris, & hypothecæ ad aſſecurationem dicti cenſus, Realis, eſt jus exigendi penſionem ex re aliena, utili, & fructifera, ſive ea ſit immobilis, ut ſunt prædia, ſive mobilis, ut grex, armenta &c. Mixtus ſun-

fundantur in re fructifera; qua parte dicitur realis, & ſimul in opere, & induſtria perſonæ, qua parte dicitur perſonalis.

Item dividitur in perpetuum, quando ſcilicet penſio eſt in perpetuum ſolvendu ex re aliqua fructifera; & in temporalem, quando ſcilicet eſt ſolvenda ad aliquod tempus determinatum. Dividitur in irredimibilem, quando ſcilicet contrahentes paciſcuntur, ut nunquam redimatur; & redimibilem, dum nempe pactum eſt, ut cenſus, intra aliquod determinatum tempus redimatur. An vero cenſus irredimibilis ſit licitus, videbitur infra. Aliæ diviſiones Cenſus nihil conducunt ad praxim, unde ſuperſedeo ab iis recenſendis.

Q. III. Qua ratione ſit licitus contractus cenſus.

R. Juſtitia hujuſmodi contractus ex eo conſtat quod cum jus percipiendi aliquam partem fructuum vel rei meæ, vel meæ artis, ſit aliquid pretio æſtimabile, bene poſſum illud vendere, & alter poteſt emere; in hoc enim proprie conſiſtit contractus cenſus. Hinc cenſum conſignativum realem, ſive perpetuum, ſive temporalem approbarunt Martinus V. & Calixtus III. in ſuis Extravagantibus, quæ extant inter communes *ſub tit. de emot. & vendit.* Nihilominus ut non lædatur juſtitia in hoc contractu, aliqua in eo celebrando ſunt adnotandu.

Primum eſt, ut ex parte cenſuarii ſit ſincera voluntas vendendi jus percipiendi fructus ex ſua re fructifera; ex parte vero cenſualiſtæ ſit ſincera voluntas illud emendi; nam hoc modo conſtituitur cenſus conſignativus: *Laym. l. 3. tr. 4. cap. 8. n. 3.* Secunda eſt, ut res, ſupra quam cenſus conſtituitur, vere ſit fructifera, alias non poteſt vendi jus ad fructus percipiendos. Quod poſtquam emptus eſt cenſus, res ipſi ſubjecta pereat vel ex parte, vel in totum, ſine culpa cenſuarii, tunc vel in totum, vel ex parte ceſſat cenſus, ut explicabitur infra; nam pereunte re, pereunt etiam fructus: *Anton. a Sp. S. de Juſt. & jur. tract. 10. diſp. 18. n. 903., Cenc. de Cenſ. p. 3. c. 1. q. eſt. 1. art. 1. num. 16.* Si vero ſolum fiat ſterilis aliquo anno, tunc non ceſſat obligatio ad penſiones ſolvendas, quoties ubertas annorum antecedentium, vel ſubſequentium compenſet talem ſterilitatem: *Anton. loc. cit.* Tertium eſt, ut res, quæ cenſui ſubjicitur, ſit ſub plenodominio vendentis cenſum; nam ſi vel non habeat ipſius directum dominium, vel non habeat utile, conſtat non poſſe ſuper ipſam imponere, ſeu tradere alteri jus ex ea annuas penſiones exigendi: *Anton. numer. 902.* Ultimum eſt, ut pretium ſit juſtum, & illud juſtum cenſetur, quod eſt juxta legem; vel legitimam conſuetudinem, vel arbitrium prudentum. Item juſtitia pretii expoſcit, ut ſi apponatur vel cenſuario, vel cenſualiſtæ aliquod gravamen præter naturam cenſus, iſtud gravamen compenſetur.

Q. IV. Quæ conditiones jure poſitivo ad cenſum requirantur.

R. I. Cum S. Pontifex Pius V. in ſua Bulla quæ incipit: *Cum onus Apoſtolicæ ſervitutis &c.* aliqua addiderit obſervanda in creatione cenſuum iis, quæ decreverunt Martinus V. & Calixtus III., ideo Theologi & Canoniſtæ toti ſunt in examinandis conditionibus cenſus, quæ ſtatuit iſte Pontifex. Prima igitur conditio eſt, ut cenſus non poſſit creari, & conſtitui niſi ſuper re immobili & fructifera, vel quæ habeatur pro immobili; & inſuper quod ſit certis finibus deſignata.

Vi hujus conditionis ſtatim apparet jure Pontificio damnari cenſum perſonalem, cum perſona non ſit res immobilis. An vero etiam illicitum ſit jure naturæ, controvertunt DD. Meo videri jure naturæ poteſt ſuſtineri, ſicut enim licite in cenſu reali emitur jus ad annuam penſionem ex aliqua re fructifera percipienda, ita videtur licite emi poſſe in cenſu perſonali jus ad annuam penſionem percipiendam ex emolumentis provenientibus ex alterius artificio, labore &c.: *Palaus diſp. 6. p. 11. num. 2. Anton. a Sp. S. d. 18. num. 894.* Merito nihilominus fuit a S. Pontifice prohibitus ſaltem propter præſumptionem uſurarum; nam facillime cenſualiſta exigeret penſiones, etſi cenſuarius ob infirmitatem, vel aliam juſtam cauſam non potuiſſet lucrari. Præterea moriente Cenſuario Cenſualiſta fundum, ſeu cenſum non periiſſe prætenderet; quid autem dediſſet, ut ſalvum ſemper eſſet ſuum capitale? facile ergo ſub nomine cenſus ſurum mutuum palliaretur: *Molin. diſp. 387. Roſignol. contr. 8. prænot. 13.*

Pro re immobili, ſuper qua creari poſſit cenſus, veniunt etiam jus, ſeu redditus perpetui, quos quis e. g. poteſt detrahere ex aliqua gabella, piſcatione &c. nam hæc & ſimilia inter immobilia computantur. Si vero hujuſmodi jus ſeu redditus non ſint perpetui, tunc ſolum poteſt ſuper illis conſtitui cenſus, quoties addatur obligatio, ut ſi vendantur talia jura, venditor teneatur emere rem æquivalentem, quæ remaneat hypothecata pro fundo cenſus: *Pal. diſp. 6. part. 16. Roſignol. prænot. 21. ſect. 1. numer. 7.* Cum hac conditione unus cenſus poteſt conſtitui ſuper alio cenſu æquali, vel majori; nam ex una parte cenſus inter mobilia computantur, & ex alia, ſi cenſus, ſuper quo ſecundus cenſus eſſet fundatus, a venditore redimeretur, adeſſet obligatio ex ea pecunia alium cenſum conſtituendi, vel emendi rem fructiferam, & ita ſemper remaneret fundamentum ſecundi cenſus: *Pal. citat.*

Ita etiam debet eſſe fructifera res cenſui ſubjecta, ut fructus, qui ex ea percipiuntur, deductis expenſis, ſint ſufficientes ad penſionem ſolvendam. Dixi, deductis expenſis; nam fructus cenſentur illi, qui ſuperſunt iiſdem expenſis detractis: *Roſign. præn. 21. ſect. 2. num. 10.*

Denique cum dicitur rem cenſui ſubjectam debere eſſe certis finibus deſignatam, excluditur, & prohibetur fundari cenſum in bonis deſignatis in genere; ut ſi quis in fundatione cenſus diceret ſe eum fundare in bonis ſuis. Non eſt nihilominus neceſſe, ut fundus qui ſubjicitur cenſui, deſignetur in individuo, ut quando exprimitur fundus exiſtens in tali lococum ſuis individualibus finibus, ſed ſatis eſt, ſi deſignetur in ſpecie, ut ſi venditor cenſus diceret ſe illum conſtituere in fundis ſuis exiſtentibus in tali via, ſeu villa; nam ex expreſſione loci ſatis conſtat ſuper quibus fundis conſtitutus ſit cenſus. Hanc deſignationem fundi in ſpecie ſufficere ad conſtituendum cenſum, plories decidit S. Rota Romana, ut apud Clericatum *in deciſ. Miſcel. deciſ. 73. n. 8.*

Si vero poſtquam deſignatus eſt in ſpecie fundus, ſeu fundi, ſuper quibus conſtitutus eſt cenſus, & quibus pereuntibus pereat cenſus, velit addere emptor generalem obligationem ſuper omnia bona venditoris, non pro fundamento cenſus, ſed pro majori ſecuritate, ut ſibi ſolvantur penſiones, id ut de ſe conſtat, non officit validæ conſtitutionis cenſus; ſicut neque obſtaret, ſi emptor ob majorem ſecuritatem, ut ſibi penſiones ſolverentur, vel ne res cenſita eſſet anteriori cenſui ſubjecta, expoſceret fidejuſſorem: *Pal. diſp. 6. p. 16. num. 5.*

R. II. Secunda conditio eſt, ut cenſus fiat pecunia numerata præſentibus teſtibus, & notario. Vi hujus conditionis ad conſtituendum cenſum non ſufficit, ſi pretium ſolvatur ante inſtrumentum, cum debeat fieri præſentibus teſtibus, & Notario. Item non ſatis eſt, ſi loco pecuniæ tradatur res æquivalens, ut gemma, vel aliæ merces; ſi loco pretii computentur debita cenſuarii; ſi iſte fateatur pretium ſibi eſſe ſolutum &c. Neque etiam ſervaretur hæc conditio, quam exigit S. Pontifex, ſi pecunia, quæ ſolveretur in celebratione inſtrumenti, traderetur a Cenſualiſta Cenſuario cum pacto, ut ſtatim poſt inſtrumentum, illam, vel ejus partem ipſi reſtitueret in extinctionem alicujus debiti, vel ut loco pecuniæ reſtitutæ aliquas merces recipiat; id enim fieret in fraudem legis, nec cenſetur pretium ſolutum, quod ſtatim redditur, & recuperatur: *leg. qui ſic ſolvit ff. de ſolut., Bonac. q. 4. num. 21., Anton. a Spir. S. diſ. 18, numer. 908.*

Bene vero ſufficeret ad conſtitutionem cenſus, ſi in celebratione inſtrumenti traderetur cedula bancharia, ex qua menſa bancharia debitrix fieret; nam S. Pontifex in ſua Bulla declaratoria Conſtitutionis circa cenſum *§. Denique* dicit id æquivalere numerationi. Id autem verum non eſt, ſi ſolum traderetur mandatum ad exigendum ab aliqua menſa bancharia, quia poteſt ibi non eſſe pecunia, vel potuit præventive exigi ab eo, qui tradidit mandatum: *Dnar. de cenſ. §. 1. quæſt. 1. nu. 233.* & communiter. Item ex eadem Bulla declaratoria validus eſt abſque numeratione pecuniæ cenſus creatus ex credito dotali: *Cenc. de cenſ. qu. 48. num. 13.*

R. II. In emptione cenſus prohibantur fieri antici-
paræ ſolutiones & conventiones, ob quas qois tenea-
tur de caſibus fortuitis, ad quos non tenetur ex na-
tura contractus, ſicut & prohibetur fieri pactum au-
ferens cenſuario facultatem rem cenſitam alienandi
&c. Non debet igitur cogi cenſuarius ad anticipatas
ſolutiones, ut e. gr. ſolvat penſionem primi anni,
dum celebratur contractus; nam cum tunc nondum
aliquid debeat, neqoe poteſt deduci in pactum, ut
ſolvat anticipate. In iſtis proinde ſolutionibus fa-
ciendis ſtandum eſt conventioni, vel conſuetudini;
nam aliquando pars cenſus ſolvitur in fine ſemeſtris,
aliquando tota ſolvitur in fine anni; *Roſignol. hic ſect. 5,
num. 5.*

Item in cenſu non debent apponi pacta, quibus
venditor de caſibus fortuitis teneatot. Et quidem,
quamvis aliqui dicant ſolum non poſſe obligari, ſi
caſu fortuito pereat res cenſita, ego putarem id ex-
tendendum, etiamſi ex tali caſu res cenſita fieret
ſterilis, vel fructus perirent. Ratio eſt, quia in
cenſu emitur jus percipiendi fructus ex re cenſita,
ſi ergo vel ſterilis evadat, vel pereant fructus caſu
fortuito, non eſt cur venditor teneatur ad ſolven-
dam penſionem; *Molin. diſp. 390. Leſſ. lib. 2. cap. 22.
numer.* 82, Solum teneretur, quando ex abundan-
tia vel præcedentium, vel ſubſequentium annorum
compenſaretur ſterilitas unius, vel alterius anni.

Tertiu, removeri debet in creatione cenſus pactum
de re cenſita non alienanda; cum enim permaneat
ſub dominio cenſuarii tam quoad dominium directum,
quam quoad dominium utile, non poteſt illi adimi
facultas rem cenſitam alienandi; dummodo tamen
tranſeat ad tertium Poſſeſſorem cum obligatione ſol-
vendi penſionem cenſualiſtæ: *Palaus diſt. 6. part. 16,
numer.* 14.

R. IV. Vi Bullæ in emptione & venditione cenſus
etiam ſequentia ſunt obſervanda. Ut ſi cenſuarius vendere
velit rem cenſitam, cenſualiſta aliis præferatur, dum
illam emere velit, & per menſem expectetur. Ut in
celebratione cenſus non fiant pacta, quibus venditor ob
moram non ſolutæ penſionis incidat in pœnam com-
miſſi, ſeo teoeatur ad intereſſe lucri ceſſantis, aot a-
liarum expenſarum. Ut novus non creetur cenſus, vel
angeatur ex penſionibus non ſolutis, aut in futurum
decurrendis.

Debet igitur Cenſualiſta admoneri, ſi velit Domi-
nus vendere rem cenſitam, an ipſe velit eam eme-
re; nam ipſi poteſt eſſe valde incommodum exige-
re cenſum ab alio, qui illam rem emeret. Si ve-
ro non admoneatur, & tempore debito non expe-
ctetur, cum non potuerit ipſi fieri præjudicium per
novum contractum, eo quod haberet jus prælationis,
poteſt rem venditam repetere: *Molin. diſput. 372.,
Bonac. diſp. 3. quæſt. 4 num. 37.* Immo in multo-
rum ſententia etiamſi nolit repetere rem cenſitam,
ob præjudicium ſibi factum poterit in judicio vendi-
torem, & illius hæredes convenire, & ab illis pen-
ſionem exigere: *Bonac. cit., Anton. a Spir. S. diſp.
18. num. 917.* Suppoſito autem quod fuerit monitus,
& noluerit rem cenſitam emere, tunc non poteſt exi-
gere penſiones niſi ab emptore rei cenſitæ, cum pen-
ſiones deducendæ ſint ex fructibus ipſius rei. Et ſi
res cenſita diviſa ſit in plures, debet ab eis exigere
penſiones pro rata fundi acquiſiti. Nec refert magis
incommodum & difficile eſſe Cenſualiſtæ exigere pen-
ſiones a novis emptoribus, ſiquidem hoc ſibi imputa-
re debet, eo quod noluerit rem cenſitam emere, &
ſibi acquirere: *Anton. a Sp. S, num. 916. Roſign. præn,
21. ſect. 7. num. 67.*

Prohibetur deinde pactum de ſolvendo lucrum ceſ-
ſans, ſi Cenſuarius fuerit moroſus in ſolvendo, hoc
eſt, de ſolvendo illud lucrum, qood Cenſualiſta ac-
quiſiviſſet negociatione pecuniæ, ſi Cenſuarius non
fuiſſet moroſus in ſolvendo. Ubi advertendum, quod
licet jure naturæ Debitor teneatur ad compenſandum
damnum lucri ceſſantis, quod ex ſua mora culpabili
patitur Creditor; nihilominus prohibet Pontifex, ne
hoc in pactum deducatur, ne ſub prætextu hujus lucri
Cenſuarius inique a Cenſualiſta opprimatur: *Bon. nu-
mer.* 38.

Cæterum licet Pontifex prohibuerit pacta de com-
penſando lucro ceſſante, quod vertatur circa rem ac-
quirendam, non tamen prohibet pactum de compen-
ſando damno emergente, quod verſatur circa id, quod
jam creditori debetur; unde ſi Cenſuarius, ob non ſo-
lutam tempore debito penſionem cogat Cenſualiſtam ad
carius emendum aliquas merces, ſicut debet hoc da-
mnum jure naturali compenſare, ita & poterit a prin-
cipio hæc compenſatio in pactum deduci. Idem dicas,
ſi eo quod Cenſuarius non ſolverit tempore debito pen-
ſionem e. g. tritici, obligaverit Cenſualiſtam ad ven-
dendum poſtea vilius, hoc enim lucrum ceſſans coin-
cidit cum damno emergente, qood etiam ſolvi debet
ſine pacto. *l. ſterilis §. Per venditionem ff. de action. empt.*
Pontifex proinde loquitur de lucro ceſſante extrinſeco,
quod acquiritur per negociationem; *Conc. de Conſ. p. 2.
c. 1. q. 3. art. 5.*

Prohibetur itidem a Pontifice in cenſu conſignativo
pactum amittendi rem cenſitam, aut partem illius, ſi
non ſolvantur penſiones, & id ad removendam viam
cuicumque injuſtitiæ, Cæterum in cenſu reſervativo u-
nuſquiſque poteſt repetere fundum, ſi ille, cui datus
eſt ſub onere ſolvendi annuam penſionem, renuat illam
ſolvere.

Voluit pariter Pontifex ex penſionibus decurſis non ſo-
lutis augere non poſſe cenſum. Id qoidem jure naturæ
non eſt prohibitum; attamen id prohibuit S. Pontifex,
tum quia ad removendas fraudes jam ſtatuerat non
poſſe creari cenſus, ni pecunia fuerit numerata coram
Notario & Teſtibus; tum qoia noluit Cenſuarium no-
vis cenſibus opprimi & in paupertatem redigi; *Bonac.
d. 3. qu. 4. num. 39.* Secus eſſet, ſi poſtquam Cenſua-
rius penſiones ſolvit ſine fraude, Cenſualiſta ex eis
novum crearet cenſum, etiam ſuper re jam cenſita, dum-
modo ſit capax novi cenſus, ſive novi augmenti: *Bon.
loc. cit.* Cæterum non poſſe augeri cenſum ex penſio-
nibus decurrendis, conſtat etiam ex jure naturæ, quia
nondum ſunt debitæ.

R. V. Prædictis in creatione cenſus S. Pontifex ſe-
quentia addidit obſervanda. Primo, ſi pereat res cen-
ſita, vel reddatur infructuoſa, & ſterilis in totum, vel
in partem, debeat perire cenſus in totum, vel in par-
tem. Secundo, ut onera & ſolutiones in creatione cen-
ſus ſpectent ad eum, ad quem alias de jure, & ca na-
tura contractus ſpectarent. Tertio, quocumque tempo-
re, & eodem pretio ſit redimibilis ex parte venditoris,
non obſtante quacumqoe præſcriptione etiam longiſſi-
mi temporis. Quarto, quando Cenſuarius vult ex-
tinguere cenſum debet per duos menſes antecedentes
monere Cenſualiſtam, ſeu Cenſitorem, ut poterim ſibi
poſſit conſulere. Si vero, tranſactis duobus menſibus,
nolit amplius cenſuarius redimere cenſum, licitum erit
cenſualiſtæ ab illo etiam invito intra annum pretium
repetere.

Si res cenſita pereat, vel reddatur ſterilis omnino,
perire etiam debet cenſus; nam cum cenſus nihil aliud
ſit, quam jus percipiendi penſiones ex fructibus rei cen-
ſitæ, conſtat tale jus ceſſare, quoties vel res non am-
plius extet, vel reddita ſit infructifera. Notare etiam
oportet, ot ſupra innui, ſterilitatem unius, vel alte-
rius anni non præjudicare Cenſualiſtæ, ſemper cum com-
penſatur ubertate anoorum antecedentium, vel ſubſe-
quentium: *Bonac. diſp. 3. qu. 4. p. unic. n. 27. Conc. part. 3.
cap. 1. q. 2. n. 9.* Dicitur proinde res infructuoſa reddi,
quoties vel in perpetuum, vel ad plures annos ſit im-
potens ad fructus ferendos. Quod ſi res cenſita non pe-
reat in totum, ſed in partem, tunc ſi pars quæ reman-
ſit, non eſt capax producendi fructus ſufficientes pro
penſione ſolvenda, cenſus diminuendus eſt pro rata. Si
vero ex fructibus partis, quæ remanſit, poſſit integre
ſolvi cenſus, tunc non eſt locus diminutioni, cum o-
mnes partes rei cenſitæ ſint in ſolidum obligatæ inte-
græ penſioni, & ita ſervatur etiam in foro externo:
Roſig. ſect. 11. n. 8., Duard. de Cenſ. §. 5. qu. 2. Advertere
etiam eſt, quod ſi res cenſita vel in totum, vel in
partem pereat culpa cenſuarii, tunc quamvis pereat
cenſus vel in totum, vel in partem juxta ſuperius tra-
dita, nihilominus tenetur de omni damno & intereſſe,
quod evenit Cenſualiſtæ, & tenetur conſtituere cen-
ſum in alia re immobili & fructifera; *Leſſ. lib. 2. cap. 22.
n. 88., Bonac. n. 28.*

Notandum etiam eſt aliquando rem cenſitam, ut
domum & Molendinom, reparari ſolum ſucceſſive
per partes, aliquando, dum nempe ſimul totum pe-
rit, reædificatur in eodem loco, & ex eadem ma-
teria. In primo caſu, cum intelligatur perſe-
vera-

Digitized by Google

vetare eadem domus, ſeu Molendinum, nunquam intelligitur cenſus perire. In ſecundo caſu cenſus [omnino perit; nam domus reædificata non eſt eadem ac præcedens, & coaſtar etiam *argum. l. quid tamen ff. quibus modis uſufruct. amitt. Mol. d. 394. Roſig. num. 99.*

Inſuper in creatione cenſus onera ſolvenda ſunt ab iis, ad quos de jure pertinent; unde gabella ſolvenda eſt ab eo, a quo vi legis ſolvenda eſt. Quod ſi gabella impoſita ſit ſuper fundo cenſito, & fructibus ex eo percipiendis, cum venditor remaneat Dominus fundi, ipſe tenetur ſolvere gabellam; e contra vero ſi impoſita ſit ſuper ipſo contractu cenſus, tunc ſolutio pertinet ad emptorem, neque poteſt addi pactum, quo ad venditorem pertineat: *Bonac. d. 3. q. 4. p. unic. n. 30. Roſig. præn. 21. ſect. 7. n. 93.*

Additur cenſum ſemper debere poſſe redimi a venditore. Et quidem id eſt juxta naturam hujus contractus; nam cum loquamur de cenſu conſignativo, loquimur de cenſu, in quo res cenſita remanet penes venditorem quoad dominium directum & utile; unde debet poſſe liberare ſuum fundum a quocumque onere. Verum tamen eſt, non deeſſe Theologos, qui velint per Bullam S. Pii V. non improbari cenſus perpetuos irredimibiles, quoties emantur majori pretio, quam cenſus redimibiles; videtur enim ipſis ceſſare in cenſibus perpetuis omne periculum uſuræ; quod intendit removere S. Pontifex. Nihilominus magis conforme videtur menti S. Pontificis ſolum admittendos eſſe cenſus redimibiles, ſi bene perpendatur litera Bullæ.

Debet pariter venditor poſſe redimere cenſum eodem pretio, quo venditi fuerunt. Quod ſi cenſuarius nolit, ſeu non poſſit redimere totum cenſum, poteſt illum redimere per partes, & ita diminuere penſionem pro rata, ſicut pereunte re cenſita pro rata, pars cenſus extinguitur. Puto tamen cenſitorem ſive cenſualiſtam non teneri recipere partem pretii, quæ ſit minor quarta parte; ſi cenſus etenim, ordinaria loquendo, extinguatur partibus minoribus, cenſualiſta grave ſubit damnum; neque enim multoties poteſt applicare negotiationi, vel alteri juſto lucro exiguam partem pecuniæ: *Molin. diſpar. 393. Anton. a Sp. S. diſp. 38. num. 922. Bonac. d. 3. q. 4. p. unic. num. 40.* Si vero cenſus eſſet tam magnus, ut neque quarta, neque decima ipſius pars eſſet tam exigua, quin poſſet cenſualiſta illam commode negotiationi, vel alii lucris applicare, tunc exceptionem pateretur doctrina, quam tradidi. Quod dictum eſt de monitione facienda a cenſuario per duos menſes antecedentes, & de facultate cenſualiſtæ cogendi intra annum cenſuarium ad redimendum cenſum, ſi non amplius velit redimere tranſactis duobus menſibus, de ſe clarum eſt; ſolum adverto poſſe cenſualiſtam exigere etiam penſionem correſpondentem illis duobus menſibus, cum id videatur diſpoſitum in favorem cenſualiſtæ, ut interim deliberet quid facturus ſit de ſua pecunia.

R. VI. Denique vult S. Pontifex, ne venditor cenſus ex quacumque alia cauſa, quam ſupradicta, poſſit cogi ad reſtituendum cenſum: ut quicumque cenſus, celebratus non ſervatis prædictis, habeatur pro uſurario: ut cenſus celebrati poſt ſuam Conſtitutionem non tranſmittantur ad alios contractus oneroſos niſi ſub iiſdem conditionibus, & oneribus quibus fuerunt celebrati, & quod non minuatur, vel augeatur ipſorum pretium.

Primo ergo, non licet Cenſualiſtæ cogere cenſuarium ad redimendum cenſum, niſi in caſu ſupra explicato, ſcilicet quando poſt factam denuntiationem, tranſacto bimeſtri cenſum non redimit.

Omnes cenſus poſt Conſtitutionem creati habendi ſunt ut fœneratitii, ſi in ipſorum creatione non fuerint ſervatæ omnes hucuſque explicatæ conditiones. Diſputant nihilominus Theologi, an illæ conditiones, quæ non ſunt de jure naturæ, non ſolum attendendæ ſint in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ. Et quidem probabilius videtur hanc Bullam fuiſſe præceptivam, & etiam pro foro conſcientiæ latam, cum per illam voluerit S. Pontifex animarum ſaluti conſulere. Nihilominus non deſunt Theologi, qui aſſerant eas conditiones in ea præſcriptas, & quæ non exiguntur a jure naturæ, ſolum adinventas eſſe ad fraudes evitandas; ac proinde, dum abſint fraudes, contractum non poſſe dici invalidum & uſurarium in foro conſcientiæ, eo quod non ſervatæ fuerint præfatæ conditiones, cum præſumptio cedere debeat veritati. *Molin. diſp. 392. Anton. a Sp. S. num. 925. Roſig. prænot. 21. ſect. 22. num. 118.* aliique plures.

Quoad ultimum, quod præſcribit Pontifex, ut ſcilicet cenſus ad alios tranſmittantur iiſdem conditionibus, quibus primo fuit creatus, intelligi debet de tranſmiſſione per venditionem, aut alium contractum oneroſum, non vero de tranſmiſſione per contractum gratuitum, puta donationis, hæreditatis &c. nam tunc Dominus cenſus poteſt illum alteri donare &c. additis oneribus ſibi bene viſis.

Item dum vult Pontifex non poſſe cenſus jam conſtitutos vendi majori pretio, nec emi minori ac fuerunt primo conſtituti, non eſt intelligendum voluiſſe excludere veritatem pretii quando cenſus factus fuit periculoſus, vel difficilis exactionis; nam tunc communiter minoris venduntur, & certum eſt in his aliiſque ſimilibus caſibus poſſe per epikejam Bullam interpretari, cum ex diverſis circumſtantiis cenſuum pretium variari poſſit: *Palaus tr. 32. d. 6. p. 26. num. 30.*

Regulæ in praxi obſervandæ,

I. Prima regula ſit perperam præſumi a Notariis obſervari Conſtitutionem S. Pii V. in creatione cenſuum, quoties contenti ſint emptorem, ſeu cenſualiſtam oſtendere crumenam nummorum, abſque eo quod coram teſtibus numerentur, & conſignentur Cenſuario. Multoties nummi contenti in crumena non ſunt cenſualiſtæ, ſeu emptoris, ſed ipſos pro illo tempora obtinuit ab Amico ad oſtentationem pecuniæ neceſſariæ pro creatione cenſus. Ut plurimum etiam non adæquant ſummam neceſſariam pro creatione cenſus. Tandem non dantur Cenſuario niſi ut ſtatim ipſos reſtituat. Hoc igitur quod fere ſemper in praxi ſervatur, non eſt niſi eludere Pontificiam Conſtitutionem.

II. Generaliter obſervare debent Confeſſarii, quod licet ante creationem cenſus debeant quantum fieri poteſt curare, ut omnino ſervetur Pontificia Conſtitutio, poſt cenſum creatum non ſtatim debent illum ut fœneratitium condemnare, eo quod aliqua in Conſtitutione contenta non fuerint obſervata, dummodo ſervata fuerint, quæ ſunt de jure naturæ. Ut vidimus, probabile eſt pro foro conſcientiæ non eſſe neceſſario attendenda quæ ſolum ſunt de jure Pontificio ſemper cum abeſt fraus & dolus. Conditiones autem, quæ de jure naturæ ad conſtituendum cenſum requiruntur, commode reducuntur ad ſequentes. Primo, ut ſuppoſita ſincera voluntate emendi & vendendi jus ad fructus percipiendos, ſervetur inter pretium & cenſum æqualitas. Porro cum emptor cenſus emat non rem cenſitam, ſed jus ex ea percipiendi annuos fructus, illud erit juſtum pretium cenſus, quo ex communi conſuetudine reputatur emi poſſe tale jus, e. g. ad tot nummos aureos, ad tot ſextaria frumenti. Verum tamen eſt rem cenſitam debere poſſe reddere fructus, ad quos percipiendos emptor jus emit; futiliter enim emeret jus ad percipienda e. g. 8. ſextaria frumenti ex aliquo prædio, ſi tale frumentum ex eo coli non poſſit. Secundo, ſi apponantur hinc inde gravamina præter naturam contractus, compenſanda ſunt arbitrio prudentis. Dixi, gravamina, ſeu pacta præter naturam contractus; nam clarum eſt non poſſe apponi pacta deſtructiva ipſius contractus.

Hinc pro praxi quamplura inferet Confeſſarius. Primo, non ſtatim damnandum eſſe cenſum ſine fraude creatum non pecunia, ſed mercibus, ſeu pecunia antea debita; ſicut etiam ſi auctum fuerit penſionibus non ſolutis. Secundo, idem dicendum eſt, ſi cenſus non creatus fuerit coram Notario & Teſtibus, ſed per ſcripturam privatam. Tertio, jure naturæ videtur licitum in cenſibus pactum, ut ſi venditor non redimat cenſum intra aliquos annos, iis elapſis, ſit ex parte ipſius irredimibilis; ſicut etiam ut non poſſit illum redimere niſi poſt aliquos annos: oportet tamen compenſari hæc gravamina impoſita venditori, vel augendo pretium cenſus, vel penſio-

nes mituendo. Quarto, quamvis multa ſuſpicio uſuræ ſit, ſi apponatur pactum ut venditor teneatur redimere cenſum, quoties voluerit emptor, nihilominus ſi revera ſub nomine cenſus non palliatum fuerit mutuum, non improbabile eſt de jure naturæ poſſe tale pactum ſuſtineri. Sicut enim ſi poſt creatum cenſum, emptor faceret alium contractum cum venditore, quo obligaretur ad eundem redimendum ad nutum emptoris, diminuta pro hoc novo gravamine penſione, non videretur hic novus contractus damnandus ut injuſtus, cur non poſſunt hoc pactum apponere in ipſo contractu creationis cenſus? Certe DD. & jus permittunt ſimul plures licitos contractus exercere: *cap. un. de commod. leg. 1. ff. de depoſito*. Quinto, non videtur contra naturam contractus cenſus pactum de ſolvenda penſione, etſi pereat res illi ſubjecta, dummodo hoc onus venditori impoſitum compenſetur vel augmento pretii, vel diminutione penſionis. Ratio eſt, quia ſicut emptor cenſus poſſet cum alio facere contractum aſſecurationis, ut ſcilicet iſte teneatur ipſi ſolvere penſiones, ſi res cenſita pereat, cur & non poterit idem facere cum venditore ceuſus, dummodo illi det quantum alteri traderet pro penſionum aſsecuratione? Certe non video diſparitatem.

Sextu, ſuſtineri poteſt, attento jure naturæ, pactum, quo, ſi non ſolvatur penſio, res cenſita cadat in commiſſum, dum hoc onus venditori impoſitum compenſetur. Oportet tamen Cenſuarium culpa ſua penſionem non ſolvere, & pœnam eſse culpæ proportionatam, irrationabile enim eſset ſi pro non ſoluta penſione e. gr. 20. aureorum, ad quam percipiendam emptum fuiſset jus quingentis aureis, deberet cadere in commiſsum prædium valoris 1000. aureorum cenſui ſubjectum. Septimo, ſuſtineri poſſet pactum, ut cenſus totus ſimul redimatur; nec deſunt DD. qui affirment id contrarium non eſſe Conſtituti Sancti Pii. Et de facto, ſicut qui emit cum pacto retrovenditionis non poteſt cogi ad reſtituendam rem emptam venditori, ni iſti totum reſtituat pretium, ita & dicendum ſimile pactum in cenſibus non eſse illicitum. Imo neque hoc pactum videtur compenſandum venditori cenſus, cum omnino æquum ſit, ut qui vult redimere rem, quam vendidit, ſicut totum habuit pretium in vendendo, ita & totum reſtituat in redimendo. Octavo, non eſt contra jus naturæ pactum de reſcindendo contractu, ſi cenſuarius per duos vel tres annos non ſolvat penſionea; nam jus naturale dictat, ut qui non ſervare vult obligationem ſolvendi, quam aliquis emit ſua pecunia, eandem pecuniam debeat reſtituere illi, qui emit hujuſmodi obligationem.

Omnia præfata non adverſari juri naturæ in creatione cenſus paſſim Theologi ſuſtinent; & cum ex alia parte non pauci dicant Bullam S. Pii ſolummodo pro foro externo valere; non ſtatim ac Confeſsarii adinveniunt in creatione cenſus aliquid, quod non apparet ſecundum dictam Bullam, judicare debent contractus eſse nullos, penſiones perceptas eſse reſtituendas &c.

III. Advertere etiam debet Confeſsarius quandoque creati cenſus ſuper aliquo ſundo, cujus fructus obligati ſunt anterioribus Cenſualiſtis. In tali caſu utique emptor ſecundi cenſus non poteſt ex vi ejuſdem aliquid exigere, ſi fructus fundi cenſiti non ſint adeo pingues, ut ſufficientes ſint pro primo, & pro ſecundo cenſu. Ex his videat Confeſsarius, quod ſi emptor ſecundi cenſus poſtea ſciat fundum jam alteri cenſui fuiſse obligatum, & non ſupereſse fructus pro ſolvendo novo cenſu, non poteſt aliquid vi ipſius percipere, utpote quia ſecundus cenſus nulliter fuit emptus. Et hoc verum eſt, etiamſi venditor pro ſolutione obligaſset etiam fructus aliorum prædiorum; nam hoc non efficit quin cenſus nulliter fuiſset emptus, cum fructus aliorum prædiorum non habeantur pro fundo cenſus, ſed ſolum pro majori ſecuritate percipiendi penſiones. Quomodo ergo ſe gerere debet Confeſsarius cum eo, qui plures penſiones exegit ex cenſu nulliter empto?

Si mala fide percepit, debet omnes reſtituere. Si bona fide, ſolummodo id, in quo factus eſt ditior; vel etiam nihil, ſi ex cenſu bona fide male empto paſsus eſt damnum, vel lucrum ceſsans, quæ reputentur æquare id, quod percepit, nam venditor doloſus tenetur ad damna & intereſse.

IV. Aliam rem ſubjicio conſiderationi Confeſsariorum. Dantur e. gr. quidam antiqui cenſus, ex quibus hæredes venditoris adhuc ſolvunt quinque, ſex, vel etiam ſeptem pro quolibet centenario hæredibus emptoris. Talium cenſuum penſiones neſcio videre quomodo non ſint injuſtæ; nam dum creati fuerunt tales cenſus, frumentum, vinum &c. multo majori pretio vendebantur, unde bene concipi poteſt rem cenſitam tunc produxiſse fructus correſpondentes penſionibus cenſus; at cum modo fructus quaſi pro medietate in pretio decreverint, difficile eſt rem cenſitam producere fructus correſpondentes talibus penſionibus; & ſi fructus tantam penſionem non adæquant, quomodo Cenſualiſtæ poſſunt illam recipere?

CAPUT II.

De Cenſu Vitalitio.

Q. I. Quid ſit cenſus Vitalitius.

R. Cenſus vitalitius non eſt jus percipiendi penſionem ex re fructifera, quo pacto de cenſu huc uſque loquuti ſumus, ſed bene reducitur ad contractum ſortis, ſeu aleæ. Hinc aliqui illum explicant, quaſi ſit quædam ſponſio, qua vendens dicat emptorem non tandiu victurum, ut annue accipiendo aliquam penſionem, recepturus ſit totam ſummam; e contra vero emptor ſpondeat ſe tandiu & etiam diutius victurum. Juſtitia igitur hujus contractus conſiſtit in hoc, ut æquale ſit periculum lucri & damni, qua æqualitate poſita, nemo dubitat eſſe licitum; & de hoc cenſu non loquuntur Pontificiæ Conſtitutiones.

Quamvis ordinarie loquendo, erectur iſte cenſus duraturus ad vitam emptoris, nihilominus creari etiam poteſt duraturus ad vitam venditoris. Neque obſtat ex cenſu duraturo ad vitam emptoris dari occaſionem optandæ ipſius mortis, quod utrumque Jus abhorret, ut videre eſt *cap. diſpendia, &c. ne captanda extr. de compeſs. præb. & l. ſtipulatio hoc modo concepta ff. de verb. oblig.* nam hoc per accidens eſt, & non ex natura contractus. Et quidem ſi id debret ſemper attendi, deberet etiam non admitti ſucceſſio Filiorum in paternam hæreditatem; nam ad eam obtinendam poſſunt illius mortem optare: ſicut proprietarius mortem uſufructuarii, & Fideicommiſſarius mortem hæredis gravati.

Q. II. Quale ſit juſtum pretium in cenſu vitalitio.

R. Non pauci in taxando pretio cenſus vitalitii aſſignant regulam ſequentem. Volunt attendendos eſſe annos, ad quos moraliter, attentis omnibus circumſtantiis Perſonæ, de qua agitur, pervenire poteſt illius vita. Demus e. gr. poſſe adhuc vivere 20. annos, dicunt ſumendam eſſe medietatem ipſorum annorum, & ita regulandas eſſe penſiones, ut illo tempore adæquent pretium cenſus. Secundum hanc doctrinam, ſi dem 100. aureos ad cenſum vitalitium illi, qui judicatur adhuc vivere poſſe annos 20. potero exigere 10. ſingulis annis. Hanc regulam putant eſſe omnino æquam; nam ſi excedat 10. annos lucrabitur qui emit cenſum; ſi vero ad illos non pertingat, lucrabitur qui vendidit.

Verum hanc regulam non omnino æquam merito alii judicant. Et ratio eſt, quia qui judicatur poſſe vivere 20. annos, facilius eveniet, ſi non ſit infirmæ valetudinis, ut vivat primis 12. aut 15. annis, quam moriatur nondum expletis primis 10. annis, & ita non apparet æqualis ſors lucri, & damni in emente, & vendente. Melius ergo dicunt illi, qui volunt in taxando pretio cenſus vitalitii, attendendum eſſe arbitrium viri prudentis, qui attentis circumſtantiis loci, miniſterii, ætatis, fortitudinis, valetudinis &c. ita taxet pretium, ut videatur eſſe æqua ſpes lucrandi in emente, & vendente cenſum.

Digitized by Google

QUÆSTIO VI.

De Locato, & Condocto.

CAPUT I.

De Natura Conductionis, & Locationis; de iis qui locare, & conducere, & de rebus, quæ locari, & conduci poſſunt.

Q. I. Quid ſit conductio, & locatio.

R. Definitione communiter accepta conductio poteſt ita definiri: *Contractus bonæ fidei initus ſolo conſenſu, quo præſtatur certum pretium pro aliqua re utenda, vel fruenda, ſeu pro opera alicujus perſonæ.*

Conductio igitur *eſt contractus bonæ fidei*, ut conſtat *ex §. 28. Inſtit. de action.*, & ſolo conſenſu perficitur, ut emptio & venditio: *lib. 1. ff. locati, & conducti.* In hoc antem contractu, ad differentiam Precarii, in quo res ad uſum gratis conceduntur, intervenit pretium certum, & determinatum: *§. 1. Inſtit. de locat. & cond.* Diſputant autem DD. an hoc pretium debeat conſiſtere in pecunia numerata, ut videtur dici *§. 2. Inſtit. de locat. & cond. leg. naturali 5. §. Et cum ff. de præſcrip.*, vel etiam conſiſtere poſſit io aliis rebus, præſertim fungibilibus, ſicut inooitur *leg. & hoc 35. in fin. ff. de locat. & cond. & leg. olei 21. Cod. eod.* Ad conciliandas autem bas leges, dicunt DD. in locatione & conductione ſtricte ſumpta, pretium conſiſtere debere io pecunia numerata, non vero ſi large ſumantur, & ita locantur greges ea conditione, ut conductor det lanam, caſeum &c., & prædia pro certa quantitate frumenti &c.

Additur in allata definitione, *pro aliqua re utenda, vel fruenda*; quamvis enim io emptione & venditione alienetur dominium directum rei, in locatione & conductione ſolum transfertur oſus rei, ut quando locatur domus, equus &c., vel ſolum fructus, ut quando locantur prædia, vineæ &c. Dicitur deniqoe, *ſeu pro opera alicujus perſonæ*, nam etiam operæ & labores perſonarum conducuntur, ut patet in famulis, Artificibus &c.

Quamvis autem hic contractos modo locatio, modo conductio appellatur promiſcue, revera tamen ſortiunt hæc nomina ſecundum diverſas conſiderationes. Quando datur aliqua res utenda, vel fruenda pro pretio, vel mercede, intervenit *Locatio*, & perſona eam dans dicitur *Locator*. Quando vero datur pretium pro re utenda, vel fruenda dicitur *Conductio*, & perſona illud dans dicitur *Conductor*. Speciali nomine conductor prædii urbani, vel domus dicitur *Inquilinus*; ſicut vocatur *Colonus* Condoctor prædii ruſtici. Conductor vero Gabellarom vocarot *Publicanus*. Hæc omnia patent ex diverſis juribus, quæ ſuperfluum eſt citare.

Q. II. Quinam poſſint locare, & conducere,

R. Omnes locare poſſunt, ſi non ſint a jure prohibiti. Quod omnes poſſint locare, & conducere, patet, quia cum hic contractus ſit de jure Gentium, unicuique conceſſum intelligitur illum inire, ſi non expreſſe prohibeatur, juxta gloſſam *in cap. inter corporalia v. non intervenitur de translat. Epiſcop.* Olim milites, & curiales prohibebantur conducere prædia, ne primi diſtraherentur a militia, & ſecundi a ſuis obligationibus. Quid vero dicendum ſit de Clericis, jam explicatum eſt dum egi de negociatione. Pariter lex arrebat a conducendis vectigalibus, & prædiis fiſcalibus Tutores & Curatores, uſquedum non reddiderint rationem tutelæ, vel curæ: *arg. leg. un. Cod. ne Tutor vel Curator.* Denique rejiciuntur a conducendis domibus vicinis ſcholis Publicis exercentes artem ſtrepitoſam, ne ſtudiis addicti a tali ſtrepitu impediantur: *arg. l. un. C. de liber. ſtud.* Idem dicunt de talibus Artificibus, volentibus conducere domos vicinas Monaſteriis: *arg. can. pridem 7. cauſ. 18. qu. 2.* In his tamen puto ſtandum eſſe conſoetudini.

Q. III. Quænam poſſint locari, & conduci.

R. Præſcindeodo a ſpeciali prohibitione, omnia, quæ poſſunt vendi, vel emi, poſſunt locari & condoci, ſive ſint propria, ſive aliena. Ita communiter docent DD. *in leg. 1. ff. locati.* Dixi, *ſive ſint propria, ſive aliena*, & ita uſufructuarius licite & valide rem uſufructuariam alteri locat: *leg. arboribus 12. §. 2. ff. de uſufr.* ſicut etiam conductor poteſt rem a ſe conductam alteri æque idoneo locare: *leg. ſi ſibi alienam 7. ff. locati*, niſi tamen aliter conventum fuerit. Hic tamen obſervandum, quod ſi uſufructuarius alteri locet rem uſufructuariam, & poſtea ipſe moriatur, antequam expiret tempus locationis, ſicut cum ipſo expirat uſufructus, ita & terminat locatio ab ipſo facta. Hinc hæres Defuncti non tenetur attendere locationem ab eo factam, ſed ſolum tenetur dare conductori mercedem pro rata temporis &c. *leg. ſi quis 9. §. 1. ff. de locat. & cond.*

Obſervandum etiam, quod ſi quis locet rem prorſus alienam, in qua ſcilicet oec habet dominium utile, nec uſum, ſi talis res a domino evincatur, Locator debet reſundere pretiom, & quantum intereſt conductoris, non poſſe re conducta frui: *leg. nos videamus ff. de locat. & cond.* Non tenebitur tamen reſundere pretium, ſi rem æque commodum conductori ſubſtituat: *l. ſi quis 9. ibid.* neque compenſare damna cooductoris, ſi rem alienam locavit ex ignorantia, & bona fide.

Dixi etiam ab initio reſponſionis, præſcindendo a ſpeciali prohibitione, nam jus quædam prohibet locare & conducere. Primo ergo prohibetur locatio ſervitutis prædialis, ſeu realis, uti ſe habet iter, via, & jus paſcendi; ratio eſt, quia locatio importat ut fiat tantum ad tempus, ſecos ſervitutis realis: *leg. ſervitutes 4. ff. de ſervit.* Nulla autem eſt prohibitio locandi ſervitutem perſonalem. Secundo, locari non poſſunt res fungibiles, quæ uſu abſumuntur; ut pecunia, vinum, oleum &c. nam in locatione conceditur oſus rei locatæ eo pacto, ut elapſo tempore locationis, res eadem reſtituatur, quod verificari non poteſt in rebus præſatis, ut de ſe conſtat. Poſſunt nihilominus locari ad pompam & oſtentationem, & pretium locationis accipi: *leg. ſed mihi 3. ff. commodati &c.* Denique prohibentur locari res Eccleſiaſticæ immobiles ultra triennium, ſed de hoc agam in fine hujus Tractatus.

Regulæ in praxi obſervandæ.

In praxi attendendum eſt, multoties illum, qoi aliquam rem ſive mobilem, ſive immobilem ab altero ſibi locatam habet, eaodem alteri iterum locare, ex quo deterior redditur cum præjudicio Domini. Exempla habemus in eo, qui boves ſibi locatos, alteri ad aliquod opus locat, eoſque ob oimium laborem reddit vilioris pretii. Item plora exempla habemus in ruſticis, qui non valentes multa prædia a ſe conducta ſerere, aliis ſublocant; at interim quia iſti brevi tempore talibus prædiis fruendum ſciunt, nullam rationem habent terras ſteriliores reddendi, vites, aliaſque arbores fructiferas, modo quo debent, colendi, &c. Hæc omnia non ſunt licita conductoribus, & tenentur de damno, qood inde Domino evenit; quamvis enim prædia ſibi locata aliis valeant ſublocare, nihilominus iſti debent eſſe æque idonei, & exinde nullum præjodicium debet advenire primo Locatori.

CAPUT II.

De Obligationibus, & Juribus Locatoris; & de obligationibus, & Juribus Conductoris rerum.

Q. I. QUÆ ſint obligationes Locatoris.

R. I. Præſcindendo a particolaribos conventionibus, & conſuetudinibus locorum, quæ omnino ſuot obſervandæ, ſi non contioeant injuſtitiam: *leg. circa locationes 19. ff. locati*, primo locator tenetur tradere conductori rem, ita ut ea uti poſſit juxta modum & tempus conventum: nam ratio dictat adimplendom eſſe contractum, eo modo quo conventum eſt, & habetur *leg. ex conducto 15., leg. ſi in legem 24. ff. locati* & alibi. Advertere tameo eſt diſcrimen, quod intercedit, ſi condoctor noo poſſit frui modo & tempore convento re locata culpa locatoris, aut ſine culpa. Si primum, tenetur ad refundendum pretium, & ſimul

intereſſe conductori; ut ſi injuſte & ante tempus expellat a re locata; ſi dum poterat, non ſubſtulit impedimentum etiam ab alio proveniens, ne conductor fruator re locata; ſi non voluit reficere rem locatam, ita ut aa conductor commode frui valeret &c. Ratio horum omnium eſt, quia tunc injuſte eſt cauſa damnorum conductoris, unde etiam leges in dictis caſibus obligant locatores ad pretium & intereſſe: *leg. cit. ex conducto, leg. ſi in legem, leg. ſi fundus 33., leg. ſi merces 25. ff. de locati* Si vero prædicta accidant ſine culpa locatoris, tenetur tantum ad refundendum pretium pro rata temporis, quo non potuit conductor frui re locata, ut de ſe patet, & conſtat etiam ex *leg. ex conducto cit., l. ſi quis 9. leg. qui inſulam 30. ff. locati*. Quod ſi locator removeret conductorem a locatione non ex neceſſitate, aut alia juſta cauſa, ſed ob ſui majorem utilitatem, commoditatem &c. tunc tenetur ad pretium, & intereſſe: *leg. ſi qui inſulam cit.*

R. II. Altera obligatio locatoris eſt refundere expenſas extraordinarias neceſſarias, vel utiles, eo modo, quo ſtatim dicam, factas a conductore in re locata. Notare ergo oportet, conductorem prædiorum, ſi aliud non ferat conventio & conſuetudo, teneri per ſe facere expenſas ordinarias ut prædia fructificent, & deinde fructus colligantur, hæ autem conſiſtunt in arando, fodiendo, metendo, ſtercorando &c.; ex his enim ſequitur quod ipſe uberiores fructus percipiat. Nihilominus ipſe non tenetur ad expenſas extraordinarias neceſſarias, cum non intelligatur voluiſſe ſe obligare niſi ad id, quod ordinarie eſt neceſſarium: *leg. Dominus 55. §. 1. ff. locati*; hinc eas tenetur refundere locator. Quoad expenſas vero extraordinarias utiles diſtinguendum eſt. Si fuerint moderatæ, locator tenetur eas refundere conductori, etiamſi ſine ejus conſenſu fuerint factæ: *leg. Dominus citat., pand. leg. ſed addes 19. ibid*, quod tamen verificatur, ſi tales expenſæ duraturæ etiam ſint in commodum locatoris poſt tempus locationis, alias ſolveret alterius commodum. Si vero fuerint immodicæ, & valde graves, tunc quamvis locator non teneatur ad eas reſtituendas, quia potius incommodum exinde reportat: *arg. leg. Palam 14. ff. de doli mali except.* nihilominus id regulandum eſt juxta ea, quæ dixi in ſuperiori *Tract. 13. q. 2. cap. 2. quæſt. 5.* Juxta etiam doctrinam ibi traditam regulanda eſt reſtitutio expenſarum, quæ ſunt mere voluntariæ.

Duo tamen hic ſubjungere oportet. Primum, quod ſi locator nolit refundere expenſas in caſibus, quibus tenetur refundere, poteſt conductor velle ſibi ſatisfacere, retinendo rem conductam: *leg. 5. ff. de impenſ. in rem dot.* Secundum eſt, quod ſi vellet ſibi ſatisfacere auferendo a re locata melioramenta, debet cavere ne eandem rem deteriorem reddat: *leg. ſed addes 19. ff. locati*. Item non debet id facere ex rabie & invidia, ut ſi auferendo melioramenta mere voluntaria nullum commodum reportet: quomodo eveniret ſi abraderet picturas, ſi viridarii ornamenta deſtrueret &c. *leg. in fundo 34. ff. de rei vindic.*

R. III. Tertia obligatio locatoris eſt manifeſtare vitia rei locatæ, in quo tamen etiam diſtinguere oportet. Si quis ex ignorantia & bona fide locet alteri rem habentem vitium occultum, ſolum teneretur ad reſtituendum pretium locationis, ſecundum quod ex tali vitio res fieret minus utilis conductori, non vero teneretur ad damna exinde ſequuta, quia non fuiſſet ipſorum cauſa culpabilis. Secus dicendum, ſi culpabiliter locaſſet rem vitioſam, unde damnum paſſus fuiſſet conductor, ut de ſe patet, & habetur etiam *leg. ſed addes 19. ff. locati, & leg. tenetur ff. de action. empti*. In præfata lege *ſed addes* habetur locatorem teneri ad damna, quæ paſſus fuerit conductor, etſi ex ignorantia ipſi locata fuiſſent dolia, & alia vaſa vitioſa. Verum diſpoſitio legis ſolum fundatur in præſumptione, quod ignorantia locatoris fuerit culpabilis; ac proinde, ſuppoſito non fuiſſe graviter culpabilem, non eſt attendenda in foro conſcientiæ: *Bonac. de contr. d. 3. q. 7. p. 2. n. 3.* Solum ergo teneretur ad damna Locator, qui bona fide locaſſet rem vitioſam, quando expreſſe pro non vitioſa locaſſet; tunc enim intelligeretur in ſe ſuſcepiſſe onus damni, quod ex vitio etiam ipſi ignoto poſſet derivare: *leg. tenetur §. Sed ſi vas ff. de act. empti.*

R. IV. Locator tenetur ad onera, & tributa rei locatæ impoſita. Ita communiter DD. ex clara diſpoſitione *leg. Ædiles ſtudeant ff. de v. publ.* Quod ſi talia onera ex particulari conventione ſolvenda ſint a conductore, debet ea ipſe locator compenſare, relinquendo e.g. majorem partem fructuum: *Bonac. nu. 7. Laym. l. 3. tr. 4. c. 22. n. 4.*

Q. II. An locator teneatur remittere mercedem Conductori, vel totam, ſi ſine ſua culpa nullus fructus percipiat ex re locata; vel pro rata, ſi paucos, aut exiguos.

R. I. Locator tenetur modo dicto remittere mercedem. Ratio eſt, quia in rei fructiferæ locatione imponitur merces ad compenſandos fructus percipiendos; unde ſi nulli, vel pauci fructus percipiantur, penſio vel ex toto, vel ex parte remittenda eſt. Ita etiam clariſſime jura diſponunt: *cap. propter ſterilitatem de loc. & cond. leg. ex cond. 15. §. 2., leg. ſi merces 25 ff. locati, & leg. licet C. locati, Leſſ. l. 2. c. 24. numer. 15.*

Difficultas eſt in aſſignando, quando diminutio fructuum, & damnum intelligi debeat notabile, adeoque conſurgat in locatore obligatio remittendi ſaltem ex parte penſionem, cum certum ſit ex modico damno non conſurgere talem obligationem, ut patet ex *leg. ſi merces cit.*, ac pariter ex lege *ex conducto 39. ff. locati*. Quamvis autem hic habeatur non eſſe audiendum illum, qui conqueritur de fructuum exiguitate, certe diſpoſitio hujus legis intelligenda eſt de Colono ſe conquerente de modico damno; nam ſi ibi ſtatutum fuiſſet non audiendum, etiam ſtante in gravi damno, hæc lex aperte contradiceret aliis ſupra citatis; contradictio autem in legibus eſt pro poſſibili vitanda: *cap. cum expediat de elect. in 6.*

Inter diverſitatem autem opinionum, & præſcindendo a particularibus conſuetudinibus locorum, ea opinio videtur magis ad veritatem accedere, quæ aſſerit tunc damnum eſſe grave judicandum, quando deducto ſemine, aliiſque expenſis conductoris, non collegit fructus, qui valeant adæquare dimidiam partem annuæ penſionis. Hoc damnum videtur ex natura ſua grave; & ita etiam leges decidunt graviter damnificatum venditorem, qui deceptus fuit infra dimidium juſti pretii: *Molin. diſp. 495. num. 5.* Bene etiam in hac materia attendi poſſunt conſuetudo, ſeu arbitrium viri prudentis: *Laym. lib. 3. tr. 4. c. 22. n. 7.*

R. II. Dantur aliqui caſus, in quibus conductor tenetur ad totam penſionem, non obſtante gravi damno, quod paſſus fuerit in re locata. Primo, tenetur Conductor ad totam penſionem, non obſtante, quacumque ſterilitate, ſi ita ſpecialiter conventum fuerit, & conductor ſuper ſe ſuſceperit periculum omnis caſus fortuiti, infortunii &c. *leg. ſi quis 9. §. 2. ff. locati*. Ratio eſt, quia tunc ceſſit juri ſuo. Oportet tamen compenſare hoc onus diminutione penſionis, alias daretur inæqualitas inter contrahentes: *Anton. a Sp. S. in direct. Conf. p. 3. d. 21. num. 1006. & ſeqq.* Verum tamen eſt in talibus caſibus non comprehendi caſus omnino inſolitos & extraordinarios, & hi dicuntur, quando accidit aliquid quod nunquam contingit, vel non extat memoria contigiſſe. Unus ex his caſibus fuit exſiccatio olearum, quæ contingit anno 1709. *Molin. diſp. 585. num. 12. Bon. de contr. d. 3. q. 7. par. 3. n. 13.* & communiter Canoniſtæ: *arg. leg. fiſtulas §. Frumenta ff. de contrah. empt.*

Secundo, non tenetur Locator remittere penſionem, ſi ſterilitas unius anni ex abundantia præcedentium, vel ſubſequentium compenſetur: *cap. propter ſterilitatem 3. de locat. & cond., leg. licet 8. C. locati, Molin. cit. Barboſ. in cit. cap. propter num. 18.* Imo ſi ob præteritam ſterilitatem Locator aliquid de penſione conductori remiſit, poteſt ſibi compenſare, quod remiſit, ſi primo, ſecundo, vel tertio, & quarto anno ubertas ſuperveniat: *leg. ex conducto §. 4. ff. locati*. Ex eadem lege colligitur non habere locum remiſſionem, ſi ſterilitas ſit conſueta, vel eveniat ex vitio rei locatæ; nam ſi id cognovit conductor, & tamen voluit talia prædia ſibi locari, ceſſit juri ſuo: *Azorp. 3. l. 8. c. 10. q. 2.*

Tertio, ſi Colonus ſit partiarius, ut ſi e. g. ſolvere debeat pro penſione dimidiam, aut tertiam partem fructuum, non eſt illi diminuenda penſio propter ſterilitatem, quia *quaſi ſocietatis jure damnum*

& lu-

& lucrum cum domino fundi partitur, ut dicitur *leg. ſi merces* 25. *§.* 6. *ff. locati, Molin. d.* 22. *Menoch. conſult.* 669. *num.* 12. *& ſeqq.*

Quarto, non habet locum diminutio penſionis, ſi fructus pereant, quando jam erant a ſolo ſeparati, quia in hoc caſu nil diſponunt jura; & aliunde tales fructus ita ſeparati, cum pleno jure pertineant ad conductorem, & ipſi dicendum eſt perire: *Navar. in Man. cap.* 17. *num.* 187., *Roſign. prav.* 6. *num.* 4. Multo minus diminuenda eſt penſio, ſi ſterilitas, vel damnum proveniant ex culpa conductoris, quia ut dicitur *reg.* 86. *juris in* 6., *Damnum quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare.*

Q. III. Quando Locatori competat jus expellendi conductorem a re locata.

R. Suppono abſque legitima cauſa non poſſe locatorem ante finitam locationem expellere conductorem; nam ita ſe obligavit in contractu locationis, ac proinde ita clare decernitur *leg. Ædes* 3. *& leg. olei* 21. *C. locati*. Hinc ſi expellat illegitime, teneri ad pretium & intereſſe jam ſupra notavi. His ſuppoſitis.

Quatuor ſunt cauſæ, quibus locatori licet expellere conductorem ante finitum tempus locationis, & recenientur *leg. ædes cit. & cap. propter* 3. *de loc. & cond.* Prima eſt, ſi facta locatione ad longum tempus, hoc eſt, ſaltem ad quinquennium, conductor per biennium in ſolidum non ſolverit. Quod ſi in contractu determinetur tempus pro ſolutione totius mercedis, & a conductore non obſervetur, ſtatim expelli poteſt. Si vero facta fuerit ad tempus brevius, ſtatim expelli poteſt, ſi conſtituto tempore non ſolvat, uti docent cum Gloſſa communiter DD. in *cap. propter cit.* Obſervandum etiam, quod ſi penſio integre una vice ſolvenda ſit, non juvat conductorem, quin a re locata expelli poſſit, ſi ſolvat per partes; nam ita ſolvere, non eſt multoties ſine gravi incommodo locatoris: *leg. plane* 3. *ff. famil. Herciſcund. juncta Gloſſa in leg. Ædes v. in ſolidum.*

Secunda cauſa eſt, ſi locator indigeat re locata: *leg. ædes* 3. *cit.* Id tamen intelligendum, ſi talis indigentia, vel neceſſitas non erat, & non poterat prudenter prævideri tempore locationis, nam alias locator ſibi imputare deberet ſi rem ſibi neceſſariam locaſſet; vel ſi aliter ſupervenienti neceſſitati non poſſit providere. Obſervare etiam eſt licere expellere conductorem non ſolum ob propriam neceſſitatem, ſed etiam ob neceſſitatem Patris, & Matris, & filii ipſius locatoris; nam hi jure naturali ſemper præferendi ſunt extraneo, facta ſemper tamen remiſſione mercedis pro rata temporis, quo conductor privatur re locata: *cap. propter ſup. cit. Mol. d.* 499. *a.* 5. *Azor. p.* 3. *l.* 8. *cap.* 10. *Navar. in Man. c.* 17. *a n.* 193.

Tertia cauſa eſt, ſi domus locata indigeat reparatione, quæ alias fieri non poſſit, niſi expulſo conductore. Si tamen aderat talis neceſſitas tempore locationis, & nihilominus locata fuit domus conductori id ignoranti, locator tunc non ſolum tenetur ad diminutionem mercedis pro rata temporis, quam diminutionem ſemper facere debet; ſed etiam ad intereſſe, utpote quia culpabiliter damnificavit conductorem. Facta autem reparatione, poteſt cogi locator ut iterum admittat conductorem ad domum inhabitandam: *Gloſſ. Marg. in leg.* 3. *cit. verſ. cum Inquilinus ff. uti poſſidetis.*

Quarta cauſa eſt, ſi conductor male utatur re locata, vel notabiliter damnificet, vel ea abutatur contra bonos mores, introducendo e. g. in domum lænones, meretrices, fures &c. *Mol. diſp.* 499. *Azor. cit.* In utroque caſu ſi alium inquilinum pro tempore reſiduo habeat, debet remittere priori mercedem pro rata temporis. Secus ſi alium inquilinum non habeat, nam locator non debet ſentire damnum ex culpa conductoris: *Molin. cit.* Item in primo caſu locator habet actionem ex locato contra conductorem, ut ſcilicet omne damnum illatum compenſet, ut de ſe patet, & notat Gloſſa *in cap. propter cit.* Dum autem locator velit ex præfatis cauſis expellere conductorem renuentem exire e Domo conducta, melius erit ſi id faciat Judicis authoritate; quamvis non deſint qui aſſerant etiam propria authoritate id poſſe præſtare.

Q. IV. Quando tacite cenſeatur prorogata locatio.

R. Si locator ſciens eſſe finitam tempus locationis, permittat conductori retinere rem locatam intelligitur prorogata locatio ad illud tempus, quod exigit res locata: *leg. item quæritur §. Qui impleto ff. locati, & leg. qui ad certum ibid.* Idem dicendum, ſi exiſtat lex municipalis, aut conſuetudo, ut conductor certo tempore ante finitam locationem admoneatur, non amplius perſeverare debere in re locata, & non moneatur.

Dixi, *ad illud tempus, quod exigit res locata*; nam cum prædia ruſtica regulariter non ſoleant afferre fructus niſi per annum, per annum ſaltem intelligetur prorogata locatio: *leg. cit. item quæritur*. Hac ratione ſi prædia eſſent talis naturæ, ut non fructificarent niſi intra triennium, pariter ad tale tempus diceretur prorogata locatio. E contra cum locatio domus fructificet de die in diem, & ad ratam temporis, ipſius locatio intelligeretur prorogata ſolum quoadusque unus ex contrahentibus vellet a contractu recedere. Excipe niſi eſſet in tali loco conſuetudo non locandi domos niſi de anno in annum; nam tunc locatio ad annum intelligeretur prorogata. Porro prorogatio intelligitur facta cum iiſdem conditionibus, & pactis primæ conductionis: *Molin. diſp.* 498. *Bonac. d.* 3. *q.* 7. *p.* 2.

Q. V. Quæ ſint obligationes conductoris.

R. I. Præſcindendo modo a particularibus conventionibus, & conſuetudinibus locorum, prima obligatio conductoris eſt ut ſolvat integram penſionem tempore in contractu præfixo, vel juxta conſuetudinem loci; nam in contractu locationis intelligitur talem ſuſcepiſſe obligationem. Si autem tempus non fuit determinatum pro ſolutione facienda, attendendum eſt tempus, quo intelligitur ex parte locatoris contractum eſſe completum; nam tunc ſolum poteſt penſionem exigere: *leg. Julianus §. Offerri ff. de action. empt.* & conductor debet eam ſolvere, cum tunc & ipſi competat ex parte ſua contractum complere *Bon. loc. cit.* Hinc ſi locatio facta fuerit ad tres menſes, vel ad ſex, vel ad annum, poſt hoc tempus eſt ſolvenda penſio, quia tunc intelligitur locator ſatisfeciſſe ſuæ obligationi. Poſt annum pariter ſolvenda eſt, ordinarie loquendo, penſio locationis prædiorum; nam ſolvitur intuitu fructuum, qui non ſolent integre colligi niſi ſaltem intra annum. Nec refert, quidquid aliqui dicant in contrarium, locationem factam fuiſſe ad plures annos, verb. gr. ad novem; quamvis enim etiam tunc non fuerit expreſſa obligatio ſolvendi penſionem ſingulis annis, nihilominus ita revera videtur ſolvenda, cum locatio plurium annorum æquivaleat pluribus locationibus: *Molin. diſp.* 497. *Tamb. lib.* 9. *tr.* 4. *§.* 2.

R. II. Secunda obligatio conductoris eſt, ne utatur re conducta ad alium uſum, quam fuerit conventum in locatione: *leg. qui jumenta* 40. *ff. de furtis*: niſi tamen prudenter præſumat locatorem non eſſe invitum: *leg. qui re* 16. *ibid.* Si proinde quis utatur re conducta contra voluntatem Domini, & ex hoc pereat, vel deterior fiat, conductor tenetur de damno illato, quia fuit cauſa injuſta illius: *Bonac. cit. p.* 3. *num.* 1.

R. III. Tertia obligatio conductoris eſt non deſerere rem conductam, antequam finiat tempus conductionis, ni tamen adſit rationabilis cauſa aliter faciendi: *leg. Dominus* 55. *ff. locati*. Rationabilis etiam cauſa daretur, ſi domus ſpectris infeſtaretur, ſi immineret periculum corruendi &c.

R. IV. Tenetur quarto conductor ita cuſtodire rem conductam, ut quamvis non teneatur de culpa leviſſima, ſi ipſa pereat, vel deterior fiat, teneatur tamen de culpa levi, & lata: *leg. ſi quis* 8. *§.* 3., *& leg. item quæritur* 13. *§.* 5. *ff. locati*, & hoc intervenit in omnibus contractibus, qui fiunt in gratiam utriuſque, ut dictum eſt *tract.* 13. *quæſt.* 2. *cap.* 1. *quæſit.* 5. Teneretur etiam de culpa leviſſima, ſicut & de caſu fortuito, ſi ad hæc conductor ſe obligaſſet, quia tunc libere ſuſcepiſſet talem obligationem, & contractus legem ex conventione recipiunt, juxta *reg.* 85. *juris in* 6. Idem dicendum, ſi ſua culpa dediſſet cauſam caſui fortuito, ex quo res periit, ut ſi facta fuiſſet conventio de igne non inferendo in ſtabulum, & ex non ſervata tali conditione ſtabulum fuerit concrematum: *l. videamus §. Si hoc ff. locati.*

Diſputant autem Canoniſtæ an locatori incumbat probare rem locatam periiſſe, vel eſſe factam deteriorem

riorem culpa conductoris, At quidquid ſit de foro externo, pro foro conſcientiæ dicendum eſt, quod ſi conductor non ſit moraliter certus ſua culpa periiſſe, vel deteriorem factam fuiſſe rem locatam, poteſt expectare ut id demonſtretur a locatore, utpote quia actori incumbit probatio: *leg. 2. ff. de probat.* & culpa & delictum in dubio non præſumuntur: *arg. leg. meritò 51. ff. pro ſocio*. Neque dicatur in caſu noſtro præſumi poſſe damnum eveniſſe culpa conductoris, quia re locata utebatur; nam ad ſummum, ut dicunt quamplures DD., ni aliud conſtet, præſumi debet culpa leviſſima, ex qua non tenetur conductor; *Maſcard. concl. 467., Menoch. de arbitr. caſ. 390. n. 4., Laym. l. 3. tr. 4. c. 22. num. 5.*

Q. VI. An conductor teneatur ad ſolutionem mercedis, caſu quo non poſſit uti re locata.

R. I. Si impedimentum proveniat a conductore, non liberatur ab obligatione ſolvendi integram mercedem locatori: *arg. leg. habitatores 27. §. 1., & leg. Dominus 55. §. 2. ff. locati*. Et de facto non eſt æquum locatorem pati damnum ex impedimento ab iſo conductore poſito; ſicuti e contra diximus locatorem ponentem impedimentum, quominus conductor uti poſſit re conducta, debere mercede privari: *Leſſ. l. 2. c. 24. n. 8., Bon. de contr. d. 3. q. 7. p. 3. n. 6.*

R. II. Si impedimentum quominus conductor frui poſſit re locata, nulla ratione ab ipſo proveniat, non tenetur ſolvere mercedem pro tempore, quo uti non licuit re conducta, Ratio eſt, quia contractus non obligant ultra intentionem contrahentium; & nemo rationabiliter cenſeri poteſt ſe obligaſſe ad ſolvendam mercedem pro re, qua ſine ſua culpa, aut ex appoſito impedimento frui non poſſit. Ita communiter DD.

Q. VII. An propter fertilitatem, ſeu ubertatem fructuum teneatur conductor augere penſionem debitam locatori.

R. Conductor non tenetur augere penſionem, ſive copia fructuum provenerit ex ipſius diligentia, ſive ex clementia Cœli. Probatur prima pars, quia ubertas, quæ provenit ex diligentia conductoris eſt fructus ſuæ induſtriæ; fructus autem induſtriales omnino ſunt illius, qui induſtriam appoſuit: *Leſſ. numer. 21. Molin. d. 495. arg. leg. fin. Cod. de alluvion.* Secunda etiam pars habetur ex lege *ſi merces 25. §. 6. ff. locati*, & redditur hujuſmodi ratio, quia ſi conductor debet pati non modica damna annis minus fertilibus, conſequens eſt & ad ipſum pertinere lucrum annis ubertatis. *Mol. cit., Barboſ. in cap. 3. de locat. & cond. n. 20, Engell. de locat. & cond. numer. 6.* Unus recenſetur caſus quo teneatur augere penſionem *leg. ex conducto 15. §. 4. ff. locati*; & eſt quando ob præcedentem ſterilitatem penſio fuit illi remiſſa, tunc enim illam augere debet, ſi ſuperveniat ubertas.

Neque dicas, quod ſi ob ſterilitatem, ut dictum eſt ſupra, debet remitti penſio, augenda quoque ſit ratione ubertatis, cum *contrariorum eadem ſit ratio*; *lib. 1. ff. de his, qui ſui, vel alieni jur.* nam hoc verum eſt, ſi non militet ſpecialis ratio pro una parte. Potius igitur ratio habenda eſt, dum agitur de damno vitando, quam de lucro acquirendo: *arg. reg. 33. ff. de reg. juris*, unde cum in caſu ſterilitatis agatur de damno vitando, potior ratio habenda eſt tunc conductoris, quam tempore ubertatis locatoris,

Q. VIII. An conductor jus habeat contra hæredes locatoris, ſive ejus ſucceſſorem.

R. I. Conductor non ſolum habet actionem contra locatorem ut ſervet ea, ad quæ ſe obligavit ex vi locationis, ſed etiam contra ejus hæredes: *leg. ſi addes 19. §. 9. ff. locati, & l. 2. viam veritatis 10. C. eod.* Ratio eſt, quia ſucceſſor, ſive hæres univerſalis, cum repræſentet perſonam defuncti, ſuccedit in omnia ipſius jura, & onera realia, ac proinde tenetur ſtare locationi factæ a prædeceſſore: *Azor. 3. p. l. 8. cap 6. qu 1. Covar. l. 2. var. cap. 15. Mol. d. 489. nu. 4.* Secus dicendum de ſucceſſore particulari, qui titulo donationis, emptionis, vel legati ſuccedit in re locata, ſeu conducta, cum non repræſentet perſonam defuncti; *Azor. q. 2. Mol. d. 490.*

R. II. Si agatur de Succeſſore Eccleſiaſtico, diſtinguendum eſt. Locatio facta a Prædeceſſore de bonis & redditibus Beneficii pertinentibus ad ſuam ſuſtentationem, ipſius morte expiravit, Ratio eſt, quia ſucceſſor non eſt hæres univerſalis; & aliunde ſuppoſito quod fructus beneficii a die mortis pertineant ad ſucceſſorem, jam ad iſtum pertinet de iis diſponere alias anteceſſor de iis potuiſſet diſponere in præjudicium ſucceſſoris, contra id, quod dicitur *cap. fin. de off. Jud. Ordin. & cap. relatam de teſtam., Covar. lib. 2. var. c. 15. num. 6., Mol. d. 492. n. 5.* Si vero bona locata non erant ſpecialiter deputata ad ſuſtentationem Anteceſſoris, ſed pertinebant ad Eccleſiam, Hoſpitale, Monaſterium, tunc ſucceſſor in adminiſtratione talium bonorum ſtare tenetur locationi factæ ab Anteceſſore; nam locatio intelligi potius debet facta nomine Eccleſiæ, quam Anteceſſoris: *Bonac. de contr. d. 3. q. 7. p. ult. num. 10.* Ita etiam ſtatuunt leges, pupillum, aut minorem debere ſtare locationi factæ a Tutore, vel Curatore, cum illorum potius nomine facta intelligatur: *leg. Tutelæ 8. digeſtis de adminiſtr. Tuto.*

Q. IX. An jura, & obligationes conductoris tranſeant ad hæredes.

R. Hæres omnino tenetur ſubire præfatas obligationes; ſicut etenim hæres univerſalis repræſentat perſonam anteceſſoris in iis, quæ ipſi favent, ita & in iis, quæ ſunt ipſius incommodi. Concordant Jura, ut videre eſt *§. fin. Inſtit. de loc. & cond., leg. via 10. Cod. de locat. & leg. veteris 13. C. de contr. & comm. ſtipulat.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. In locando rem vitioſam multoties peccatur, Peccant e. gr. locatores Beſtiarum, locando equum aſſuetum ſe ſe in aquam demergere, vel aliud habentem vitium; & tunc certum eſt hujuſmodi locatores teneri ad damna, quæ vel mercibus, vel conductoribus evenerunt. Peccant qui locant paſcua ferentia herbas nocivas. Peccant qui domos locant, in quibus eſt periculum contagionis, eo quod ibi aliquis obierit ethyſi, vel morbo contagioſo infectus &c. Ex his facile eſt cognoſcere cætera.

II. Advertere debet Confeſſarius multoties valde gravari conductores prædiorum, eo quod non reddiderint annuam penſionem, ſeu frumentum, de quo in contractu convenere. Vere ergo in conſcientia affictuarii non tenentur in pluribus annis ſterilibus totum ſolvere, nam ſi detrahantur eorum expenſæ in fodiendo, arando, ſtercorando, alienas operas conducendo, & ſemina emendo, reperire erit ſæpe nec dimidium annuæ penſionis colligere; adeoque etiam juxta SS. Canones penſio eſſet eis minuenda. Nec refert dicere annis ubertatis compenſari damnum, quod paſſi ſunt; nam quandoque tanta eſt annua penſio, ut annis etiam uberibus non ſit quomodo ſe compenſent. Interim miſeri conductores in carceribus tabeſcunt, coacti ſolvere debitum, quod locatores in conſcientia non poſſunt exigere.

III. Notet pariter Confeſſarius locatores multoties peccare abutendo ſua præpotentia, ac expellendo ante tempus debitum Inquilinos, ſeu conductores prædiorum. Ultra culpam non ſervandi contractum locationis, ſunt etiam cauſa plurium damnorum; nam multoties Inquilini non reperiunt ſtatim domum ſibi commodam, vel debent magis impendere pro altera domo conducenda; coacti etiam ſæpe grave pati diſpendium ad mobilia in novam domum valde abſentem transferenda. Item conductores quandoque non reperiunt alia prædia, quæ conducant, vel reperiunt valde ſterilia, ſeu in regione aeris non valde ſalubris. Si hæc & alia damna ſubeant Inquilini, & conductores, quando ante debitum tempus expellantur, certum eſt locatorem teneri ad ea compenſanda, & id bene advertere debet Confeſſarius, nam non raro in praxi hujuſmodi accidunt.

IV. Pariter notare eſt multoties conductores uti re conducta ad alium uſum, ac in locatione conventum eſt. Ita equo conducto ad equitandum, utitur aliquis ad vehendum; & equus conductus ad breve iter, pro majori itinere retinetur. In his & ſimilibus caſibus debet Confeſſarius conductorem obligare ad augendam penſionem, quo magis ultra conventionem uſus eſt re conducta, & ad compenſandum id, in quo ex tali uſu res conducta deterior evaſit.

V. Peccant non raro Potentes volentes ante finitum tem-

Digitized by Google

tempus conductionis reſtituere rem conductam, quia non amplius deſervit ad uſum, ob quem illam conduxerunt. Ut ſi ante dictum tempus relinquant domum, quam conduxerant ad habitandum; equum, quem conduxerant ad equitandum, &c. Si igitur locator damnum patiatur, quia non ſtatim inveniat cui rem ſuam eodem pretio locet, Confeſſarius obliget conductorem ad ſolvendam mercedem locationis pro toto tempore convento.

CAPUT III.

De Obligationibus, & Juribus Locatoris, & Conductoris Operarum.

Q. I. Quæ ſint obligationes Locatoris operarum.

R. I. Locatores operarum ſunt illi, qui locant operas, labores, ſeu ſuam artem, ut Famuli, Operarii, Artifices, Cuſtodes &c. His poſitis,

Locatores operarum tenentur ita ſe gerere, ut opus ſibi injunctum ſufficienter agant, nec ex ipſorum culpa conductori damnum obveniat. Ratio eſt, quia, ut hujuſmodi præſtent, mercedem a Domino, ſeu conductore recipiunt. Et quidem ſaltem in foro externo, quamvis non teneantur de leviſſima, tenentur tamen de culpa levi, & lata, ut communiter dici ſolet in contractibus factis in gratiam utriuſque.

R. II. Locator ſuarum operarum non debet abſque juſta cauſa ante finitum tempus locationis diſcedere; & ſi id faciat, tenetur ad damna: *arg. leg. Dominus 55. ff. locati, junct. leg. 1. Cod. de ſerv. fugit.* Ratio eſt, quia ita convenerunt in contractu locationis; unde ſi diſcedendo ante tempus abſque juſta cauſa damnificet conductorem, patet teneri ad damna compenſanda, quia injuſte illa cauſavit. Si vero non damnificet conductorem, puta quia ſtatim æque idoneum reperiit, puto ad nihil teneri in foro conſcientiæ, etſi ex ſua malitia diſceſſerit, quia vere nullum damnum interceſſit: *Bon de contr. d. 3. q. 7. p. 4. n. 11.*

Q. II. Quæ ſint obligationes Conductoris alienarum operarum.

R. Tenentur primo tempore debito integram mercedem ſolvere, cum etenim tunc locator quod debebat, præſtiterit, debet & conductor ex parte ſua ſolvere mercedem operis. Cum dignus igitur ſit operarius mercede ſua, proinde dicitur *Levit. 19. Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane*, hinc ſi ex dilatione culpabili in mercede ſolvenda Locatoribus operarum, veluti famulis, artificibus &c. damna patiantur, tenentur conductores ad ea compenſanda, ut de ſe patet.

R. II. Conductor alienarum operarum non poteſt ante debitum tempus ipſarum locatores expellere: *arg. leg. qui operas 38. ff. locati*; unde ſi injuſte expellat, integram mercedem debet ſolvere, ut dicitur ibidem, *& leg. 2. ff. de his qui ſui, vel alieni Juris &c.* Ratio etiam id ſuadet, quia, ſi injuſte expellat, damnificat hujuſmodi locatores, ac proinde debet mercedem, de qua convenerunt, integre ſolvere. Secus dicendum ſaltem pro foro conſcientiæ, ſi iſti locatores expulſi ſtatim adinvenerunt cui pro æquali pretio ſuas operas locarent, nam tunc nullum patiuntur damnum: *Leſſ. l. 2. c. 24. n. 11., arg. leg. ſed addes 19. §. 9. ff. de loc. & cond.*

Q. III. Quid dicendum, ſi ſuperveniat aliquod impedimentum, ex quo conductor aliena opera uti non poſſit.

R. I. Si impedimentum proveniat culpa conductoris, tenetur integram mercedem ſolvere, ſi perſona conducta non locaverit alteri operas ſuas pro æquali mercede, injuſte etenim ipſam damnificavit, & habetur expreſſe *leg. ſed reddes 19. §. 9. ff. locati, Leſſ. n. 8. Nav. in Man. c. 17. n. 197.*

R. II. Si impedimentum proveniat ex perſona conducta, tunc conductor non tenetur ad mercedem niſi pro rata temporis, quo illius opera uſus eſt; neque enim credi poteſt ſe obligaſſe ad ſolvendam penſionem pro eo tempore, quo ex impedimento, ſe tenente ex parte perſonæ conductæ, non potuit illius opera uti: *Leſſ. num. 7., Navarr. num. 197., Covarr. l. 3. var. cap. 13. num. 9.*

Si proinde famulus diuturna infirmitate a famulando impediatur, nulla eſt obligatio illi dandi mercedem tali tempori correſpondentem, quod non ſolum ſuadetur pluribus legibus, & præcipue *leg. ſi pecuniam 5. in princ. ff. de cond. cauſ. data*, ſed etiam ratione, merces etenim debetur propter operas conductas; ſi ergo non præſtentur, ceſſat ratio ſolvendi mercedem: *Navar. in Man. c. 17. n. 108., Covar. cit., Bon. de contr. d. 3. q. 7. p. 4. n. 13.*

Dixi, ſi diuturna infirmitate &c.; nam nimis durum eſt ſubtrahere partem mercedis ex. g. famulo ad annum conducto, eo quod aliquibus diebus ægrotaret. Et quidem putarem non ſolum eſſe contra quamdam æquitatem: *arg. leg. cum hæres 4. §. 5. ff. de ſtat. liber.* ſed rigoroſe etiam contra juſtitiam, quod duæ rationes meo videri evincunt. Prima eſt, quia contractus regulari debent juxta intentionem contrahentium, irrationabile autem eſſet credere conductorem intendiſſe aliquid mercedis detrahere famulo conducto ad longum tempus, eo quod paucis diebus impeditus fuiſſet a famulatu; ſicut neque poteſt credi famulum, dum fuit conductus, contentum fuiſſe, ut propter hoc aliquid mercedis detraheretur. Secunda eſt, quia contractus juxta conſuetudinem locorum regulandi ſunt; etenim juxta illam fieri præſumuntur: *leg. circa locationes 19. Cod. locati*; apud omnes autem, ſeu fere apud omnes credo eſſe conſuetudinem, ut propter breve impedimentum famulis merces non minuatur.

Hæc autem non valent de Operariis; qui ad unum, vel alterum diem conducuntur; cum etenim merces pro ſingulis diebus ſolvatur, fert praxis ut ſi uno die, vel etiam per diei medietatem impediantur, pro rata temporis merces diminuatur.

Q. IV. Quæ attendenda ſint pro taxanda juſta mercede, ſeu ſalario famulorum, cæterorumque, qui ſuas operas aliis locant.

R. Primo, attendi debet locorum conſuetudo; nam illa eſt optima menſura juſti pretii, cum faciat dignoſcere quanti aliqua res ibi æſtimetur: *leg. pretia rerum ff. ad leg. falcid.* Secundo, attendi debet multitudo, vel paucitas eorum, quorum operas volumus conducere; nam ſi facile alios adinvenire ſit, qui ſtipendio a conductore oblato ſuas operas locabit, tale ſtipendium cenſendum eſt juſtum: ſicut enim ex raritate, ſeu multitudine mercium pretium creſcit, & decreſcit, idem dicendum eſt reſpectu operariorum. Si vero nullum reperire eſſet, qui tali pretio operas ſuas locaret, tunc facile erit injuſtum, quamvis aliquis neceſſitate compulſus pro tali ſtipendio operas ſuas locaſſet. Tertio, attendendum eſt ad qualitatem, & quantitatem laboris, nam clarum eſt juxta hæc ſalarium creſcere, & decreſcere. Nec refert operarios multoties ſuas operas offerre; nam illud principium, quod merces, ſeu famulatus ultroneus vileſcat, non verificatur ni interveniat aliqua circumſtantia hujuſmodi faciens vileſcere, ut diximus agendo de empt. & vend. *Carden. in propoſ. damn. diſſ. 23. c. 1. art. 3.* Videnda etiam quæ dixi in 4. Decalogi præceptum *c. 4.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Multoties peccant locatores operarum ſuarum, quia aſſumunt facere quod non ſatis bene ex ſua imperitia poſſunt facere, vel quia adhibent materiam ſeu in quantitate non ſufficientem, ſeu in qualitate non idoneam. Hinc etiam pluribus quam conveniret diebus ob ſuam imperitiam opus perficiunt; & cum ſingulis diebus mercedem accipiant, cogunt conductorem ad ſubeundum ex hoc capite aliquod damnum. Item illum damnificant, quia opus ab imperito factum, neceſſe eſt ut cito reparetur; quod item verificatur, ſi adhibita fuerit materia non idonea, ſeu deterioris qualitatis. Hæc bene obſervent Confeſſarii, & multoties reperient opifices ad reſtitutionem teneri. Obſervet etiam Confeſſarius famulos, famulas &c. ita teneri laborare, ut ipſorum labor ſaltem perveniat ad infimum gradum juſti laboris; unde ſi frequenter nimis ocientur, tenentur pro rata mercedem remittere.

II. Secundo, ad reſtitutionem ſunt cogendi, qui locant ſuas operas ad res cuſtodiendas, quando ex defectu convenientis diligentiæ res vel periit, vel deterior evaſit; ut ſi vinum aceſceret, vel omnino fuerit corruptum negligentia famuli, ſeu Cuſtodis Cellæ vinariæ; ſi frumentum ebulliret &c. In iis caſibus, aliiſque ſimi-

ſimilibus negligentia famulorum, ſeu cuſtodum illos reddit obnoxios reſtitutioni, cum teneantur ad diligentiam, quam adhibere ſolent diligentiores. Idem obſervandum quoad eos, qui aſſumuntur ad cuſtodiendum gregem, aliaſque beſtias, ſi ipſorum culpa deteriores fiant, non ſaginentur &c.

III. Item obſervent Confeſſarii, quod cum in contractibus in gratiam utriuſque celebratis, teneantur contrahentes, ut dictum eſt, adhibere attentionem, & ſolicitudinem, quam adhibere ſolent diligentiores, ſæpe etiam ex hoc capite locatores ſuarum operarum tenentur ad reſtitutionem, quia nimis tardi ſunt in laborando, vel quia nolunt defatigari, vel quia optant opus diutius perdurare, ut magis lucrentur. Id maxime evenire ſolet, quando non pro dominis particularibus, ſed pro Republica, ſeu Communitate laborant.

IV. Aliud peccatum quandoque committunt operarii, & famuli, quod ab oculis Confeſſariorum effugit, dum ſcilicet vel fingunt aliquam cauſam deſerendi opus, ſeu famulatum, vel ita ſe gerunt, ut a Dominis vel invitis dimittantur; & id quia habent præ manibus occaſionem aliam magis lucrandi. Si igitur ita præſtant ante finitum opus, pro quo fuerunt conducti, vel ante finitum tempus famulatus, v. g. antequam menſis abſolvatur, & hac ratione conductor cogatur majori ſtipendio famulum conducere, ſive majoribus impenſis opus perficere, prædicti tenentur compenſare damna illata conductori.

Adſimile eſt peccatum conductoris, quando poſtquam operarios conduxit, vel ex ſua volubilitate renuit amplius eis uti; vel ita ſe gerit, ut operarii cogantur diſcedere. Certum eſt quod ſi non adinveniant cui ſuas operas locent, & eodem pretio, conductores tenentur ipſis dare quantum lucri ex eorum volubilitate, vel malitia amiſerunt.

V. Aliud etiam obſervare debet Confeſſarius, nimirum conductorem debere ſolvere penſionem operariis, vel famulis, ſi ex ipſo proveniat, quamvis ſine culpa, ut operas ſuas præſtare non poſſint, dum tamen exinde locatoribus damnum proveniat. Ita dicendum e. g. de Domino, qui ante tempus conventum dimittit famulum, quia cogitur alio pergere; de eo qui dimittit operarios, quia deeſt illi pecunia ad opus perficiendum &c.; cum etenim obligatio ſolvendi conventam penſionem oriatur ex contractu, non poteſt ab ea ſolvenda ſe eximere conductor, eo quod ſine ſua culpa non poſſit ſtare locationi.

VI. Videant etiam Confeſſarii, an Domini differendo mercedem, ſeu ſalarium famulis, illos aliquo modo damnificent, quia e. g. cum non habeant promptam pecuniam, debent credito carius emere ſibi neceſſaria &c. Si ex his & ſimilibus capitibus famulos damnificarunt, cogendi ſunt ad reſtitutionem, ſeu ad compenſationem damnorum &c.

QUÆSTIO VII.

De Emphyteuſi.

CAPUT I.

De Natura, & Diviſione Emphyteuſis; de iis, qui poſſunt in Emphyteuſim dare, & accipere, & de rebus, quæ poſſunt eſſe materia hujus Contractus.

Q. I. QUid ſit emphytheuſis.

R. Emphyteuſis, ut obſervant DD., idem eſt ac melioratio, eo quod ab initio ſolum loca ſterilia, & inculta in emphyteuſim concederentur, eo fine ut diligentia Emphyteutarum fructifera redderentur: *arg. l. 2. & 3. Cod. de jur. emphyt.* unde primitus dabantur in emphyteuſim communes agri, & fundi, qui incolti jacebant. Succeſſu temporis idem perſonæ privatæ præſtiterunt, & non ſolum loca ſterilia, ſed etiam fructifera data ſunt in emphyteuſim. Qui dat rem in emphyteuſim, dicitur Dominus directus, Emphyteota vero qui illam accipit.

Emphyteuſis autem poteſt ita definiri: *Contractus nominatus ſtricti juris, quo retenta proprietate, ſeu dominio directo, res immobilis alteri traditur fruenda & colenda in perpetuum, vel ad certum tempus, cum onere præſtandæ annuæ penſionis in recognitionem dominii directi,*

Dicitur, *contractus ſtricti juris*; nam *l. 2. ff. de act. & oblig. & §. Actionum 28. Inſt. de action.* ubi enumerantur contractus *bonæ fidei*, nulla fit mentio *emphyteuſis*. Ulterius, ut videbimus, perficitur ſcriptura, quod eſt proprium contractuum ſtricti juris.

Additur, *quo retenta proprietate, ſeu dominio directo*. His verbis demonſtratur differentia hujus contractus ab aliis; nam ex. gr. in emptione, & venditione, ultraquamquod non ſolum res immobiles, ſed etiam mobiles vendantur, utrumque dominium, utile ſcilicet, & directum venditur; in emphyteuſi vero ſolum utile. Differt etiam a locatione, quia in hoc contractu neque transfertur utile dominium, ſed ſolum uſus, & commoditas fructuum; unde eſſentialiter hi contractus diſtinguuntur, ut dicitur etiam *leg. Cod. de Jur. emphyteuſ.*

Dicitur, *quo res immobilis alteri traditur*; namcum in hoc contractu dentur res ad colendum, vel ſaltem conſervandum, id ſolum verificari poteſt de rebus immobilibus; res etenim mobiles tractu temporis, ſi non omnino deſtruuntur, ſaltem deteriorantur.

Denique dicitur, *cum onere præſtandæ annuæ penſionis &c.* Hæc verba demonſtrant aliud diſcrimen emphytheuſis a locatione; in hoc enim contractu annua penſio ſolvitur pro juſta æſtimatione fructuum, & uſus rei, in emphyteuſi vero præcipue ſolvitur in recognitionem dominii directi. Ulterius demonſtrant differentiam emphyteuſis a Feudo; nam in emphyteuſi ſolvitur penſio, in feudo vero adeſt obligatio obſequii perſonalis, ad quæ obſequia cum ſoli maſculi cenſeantur idonei, ideo, ordinarie loquendo, feudum datur ſolis maſculis. Cæterum non nego modo penſionem in emphyteuſi etiam pro fructibus dari, maxime dum non eſt exigua, ſed fructibus correſpondet: *Molin. diſp. 445.*: unde modo emphyteuſis, ut obſervant DD., ſolet participare de contractu locationis. Datur vero in emphyteoſim res immobilis in perpetuum, vel ad tempus, quod non minus eſſe poteſt decennio, alias erit locatio e ſicut locatio ad decennium vere non eſt locatio, ſed potius emphyteuſis: *Layın. l. 3. tr. 4. c. 23. n. 1., Leſſ. l. 2. c. 24. n. 4.*

Q. II. Quotuplex ſit emphyteuſis.

R. Emphyteuſis multipliciter dividitur. Primo, alia eſt emphyteuſis Eccleſiaſtica, alia laicalis. Eccleſiaſtica datur, quando proprietas bonorum, quæ conceduntur in emphyteuſim, pertinent ad Eccleſiam, Monaſterium, ſive ad quemcumque alium pium, & religioſum locum: *leg. Joannes 14. Cod. de SS. Eccleſ., & cap. fin. Cod. de jur. emphyt.* E contra emphyteuſis laicalis intervenit, quando bona in emphyteuſim data, quoad dominium, & proprietatem pertinent ad laicum, vel poteſtatem laicalem: *leg. 1. Cod. de jur. emphyt. juncta Aut. perpetua Cod. de SS. Eccleſ.* In emphyteuſi Eccleſiaſtica, ſervantur leges Eccleſiaſticæ, & non attenduntur civiles, ſi fuerint Eccleſiaſticis oppoſitæ. Hinc quamvis lex civilis non excludat ab emphytheuſi illegitimos, non debet attendi in emphyteuſi Eccleſiaſtica, ſemper cum excludantur ab Eccleſia: *Molin. diſp. 446. Roſign. contr. 4. prænot. 2. num. 7.* Dominium vero utile in emphyteuſi Eccleſiaſtica conceſſa laico ſequitur diſpoſitiones legis laicalis; nam cum omnino ſeparetur a dominio directo, non habet hic locum illa regula, quod acceſſorium ſequitur naturam principalis. Hinc pro tali utili dominio debet laicus ſolvere vectigalia & tributa, ſi quæ ſint; & pro eo poteſt conveniri coram Judice laico, non ſolum quia cauſa ſequitur forum rei, ſed etiam quia dominium utile pertinet ad poteſtatem laicam: *Mol. cit. Roſign. num. 3.*

Secundo, emphyteuſis alia eſt temporalis, alia perpetua. Prima conceditur ad tempus determinatum, v. g. ad unam, duas, tres generationes, vel quouſque durabit aliqua familia. Perpetua conceditur abſque temporis præfinitione ita ut jus emphyteuticum tranſeat ad hæredes in perpetuum. Advertere tamen eſt hanc emphyteuſim, quæ etiam hæreditaria dicitur, aliam eſſe hæreditariam ſimpliciter, & conceditur abſolute pro omnibus hæredibus etiam extraneis; aliam hæreditariam mixte, quæ conceditur aliquibus hæredibus, ſed non omnibus. Familiaris denique dicitur ea, quæ conceditur iis, qui ſunt de familia, quamvis non ſint hæredes.

Q. III. An ad valorem emphyteuſis neceſſaria ſit

Digitized by Google

ſit ſcriptura, ſeu quod conficiatur inſtrumentum.

R. Affirmative, nam *leg. 1. Cod. de jure emphyt.* dicitur in emphyteuſi firma habenda eſſe, quæ conventa ſunt, *ſcriptura interveniente*; Si ergo nondum efformata ſit ſciptura, poſſunt contrahentes ſemper reſilire; nam quæ facienda ſunt in ſcriptis, ante expeditionem ſcripturæ non ſunt firma, ut clare habetur *leg. ſi contractus 17. C. de fid. inſtrum.* Confirmatur *ex Novell. 7. in fin. præfat.*, & *Novell. 20. cap. 5. & 6.* in quibus expreſſe ad valorem amphytheuſis Eccleſiaſticæ requiritur ſcriptura, atque id non ex alia cauſa videtur requiri, niſi quia emphyteuſis eſt contractus ſtricti juris, ad quos contractus non ſolum conſenſus, ſed etiam ſcriptura cequiritur: *Mol. diſp. 447. num. 4. Azor. p. 3. l. 10. c. 5. q. 3. Laym. l. 3. tr. 4. c. 36. n. 6.*

Hinc vides hic non habere locum rarionem, quia dicitur contractus perfici ſolo conſenſu, & ſcripturam non ad aliud niſi ad probationem deſeevire; nam id verum eſt in contractibus bonæ fidei: *lib. 2. ff. de action. & obligat.* non in contractibus ſtricti juris, ad quorum valorem leges ſcripturam exigunt. Cæterum, ut notat Roſignolus *prænot. 5. n. 2.* bene potuit prævalere conſuetudo, ut in emphyteuſi, maxime laicali, ſcriptura non conſideretur de ſubſtantia contractus, ſed ſolummodo pertineat ad probationem ejuſdem.

Q. IV. Quinam dare poſſint, & accipere in emphyteuſim.

R. I. Illi omnes poſſunt dare in emphyteuſim, qui habent liberam adminiſtrationem rerum ſuarum. Ratio eſt, quia cum per emphyteuſim in alium transferatur dominium utile rei, non ſatis eſt, ut qui dare vult in emphyteuſim, habeat dominium illius, ni libere & plene etiam poſſit diſponere de illius uſufructu. Hinc infertur Pupillos & Minores ſub Tutoribus, vel Curatoribus conſtitutos, non poſſe dare in emphyteuſim: *leg. etiam 17. C. de prædiis, &c. minor ſine decreto*, cum de facto non habeant liberam adminiſtrationem rerum ſuarum. Eadem etiam lege cavetur ne Tutores, aut Curatores poſſint dare in emphyteuſim bona pupillorum, ſeu minorum ſine authoritate Judicis. Præterea cum per emphyteuſim bona quodammodo alienentur, hinc eſt non poſſe in emphyteuſim tradi bona fidei commiſſaria, ſive Eccleſiæ, ut dicam quæſtione ultima hujus Tractatus.

R. II. Pupilli, & Minores ſine aurhoritate, & conſenſu Tutorum, aut Curatorum non poſſunt in emphyteuſim accipere: *leg. quamvis 32. ff. de acquir. & amitt. poſſeſſ.* Idem dicendum de Clericis, quia emphyteuſis habet ſpeciem negociationis, quæ Clericis eſt prohibita: *can. 1. cauſ. 14. q. 4.*, & *can. ſi quis 4. ead. cauſ. & quæſt.* Si autem id faciant non ob lucrandum, ſed ob ſuam, vel ſuorum neceſſitatem, tunc non eſſet illis prohibitum in emphyteuſim accipere. Alii omnes ſive maſculi, ſive ſœminæ poſſunt accipere in emphyteuſim. De emphyteuſi Eccleſiaſtica agemus poſtea.

Regula in praxi attendendæ.

Unica tegula hic ponitur pro praxi, & ea eſt, quod cum contractus emphyteuſis maxime Eccleſiaſticæ non ſit firmus, niſi poſtquam ſcriptura, ſeu inſtrumento contrahentium conventiones fuerint explicatæ, ut clare *ex Novell. 7. in fin. præfat.* hinc ſequitur, quod etiamſi aliquis verbo ſe obligaverit vel ad dandam rem, vel ad eam recipiendam in emphyteuſim, & convenerit de obligationibus &c. poſſit nihilominus tuta conſcientia reſilire, ſi nondum ſcripto factus fuerit contractus. Idem ex dictis videtur dicendum de omnibus contractibus ſtricti juris.

CAPUT II.

De Obligationibus, & Juribus Emphyteutæ.

Q. I. Quot ſint obligationes emphyteutæ.

R. Prima obligatio eſt ſervare pacta expreſſa in contractu emphyteutico; nam ut dicitur *reg. 85. jur. in 6.* contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur; & in præſenti materia habemus textum expreſſum *leg. 2. Cod. de Jur. emphyt.* Secunda eſt, colere, & conſervare rem emphyteuticam. Tertia ſolvere annuum canonem. Quarta præſtare laudemium.

Q. II. Quomodo emphyteuta teneatur colere, & conſervare rem in emphyteuſim traditam.

R. I. Si res erat ſterilis, & inculta, emphyteuta tenetur eam propriis expenſis fructiferam reddere; hac enim conditione res ſteriles dantur in emphyteuſim. Si vero res data in emphyteuſim erat jam fructifera, quando non adſit pactum de aliqua melioratione facienda, emphyteuta ſaltem tenetue eam conſervare in eo ſtatu, in quo eam accepit; & ſi uſu quotidiano, vel caſu deterior fiat, debet eam propriis expenſis ad priſtinum ſtatum reſtituere: *§. 3. ad. fin. de jur. emphyt.*, *Auth. qui rem. C. de SS. Eccl.*, *leg. 1. C. de jur. emphyt.*, & *Novell. 7. §. 1.* Ratione etiam ſuadetue, quia ideo locator non tenetur rem conductam, quæ ſine culpa facta eſt deterior, reparare propriis expenſis, quia non habet niſi uſum rei, & pro eo quod talis uſus æſtimatur, ſolvit annuam penſionem &c. At Emphyteuta acquirit dominium utile, unde æquum eſt, ut conſervet rem emphyteuticam in ſua bonitate, & eam reparet, ſi facta ſit deterior: *Mol diſput. 456.*

R. II. Si res emphyteutica totaliter pereat abſque culpa emphyteutæ, perit domino directo; nam res perit ſuo domino. Id etiam clare ſancitur *Inſt. de jur. emphyt. §. 3.*, & *l. 1. C. de jur. emphyt.* Dixi, ſi abſque culpa emphyteutæ pereat; nam commune eſt omnibus contractibus factis in gratiam utriuſque, ut contrahentes de culpa lata & levi teneantur, ac proinde ſi domus e.g. periret, quia emphyteuta domus ruinam non impedivit, ad totum damnum teneretur.

Q. III. Qualiter emphyteuta teneatur annuum canonem ſolvere; & in qua quantitate eſſe debeat.

R. Ni aliud determinatum fuerit in contractu, fert conſuetudo, ut quolibet anno emphyteuta ſolvat penſionem, ſeu canonem in recognitionem dominii directi, ut patet *ex leg. 2. C. de jur. emphyt.* ſicut in locatione ſolvitur penſio juxta æſtimationem uſus, ſeu fructuum, quos conductor percipit ex re locata. Verum tamen eſt, quod modo annuus canon, juxta ubique vigentem conſuetudinem, ſolvitur etiam in compenſationem dominii utilis, lucri, & fructuum perceptorum ex re emphyteutica, unde juxta eos canon augetur, vel diminuitur.

R: II. Cum ex dictis modo Canon etiam reſpectu majoris, vel minoris quantitatis fructuum percipiatur, poterit iſdem fructibus correſpondere, & magnus eſſe, ſi fructus magni ſint. Patitur tamen diminutionem ex comuniter firmatis a DD. & S. Rota, ſi emphyteuta non parum laborare debeat, vel multa impendere ad rem emphyteuticam meliorandam: ſi conventum ſit in contractu, ut ſuo tempore res emphyteutica ad Dominum directum redeat ſine obligatione compenſandi, quæ compenſanda eſſent melioramenta: & ſi Emphyteuta magnum laudemium ſolvat Domino directo. Extra hos caſus canon poteſt correſpondere fructibus, imo ipſis correſpondere debet in emphyteuſi Eccleſiaſtica, quæ ſemper facienda eſt cum Eccleſiæ utilitate; adeoque in hac emphyteuſi canonem debere eſſe æqualem fructibus docet *Ciarl. contr. forenſ. capit. 8. numer. 52.* aliique apud ipſum: *Mol. diſp. 452. Roſign. contr. 4. præn. 6. num. 14.*

Quod maxime attendendum omnino cenſui in caſu, quo quidam fundavit Beneficium aſſignando in ipſius dotem omnia ſua bona, quæ tamen voluit in perpetuam emphyteuſim quibuſdam tradita, cum onere, ut pro canone ſolverent Capellano Beneficii, quod a perſona ab ipſo deſignata taxaretur. Ego igitur putavi aſſignandam eſſe Capellano integram fructuum medietatem; tum quia nullus concurrebat ex præfatis titu-

titulis, quibus minuendus eſt canon ; tum quia non aſſignata pro canone integra fructuum medietate, non aſſignabatur portio ſufficiens pro ſatisfaciendis iis, quæ præceperat Teſtator; tum quia agebatur de cauſa pia, quæ juxta notiſſima juris principia ſuſtinenda eſt quoad fieri poteſt. & ſuſtineri ſine juſtitia poterat, aſſignando Capellano integram fructuum medietatem, cum id fieri poſſe non pauci doceant DD. cum *Ciarl. loc. cit.*

Nec mihi videbatur poſſe dici in favorem emphyteutarum detrahendam ſextam partem fructuum, quia ita diſponatur in Auth. *perpetua C. de SS. Eccl.* Reſpondebam etenim non paucos DD. apud Manſi *de emphyt. conſ. 33.* cenſere præfatam Authent. omnino abrogatam reputari quoad emphyteuſim Eccleſiaſticam. Vel dicebam non eſſe uſu receptam, ut docent Barb. *in d. Auth. num. 2., Ciar. contr. for. cap. 8. num. 52.* aliique non pauci. Vel demum ſolum vi ejuſdem Authenticæ permiſſum Eccleſiæ, non vero cogi ad tradendam emphyteutæ ſextam partem fructuum ultra medietatem, & hoc ut emphyteuta non poſſit ſe eximere a ſolvendo canone ratione alicujus caſus fortuiti: *Calder. reſol. 64. num. 31.*

Cum igitur poſſet non attendi quod dicebatur diſpoſitum in præfata Auth., omnino non attendendum dicebam, quia alias grave præjudicium piæ cauſæ inferebatur.

Q. IV. Quæ ſit obligatio emphyteutæ, ſi res emphyteutica pereat, ſive propter ſterilitatem modicos ferat fructus.

R. I. Si incendio, alluvione, ſive alia cauſa res emphyteutica totaliter pereat, ita ut nulla ſit ſpes amplius illam reparandi, nullus canon eſt ſolvendus. Ratio eſt, quia canon ſolvitur primario in recognitionem dominii directi, unde cum tale dominium corruat, ſi res emphyteutica totaliter pereat, nullum manet fundamentum canonem ſolvendi. Ita communiter DD., & deducitur *ex §. 3. Inſtit. de jur. emphyt. & leg. 1. de jur. emphyt.*

R. II. Si res emphyteutica non pereat in totum, ſed ex parte, canon ſolvendus eſt, ſi fuerit exiguus. Ratio eſt, quia canon exiguus cenſetur ſolvi non ratione fructuum, ſed in recognitionem dominii directi, ſi proinde perſeveret tale dominium directum, quia res non tota pereat, perſeverabit etiam obligatio ſolvendi canonem, ut etiam habetur ex juribus ſupra citatis. Quod dictum eſt ſi res pereat tantum in parte, valet etiam propter eandem rationem, ſi nulli aut modici colligantur fructus.

R. III. Si ſolvendus ſit canon magnus, non tenetur emphyteuta illum integre ſolvere, quoties ob ſterilitatem, alioſque caſus ipſi non imputabiles, modicos percipiat fructus. Id aperte conſtabit, ſi conſideretur magnum canonem non ſolum ſolvi in recognitionem dominii directi, pro quo antiquitus minimæ exigebantur penſiones, ſed quatenus magnus eſt, ſolvitur intuitu fructuum, & in recompenſationem ipſorum. Cauſa igitur ſolvendi magnum canonem, ſunt magni fructus, qui creduntur colligendi ex re emphyteutica; ac proinde quoties fructus ſint nulli, vel modici, magnus canon non eſt ſolvendus. Attendenda igitur hic doctrina, quam ſupra dedi de locatione, ubi ratione ſterilitatis, alteriuſque caſus fortuiti minuitur annua penſio; & id quia datur intuitu fructuum. Neque difficultatem faciat quod aſſerunt plures Authores, hoc ponentes diſcrimen inter emphyteuſim & locationem, quod ſcilicet in hac ratione ſterilitatis minuatur annua penſio; ſecus vero in illa. Non, inquam, hoc faciat difficultatem, nam omnes vel fere omnes DD. qui ita loquuntur, ſupponunt canonem, ut antiquitus fiebat, non ſolvi niſi in modica quantitate intuitu dominii directi. Quoties vero canon ſit magnus, & ſolvatur etiam intuitu fructuum, Theologi, & Canoniſtæ ratiocinantur de emphyteuſi eodem modo ac de locatione, ut pluribus citatis obſervat Manſi *de emphyt. conſult. 41., Navar. in Man. cap. 17. n. 190. Leſſ. l. 2. c. 24. n. 49., Laym. l. 3. tr. 4. c. 22. n. 7.*

Q. V. Quale jus habeat emphyteuta utendi re emphyteutica; & percipiendi ex ea fructus.

R. Cum emphyteuta acquirat dominium utile rei emphyteuticæ, conſtat primo poſſe ſibi vindicare fructus ejuſdem rei etiam adverſus dominium directum, id enim importat habere dominium utile. Secundo, certum eſt non poſſe diſtrahere rem emphyteuticam, ſed debere ſemper ipſius ſubſtantiam ſalvam ſervare, cum non habeat ipſius dominium directum.

Diſputant nihilominus DD. ad quem pertinere debeant fructus, ſi res emphyteutica augeatur v. g. per alluvionem, ſeu alium caſum. Et quidem ſi incrementum ſit latens, videtur communis ſententia fructus incrementi ad uſufructuarium, ſeu emphyteutam pertinere; cum enim ad ipſum pertineat incommodum decrementi: *leg. 1. ff. de jur. emphyt.* æquum eſt ut & habeat commodum incrementi: *leg. 10. ff. de reg. jur.* Si vero incrementum ſit patens, videtur fundari in jure opinio aſſerentium ad dominum directum pertinere: *leg. rem fundi 8. ff. de uſufr.* Et ratio eſſe poteſt quia, cum hoc incrementum ſtatim appareat, poteſt dominus directus ſtatim illud ſibi vindicare, tanquam extra rem emphyteuticam, ut ſi in flumine prope fundum emphyteuticum inſula appareret: *Clarus §. Emphyteuſis q. 41. n. 1.*

Q. VI. Quid dicendum de melioramentis factis in re emphyteutica, ſi elapſum ſit tempus quo durare debebat emphyteuſis; vel ſi emphyteuta ex ſua culpa incidat in commiſſum.

R. I. Si hæc melioramenta talis erant naturæ, ut ea deberet facere emphyteuta, puta reddendo fertilem terram, quam ſterilem accepit, reſtaurando ſtabula pro armentis, horrea pro frumento recondendo &c. iſta, inquam, melioramenta nullatenus prætendere poteſt emphyteuta, cum iſta ex vi contractus emphyteutici teneretur facere, ut lucrifaceret ex ſuo dominio utili. Hinc *l. 2. de jur. emphyt. & Novell. 120. cap. 8.* interdicitur emphyteutæ ex ſua culpa amittente emphyteuſim *emponemata* expoſcere, nam hoc verbum propre melioramenta ordinarie importat, ea nempe, quibus res ſterilis in emphyteuſim tradita, fertilis reddita eſt: *Molin. diſp. 456. n. 1. Alvar. Valeſc. de jur. emphyt. q. 25. a num. 1.*

R. II. Si melioramenta talia ſint, ut ea non teneatur facere emphyteuta, illi refundenda ſunt, ſi adhuc extent finita emphyteuſi. Id autem communiter aſſeritur a DD. *arg. leg. cum ad quem C. de uſufr.* juncta lege *divortio ff. ſol. matr.* Ratio ea eſſe poteſt quia, ut habetur *leg. nam hoc. 14. ff. de condict. indeb. & ex reg. 206. ff. de reg. jur.* jure naturæ æquum non eſt aliquem cum alterius detrimento fieri locupletiorem. *Alvar. Valaſc. q. 26.* Et advertere eſt poſt factum contractum dominum directum non poſſe prohibere quin emphyteuta faciat quaſcumque meliorationes utiles in re emphyteutica, nam id jure ei competit, ni faceret exceſſivas meliorationes in fraudem, ut ita dominus directus, qui eas ex ſua paupertate refundere non poteſt, non valeat ſibi tempore debito rem emphyteuticam recuperare. Neque etiam Dominus directus eas refundere teneretur, quando in contractu expreſſe cautum fuiſſet ne ſine ipſius conſenſu faceret non debitas meliorationes: *leg. 2. C. de Jur. emph.* Puto tamen juſtitiam expoſcere ut hoc pactum aliquo modo compenſetur, puta diminutione canonis.

Quod dictum eſt de refundendis meliorationibus indebitis emphyteutæ tempore finitæ emphyteuſis, puto valere etiamſi emphyteuta ſua culpa emphyteuſim, amittat. Scio quamplures DD. contradicere, nihilominus ſaltem pro foro conſcientiæ id ſuſtineri poſſe credo, nam ſemper jus naturæ dictat neminem debere fieri locupletiorem cum alterius detrimento: *Valeſc. q. 15. n. 3. Mol. d. 453.* Et quidem cum Theologi concedant etiam Poſſeſſori malæ fidei repetere ſumptus utiles, quos fecit in re aliena, multo minus id negandum eſt emphyteutæ, qui pleno jure facere potuit eas meliorationes in re emphyteutica.

Q. VIII. An emphyteutæ competat alienare, oppignorare, locare &c. rem emphyteuticam.

R. I. Si emphyteuta velit vendere jus emphyteuticum cum ſuis melioramentis, debet primo ſignificare Domino directo quo pretio velit illud vendere, & ſi dederit licentiam, vel nolit ipſe emere, poteſt vendere *cap. fin. de emphyt.* Si vero Dominus velit ipſe emere eodem pretio, cæteris eſt præferendus. Si vero taceat, expectandi ſunt duo menſes, ut deliberet; & poſt ipſos, etiam ipſo renuente, poteſt emphyteuta meliorationes, & jus ſibi competens vendere: *cit. cap. fin. & l. fin. C. de jur. emph.*

Se-

Digitized by Google

Secundo emphyteuta in venditione tenetur obſervare, ne conditio domini directi fiat deterior, ut innuitur *in leg. fin. cit.* ut ſi venderet Potenti a quo difficiliter poſſet exigere penſionem, vel pauperi, vel valde tenaci, & difficili in ſolvendo &c. vel mulieri, quæ ob non ſolutum canonem, non poteſt incarcerari. Eadem ratione ſine conſenſu Domini directi non poteſt vendere rem emphyteuticam Eccleſiis, aliiſque locis privilegistis, eo quod cum hæc loca (idem dic de venditione facta Communitatibus) non moriantur, difficilius Dominus directus poterit acquirere novum laudemium, iterum in emphyteuſim tradendo; *molin. diſp.* 450 *n.* 4.

R. II. Si emphyteuta velit alteri legare, donare, vel etiam in dotem dare rem emphyteuticam quoad dominium utile, non neceſſe habet expoſcere conſenſum Domini; nam dum leges hunc conſenſum exigunt, loquuntur de venditione. Et de facto eſt diſpar ratio; nam dum agitur de vendenda re emphyteutica, idem expoſcitur Domini conſenſus, ut poſſit deliberare, an eodem pretio velit emere, quod non habet locum dum res emphyteutica legatur, donatur, in dotem traditur: *Gloſs. in l. fin V. vendere C. de jur. emp. Azor. p.* 3. *l.* 10. *c.* 8. *q.* 3.

Oportet tamen, ut non tranferatur in talem perſonam, quæ reddat deteriorem conditionem domini directi, ut dictum eſt. Ut fiat ſine fraude, ut eveniret ſi tantum apparenter donaretur, & vere venderetur. Ut novus emphyteuta poſſeſſionem non capiat ſine conſenſu domini directi, ut valeat conſiderare, ſi ex novo emphyteuta deterior reddatur ejus conditio. Quod ſi emphyteuſis donetur, ſeu legetur Eccleſiæ, debet hæc intra annum eam vendere, & acquirit pretium correſpondens æſtimationi ipſius emphyteuſis: *arg. leg. filius fam.* 114. §. 3. *ff. de legat.* 1.

R. III. Ex ratione ſupra allata poteſt emphyteuta, irrequiſito Domino, rem emphyteuticam permutare, ſervatis tamen conditionibus antea explicatis. Si tamen poteſt permutare cum æquali emolumento cum Domino directo, iſte ſemper præferendus eſt: *arg. leg. fin. Cod. de jur. emphyt.* Hinc ſi quis velit e. g. permutare rem emphyteuticam pro oleo, frumento, & ſimilibus, quæ æque tribui poſſunt a Domino directo, cum eodem facienda eſt permutatio: *Azor. loc. cit. quæſt.* 5. *Laym. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 9.

Poteſt pariter empyteuta rem emphyteuticam oppignorare Domino irrequiſito; nam hoc non eſt eam alienare, cum pignus permaneat ſub poteſtate oppignorantis: *Molin. diſp.* 461. *n.* 9.

Demum poteſt emphyteuta ad breve tempus rem emphyteuticam locare; nam locatio modici temporis non eſt alienatio. Secus ad longum tempus, quia tunc intelligitur veluti alienari dominium utile. Porro tempus decennio minus intelligitur modicum, decennium vero dicitur tempus longum; *leg. ſuper longi* 11. *C. de præſcript. longe temp.*

De laudemio agam capite ſequenti.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Obſervet Confeſſarius emphyteutam ſi prope ſit tempus, quo vel relinquere vult, vel debet rem emphyteuticam, multoties permittere, ut valde deterior fiat, eam non excolendo ut par eſt, vel non reparando domum, &c. cum illi ſatis ſit percipere quos poteſt fructus, eo tempore quo ea frui vult, vel debet. In hoc igitur emphyteuta graviter onerare poteſt ſuam conſcientiam, cum teneatur agros, vineas, domus ſaltem in ſua bonitate conſervare, ut ſupra dictum eſt; adeoque ſi, ut moris eſt, rem emphyteuticam deteriorem relinquat, obliget ad reſtitutionem.

II. Notet ſecundo Confeſſarius etiam in annis ſterilibus integrum canonem exigi a Dominis directis, quod ex dictis facere non poſſunt tutà conſcientia. Neque Domini directi ſatis noſtris hiſce temporibus poſſunt ſe defendere, quia emphyteuta annis ubertatis poteſt damnum, quod paſſus eſt compenſare; nam annuus canon multoties ſolet eſſe gravis valde, ac proinde etiam annis ubertatis, ſi computentur labores, & impenſæ emphyteutæ, quæ pro eo remanere debent, non ſatis reputabuntur ad compenſanda, quæ paſſus eſt damna annis ſterilitatis. Secus dicendum eſſet, ſi canon eſſet moderatus. Videat ergo, ne Domini directi, qui ſolent eſſe valde potentiores emphyteutis, nimis exigant contra juſtitiam.

III. In praxi etiam advertendum Dominos directos, dum emphyteuta ex canone non ſoluto cadit in commiſſum, nil curare de melioramentis factis in re emphyteutica, quæ cogitur deperdere emphyteuta ob ſuam paupertatem. Moneat igitur Confeſſarius divites, ut juxta conſcientiam melioramenta indebita compenſent, ne ex aliorum labore, & impenſis locupletiores fiant, cum maxime agatur de damno pauperum avertendo.

IV. Magnum demum eſt inconveniens in eo, quod emphyteutæ, maxime ſi ſint ruſtici, rem emphyteuticam ad alios diſtrahant, vel oppignorando, vel in dotem aliquam partem tradendo &c. Quamvis enim hæc fieri poſſint irrequiſito Domino, juxta doctrinam ſupra explicatam; nihilominus ſemper fieri debent ſine ipſius damno. In praxi autem compertum eſt, quod ita diſtrahendo partem rei emphyteuticæ, ſucceſſu temporis veluti propris ab his, quibus traditur & præcipue ab eorum ſucceſſoribus prætenditur; ac ita confunduntur res emphyteuticæ, & omnia jurgiis, & litibus involvuntur. Debet ergo curare Confeſſarius, ut hujuſmodi taliter fiant, quod ſemper conſtet quæ ſint res emphyteuticæ, qui earum fines &c.

CAPUT III.

De Obligationibus, & Juribus Domini directi; & quando valeat expellere Emphyteutam.

Q. I. QUæ ſint Obligationes Domini directi.

R. Obligationes Domini directi ſunt, ut permittat emphyteutæ frui omnibus juribus, quæ ipſi competunt. Qualia autem ſint iſta jura explicatum eſt capite ſuperiori.

Q. II. Quando Dominus directus valeat prætendere laudemium.

R. I. Quamvis apud nos in uſu ſit laudemium tradi, quando primo res conceditur in empyteuſim, & id licitum ſit, ita convenientibus ipſis contrahentibus: *Roſiga. contr.* 4. *præn.* 3. *n.* 2. pluribus citatis; nihilominus ex communi DD. pro ingreſſu nil eſſet ſolvendum, ſed dumtaxat vi contractus teneretur emphyteuta conventas penſiones ſolvere.

R. II. Adeſt obligatio, ordinarie loquendo, ſolvendi laudemium, quando res emphyteutica quocumque titulo ad alium emphyteutam tranſit. Ratio eſt, quia quamvis ex vi contractus Dominus directus teneatur tradere immiſſionem, & poſſeſſionem primo emphyteutæ, adeoque propter hoc, ſecluſa particulari conventione, nihil ipſi debitum ſit; nihilominus non tenetur poſſeſſionem, & inveſtituram dare ſecundo emphyteutæ: cum ergo concedere huic inveſtituram ſit quid pretio æſtimabile, ut habetur etiam *leg.* 3. *Cod. de jur. emph.* conſequens eſt propter hoc exigi poſſe laudemium; *Leſſ. lib.* 16. *cap.* 24. *n.* 57. *Mol. d.* 459. *n.* 21. Porro laudemium hoc de jure communi eſſet quinquageſima pars rei emphyteuticæ, *ex leg.* 3. *cit.* at univerſaliter attenditur conſuetudo locorum.

Dixi in reſponſione, ordinarie loquendo; nam plures dantur caſus, in quibus non eſt ſolvendum hoc novum laudemium. Primo, ſi novus emphyteuta habeat rem emphyteuticam, jure hæreditariæ ſucceſſionis, ad differentiam illius, qui non ſuccederet ab inteſtato, Iſte igitur quia indigeret nova inveſtitura, ſolvere deberet laudemium; non vero primus, qui ſine nova inveſtitura, cum ſit hæres neceſſarius; adit authoritate propria hæreditatem; *Mol. d.* 461. *num.* 8. *Bon de contr. d.* 3. *qu.* 8. *p. a. num.* 27. Idem dicendum, ſi ſint plures hæredes, qui jure hæreditario adeant emphyteuſim, cum omnes incluſi ſint in prima. Quinimmo docent DD. ante diviſionem unum poſſe alteri cohæredi partem ſibi correſpondentem vendere, non vero extraneo; *Bon. cit. Mol. diſ.* 460. *numer.* 7.

Secundo, non debetur laudemium quando alienatio non eſt voluntaria, ſed neceſſaria; ut ſi pater, qui tenetur filiam dotare, tradat illi pro dote rem emphyteuticam, eo quod non habeat alia bona: *Bon. loc. cit.*

Tertio, non debetur laudemium, quando ſine novo con-

Digitized by Google

contractu res emphyteutica ad priorem redit Dominum; ut ſi quis vendidiſſet rem emphyteuticam cum pacto retrovenditionis, vi cujus rem a ſe alienatam iterum ſibi redimeret: *Mol. d. 459.* Solvendum vero eſt laudemium, quando nova requiritur inveſtitura, ut ſi quis rem emphyteuticam ſine pacto præfato alienaſſet, unde neceſſarius eſſet novus contractus ad eam ſibi comparandam; nec ſatis eſſet reſciſſio prioris contractus, ut evenit quando prædictum pactum intercedit.

Q. III. Quibus ex cauſis poſſit Dominus directus emphyteutam expellere.

R. I. De jure communi ſi emphyteuſis ſit laica, & emphyteuta ceſſet per triennium a ſolutione, cedit in commiſſum: *leg. 2. C. de Jur. emphyt.* ſi vero ſit Eccleſiaſtica, ſi ceſſet per biennium: *cap. fin. de locat.* oportet tamen Dominum directum velle emphyteuſim adeptam eſſe non ſolventi, & ſibi applicari: *leg. 2. C. de jur. emphyt. Bonac. de contr. d. 3. q. 8. p. 2. num. 8.* quia facta declaratione, etiam non expectata ſententia Judicis, emphyteuta cadit in commiſſum: *Mol. d. 453. Reſign. præn. 7. num.* 10. quamvis ad tollenda jurgia, & ex conſuetudine expulſio emphyteutæ ſine authoritate Judicis non fiat. Conceditur tamen in præfato capite finali emphyteutæ Eccleſiaſtico ut poſſit celeri ſatisfactione moram purgare, quæ autem dicenda ſit celeris ſatisfactio, pendet vel arbitrio Judicis, vel a particularibus legibus, ſeu conſuetudinibus locorum. Hæc purgatio moræ de jure communi non conceditur in emphyteuſi laicali, quamvis ex æquitate & in ea eſſe admittendam doceant quam plures DD.

Liberatur nihilominus emphyteuta a pœna caducitatis ob canonem non ſolutum ob plures cauſas. Si v. g. canonem retineat in compenſationem, quia tantumdem ipſi debet Dominus directus; *Navarr. in man. c. 17. num. 192. Mol. d. 453. n. 10. Azor. p. 3. l. 10. c. 6. q. 4.* Si non ſterit per ipſum, quin canonem ſolveret, ſed per dominum directum, qui non curavit, vel renuit illum recipere: *Laym. loc. cit. Mol. num. 9.* Si canonem non ſolum obtulit, ſed etiam depoſuit. Si ob gravem neceſſitatem, vel ob magnam ſterilitatem non potuit illum ſolvere juxta dicta capite ſuperiori. Si ignorabat (ut evenire poteſt in aliquo hærede rudi, & extraneo) rem eſſe emphyteuticam, vel ſolvendum eſſe canonem &c. *Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 23. num. 8. Molin. d. 453.*

Hic etiam advertere eſt, quod ſi plures ſuccedant in rem emphyteuticam, uno non ſolvente, omnes cadunt in commiſſum, juxta Gloſſam *in leg. communi dividendo l. 2. V. confundentur ff. de communi dividendo*, quam ſequuntur communiter DD. Et re vera, ultraquamquod omnes in ſolidum repræſentent perſonam Defuncti, qui ſi defeciſſet a ſolutione, cecidiſſet in commiſſum, non eſt æquum dominum pati damnum ex tali diviſione, ut eveniret, ſi deberet contra omnes diviſim agere: *Mol. d. 453. Bonac. præn. 7. num. 12. Bon. contr. d. 3. q. 8. p. 2. n. 14.* Secus dicendum in caſibus ſuperioribus, ſi Dominus directus conveniſſet, ut ſinguli contraherent cum ipſo partialem obligationem, eximendo ſingulos ab obligatione aliorum.

R. II. Si res emphyteutica notabiliter deterioretur in ſubſtantia culpa emphyteutæ, iſte cadit in commiſſum, ſeu expelli poteſt ab emphyteuſi. Id expreſſe habetur ex textu *Auth. qui rem C. de SS. Ecc.* qui textus quamvis loquatur de emphyteuſi Eccleſiaſtica, extenditur tamen etiam ad laicalem, cum etenim in quacumque emphyteuſi res concedantur ad meliorandum, conveniens eſt ut is gravetur, qui eas ex ſua culpa notabiliter deteriores reddit in ſubſtantia. Ut innui tamen, debet id evenire culpa emphyteutæ, alias locum non habet pœna; & deterioratio debet eſſe in ſubſtantia, quia emphyteuta habet fructuum perfectum dominium, & poteſt illos ad ſui libitum diſtrahere. Denique debet eſſe notabilis, & non modica, Judicis arbitrio declaranda, alias non daretur gravis culpa, ratione cujus res emphyteutica eſſet auferenda: *argum. leg. ſcio 4. ff. de integr. reſt. Mol. d. 457. Azor. p. 3. l. 10. c. 9. Laym. lib. 3. tr. 4. c. 23. num. 7.*

Hic etiam obiter advertere placet ex communiori DD. emphyteutam cadere in commiſſum, ſi res emphyteutica deſtruatur etiam ut melior reddatur; ut ſi loco vineæ parum utilis ſubrogetur in eodem loco Olivetum magis utile. Ratio ipſorum eſt quia, ſi præciſe data fuit vinea in emphyteuſim, ſemper cum deſtruatur, perit res emphyteutica, adeoque & emphyteuſis; ſicut ſi data eſſet domus in emphyteuſim, & hæc deſtrueretur ut ibi plantaretur vinea, omnino prima emphyteuſis periret. Poſſet ergo Dominus directus ſibi vendicare rem emphyteuticam ita variatam, vel velle ab emphyteuta novam celebrari emphyteuſim.

R. III. Emphyteuta cadit in commiſſum, ſi vendat rem emphyteuticam irrequiſito domino, & non ſervatis aliis conditionibus juris, de quibus cap. ſuperiori: *l. 3. C. de jur. emph. & cap. potuit de locato.* Oportet tamen non ſolum rem emphyteuticam vendi, ſed etiam tradi; nam ante traditionem nondum eſt perfecte completa venditio: *l. alienatum 63. ff. de ſign. Leſſ. l. 2. c. 24. d. 9. num. 52. Clarus q. 13. §. 1. n. 3.* Non deſunt tamen qui liberent emphyteutam a caducitate, quoties vendiderit rem cum expreſſa conditione, ut Proprietarius poſſit ſibi eam redimere eodem pretio, vel cum conditione ut non intelligatur ſubſiſtere venditionem, quoties Proprietarius non conſenſerit: *Reſig. præn. 7. num. 45.*

Q. IV. An renuente Domino poſſit ipſe emphyteuta ad ſui libitum emphyteuſim dimittere.

R. Hic poteſt habere locum, quod dicitur *leg. ſicut C. de act. & oblig.* nempe: *Quod a principio eſt voluntatis, ex poſt facto eſt neceſſitatis.* Non poteſt ergo ad ſui libitum emphyteuta dimittere emphyteuſim; & ſi dimittat adhuc obligatur ad canonem, & penſionem; nam hæc obligatio eſt perſonalis: *leg. 1. & 2. C. de jur. emph.* & obligationes perſonales, ut dici ſolet, affixæ ſunt noſtris oſſibus: *leg. quis ergo ff. de peculio, Bon. d. v. q. 8. n. 17.* Solum ergo jus expellendi emphyteutam introductum eſt in favorem Proprietarii.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Solent multoties emphyteutæ maxime idiotæ alteri tradere ſive totam, ſive partem rei emphyteuticæ ſine ſolutione laudemii Domino directo. Hoc omnino repugnat juſtitiæ; ſicut enim alia debita ſolvenda ſunt, etiamſi non petantur, ita & laudemium; nam facta alienatione rei emphyteuticæ ſtatim conſurgit obligatio ſolvendi a novo emphyteuta laudemium. Et id verum eſt etiamſi in primo contracto conceſſum fuiſſet jus transferendi in quemcumque rem emphyteuticam, nam ſemper intelligitur id conceſſum fuiſſe ſalvo jure Domini directi. Notet id Confeſſarius maxime ruralis; nam facile ruſtici ab uno ad alium transferunt res emphyteuticas.

II. Notet ſecundo Confeſſarius multoties Dominos directos agere ad expulſionem emphyteutæ propter canonem non ſolutum, abſque eo quod conſiderent an emphyteuta ceſſaverit a ſolutione propter ſterilitatem, aliaſque graves neceſſitates. Monere ergo debet Dominum directum, quod ſi non adfuit culpa emphyteutæ, neque locum habet ipſius expulſio, ſed expectare debet ut emphyteuta poſſit ſatisfacere.

III. Emphyteutæ, quaſi eſſent pleniſſime Domini rei emphyteuticæ, illam non raro deteriorem reddunt in ſubſtantia, ſuccidendo e. g. arbores fructiferas, extirpando ſylvas, negligendo debitas reparationes; permittendo ab aquis notabiliter damnificari &c. Moneat ergo illos Confeſſarius teneri in conſcientia ad omnia hæc damna reparanda, immo ad dimittendam emphyteuſim, ſi ita ſe velle Dominus declaret. Perperam proinde ſe gererent, ſi vellent litibus ſe tueri, & tenerentur ad reficiendas omnes expenſas, quas Dominus directus facere cogeretur.

IV. Solent etiam emphyteutæ nolentes in emphyteuſi perſeverare, permittere ut res emphyteutica deterioretur, atque ita Dominus directus adigatur ad eos liberandos ab emphyteuſi. Sicut ergo Confeſſarius graviter debet increpare Dominos directos, qui propter modicam deteriorationem agunt in judicio contra pauperes emphyteutas ad eos expellendos; & ita ſæpe evenit, quia non habent pecuniam, qua ſe defendant: ita graviter objurgare debet emphyteutas, qui prædicto modo ſe gerunt, illoſque monere, quod eſt illis liberum ab emphyteuſi recedere, & quod non ſolum perſeverat in illis obligatio annui canonis ſolvendi, ſed etiam reſarciendi damna ob deteriorationem. Suadeat ergo illis amicabiliter agere cum Dominis directis.

CAPUT III.

De Succeſſione in Emphyteuſi; & ſpecialiter de Emphyteuſi Eccleſiaſtica.

Q. I. QUando emphyteuſis, judicanda ſit perpetua; & qui in ea ſuccedant.

R. I. Emphyteuſis laicalis conceſſa abſque ulla limitatione temporis, & perſonarum, ut ſi dicatur: *conceda tibi hoc prædium in emphyteuſim &c.* ex communiori DD. cenſetur perpetua, & tranſire ad omnes hæredes, etiam extraneos. Ratio ipſorum eſt, quia emphyteuſis de natura ſua poteſt eſſe perpetua: *arg. lib. 1. in princ. ff. ſi ager. vect.* cum de facto translatio dominii de ſe nullam importet limitationem temporis: *leg. fin. Cod. de leg.* & non exigat, ut potius in unum, quam in alterum transferatur. Semper igitur ac in emphyteuſi, in qua transfertur dominium utile, nulla apponatur limitatio vel temporis, vel perſonarum, dicendum eſt eſſe perpetuam; & ad quoſcumque hæredes etiam extraneos, vel etiam ab inteſtato tranſire. *Jul. Clar. §. Emphyteuſis quæſt. 28. n. 1. Menoch. de præſump. l. 4. præſum. 108. nu. 7.* Limitant plures præfatam doctrinam in emphyteuſi Eccleſiaſtica, quæ ſi ſimpliciter concedatur, dicunt non tranſire tertiam generationem *ex Novell. 7. c. 3.*

R. II. Emphyteuſis tam laicalis, quam Eccleſiaſtica conceſſa in perpetuum emphyteutæ, & ipſius hæredibus, tranſit ad omnes hæredes etiam extraneos, ſive ſuccedant ex teſtamento, ſive ab inteſtato. De emphyteuſi autem laicali nullum dubium eſt, quia nomen hæredis ſimpliciter prolatum comprehendit hæredes tum neceſſarios, tum extraneos, ut patet *ex princ. Inſt. de hær. qual. & differ.*

Controverſia eſt quoad emphyteuſim Eccleſiaſticam, ſi in inveſtitura non nominati ſint hæredes etiam *extranei, vel omnes hæredes*, ſed duntaxat conceſſa ſit emphyteutæ, & ſuis hæredibus. Nihilominus verior ſententia eſt, quod ſi conceſſa fuit etiam pro hæredibus emphyteutæ, tranſeat etiam ad extraneos. Ratio eſt primo, quia, ut dictum eſt, in jure ſub nomine hæredum etiam extranei comprehenduntur, ut patet etiam *ex leg. ſi pactum 9. ff. de probat.* Secundo, jure canonico id non improbatur, ſed bene admittitur & approbatur emphyteuſis perpetua, *can. 2. §. Perpetua cauſ 10. quæſt. 2. can. ad aures 7. de reb. Eccleſ. non alien. juncta Gloſſa*; & ſolum prohibetur, ne omittantur ſolemnitates juris: *cap. nulli eodem tit. in 6.*: non eſt ergo quare excludendi ſint hæredes etiam extranei. Neque obſtat quod dicitur Novella ſupra citata; nam leges civiles diſponentes de rebus, & perſonis Eccleſiæ etiam in ipſius favorem non attenduntur: *cap. Eccleſ 10. de conſt.*: & ulterius præfata Novella revocata fuit *per Novell. 120. cap. 6. §. 1. Jul. Clar. cit. num. 7., & 8. Covarr. lib. 2. var. cap. 17. n. 5. Reinfeſt. lib. 3. decretal. t. 18. a n. 238.*

R. III. Quando emphyteuſis conceſſa eſt, ut tranſeat ad quoſcumque hæredes, ſi in contractu fœminæ non fuerunt excluſæ, & ipſæ in emphyteuſi ſuccedunt. Ratio eſt, quia nullo jure reperiuntur excluſæ ab emphyteuſi; & aliunde ipſæ etiam veniunt nomine hæredis. Quod ſi, ordinarie loquendo, excluduntur a Feudis, id provenit quia feuda dabantur pro ſervitio perſonali in bello, quod præſtare haud poſſunt fœminæ.

Idem dicendum ſi emphyteuſis conceſſa ſit his verbis: *concedo emphyteuſim pro te, & filiis tuis*; nam non ſolum per extenſionem, ſed proprie in ſenſu juris nomine filiorum veniunt etiam filiæ: *leg. pronunciatia 195. in princ. ff. de verb. ſig. juncta leg. ſi quis ita 16. in princ. ff. de Teſtam. tutel. Alvar. Valaſc. de jur. emph. quæſt. 41. num. 3. Pal. tr. 32. diſt. 10. part. 15. §. 4. num. 12. Molin. diſp. 574. num. 10.* Id autem non verificaretur, ſi emphyteuſis conceſſa eſſet emphyteutæ, *& filiis maſculis.* Videtur tamen ex probabiliori ſententia etiam in tali caſu admittendus ad ſucceſſionem filius maſculus ex filia; & hic non ſuccederet jure materno, ſed jure proprio, tanquam deſcendens a primo inſtituante. Multo magis id verificaretur, ſi conceſſio facta eſſet emphyteutæ, & ejus deſcendentibus maſculis, nam etiam maſculi ex fœmina eſſent deſcendentes a primo emphyteuta: *Anton. a Sp. S. diſp. 21. n. 1093. Valaſc. de jur. emphyt. qu. 41. n. 9.*

R. IV. Filii illegitimi, & naturales poſſunt ſuccedere in emphyteuſi ſæculari, non vero Eccleſiaſtica. Ratio primæ partis eſt, quia eodem jure quo poſſunt ſuccedere in alia bona defuncti, ita & in emphyteuſim, ſi non fuerunt in conceſſione excluſi. Ratio ſecundæ partis eſt, quia Eccleſia illos abhorret tanquam conceptos ex peccato; unde ſemper præſumuntur ab ea excluſi, quamvis ex reſcripto Principis ſæcularis fuiſſent legitimati: *Jul. Clar. quæſt. 30. & 31. Molin. diſp. 370.* Bene vero ſunt capaces talis ſucceſſionis, ſi legitimentur per ſubſequens matrimonium; nam tunc favore matrimonii illos Eccleſia ut legitimos in omnibus, & per omnia conſiderat: *c. tanta vis qui filii ſint legit.* Idem dicendum quoad ſucceſſionem, ſi nati ſint ex matrimonio valido in facie Eccleſiæ, ſed nullo ob occultum impedimentum, ſi ſaltem unus bona fide contraxerit: *cap. 2. qui filii ſint legitimi.*

R. V. Monaſterium etiam, quod ſit capax bonorum ſtabilium, ſuccedit in emphyteuſim; neque enim eſt potior ratio cur ſuccedere poſſit in alia bona ſtabilia, & non in emphyteuſim: *Laym. lib. 3. tr. 4. cap. 23. num. 15. Molin. diſp. 482. num. 3.* Advertendum tamen, quod ſi emphyteuſis non ſit hæreditaria, ſed familiaris, ſeu tranſiens tantum ad Deſcendentes; monaſterium frui poteſt fructibus, vivente Religioſo talis familiæ, eoque mortuo tranſit ad quos de jure ſpectat. Si vero Monaſterium ſit incapax bonorum ſtabilium tranſit ad præfatos ſtatim ac profitetur; nam profeſſio morti æquiparatur. Si vero emphyteuſis ſit hæreditaria, monaſterium ſaltem poſt mortem Religioſi tenetur intra annum eam vendere, ex dictis ſupra.

Q. II. An Pater poſſit alicui ex liberis, vel extraneo emphyteuſim prælegare, aut donare.

R. I. Si emphyteuſis ſit hæreditaria, hoc eſt, tranſiens etiam ad hæredes extraneos, conſtat liberum eſſe emphyteutæ de ea pro libito diſponere; *Mol. d. 478. n. 1. Laym. n. 16.*

R. II. Si emphyteuſis ſit non hæreditaria, ſed familiaris, hoc eſt, acquiſita a Patre pro ſe, & Filiis, tunc primus emphyteuta, qui propriis impenſis eam acquiſivit, poteſt de ea diſponere magis ad favorem unius filii, quam alterius; nam jus emphyteuticum ære proprio acquiſivit; & aliunde ſtipulando pro ſe, & filiis, non cenſetur voluiſſe ligare ſibi manus. Stante autem quod primus emphyteuta, cujus intuitu emphyteuſis ſtipulata eſt, vel propriis impenſis ſibi acquiſivit, de ea diſponat in favorem unius præ alio; tunc & ipſe, cum ex vi talis diſpoſitionis habeat plenum jus in emphyteuſim, poteſt de ea pro libito diſponere. Si vero primus acquirens nihil diſpoſuit, non poſſunt ſucceſſores præjudicare vocatis ad emphyteuſim: nam omnes beneficio primo acquirentis, æquale jus ſortiti ſunt: *Jul. Clar. §. Emphyteuſis quæſt. 16. num. 1. Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 23. n. 26.*

Q. III. An ſuccedens in emphyteuſim teneatur de emphyteuſi ſatisfacere Creditoribus Defuncti.

R. I. Si emphyteuſis ſit hæreditaria, hæres tenetur ex ea ſatisfacere Creditoribus defuncti; nam tenetur ſatisfacere de quibuſcumque bonis hæreditariis.

R. II. Si emphyteuſis non ſit hæreditaria, ſucceſſor non tenetur de emphyteuſi ſolvere debita defuncti; nam emphyteuſis non reputatur inter bona hæreditaria, ex quibus teneatur hæres ſatisfacere debitis defuncti, ſed in eam ſuccedit vi inveſtituræ, ratione cujus vocatur ad ſucceſſionem in eandem emphyteuſim: *Jul. Clar. §. Feudum q. 43.*

An vero bona Eccleſiæ poſſint in emphyteuſim dari, & quibus ſolemnitatibus, explicabitur in ultima Quæſtione.

Digitized by Google

QUÆSTIO VIII.

De Precario, Commodato, & Depoſito.

CAPUT I.

De Precario, & Commodato.

Q. I. QUid ſit Precarium; & in quo differat a Commodato.

R. I. Precarium, ut in præſenti ſumitur, recte definitur. *Precarium eſt, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui conceſſit, patitur: leg. 1. ff. de precar. & c. 3. de precar.* Nomen ergo precarii deſumptum eſt, quia aliquid ad alterius preces conceditur, ut eodem utatur. Plene ejus natura intelligetur ſequenti reſponſione.

R. II. Precarium quamvis conveniat cum commodato, in eo, quod ſicut qui commodat rem ſuam non facit recipientis, ita neque qui precario tradit; nihilominus differt in pluribus. Primo differt quia commodatum datur ſolum in gratiam recipientis, unde tenetur etiam de culpa levi, & leviſſima. Precarium vero non ſolum datur in gratiam recipientis, ſed & ipſe dans gratum habet poſſe ita exercere ſuam liberalitatem; *leg. 1. cit. ff. de prec.* unde qui rem precario accepit, non tenetur de culpa ſaltem leviſſima: *leg. quæſitum eſt §. Eum quoque ff. de prec., & leg. contractus ff. de reg. jur.* Secundo, commodatum conceditur ad uſum, & tempus determinatum, quæ vero precario dantur, non conceduntur ad uſum, & tempus determinatum, ſed liberum eſt concedenti rem precario traditam ad ſui libitum repetere: *cap. ult. de prec.*: & quamvis etiam ad certum tempus concedatur, adhuc tamen ſi precario tantum fuit tradita, poteſt etiam ante finitum tempus revocari; nam pacta contra ſubſtantiam contractus non valent: *leg. cum precario ff. de precar.* Verum tamen eſt, quod ſi res precario tradita ſtatim repetatur ſine neceſſitate, qui eam habuit non teneretur reſtituere, ſed bene exceptionem doli poſſet opponere; nam precarium continere debet liberalitatem, & beneficium concedentis, quod nullatenus verificatur, ſi ſtatim res precario tradita abſque neceſſitate expoſcatur.

Extra hunc caſum res precario tradita ad inſtantiam concedentis eſt reſtituenda. Item ſi moriatur ille, cui conceſſa eſt; nam ejus morte expirat beneficium perſonale ipſi factum: *cap. ult. de precar.*: vel ſi res precario tradita a Domino alienetur; nam tunc fit alterius Domini, & ab ipſius proinde pendet voluntate.

Obiter autem hic adnotare volo ad tollendam omnem æquivocationem in jure canonico haberi quendam contractum, qui *precario*, ſeu *precaria* dicitur. Hujuſmodi autem contractus tunc celebrari dicitur, quando ad preces alicujus, & præcipue cauſa remunerationis, ipſi conceditur fruendum aliquod prædium, ſive alia res immobilis Eccleſiaſtica, ad dies vitæ, ſive ad certum tempus; ea tamen lege, ut ſingulis quinquenniis petatur renovatio hujus contractus: *cap. 1. & ſeq. de precar.* In hoc autem contractu non imponitur annua penſio ſolvenda, ut in emphyteuſi, & locatione, ſed res gratis fruenda conceditur. Demum non poteſt fieri iſte contractus ſine ſolemnitatibus requiſitis ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum, ut de ſe patet.

Q. II. Quid ſit commodatum.

R. Hic non ſumitur commodatum pro ipſa re commodata, ut vulgo fieri ſolet, ſed pro contractu commodati, qui ita definiri poteſt: *Commodatum eſt conceſſio alicujus rei ad aliquem ſpecialem uſum gratuito facta.* Dicitur *conceſſio alicujus rei*; ſive ea ſit immobilis, ut domus, ſive mobilis, ut equus, veſtis &c. nam omnia hæc poſſunt commodari; *leg. 1. §. Hujus ff. commodati.* Dicitur *ad aliquem ſpecialem uſum.* His verbis primo commodatum differt a pignore, & depoſito, in quibus uſus non conceditur, & veluti fur habetur, qui invito Domino utitur pignore, & depoſito: *§. Furtum autem Inſtit. de oblig. quæ ex delicto &c.* Secundo, differt a mutuo; nam ut ſuo loco dictum eſt, in mutuo transfertur dominium rei mutuatæ, in commodato vero ſolus uſus, remanente dominio, & poſſeſſione penes commodantem: *leg. rei commodatæ ff. de commod.* Sunt etiam obſervanda illa verba: *ad aliquem ſpecialem uſum*; nam licet in precario non ſoleat uſus rei limitari, in commodato vero determinari ſolet uſus, ad quem conceditur, unde non eſt licitum ad alium uſum uti re commodata; *leg. in commodato §. Sicut ff. de comm.*

Additur demum, *gratuito facta.* Per hoc differt commodatum ab emphyteuſi, locatione, aliiſque ſimilibus contractibus, in quibus datur uſus rei ſub certa penſione Domino ſolvenda, at in commodato gratuito conceditur: *§. Item 15. Inſtit. quibus modis re contrahitur oblig.*

Q. III. Quæ res poſſint commodari.

R. I. Jam dictum eſt quaſcumque res ſive immobiles, ſive mobiles poſſe eſſe materiam hujus contractus. At advertendum eſt, res, quæ uſu conſumuntur, proprie non commodari, ſed potius mutuo tradi. Ratio eſt, quia in commodato traditur uſus rei, quæ poſtea eſt reſtituenda; id autem non evenit ſi tradatur alteri panis ad comedendum, & vinum ad bibendum &c. quæ cum uſu conſumantur, non videntur tradi poſſe abſque eo quod ſimul transferatur dominium, cum non eadem numero reddantur. Hæc igitur, ſicut & pecunia, videntur ſolum commodari poſſe quando alteri traduntur, non ut conſumat, ſed ut utatur ad pompam, vel oſtentationem, ut dicitur *leg. ſed mihi §. fin. ff. de commod.*

Idem commodari poſſunt res ſacræ, e. g. ab una Eccleſia alteri Eccleſiæ; *cap. unic. de commod.* & revera in hoc nulla intercedit irreverentia. Vetitum tamen eſt res ſacras ad uſus profanos commodare; id enim continet quandam irreverentiam, & habetur *can. ligna de conſ. diſt. 1. & ex reg. 52. Jur. in 6. Azor. part. 3. l. 7. cap. 4.*

Q. IV. Quæ ſint obligationes Commodatarii.

R. Hæ obligationes ſunt ſequentes. Primo, non debet uti re commodata, niſi ad uſum, ad quem conceſſa fuit; *text. in leg. ſicut certo §. Nunc videndum in fin. ff. de commod.* Et ratio de ſe clara eſt, quia Dominus rei in ea commodanda potuit determinare uſus, ad quos præciſe commodavit. Secundo, debet reſtituere rem commodatam tempore præſcripto; & id vel tacite, ſi concedatur, e. g. ut reſtituatur ejus uſu expleto; vel expreſſe, ſi præſcribatur dies terminata ad reſtituendum. Ratio eſt eadem ac ſuperior, quia Dominus poteſt velle carere re ſua tanto tempore, & non plus. Ulterius cum commodatum ſit beneficium voluntarie præſtitum a commodante, habet plenam libertatem limitandi tempus, quod proinde debet commodatarius exacte obſervare; *leg. in commodato §. Sicut ff. de commod.* Tertio, debet commodatarius reſtituere eandem, quam accepit rem; nam Dominus commodando transfert uſum, & non dominium; & res aliena ſemper eſt eadem numero Domino reſtituenda: *leg. rei commodatæ, & leg. acino ff. de comm.* Demum tenetur commodatarius rem commodatam diligentiſſime cuſtodire: *leg. 1. §. Is quoque ff de act. & oblig.* Et quidem in omnibus contractibus factis in gratiam ſolius recipientis, recipiens tenetur ad ſervandam rem habitam, ut faciunt diligentiſſimi.

Q. V. Ex qua culpa teneatur Commodatarius; & an ex caſu fortuito.

R. I. Si ut communiter evenire ſolet, commodatum fiat in gratiam ſolius recipientis, Commodatarius teneretur etiam de culpa leviſſima, hoc eſt, de ommiſſione illius diligentiæ, quam præſtare ſolent diligentiſſimi. Nihilominus quoad forum conſcientiæ attendantur ea, quæ dicta ſunt *tr. 13. q. 2. cap. 1. quæſ. 4 & 5.*

R. II. Commodatarius ad nihil tenetur, ſi res abſque ſua culpa caſu fortuito pereat, res etenim perit domino ſuo, adeoque commodanti: *cap. unic. de com. leg. ſi ut certo §. Nunc videndum ff. de comm. & leg. 1. Cod. eod.* Dixi, ſi caſus fortuitus proveniat abſque culpa commodatarii; nam ſi e. g. eſſet in mora reſtitutionis, tunc ſi res caſu fortuito periret, teneretur equidem damnum compenſare, quia caſus ille, quantumvis fortuitus, illius culpa accidiſſet; *cap. un. cit. de comm.* & ulterius, *mora ſua cuilibet eſt nociva*, ut dicitur *reg. 26. Jur. in 6.* Limitanda nihilominus eſt hæc doctrina pro caſu, in quo res æque periiſſet apud Dominum, ut dictum eſt *l. c. c. 2. quæſ. 9. reſp. 3.*

Hic

Digitized by Google

Hic etiam advertere eſt, quod quamvis nulla interceſſiſſet culpa commodatarii, adhuc teneretur compenſare damnum, quoties ipſa in ſe ſuſcepiſſet periculum rei, & ſe obligaſſet ad reſarciendum damnum etiam caſu fortuito; nam contractus ex conventione legem accipiunt, ut dicitur *reg.* 85. *jur. in* 6.

Quid vero dicendum ſit ſi tes commodata dolo nuntii periret, pariter videndum eſt *Tract.* 13. *quæſt.* 2. *cap.* 7. *quæſ.* 3.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Primo, advertat Confeſſarius contra juſtitiam multos ſolere differe reſtitutionem tei precario habitæ. Mos eſt enim plurium, qui aliquam rem ad uſum expetierunt, adducere maltas excuſationes ad differendam reſtitutionem, quoties Dominus rem ſuam expoſcit. Si ergo res precario habita fuit, ſtatim eſt reſtituenda, quoties Dominus eam expoſcit, quamvis qui ejus uſum obtinuit, adhuc neceſſe haberet illa uti. Solum ex dictis, differri poſſet reſtitutio, quoties revocatio precarii, uulla cogente neceſſitste, facta eſſet ita intempeſtive, ut ex ea damnum alterius ſequeretur.

II. Item advertera debet in praxi Confeſsarius nequaquam poſse commodantem contra voluntatem commodatarii, & maxime cum ejus damno tem commodatam repetere, durante uſu vel tempore conceſso; nam commodatarius jus habet ad uſum, & ad tempus ſibi conceſsum. Hinc ſi commodans authoritate, ſeu vi rem commodatam ante tempus repetit, & exinde commodatarius patiatur damnum, tenetur illud compenſare, utpote actione injuſta cauſatum. Ita poteſt evenire, ſi aliquis ad tempus repetat inſtrumenta artis alteri commodata, equum commodatum pro aliquo itinere faciendo, boves commodatos pro arando &c. Solum excuſandus eſset commodans, quando cum non antea prævidiſset ſuam neceſſitatem, non tepetendo poſtea rem ſuam ante tempus conſtitutum, debetet ipſe ſimile damnum ſubire; nam non cenſetur voluiſſe commodare rem ſuam eum proprio detrimento; ut enim dicitar *cap. cum licet* 23. *q.* 5. quilibet ſibi magis, quam alteri obligatur.

III. Commodatarii multoties patum attendunt ad obligationem, quam habent non utendi re commodata niſi ad eum uſum, ad quem conceſsa eſt, & niſi pro tempore ſibi conceſso; immo rem commodatam aliquando aliis etiam tribuunt utendam. In hoc poſſunt peccare graviter, ni eum fundamento præſumant Dominum non eſse invitum, vel niſi excuſaret a gravi culpa brevitas temporis, vel modicus uſus, quo ea uteretur contra voluntatem Domini. Attendant item Confeſsarii commodatarium ſolvere debere commodanti quanti valet uſus, vel tempus, quo contra voluntatem Domini uſus eſt re cummodata, ni iſte remittat, vel rationabiliter præſumatur nolle pretium talis uſus. Exemplum ſit in eo, qui commodaſset inſtrumentum ad aliquem determinatum uſum, vel equum ad aliquod determinatum iter. Certe ſi commodatarius ad alia etiam eo utatur inſtrumento, vel equo ad longius iter, debet ſolvere pretium majoris, ſeu longioris uſus talis inſtrumenti, & equi.

IV. Cum multoties evenire ſoleat vel quod pereat, vel quod deterioretur res commodata, diligenter examinet Confeſſarius quæ culpa interceſserit Commodatarii. Si deterior facta eſt, vel periit, quia eo uſus fuit ad alium uſum quam conceſserit commodans, tunc teneretur utique illius damna compenſare, quia tes culpa commodatarii periit, vel deterior facta eſt. Ita ſi moriatur equus, quia aliquis eo uſus fuerit ad longius iter, quam commodans præſcripſerit, pretium equi tenetur ſolvere. Si vero res commodata periit, vel valde deterior facta eſt propter uſum conceſſum a commodante, tunc videat Confeſſarius, qua diligentia ea uſus fuerit commodatarius; multoties enim in re aliena utenda parum diligentiæ, & diſcretionis, ut dici ſolet, adhibetur, quando alias magna eſſet adhibenda, quia gratis res commodatur. Si ergo adinveniat rem deteriorem factam, vel deperditam, quia commodstarius ſaltem non adhibuerit eam diligentiam, quam adhibuiſſet reſpectu tei propriæ; vel quam adhibuiſſet Dominus, ſi re ſua uſus eſſet; certe debet illum ad damna compenſanda condemnare, utpote quæ ex ipſius culpa evenere.

V. Ultimo in praxi conſiderandum ipſos commodantes obligandos eſſe ad reſtitutionem ex damno, quod paſſi ſunt commodatarii ex re commodata. Id evenit, quando non monuerunt commodatarios de vitio rei commodatæ, quando id non ignorabant, nec commodatarius ſciebat. Si v. g. commodent vaſa, ex quorum vitio vel vinum, vel oleum corrumpantur, vel fiant deteriora; ſi commodent equum effrænem, ſi bovem cornupetam, ſi ſervum non fidelem &c. debent compenſare damnum, quod patiuntur commodatarii.

CAPUT II.

De Depoſito:

Q. I. Quid ſit Depoſitum; & quotuplex.

R. I. Depoſitum dupliciter ſumi poteſt. Primo, pro ipſa re depoſita, & juxta hanc acceptionem *leg.* 1. *§.* 1. *ff. depoſiti*, ita definitur: *Depoſitum eſt, quod cuſtodiendum alicui datum eſt*. Secundo, ſumitur pro contractu depoſiti, & in hoc ſenſu communiter definitur: *contractus, quo aliquid alteri gratis cuſtodiendum datur*. Dicitur *gratis* cuſtodiri res tradita: nam depoſitum videtur expoſcere, ut fiat gratia ſolius deponentis, & ſi depoſitarius, ille nempe, qui recipit rem cuſtodiendam, pro cuſtodia exigat aliquam mercedem, contractus depoſiti potius tranſit in contractum locationis, quatenus ſcilicet cenſetur depoſitarius locare operam ſuam ad rem cuſtodiendam.

R. II. Depoſitum aliud eſt judiciale, aliud privatum. Judiciale contingit, quando tes apud Judicem controverſa deponitur apud tertium cuſtodienda, ut lite finita victori tradatur. Hoc depoſitum alio nomine *ſequeſtrum* etiam appellatur. Datur etiam depoſitum judiciale, quando renuente Creditore accipere pecuniam oblatam a Debitore, pecunia deponitur, & liberatur decreto Judicis: *leg. licet ff. depoſiti*, *Azor. p.* 3. *l.* 7. *cap.* 2. Depoſitum privatum intervenit, quando vel fit privata authoritate partium, vel quando deponitur res cuſtodienda apud aliquem fide dignum. Si hoc depoſitum fiat, nulla cogente neceſſitate, dicitur voluntarium, ſi vero fiat timore alicujus periculi, puta incendii, tumultus &c. dicitur neceſſarium.

Q. II. Quæ ſint obligationes Depoſitarii.

R. I. Depoſitarius tenetur cuſtodire rem depoſitam ea fide, & diligentia, qua res proprias cuſtodit: *leg. quod nerva ff. depoſiti*.

R. II. Depoſitarius non poteſt uti re apud ſe depoſita; illud enim eſt diſcrimen inter depoſitum & commodatum, quod in hoc contractu conceditur uſus rei commodatæ, non vero in depoſito. In duplici nihilominus caſu poteſt Depoſitarius uti re apud ſe depoſita. Primo, ſi adſit præſumpta voluntas Domini; tunc autem præſumitur Dominus uſum rei depoſitæ non interdicere, quando uſus nullum damnum ipſi affert, & aliunde ſequitur ex eo aliqua utilitas depoſitario: ut enim communiter dicitur, quod tibi non nocet, & alteri prodeſt, de facili eſt concedendum. In hoc igitur caſu uſus depoſiti licitus eſt, nec depoſitarius teneretur veluti de furto, ut accideret quando uteretur re depoſita contra voluntatem Domini: *leg. ſi ſacculum ff. depoſiti &c.*

Ex hac doctrina inferunt DD. quod ſi ego apud me haberem una cum aliis meis mercibus merces alicujus Amici, & data opportunitate venditionis, pro majori commoditate, quia e. g. ſunt magis ad manus ſumerem merces amici, illi applicando meas æqualis bonitatis, non tenerer poſtea de damno, quod pateretur Amicus, ſi perirent merces, quæ remanſerunt. Non tenerer, inquam, quia ſuppono quod ſi non diſtraxiſſem merces amici, eæ periiſſent. Ulterius ſemper cum ſolum pro majori mea commoditate commutavi meas merces cum mercibus amici, iſte præſumitur conſenſiſſe, adeoque merces, quæ pereunt, ipſi Amico tamquam vero Domino pereunt: *Lugo d.* 33. *de juſt. num.* 5. *Tamb. l.* 9. *de contr. tr.* 7. *cap.* 5. *§.* 4. *num.* 2. *Mol. d.* 523. *n.* 6.

Secundo, Depoſitarius uti poteſt re depoſita, quando Dominus expreſſe, vel tacite conceſſit talem uſum; quamvis tunc potius interveniat mutuum, ſi concedatur uſus rei uſu conſumptibilis; vel commodatum, ſi concedatur uſus rei non conſumptibilis. Quando uſus

Digitized by Google

expreſſe conceditur da ſe patet. Quando vero tacita concedatur, conſiderandum eſt ex circumſtantiis, Si ex. gr. tradatur pecunia cuſtodienda in ſacculo ſigillo munita, vel in arcula clauſa, tunc clarum eſt deponentem nec tacite concedere talem uſum: *leg. 1. in ſacculum ff. depoſiti*; & ad ipſum pertinebit incrementum, vel decrementum pecuniæ; ſicut & ipſi peribit, quando pereat ſine culpa depoſitarii. Et ratio horum omnium eſt, quia ſemper permanet ſub dominio deponentis.

Si vero conſignetur pecunia non clauſa, nec obſignata, nec illius uſus interdicitur, tunc tacite intelligitur conceſſus Depoſitario illius uſus. Et reveſa in tali caſu Dominus nullum patitur damnum, nec incommodum, ſi Depoſitarius ea utatur; nam ex tali uſu transfertur dominium in Depoſitarium, & ita non amplius ſtat periculo Domini, ſed Depoſitarii. Crederem tamen nec tacita conceſſum uſum talis pecuniæ, quando depoſitarius tempore reſtitutionis non poſſet habere paratam ſimilem pecuniam; nam tunc non poſſet credi Dominum conſentire, ut eam ſibi applicet, vel diſtrahat ad negociandum &c. Et in hoc caſu graviter etiam peccaret, nam gravem faceret injuriam domino diſtrahendo ſummam notabilem pecuniæ ipſius, quando non poſſet eam tempore debito reſtituere; ſicut etiam teneretur de damno, & intereſſe, ut de ſe patet. E contra non crederem graviter peccare, etſi uteretur pecunia depoſita etiam contra voluntatem Domini, quando certus eſſet ſimilem pecuniam habiturum tempore reſtitutionis, & nullum Domino damnum imminere; nam in talibus circumſtantiis non eſſet rationabiliter graviter invitus: *Tamb. cit. n. 6. Pal. tr. 22. d. 3. p. 3.*

Vel utatur autem pecunia depoſita cum tacito conſenſu Domini, vel ſine illo, certum eſt, quod ſi eam expoſuit negociationi, & exinde lucratus eſt, lucrum pertinet ad depoſitarium, quia eſt fructus induſtriæ. Item certum eſt, quod ſi depoſita fuit pecunia cum expreſſa, vel tacita facultate ea utendi, ſi ea depoſitarius utatur, cum tunc depoſitum tranſeat in mutuum, incrementum vel decrementum pecuniæ & ad ipſum depoſitarium pertinebit: *Tambar. de contr. lib. 9. tract. 7. cap. 5. §. 3. num. 2. Trull. lib. 7. cap. 25. d. 1. num. 4.*

R. III. Depoſitarius tenetur abſque mora reſtituere depoſitum repoſcenti: *cap. bona fides de depoſ. leg. l. 1. §. Eſt autem ff. depoſiti*. Nec poteſt depoſitarius retardare reſtitutionem, eo quia deponens repoſcat depoſitum ſuum, antequam finierit tempus, pro quo fecerat depoſitum; nam depoſitum ſemper eſt revocabile ad nutum deponentis, & tempus cenſetur præfixum ad obligandum depoſitarium ad cuſtodiam, non vero deponentem ad non repoſcendam rem ſuam: *leg. 1. cit. §. Si ſic depoſuero, Roſign. contr. 9. præa. 11. num. 10.*

Volunt etiam leges non eſſe negandam reſtitutionem depoſiti titulo compenſationis: *leg. ſi quis vel pecunias C. depoſiti, l. ult. Cod. de compenſ.* At non pauci DD. Morales id pro foro externo attendendum dicunt, non vero pro foro interno, quando alias debitum eſſet certum, nec alia via niſi compenſationa poſſet depoſitarius crediti ſui ſolutionem obtinere: *Laym. lib. 3. tr. 2. cap. 9. num. 10.*

Numerantur etiam aliæ cauſæ, quibus liceret Depoſitario negare reſtitutionem Depoſiti. Primo, ſi ex reſtitutione depoſiti aliquod ſpirituale, vel temporale damnum depoſitori, ſeu alteri innocenti immineret; ut ſi quis repeteret gladium depoſitum ad ſe ulciſcendum: *can. ne quis arbitretur §. Duo ſunt 22. quæſt. 2.* Secundo, res depoſita tradenda eſt Fiſco, quando bona depoſitoris ob aliquod ejus crimen fuerunt confiſcata: *leg. bona fides §. 1. digeſtis depoſiti*. Tertio, ſi fur depoſuerit rem furtivam, tunc Domino comparente, iſti eſt tradenda, non furi eam repoſcenti; exigit enim juſtitia ut jus ſuum unicuique tribuatur: *citat. leg. bona fides §. Incurrit.* Quod ſi Dominus non compareat, reſtituenda eſt furi depoſitum petenti: *leg. prim. §. Si prædo digeſtis depoſit. & citat. §. Incurrit*. Demum ſi fur depoſuerit rem ablatam apud Dominum, & iſte poſtea cognoſcat rem eſſe ſuam, non tenetur reſtituere furi eam repetenti: *citat. leg. bona fides §. Si tamen &c.* & de facto non patitur ratio, ut quis cogatur rem propriam alteri reſtituere.

Q. III. Ex qua culpa teneatur Depoſitarius, ſi res depoſita pereat.

R. I. Regulariter loquendo, Depoſitarius tenetur tantum de culpa lata, hoc eſt, ſi res depoſita pereat ex omiſſione illius diligentiæ, quæ communiter adhiberi ſolet. Ratio eſt, quia regula generalis eſt, quod in contractibus, qui gratia ſolius dantis celebrantur, ſolum attendatur, ſi res ex culpa lata pereat: hoc autem intercedit in contractu depoſiti, nam Depoſitarius ſolum accipit rem conſervandam in gratiam deponentis: *lib. 1. verſ. culpam Cod. de depoſito, juncta Gloſſa, & lib. 1. §. In contractu, & §. fin. ff. de depoſito*.

Dixi, regulariter loquendo, nam dantur aliqui caſus, in quibus depoſitarius tenetur de culpa etiam levi, ſi nempe pereat res depoſita ex omiſſione diligentiæ, quam adhibere ſolent diligentiores. Primo, ſi ita cautum ſit, dum factum fuit depoſitum: *leg. 1. §. Si conveniat, & §. Sæpe ff. depoſ.* & patet ex illa regula generali, quod *contractus ex conventione legem accipiunt*. Secundo, ſi depoſitarius ſe ipſum obtulerit pro conſervando depoſito: *lib. 1. citat. & cap. 2. de depoſ.*: & ratio eſt, quia, Depoſitarius offerendo ſeipſum ad recipiendum depoſitum, cenſetur ſe obligaſſe ad majorem diligentiam præſtandam. Immo cum aliquibus videatur tunc depoſitum fieri in gratiam ſolius depoſitarii, dicunt teneri etiam de culpa leviſſima. Tertio, depoſitarius tenetur de culpa levi, ſi aliquam mercedem recipiat pro re depoſita cuſtodienda, nam tunc contractus eſt in gratiam utriuſque; atque ita ſancitur *capit. 2. de depoſit. & leg. 1. §. Si veſtimenta, & §. 1. quis ſervum digeſtis depoſ.* Ulterius, ut dictum eſt ſupra, tunc contractus potius eſt locationis, & conductionis, quam depoſiti. Demum depoſitarius tenetur de culpa levi, quando eſt in mora reddendi: immo & tunc ipſi imputabitur caſus fortuitus, ut expreſſe habetur *capit. 2. de depoſ.*

Volui hæc adnotare, quia quamvis ex a me traditis in Tract. de juſt. & jur. obligatio reſtituendi in foro conſcientiæ ſolum inſurgat ex culpa theologica gravi, nihilominus hæc facilius poteſt intercedere, quando quis tenetur ad cuſtodiendam rem majori cum diligentia.

Q. IV. An depoſitarius, ſeu commodatarius teneatur ſalvare potius res depoſitas, & commodatas, quam proprias, dum non poſſit utraſque ſalvare.

R. I. Si res depoſitarii, vel commodatarii ſint pretioſiores rebus depoſitis, & commodatis, poſſunt ſuas res pretioſiores ſalvare præ alienis minus pretioſis: *Gloſſa in leg. ſi ut certo v. ſalvare ſacere ff. commodati.* Et de facto neque diverſo modo operaretur diligentiſſimus, quoties in diſcrimen venirent res propriæ pretioſiores, & alienæ viliores: *Azor. p. 3. l. 7. de com. c. 7. q. 6., Laym. l. 3. tr. 4. c. 7. n. 7.*

R. II. Si res depoſitæ, vel commodatæ æquales ſint in pretioſitate cum propriis, depoſitarius poteſt proprias præ alienis ſalvare, ſecus commodatarius. Quod id poſſit depoſitarius ex eo probatur quia, accepit depoſitum in gratiam deponentis, unde non eſt æquum ex commodo alteri præſtito ipſum damnificari. Præterea quando cætera ſunt paria, poteſt quis magis diligere ſe, & propria quam alios, & aliena. E contra æquitas poſtulare videtur commodatarium propriis rebus alienas ſibi commodatas æque pretioſas anteferre debere, nam ſolum in ſui commodum res alterius accepit; unde potius conſulere debet rebus illius, qui eas ipſi tradidit, quam propriis juxta communem regulam, quod qui ſentit commodum, debet ſentire & incommodum, quod ſaltem verificari debet dum omnia ſint paria: *Leſſ. lib. 2. cap. 27. num. 29. Laym. lib. 3. tr. 4. cap. 7. num. 7.*

R. III. Depoſitarius poteſt anteferre etiam res proprias viliores alienis pretioſioribus. Ratio eſt, quia cum depoſitarius acceperit depoſitum in gratiam ſolius deponentis, non cenſetur voluiſſe ſe obligare ad cuſtodiendam rem alienam cum ſuo incommodo. Id non verificatur de commodatario, in cujus gratiam factum eſt commodatum; & ſi commodatum factum eſſet in gratiam utriuſque, tunc damnum eſſet dividendum: *Bonac. d. 3. quæſt. 5. part. 6. numer. 25.* Quæ tamen dixi de depoſitario, velim eſſe intelligenda, quando ex amiſſione rei ſuæ grave incommodum ſentiret, non vero ſi ipſius incommodum eſſet leve, & in-

Digitized by Google

& incommodum deponentia valde grave, dum jacturam rei ſuæ faciat. In his circumſtantiis tenetur depoſitarius potius ſalvare res alienas pretioſiores; nam tenetur adhibere in cuſtodia rei depoſitæ communem diligentiam, quam certo emitteret, ſi fineret perire res alienas valde pretioſas, ne dimittat rem ſuam cum parvo incommodo.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Dum in depoſito non concedatur depoſitario uſus rei, obſervet Confeſſarius, quod ſi depoſitarius ea utatur, debet ſolvere Domino pretium uſus ipſius rei, quando non poſſit judicare Dominum ſaltem tacite in eum uſum conſenſiſſe; vel quod nil curet de pretio uſus, quamvis ægre tulerit depoſitarium re ſua uſum fuiſſe.

II. Meminiſſe etiam debet Confeſſarius, quod ſi Depoſitarius utatur re uſu conſumptibili apud ſe depoſita, ut pecunia, tritico &c. & proinde pereat, minuatur &c. perit, vel minuitur ipſi depoſitario; per hoc enim quod hujuſmodi rebus utatur, ipſarum acquirit dominium, atque ita ipſi pereunt.

III. Obſervet Confeſſarius, quod ſi perierit res depoſita, pro foro conſcientiæ non debet attendere niſi an perierit ex culpa gravi theologica ipſius Depoſitarii. Hinc ſi ex mera oblivione in loco publico reliquerit rem depoſitam, ac proinde fuerit furto ſublata, non proinde in foro conſcientiæ ad reſtitutionem tenetur etiamſi res depoſita fuiſſet pretioſiſſima.

QUÆSTIO IX.

De Pignore, & Hypotheca.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit Pignus, & Hypotheca.

Q. I. Quid ſit Pignus; & in quo differat ab Hypotheca.

R. I. Non ſumitur in præſenti pignus pro re ipſa oppignorata, nec pro jure, quod creditor habet in re oppignorata, ſed pro contractu, ſeu conventione, qua res ſecuritatis gratia alteri datur, vel obligatur: *leg. 1. ſ. fin. ff. de Pact.* Juxta hanc acceptionem pignus ita poteſt definiri: *Contractus, quo alteri res datur, vel obligatur in ſecuritatem crediti, ut inde poſſit ſatisfactionem accipere, ſi aliunde ei non fuerit ſatisfactum.* Conſtat ergo finem pignoris eſſe majorem ſecuritatem creditorum, ſeu aliorum, qui alios ſibi obligatos habent, ut enim dicitur *reg. 25. ff. de reg. jur. Plus cautionis in re eſt, quam in perſona.*

R. II. Pignus, & hypotheca quandoque etiam jure confunduntur: *leg. res 5. ff. de pignor.*

Alii dicunt in eo diſcriminari, quod pignus in re mobili conſtituatur, hypotheca vero in immobili. Mihi autem non ſatis apparet, cur etiam res immobilia non poſſit dici pignus, quoties actualiter tradatur creditori ob ſecuritatem ſui crediti; & de facto nomen pignoris aſſignatur etiam rei immobili traditæ in ſecuritatem: *leg. 2. ſ. fin. de relig. & ſumpt. fun.* Potius ergo videtur dicendum pignus intervenire, quando res ſive mobilis, ſive immobilis actualiter traditur creditori, donec ei debitum ſolvatur; hypotheca vero, quando abſque eo quod tradatur res, vel ipſius poſſeſſio, nuda conventione alteri obligatur. Ita expreſſe habetur *leg. ſi rem 9. ſ. 2. ff. de pignorat.* Quoad effectum pro eodem ſumuntur; nam tam rei oppignoratæ, quam hypothecatæ dominium non transfertur, ſed ſolum remanet obligata pro ſecuritate creditoris &c.

Q. II. Quotuplex ſit pignus, & hypotheca; & quando ex jure detur hypotheca.

R. I. Pignus aliud eſt expreſſum, aliud tacitum. Pignus expreſſum ſeu hypotheca expreſſa eſt, quando quis expreſſa conventione omnia ſua bona, vel aliqua alteri obligat in ſecuritatem. Tacita intervenit, quando abſque expreſſa conventione partium bona alicujus remanent alteri obligata.

R. II. Aliqua de hypotheca dixi *tract. 13. q. 2. c. 8. q. 5.* Modo juvat hic repetere plura dari exempla ex jure tacitæ hypothecæ, ſeu pignoris legalis. Uxor igitur habet tacitam hypothecam pro ſecuritate dotis in bonis mariti: *leg. unic. C. de rei uxor. act. ſ. Ut plenius, & c. ex lit. 5. de pignor.* & id locum habet, etſi maritus ob aliquod delictum bonis eſſet expoliandus: *c. 5. cit. & l. 2. nec uxor pro marito.* Item habet ſibi hypothecata bona mariti, ſi iſte bona ipſius paraphernalia adminiſtret, ut communiter docent DD. *arg. l. ubi 29. C. de Jur. dot. & leg. fin. C. de pact. convent.* Verumtamen eſt, quod quamvis ratione dotis antecedat creditores non privilegiatos, non tamen habet idem privilegium ratione bonorum paraphernalium, ut ex *cit. leg. unic. &c.* E contra maritus ex eadem lege habet ſibi tacite hypothecata bona uxoris pro dote ſibi promiſſa. Fiſcus habet tacitam hypothecam in bonis cum eo contrahentium, vel aliquam rem ab eo conducentium; ſicut & in bonis ſuorum officialium, & adminiſtratorum: *leg. 1. & 2. C. in quibus cauſis pignor. tacite & c.* Pupilli, & Minores tacitam hypothecam in cunctis bonis Tutorum, & Curatorum: *leg. pro officio 20. C. pro admin. tutor. & cur.* Eccleſia, Collegia, aliæque cauſæ piæ habent tacitam hypothecam in bonis Prælati, vel alterius Adminiſtratoris rerum pertinentium ad has pias cauſas. Id quidem expreſſo juris textu non probatur, ſed commune eſt apud DD. quia nempe Eccleſiæ gaudent, & fruuntur jure Minoris: *c. 1. & cap. auditis 3. de in integ. reſt. Gloſſ. in cap. ex lit. v. obligata de pignor. Engell. de Pign. num. 3. Laym. lib. 3. tr. 4. cap. 30. n. 3.* Id extendunt ad quemcumque Adminiſtratorem, & volunt hypothecam incipere a die inceptæ adminiſtrationis, ſed videndus Merlinus *de pign. lib. 3. tit. 1. q. 2. & 4.* Bona Defuncti remanent hypothecata pro legatis ab eo factis: *ſ. 2. inſtit. de legat. & leg. 1. communia de legatis.* Qui dat pecuniam pro reficiendo ædificio tacitam in illo habet hypothecam: *leg. 1. ff. in quib. pignor. tacit.* ſicut & eandem hypothecam habet in re, ad quam conſervandam quis dedit mutuo pecunias: *leg. qui navem 26. & leg. quod quis 36. ff. de reb. author. Jud. poſſeſſ.* Quamvis autem aliqui velint hypothecam in re empta, ſeu acquiſita, qui dedit pecuniam ad eam acquirendam, vel emendam; hoc tamen puto non eſſe verum, ſi non ſit expreſſe reſervata: *Merl. lib. 3. tit. 5. q. 25.* & ſolum abſque controverſia admittitur, ſi aliquid emptum ſit pecunia Pupilli: *Merlin. q. 25.* Venditor habet hypothecam in re vendita, quouſque ei fuerit pretium ſolutum: *leg. Julianus 13. ſ. 8. ff. de action. empti.* Locator habet tacitam hypothecam in omnibus rebus, quas conductor intulit in domum, vel prædium; & id non ſolum pro penſione, ſed etiam pro deterioratione rei locatæ: *leg. 2. ff. in quib. cauſ. pignus.* In prædiis ruſticis, fructus, qui ibi naſcuntur, obligantur pro penſione ſolvenda Domino. Hæc innuere placuit, quia quandoque deſervire poſſunt pro directione conſcientiæ; monendo tamen attendenda eſſe jura municipalia, ubi aliqua prædictis contraria decernant.

R. III. Pignus aliud eſt conventionale, aliud prætorium, aliud judiciale. Conventionale eſt, quod fit ſola partium conventione. Prætorium eſt, quod ex decreto Judicis fit ante definitivam ſententiam, per miſſionem in poſſeſſionem, vel quaſi poſſeſſionem rerum debitoris ex cauſa legatorum, damni illati, propter abſentiam, contumaciam, vel aliam cauſam: *leg. 1. & 2. C. de Prætor. pignor.* Judiciale eſt, quod conſtituitur Judicis decreto, immittendo creditorem in bona Debitoris jam condemnati, adeoque ad exequendam jam latam ſententiam.

R. V. Pignus aliud eſt generale, aliud ſpeciale. Pignus, ſeu hypotheca generalis eſt, quando generaliter omnia bona alteri in ſecuritatem obligantur, adeoque tam mobilia, quam immobilia, tam præſentia, quam futura; & hæc generalis hypotheca ſufficienter intelligitur, ſi quis hypothecet *vel cuncta ſua bona, vel bona ſua: leg. fin. C. quæ res pignor.* Inſuper excommuniter DD. in generali hypotheca veniunt etiam jura, & actiones.

Quædam nihilominus excepta intelliguntur e generali hypotheca, & ſunt ea, quæ veroſimiliter quis non fuiſſet obligaturus: *leg. obligatione 6. ff. de pignorat.* ut ſupellex neceſſaria, veſtis, & quæ neceſſaria ſunt ad uſum quotidianum &c. *leg. 7. & 8. ff. eod. tit. Merlin. de pignor. l. 2. tom. 1. q. 54.* Item excepta intelligun-

tur quæ creditor alienare, & in hypotecam dare non poteſt.

Q. III. Quos effectus pariat hypotheca ſpecialis, & generalis.

R. Hypotheca generalis non impedit quominus bona hypothecata vendantur, cum pretium ſuccedat in locum rei venditæ. Hypotheca vero ſpecialis ſemper afficit rem, quæ remanet obligata apud quemcumque poſſeſſorem perveniat, donec vel fuerit ſolutum debitum, vel condonata obligatio. Loquendo vero de bonis Eccleſiaſticis, hoc eſt diſcrimen inter hypothecam generalem, & ſpecialem, quod nempe bona Eccleſiaſtica poſſunt ſubdi hypothecæ generali abſque ſolemnitate juris requiſita in alienatione rei Eccleſiaſticæ, ſecus vero hypotheca ſpecialis, ut dicam quæſt. ult. cap. 1. quæſit. 5.

Advertendum tamen eſt Rectores Eccleſiarum non poſſe bona Eccleſiæ hypothecæ generali ſubjicere pro propria utilitate, ſed ſolum pro utilitate Eccleſiæ: *cap. in præſentium 3. hoc titul.* Hinc hæres Rectoris compellitur reſtituere rem Eccleſiaſticam oppignoratam non pro Eccleſiæ utilitate, ſed propria, ut ibi explicat Gloſſa *V. neceſſitate oppignorata.* Quamvis autem non poſſit bona Eccleſiæ hypothecæ generali ſubjicere ob neceſſitatem propriarum rerum patrimonialium, bene tamen id poteſt facere ob propriam neceſſitatem perſonalem, ut bene docet Gloſſa *in citat. cap. in præſentium*. Si ergo non haberet unde ſuſtentaretur vel propter hoſtium incurſionem, vel propter infirmitatem, vel propter magnam ſterilitatem &c. poſſet abſque juris ſolemnitate hypotheca ſaltem generali oppignorare, ſeu hypothecare bona Eccleſiæ, ut ſibi provideret. Hujuſmodi autem debita, ſive alia contracta pro Eccleſiæ neceſſitate, teneretur Succeſſor ſolvere, & pignus redimere, ut communiter docent Canoniſtæ; ſicut filius tenetur ſolvere debita Patris.

Regula in praxi obſervanda.

Valde expedit Confeſſarium non ignorare, quando adſit hypotheca, nec ne; cum etenim creditor hypothecarius prælationem habeat quoad alios non hypothecarios, hinc eſt quod ſi attendatur ſola ratio temporis, accidere poteſt aliquem Creditorem male numerari inter eos, cui ex hæreditate non poſſit ſatisfieri. Hinc credidi male collocatum inter Creditores poſteriores unum, cui debitor defunctus publico inſtrumento faſſus erat illi debere 300. nummos aureos ex mala adminiſtratione bonorum ipſius Creditoris. In graduatione Creditorum hic conſideratus fuit ut ſimplex Creditor a die, de quo de ſuo creditor factum fuerat publicum inſtrumentum, & ita nil ex hæreditate obtinuit. Ego vero dicebam conſiderandum, ut Creditorem hypothecarium, & hypothecam incepiſſe a die ſuſceptæ a Defuncto adminiſtrationis.

CAPUT II.

De iis, quæ poſſunt oppignorari, & hypothecari; de fructibus pignoris, & de ejuſdem venditione.

Q. I. QUæ res poſſint oppignorari, ſeu hypothecari.

R. I. Omnia ea, quæ poſſunt libere vendi, poſſunt etiam oppignorari, & hypothecari. Ratio eſt, quia magis eſt vendere, quam oppignorare, in venditione etenim transfertur dominium, non vero in pignore, & hypotheca; quæ ergo vendi poſſunt, multo magis poſſunt oppignorari, non vero e contra: *leg. ſic & quod 9. ff. de pignor.* Sive ergo res ſint mobiles, ſive immobiles, corporales, ſive incorporales, ut cenſus, jura, nomina debitorum; ſive res exiſtant, ſive ſint futuræ, ut fœtus pecorum, fructus pendentes &c. omnia hæc, ſicut & omnia quæ ſunt in noſtris bonis, ut uſusfructus &c. omnia, inquam, hæc poſſunt oppignorari.

R. II. Quæ non poſſunt libere vendi, nec alienari aut oppignorari poſſunt. Ratio eſt, quia oppignoratio eſt veluti inchoata venditio, cum creditor poſſit pignus vendere, & ex eo ſibi ſatisfacere, quoties debitor ſit in mora ſolvendi, ut *ex tit. ff. de diſtr. pignor.* ex quo etiam ſequitur quod quamvis dominium pignoris remaneat apud debitorem, nihilominus etiam Creditor acquirat quoddam veluti jus in re in eodem pignore. Item oppignoratio eſt veluti quædam ſpecies alienationis late ſumptæ, ut *ex cap. nulli de reb. Eccleſ. non alien.*; ſi ergo pignus includat veluti quandam venditionem, & alienationem, conſequens eſt quod ea, quæ non poſſunt libere vendi, nec alienari vel oppignorari poſſint.

Hinc ſequitur quaſcumque res ſacras, Eccleſias, Cæmeteria &c. aliaque omnia bona, quæ prohibentur alienari ſine ſolemnitate, & facultate Sedis Apoſtolicæ, neque etiam poſſe hypothecari, ſeu oppignorari ſaltem hypotheca ſpeciali, ut dictum eſt; *cap. nulli cit.* Item neque res publicas, & publicis uſibus deſtinatas; *leg. ſancimus C. de SS. Eccleſ. leg. 1. quæ res pignori obligar. non poſſunt, leg. ſimonum. C. eod. tit.* Non poſſunt pariter oppignorari bona fidei commiſſaria, feudalia, & Primogenituræ, cum hæc bona non poſſint alienari. Item ex jure communi oppignorari prohibentur inſtrumenta aratoria, ut boves deſtinati ad arandum *leg. executores C. quæ res pignor.* Puto autem hoc non eſſe amplius in uſu.

Supradicta doctrina, quod ſcilicet poſſint oppignorari, quæ vendi poſſunt, limitationem habet in re aliena. Hæc igitur vendi poteſt: *leg. rem alienam 28. ff. de empt. & vend.* neutiquam autem oppignorari: *leb. 6. Cod. ſi aliena res pignori. 6.* quamvis ſi Dominus poſtea ratum habeat, valeat pignus, & retrotrahatur ad tempus factæ pignorationis: *leg. ſi fundus 19. ff. de pignor.* Ratio autem cur res aliena vendi valida poſſit, non vero oppignorari eſt, quia venditio afficit venditorem; unde ſi res remanet evicta, venditor tenetur de evictione, & emptor habet jus in ipſum, ut ſibi ſolvat quantum ſua intereſt, hoc eſt, pretium, & ſi quid detrimenti paſſus ſit. Pignus vero ſolum afficit ipſam rem, cum tradatur creditori, ut ex ea ſibi ſatisfaciat, quoties debitor ſit in mora ſolvendi. Solum ergo poterit quis rem alienam conditionate oppignorare, v. g. ſi eam acquiſierit, ſi facta fuerit ſua: *leg. ſi fundus §. Aliena ff. de pignor.*

Q. II. Quid juris de fructibus rei oppignoratæ, ſeu hypothecatæ.

R. Fructus rei oppignoratæ computandi ſunt in ſortem, ita ut tantum minuatur debitum, quantum percipitur de fructibus pignoris: *leg. 1. C. de pignorat. actione, & cap. cum contra de pignor.* Ratio etiam eſt manifeſta quia quæcumque res Domino ſuo fructificat; unde pignus fructificabit pro debitore, qui remanet Dominus ejuſdem pignoris. Deductis ergo expenſis, & lucro ceſſante, & damno emergente, quod ſupereſt ex fructibus pignoris, debet computari in extinctionem debiti. Item in extinctionem talis debiti debent computari fructus, quos percepit Creditor, & Dominus non percepiſſet, quia ſemper verum eſt rem pro Domino fructificare; *Molin. diſp. 535. Azor. 3. part. lib. 7. cap. 8. quæſt. 2. Laym. lib. 3. tr. 4. c. 30. num. 7.* Hoc tamen limitationem patitur in fructibus perceptis a Marito ex pignore ipſi dato a Socero pro dote promiſſa, ut dixi agendo de mutuo & uſura. Dominus etiam Feudi poteſt ſibi retinere fructus perceptos ex fundo feudali, quoties ipſi datum fuerit in pignus: *cap. 1. de feudis, & cap. conqueſtus 8 de uſur.* interim enim, cum Vaſſallus, ut ſupponitur, remaneat liber ab obſequiis præſtandis, res feudalis ita eſt apud Dominum, ac ſi feudalis non eſſet.

Bene uſus etiam pignoris computandus eſt tanquam fructus ipſius, ſi talis uſus ſit pretio æſtimabilis, eoque utatur creditor invito Domino; cum etenim talis uſus ſit pretio æſtimabilis, debet in favorem Domini computari. Dixi tamen ſi eo utatur invito Domino, nam dum adſit illius ſaltem tacitus conſenſus, poteſt debitor pignore uti. Tacitus conſenſus præſumi poteſt, quando ex uſu res non conſumitur; & aliunde Dominus non ſoleret ex tali uſu velle aliquid ſibi erogari: *Molin. diſput. 535. Navar. in Manual. cap. 17. num. 203.*

Nil hic dicam de pacto *Antichriſeos*, & legis commiſſoriæ, cum ſatis de iis actum ſit, cum de mutuo, & uſura actum eſt.

Q. III. An & quando competat Creditori jus vendendi pignus.

R. I. Si factum fuit pactum, ut debitore tempore convenienti non ſolvente, liceat Creditori pignus

diſtra

diſtrahere, utique licebit creditori illud vendere, ut ſibi creditum ſuum ſolvat, conſignando quod ſupereſſet ex pretio debitori; etenim tale pactum nullam continet injuſtitiam: *leg. ſi convenit 4. ff. de pignorat.* Obſervandum tamen eſt, quod ſi determinatum fuerit certum tempus pro eo diſtrahendo, poteſt creditor eo elapſo abſque ulla monitione diſtrahere, eo quod per regulam generalem *dies interpellat pro homine: leg. magnam 12. de contrab. & commit. ſtipulat.* Si vero non fuit deſignatum certum tempus pro pignore vendenda, tunc non poteſt vendi, niſi poſtquam debitor ſit in mora ſolvendi, quod conſiderandum eſt ex circumſtantiis, & poſtquam debitor monitus fuit a Creditore ut ſolveret: *arg. leg. ſi ex ligat. cauſ. ff. de V. obl., Mol. diſp. 538.* & communiter.

R. II. Si pignus datum fuit in ſecuritatem Creditoris ſine ullo pacto de eo diſtrahendo, tunc etiam poteſt creditor pignus vendere, ſi debitor non ſolvat: *leg. 4. de pignorat.* ſed debet prius monere debitorem ut ſolvat, & poſt monitionem biennium expectare: *leg. fin. §. 1. C. de jur. domin. impetr.* Tempus autem biennii, ſi debitum ſit certum, computandum eſt a die factæ denunciationis; ſi vero ſit litigioſum, a die latæ ſententiæ, & tunc pignus poteſt vendi præſente, vel ſciente Domino: *Mol. n. 4.*

R. III. Si res data fuit in pignus cum pacto ut non diſtraheretur, ſeu venderetur, tunc etiam competit creditori illud vendere, ſed debet præmittere trinam denunciationem, *leg. ſi convenit. 4. ff. de pignorit.*: inter unam autem, & aliam denunciationem debet aliquod intervallum eſſe, v. g. dierum trium. Ratio autem cur, non obſtante pacto de non vendenda re oppignorata, poſſit vendi, eſt, quia ita cogente bono communi illud pactum hanc tacitam involvit conditionem, ni trina deounciatio facta fuerit. His præmiſſis tribus denunciationibus reditur ad terminos juris communis, vi cujus biennium expectandum eſt, antequam pignus vendatur: *Mol. n. 7.*

In caſu autem, quo quis non promiſerit non vendere pignus, puto in foro interno non eſſe expectandum biennium ad illius venditionem, ſuppoſito, quod debitor renuat ſolvere. Stante igitur, promiſſione non vendendi, ea utique ſervanda eſt tempore præfato, quia fides promiſſis ſecundum jus ſervanda eſt. At ſi non interceſſerit talis promiſſio, cum pignus detur in ſecuritatem crediti, cur creditor non poterit ipſius venditione creditum ſuum ſibi ſolvere, poſtquam monuit debitorem de ſolutione ſibi facienda? Ceterum ſemper cum vendiderit, ſervatis ſervandis, ipſe non tenetur de evictione emptori, ſed bene debet in ipſum transferre omne jus, quod habet in debitorem: *leg. in creditor. 38. ff. de evict.* Obſervandum tamen eſt, quod niſi pacto ſpeciali cautum ſit, ut creditor poſſit pro ſe juſto pretio pignus emere, jura volunt non poſſe illud emere nec per ſe, nec per interpoſitam perſonam: *leg. & qui 10. C. de diſtr. pign., Laym l. 3. tr. 4. c. 30. n. 6.*

Regulæ in praxi attendendæ.

I. Quandoque debitores, quod pro ſuo debito pignus creditori tradiderint, putant retardare poſſe ſolutionem faciendam vel tempore determinato, vel quando ſine gravi incommodo ſunt ſolvendo. Advertat ergo Confeſſarius non proinde debitores tutos eſſe in conſcientia; nam pignus datur ob ſecuritatem crediti, non vero ut retardetur ſolutio, quando fieri debet. Inſurgit proinde etiam obligatio reſtitutionis, ſi ex mora ſolvendi creditor damnum patiatur, vel ei ceſſet aliquod lucrum.

II. Aliud quod in praxi attendere debent Confeſſarii, eſt quod multoties habentes pignus, videndo debitores retardare ſolutionem, illud quocumque pretio diſtrahunt, ut ſibi ſolvant proprium creditum. Primo ergo poſſunt peccare contra juſtitiam, ni prius moneant debitorem de venditione pignoris, ut poſſit ſibi conſulere, vel ſolvendo, ſi poteſt, vel ab alio eodem pignore debitam pecuniam comparando. Item poſſunt creditores peccare contra juſtitiam, quando ipſis ſatis eſt ex pignore pecuniam ſufficientem pro ſuo credito retrahere, non curantes aliquid ſupereſſe in favorem debitoris, quod modica diligentia aſſequi poſſent. Semper cum ergo in hoc caſu ipſe debitor non conſentiat, etſi pignus diſtrahatur infimo pretio, cum facile poſſet medio, Creditor tenebitur de damno illato, ut de ſe patet. Demum in venditione pignoris poteſt peccari contra Charitatem, tunc ſcilicet quando creditor nullum pateretur damnum, nec ullum ipſi ceſſaret lucrum ex mora aliqua ſolvendi, & nihilominus, quia tempus advenit ſolutionis, vult omnino a debitore pignus vendi cum gravi ipſius damno.

QUÆSTIO X.

De Fidejuſſione, & Aſſecuratione.

CAPUT I.

De Fidejuſſione, ejuſque Effectibus.

Q. I. Quid ſit Fidejuſſio, & quotuplex.

R. I. *Fidejuſſio eſt contractus, quo quis promittit ſe ſoluturum id, quod alias debet, ſi principalis debitor non ſolvat, eodem principali debitore remanente obligato.* Ita communiter DD. *arg. Inſtit. in princ. de fidejuſſ.* Inducta ergo eſt fidejuſſio ad majorem ſecuritatem crediti, quando nempe debitor principalis, qui remanet ſemper primo obligatus, non ſit ſolvendo, vel renuat ſolvere. Hinc fidejuſſor eſt, qui propriæ fidei interpoſitione alienam in ſe ſuſcipit obligationem, remanente nihilominus principali debitore obligato. Olim ipſa fidejuſſio non fiebat niſi ſolemni ſtipulatione, per interrogationem nempe unius & reſponſionem alterius. Modo conſuetudine receptum eſt, ut fiat quovis nudo pacto, & quavis forma verborum, ſive oretenus, ſive ſcriptis, ſive epiſtola inter abſentes, dummodo ſatis conſtet de mente fidejuſſoris.

Hæc fidejuſſio fieri poteſt quoad quodvis debitum, vel obligationem pecuniariam quomodocumque contractam, ſive nempe oriatur ex contractu, ſive ex delicto: *leg. 1. ff. de fidejuſſ. & mand. §. 1. Inſtit. de fidejuſſ.* Poteſt etiam fieri pro futura obligatione: *leg. ſtipulatus 6. §. 2. de fidejuſſ.* ita ut poſtquam principalis ſe obligaverit, fidejuſſio antea facta ſtatim obliget fidejuſſorem: *leg. non quemadmodum 35. ff. de judic.*

R. II. Fidejuſſio multipliciter dividitur. Primo, alia eſt voluntaria, alia neceſſaria. Voluntaria eſt quæ ab aliquo libere fit nullo mandante, ut dum fidejubet ab alio rogatus. Neceſſaria oritur a lege, vel mandato judicis &c. *leg. 13. ff. de uſufr.* Secundo, alia eſt judicialis, alia extrajudicialis. Prima fit in judicio: *leg. græce 8. §. 3. ff. de fidejuſſ.* veluti quando quis fidejubet de reo ſiſtendo, vel de ſolvendo id, quod judicatum fuerit. Jam autem dictum eſt fidejuſſionem reſpicere tantum obligationem pecuniariam; unde ſi reus non compareat, non eſt fidejuſſor plectendus, cum ipſe non potuerit ſuam vitam, vel membra obligare, ſed tantum ad pœnam pecuniariam poſt ſententiam Judicis. Extrajudicialis fidejuſſio eſt, quæ intervenit extra judicium inter privatos. Tertio, dividitur in principalem, & acceſſoriam. Principalis tunc datur, quando quis ita ſe obligat pro aliquo debitore principali, ut æque primo cum ipſo obligatus remaneat; unde creditor poteſt ad ſuum libitum ab utroque exigere debitum. Acceſſoria e contra eſt, quando aliquis ſe obligat ad ſolvendum ſolum in defectum principalis. Quarto, dividitur in ſimplicem, & indemnitatis. Simplex datur, quando quis fidejubet ſe ſoluturum, ſi non ſolvat principalis. Fidejuſſio indemnitatis datur, quando quis fidejubet ſervare indemnem ipſum fidejuſſorem. Alias diviſiones, ut ſuperfluas pro Theologo morali omitto.

Q. II. Quos effectus pariat fidejuſſio.

R. Primus & principalis effectus fidejuſſionis eſt; quod fidejuſſor in defectum debitoris principalia ſolvat, quod iſte debet, & etiam uſuras, ſi ita promiſerit; *arg. leg. fidejuſſores 68. ff. de fidejuſſor. &c.* Non obligatur tamen plus quam principalis, unde ſi iſte liberetur a tota, vel a parte obligationis, etiam fidejuſſor liberatur, cum non poſſit eſſe major obligatio in acceſſorio, quam in principali: *lib. 8. §. 7. ff. de fidejuſſ. & §. 5. Inſtit. de fidejuſſ.* ex quo etiam ſequitur fidejuſſorem non teneri prius ſolvere, quam principalem:

lem: *cit. §. 5. Inſtit. & leg. fidejuſſ. 57. ff. de fidejuſſ.* Non per hoc tamen nego fortius obligari potuiſſe fidejuſſorem, quam principalem, uti ſi obligationi naturali, & civili, quas poteſt habere etiam principalis, addiderit juramentum, hypothecam &c. vel ſi in caſu moræ ſe obligaverit etiam ad pœnam, & intereſſe, quam obligationem non habebat principalis: *Leſſ. lib. 2. cap. 28. diſp. 1. num. 4. Laym. lib. 3. tr. 4. c. 16. num. 5.*

Dum fidejuſſio facta ſit ad tempus determinatum, eo elapſo, ceſſat obligatio in fidejuſſore, ſi creditor prorogat tempus ſolvendi ſine renovatione fidejuſſionis. Si vero facta fuerit abſque temporis determinatione, tunc mora debitoris nocet etiam fidejuſſori, ita ut ipſius obligatio nec ceſſet, nec minuatur; intelligitur etiam voluiſſe creditorem tutum ſervare: *leg. mora 88. ff. v. obl. leg. ſervum 91. ibid. & l. ſi a Colono 58. ff. fidejuſſ.*

Q. III. An pro ſolutione debiti creditor prius agere debeat contra Principalem, quam contra fidejuſſorem.

R. Creditor prius tenetur agere contra Principalem, nam obligatio fidejuſſoris eſt acceſſoria, hoc eſt, pro caſu, quo principalis non ſit ſolvendo; debet ergo creditor primum agere contra eum, qui primo, & principaliter eſt illi obligatus. Ita etiam jure novo ſtatutum eſt: *Auth. præſente C. de fidejuſſ.* Novell. *4. cap. 1.*

Hæc nihilominus doctrina in pluribus caſibus patitur limitationem. Primo, ſi notorie conſtet principalem non eſſe ſolvendo, nam tunc fruſtra creditor ageret contra eum. Secundo, ſi principalis abſens ſit, & non habeat bona in territorio, ex quibus fieri poſſit ſolutio: *Auth. præſente citat.* Tertio, ſi difficiliter poſſit conveniri, nam tunc non minus incommodum eſt creditori agere contra eum, quam ſi eſſet abſens. Quarto, ſi fidejuſſor neget obligationam; nam tunc mendacium aufert ab eo privilegium, ut prius agatur contra principalem: *leg. penult. Cod. contra Jus, & util.* Quinto, ſi expreſſe renunciaverit tali privilegio, vel ſi in contrahendo obligationem tanquam principalis ſe obligaverit; nam pacta, quæ non ſunt contra leges, omnino ſervanda ſunt: *leg. penult. Cod. de pactis*. Idem dicas, ſi dicto privilegio tacite renunciaverit, ſolvendo v.g. non oppoſito tali beneficio.

Q. IV. Quid juris quando de eodem debito plures dantur fidejuſſores.

R. Certum eſt quod ſi plures dentur fidejuſſores de eodem debito, omnes tenentur in ſolidum; ac proinde ſi cæteri ſolvendo non ſint, ille ſolus, qui eſt ſolvendo, ad totum teneatur: *§. 2. ſi plures 4. Inſtit. de fidejuſſ.* Quod ſi fidejuſſor conventus totam ſummam creditori ſolverit, tunc poteſt velle Creditorem ſibi cedere omnes actiones tam reales, quam perſonales, quam hypotecarias, & pignoritias adverſus debitorem principalem, cæteroſque fidejuſſores, nam ſolvendo debitum jus ipſius Creditoris acquirere debet: *Leſſ. de juſt. lib. 2. cap. 28. d. 3. Molin. diſput. 544.* Ante ceſſionem talium actionum nulla ei competit actio neque contra debitorem, neque contra fidejuſſorem, quia nullo contractu, vel quaſi contractu, aliquam cum ipſo contraxerunt obligationem: *leg. citat. fidejuſſor. 39. ff. de fidejuſſ. & leg. cum alter alter 11. Cod. eod.* Poſtquam vero ceſſionem præfatarum actionum acquiſivit, liberum illi eſt vel contra principalem debitorem, vel contra alios fidejuſſores agere ad recuperandum quod ſolvit pro eis: *arg. leg. cum is 36. ff. de fidejuſſor.*

Cæterum fidejuſſor conventus poteſt excipere, & petere ut creditor conveniat pro ſuis partibus etiam alios fidejuſſores, ſi ſint ſolvendo, exceptis tamen caſibus ſequentibus. Primo, non valet opponere hanc exceptionem, ſi huic beneficio expreſſe renunciaverit, vel etiam tacite, tunc nempe quando ad inſtantiam creditoris totum debitum ſolvit, quamvis tunc ei competat actio contre alios fidejuſſores, ut jam dictum eſt. Secundo, ſi fidejuſſor conventus malitioſe neget ſe eſſe fidejuſſorem: *leg. ſi dubitet 10. §. 1. ff. de fidejuſſ.* Tertio, etiamſi plures fidejuſſerint in re pupilli tunc fidejuſſor conventus tenetur ſolvere totam ſummam: *leg. ſi dubitet 10. §. 1. ff. de fidejuſſ.*

Hic autem adnotare breviter duxi, multoties competere fidejuſſori beneficium liberationis, hoc eſt, petere a debitore, ut liberetur a fidejuſſione, ut *ex cap. fin. de fidejuſſ.* Primo, ſi debitor diu negligat ſolvere, & ſit in culpabili mora ſolvendi, quod Judicis arbitrio determinandum eſt. Secundo, ſi debitor, cum non fuiſſet prodigus tempore fidejuſſoris, incepit poſtea eſſet prodigus, & diſſipare ſua, ut dicitur etiam *leg. Lucius ff. mandati*. Tertio, ſi fidejuſſor condemnetur ut ſolvat pro debitore: *cit. c. fin. & citat. leg. Lucius juncta leg. fidejuſſ. 45. ff. de fidejuſſ.* Idem dicas in caſu, quo certum ſit fidejuſſorem eſſe condemnandum. Quarto, ex communi DD. fidejuſſor petere poteſt liberationem a fidejuſſione, ſi culpa debitoris inter eos graves extortæ ſint inimicitiæ. Sexto, ſi fidejuſſor habet cauſam rationabilem proficiſcendi; e. g. cauſa ſtudiorum, negociationis &c. Hæc ſummatim adnotare placuit, ut Parochus, vel Confeſſarius miſero fidejuſſori occurrere poſſit præbendo conſilium, quomodo ſe liberare poſſit a vexatione Creditorum. Videatur Barboſa *in cap. fin. de fidejuſſ. Menoch. de arbitr. caſ. 41. Molin. diſp. 546. Lug. d. 32. ſect. 1. §. 2.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

Frequenter evenire ſolet ut Creditores, quia habent fidejuſſorem magis commodum, relicto principali debitore, agant in judicio contra eundem fidejuſſorem. Advertat ergo Confeſſarius id iniquum eſſe, & contra juſtitiam, niſi in caſibus ſupra exceptis, & moneat pœnitentem de obligatione exigendi ſuum creditum a debitore. Id evenire ſolet, dum debitor eſt in gradu æquali cum Creditore, & fidejuſſor inferioris conditionis; tunc enim potius contra hunc lis movetur, ut vel timore diſplicendi Creditori cogatur ſolvere, vel cogatur expenſas facere, ut ſe in judicio defendat. Moneat ergo Confeſſarius in hoc caſu ſuum Pœnitentem de injuſtitia, & de obligatione damna compenſandi.

CAPUT II.

De iis, qui poſſunt fidejubere.

Q. I. Quinam poſſint fidejubere.

R. I. Niſi prohibeantur a jure, poſſunt fidejubere omnes qui valent obligare ſe & ſua, & habent liberam adminiſtrationem rerum ſuarum.

R. II. Milites prohibentur fidejubere; *leg. 8. §. 1. ff. qui ſatis dare cogantur, & leg. miles 31. C. de locato*; & id ne a negotiis diſtracti, ab armis incipiant vacare. Quia tamen in veteranis, hoc eſt, in eis, qui honeſte dimiſſi ſunt a militia, ceſſat hæc ratio, ideo neque prohibebuntur fidejubere: *l. quamvis ff. ad Senat. conſ. vell.*

R. III. Non poſſunt fidejubere Pupilli habentes Tutorem, & filiifamilias non habentes peculium caſtrenſe, aut quaſi caſtrenſe; & ſi fidejubeant, ſaltem civiliter non obligantur, quidquid ſit de obligatione naturali, de qua loquuti ſumus de contractibus in genere. Minores habentes Curatorem non poſſunt fidejubere, quia liberam non habent bonorum ſuorum adminiſtrationem. Si vero Minor non habeat Curatorem, poterit quidem fidejubere, ſed etiam poterit elidere obligationem beneficio reſtitutionis in integrum.

R. IV. Mulier regulariter non poteſt fidejubere, nec etiam pro perſonis conjunctiſſimis, puta pro filiis: *leg. ſi cum 3. Cod. ad S. C. Vellejan.* ſicut nec filia pro Parentibus: *leg. ſi paternam 8. ibid.* nec uxor pro marito: *leg. 1. Cod. ne uxor pro mar* Id autem pluribus legibus ſancitum eſt, ut paret *ex toto tit. ff. & C. ad S. C. vell.*; & id quia legislatores conſiderantes imprudentiam mulierum, & quam facile commiſeratione flectatur, facillime etiam fidejubendo, ſeſe cum maxima propria jactura bonis omnibus expoliaſſent.

Nihilominus ſi mulier fidejubeat inſtrumento publico tribus teſtibus obſignato, tunc mulier ſaltem naturaliter obligabitur, ut patet *ex leg. antiquæ 23. §. fin. Cod. ad S. C. Vell.* quamvis elidere poſſit dictam obligationem, utendo beneficio S. C. Vell. ut *ex cit. leg. antiquæ*, & tunc nec civiliter, nec naturaliter obligabitur; *Lugo diſp. 32. numer. 11. Molin. diſp. 540. Anton. a Spir. S. d. 26. num. 1280.* Item dicendum contra non paucos, mulieres nullatenus remanere obligatas, fidejubendo ſine publico inſtrumento, & tribus teſtibus,

num

nam tunc lex eximit mulieres ab omni prorſus obligatione, *leg. antiquæ* 23. *ſ. fin. C. ad Sen. Con. Vellejan.* Et quidem quid utilitatis afferret mulieribus privilegium Vellejanum, ſi eo uti non poſſent in foro conſcientiæ?

Dantur nihilominus caſus in quibus mulier in utroque foro fidejuſſioni ſtare tenetur. Primo, ſi fidejubeat in propriam utilitatem: *leg.* 8. *ſ.* 1. *ff. qui ſatisdare cogantur.* Secundo, ſi fidejubeat pro libertate alicujus ſervi: *leg. veterum* 24. *C. ad S.C. Vell.* Tertio, ſi pro dote alicujus mulieris: *leg. fin. C. eod.* Quarto, ſi fidejubeat pro ſuo Creditore, & juxta quantitatem debiti fidejubeat, vel ſi apud creditorem minorem 25. annis pro aliquo fidejubeat: *leg. apud minorem ff. de min.* Quinto, ſi accipiat aliquid pro fidejuſſione ſive ab initio, ſive poſt: *leg. antiquæ* 23. *C. ad S.C. Vell.* Sexto, ſi animo decipiendi, hoc eſt, ſciens ſe haud teneri ad fidejuſſionem fidejubeat: *leg.* 2. *ſ.* 3. *ad S.C. Vell.* Septimo, ſi juramento confirmet fidejuſſionem: *leg. cap cum contingat* 28. *de jur.* Et quidem dum egimus de juramento confirmante contractus, diximus quod dum actus infirmatur a legibus primo & principaliter in favorem jurantis, & ſecundario in favorem publicum, tunc ſi abſit vis & dolus, juramentum firmat eundem actum, cum ſine detrimento ſalutis poſſit obſervari.

Ultimo mulier tenetur ſtare fidejuſſioni, ſi renunciet privilegio S.C. Vellejani. Non nego tamen quamplures docere, non poſſe mulieres tali privilegio renuntiare, ſed opinio magis communis & vera eſt poſſe eidem renuntiare, utpote in ſui favorem conceſſo, *leg. quod favore C. de leg. & iis quæ pro ſe introducta ſunt; leg. penult. C. de pactis.* Tunc eidem renuntiare non poſſet, quando primo & principaliter pro publico favore hoc privilegium inductum fuiſſet, at dicendum eſt principaliter introductum fuiſſe in favorem mulierum, prout conſtat ex textu *cap. cum contingat* 28. *de jurejur.* ubi ſimiles renuntiationes mulierum juramento firmatæ, obligatoriæ declarantur, quod utique falſum eſſet, ſi privilegia ipſis contraria principaliter bonum publicum reſpicerent.

Oportet tamen mulierem prius certiorari, & informari de privilegio, nam in qualibet renuntiatione requiritur prævia certioratio illius, quod renuntiatur, alias non eſſet voluntaria. Item ceſſio privilegii debet fieri per Notarium coram Magiſtratu, vel alio viro idoneo, vel ſaltem confirmari juramento; nam ſicut privilegium factum eſt ad ſuccurrendum mulierum ætati, imbecillitati, ac facilitati, ita ceſſio taliter ab eis facienda eſt, ut ex iiſdem cauſis facillime ad eam faciendam non inducantur: *Bonac. d.* 3. *q.* 9. *p.* 2. *nu.* 2. Nihilominus ſi juraverit adimplere fidejuſſionem, quamvis non fuerit monita de ſuo privilegio, tenebitur fidejuſſionem adimplere, nam ideo addi videtur juramentum, ut præcludatur omnis via ad infirmandam obligationem; *Sanch. de matr. l.* 4. *d.* 9. *n.* 14.

R. V. Eccleſiarum Prælati, & Clerici a Jure prohibentur fidejubere: *cap.* 2. *de ſolut., & can. te quidem* 19. 11. *q.* 3. *& c.* 1. *de fidejuſſ.* Nihilominus aliquæ dantur limitationes. Primo, ſi Clericus raro fidejubeat, & multo magis, ſi id præſtet ex cauſa rationabili, puta neceſſitatis, pietatis, charitatis &c. *arg. cit. c.* 1. *junct. Gloſſ. V. inſervitus.* Et quidem ſi raro fidejubeat, ceſſat ratio hujus prohibitionis, quæ eſt ne Clerici nimium ſe involvant temporalibus, & ſæcularibus negotiis. Porro hæc ratio probat, quod debet abſtinere quantum poteſt a fidejubendo etiam pro egeno &c., nam frequens hujuſmodi fidejuſſio nimis illum diſtraheret; quod tamen non obſtat quin aliquando neceſſitatis cauſa etiam teneatur fidejubere: *arg. can. non ſatis* 14. *diſt.* 85. Quod ſi contra Canones frequenter Clericus fidejubeat, illicite quidem agit, ſed valida eſt talis fidejuſſio, quamvis enim prohibeatur a jure, non tamen irritatur, ut cum *Gloſſa in c.* 1. *de fidejuſſ. v. inſerviens,* tenet communis opinio DD. Debebit ergo Clericus, ſi principalis non ſit ſolvendo, ex ſuis bonis, & redditibus, de quibus poteſt diſponere, ſolvere creditori: *Fagn. in cap. Clericis de poſtul. n.* 13.

In caſu autem, quo Clericus fidejubeat, obligare debet bona ſua patrimonialia, vel quaſi patrimonialia, non vero bona Eccleſiæ; & ſi obliget redditus ſui beneficii, non poteſt obligare redditus ſuperfluos. Quod non poſſit Clericus fidejuſſor obligare bona Eccleſiæ, conſtat, quia illi vetitum eſt Eccleſiam debitis gravare; *cap.* 2. *de ſolut.* Ideo autem non poteſt obligare redditus ſuperfluos, quia non poteſt hos conſumere in cauſis profanis. Quod ſi fidejubeat pro cauſa pia, v.g. pro egeno, ſicut huic applicare, & largiri poteſt redditus ſuperfluos, ita & poteſt eos in tali fidejuſſione obligare.

Secundo, poteſt Clericus fidejubere pro Clerico, vel ipſa Eccleſia. Ita communis DD. cum Gloſſa *in* 4. *cap. de fidejuſſ. V. fide jubeat, & in can. te quidem* 29. 11. *q.* 1. *V. fidejuſſor.* Hinc *cap.* 2. *de fidejuſſ.* non improbatur fidejuſſio facta a Clerico pro Clerico, ſed mandatur eidem fidejuſſioni ſatisfacere. Patet etiam *ex cap.* 4. *de fidejuſſ.* poſſe pro Eccleſia fidejubere.

Religioſus privatus non poteſt fidejubere: *cap. penult. de fidejuſſ.* Item neque Prælatus Regularis ſine conſenſu majoris partis Capituli, cæteriſque ſolemnitatibus juris: *cap.* 2. *de fidejuſſ.* Ratio vero eſt, quia neque Prælatus, neque ſubditus aliquid proprium poſſideat, de quo poſſint fidejubere. Ut notant tamen DD. pertinet ad liberam facultatem adminiſtrandi redditus &c. ſui Monaſterii, quod Prælatus Regularis poſſit raro, & pro modica quantitate fidejubere: *Engell. de fidejuſſ. n.* 6. *Sylveſter V. fidejuſſ.*

Quod ſi contra jus Prælatus, vel Religioſus particularis fidejubeant de bonis Monaſterii, vel Eccleſiæ, talis fidejuſſio eſt invalida, ut ex *cap.* 2. *de ſolution.*, & ad nihil tenetur Monaſterium, ut *ex cap. quod quibuſdam* 4. *de fid.* Immo ex tali fidejuſſione Prælatus ſuſpenditur ab adminiſtratione ſpiritualium, & temporalium, ut *ex cit. c.* 2. *de ſolut.*, quæ tamen ſuſpenſio a ſpiritualibus mitius interpretatur a DD., ut ſcilicet non intelligatur de ſuſpenſione a Divinis, vel ab Ordine, ſed de ſuſpenſione, ut non valeat e. g. ſuſcipere ad profeſſionem, corrigere in capitulo &c. *Engell. cit.*

Regula in praxi obſervanda.

Unica regula eſt hic in praxi attendenda a Confeſſariis quoad fidejuſſionem mulierum. Solent hæ multoties pro liberando Patre, Marito, filiis &c. a vexatione creditorum pro ipſis fidejubere abſque publico contractu; ac deinde ſolvere. Hæc igitur fidejuſſio nulla eſt, ex dictis, in utroque foro, non ſolum quia multoties fit a muliere ignorante ſuum privilegium, ſed etiam quia irrita eſt ipſius fidejuſſio facta ſine publico Inſtrumento tribus teſtibus conſignato. Hinc non ſolum repetere poteſt quod ſolvit, utpote ſolutum per errorem, ſed Creditor tenetur reſtituere, etſi mulier non repetat; ſicuti teneretur reſtituere quod habuiſſet ab aliquo, qui nullam cum eo contraxiſſet obligationem.

Advertat tamen Confeſſarius id verum eſſe, ſi mulier ſolvat ex bonis propriis, quæ non ſint ſub dominio Mariti; non vero ſi ſolvat ex bonis ſuo labore acquiſitis, quæ tamen communia ſunt ipſi Marito.

CAPUT III.

De Aſſecuratione.

Q. I. Quid ſit Aſſecuratio.

R. Iſte contractus melius reducitur ad contractum innominatum: *do ut facias, ſeu facio ut des,* & ita explicari poteſt: ſuſcipio in me periculum, ut des pecuniam, quapropter ita definiri poteſt: *Aſſecuratio eſt contractus, quo quis habito pretio, ſuſcipit in ſe periculum rei alienæ, ſe obligando ad compenſationem, ſi pereat.* Poteſt etiam dari hic contractus ſine pretio, ut ſi quis gratis tale ſuſciperet periculum; ſicut etiam poteſt quis ſe obligare non ad compenſandum totum damnum, ſi res pereat, ſed ſolum partem.

Q. II. Quæ ſint conditiones hujus contractus.

R. Aliquæ requiruntur conditiones ad juſtitiam hujus contractus. Prima, quod ſit æqualitas inter pretium datum, & periculum, ita ut augeatur, vel minuatur, quo majus vel minus ſit periculum. Hoc autem debet a prudentibus æſtimari, attenta qualitate rei, ſeu mercis: attento modo quo aſportatur, ſive ſcilicet per mare, ſive per terram, conſiderando inſuper an iter expoſitum ſit Piratis, vel Graſſatoribus, an breve, an longum &c. *Bonac. diſp.* 3. *qu.* 9. *part.* 3. Quod ſi nullum ſit periculum, vel quia merx jam in tuto poſita ſit, vel

quia

qoia jam perierit, ture non habet locum iſte contractus, ut de ſe patet.

Secunda eonditio eſt, ut vere exiſtat res, quæ aſſecuratur, alias contractus eſſet nullus, utpote quia deficeret materia hujus contractus. Tertia, ot aſſecurator habeat unde poſſit compenſationem ſacere, ſi res pereat, alias injuſte pretium aſſecurationis acciperet, inanis enim eſſet aſſecuratio, ſi re pereunte non poſſet eam compenſare. Quod ſi habebat unde partem pretii rei aſſecuratæ ſolveret ſi periiſſet, puto tuto poſſe pro rata retinere pretium aſſecurationis, quia re vera partem rei aſſecutavit: *Bonacin. n* 4.

Hic contractus aſſecurationis præcipue viget in locis maritimis, ubi ſolent aſſecurari naves tranſportantes merces. Deciſum autem in Tribunalibus pluries eſt, ut aſſecurans navium intelligatur tantum ſe obligare pro primo itinere, ſi aliud, vel ex expreſſa conventione, vel ex probantibus conjecturis non conſtet: *Roſign. contr.* 12. *diſp.* 2. *ſ.* 2. Item Aſſecurans ſatisfecit ſuæ obligationi, & debetur illi pretium aſſecurationis, ſi navis ſalva appulit ad portom deſtinatum, quamvis poſtea merces demergantur, dum mediante ſcapha in terram deferebantur. Item ſi Navis pereat antequam perveniat ad Portum, aſſecurator debet ſolvere merces, pro quibus ſecit contractum aſſecurationis, non ſecundum valorem quo æſtimabantur in loco, a quo navis diſceſſit, ſed juxra valorem loci, quo erant deferendæ. Ita pluries deciſum reſert Sabellus *in ſumm. diverſ. tract. V. aſſecuratio num.* 3. Demum attendendum eſt qua conventione, & pactis fiat aſſecuratio, & juxta hæc regulanda eſt ipſius obligatio. Cæterum ſi aſſecuratio facta fuerit in ampla forma, aſſecurator tenetur ad omne riſicum & periculum undecumque proveniat, v. g. etiam ex facto Principis, quamvis merces non fuerint deperditæ: *Rota in noviſs. part.* 6. *deciſ.* 24. Si vero facta fuerie limitate ad pericula, quæ in mare occurrere poſſunt, non extenditur ad alia pericula.

QUÆSTIO XI.

De Ludo, & Sponſionibus.

CAPUT I.

Quid ſit Ludus; quibus licitus; quibus prohibitus; & de conditionibus ludi.

Q I. Quid ſit Ludus.

R. I. Ludus eſt contractus, quo conceditur victori res depoſita ab utroque. Triplex autem eſt ludus, alter mere ingenioſus, qui unice pendet ab ingenio, & arte ludentium, ut ludus latrunculorum. Alter mere fortuitus, qui unice pendet a ſorte, & ſortuna, ut ludus taxillorum, & quidam ludi alearum, ut ille, qui vulgo dicitur *baſſetta*. Alter qui ſimul pendet ab ingenio, & ſortuna, ut major pars ludorum, qui fiunt aleis.

Q. II. An ludus ſit licitus; & quid ſi fiat animo lucrandi.

R. I. Servatis debitis eonditionibus, de quibus infra, ludus eſt ex natura ſua licitus; ſicut enim poteſt quis ſua liberaliter donare, ita & poteſt velle in alium transferre dependenter ab aliqua conditione, quæ pendeat vel ab induſtria, vel a ſorte, vel ab utroque. Immo ſi fiat ludus honeſtæ recreationis gratia, pertinet ad virtutem eutrapeliæ, ſeu affabilitatis, ut docet S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 168. *art.* 2. Poteſt nihilominus ludus eſſe malus ob periculum rixarum, blaſphemandi, tranſgrediendi aliquod præceptum Dei, vel Eccleſiæ, vel ex aliis capitibus, quæ innoteſcent examinando conditiones ludi.

R. II. Aliqui dixerunt in ludo facto animo lucrandi poſſe intercedere peccatum mortale, quia animus rem notabilem lucrandi, neceſſario videtur conjunctus eum damno gravi proximi. Hæc autem ſententia nullatenus eſt attendenda, quamvis enim verum ſit eſſe peccatum grave modo illicito deſiderare rem notabilem proximi, & quatenus id redundat in ipſius grave damnum, non tamen eam deſiderare ut mihi affert commodum, & quatenus illam modo licito habere poſſum, ut in aliis contractibus lucrativis, conſentiente ipſo Domino ut in me transferatur, ſi victor ero *in ludo &c.* Immo ludere propter lucrum poteſt etiam immune eſſe a peccato veniali, ſi referatur ad finem honeſtum, v. g. ad ſuſtentandam ſamiliam &c., ſicuti poteſt honeſte lucrum deſiderari in aliis contractibus. Si vero deſiderium lucrandi ſit valde excedens, vel non referat ad finem honeſtum, ſaltem erit actus otioſus: *Lug. de juſt. d.* 31. *ſect.* 1. *n.* 4., *Ant. a Sp. S. d.* 24. *n.* 1189.

Aliqui item ex antiquis docuerunt irreverenter agere, qui ludunt ſacras preces, ut Salutationem Angelicam &c. & etiam ſimoniace. Verum non ſunt attendendi, nam nulla eſt irreverentia, ſi id fiat ex honeſta recreatione: neque ulla adeſt Simonia, nam Sacræ preces non intelliguntur debitæ ex juſtitia victori in ludo, ſed ſolum ex qusdam convenientia, & charitate: *Lugo n.* 5.

Q. III. Quibus prohibitum ſit ludere.

R. I. Ludus alearum, & taxillorum, ille ſcilicet, in quo potius ſortuna valet, qusm ars, olim etiam laicis erat prohibitus, non ſolum jure eivili: *leg.* 2. 3. *&* 4. *ff. de aleæ uſu*, *Auth. alear. C. de relig. & ſumpt. funer.* ſed etiam jure canonico: *can. Epiſcopus diſt.* 35. Nihilominus hæ leges quoad Laicos contraria conſuetudine abrogatæ ſuerunt, & omnes ſatentur non amplius obligare: *Lugo d.* 31. *ſect.* 1. *num.* 9. *Anton. a Sp. S. d.* 34. *n.* 1192.

R. II. Iidem ludi pluribus SS. Canonibus prohibiti Clericis ſuerunt, eandemque prohibitionem renovavit Concilium Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. *de reform. ſub iiſdem pœnis, & majoribus arbitrio Ordinarii imponendis.*

Quando autem Clericus peccet graviter, vel leviter in ludo, penſandum eſt ex læſione decentiæ, & honeſtatis Eccleſiaſticæ, ad quam videntur attendiſſe jura prohibentia Clericis ludos alearum, taxillorum &c. Quoad Clericum ſæcularem in ſacris conſtitutum, ut graviter lædat hanc decentiam, & honeſtatem, ea communi DD. oportet ut ſit conſuetudinarius in ludendo, ita enim interpretantur Leges, quibus ipſis prohibentur ludi ſortis, & fortunæ. Porro aliqui dicunt conſuetudinarium illum dici poſſe, qui ſemel in hebdomada ludit: *Bord. reſol.* 33. *n.* 3. Hoc tamen fortaſſe nimis eſt rigoroſum. Quoad Regularem vero ludentem puto facilius graviter lædi honeſtatem Eccleſiaſticam, nam ipſum magis dedecet ludere, quam Clericum ſæcularem; unde ex opinione fere communi DD., ſi frequenter, etſi ſine ſcandalo, ludat, peccabit mortaliter: *Lezana in Sum. v. ludus quoad Regul. n.* 4. Peccabit etiam graviter, etſi ſemel in magna quantitate ludat; nam valde dedecet hominem voto paupertatis obſtrictum in magna quantitate ludere. Nec illi ſuffragaretur licentia ſui Prælati, cum iſte haud poſſit illi facultatem tribuere contra id, quod eſt contra eſſentiam prædicti voti. Cæterum ſi ſermo eſſet de Regulari rigidioris Religionis, & qoi non ſine multa admiratione ludo vacare videretur, graviter peccabit, etſi ſemel, & non in magna quantitate ludat, utpote qui reputatur graviter lædere decentiam ſui ſtatus.

Prædictis non obſtat contraria conſuetudo, qua (proh dolor!) & Clerici Regulares, & Sæculares nimis crebro ludere videntur; nam talis conſuetudo, ut bene obſervant DD., corruptela potius dicenda eſt, adeoque non poteſt honeſtum, & licitum reddere, quod de ſua natura dedecet ſtatum Religioſum, & Eccleſiaſticum: *Mol d.* 521., *Sanch. l.* 1. *Conſ. cap.* 8. *d.* 28. *num.* 7. Conſuatudo igitur ludendi non eſt tantum mala in viro Eccleſiaſtico, quia prohibita, ſed prohibita fuit quia de ſe mala, & valde dedecet Eccleſiæ Miniſtrum.

Q. IV. Quid dicendum de ludente, qui non habet propriam pecuniam; & maxime ſi ſit filiusfamilias.

R. I. Ut ludus ſit licitus, primo neceſſe eſt ut ludentes habeant liberam adminiſtrationem pecuniæ, quam ludo exponunt; ſi enim pecuniam perdere non poſſunt, nec etiam potuerunt vincere, alias contractus eſſet inæqualis. Immo peccat etiam qui ſciens ludit cum illo, qui non poteſt pecuniam alienare, nam cooperatur ipſius peccato.

Filius ego ſamilias, ſi non habeat bona caſtrenſia, vel ſi parce vivendo non reſervet pro ludendo aliqua, quæ illi Pater pro alimentis aſſignavit, non poterit ludere, quia cæterorum bonorum vel non habet liberam adminiſtrationem, ut evenit in bonis ipſius adventitiis, vel neque habet dominium, ut in profectitiis.

riis. Non nego tamen non poſſe aliqua exponere honeſto ludo recreationis gratia juxta ſuum ſtatum; nam Pater debet illi concedere recreationes ſtatui ipſius convenientes; & ſi renuat, eſt irrationabiliter invitus: *Luga d.31. n.20, Anton. a Sp. S. d.24. num.1197.* Item juxta plurimorum opinionem non videretur eſſe rationabiliter invitus pater, ſi renueret filium iterum ludo exponere quæ ludo acquiſivit, maxime ſi non agatur de notabili quantitate; quamvis etiam uſusfructus ſaltem & adminiſtratio bonorum, quæ filius ludo acquiſivit, pertineant ad Patrem, nihilominus irrationabiliter contradiceret, ſi nollet filium iterum uti ad ludendum mediocri quantitate lucrata. Secus dicendum videtur, ſi quantitas eſſet magna; nam tunc Pater rationabiliter illius uſufructu, & adminiſtratione nollet carere. Hæc opinio mihi verior, & amplectenda videtur, quoties præſumi non poſſit Patrem conſentire ut iterum ludo exponat quidquid ludo acquiſivit, etſi lucratus fuerit in magna quantitate: *Dicaſtil. de juſt l.2. tr.18. d.3. n.23. & 24.*

Cæterum ſi Filiusfamilias non habens proprium, extra prædictos caſus ludat, poterit retinere quod lucratus eſt, caſu quod Colluſor ſciverit non habuiſſe proprium, quod poſſet ludo exponere; nam ſi id ſciat, & nihilominus ludat, videtur ceſſiſſe juri ſuo. Secus ſi neſcivit non habere proprium quo poſſet ludere.

Q. V. An licitum ſit ludere cum Filiofamilias ea conditione ut ſolvat, quæ forte amiſerit, ex bonis, quæ erunt propria, poſt mortem Patris.

R. Id fieri difficiliter poteſt ſine peccato, ſi ludus ſit immoderatus. Ratio eſt, quia bene poteſt Pater nolle filium ita ludere, adeoque filius in re gravi contradicens voluntati Patris, graviter peccabit, & colluſor item peccabit, ipſius peccato nulla rationabili cauſa cooperando. Si nihilominus Patri ſupervivat, habet obligationem ſolvendi; nam de facto debitum contraxit, & eo tempore Dominus eſt pecuniæ, quam ſolvit; nec ſcio adeſſe aliquam legem, qua impediretur debitum contrahere, quando luſit, vel qua liberetur a ſolvendo poſt mortem Patris.

Ex iis, quæ dixi de filiisfamilias facile eſt dignoſcere quando uxor poſſit ludere. Poterit igitur ad ſui libitum ludere, ſi habeat bona propria, eorumque liberam adminiſtrationem. Item poteſt ludere, dum ludus ſit juxta ipſius ſtatum; neque enim Maritus poteſt rationabiliter prohibere niſi exceſſum.

Non eſt autem hic immorandum quoad ludum Pupilli, & Minoris; nam quando licitum ſit, nec ne, & quando poſſint obligari civiliter, ſive naturaliter, facile eſt dignoſcere ex iis, quæ dicta ſunt in prima quæſtione de Contr. in genere.

Q. VI. Quam obligationem habeat, qui ludit pecunia furata vel ab alio, vel clam ab ipſo Colluſore.

R. Si fur (idem dicas de depoſitario, & famulo) habebat aliam pecuniam propriam, qua poſſet reſtituere, licite, & valide ludit, quia intelligitur ſibi applicare pecuniam, qua ludit, & loco illius propriam ſubrogare. Si vero non habebat propriam pecuniam, tunc ludus neque eſt licitus, neque validus, quia non ludit pecunia, quam poſſit alienare; & ipſe Colluſor tenetur eam reſtituere, ſi non permaneat in bona fide; nam pecunia aliena, & quæ in individuo extat, clamat pro Domino.

Q. VII. An licite quis compellatur ludere.

R. Id illicite fit, ſemper cum fiat per injuriam, & dolum, ſeu conviciis, verbis injurioſis, & precibus nimis importunis, æquivalentibus violentiæ. Et quidem quod graviter peccet ita alterum compellens ad ludendum non eſt dubium, quin gravem illi faciat injuriam. An vero ſi vincat teneatur ad reſtitutionem, variant DD. Non pauci illum obligant ad reſtitutionem; nam videtur non transferri dominium earum rerum, quæ acquiruntur contractu extorto per injuriam. Nihilominus contraria ſententia non caret ſua probabilitate, quia ita pertrahens ad ludendum non videtur proprie dici cauſa damni, ſi pertractus perdat, nam pertraxit ad aliquid, quo non minus poterat perdere quam lucrari. Poteſt tamen Judex ob injuriam illatam cogere victorem ad reſtituendum lucrum: *Mol. d.516. num.2., Bonac. d.2. quæſt.3. p.2. num.9., Hurt. diſp. 8. diffic. 6.*

Q. VIII. Quæ fraudes removendæ ſint, ut ludus ſit licitus; & quid reſtituere debeat qui fraude lucratus eſt.

R. I. Removendæ ſunt illæ fraudes, quæ ex natura lucri non ſunt licitæ, neque communi ludentium conſuetudine approbatæ. Fraudes licitæ, quæ potius induſtriæ vocantur, ſunt quando quis habet chartas inferiores, fingere habere chartas optimas, ut colluſor timeat; ſive fingere habere chartas inferiores, quando optimas habet, ut colluſor augeat ſponſionem. Item ſi adverſarius negligens eſt, poteſt illius chartas videre; ſecus ſi tali modo ſe componat, ut eas ex induſtria videat. Item ſi adverſarius errat in punctis numerandis, non tenetur eum admonere; neque enim ludens habet obligationem admonendi alterum de ſua negligentia, & errore, ſed ſolummodo non defraudandi. Secus dicendum eſſet, ſi daretur conſuetudo admonendi colluſorem de ſua negligentia, & errore &c. *Luga diſc.31. num.34. & c. Sanch. t.1. Conſ. lib.1. cap.8. d. 12., Anton. a Spir. S. d.24. num. 1205.* Imo ubi non adeſt conſuetudo, non improbabiliter defenditur, quod ſi quis ex non bene numeratis punctis amiſiſſet pecuniam, eamque ſolvat, poſſet colluſor eandem pecuniam retinere, quia talis videtur eſſe conditio ludi, & uſus ludentium, ut errans de errore non admoneatur, & juxta errorem de ludo judicetur: *Lugo cit. num. 36., Bon. d.2. q.3. p.2. num.2.*

Fraudes illicitæ ſunt aliqua nota ſignare chartas, ut poſſint dignoſci, Si vero nullo facto ſigno per accidens aliqua charta a tergo cognoſcatur, non peccat quis eam conſiderando, ſi enim uterque potuit a tergo chartas dignoſcere, induſtriæ & diligentiæ illius, qui eas conſiderat, tribuendum eſt illas obſervaſſe, dummodo tamen ex hoc non conſurgat notabilis inæqualitas in ludentibus. Item fraus illicita eſt plura pro ſe puncta notare, & pauciora pro adverſario: ita arte componere chartas ut meliores ſibi contingant: habere aliquem ex circumſtantibus, qui per ſigna uni ex ludentibus dicat quando acceptare debeat ſponſionem, nec ne. Multæ aliæ fraudes interveniunt in ludis, de quorum licito, vel illicito uſu potius pertinet ad Peritos ludi judicare: *Anton a Spir. S. num.1204, Raſign. diſquiſ. 1. §. 1.*

R. II. Qui ſua fraude non ſolum lucratus eſt, ſed etiam impedivit ſocium a lucrando, non debet tantum reſtituere quidquid ipſe lucratus eſt, ſed etiam quod cognovit colludentem fuiſſe lucraturum, nam injuſte tale damnum cauſavit. Quod ſi non cognovit ſecluſa fraude fuiſſe lucraturum, ſed dubitat an lucraturus fuiſſet, vel an potius de ſua pecunia amiſiſſet, tunc ſatisfacit ſuæ conſcientiæ reſtituendo ſolum quod lucratus eſt, abſque eo quod aliquid tribuat pro lucro ſperatu a colluſore; nam ultraquamquod in dubio melior ſit conditio poſſidentis, colluſor ſicut poterat lucrari, ita poterat perdere.

Nec liberatur a reſtitutione, qui fraude lucratus eſt in ludendo, eo quod in continuatione ludi amiſerit quod prius fraude acquiſiverat; nam ſingulæ ſortes ſunt contractus diſtincti, independenter a ſubſequentibus, in quibus uterque ludens novum ſubit periculum; unde ſemper verificatur in ea ſorte, in qua commiſſa eſt fraus, lucrum acquiſitum fuiſſe per ludum injuſtum, & ita ſtatim conſurgit obligatio reſtituendi; *Luga d.31. n.39., Ant. a Sp. S. d.24. n.1205.*

Q. IX. An ad Juſtitiam ludi neceſſe ſit æqualem eſſe conditionem ludentium.

R. Utique neceſſaria eſt prædicta æqualitas, alias, ut ex ſe patet, contractus eſſet injuſtus. Primo igitur debent eſſe ita æquales in peritia ludendi, ut unus non valde ſuperet alium, alias ſemper præſumitur valde imperitum luſiſſe per errorem dantem cauſam contractui; & ita ſemper adeſt obligatio reſtituendi lucrum, utpote acquiſitum per contractum invalidum: *Luga diſp. 31. ſect. 2. §. 4. num. 44. Bonac. d.2. quæſt.3. p.2. nu. 4.* Si tamen aliquis ſciat alterum eſſe peritiorem in ludendo; & nihilominus velit ludere, videtur peritior poſſe lucrum retinere, quia ſcienti, & conſentienti nulla fit injuria, & ita in tali caſu præſumitur velle donare, quod ſua imperitia in ludo amiſit. Merito autem limitatur hæc doctrina, & dicitur attendenda, quando lucrum eſt moderatum, non vero ſi ſit magnum. In tali caſu difficile præſumitur donatio; & aliunde lucrum propter inæqualitatem ludentium non fuit juſte acquiſitum. Præterea neque in tali caſu præſumi poteſt imperitiorem juri ſuo ceſſiſſe, ſed potius vero ſimile eſt non crediſiſſe ſuam imperitiam, & peritiam alterius, & exinde magnam pecuniam ludo expoſuiſſe: *Luga n. 50.*

Altera

Altera æqualitas attendenda eſt penes capitale; ut nimirum quis amittere poſſit, quantum poteſt lucrari. Id tamen intelligitur in uno jactu, ſive ludo, ita ut qui ab initio non habebat niſi quatuor nummos, & quatuor dumtaxat poſſit lucrari, alias non ſervaretur æqualitas colludentium. Poſtquam vero primo vicit quatuor, poterit poſtea lucrari octo &c. *Bonac. diſp.* 2. *q.* 3. *part.* 2. *n.* 19. Si vero ludat cum pluribus poterit plus lucrari quam perdere; ut ſi e. g. unuſquiſque ex quinque ludentibus ludo duo exponat, poterit victor lucrari octo, quamvis non poſſit amittere niſi duo: & in hoc non intervenit inæqualitas, quia unuſquiſque ludendo, cum aliis quatuor exponit ſuam pecuniam periculo quadruplo majori, quam ſi cum uno ſolo luderet.

Regulæ in praxi obſervandæ.

Nimis faciles ſunt Confeſſarii Eccleſiaſticorum Sæcularium, & Regularium in abſolvendis qui frequentiſſime ludunt. Certe dantur Eccleſiaſtici tam ſæculares, quam regulares, qui nec leviter peccare ſibi blandiuntur, etſi quotidie alearum ludis incumbant. Quod ſi de hujuſmodi frequentia ſe accuſant, quaſi de levi quodam nævo ſe putant accuſare; & ab indocto Confeſſario facillime abſolutione donantur. Ego hos Confeſſarios obteſtor, ut attente legant, quæ Theologi etiam minus rigidi dicunt de Eccleſiaſtico in ſacris conſtituto, & multo magis de Regulari, frequenter aleis, taxillis ludente.

II. Cautus quoque debet eſſe Confeſſarius in abſolvendo filiosfamilias ludentes, eoſque qui cum ipſis ludunt. Filius igitur familias non habens propria, peccare graviter poteſt ſurripiendo in materia gravi quæ ſunt Patris; non tradendo Patri notabilem ſummam, quam fuerit lucratus, ſi poſſit credere Patrem eam velle; tunc etenim adminiſtratio & uſusfructus ad Patrem pertinet; & tranſgrediendo exceſſivis ludis præceptum Patris eos prohibentis: nam tunc graviter peccat, etiamſi habeat propriam pecuniam, vel paciscatur de ſolvendo poſt mortem Patris. Ludentes pariter exceſſivis ludis cum Filiisfamilias facillime peccabunt; difficile enim ignorabunt ſe ipſorum peccato cooperari. Facile etiam incurrent obligationem reſtituendi quando ſcilicet ſcire poſſunt filium non ludere pecunia propria. Advertat etiam Confeſſarius exceſſum ludorum menſurandum juxta ſtatum, & divitias filii ludentis; & ita quod reſpectu unius non erit exceſſus; erit reſpectu alterius. Cautus igitur, iterum dico, ſit Confeſſarius in excipiendis confeſſionibus iſtorum filiorum-familias, & illorum, qui cum illis ludunt.

III. Solent quandoque ludentes convicius, precibuſque adeo importunis, ut vi æquiparentur, alium compellere ad ludendum: valde e. g. exprobrando illi ſuam avaritiam, ſi non ludat; vel illum irridendo, quaſi nimis timeat Parentes ægre ferentes ludum; vel quia velit nimis complacere uxori illum increpanti, ſi ludat &c. His aliiſve modis tam importune ſe gerunt, ut alter tandem, animo tamen reluctante, inducatur ad ludendum. In his caſibus poteſt Confeſſarius in praxi ita ſe gerere. Si ita inductus ad ludendum nondum ſolvit, poteſt illum eximere a ſolvendo; cum ſententia valde probabili non habere obligationem ſolvendi, utpote quia veluti per vim coactus eſt ludere. Si vero ſolvit, non facile debet victorem obligare ad reſtitutionem, cum & pro eo ſtet ſententia probabilis excuſans a reſtitutione, quamvis certo peccaverit utendo talibus mediis, ut alium induceret ad ludendum.

IV. Si Confeſſarius audiat in confeſſione aliquem, qui illicitis fraudibus uſus eſt in ludo, interroget ſtatim, an dum uſus fuit tali fraude, cognoverit impediſſe alterum a vincendo. Si ita evenit, non ſolum ipſum obliget ad reſtituendum, quod forte vicit, ſed etiam ad ſolvendum, quod alter viciſſet, ſi ipſe non uſus fuiſſet fraude, & dolo. Si vero non cognoverit his modis alterum impediſſe a vincendo, tunc dumtaxat obliget ad reſtituendum quod ipſe vicit. Semper autem præ oculis habeat Confeſſarius non conſiderandum, an Fraudator in fine ludi vicerit nec ne, ſed quod evenit in ſingulis ſortibus, ita ut etiamſi fraudator in fine perdat e ſua pecunia, ulterius debet ſolvere quidquid in decurſu ludi amiſiſſet, ſi non adhibuiſſet illicitas fraudes.

V. Animadvertat demum Confeſſarius ſæpiſſime conſurgere obligationem reſtituendi ex inæqualitate peritiæ in ludendo. Mos perditiſſimus eſt inter luſores, ut ſi adveniat aliquis Juvenis luſor dives, alii peritiſſimi luſores certatim pertrahant ad ludendum, & illum expolient magna pecuniæ ſumma; adhibita quandoque etiam hac iniqua arte, ut initio permittant illi quædam lucrari, ex quo facilius inducatur ad perſeverandum in ludo. Neque Confeſſarius ita facile acquieſcat, dum victor reſpondet bene potuiſſe illam ſuam majorem peritiam agnoſcere; nam iſti juvenes luſores, neſcio qua vanitate, nolunt ſe perſuadere imperitos in ludendo, atque ita ex falſa credulitate ſeſe aliis non eſſe impares in peritia ludendi, rem familiarem funditus evertunt.

CAPUT II.

De Ludo Lege Humana vetita.

Q. I. AN victor in ludo lege humana prohibito poſſit retinere id, quod vicit; & an qui perdidit teneatur ſolvere.

R. Suppono ludum jure naturali fuiſſe validum, adeoque quod nulla abfuerit ex illis conditionibus, quæ tali jure neceſſariæ ſunt ad validitatem ludi. Hoc ſuppoſito cohærenter ad ea, quæ diximus in prima quæſtione de contractibus, quibus jus reſiſtit, mihi probabilius eſt leges tales contractus prohibentes, quando jure naturali ſunt validi, ſolum auferre obligationem civilem, non vero naturalem, niſi poſtquam Judex illos contractus omnino voluit eſſe nullos. Rationes, quas ibi dedi, ſunt, tum quia jura declarantia irritum contractum jure naturali validum, ſunt ſtricte interpretanda, ita ut intelligi debeant de remotione obligationis civilis, non vero naturalis; tum quia etiam infirmatio contractus ex ſe validi, eſt ex utroque jure odioſa, unde neque iſta inducenda, ni plane conſtet jura infirmantia contractum, nullum velle & pro foro interno, & pro foro externo.

Non nego tamen probabile eſſe amittentem in ludo vetito poſſe velle non ſolvere, quia leges illum liberant a ſolvendo, ut patet *ex leg. alearum uſus de aleatoribus*, ubi firmatur amittentem non eſſe condemnandum, hoc eſt, non eſſe cogendum ad ſolutionem. Ex hac lege non deſunt Theologi excuſantes a ſolvendo in utroque foro, quia dicunt quod poterat legiſlator velle nec in foro conſcientiæ eſſe obligationem ſolvendi; immo expediebat ita velle in odium ludi, & ob publicum bonum. Hac ratione ſunt qui affirment, quod etſi qui amiſit, juraverit ſe ſoluturum, adhuc poſſit velle non ſolvere, cum judicent tale juramentum irritum, & nullum, utpote factum contra legem latam in favorem boni publici. Communior nihilominus eſt ea ſententia, quæ dicit, ſtante juramento ſolvendi, non poſſe ſe liberare a ſolvendo, niſi obtenta relaxatione juramenti. Ratio eſt, quia leges abſolventes eum, qui amiſit in ludo vetito a ſolutione, præcipue conſiderarunt favorem perdentis, unuſquiſque autem poteſt favori, & juri ſuo renunciare; & cenſetur de facto renunciaſſe, qui juravit ſe ſoluturum: *Bonac. d.* 2. *q.* 3. *p.* 3. *a num.* 2.

Præterea ex eadem lege *alearum uſus &c.* qui aliquid amiſit ludo vetito, repetere poteſt quod ſolvit; & poſt Judicis ſententiam victor deberet reſtituere quod vicit, utpote quia Judex ſententiam diceret juxta leges, adeoque illi parendum eſſet. Advertendum etiam, quod ſi, qui amiſit, intentet recuperare a victore lucrum, vel partem ipſius minitando accuſationem, poteſt ex ſententia valde probabili retinere quod recuperavit, etſi revera non habuiſſet animum accuſandi; nam hic dolus ex una parte non eſt injuſtus, cum revera minitans facultatem haberet accuſandi, & repetendi, & ex alia parte recuperando amiſſum, cedit juri quod habebat accuſandi, qua ratione victor reſtituit illi totum, vel partem lucri: *Dian. p.* 4. *tr.* 4. *reſol.* 34. *& p.* 7. *tr.* 9. *reſol.* 28. *Tal. t.* 2. *d.* 1. *p.* 10. *num.* 5. *Leſſ. l.* 2. *cap.* 26. *dub.* 3. *num.* 22.

Q. II. An poſſit retinere lucrum, qui ludit ludo vetito animo repetendi, ſi perdidiſſet.

R. Quamvis multi Theologi in hoc ludo conſiderent inæqualitatem inter ludentes, adeoque illum reputent inju-

Digitized by Google

injuſtum, nihilominus alii putant poſſe ſuſtineri juſtitiam talis ludi. Ratio eſt, qaia juſtitia hujus contractus, ipſioſque æqualitas in eo potiſſimum videtur conſideranda, quod oterque ludens habeat obligationem ſolvendi, ſi perdat, quod revera verificator etiam in eo, qui non renunciavit beneficio legis, etſi habuerit animum repetendi, re vera enim, ſi amiſiſſet, volebat ſolvere, qaamvis poſtea habuiſſet animum repetendi ſolatum. Hac ratione oon deſunt Theologi, qui liberent a reſtitutione illum, qai lucratus eſt, quamvis, ſi amiſiſſet, non habuiſſet aoimum ſolvendi. Dicunt etenim bene cum animo non lolvendi ſtare obligationem ſolveadi, qoa ſtante videtur poſſe lucrum retineri. Et quidem aliæ etiam obligationes remanent validæ, quamvis deficiat animus exequendi; & ita validum eſt votum, ſi ſola deſit voluntasadimplendi: *Lugo d. 31. numer. 53.*, *Sanch. Conſil. tom. 1. l. 1. c.* 8. *d.* 5. *Ant. a Sp. S. tr.* 10. *d.* 24. *n.* 1216.

Mihi nihilomious ſemper apparet inæqualitas in his ludis. Conſidero igitur in uno ex ludentibus animum determinatum ſolvendi, præcloſa illi omni via recuperandi ſolutum; huic autem certe æquiparari non poteſt ille, qui licet velit ſolvere, nihilominus volt repetere, vel non vult ſulvere, quamvis contrahat obligationem ſolvendi. Et quidem ſi quis haberet opinionem repetendi ſaum creditum, vel ab uno qui certe vult ſolvere, nec poteſt repetere, vel potius ab alio volente ſolvere, ſed ſimol repetere, ſeu nolente ſatisfacere obligationi ſolvendi, certe reputaret abſque ulla comparatione eligendum primom pro obtinendo credito. Re vera ergo inter præſatos non datur æqualitas, & aperte apparet injuſtitia: *Leſſ. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 31., *Regia. l.* 30. *cap.* 25 *n.* 388.

Regulæ in praxi obſervandæ.

Pro praxi hic notandum eſt, Confeſſariom poſſe abſolvere ludentes ludo vetito a ſolvendo, vel a reſtituendo quod vicerunt. Si igitur qui amiſit nondum ſolvit, poteſt illum deobligare a ſolvendo ex ſententia vere probabili, qood non teneatur ſolvere; & aliunde illi favet poſſeſſio. E contra qoi vicit, ante ſenteatiam Judicis non tenetur reſtitaere, qoia habet ſententiam ſibi faventem, quod qui amiſit, tenebatur ſolvere, & quod ſolum vi legum liberetur a civili obligatione. Aliunde etiam huic favet poſſeſſio.

CAPUT III.

De Sponſione, & Sortibus.

Q. I. Quid ſit ſponſio; & quid requiratur ad juſtitiam hnjus contractus.

R. I. Contractus ſponſionis commuoiter ita defioitur: *Contractus, in quo duo, vel plures contendentes de eventu, vel veritate rei alicujus, ad invicem ſibi aliquid ſpondent, ut ſit illius, qui veritatem fuerit aſſequutus: Lugo diſp. 31. ſect. 6.*

R. II. Ut Sponſio juſta ſit, neceſſaria eſt æqualitas inter ſpondentes, quod nempe uterque expoſitus ſit periculo locrandi, & perdendi, quod verificatur, quando pro utroque eventus rei eſt incertus. Et quidem nullus titulus daretur pro lucro retinendo, ſi quis ſponderet, quando certus eſſet de rei eventu, cum locrum juſte acquiri poſſit in hoc contractu ratione periculi amittendi, cui quis ſe expoſoit. Præterea dum aliquis certus eſſet de eveotu rei, error daret cauſam contractui; nemo enim præſumi poteſt ſpoodere velle cum eo, qui certus eſt de rei eventu.

Qood ſi quis putaret ſe eſſe certum de rei eventu, & adhuc tamen ſponderet, quia multoties expertus eſt ſe fuiſſe deceptum in iis, quæ illi videbantur certa, poteſt lucrum retinere, ſi vincat; oam ex tali reflexione concepit incertitudinem etiam in ea re, quæ certa antea ſibi videbatur, & ita re vera ſe exponit periculo: *Lugo diſp.* 41. *num.* 79. Idem dicendum de eo, qui ſpopundit, credens habere certitudinem rei affirmatæ, ſi adhuc re vera erat incerta. Hic igitur peccavit ſpondendo ratione conſcientiæ; at cum propter rei incertitudinem ſe expoſuerit periculo amittendi, poteſt lucrum retinere, ſi viocat: *Azor p. 3. l.* 11. *c.* 1. *Navar. in Man. c.* 20. *n.* 18. *Mol. diſp.* 108.

Ulterius advertendum ad inducendam ioæqualitatem inter ſpondentes oon eſſe neceſſariam omnimodam certitudinem rei affirmatæ, vel negatæ in ono ex ſpondentibus, ſed ſatis eſt ſi habeat pro ſe rationes, & conjecturas valde notabiliter validiores, quam alter. Ratio eſt, quia tunc periculum amittendi in eo eſſet valde tenue, & io altero ſpondente multo gravius; unde ſaltem non poſſet retinere totum lucrum, cum iſtud correſpondere debeat periculo amittendi. Non per hoc tamen aſſerere intelligo mathematica menſurandam eſſe æqualitatem periculi inter ſpondentes, ſufficit enim utrumque expoſitom eſſe valde probabili periculo amittendi; quamvis fortaſſe io uno non ſit tam grave, ſicut in alio.

Quod ſi qoisadhuc velit ſpondere cum eo, qui dicit habere certitudinem, vel maximam probabilitatem de re, quam affirmat, vel negat, dicunt communiter iſtum poſſe retinere quod vicit, qoia cenſetur amittens cedere juri ſoo, & condonare quod alter ex ipſius pertinacia lucratus eſt. Verum, ego ſemper putarem, cohærenter ad ea quæ ſupra dixi de ludo; hanc doctrinam habere locom, quando ex parva re, quæ amittitur, & ex liberalitate amittentis, præſumi poteſt velle condonare Victori quod lucratus fuit. Si igitor res non ſit exigua reſpectu amittentis, non facile liberarem victorem a reſtitutione, etenim non poſſet illam retinere ratione præſumptæ donationis, hæc enim ordinarie in re gravi non præſumitur, neque ratione ſponſionis, quia cum nollum ſubiiſſet periculum, neque etiam haberet titulum requiſitum in hoc contractu pro lucro retinendo. Nec etiam ſufficit dicere alterum libere conſenſiſſe in amiſſione, nam revera, ordinarie loquendo, ita ſpondentes conſentiant in amiſſione ex errore dante caoſam ſponſioni, quia ſcilicer credunt alterum ſpondentem non habere eam certitudinem quam jactat, alias certo oon ſponderent: *Lugo d. 31. num.* 81.

Q. II. An ſervetur æqualitas, ſi ita quis ſpondeat cum pluribus, ut certus ſit lucrandi: ſpondendo v. g. cum quatuor concurrentibus ad beneficium a nemine ipſorum obtinendum, in quo caſu certus eſt cum tribus lucrum, & cum uno tantum ſponſionem amiſſorum.

R. Dici poteſt bene poſſe lucrum retinere, qoia contractus reſpectu ſingulorum æqualiter ſupponitur expoſitus lucro, & damno, unde non eſt cur reſpectu cujuſcumque non dici debeat juſtus. Feciſſe autem aliquem ita ſponſionem cum pluribus, ut certus ſit ſe lucraturum, potius triboendum eſt ipſius ingenio, & induſtriæ: *Lugo num. 87. Sanch. in Conſ. l. 1. c. 8. d. 16.*, *Anton. d. Sp. S. tr.* 10. *d.* 24. *n.* 1236.

Q. II. An Sponſiones in quacumque materia ſint licitæ.

R. Omnes ſponſiones, quæ adjunctam habeant conditionem peccaminoſam, vel valde provocantem ad peccandum patet nedum jure poſitivo, ſed etiam naturali eſſe illicitas, ut ſi duo ſpondeant quis altero plus potaverit; ſi aliquis item cum altero ſpondeat non peccaturum, & hic tum affirmet, nam talis ſponſio hunc magis confirmat in propoſito peccandi, ipſum graviſſimo exponit periculo. Licita e contra eſſet ſponſio, qua ego dicerem alicui ipſum peccatorum, qaia lucrum ſperatum, ſi vincat ſponſionem, ipſum retrahit a peccato. Advertere tamen hic oportet quod in præfatis illicitis ſponſionibus, quamvis victor peccaſſet ſpondendo, nihilominus poſſet lucrum retinere, quia re vera ſponſionem viciſſet, & aliunde ex nulla lege obligatur ad reſtitutionem: *Azor. 3. p. l. 11. c. 1. quæſt. 6. Fil. t. 2. tr. 37. c. 2. num.* 27.

R. II. Si ſponſiones non ita proxime indocant periculum peccandi erunt licitæ, ut ſi quis ſponderet Petrum intra annum moriturum; nam licet ex hoc poſſet ita ſpondens ſomere occaſionem optandi mortem Petro, non tamen judicatur ex vi talis ſponſionis induci periculum grave optandæ mortis illius. Ita licitus eſt cenſus vitalitius, quamvis illum ſolvens poſſet ex eo occaſionem ſumere optandi mortem Cenſualiſtæ: *Lugo diſp. 31. n.* 74.

Hic tameo advertas extare conſtitutionem Gregorii XIV. incip. *Cogit. nos &c.* qua prohibentor ſponſiones tam ſuper electione, quam ſuper vita, & morte S. Pontificis, & id non ſolum in urbe, vel loco electionis, ſed in omni loco, & tempore, etiam ante Sedem vacantem, ſob pœnam excommunicationis latæ ſententiæ ipſi Papæ reſervatæ. Eædem ſponſiones ibidem prohibentur in ordine ad electiones Cardinalium, & annullantur in utroque foro, adeout quiſque teneatur ad reſtitutionem locri, qaod in his ſponſionibus adeptus eſſet, etiam ante ſententiam Judicis declaratoriam.

Digitized by Google

toriam. Ita Gregorius ampliavit prohibitionem talium ſponſionum, quas antea fecerat Pius IV. Conſt. 81. incip. *In eligendis &c.*

Supereſſet modo agere de contractu ſortium, quæ diviſoriæ appellantur, at non vacat hic repetere quæ dicta ſunt in Tr. de 1. Decalogi præcepto, dum egi de divinatione per ſortes. Ad hunc contractum reducitur ille, qui vulgo *lotto* appellatur, qui utique licitus eſt, ſemper cum in extrahendis ſchedulis ex urna, nulla committatur fraus, & dolus; & præmia non taxentur ultra pretium ſupremum.

Regulæ in praxi obſervandæ.

Multoties in contractu ſponſionis unus ex ſpondentibus ſolet ſimulare ignorantiam eventus alicujus rei de qua ſpondet, & credit tuto retinere poſſe lucrum, quia non habet omnimodam certitudinem. In hoc debet eſſe Confeſſarius valde cautus; nam ad inducendum inæqualitatem in ſponſionibus non eſt neceſſaria omnimoda certitudo in uno ex ſpondentibus, ſed ſatis eſt ſi illius conjecturæ & rationes valde excedant contrarias; & in hoc caſu victor ſaltem teneretur ad partem lucri reſtituendam.

QUÆSTIO XI.

De Contractu Societatis.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit Societas: & qui poſſint contrahere ſocietatem.

Q.I. QUid ſit ſocietas; & quotuplex.

R.I. Societas ita poteſt definiri: *Conventio duorum, vel plurium conferentium pecuniam, induſtriam, ſeu laborem ad commune lucrum cum debita proportione diſtribuendum.* Hæc definitio habetur *ex leg. 1. & ſeqq. ff. pro ſocio.* Dicitur *conventio duorum, vel plurium*, cum etenim nullus dicatur facere ſocietatem cum ſeipſo, iſte contractus duos ſaltem requirit. Nec requiritur ad hunc contractum ſcriptura, vel aliqua determinata forma verborum, ſed ſatis eſt ſi ſaltem duo conveniant, vel conſentiant. Ut autem ulterius intelligatur contracta ſocietas oportet omnes ſocios aliquid conferre ad commune negotium, vel pecuniam ſcilicet, vel laborem, vel inſtrumenta, ut naves ad aſportandas merces; ideo enim dicuntur ſocii, quia omnes aliquid conferunt ad commune negotium. Denique in hoc contractu, ſervata tamen debita proportione, lucrum eſt commune, quia omnes aliquid conferunt, ut lucri ſint participes: at quia qui ſentit commodum, & incommodum ſentire par eſt, ſicut lucrum proportionabiliter eſt commune, ita & commune debet eſſe damnum inter ſocios.

R. II. Societas multiplex eſſe poteſt. Aliquando igitur omnes ſocii conferunt pecuniam, & induſtriam perſonalem; aliquando unus confert pecuniam, & alter induſtriam, quæ quandoque magis æſtimatur quam pecunia: *l. 1. Cod. pro ſocio, l. ſocietas ff. pro ſocio, Inſt. de Societ. §. Deinde*, & hæc ſocietas quæſtuoſa, & lucroſa appellatur, quæ intervenire ſolet inter mercatores. Datur etiam ſocietas artis, quando unus exercet artem, & alter facit expenſas neceſſarias; ſicut ſocietas animalium, uno hæc ſuppeditante, altero ipſa cuſtodiente, gubernante &c. Datur ſocietas Officiorum, dum quis aliquo fungitur officio, & adhibet alios ſocios cum participatione fructuum ex eo provenientium. Datur ſocietas vectigalium, dum plures emunt communia vectigalia, & in communi faciunt expenſas, dividendo poſtea lucrum, vel jacturam. Initur aliquando ſocietas ad tempus, aliquando ad totam vitam. Aliquando in hoc contractu conficiendo interveniunt verba, ſeu literæ expreſſæ, aliquando contrahitur ſine verbis, & literis per ſolos actus ſociales.

Q. II. Quæ conditiones requirantur ad contractum ſocietatis.

R. Prima conditio eſt, ut ſocietas fundetur in negociatione juſta, & licita, non ad exercendas uſuras &c. ſiquidem malorum nulla eſt ſocietas: *leg. quod autem ex furto ff. pro ſocio.* Secundo, cum non poſſit eſſe ſocius, nec participare in lucro, qui nil confert ad ſocietatem, neceſſe eſt quemcumque ſocium ad eam aliquid conferre, vel pecuniam ſcilicet, vel operam, ſeu induſtriam &c. Tertio, lucrum, damnum, & expenſa debent eſſe communes inter ſocios, ſervata tamen debita proportione, ut magis explicabitur infra. Quarto, cum pecunia expoſita in ſocietate ſemper remaneat ſub dominio exponentis, hinc eſt, ut ſi pereat, eidem perire debeat; ut docet etiam D. Th. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 5. Quia tamen uſus ipſius, & commodum pertinet ad ſocietatem, qui pecuniam expoſuit, non poteſt eam a ſocietate amovere durante ſocietate, & divertere ad proprios uſus; & id faciendo non ſolum non poteſt lucrum reportare, ſed etiam tenetur ad damna, quæ ex hoc paſſa fuiſſet ſocietas.

Q. III. Quot modis finiatur ſocietas.

R. Primo, finitur ſocietas elapſo tempore conſtituto ad ſocietatem: *leg. actione §. Item qui ſocietatem ff. pro ſocio*, & ſi ſocii proſequantur ſocietatem ſicut antea, facto ipſo cenſetur renovata ſocietas: *leg. cit.*, & *leg. verum §. ult. ff. eod.* Secundo, finitur mutuo conſenſu, ſicut enim mutuo conſenſu initur, ita & per eum diſſolvi poteſt, juxta regulam quod res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur: cenſetur autem adeſſe conſenſus tacitus ſufficiens ad diſſolutionem ſocietatis, quoties unuſquiſque inciperet ſeparatim negotiari pro ſe: *leg. itaque cum ſeparatim ff. pro ſocio.* Quod ſi unus tantum ex ſociis ante tempus ſine juſta cauſa ſocietati renuntiaverit, reliquis contradicentibus, tunc utique iſte non participabit de lucro, ſi ſocietati adveniat; nam ex parte ſua ceſſit ſocietati, at participare poteſt de damno; niſi enim ex juſta cauſa renuntiaverit, poſſunt ſocii illum cogere ad damna ſocietatis: *leg. actione §. Hæc ita ff. pro ſocio; Bon. d. 3. q. 6. p. ult. num. 2.* pluribus citatis. Renunciatio autem poteſt etiam fieri per Procuratorem, ut eadem lege decernitur.

Tertio, finitur ſocietas ſi unus ex ſociis moriatur, quamvis adhuc plures ſocii ſuperſint: *leg. act. §. Morte ejus, leg. verum §. Societas ſolvitur ff. pro ſocio.* Ratio eſt, quia in ſocietate intelligitur electa induſtria perſonæ, unde obligatio perſonalis Defuncti non tranſit ad hæredem, ni cautum fuerit, ut aliquo decedente, adhuc ſocietas perſeveret; vel ni hæres, forte continuando in ſocietate, intelligatur ſaltem tacite novum conſenſum præſtare: *leg. nemo poteſt, & leg. plane § in ff. eod., Roſign. contr. 7. diſquiſ. 1. §. 6. num. 1.* Advertere tamen eſt, quod hæres tenetur ſtare negotiis inceptis ante mortem defuncti, vel antequam ſociis innotuerit; neque enim æquum eſt, ut finita intelligatur ſocietas, antequam innoteſcat cauſa diſſolutionis; & aliunde negotia in ſocietate incepta debent juxta regulas talis contractus abſolvi: *l. actione cit. §. Morte ff. pro ſocio. Pal. tr. 42. diſp. 8. p. 11. n. 8. Anton. a Sp. S. a. 25. num. 1268.* Quæ autem dicta ſunt valent etiam ſi ſequatur mors civilis alicujus ſocii, ut ſi mittatur in longum exilium, ſi profiteatur in religione: *leg. verum citat. §. Societas ſolvitur, Bonac. d. 3. q. 6. p. ult. num. 4.*

Quarto, ſolvitur ſocietas, ſi pereat materia, in qua fundatur, vel non amplius ſit idonea ad ſocietatem; & talis etiam cenſetur, quando remanet ita modica, ut fere prorſus inutilis ſit ad ſocietatem, adeout non poſſit credi alterum ſocium voluiſſe ſe obligare ad præſtandam in tali circumſtantia operam ſuam. Nec refert velle unum rem ſimilem, vel novam pecuniam contribuere; nam ſemper cum res vel pecunia ab initio tradita in ſocietatem periit, vel reducta eſt ad modicam quantitatem, ut dictum eſt, intelligitur finita ſocietas; unde alter ſocius non tenetur ſtare ſocietati, etſi novam pecuniam, vel materiam vellet quis ſubſtituere. Item ſolvitur ſocietas, ſi unus ex ſociis non poſſit contribuere promiſſam materiam, vel pecuniam, vel operam, infirmitate, carcere, vel alia cauſa tempore notabili impeditus: ſicut etiam ſi alterius ſocii bona publicentur, vel ceſſerit bonis preſſus ære alieno: *leg. actione §. Publicatione ff. pro ſocio, Bon. d. 3. q. 6. p. ult., Ant. a Sp. S. tr. 25. num.* 1270.

Q. IV. Quinam poſſint contrahere ſocietatem.

R. Ad contrahendam ſocietatem neceſſe eſt habere dominium proprium bonorum, & liberam illorum adminiſtrationem, alias non poſſent diſtrahi, & obligari: item non impediri a jure. Hinc Pupilli, & Minores ſine authoritate Tutoris & Curatoris non poſſent inire ſocietatem, quæ tamen valida eſſet, ſi in ipſorum cederet utilitatem, eamque approbarent poſt tutelam. Quod ſi per eam notabiliter læſi fuiſſent, poſſent petere reſtitutionem in integrum, ut alias o-

ctum

Digitized by Google

ctum eſt. Non poſſunt contrahere ſocietatem ebrii, & carentes uſu rationis ut de ſe patet: quod ſi contraxerunt ſocietatem, dum erant ſanæ mentis, intelliguntur perſeverare in ſocietate; uſquedum finiat tempus pro ea determinatum; nam ſuperveniens dementia non irritat actum legitime celebratum.

R. II. Sequentes impediuntur a jure contrahere ſocietatem. Medicus, durante infirmitate, non poteſt contrahere ſocietatem cum infirmo: *l. medicus ff. de var. & extraor. crimin.* nec Advocatus cum Cliente: *l. quiſquis C. de poſtulat.* nec Tutor, nec Curator cum pupillo, & minore: *leg. ſi in emp. ſ. fin. de contr. empt.* nec detentus in carcere poteſt contrahere in ſui perniciem: *l. qui carcereſſ. quod metus cauſa.*

Q. V. An Clerici, & Filiiſamilias poſſint ſocietatem contrahere.

R. I Quoad ſocietatem, quam contrahere poteſt Clericus, videnda quæ dixi quæſtione ſecunda, dum egi de negoriatione.

R. II. Quantum ad negociationem filiorum, dicendum eſt quod, ſi negotientur nomine proprio ex peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi, tunc & lucrum, & uſufructus ad ipſos pertinet, ſicut & ad ipſos pertinet totum periculum: *leg. ſi unus ex fociis ſ. Si quid unus ff. pro ſocio.* Si vero filius ita negotietur cum Patre, ut Pater apponat pecuniam, & ipſe induſtriam, & laborem, ita ut intelliganrur veluti duo ſocii nomine proprio negociantes, tunc filius acquirit lucrum, quod correſpondet ipſius labori, & induſtriæ, nec tenetur illud conferre in partitione hæreditaris cum aliis fratribus, quamvis uſuſfructus talis lucri, quoadusque vivit Pater, ad ipſum pertineat: *leg. cam oportet Cod. de bon. quæ lib.* Si demum negocietur nomine Patris, vel ipſius peculiis, totum lucrum pertinet ad Patrem; & in dubio intelligitur nomine Patris negociaſſe: *leg. fin. ff. quando ex facto ſuo.* Poſſet tamen velle ſibi dari quod Pater alteri tribueret, ſi non haberet filium, qui ipſum adjuvaret in negociatione; quamvis & e contra Pater poſſet detrahere quantum impendit in eo alendo, eum non teneatur filium alere, quando habet ex propriis, ut jam alibi dictum eſt.

Regulæ in praxi obſervandæ.

Unica regula eſt hic potiſſimum attendenda in praxi a Confeſſario, & hæc eſt, multoties Potentes, & divites ſine publico inſtrumento, & ſolum verbis quaſdam particulares ſocietates inire, tribuentibus ipſis pecuniam ad emenda animalia, ſericum &c. & aliis laborem, & induſtriam. Interim vendere volunt ad ſui libitum, & quando ipſis placet finire ſocietatem, non audentibus contradicere iis, qui poſuerunt induſtriam, quamvis videant vendi merces, & finiri ſocietatem cum ipſorum gravi damno. Moneat Confeſſarius hos divites non ipſis licere ad ſui libitum vendere, & finire ſocietatem, etſi neceſſe habeant uti ſui pecunia, vel alia de cauſa, ſed attendendum etiam eſſe, ne ſocius damnum patiatur. Si ergo vendant mercem emptam, rationabiliter prævidendo majori pretio poſt aliquod tempus vendendam, Confeſſarius eos obliget ad compenſanda damna illi, qui in ſocietate ſuam induſtriam contulit.

CAPUT II.

Quomodo dividendæ ſint damna, & expenſæ ſocietatis, vel lucrum finita ſocietate.

Q. I. QUis teneatur ad damna, quæ paſſa eſt Societas, ſive unus ex ſociis.

R. I. Si res ſocietaris periit culpa unius ſocii, is tenetur ad compenſandum tale damnum ſocietati, vel alteri ſocio. Quoad forum externum utique tenetur de dolo, culpa lata & levi, quamvis non de leviſſima; ita enim commune eſt omnibus contractibus, qui celebrantur in bonum, & commodum omnium contrahentium, & traditur etiam *inſtit. de ſociet. ſ. ult.*, & *leg. ſocius ſocio ff. pro ſocio.* At juxta alias dicta pro foro conſcientiæ nulla aderit gravis obligatio reſtituendi ante ſententiam Judicis, ni adfuerit gravis culpa Theologica. Ubi etiam advertendum, quod licet dum ſocius ſe conſtituit dolo malo in tali ſtatu, ut non poſſit integre ſatisfacere ſocietati, cogi poſſit ad præſtandam cautionem de integre ſatisfaciendo, ſi devenerit ad pinguiorem fortunam, id tamen faciendum non eſt, dum ſine dolo factus eſt impotens ad ſatisfaciendum. Ratio eſt, quia inter ſocios datur quoddam jus fraternitatis, quod exigit mitius agere cum ſocio non doloſo. Debebit ergo arbitrio viri prudentis vel Judicis taxari quid relinquendum illi ſit pro alimentis, & quid conferre debeat ſociis ob damnum, quod paſſi ſunt: *l. verum eſt ſ. 1. & ſeqq. ff. pro Soc.*, *l. ſunt qui in id ff. de re jud. & ſ. Sed. & ſi quis Inſtit. de action.*, *Roſign. contra 7. prænot. 5. n. 4.*

R. II. Si damna adveniant ſocietati ex caſu fortuito abſque culpa ſociorum, dividenda ſunt inter ſocios proportionabiliter, prout quiſque contulit in ſocietatem. Qui igitur de lucro magis participare debet, & magis participare etiam debet de damno juxta illam notiſſimam regulam, illius eſt commodum, cuju eſt incommodum, & e contra.

R. III. Si unus ex ſociis damnum patiatur ex cauſa proxima ſocietatis, eſt illi a ſocietate compenſandum: ſecus ſi illud patiatur occaſione ſocietatis. Tunc diceretur pati damnum ex cauſa proxima ſocietatis, quando ita patiatur damnum, ut ſi lucratus fuiſſet, debuiſſent de lucro ſocii participare. Eo quod e. gr. pergebat ad nundinas, rebus ſibi propriis expoliatus fuit a Graſſatoribus, vel gravem infirmitatem paſſus fuit. Hoc damnum compenſandum eſt a tota ſocietate, quia & ipſa participare debebat de lucro, quod acquiſiviſſet ratione talis itineris. *Mol. d.* 418. Si vero in itinere graviter fuiſſet vulneratus ob particularem inimicitiam, tunc ſocietas ad nihil teneretur; nam non intelligeretur ipſa ſocietas cauſa talis vulneris, ſed mera occaſio, & cauſa talis damni alia non eſſet niſi ipſius inimicitia, quæ nullatenus pertinet ad ſocietatem: *Mol. d. 418. Tamb. de contr. l. 9. tr. 8. c. 7. n 6. Bon. d. 3. qu. 6. p. 4.*

Cæterum univerſaliter loquendo, ſocietas dicitur ſolum occaſio damni unius ex ſociis, & non cauſa, quando iſte ita patitur damnum ratione ſocietatis, ut ſi aliunde lucrum proveniret, ad ipſum tantum pertineret: ut ſi eo quod e.g. perrexerit ad nundinas ratione negociorum ſocietatis, Lucæ non fuit inſtitutus hæres, non obtinuit officium &c. Sicut igitur, ſi hæc acquiſiviſſet, nullum lucrum reportaſſet ſocietas, ita neque conveniens eſt, quod compenſet ſocio tale damnum.

Q. II. Quæ attendenda ſint circa expenſas.

R. I. Expenſæ neceſſario factæ in ordine ad merces ſocietatis communi pecunia ſunt faciendæ; nam lucrum dividitur inter ſocios deductis expenſis neceſſariis: *leg. Mutius ff. pro ſocio.* Præterea expenſæ, quæ reſpiciunt merces, & pro ipſis fiunt, dividuntur in commune commodum ſociorum, ergo & proportionabiliter ſentire debent ipſarum incommodum. Verum tamen eſt aliquando ſocios aliter ſe convenire, & tunc ſtandum eſt ipſorum pactis, quando manifeſtam non contineant injuſtitiam.

Præfatæ expenſæ ſunt illæ, quæ fiunt in vecturis mercium, in naulo navigationis, in vectigalibus perſolvendis, in domibus pro eis conductis, in mercede ſervorum, in litibus pro iis defendendis, &c. Ubi obſervandum quod ſi uni ex ſociis deeſſent pecuniæ ſocietatis pro conſervandis mercibus, ſive pro acquiſitiono lucri deſiderati, tenetur nedum ex charitate, ſed & ex juſtitia vel pecunias mutuo accipere etiam ſub uſuris, vel proprias impendere. Ratio eſt, quia contractus ſocietatis ſaltem ſe obligavit ad exhibendam pro ſocietate etiam diligentiam, quam quiſque diligens pro rebus ſuis conſervandis adhiberet; nullus autem eſſet, qui in præfatis circumſtantiis vel pro re propria conſervanda, vel pro lucro non ita exiguo acquirendo, non mutuo acciperet pecunias etiam ſub uſuris. *Bon. d. 3. quæſt. 6. p. 4.* aliis citatis. Verum tamen eſt, quod ſi proprias erogando pecunias aliquod lucrum illi ceſſavit, vel damnum paſſus eſt, hæc poteſt repetere: *leg. ſi unus ſ. Si unus ff. pro ſocio.*

R. II. Socius poteſt integre in ſui favorem detrahere expenſas factas in itinere cauſa ſocietatis. Notandum igitur eſt quæſtionem eſſe inter Theologos, an ſocius pro ſocietate itinerans, poſſit ſolum prætendere quod de plus impendit ſupra ſumptus, quos domi feciſſet, vel univerſaliter omnes ſumptus, quos facit in itinere. Probabiliſſima autem ſententia eſt ipſi deberi integras expenſas, quas fecit abſque detractione expenſarum, quas domi feciſſet. Hæc ſententia validum fundamentum habet in jure, quod abſolute, & indiſtincte concedit ſocio

domi

proficienti in cauſa ſocietatis omnia viatica ex bonis ſocietatis, abſque eo quod excludantur ſumptus, quos domi feciſſet: *leg. ſi fratres §. Si quis ex ſociis, & leg. ſecundum Julianum ff. pro ſocio.* Solum ergo excludendi ſunt ſumptus voluptuoſi, inutiles, & irrationabiles; incongruum etenim eſt id quod inutiliter conſumitur, in aliorum perniciem transfundi: *Bonac. loc. cit. Mol. d.418. Anton. a Sp. S. tr. 10. d. 14. n. 1258.*

Q. III. Qua ratione dividendum ſit lucrum finita ſocietate; & an reſtituenda ſit tota pecunia uni, qui eam poſuit.

R. I. Diviſio facienda eſt ad tatam illius, quod unuſquiſque contulit in ſocietatem: *leg. ſi non fuerit ff. pro ſocio.* Hinc ſi plures æqualiter contulerunt pecuniam, & induſtriam, ſive laborem, æqualiter inter ipſos dividendum eſt lucrum & capitale; ſi vero inæqualiter contulerunt de induſtria, ſive pecunia, & pro rata etiam induſtriæ, & pecuniæ capitale dividendum eſt. Quod ſi unus contulit pecuniam, alter vero induſtriam, & laborem, æqualiter lucrum erit dividendum, ſi labor, & induſtria ab altero poſita tanti æſtimetur, quanti pecunia. Ubi advertendum, ut initio capitis notavi, induſtriam & operam corporalem unius, præcipue in negociatione, aliquando pretioſiorem reputari, quam pecuniam. Quæ dicta ſunt de diviſione lucri, aptanda ſunt diviſioni damnorum, ſi quæ paſſa fuerit ſocietas.

R. II. Finita ſocietate inter duos, quorum unus appoſuit induſtriam, alter vero operam, prius reſtituendum eſt capitale, ſi ſuperſit illi, qui appoſuit pecuniam, & poſtea dividendum lucrum juxta æſtimationem induſtriæ, & laboris. Ratio eſt, quia pecunia poſita in ſocietate non eſt communis inter ſocios quoad proprietatem, ſed ſolum quoad uſum, & commoditatem. Quia autem remanet dominium, & proprietas apud eum, qui eam poſuit, ſi perit vel in totum, vel in partem, illi perit. Ex hoc etiam convincitur integre illi eſſe reſtituendam; quæcumque etenim res ſuo domino integre eſt reſtituenda.

Neque ex hoc ſequitur dari inæqualitatem inter ſocios; etenim unus tradit pecuniam ut exponendam negociationi, adeoque alteri concedit ipſius uſum, & commoditatem; alter pro commoditate, & uſu pecuniæ ſibi traditæ ponit operam ſuam. En ergo æqualitas, dum unus concedit uſum, & commoditatem pecuniæ, alter vero apponit ſuam induſtriam, & laborem. Primo, debetur pars lucri, non præciſe pro pecunia, quæ de ſua natura eſt ſterilis, ſed pro pecunia, ut ſuo etiam nomine expoſita negociationi, quo pacto apta eſt fructificare. Alteri vero debetur pars lucri pro æſtimatione ſuæ induſtriæ, & laboris, & ita uterque ſalvo capitali pro eo, qui illud apponit, poteſt lucrum reportare. Intervenit etiam æqualitas, ſi nullum ſit lucrum dividendum, qui enim appoſuit pecuniam perdidit ipſius lucrum, & qui induſtriam, fructum ſuorum laborum: *Pal. tr. 31. d. 8 p. 3. n. 2. Bon. d. 3. qu. 6. p. 3. n. 3. Roſſign. contr. 7. præn. 15.*

Q. IV. An finita ſocietate reſtituenda ſit pecunia ſecundum valorem, quem habebat initio ſocietatis, vel quem habet in fine ipſius, ſi forte crevit, vel decrevit.

R. Si nondum ea pecunia comparatæ ſint merces, vel nondum mixta fuerit cum aliis pecuniis ſocietatis, tunc cum adhuc ea pecunia in individuo perſeveret ſub dominio illius, qui eam contulit, illi etiam creſcit, vel decreſcit. Quod ſi jam alienata ſit emptione mercium, vel ita mixta cum aliis pecuniis, ut ab eis diſcerni haud poſſit, tunc incrementum, vel decrementum eſt commune ſocietati. Hac finita, propter pactum ſocietatis reſtituenda eſt Domino ſecundum valorem, quem habebat, quando ab initio collata fuit; cum, ut dixi, debeat ad illum integrum redire ſuum capitale.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Multoties audivi eos, qui aliorum negocia gerunt, prætendere compenſationem alicujus damni, vel lucri ceſſantis, quæ paſſi ſunt, dum talibus negociis incumbebant; & ſolent ea verba jactare: *Si domi manſiſſem, tantum lucratus eſſem: ſeu tale damnum non paſſus fuiſſem.* Caute ſe gerat Confeſſarius, dum hæc audit. Vel igitur iſte mere locavit ſuas operas aliorum negociis inſerviendo, vel habet ſocietatem in talibus negociis. Si locavit operam ſuam in adminiſtrando aliena negocia, jam pretium recipit pro ſua induſtria, & labore; unde non poteſt petere aliquid de plus, eo quod per accidens aliquod damnum, vel lucrum paſſus ſit; nam hæc imputari non poſſunt iis, qui illum conduxere: ultraquamquod ſi ipſe non locaſſet eis ſuam induſtriam, & operam, alterum eadem mercede conduxiſſent, qui talia paſſus non fuiſſet. Idem dicas ſi iſte ultronee ſe exhibuerit ſine merceda ad præſtandam operam ſuam alicui in aliquo negocio &c.

Si vero eſt ſocius in negociatione, jam dictum eſt non poſſe prætendere niſi compenſationem damnorum, quæ illi intulit ſocietas, ut cauſa proxima eorumdem; ut ſi pro defendendis rebus ſocietatis a latronibus vulneratus fuerit; ſi in itinere cauſa ſocietatis aſſumpto ægrotaverit &c. ut dicitur etiam *leg. ſecundum Julianum ff. pro ſocio.*

II. Aliud in praxi a Confeſſario valde obſervandum eſt. ut juſte dividatur lucrum in ſocietate inita inter divitem, aliumque qui appoſuit ſuas operas. Dives ergo qui contulit pecuniam, ſolet ſibi majorem partem lucri appropriare, tradendo alteri, qui multum paſſus eſt in emendis mercibus, & multum in vendendis, lucrum valde inferius. Moneat ergo Confeſſarius divitem, operas pro ſocietate impenſas, maxime ſi valde laborioſæ ſint, pluris etiam eſtimari, quam pecuniam; unde ſaltem æqualiter lucrum eſſe dividendum. Nec acquieſcat ſi reſpondeat alterum minori lucro contentum eſſe; nam ideo ſe contentum dicit, quia non vult protectionem divitis amittere, & videt quod ſi ab eo deſeratur, neque illud parvum lucrum acquiret.

III. Facile etiam cognoſcet in praxi Confeſſarius, quod qui in ſocietate ſolas operas ponunt, itinerando pro ſocietate, & cauponis commorando, non abſtinent a nimiis compotationibus, conviviis &c. a quibus facillime abſtinerent, ſi de lucro ſolum ad eos pertinenti ageretur. Commonendi ergo ſunt, ut voluptuoſis, & inutilibus ſumptibus parcant; & ſi quos fecerint non tam exiguos, eos detrahant a portione lucri ſibi obvenientis.

IV. Denique notet Confeſſarius, quod ſi non conſtet de manifeſta injuſtitia, attendendæ ſunt conſuetudines regionum, juxta quas intelligitur fieri contractus, cum habeant vim legis; & cum aliunde pacta in contractibus poſita ſint obſervanda: *leg. 1. ff. de pactis, & leg. Juris gentium §. Prætor ait ff. eod.*

CAPUT III.

De contractu Societatis, cui additur alter contractus Aſſecurationis Capitalis, & alter Aſſecurationis lucri; ubi & de ſocietate circa Animalia.

Q. I. QUid ſit contractus ſocietatis, additis duobus aliis contractibus aſſecurationis capitalis, & lucri.

R. Ut conſtat ex Conſt. 45. Sixti V. incip. *Deteſtabilis avaritia &c.* non eſt licitum lucrum reportare ex ſolo titulo ſocietatis, ſalvo capitali. Ratio etiam ſuffragatur, quia cum dominium capitalis remaneat apud eum, qui illud appoſuit, conceſſo ſociis ipſius uſu, & ipſi quoque perire debet, ſi pereat ſine gravi culpa ſociorum, cum unaquæque res Dominu ſuo pereat.

At quia ægre quis ferret periculum ſui capitalis, alterum ineunt contractum, quo unus in ſe periculum ſuſcipit capitalis, dummodo ipſi relinquatur pars lucri ſperati; ac demum alterum ineunt, quo idem ſe obligat tradere quotannis aliquod lucrum certum, & determinatum, dummodo & altera pars lucri ſperati ipſius ſit. Conſigno e. g. Titio mercatori contractu ſocietatis 100. aureos. Ex vi autem talis contractus ſperarem quotannis lucrum 10. aureorum. Interim, ut Titius mercator in ſe ſuſcipiat mei capitalis periculum, relinquo ipſi 4. aureos ax lucro ſperato, & dein, ut de ſe obliget ad dandum mihi quotannis certum lucrum 3. vel 4. aureorum, alios 4. aureos vi ſocietatis ſperatos ipſi remitto. En ergo tres contractus. Primus ſocietatis; ſecundus aſſecurationis capitalis; tertius aſſecurationis lucri.

Q. II. An tres contractus ſint liciti.

R. Quidquid in contrarium aliqui clamitent, praxis præfatorum contractuum, quæ modo in uſu eſt apud omnes

Digitized by Google

omnes gentes, licita omnino eſt. Et primo videtur approbari *leg. ſi non fuerunt ff. pro ſocio*, ubi debita compenſatione approbata, ita dicitur iniri poſſe ſocietas, ut damnum ſit unius ex ſociis. Hoc idem ſignificari videtur *cap. per veſtras de Donat. int. virum, & uxorem*, ubi Pontifex vult dotem extrahi a viro inope ut tuta ſit, & tradi mercatori, ut ex illius fructu ſuſtentari poſſint onera matrimonii. Intentio ergo Pontificis fuit, ut dos non eſſet expoſita periculo & nihilominus quod ex ea fructus perciperentur. Ratio etiam maniſeſtiſſima ſuffragatur; ſi etenim Titius poſtquam dedit Sempronio titulo ſocietatis 100. aureos, accedat ad Cajum, ut ipſius periculo ſtet ſuum capitale, & ſe obliget ad præſtandum ipſi certum lucrum, certe Cajus pro aſſecuratione capitalis, & pro præſtando lucro poterit expoſcere a Titio 8. e. g. aureos ſperatos ob initam ſocietatem cum Sempronio, ultra lucrum certum, vel quatuor aureorum. Si ergo Cajus poterit ob aſſecurationem capitalis, & lucri eoſdem octo aureos petere, dum a ſocietate percipiantur, cur iidem contractus non poterunt a Titio fieri cum Sempronio, cum quo iniit ſocietatem? *Lugo diſt. 30. num. 37. Pal. d. 8. part. 5., Bonac. d. 3. qu. 3. p. 11. Roſign. contr. 3. de mutuo diſp. 6. §. 8.*

Neque dicas, quod ſi ille cum quo inita eſt ſocietas periculum in ſe capitalis aſſumat & promittat lucrum certum, deſtruitur ſocietas, quæ expoſcit lucrum eſſe commune, ſicut & pericula, & damna. Videtur inſuper hic modus negociandi in purum mutuum reſolvi; proprium enim mutuatarii eſt ſubire periculum pecuniæ, quæ illi traditur, cum ipſius dominium acquirat: & quia ulterius debet reſtitui capitale cum lucro, videtur lucrum accipi ex mutuo, in quo propriiſſime conſiſtit uſura. Hac etiam ratione dicendum eſt Sixtum V. damnaſſe ſocietates, in quibus reportatur lucrum ſalvo capitali.

Contra tamen eſt, quia verum eſt titulo ſocietatis lucrum, & damnum debere eſſe communia; at nil impedit quin ex alio juſto contractu poſſit unus ex ſociis in ſe aſſumere periculum ſortis, & lucri; ſicut juſtiſſime poſſet aliquis tertius id facere, tradendo ipſi juſtum pretium aſſecurationis. Ad eum modum quo, vi contractus depoſiti periculum rei depoſitatæ remanet apud deponentem, cum ſub illius dominio perſeveret, at nil obſtat quin alio contractu depoſitarius, habito juſto pretio, illius periculum in ſe ſuſcipiat. Patet præterea non dari reſolutionem in purum mutuum; nam vi contractus mutui mutuatarius poteſt uti ad ſuum libitum pecunia mutuata, in noſtro autem caſu ſocius recipit pecuniam ad effectum dumtaxat negociationis, remanente dominio & periculo apud tradentem pecuniam, niſi aſſecuraretur per alium contractum; ſicut in depoſito remanet ipſius dominium apud deponentem, quamvis depoſitarius per contractum aſſecurationis illius periculum in ſe ſuſcipiat, ut traditur etiam *Cod. unic. de commod. & leg. 1. ff. depoſiti*.

Aliqui volunt non cogendum eſſe ſocium, cum quo inita eſt ſocietas ad celebrandos alios duos contractus, aſſecurationis ſcilicet capitalis, & lucri. At non video fundamento ſufficienti hoc dici; unuſquiſque enim poteſt uni contractui alterum unitum velle, ſemper cum nulla ſit injuſtitia. Ita poteſt quis nolle vendere ſuam vineam, ni ſimul fiat pactum, ſive contractus retrovenditionis; ſicut poteſt nolle vendere ſuum frumentum ſibi nolenti vendere vinum. Pari ratione poſſum nolle dare meam pecuniam in ſocietatem, ſi non accedat aſſecuratio capitalis & lucri, data tamen juſta compenſatione talis aſſecurationis: *Lugo num. 46.* Quod ſi Sixtus V. Bulla citata damnavit ſocietates, in quibus reportatur lucrum ſalvo capitali, dicendum eſt damnaſſe iniquas ſocietates a claſſicis DD. damnatas, non vero quæ ab iiſdem DD. approbantur. Hinc contractus ſocietatis cum aſſecuratione capitalis, & lucri neque a S. Rota reprobatur.

Solet etiam apponi Caput *Naviganti de uſur.*, ubi mutuator mutuans certam quantitatem pecuniæ eunti ad nundinas, dicitur non poſſe obligare mutuatarium, ut ſecum ineat contractum aſſecurationis, quo ſcilicet ipſe mutuator, certo pretio conſtituto in ſe recipiat periculum pecuniæ, aut mercium transferendarum ad nundinas. Hoc igitur verum eſt, quia ratione mutui nullum onus pretio æſtimabile imponi poteſt mutuatario, quod onus illi imponeretur, ſi obligaretur ad

aſſecurandam pecuniam, vel merces. Alii dicunt, & meo videri non ſine fundamento, irrepſiſſe errorem in textu, & deficere particulam *non*; ita ut ibi dicitur: *uſurarius eſt cenſendus*, legendum ſit: *uſurarius non eſt cenſendus*. Hac de re vide Commentaria in hoc caput.

Q. III. Quomodo ineunda ſit ſocietas circa animalia.

R. In contractu ſocietatis circa animalia attendendæ ſunt regulæ ſupra explicatæ pro licita ſocietate. Primo ergo, ita contrahi poteſt ſocietas, ut duo, vel plures æqualiter apponant animalia & induſtriam, ſeu laborem, dividendo poſtea lucrum pro medietate. Quod ſi non æqualiter apponant animalia, & laborem, lucrum dividendum eſt *pro rata*. Secundo, ita poteſt contrahi, ut unus apponat animalia, alter laborem, & cuſtodiam cum æquali diviſione fructuum, qui certe modus contrahendi omnino licitus eſt, ſemper cum periculum animalium ſit apud apponentem; cum etenim illorum ſit dominus, ipſi debent perire, ſi pereant, ſicut ipſius debet eſſe illorum decrementum, ſi in valore deteriorentur. Tertio, iniri poteſt ſocietas animalium eo contractu, qui dicitur vulgo *a capo ſaldo*, & eſt idem ac ſocietas adjunctis aliis duobus contractibus aſſecurationis capitalis, & lucri, ut ſupra dictum eſt. Dantur ergo e. g. 100. oves Paſtori titulo ſocietatis, ſed quia Paſtor ſubit periculum ipſorum animalium ſe obligando ad reſtituendum in fine ſocietatis quot oves recepit, dominus illi remittit unam partem fructuum, quam poſſet ſperare; & ulterius quia Paſtor ſe obligat illi tradere quotannis determinatam portionem caſei, dominus illi remittit aliam partem fructuum ſperatorum. Vi ſocietatis e. g. poſſet percipere ſex libras caſei in ſingulas oves, harum duas permittit Paſtori pro aſſecuratione ovium, & duas alias pro aſſecuratione fructus, & ita Dominus duas tantum libras caſei percipit: *Bonac. d. 3. q. 6. p. 3., Pal. d. 8. p. 6., Ant. a Sp. S. d. 25. n. 1261.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Ne Confeſſarius, ut vitet in morali Theologia laxitates, incidat in extremum contrarium rigoris, advertat in praxi cum perſonis ſimplicibus, & idiotis non oportere has perſonas, dum tradiderunt ſuas pecunias mercatoribus, expreſſam habuiſſe intentionem tres contractus celebrandi eo modo, quo ſupra dictum eſt. Hujus rei multoties ſunt incapaces, unde in talibus caſibus ſufficit ipſorum intentio implicita, tradendi ſcilicet mercatori pecuniam, ut ex ea lucrum reportent eo modo, quo licite fieri poteſt; intentio etenim implicita liberum idem operari valet ac expreſſa, ut habetur etiam *arg. leg. cum quid mutuum ff. cum certum petatur*. Neque eas inquietet ſemper cum tradiderunt bona fide pecuniam mercatori ad negociandum, etiamſi poſtea ſciatur ea non uſum fuiſſe ad negociandum. Nam ſtetit per accipientem ea non uſum fuiſſe ad negocium; & aliunde cum eſſet mercator, tenebatur obſervare contractum, eaque uti ad negociandum, & non facere hoc damnum illi, qui tradidit pecuniam. Legatur *Mol. d. 417., Leſſ. l. 2. cap. 25. d. 3. num. 39.*

II. Advertat e contra Confeſſarius fictas omnino, & damnandas eſſe illas ſocietates, quibus pecunia non traditur mercatori, ſed alicui alteri, qui eadem pecunia utitur ad ſolvendum æs alienum, vel in ludis &c. Quamvis igitur in his occaſionibus celebratus fuerit contractus ſocietatis cum aliis duobus contractibus, de quibus ſupra; revera tamen adfuit purum mutuum palliatum celebratione illorum contractuum, unde nullum lucrum poteſt licite reportari. Si tamen id ab aliquo præſtitum fuerit bona fide, credens revera accipientem pecuniam velle cum ea negociari, poteſt aliquid recipere titulo lucri ceſſantis, ſi de facto aliunde lucrum licite percepturus fuiſſet, caſu quo non dediſſet pecuniam ficto negociatori.

Id In noſtris regionibus crebro verificatur in ſocietate animalium. Accedere multoties ſolent ruſtici ad aliquem expoſtulando pecuniam, ut emant par boum, vel alia animalia, & paciſcuntur correſpondere tributum pecuniam eo lucro, quod ſolet tribui ementi animalia. Revera tamen ruſtici ea utuntur pecunia Li

nia vel ad dotandas filias, vel ad ſolvendum creditoribus &c. Si igitur pecunia tradatur hujuſmodi perſonis mala fide, nil ex ea percipi poteſt; nam eſt purus contractus mutui titulo ſocietatis palliatus; & qui hoc ſcienter facit, non poteſt habere animum eam implicandi in aliis licitis negociationibus, ut de ſe patet. Qui autem ita ageret bona fide, itaut ſi ſciviſſet pecuniam non implicandam in emptione boum &c. illam implicaſſet alteri licitæ negociationi, hic poteſt percipere quantum patitur de lucro ceſſante. Advertat tamen Confeſſarius non poſſe percipere totum lucrum conventum; nam ideo totum illud lucrum percipere potuiſſet, quia ſe expoſuiſſet periculo totum perdendi, ſi boves, vituli &c. obiiſſent, quod periculum ceſſat, dum de facto boves, vituli &c. non empti fuere.

III. Cautus ſit Confeſſarius quoad multa pacta, quæ apponi ſolent in ſocietatibus animalium. Hujuſmodi ab aliquibus cenſetur pactum, ut ſi ex grege aliquæ oves pereant, debeant ſuppleri ex fœtibus, qui naſcuntur, & interim cæteri fœtus & caſeus æqualiter dividi; nam cum non minus æſtimetur in his ſocietatibus induſtria, ac labor Paſtoris, quam grex ab altero ex ſociis emptus, fructus, fœtus nempe, & caſeus, debent æqualiter dividi, ſi initus ſit purus contractus ſocietatis. Nihilominus hoc pactum ab aliis non ſine fundamento ſuſtinetur; non minus etenim reſultat in gratiam ementis oves &c. quam Paſtoris; eo etenim ipſo quod grex in eodem numero conſervetur, conſervatur etiam pro Paſtore eadem quantitas fructuum. Injuſtum autem certo reputandum pactum quod animalia æqualiter pereant apponenti, & Paſtori; & ſi non pereant, capitale remaneat apponenti, & fructus dividantur. Semper cum igitur apponens oves, vaccas &c. remanet totaliter Dominus earum, ipſius tantum periculo ſtare debent, & ſi pro medietate vult refundere periculum in Paſtorem, debet illud compenſare relinquendo illi majorem partem fructuum.

Injuſtum pariter in praxi (quidquid unus, aut alter ex Theologis dicat) reputandum eſt pactum, quo ſocius apponens laborem, nil lucri debeat accipere, donec ex fœtibus, & fructibus extrahatur prius capitale reſtituendum apponenti, & dein quod ſupereſt æqualiter dividatur. Meo videri in hoc pacto manifeſta habetur injuſtitia; nam apponens capitale habet illud ſalvum & integrum, qui vero reciperet animalia non ita facile compenſabitur pro ſuis laboribus; antequam enim integrum reſtituat capitale faciſlime tanti erunt ipſius labores, ut non ſatis compenſentur, eo quod acquirat dominium medietatis gregis.

Injuſtum pariter judicet Confeſſarium pactum, quo alicui traduntur animalia æſtimata, ita ut ſi decreſcant in valore finita ſocietate, reſtitui debeant juxta æſtimationem, quam habebant tempore traditionis; & interim tempore ſocietatis apponens labores ſolam medietatem fructuum habere debeat. Injuſtitia autem conſiſtit in hoc, quod ſocios, qui apponit labores, debet habere medietatem fructuum ſine ullo gravamine; in pacto autem præſato haberet gravamen compenſandi id, in quo deteriorarentur animalia, cum aliunde pro domino tantum deteriorare deberet.

In univerſum igitur obſervet Confeſſarius, quod in his animalium ſocietatibus non minus juris videtur habere ad lucrandum apponens pecuniam, quam apponens induſtriam; ac proinde quodcumque gravamen huic imponatur, debet aliunde compenſari, alias non videtur ſervari æqualitas in ſocietate.

CAPUT IV.

De Societate inter Fratres.

Q. I. QUando inter Fratres intelligatur adeſſe ſocietas.

R. Hoc quæſitum apponitur ad inveſtigandum, quando mortuo Patre intelligatur contracta ſocietas inter Fratres, adeoque commune eſſe debeat inter ipſos lucrum, & damnum. Si ergo expreſſe non convenerint de ſocietate ineunda in aliquo negocio quod exerceant, colligendum eſt ex conjecturis, an tacite intelligatur inter eos ſocietas, nec ne; nec enim ſtatim intelligitur inter eos contracta ſocietas in negociis, eo quod habeant patrimonium indiviſum. Si igitur utrique Fratres ſimul exerceant in aliquo negocio, præſumi poteſt quoad illud contracta ſocietas. Si unus non negocietur, & nihilominus communicet omnia cum alio fratre negociante, cenſebitur pariter adeſſe inter eos ſocietas, habita tamen ratione laboris, & expenſarum illius, qui negocio incumbit: *Azor. p 3. l. 9. c. 29. q. 1. Molin. d. 421. n. 6.* Eadem ſocietas clarius præſumitur, ſi uterque conferat omnia bona in commune, ut ſtipendia, dona, & omnia, quæ ipſis legata fuiſſent, nam hi ſunt actus ſociorum.

Si pariter, aliquis frater abſens communi nomine, & ex communibus bonis negocietur, quidquid aliqui in contrarium dicant, intelligitur habere ſocietatem cum aliis fratribus, quouſque ab iſtis admoneatur ſe velle diviſionem facere, nec continuare in negociatione; uſquedum autem ita non admoneatur, adhuc negociatur communi nomine, & intelligitur continuare voluntas fratrum. Neque etiam facta tali monitione, intelligitur ſtatim deſinere ſocietas, ſed ſolum finitis negociis inceptis, cum ea communi nomine fuerint incœpta: *Girbal tr. 3. de contr. cap. 12. dub. 8. num. 31.*

Q. II. Quæ bona ſint in commune adducenda, quando agitur de diviſione facienda inter fratres.

R. Fratres omnes volentes ſuccedere Patri, & quibus legitima debeatur, tenentur in cumulum conferre omnia, quæ acquiſierunt ex bonis illius, cui ſuccedere volunt; cum etenim omnia ad hæreditatem pertineant, ex omnibus debet fieri unus cumulus, & ex eis æqua portio inter Succeſſores. Id nihilominus exceptionem patitur in caſu, quo ab eo, cui ſuccedere volunt, expreſſe, vel per concludentes conjecturas, aliquis exemptus fuiſſet ab obligatione conferendi in commune quod habuit ab eo: *leg. ut liberis C. de collat. auth. ex teſtam. C. de collat. authent. de triente, & ſemiſſe §. illud quoque collat. 3.* Ita in commune non ſunt conferenda, quæ aliquis ex filiis a Patre habuit titulo meræ benevolentiæ, & ſimplicis donationis; nam ita elargiendo filio intelligitur talia ipſi ſoli, & in ipſius ſolum commodum contuliſſe.

Ex dictis, quamvis Fratres non teneantur in commune conferre bona caſtrenſia, & quaſi bona caſtrenſia, nec adventitia, ni quantum ad uſumfructum eo modo, quo ſuo loco dictum eſt; bene tamen conferre debent in hæreditatem bona profectitia, quæ ſcilicet ipſi donata fuerunt intuitu Patris: nam omnia erant Patris & quoad proprietatem, & quoad uſumfructum.

Dixi nihilominus in reſponſione, *fratres volentes ſuccedere Patri*; nam ſi aliquis filius contentus ſit iis, quæ accepit a Patre, vel iis quæ ſibi debentur ex teſtamento titulo legati, vel titulo promiſſionis, ſeu dotis, vel ad officium conſequendum, vel alia convenienti cauſa, & aliunde renuat ſuccedere ut hæres, iſte non tenetur in commune conferre, quæ accepit a Patre, Matre, Avo &c. Advertere tamen eſt, quod ſi velit aliquid exigere titulo promiſſionis, hæc non debait eſſe inofficioſa cum detrimento legitimæ aliis debitæ: *leg. ult. ff. de collat. dot.*

Addidi, *& quibus legitima debeatur*, quales ſunt omnes fratres legitimi, & etiam filii adoptivi, ſicut & ſorores & nepotes, qui ſuccedunt in bona Avi, ut repræſentantes Patris perſonam, & appellari poſſunt filii mediati: *leg. ſi nepotes ff. de collat. bon., & leg. ſi naatas C. de collat.* Hi omnes igitur cum ad hæreditatem obtinendam concurrant, debent quidquid pertinet ad ipſam hæreditatem in cumulum conferre, ut eadem hæreditas æque dividatur.

Quæ dicta ſunt verificantur de Deſcendentibus adire volentibus hæreditatem Aſcendentium, non vero e contra. Ratio eſt, quia ſi filius det aliquid Patri, ſeu Nepos Avo &c. non præſumi poteſt datum in computum legitimæ, cum ordine naturali per prius reputentur morituri Aſcendentes, quam Deſcendentes. Præſumi ergo ſemper poteſt datum ſimplici, & liberali donatione, adeoque non computandum ab Aſcendentibus in legitimam & eo maxime quia id nullo jure cavetur: *Bonac. d. 3. q. 6. n. 2.*

Rega-

Digitized by Google

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Injuſta, & iniqua Filiorum praxis eſt, ut mortuo Patre unuſquiſque portionem hæreditatis acquirere conetur, nil computando quæ unus filius in vita Patris præ aliis habuit. Parochus igitur, vel Confeſſarius, ut conſulat juſtitiæ, & conſcientiæ ſui Pœnitentis frequentia præ oculis habeat.

Videat an quæ unus filius præ aliis a Patre habuit, præſumi poſſint data per ſimplicem donationem; ſeu cauſa exercendæ liberalitatis, vel potius donatione ob cauſam; nam quæ data ſunt donatione ob cauſam, data præſumuntur in compenſationem legitimæ, ſecus quæ dantur ob exercitium puræ liberalitatis.

Ob exercendam liberalitatem præſumuntur data, quæ filius conſumpſit in ſtudiis, niſi alias habuerit ex ſeipſo bona caſtrenſia &c. quibus potuiſſet facere impenſas: quæ conſumpſit in ludos, & etiam meretrices, ſi exigua fuere; nam tunc Pater potius cenſetur invitus quoad modum, quam quoad ſubſtantiam, ſecus ſi magnam conſumpſit quantitatem: quæ unus præ aliis fratribus conſumpſit in aliquibus extraordinariis commeſſationibus, & nobiliori veſtitu, ſi non fuerunt in magna quantitate, attento eſſe hæreditario: quæ impendit pater pro emendis libris alicui filio ſi tanta in eis non fuerit erogata pecunia; ut exinde conſurgat magna inæqualitas inter fratres: quæ data ſunt filio a Patre vivente, ut peregrinaretur ad loca pia: quæ Pater impendit occaſione delicti alicujus filii, maxime ſi non fuerunt in magna quantitate, & Pater non expreſſerit velle in legitimam computari, nam tunc cenſetur ex paterna pietate condonata.

Poteſt etiam dari caſus, ut quamvis pecunia data uni filio præ aliis, vel quam Pater impendit occaſione ipſius delicti, vel ad ſolvendum æs alienum ab eo contractum fuerit in magna quantitate, præſumi adhuc poſſit liberaliter data, ſeu poſtea condonata, ſi filius non habeat ex propriis. Id colligi poteſt ex prægrandi Patris erga talem filium amore, & ſi non adnotavit ſe velle in ipſius legitimam computari, vel ſi adnotavit, deinde obliteravit.

Quæ tamen dicta ſunt de iis, quæ collata ſunt filio ſimplici donatione, intelliguntur de filio non emancipato; nam filius emancipatus tenetur conferre quidquid accepit a Parentibus in emancipatione, vel poſt emancipationem: *leg. ult. liberis C. de collat.*

E contra intelliguntur tradita donatione ob cauſam, quæ Pater tradidit filio, ut traderentur nurui, dum uxorem duxit, puta torquem, veſtes pretioſas (quæ viles ſunt, & deſtinatæ ad uſus quotidianos intelliguntur ſimpliciter donatæ) munera, arrhas, & alias largitiones ſponſalitias, nam cenſentur factæ cauſa matrimonii; quæ autem habet Filius donatione ob cauſam, ut dictum eſt, adducenda ſunt in cumulum hæreditatis: conſideranda tamen ſunt juxta pretium, quod habent tempore mortis, ſi tunc facienda ſit diviſio, ante mortem etenim erant Patris, & conſequenter ipſius periculo factæ ſunt deteriores. Dixi tamen, *quæ Pater dedit filio, ut nurui traderentur*; nam ſi nomine proprio ipſe Parens plura dedisset, cum ea non acquiſiviſſet Filius, ſed nurus, non eſſent a Filio in partitionem adducenda cum ſolum ad hoc teneatur ex bonis, quæ ipſe habuit a Patre. Quod dixi de rebus traditis a Patre Filio occaſione nuptiarum, valet etiam de cæteris bonis mobilibus, & immobilibus tunc collatis pro ſuſtinendis oneribus matrimonii; nam eſt donatio facta ob cauſam matrimonii.

II. Alteram regulam habeant præ oculis Parochus, & Confeſſarius, dum Pœnitentes conſulunt ipſos quoad res in diviſionem adducendas. Ea eſt, quod quando ex ſufficientibus rationibus non poteſt ſatis colligi aliqua fuiſſe a Patre omnino liberaliter filio collata, reputanda ſunt donata ob cauſam, adeoque in diviſionem adducenda; nam ordinarie non præſumitur ſimplex donatio, quoties aliqua ſubſit cauſa rei faciendæ.

III. Ultimo, attendat Confeſſarius non eſſe adducenda in diviſionem, quæ Pater tradidit Filio ex obligatione orta ex juſtitia, ſive jure naturæ, qualia ſunt alimenta neceſſaria ad ipſius ſuſtentationem, vel etiam ipſius familiæ: nam cum Pater hujuſmodi tradat ad ſatisfaciendum ſuæ obligationi, non poteſt velle, ut a Filio in legitimam computentur. Hæc tamen vera ſunt ſi filius non habeat ex propriis bonis, vel arte, unde ſe ſuamque familiam ſuſtentet; nam ſi habeat propria bona ſufficientia ad ſuſtentandum ſe, & familiam, Pater non tenetur ad præſtanda ipſi alimenta. Inter alimenta debita filio rationabiliter computantur etiam impenſæ, quas Pater fecit occaſione convivii nuptialis filii, vel Sacri ab eodem celebrati &c. Ultraquamquod iſti ſumptus non magis cenſentur facti in gratiam filii, quam in honorem Patris.

Si tamen Fratres, mortuo Patre, adhuc in communi vivant, & poſt aliquod tempus velint dividere hæreditatem, qui plus aliis expendit vel occaſione nuptiarum, vel in alenda ampliori familia, vel in addiſcenda arte, vel in dignitate acquirenda, tenetur has majores expenſas in partitionem adducere, & in ſuam partem computare; nam cæteri fratres nullo jure ad eas expenſas tenebantur.

QUÆSTIO XII.

De mandato, Compromiſſo, Arbitris, & Tranſactione.

CAPUT I.

De Mandato, Compromiſſo, Arbitris, & Tranſactione.

Q. I. QUid ſit Mandatum, & quales inducat obligationes in Mandante, & Mandatario.

R. I. Mandatum ita definiri poteſt *Contractus, quo quis gratuito, & in gratiam alterius exequi ſuſcipit aliquam rem honeſtam*. Dicitur *gratuito* nam ſi quis mercede operam ſuam alteri præſtet, non eſt mandatum, ſed locatio: *leg. 1. ff. mandati*. Additur, *aliquam rem honeſtam*; nam de re turpi nec dari, nec accipi poteſt mandatum. Hoc autem mandatum vel expreſſe fieri poteſt, ut ſi quis alteri dicat: *volo, mando &c.* vel tacite, ut ſi ſciens, & tacens permittat alteri ſuum negocium gerere: *leg. qui patitur ff. mandati, & leg. qui fide ff. eod. tit.*

R. II. Si Mandatarius in exequendo mandato aliquod damnum patiatur, quod prævideri potuit, & cogitari compenſandum eſt a mandante: *leg. Neſennius ff. de negot. geſt.* nam non cenſetur velle gratuito alteri operam ſuam præſtare cum damno, ſecus ſi accidat ex caſu fortuito, qui non potuerit prævideri, nam proprie non evenit tunc ratione mandati. Multo magis non ſunt compenſanda damna iis, qui ſtipendio conducti aliquid præſtant, ex quo ipſis damnum evenit, ut ſunt milites, & alii operarii; vel ſi aliquid præſtent cauſa pietatis, & cognationis, nam tunc, ſi damnum patiantur, non mandato ſed pietati, & cognationi tribuendum eſt.

R. III. Cum Mandatarius ſuſcipiat aliquid gerere gratuito, & in gratiam ſolius mandantis, tenetur ſolum de dolo & culpa lata, hoc eſt, non tenetur niſi ad eam diligentiam, quam communiter adhibere ſolent homines diligentes. Teneretur vero ad omnem majorem diligentiam, ſi ita expreſſe conveniſſet cum mandante, vel ſi ſe ſponte ad exequendum mandatum obtuliſſet; cenſetur etenim tunc tacite promiſiſſe omnem diligentiam, quando mandans alium eligere volebat: *Azor. part. 3. l. 9. cap. 6. qu. 1., Filiuc. tract. 38. cap. 1. quæſt. 8.*

R. IV. Obligationes mandatarii ſunt nil facere contra, vel præter formam mandati, ſi aliquid illi præſcriptum fuerit ſub certa forma; nam alias agendo, gerit quod ipſe vult, non quod mandans: *leg. diligenter ff. mandati*. Si vero illi impoſitum fuerit aliquod negocium, non exprimendo modum, quo gerendum eſt, vel pretium, quod in eo inſumere debet, tunc negocium intelligitur commiſſum prudentiæ mandatarii. Advertendum etiam, quod ſi mandans præſcripſit aliquid tanti vendendum, mandatum intelligitur, ne minoris vendatur, non vero, ne pluris; nam ut habetur ex leg. cit. *diligenter*, mandatarius non quidem deteriorem, ſed meliorem facere poteſt conditionem mandantis: *Bon. d. 1. q. 2. p. 6. n. 13.*

Q. II.

Q. II. Quando intelligatur finitum mandatum.

R. Mandatum primo terminatur per lapſum temporis conſtituti, ut de ſe patet. Secundo, per revocationem mandati, ſi revocatio mandatario innotuit; nam ſemper liberum eſt revocare mandatum ante litem conteſtatam, vel antequam judicium, & negotium cæptum fuerit; & id etiamſi mandans juraſſet non revocare mandatum, quamvis tunc revocando fieret perjurus. Tertio, ſi moriatur mandans, ſeu mandatarius, dummodo res ſit adhuc integra: *leg. inter cauſas ff. mandati, leg. & quia ff. de juriſd. omn. Judic.* Durat nihilominus adhuc poſt mortem mandantis, quando fuit datum ad aliquid exequendum poſt illius mortem: *leg. ſi vero §. ultim. mandati.* Item ſi fuit conceſſum non ad purum beneplacitum mandantis, ſed in gratiam mandatarii: *leg. ſi cum fundum ff. de pactis*; & ita etiam mortuo Epiſcopo, Confeſſarius abſolute delegatus non amittit juriſdictionem. An vero morte Mandantis expiret juriſdictio, iterum in Tractatu de pœnitentia.

Q. III. Quid ſit Compromiſſum.

R. Compromiſſum eſt contractus, quo mutuo conſenſu litigantium, controverſia remittitur dirimenda ab Arbitro, vel Arbitratore. Quando igitur aliqui volentes litem abſolvere, controverſiam quam habent de re aliqua alicui dirimendam tradunt, dicuntur facere compromiſſum. Ex hoc autem patet non poſſe compromittere, qui non poteſt alienare; fruſtra enim quis traderet alteri componere controverſiam quoad aliquam rem, de qua non poſſet diſponere. Oportet ergo licentiam in tali caſu petere ab eo, cujus conſenſus neceſſarius eſſet pro diſponendo de eadem re; atque ita Clericus volens compromittere de rebus Eccleſiæ, deberet licentiam petere ab Epiſcopo; & Tutor, ſeu Curator volentes compromittere de bonis pupillorum, & minorum licentiam a Judice.

In compromiſſo intervenire debet Arbiter, vel Arbitrator. Ille dicitur Arbiter, qui eligitur, ut velut Judex procedat in ſubſtantialibus ſervato ordine Juris. Arbitrator e contra poteſt procedere ſine ordine judiciario, ſervatis tantum quæ ſunt juris naturæ, audiendo nempe quantum ſatis eſt utramque partem & expendendo diligenter utriuſque partis rationes, ut veritatem aſſequi valeat: *leg. ſi quis arbitratus ff. de legib. 3. Molin. d. 556.* Quia Religioſo prohibetur forma judicialis: *cap. Monachi 17. qu. 2.* non poteſt eſſe Arbiter, niſi de licentia ſui Prælati, & ni id expediret Monaſterio: bene vero poterit eſſe arbitrator. Item arbitri non poſſunt eſſe Minores 20. annis: *leg. cum leg. ff. de recept. arbitr.* nec mulier, niſi ea, quæ in aliquo loco exerceret juriſdictionem.

Q. IV. An Partes compromittentes obligationem habeant Arbitri, ſeu Arbitratoris ſententiam exequendi.

R. In iis caſibus, in quibus aperte non appareret injuſtitia ſententiæ, puto omnino adeſſe obligationem eam exequendi; id enim importare videtur compromiſſum, ut utraque pars ſe obliget ad acquieſcendum ſententiæ Arbitri, ſeu Arbitratoris. Hinc puto jus velle non dari appellationem a ſententia Arbitri, ſive appoſita fuerit pœna, ſive non: *leg. 1. C. de recept. arbit.* Omnino autem rejici poſſet Arbitri, ſeu Arbitratoris ſententia quoties exceſſiſſet facultatem ſibi traditam a Compromittentibus; nam Arbiter &c. nullam aliam habet facultatem, niſi quam compromittentes illi tribuere: *leg. non diſtinguendas §. De offic. ff. de recept. arbitr.*

Hinc etiam adnotare volo nullum eſſe compromiſſum, dum ita partes in aliquem compromittunt, ut in judicando omnino teneatur alicujus conſilium ſequi: *Fil. tr. 39. cap. 6. num. 82.* Quamvis igitur Arbitri non prohibentur conſulere peritiores, debent nihilominus liberi eſſe in judicando, quod ſibi videtur æquum, juſtum, *leg. item ſi unus §. Item Pomponius ff. de recept. Arbitr.*

Q. V. Quid ſit Transactio; & quas pariat obligationes.

R. I. Traſanctio dicitur: *pactio non gratuita de re dubia, lite, ſeu controverſia non finita.* Tranſactio eſt velut tranſitio actionis; ille enim qui tranſigit, recedit ab actione ſibi competente. Hæc autem tranſactio dicitur *pactio non gratuita*; utrique enim non tranſigenti imponitur aliquod onus, cum uterque ad dirimendam litem aliquid det, retineat, vel promittat. Advertere tamen eſt in tranſactionibus juxta proportionem dubii uni vel alteri magis, vel minus eſſe concedendum; expoſcit etenim juſtitia, ut qui validiores habet rationes magis habeat de re, ratione cujus lis fuit intentata. Tranſactio autem circa rem dubiam verſatur, qua etenim ratione unus ex tranſigentibus poſſet aliquid recipere da re, quam clare cognoſceret eſſe alienam? Item locum habet tranſactio, quando nondum lis eſt plene finita, non vero ſi lata ſit ſententia, & tranſiit in rem judicatam; nam tunc res, de qua lis erat, certo pertinet ad illum, pro quo lata eſt ſententia: *leg. ſi cauſam C. de tranſact., & leg. eleganter §. Si poſt ff. de condict. indebit.* Dixi ſi lis ſit plene finita, nam ſi adhuc detur locus reſtitutioni in integrum, vel appellationi a lata ſententia, & aliunde non clare conſtet ſententiam latam revera omnino eſſe juſtam, tunc adhuc datur locus tranſactioni. Cæterum, quamvis tranſactio fieri ſoleat lite jam mota, nihilominus poteſt etiam habere locum quoad rem, circa quam lis moveri juſte poſſit, non vero ſi parti timor incutiatur futuræ litis ad aliquid per tranſactionem extorquendum.

R. II. Ex vi tranſactionis tranſigentes, ſi velint ſine cauſa rationabili a pactis recedere, vel debent ſolvere pœnam, ſi quæ appoſita ſit in contractu tranſactionis, vel ſtare debent tranſactioni. Immo irrationabiliter recedentes poſſunt cogi ad utrumque, ſi appoſita ſit clauſula: *ratio nihilominus manente pacto: leg. qui fidem digeſtis de tranſact.* Idem dicendum, ſi tranſactio fuerit juramento confirmata: juramentum etenim vim habet clauſulæ ſupradictæ: *Reſign. contr. 13. præn. 1. a num. 18.*

Regula in praxi obſervanda.

I. Solent aliqui ſe ſponte offerre ad alterius mandatum exequendum, ut illius gratiam acquirant &c. Interim ſub prætextu ſuorum laborum, operarum &c. ſibi occulte compenſant, mercedem ſibi tribuendo juxta labores, & dies quos pro mandante inſumpſerunt. Advertat igitur Confeſſarius, demptis expenſis neceſſariis faciendis in executione mandati, ad quas certo tenetur mandans, mandatarium, maxime ſi ſe obtulit, nil poſſe pro ſuis operis prætendere; nam; ex dictis, gratuito intelligitur ſuſcepiſſe executionem mandati; & ſi hanc non habuit intentionem, habere ſaltem debebat.

II. Altera regula valde in praxi obſervanda eſt, quod multoties munus arbitri acceptant ii, qui non habent vel ſcientiam, vel peritiam ſufficientem pro hoc munere exercendo. Quod ſi adeo non ſint cæci, vel temerarii, ut putent bene ſibi tale officium tributum, ſeſe excuſant apud Confeſſarium, dicendo in arbitrando alicujus docti, & Periti conſilium ſequuturos. Advertat igitur Confeſſarius primo, graviter peccare eos, qui ſine ſcientia ſufficienti arbitri munus ſuſcipiunt cum ſe periculo exponant alterius jus ſua ignorantia graviter lædendi. Secundo, teneri reſtituere damnum quod ex gravi ſua ignorantia alteri intulerunt. Tertio, advertat idem Confeſſarius multoties non ſatis arbitros ignorantes propriæ conſulere conſcientiæ, ſectando conſilium alicujus docti, vel periti; nam poteſt eſſe in his particularis affectio erga unam ex partibus, quæ arbitros elegerunt, adeoque magis expendere illius partis rationes, quam alterius. Videat ergo, ne indocti, & imperiti munus arbitri ſuſcipiant; & ſi forte ſuſceperunt, vel illud renuncient, vel conſilium ſequantur alicujus, de cujus rectitudine nullatenus ſit dubitandum.

III. Tertia regula pro praxi adnotanda a Confeſſario eſt, multoties in tranſactionibus apertas committi injuſtitias. Primo enim, aliquando ſine ſufficienti fundamento lis minitatur parti poſſidenti; unde hæc, ut ſe redimat a vexatione, & ab expenſis litis, tranſigit cum parte minitante, aliquam pecuniam erogando, quod omnino injuſtum eſt, ſi non detur prudens fundamentum litem intentandi. Secundo, altera intervenire poteſt injuſtitia in his tranſactionibus, ut ſcilicet litem minitando inducatur pars ad erogandum plus, quam mereantur rationes illius, qui vult litem intentare. Ut igi-

tur

Digitized by Google

tur dictum eſt, in tranſactionibus non dandum eſt tranſigentibus niſi pro rata rationum, quas videntur habere; ita ut ſi rationes judicentur hinc inde æquales, res ſit dividenda; ſi majora momenta videantur aſſiſtere uni parti, quam alteri, illi etiam plus ſit tribuendum. Si proinde una pars litem minitando &c. plus extorqueat, quam videantur mereri ipſius rationes; in tali tranſactione intervenit injuſtitia.

QUÆSTIO XIII.

De Promiſſione, & Donatione.

CAPUT I.

Quid ſit Promiſſio; & qualem inducat obligationem.

Q. I. QUid ſit promiſſio.

R. Promiſſio eſt *deliberata, & ſpontanea fidei obligatio de re bona, & poſſibili*. Dicitur *deliberata, & ſpontanea*, ad ſignificandum faciendam eſſe ſine animi perturbatione, & ſufficienti cognitione, quæ alias ſatis eſſet ad peccatum grave; nemo etenim intelligitur etiam ſub veniali ſe velle obligare, ni habeat ſufficientem advertentiam, & uſum rationis. Illud autem verbum *ſpontanea* proprie ſignificat promiſſionem factam abſque ulla prorſus vi, dolo, & fraude; unde credo quod ſi ratin faciendæ promiſſionis fuerit metus etiam levis, nulla exinde oriatur obligatio, cum æquum non ſit aliquem ex actione injurioſa jus acquirere: *Navar. in Man. cap. 17. num. 30. Bon. d. 3. q. 21. p. 1. nu. 13.*

Additur ſpontanea *fidei obligatio*, promittens etenim intelligitur aliquo modo ſe velle obligare, ad differentiam illius, qui habet merum propoſitum, licet firmum; nam hic non intelligitur aliquam voluiſſe contrahere obligationem, neque etiam venialem: propoſitum ergo ſolum ſignificat voluntatem, quam quis habet aliquid faciendi, vel promittendi, non vero quod ſe ad illud voluerit obligare.

Plura diximus de Promiſſione agendo de Voto.

Q. II. An obliget promiſſio; & quando intelligatur acceptata.

R. I. Promiſſio nondum acceptata nullam parit obligationem. Et quidem ſermo eſt de promiſſione etiam expreſſe externe; etenim quoaduſque in mente retineatur, certum eſt nullatenus obligare, cum nullatenus humano modo innoteſcat, ſcilicet vel per verba, vel per nutus. Item ſermo eſt de obligatione non ficta, ſed facta cum animo ſe obligandi; nam promiſſio eſt lex particularis, quam aliquis ſibi imponit, unde ſi non adſit animus ſe obligandi, nec poteſt eſſe vera obligatio. Quod autem etſi ſit externe expreſſa, & non ficta, nullatenus obliget ante acceptionem probatur, quia contractus non ſubſiſtit, adeoque non eſt obligatorius quoaduſque accedat utriuſque contrahentis conſenſus, ut conſtat etiam ex pluribus juribus, & habetur præciſe de promiſſione: *lib. 1. ff. de pollicit.*, *Lugo d. 23. an. 35.*, *Pal. d. 2. p. 2. n. 1.* Neque his obſtat *c. 1. & qualiter de pactis*, ubi præcipitur pacta nuda obſervari. Ibi igitur non eſt ſermo de pactis ante acceptionem; nam ſine ea non ſtat pactum, ſed ſermo eſt de pactis ſine forma ſtipulationis. Item neque obſtat *c. ſi tibi abſenti de præb. in 6.* ibi enim juſte præſcribitur non poſſe Epiſcopum etiam ante acceptationem revocare collationem beneficii; nam conferendo beneficium non pure promittit, ſeu donat, ſed exequitur munus ſuum.

Aliqui dicunt etiam ante acceptationem valere promiſſiones factas Civitati ad eam, vel aliquam illius partem reparandam, & id probant aliquibus congeſtis juribus. Verum dicendum eſt talem promiſſionem ſubſiſtere, quia omnes audientes potuerint nomine Civitatis acceptare; Unde ſi nullus fuiſſet, qui potuiſſet acceptare nomine Civitatis, promiſſio non eſſet obligatoria: *Lugo n. 45.*

Item non pauci putant promiſſiones factas Cauſæ piæ ſtatim ante acceptationem eſſe obligatorias. Verum ego puto in hac materia eſſe diſtinguendum, & attendendam maxime eſſe mentem promittentis. Si igitur qui promiſit rem aliquam cauſæ piæ, intellexerit ſe obligare per modum voti, hoc eſt intellexerit promittere aliquid Deo primo, & principaliter, tunc certe non eſt expectanda acceptatio alicujus hominis, cum Deus per ſe ipſum acceptet. Si vero mens promittentis, ſeu donantis non fuerit primo, & principaliter promittere, & ſe obligare ipſi Deo, ſed ſolum opitulari alicui Eccl. Cauſæ piæ &c., tunc probabiliſſimum puto hanc promiſſionem, utpote factam homini, ante acceptationem Rectoris Eccl. Adminiſtratoris cauſæ piæ &c. non eſſe obligatoriam: *Lugo n. 50. Sanch. l. 1. de Matr. d. 7. n. 24. Anton. a Sp. S. tr. 10. d. 11. n. 458.*

Demum alii putant promiſſionem etiam non acceptatam obligare, ſi firmata fuerit juramento: & maxime ſi juramentum fuerit de promiſſione, & donatione non revocanda. Verum alii non ſine fundamento ſe opponunt, nam juramentum ſequitur naturam & conditiones actus, cui adhæret: *leg. fin. C. de non numerata pecunia*; unde videtur quis juraſſe ſe non revocaturum promiſſionem; ſi acceptetur. Quod ſi aliquis abſolute omnino juraſſet ſe non revocaturum promiſſionem, vel donationem, adhuc puto valide, quamvis illicite poſſe revocari. Illicite quidem, nam violaretur juramentum, ſed valide, quia ante acceptationem promiſſio, & donatio facta homini invalida eſt jure naturali, & civili. Ita DD. citati.

R. II. Si promiſſio fiat alicui præſenti, ut intelligatur acceptata debet vel verbis, vel ſignis exprimere ſuam acceptationem: cenſetur etiam acceptare promiſſum, ſi taceat, nam ſicut in odioſis ſilentium potius ſignificat diſſenſum, quam conſenſum, ita in promiſſione favorabili pro conſenſu uſurpatur, & bene tunc locum habet illa regula juris *in 6. Qui tacet conſentire videtur*, *Bonac. d. 3. q. 11. p. 2. n. 9.*

Si vero promiſſio fiat alicui abſenti, debet primo promiſſio, ſeu donatio innoteſcere promiſſario, vel donatario per nuncium, ſeu epiſtolam ipſius promittentis &c. nec ſufficit, ſi innoteſcat per alium tertium, nam promittens, & donans ſolum intelliguntur velle exprimere animum ſuum, ſeu voluntatem mediante nuncio ab ipſis deſtinato, ſeu propria epiſtola. Alii addunt etiam promiſſarium acceptare debere coram eodem nuncio, ut ita coaleſcant conſenſus promittentis & promiſſarii: *Mol. d. 264.*, *Leſſ. l. 2. c. 18. d. 6. n. 43.*, *Pal. d. 2. p. 3. num. 4.* Verum hoc, meo videri, non immerito rejicitur; nam poſita externa acceptatione, ſtatim perficitur promiſſio, ſeu donatio; hæc autem coram quovis fieri poteſt: *Boſſ. de contr. matr. c. 3. num. 210.* & alii apud eumdem cit.

Demum adnotare hic etiam volo quod moriente promiſſario, ſeu donatario non poſſunt ipſorum hæredes acceptare; nam ni aliud exprimatur, poteſtas acceptandi eſt perſonalis ipſorum: *Anton. a Sp. S. tr. 10. d. 11. n. 464.* Mortuo vero promittente ſeu donante, mihi probabilius eſt promiſſarium, ſeu donatarium adhoc poſſe acceptare; nam promiſſio &c. ſe habet ut gratia facta, quæ non extinguitur morte donantis. Id autem maxime puto habere locum in donatione ad cauſas pias hæc etenim eum reſpiciat animam donantis, facit præſumere voluiſſe etiam poſt ſuam mortem poſſe acceptari: *Leſſ. l. 2. c. 18. d. 2. n. 45. Bonac. d. 3. q. 11. p. 4. n. 3.*

Q. III. Qualiter obliget promiſſio ſimplex jam acceptata.

R. Non pauci Theologi magnæ etiam authoritatis ſuſtinent promiſſionem acceptatam obligare ex juſtitia, & ſub peccato mortali, ni excuſet parvitas materiæ; fatentes tamen non conſurgere talem gravem obligationem, ni promiſſio ſit re quadruplo majori, quam illa, quæ in furto ſufficit ad peccatum mortale.

Ego tamen puto probabiliſſime ſuſtineri poſſe contrariam ſententiam, quæ fundamentum habet in *D. Th. 2. 2. qu. 88. a. 3. ad. 1.* Ratio eſt, quia virtus dictans ſervanda eſſe promiſſa eſt fidelitas, unde infidelis fuiſſe dicitur, qui promiſſa non ſervavit; infidelitas autem non obligat ſub mortali, ſed ſolum ex quadam morali decentia, & honeſtate, ut dicit S. Thomas loc. citato. Neque dicas ex promiſſis non ſervatis graviter deſtrui pacem Reipublicæ, & humanum convictum, adeoque dicendum eſſe graviter obligare. Ultro etenim conceſſo neceſſariam eſſe ad humanam ſocietatem fidelitatem in pu-

promiſſis, non tamen ſequitur ex ´p˘otum inobſervantia graviter lædi ſicut non graviter læditur ex tot mendaciis officioſis. Item non inducitur gravis obligatio ex juſtitia, quia ut dicunt aliqui promiſſio acceptata tranſeat in verum pactum, hoc etenim verum eſt, ſed non proinde ſequitur eſſe pactum graviter obligans, ut enim dicitur *leg. juris gentium ſ. Sed cum ff. de pactis*, non inducitur obligatio, eum nulla alia ſubeſt cauſa, excepta conventione: *Henriq. lib.13. cap.17. n.6., Salmant. tr. 14. de contr. cap.4.p.4.*

Quamvis autem per ſe promiſſio non inducat obligationem juſtitiæ, id tamen limitandum in aliquibus caſibus. Obligat igitur primo ex juſtitia, ſi ex ipſius inobſervantia proximus grave damnum patiatur; conſtat enim ex juſtitia unumquemque teneri ad non cauſandum grave damnum Proximo; unde ſub gravi obligaretur ad ſervandum promiſſum, quoties ex illius inobſervantia Proximus grave damnum pateretur. Addendum etiam promiſſionem ſimplicem ex juſtitia obligare, quoties inducere poteſt obligationem legalem, ſi v. g. facta ſit coram Notario, & Teſtibus, ita ut ratione ejuſdem promittens poſſit in judicio obligari. Et ratio eſt, quia ita promittens apparet velle ſe etiam obligare ex juſtitia. Demum idem dicendam de promiſſione oneroſa, vel etiam mutua, eo etenim ipſo quod quis ſe obligat, ſeu det fidem alicui de aliqua re facienda, veluti exhibet pretium, ut ipſe viciſſim facit quod promiſit.

Q. IV. Quando promiſſio etiam acceptata deſinat omnino obligare.

R. Deſinit obligare quando Promiſſarius renunciat juri ſuo. Quando promiſſio fuit mutua, & unus deſinit adimplere, quod promiſit, nam frangenti fidem juſta compenſatione fides frangitur. Quando deſinit cauſa principalis promiſſionis, ut ſi aliquid promiſi pauperi ad illum ſublevandum, & interim fiat dives; vel ſi alteri aliquid promiſi in remunerationem collati beneficii, & interim agnoſcam nullum mihi feciſſe beneficium. Quando res promiſſa ſit impoſſibilis, illicita, damnoſa, ſeu inutilis promiſſario. Demum ceſſat promiſſio, quando res notabiliter variantur vel ex parte promittentis, vel ex parte promiſſarii; ut ſi e. g. promittens ex divite fiat pauper, ſi promiſſarius ex amico fiat inimicus, vel ingratus &c. Ratio eſt, quia quando res notabiliter mutatæ ſunt, non cenſetur promittentem ſe voluiſſe pro talibus circumſtantiis obligare: *D.Th.2.2 q. 110.a.3.ad 5.*

Regula in praxi obſervanda.

Unica regula, valde in praxi a Confeſſario attendenda, eſt communiter Promittentes, maxime rudes & indoctos, nullam contrahere obligationem ex promiſſione etiam acceptata. Id autem convincitur, quia maxime promiſſionibus pure gratioſis nullam intenderunt contrahere obligationem, quæ illos adſtringat in foro conſcientiæ; & ita ſi a Confeſſario interrogentur, an dum promiſerunt, voluerint ſe obligare ſub peccato: ſtatim reſpondebunt negative. Quidquid ergo juris ſit, an promiſſio acceptata ſub gravi obliget; cum certum ſit neminem obligari, niſi intendat obligationem contrahere, ac proinde eum rudes præcipue ex promiſſione gratioſa nullam intendant contrahere obligationem in conſcientia, conſequens eſt vere non obligari.

Advertat etiam Confeſſarius, quod etiamſi ipſe credat obligationem acceptatam obligare ex juſtitia, & ſub gravi, nihilominus non facilem eſse debere in obligando promittentem ad ſatisfaciendum promiſſis ſub gravi; contraria etenim ſententia & ratione, & authoritate eſt valde probabilis.

CAPUT II.

De Donatione, & de Requiſitis ad eam.

Q. I. Quid ſit Donatio, & quotuplex.

R. I. Donatio eſt *collatio rei licitæ facta* nullo jure cogente, *ſed ex mera liberalitate*. Ita communiter DD. *arg. leg. donari 82. ff. de reg. Jur.* Dicitur *collatio rei licitæ*, nulla etenim eſt donatio, ſeu venditio rei illicitæ: *leg. quod ſæpe 35. ſ. Veneni mali ff. de contrah. empt.* unde donans nec tenetur, nec poteſt eam tradere. Dicitur, *nullo jure cogente*, nec naturali ſcilicet, nec humano; nam vera donatio proprie fit ad exercendam munificentiam, & liberalitatem: *leg. 1. ff. de donat.* Hinc a donatione rigoroſa excluditur donatio remuneratoria, quæ eſt aliquo modo jure naturæ debita, & ita non eſt vera donatio ea, quam quis facit Magiſtro ſuo: *leg. Aquilius 26. ff de donat.*

R. II. Donatio alia eſt realis, qua quis gratuito alteri rem tradit, & alia verbalis, qua quis rem alteri donat verbis, ſed nondum tradit, unde non eſt rigoroſe donatio, quia non eſt collatio rei, ut dicitur in definitione. Alia eſt gratuita, quando ſcilicet quis abſque ulla etiam gratitudinis obligatione, alteri rem tradit ex mera liberalitate, & hæc ex dictis eſt proprie donatio; alia remuneratoria, quæ & antidoralis dicitur; & fit donatario titulo gratitudinis, ob beneficia ſcilicet ab ipſo præſtita. Alia eſt donatio abſoluta quæ fit abſque ulla conditione; alia conditionalis, quæ ſcilicet fit dependenter ab aliqua conditione. Alia demum eſt donatio inter vivos, quæ ſcilicet fit abſque mentione, ſuſpicione, aut cognitione mortis; alia cauſa mortis, de qua, infra, ubi agemus de Teſtamentis.

Q. III. Quidnam requiratur, ut donatio ſit valida.

R. I. Ut donatio ſit valida primo requiritur ex parte donantis animus donandi, qui debet eſſe ſufficienter externe expreſſus, nam ordinario donatio non præſumitur, cum unuſquiſque potius videatur acquirere velle, quam perdere: *leg. cum de indebito 25. ff. de proaat.* Dixi, ordinarie non præſumitur, nam conjecturæ poſſunt ſufficienter donationem probare: ut ſi vir valde dives det aliquid non valde pretioſum, vel ſi det alicui, qui multa habeat merita. Ex parte vero donatarii, ut dixi ſupra de promiſſione, requiritur acceptatio, nam contractus utriuſque conſenſu perficitur. Quæ autem circa hoc ibi dicta ſunt, hic etiam locum habent.

R. II. Quando donatio excedit ſummam 500. ſolidorum non eſt valida ni fiat inſinuatio apud Judicem, *leg. ſi quis pro redempt. ſ. ult. C. de donat. & ſ. Alia autem Inſt. de don.* Porro ſolidus aureo Hungarico, *Ungaro* ſive Zecchino æquivalet: *Pirhing. de donat. nu. 5.* Dum ergo donatio talem ſummam excedit neceſſe eſt Judici notificari, illamque approbare ſuo conſenſu. Id ſtatuerunt leges, ne Cives exceſſivis donationibus ad egeſtatem redigantur, & ut obvietur fraudibus in donatione magnæ quantitatis: *Molin. d. 278. Bon. d. 3. qu 12. p.6.* Idem dicitur de remiſſione debiti liquidi excedentis 500. ſolidos, nam hæc remiſſio eſt donatio. Quia tamen leges non faciunt Donatarium inhabilem ad retinendum quod accepit, hinc eſt quod ſi exceſſus ſupra 500. ſolidos vel in donatione, vel in remiſſione debiti liquidi non repetatur a Donatore, vel ejus hæredibus, poterit a Donatario retineri: *Molin. cit. Bonacin. num. 6.* Si autem repetatur quod donatum eſt ſine inſinuatione, tunc reſtitutio facienda eſt tantum quoad exceſsum, nam in rebus dividuis utile per inutile non vitiatur: *leg. ſi ſponſus 5. ſ. 2. ff. de donat. inter virum & mulier. & reg. 37. jur. in 6.*

Quædam tamen dantur donationes, quæ non indigent inſinuationem. Primo, ſi donatio fit ad reparationem ædium conſumptarum ruina, vel incendio, vel ad redemptionem captivorum: *leg. penultim. in prin. ſ. Eademque 2. C. de donat.* Ratio eſt, quia in iis exercentur opera pietatis. Secundo; propter eamdem rationem ſi donatio fiat ad cauſas pias, & patet etiam *ex l. Sancimus 34. C. de donat.* Tertio, ſi donatio ſit remuneratoria: *arg. leg. Aquilius 27. ff. de donat.*, & re vera talis donatio non

eſt

eſt vere donatio. Oportet tamen donationem non excedere merita donatarii; quoad illum enim exceſſum non valeret. Quarto, ſi donatio fiat ob aliquam cauſam, puta ad ſtudia, ad nuptias, ad militiam &c. quia non habet rigoroſam rationem donationis: *leg. hoc jure 19. §. Sed & hæ ff. de donat. Molin. Bon. Leſſ. lib. 2. c. 18. d. 13. n. 94.*

R. III. Ut valida ſit donatio neceſſe eſt ut donans poſſit donare. Porro illi ſolum poſſunt donare qui habent dominium, ſimulque liberam adminiſtrationem rerum ſuarum. Primo ergo, requiritur donantem habere dominium rei donatæ; nam donatarius non poteſt acquirere dominium rei alienæ, quæ ſemper clamat pro Domino: *leg. 2. & tot. ferme tit. ff. pro donato.* Verum tamen eſt, quod ſi donatarius bona fide accipiat rem alienam, poterit debito tempore eam uſucapere, vel præſcribere. Item quamvis donans non teneatur de evictione, ſi res donata evincatur: *leg. Ariſto 18. §. fin. ff. de donat. & leg. ad res 62. ff. ædilit. edict.* nihilominus citatis juribus etiam habetur, quod ſi mala fide rem alienam donaſſet, Donatarius poſſet contra eum agere ad reſtitutionem impenſarum. Si vero donatio fuit remunerartoria, vel ob cauſam, tunc donator etiam bona fide donans rem alienam, tenebitur de evictione: *leg. 1. Cod. de don. quæ ſub modo, & leg. Aquilius 27. juncta leg. ſi pater 34. ff. de donat.*

Secundo, requiritur, ut donans habeat liberam adminiſtrationem rerum ſuarum; hæc etenim ſi deficiat, non poteſt eas diſtrahere. Hinc non poſſunt donare Pupilli, Minores, furioſi, amentes, & prodigi. Prohibentur etiam donare Tutores, & Curatores de bonis, quæ adminiſtrant: *l. contra Juris 38. §. fin. de pactis; & leg. Lucius 46. §. fin. ff. de adminiſtr. Tutor. & cap. 4. de offic. Vicar.* Illis tamen non prohibentur donationes remuneratoriæ, & quæ pro more & conſuetudine fieri ſolent: *leg. cum plures 12. §. 3. ff. de adminiſt. Tutor. & l. 3. ibid.*

CAPUT III.

De quibuſdam Donationibus a Jure reprobatis; & cauſis revocandi donationem.

Q. I. AN valida ſit donatio omnium bonorum.

R. Donatio omnium bonorum tam præſentium quam futurorum reprobatur a jure, utpote quia eſt contra bonos mores, & noxium Reipublicæ, quod quis ſe privet facultate teſtandi: *leg. ex eo C. de inutil. ſtip., l. ſtipulatio ff. de verb. oblig.*

Valet autem, ſi fiat donatio præſentium, non futurorum: ſi donans ſibi reſervet uſumfructum excedentem neceſſaria alimenta, quia tunc remanet unde poſſit teſtari: ſi donet cauſa mortis cum facultate revocandi donationem, quia & tunc poteſt teſtari: ſi donatio firmetur juramento; nam tunc juramentum firmat contractum, quod præcipue irritatur in favorem jurantis: ſi donatio ſit oneroſa, ſi quis donaret alicui omnia bona ſua, dum tamen duceret ſuam filiam; nam hæc non eſt rigoroſa donatio: ſi donatio fiat ad pias cauſas; nam cauſa pia non ſubjacet diſpoſitioni juris civilis: *arg. cap. Eccleſiæ 10. de conſtit., Mol. d. 280., Pal. d. 2. p. 24., Leſſ. l. 2. c. 18. n. 102.*

Q. II. An milites donare poſſint ſuis focariis, ſeu concubinis.

R. Id prohibetur *leg. 2. Cod. de don. int. vir. & uxor.* cujus rei ratio redditur *l. donationes in concubinam 31. ff. de don.* ne ſcilicet ab ipſis depauperentur. Hoc tamen non obſtat quin teneantur illis dare pretium turpitudinis.

Quod dicitur de militibus, DD. extendunt etiam ad Clericos, cum & ipſi militare dicantur, & valde turpe ſit blanditiis fœminarum depauperari: *Rota dec. 46. n. 6. cor. Seraph. Panimol. dec. 59. n. 38., Mantic. de tacit. & ambig. convent. l. 21. tit. 3. n. 13.*

Q. III. An validæ ſint donationes iter Conjuges.

R. I. Hujuſmodi donationes, ſi ſint puræ liberalitatis, reprobantur tam jure canonico, ut patet *ex capit. fin. de donat.*, quam civili: *leg. 1. ff. de don.* & id ſancitum eſt, ne mutuo amore donationibus invicem ſe ſpolient. Hæc tamen donatio primo, firmatur juramento propter rationem allatam in primo quæſito, & habetur *cap. cum contingat de jur.* Secundo, firmatur morte naturali Mariti donantis, ut habetur *citat. cap. fin. & leg. cum hic ſtatus 32., & leg. ſi ſtipulata 33. ff. de don.* ſicut etiam morte ejus civili; utraque enim quoad hunc effectum æquiparantur: *Gloſſa in Clem. 2. v. moriente de elect.* Immo morte donantis ita firmatur donatio rei antea traditæ, ut retrotrahatur ad tempus, quo facta fuit, ita ut fructus ab illo tempore cedant Donatario: *Bonac. d. 3. quæſt. 12. part. 4. num. 2.* Dicitur autem Maritus civiliter obire ſi deportetur, aut mittatur in exilium; vel ſi profiteatur in Religione incapaci poſſidendi bona in communi. Si vero Religio capax ſit poſſidendi bona in communi, tunc profeſſus cum conſenſu Superioris velle poteſt, ut donatio non ſortiatur ſuum effectum, niſi poſt mortem naturalem.

Ut tamen donatio facta a Marito Uxori ipſius morte vel naturali, vel civili confirmetur, oportet antea nec expreſſe, nec tacite fuiſſe revocatam, ut dicitur *cap. fin. de donat.* Porro diverſis modis intelligitur tacita revocatio. Primo, ſi a Marito res donata Conjugi legetur, donetur, vel quocumque alio titulu illius dominium transferatur; vel etiam ſi ſpeciali hypothecæ ſubjiciatur: *leg. cum hic ſtatus 32. §. 5. & 15. ff. de donat., & leg. ſi Maritus 12. C. de donat.* Secundo, ſi inter ipſos interceſſerit divortium, abſque eo quod matrimonium fuerit poſtea reintegratum: *leg. cum hic ſtatus §. 10.* Tertio, ſi inter conjuges fuerint graves inimicitiæ; in dubio tamen donatio non præſumitur revocata: *ibid. §. 4., Sanch. l. 6. de matr. d. 11. num. 2.*

Dixi, *ut donatio facta a Marito &c.* nam donatio facta ab uxore Marito ipſius morte non confirmatur, quia leges dumtaxat favere voluerunt pudicitiæ Uxoris.

R. II. Plures dantur caſus, in quibus ſtatim valida eſt donatio facta a Marito Uxori, non expectata ipſius morte. Primo, ſi donatio ſit remuneratoria, propter obſequia ſcilicet inſolita, & extraordinaria, quæ Uxor præſtitit Marito; hæc enim potius eſt ſolutio, quam donatio: *arg. leg. Aquilius 27. ff. de donat., & cap. conſenſ. de reb. Eccleſ. non alien.* Cenſetur etiam remuneratoria donatio, ſi quæ vir ignobilis, vel ſenex donat fœminæ nobili, aut juveni, cum cenſeatur donare vel in remunerationem nobilitatis, vel floris juventutis: *Sanch. num. 21.* Secundo, ſi ex donatione donans non fiat pauperior, & donatarius non valde locupletior: *cap. fin. de donat.* Tunc autem donans non cenſetur fieri pauperior, ſi ex donatione non diminuatur ſubſtantia, quam jam habet; & ita non diceretur fieri pauperior Maritus, qui repudiaret legatum, ut ad uxorem, quæ ipſo repudiante ſuccedere debet, perveniret: *leg. ſi ſponſus §. ſi ff. de donation.* Hac ratione ſuſtinentur donationes mutuæ inter Conjuges, ſi una alteram non excedat; & habetur *leg. quod autem 7. ibid.* Quod ſi Maritus det uxori ad ipſius ornamenta, non proinde cenſetur fieri pauperior, cum potius ſui cauſa dediſſe judicandum ſit. Nec uxor fieri dicitur pauperior, ſi det Marito, ut dignitatem conſequatur; nam & ipſa cenſetur dare propter honorem, qui ſibi exinde reſultat: *leg. nuper. 42. ibid. junct. leg. fœminæ 8. ff. de Senator.* Tertio, valet donatio, ſi vir remittat uxori uſuras dotis ſibi debitas: *leg. vir. uſuras 54. ff. de donat.*, vel ſi det ad reficiendas ædes dotales diſtructas igne, vel alio infortunio: *leg. ſi vir uxor. 18. ibid.* Quarto, ſi donatio fiat cauſa exilii, vel alterius pœnæ, ex qua ſequatur bonorum confiſcatio: *l. ſi & 43. ibid.* Quinto, ſi donatio fiat cauſa mortis: *leg. ſi eum 9. §. fin. ibid.* quæ, tamen eſt revocabilis uſque ad mortem. Sexto, ſi donatio ſit exigui valoris, ut probat communis conſuetudo. Demum ſi donatio fiat a Principe ſupremo propriæ uxori. *leg. 26. Cod. de donat. inter vir. & uxor.*

Q. IV. Quæ cenſeantur donata a Maritis uxoribus; & quid juris de donationibus, quæ fiunt inter ſponſos.

R. I. Quæ vilia ſunt, & deſtinata ad uſum quotidianum, donata præſumuntur, ſecus quæ pretioſa, & feſtiva; nam hæc cenſetur Maritus tradere non in gratiam præciſe uxoris, ſed potius in gratiam ſuimet, ut ſcilicet propria uxor ornatior conſpiciatur. Aliter dicendum, ſi vir expreſſe dixiſſet talia ſe donare: *Bonac. d. 3. q. 12. p. 4. n. 2.*

R. II. Donationes, quæ fiunt inter ſponſos firmæ non remanent (ſi aliter non conſtet de voluntate tradentium) niſi ſequuto matrimonio, ipſiuſque conſummationa; ſub hac etenim conditione factæ cenſentur: *leg. cum veterum Cod. de donat. ante nuptiar.*, *Sanch. l. 6. d.* 18. *num.*, *Molin. d.* 290. Dato autem non ſequi matrimonium culpa donantis, ſive ſponſus ſit, ſive ſponſa, ſponſalitia largitas donatario acquiritur; e contra ſi non ſequatur ex iſtius culpa, totum quod accepit reſtituere debet donanti, *ex leg. cum veterum cit.* Quod ſi ſponſalia ſine alicujus culpa reſcindantur, pura propter mortem, ingreſſum in religionem &c. tunc ſponſus reſtituere debet totum, quod accepit, ſicut etiam ſponſa, ſi non interceſſerit poſt ſponſalia oſculum, vel amplexus, nam tunc lucratur medietatem ſponſalitiæ largitatis. Hoc autem non valet ſi mutuo conſenſu ſponſalia diſſolvantar; nam tunc cenſentur tacite paciſci de reſtituendo omnia, quæ ſibi invicem tradiderunt, quamvis oſculum interceſſerit: *Sanch. diſput.* 21. *num.* 6., *Anton. a Spir. S. tract.* 10. *d.* 12. *num.* 502.

Q. V. An validæ ſint donationes Parentum in Filios.

R. Donatin liberalis facta a Patre Filio non emancipato eſt invalida: *l. cum donis* 11. *Cod. de donat.*; & *leg. donationes quas parentes Cod. de don. int. vir. & uxor.* Hujus autem rei hæc affertur ratio, quia quod filius a Patre accipit, ſpectat ad peculium profectitium, cujus cum ſit Dominus Pater, noa tam cenſetur donare filio, quam ſibi. Mater vero libere donare poteſt filiis vel emancipatis, vel non emancipatis; nam reſpectu ejuſdem ceſſat ratio prohibitionis, neque ipſi donare prohibitum eſt: *arg. leg. ſed ſi ego* 4. *§.* 1. *ff. ad S. C. Vellej.*, *Molin. d.* 291. *num.* 4., *Laym. lib.* 2. *tr.* 4. *c.* 12. *n.* 12.

Valide autem donat Pater filiis emancipatis, quia in his ceſſat ratio peculii profectitii: *leg. ſive emancipatis* 17. *C. de donat.* immo poſt emancipationem convalidantur etiam donationes antea factæ, ſi non fuerunt revocatæ: *leg. donationes* 31. *§.* 2. Item valet donatio ratione ſtudiorum, vel opificii addiſcendi: *leg.* 15. *Cod. de negot. geſt.* ſive remunerationis gratia: *leg. cum Pater* 77. *§.* 25. *ff. de l.* 2. ſiva etiam cauſa militiæ: *leg. ſi Filius fam. C. familiæ herciſc.* ita enim donatum pertinet ad peculium caſtrenſe. Item ſi filio donet uſufructum, quem habet in ipſius bonis adventitiis, *l. cum oportet §. Sin antea Cod. de bon. quæ liber.* Demum omnes aliæ cauſæ, quæ reddunt ſtatim validam donationem inter conjuges, eumdem effectum præſtant in donatione facta filio; ut bene docet Gloſſa *in cap. fin. de donat. int. vir. & uxor.* Semper tamen cavendum ne his donationibus minuatur quod titulo legitimæ aliis debetur, vel donans impotens reddatur ad ſolvendum creditoribus, alias quoad exceſſum donatio eſſet revocabilis.

Filius donare poteſt Patri bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia, cum ipſorum habeat adminiſtrationem, & dominium: *leg. cum oportet §. Excepto C. de bon. quæ liber.*, & eadem rationa donare ipſi poteſt bona adventitia ea conditione ipſi relicta, ut uſusfructus Patri non acquiratur: *Auth. idem eſt Cod. de bon. quæ liber &c.*

Q. VI. Quando ratione ingratitudinis donatio poſſit revocari.

R. Quamvis donatio inter vivos legitime facta, & acceptata, ordinarie loquendo, non poſſit revocari: *leg. fin. C. de revoc. donat.* nihilominus prima cauſa revocandi donationem eſt ingratitudo Donatarii: *cap fin. de donat. & l.* 1. *Cod. de revoc. donat.* Ea autem ingratitudo ex præfatis juribus, ex triplici capite conſurgit. Primo, ſi donatarius manus in donantem injecerit. Secundo, ſi atrocibus injuriis illum offendat, quod poteſt fieri verbis, & facto; ut ſi adulterium committeret cum uxore donantis, vel ſtuprum cum ipſius filia. Tertio, ſi grave inferat damnum donanti, vel ipſum ponat in vitæ diſcrimine, quamvis mors non ſequatur. Nec deſunt DD. qui dicant poſſe revocari donationem, ſi Donatarius non alat donatorem inopia preſſum; nam pariter in hoc caſu magna eſt ingratitudo, & ubi eſt eadem ratio, videtur eſſe debere eadem legis diſpoſitio: *leg. illud* 32. *digeſ. leg. aquil.* Verum contraria opinio eſt juri conformior, nam ſolum ex præfatis cauſis titulo ingratitudinis conceditur revocari poſſe donationem, ut patet ex *leg. fin. Cod. de revoc. donat.* Ultraquamquod cum agatur de lege pœnali, non eſt extendenda de caſu ad caſum etiam ob æqualitatem rationis: *arg. l.* 42. *ff. de pœnis juncta reg.* 15. & 49. *Jur. in* 6., *Mol. d.* 118. *num.* 8., *Laym. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 12. *n.* 17.

Ut autem detur ex hoc capite locus actuali revocationi, oportet Judicem ſententiam pronunciare quoad ingratitudinem donatarii: *leg. fin. citat.* nam lex generalis non obligat niſi poſt ſententiam. *Molin. d.* 118. *num.* 5. Hoc tamen verum eſt, ſi res fuerit tradita, ſi etenim tradita non fuerit, donans poteſt i l m non dare, cui enim competit jus ad repetendum, datur etiam jus ad non ſolvendum, ſi nondum ſolvit: *Salmant. tract.* 14. *cap.* 4. *num.* 108. Cæterum ſi donatarius injuſte ſententiam impediſſet, poſſet donans ſibi compenſare, utpote quia damnum paſſus eſſet ex alterius injuſta actione.

Jus petendi revocationem donationis ob ingratitudinem donatarii pertinet ſolum ad ipſum donantem: *cap. final. de donat.*, & *leg. final. citat.* Id autem verum eſt, ſi donans cognovit ingratitudinem donatarii; nam ſi tunc non revocavit, cenſetur condonaſſe; ſi vero non cognovit, poſſunt hæredes donantis donationem revocare, non ſolum contra donatarium, ſed etiam contra ipſius hæredes: *Anton. a Spir. Sanct. deciſ.* 12. *num.* 521.

Si vero donatio facta eſſet ad cauſam piam, tunc non eſt revocabilis donatio ob ingratitudinem Adminiſtratoris Monaſterii, Eccleſiæ, vel alterius loci pii, cui facta eſſet donatio; nam tunc cenſetur facta ob ſalutem animæ propriæ, & ob ſibi Deum gratificandum, qui numquam poteſt eſſe ingratus: *Barboſ. in capit. final. de donat. numer.* 15. Item non eſt revocabilis donatio remuneratoria, quia potius eſt ſolutio: *Bonacin. diſput.* 3. *quæſt.* 12. *part.* 3. Item ſi res donata poſtea alteri data ſit titulo donationis, venditionis, vel alio ſimili; contra hujuſmodi enim tertios poſſeſſores jus non dat facultatem revocandi.

E contra mihi valde probabile eſt eſſe revocabilem contra donatarium ingratum, quamvis donans juraſſet non revocaturum etiam titulo ingratitudinis. Ratio eſt, quia lex dans facultatem revocandi donationem ob ingratitudinem donatarii, principaliter, meo videri, reſpicit punire vitium ingratitudinis, quamvis exinde de ſecundario ſequatur utilitas particularis donantis; juramentum proinde de non revocanda donatione, etiam propter ingratitudinem donatarii, eſt contra bonos mores, utpote fovens tale vitium, adeoque ſervandum non eſt.

Q. VII. Quando revocari poſſit donatio, eo quod naſcantur filii.

R. I. Altera cauſa revocandi donationem eſt ſi illi, qui donavit non habens filios, filii naſcantur: *leg. ſi unquam* 8. *Cod. revocat. donat.* nam cenſetur facta ſub hac tacita conditione, ut mihi filii naſcantur, ſemper etenim hi extraneis præferuntur. Neque reviviſceret donatio revocata, ſi filius moriatur; actio etenim ſemel extincta numquam reviviſcit: *leg. Mævius §. Duobus ff. de leg.* Dixi, ſi qui donavit non habeat filios, nam ſi habuit filium, & nihilominus donavit, jura illi non favent, quamvis alii filii naſcantur: *Molin. diſp.* 281. *num.* 6. *Bonac. d. quæſt. p. numer.* 8. Quæ tamen dicta ſunt verificantur ſolummodo quoad filios legitimos, vel per ſubſequens matrimonium legitimatos; non vero quoad filios ſpurios, & naturales, quibus jura non favent: *Bonac. diſp.* 3. *quæſt.* 12. *numer.* 16., *Anton. a Spirit. Sanct. d. num.* 524.

Dum vero poteſt revocari donatio, eo quia nati ſint filii, non obſtat fuiſſe firmatam juramento; nam iſtud ſequitur naturam actus, cui adhæret; ac proinde dum actus ſive ex natura ſua, ſive ex juris diſpoſitione corruit, juramentum etiam corruit. Quod ſi quis non ſolum juraſſet non revocare donationem, ſed etiam non revocare, ſi naſcantur filii, tunc ſervandum eſſet juramentum, quia ſervari poteſt ſine diſpendio ſalutis æternæ; dummodo tamen non ſit cum præjudicio legitimæ filiorum, ut ſtatim dicemus.

R. II. Si donatio facta ſit Eccleſiæ, vel Cauſæ piæ, tunc dicunt DD. non eſſe revocabilem; niſi quoad portionem legitimæ filiorum deinde naſcentium, quomodo revocari poteſt donatio facta uni filio: *leg.*

Digitized by Google

leg. 5. & 7. *de inoffic. donat.*, Eccleſia etenim, ſeu Pia Cauſa inſtar filii reputatur. Verum quædam æquitas, & naturalis pietas expoſcit, ut cum debita facultate quidquid donatum fuit reſtituatur, ut colligitur *ex can. quicumque* 17. *q.* 4. cum credi non poſſit Patrem amplam donationem Eccleſiæ facturum, ſi potuiſſet prævidere ſe filios habiturum.

Q. VIII. Quando revocari poſſit donatio ... quod ſit inoſficioſa.

R. Tertia cauſa revocandi donationem etiam ad cauſam piam eſt, ſi ſit inoſficioſa, hoc eſt, ſi ex ea filii ſua legitima defraudentur: *leg.* 1. & *ſeqq. C. de inoff. don.*, & ſi facta fuiſſet extraneo, animo filios de fraudandi, eſſet revocabilis in totum: *l.* 1. *C. de inoff. don.* Neque firmatur hæc donatio juramento, quia ordinarie loquendo, non fit ſine gravi peccato. Quia tamen filiis non debetur legitima niſi poſt mortem Patris, tunc ſolum ipſis competit agere coram Judice pro revocatione donationis: *Leſſ. lib.* 2. *cap.* 18. *d.* 14. *num.* 104., *Molin. d.* 283. E contra quia non minus competit Patri, quam Filio querela inoſficioſi teſtamenti, adeoque & inoſficioſæ donationis, ideo & locum habet revocatio donationis ſaltem quoad legitimam, ſi filius ita exceſſive donet, ut Pater privetur legitima de jure ipſi debita.

Regulæ in praxi attendendæ.

I. Quando Pœnitens repræſentat Confeſſario aliquid ſibi donatum fuiſſe donatione a Lege reprobata, non ſtatim illum obliget ad reſtitutionem, ſed ſequentia animadvertat. Primo ergo videat, an res donata talis ſit, ut nullo pacto potuerit alienari; ut ſunt res furatæ, vel donationes factæ ab impuberibus, qui non habent liberam ſuarum rerum adminiſtrationem. Res igitur ita donatæ ſtatim ſunt reſtituendæ etiam ante Judicis ſententiam; nam cum non potuerint a donante alienari, ſemper pro Domino ſuo clamant. Excipe modicas donationes, ſive etiam eleemoſynas, quas etiam filiis-familias, Uxoribus, Impuberibus competit facere ſecundum ſuum ſtatum.

Si vero res donatæ potuerint alienari, & ſolum a jure poſitivo invalidetur talis donatio; ut ſunt donationes factæ inter Conjuges, Parentes, & filios; tunc advertat Confeſſarius, quod licet tales donationes prohibeantur a jure, non tamen irritæ ipſo facto redduntur, nec faciunt Donatarios inhabiles ad recipiendum, & retinendum. Quoad has igitur donationes Confeſſarius non debet cogere donatarios ad reſtituendum niſi poſt ſententiam Judicis, & tunc habent etiam reſtituere fructus perceptos a die litis conteſtatæ.

II. Debet etiam in praxi Confeſſarius valde advertere, ne Viduæ ſibi conſcientiam gravent occultando, & retinendo quidquid a Marito acceperunt. Si ergo maritus expreſſe donavit aliqua uxori, non ſunt hæredibus conferenda, utpote quia morte Mariti donatio fuit convalidata. Quæ vero expreſſe non fuerunt donata a Marito vel data non fuerunt cauſa remunerationis &c. manifeſtanda ſunt ab uxore Hæredibus Mariti, utpote quia non præſumuntur donata, niſi quæ pertinent ad uſus quotidianos.

III. Accidit etiam non raro in praxi caſus, in quo diſſolvuntur ſponſalia, & reſtituuntur mutuo tradita inter ſponſos, ut abſcindantur jurgia, & inimicitiæ, in his caſibus advertat Confeſſarius illum, ſine cujus culpa diſſoluta ſunt ſponſalia, poſſe retinere quidquid habuit ab eo, cujus culpa diſſolvuntur; & ſi reſtituat ad removendas inimicitias, poſſe ſibi occulte compenſare. Quod ſi caſu, & etiam ſine culpa ſponſi diſſolvantur, propter mortem v. gr., propter ingreſſum in Religionem &c. tunc Confeſſarius ſecreto interroget ſponſam, an paſſa ſit ab eo oſculari, nam tunc poteſt tuta conſcientia dimidium ſponſalitiæ largitatis ſibi retinere.

IV. Notare pariter debet Confeſſarius, quod ſi Donatarius etiam poſt acceptatam donationem adeo fuerit ingratus, ut ſufficientem præbuerit cauſam revocandi donationem; tunc donans, ſi nondum tradidit rem donatam, poteſt in foro conſcientiæ eam ſibi retinere: nam qui jus habet repetendi poſtquam tradidit, jus habet & retinendi, itaut ſolvere non teneatur.

QUÆSTIO XIV.

De Teſtamentis, & Ultimis Voluntatibus.

CAPUT I.

Quid ſit Teſtamentum; & de Solemnitatibus ad ipſum requiſitis.

Q. I. QUid ſit Teſtamentum.

R. Teſtamentum bene definitur: *Ultima voluntas cum directa hæredis inſtitutione.* Dicitur, *ultima voluntas* in hoc ſenſu, quod nonniſi poſt mortem accipiat irrevocabilem firmitatem; etenim antea ſemper eſt revocabilis. Illud autem quod differre facit Teſtamentum a cæteris ultimis voluntatibus, quæ mortis cauſa fiunt, quales ſunt Legatum, Codicillus, & donatio mortis cauſa, eſt hæredis inſtitutio; ea etenim non fit niſi in Teſtamento, & ſine ipſa teſtamentum nullum eſt: *Inſtit. de fideicommiſſar. hæred.* §. *Ante* 34. *Inſt. de Legat.*, *leg. proximæ* 3. *ff. de his quæ in Teſt. delentur*, *leg. jubemus C. de Teſtam.*

Q. II. Quotuplex ſit teſtamentum.

R. Omiſſis ſuperfluis diviſionibus, Teſtamentum primo dividitur in ſolemne, & non ſolemne. Solemne eſt, quod habet omnes ſolemnitates a jure requiſitas. Non ſolemne, ſive privilegiatum eſt illud, quod ſpeciali juris privilegio ſubſiſtit etiam ſine ſolemnitatibus requiſitis de jure communi ad Teſtamentum. De his Teſtamentis privilegiatis infra. Secundo, teſtamentum dividitur in ſcriptum, ſeu clauſum, & nuncupativum. Teſtamentum ſcriptum eſt, quod ſcriptura fit, & obſignatum traditur, ſervata forma juris præſcripta *in l. hac conſultiſſima C. de teſtam.*, unde & clauſum dicitur. Hoc teſtamentum facere ſolent illi, qui etiam teſtibus volunt latere, quod continetur in teſtamento. Teſtamentum nuncupativum non exigit ſcripturam; nam ad illud ſatis eſt ſi Teſtator nominet coram requiſitis teſtibus hæredem, ſimulque indicet quid poſt mortem ipſius velit fieri de bonis ſuis: §. *final. Inſtit. de teſtamen. ordin.* Solet nihilominus & hoc teſtamentum in ſcripturam redigi, ne excidat memoria, & ad faciliorem probationem, ut in ſimili dicitur *leg. in re ff. de fide inſtrum.*

Q. III. Quæ ſolemnitates requirantur ad validitatem Teſtamenti.

R. I. Ad ſolemnitatem teſtamenti ſcripti, ſive clauſi ultra inſtitutionem hæredis, primo requiritur, ut ſcriptum fuerit manu ipſius Teſtatoris, vel ab altero de ipſius mandato. Secundo, requiritur præſentia ſeptem teſtium idoneorum; unde inhabiles ſunt ad ferendum teſtimonium in teſtamento ii, qui in aliis cauſis teſtes eſſe non poſſunt. Tertio, requiritur, ut teſtes ſint ad id ſpecialiter rogati; unde nullum eſſet teſtamentum factum coram aliquibus fortuito præſentibus, vel alia ex cauſa vocatis. Secus eſſet, ſi cum eſſent fortuito præſentes rogentur, ut velint eſſe teſtes. Quarto, teſtes debent eſſe ita præſentes, ut non ſolum valeant audire, ſed & videre Teſtatorem. Quinto, debet Teſtator coram Teſtibus dicere in ea charta, ſcriptura &c. contineri ſuum teſtamentum. Sexto, requiritur, ut teſtamentum ſit ſubſcriptum manu ipſius Teſtatoris, vel ipſo neſciente, ſeu non valente ſcribere, manu octavi Teſtis. Verum quidem eſt haud eſſe neceſſarium, teſtamentum eſſe ſubſcriptum manu ipſius Teſtatoris, quamvis tutius ſit, ſi Teſtator nomen ſuum per ſe, vel per octavum teſtem ſubſcribat. Septimo neceſſe eſt eodem tempore omnes teſtes ſubſcribere, & ſcripturam ſubſignare proprio annulo, vel ſigillo, vel alieno, ſi proprio careant, immo conceditur, ut omnes uno, eodemque ſigillo ſignent. Hæc omnia habentur *leg. hac conſultiſſima C. de teſtam.* Adderem etiam totum negotium teſtamenti ſcripti ita faciendum eſſe, ut nullo extraneo negotio interrumpatur; ſolumque poſſe interrumpi ratione neceſſitatis corporalis, vel cauſa ſanitatis, ſi forte Teſtator eſſet ægrotus: *leg. cum antiquam* 28. *C. de teſtam.*

R. II. Ad teſtamentum nuncupativum, ut dictum eſt, neceſſarium eſt inſtituere hæredem, eoque non inſtituto omnino corruit etiam quoad legata ſaltem profana. Quid autem dicendum ſit de Legatis piis, dicemus infra. Ulterius hæres debet eſſe perſona certa, & determinata: §. *Incertis Inſtit. de legat.*, *leg.* in ſen-

Digitized by Google

tempus ff. de hær. inſtit., *& leg. hac conſultiſſima C. qui teſtam. facere poſſunt*, *Boſſ. var. moral. tit. 12. num. 82.* Item quamvis aliqui admittant inſtitui poſſe hæredem per relationem ad aliquam certam ſchedulam, in qua Teſtatot dicat coram teſtibus ſe ſcripſiſſe nomen hæredis revelandi poſt mortem; nihilominus communior ſententia id non admittit, cum pluribus juribus decernatur in Teſtamento nuncupativo voluntatem Teſtatoris, & hæredes teſtibus debere innoteſcere: *leg. hac conſultiſſima cit.*, *leg. hæres 21. ff. qui teſt. facere &c.* non eſt autem proprie audire, & omni modo ſcire quis ſit hæres, ſi illius notitia poſtea ſequuta morte per ſchedulam habeatur. Id autem confirmatur, quia Jura dum præſcribunt in Teſtamento nuncupativo hæredem palam fieri debere teſtibus, pro fine habuerunt removere omnem fraudem, & dolum; cui fini non ſatis conſulitur, ſi deſignetur certa ſchedula, in qua inſtitutus ſit hæres; nam poteſt e. gr. aliqua clave aperiri capſula, ubi eſſet, vel alia ratione ficta ſchedula ſubſtitui: *Mant. de teſtamen. tit. 4. quæſtion. 16. & ſeqq.*

Demum non valet inſtitutio hæredis, ſi hæc pendeat ab alterius arbitrio, ut ſi Teſtator diceret: inſtituo hæredem, quem Petrus nominabit: *leg. illa inſtitutio*, *leg. captatorias ff. de hæred. inſtit.* Bene tamen poſſunt duo ſe mutuo inſtituere hæredes: *leg. captatorias cit.* ſi tamen non fiat ſub conditione de futuro, inſtituendo v. g. hæredem Petrum, ſi ipſe viciſſim inſtituat Teſtatorem. Id tamen fieri poteſt ſub conditione de præterito, ut Teſtator inſtituat Petrum hæredem, ſi viciſſim ab eo hæres fuit inſtitutus: *leg. ille autem ff. de hæred. inſtit.*

Ultra hæredis inſtitutionem ad teſtamentum nuncupativum requiruntur ſeptem teſtes idonei, qui nulla lege, vel jure ſint inhabiles ad teſtificandum. Inter inhabiles autem ad teſtificandum non ſolum habetur ipſe hæres, ſed etiam Pater ipſius, & Fratres: *Inſtit. de teſtamen. Ord. §. Sed neque*. Inſuper debent eſſe ad id rogati, ſicut etiam debet Teſtator manifeſtare coram iiſdem ſuam ultimam voluntatem circa hæredem, & legata; quæ manifeſtatio fieri poteſt quavis verborum formula, etiam legendo chartam, in qua Teſtator eamdem ſuam ultimam voluntatem ſcripſerit, dummodo ſe proteſtetur velle condere Teſtamentum nuncupativum.

Item ſatis eſt, ſi manifeſtet ſuam voluntatem ad interrogationem alterius. Notarii v. g. Confeſſarii &c. dummodo teſtes agnoſcant ita eſſe ſanæ mentis, ut ſerio, & deliberato reſpondeat, adnuendo, & negando quod opus fuerit. Quod ſi Teſtator decedat, vel uſum mentis deperdat, antequam ſit abſolutum Teſtamentum nullum remanet quoad omnia: *leg. ſi quis cum teſtamentum ff. de teſtam. Inſtit. §. Ex eo quibus modis teſtamenta infirmentur*. Tunc autem Teſtamentum non dicitur abſolutum, nec perfectum, quando Teſtator alia erat dicturus, quamvis inſtitutionem jam feciſſet, & legata: *leg. ſi quis cum teſtamentum cit.* Suſtinetur nihilominus dictum teſtamentum, ſi ſolum dubium ſit, nec conſtet voluiſſe plures heredes inſtituere; ſicut etiam ſi in tali teſtamento inſtituiſſet hæredes, qui venirent ab inteſtato, quamvis extaret aliud Teſtamentum perfectum, in quo vocati eſſent extranei. Quid autem dicendum de Legatis piis infra explicabitur. Videatur celebris lex *hac conſultiſſima Cod. de Teſtamen.* quæ eſt veluti norma condendi teſtamenta.

Q. IV. *An validum ſit Teſtamentum, cui deſit aliqua Juris ſolemnitas.*

R. Quamvis huic quæſito ſatis reſponderi poſſit ex iis, quæ dixi *q. 1. c. unic. quæſt. 7.* nihilominus & hic iterum eamdem doctrinam repetendam duxi. Dico ergo, quod ſi adſint quæ de jure naturali neceſſaria ſunt, conſtet de voluntate Teſtatoris, puto in foro conſcientiæ ſuſtinendum eſſe teſtamentum, cui deſint Juris ſolemnitates:

Fateor igitur pluribus Juribus late a contrariis Authoribus congeſtis annullari, & irritari Teſtamentum ſine ſolemnitate factum; at hoc non me cogit dicere irritum declarandum eſſe etiam pro foro interno. Ratio etiam alias allata eſt, quia cum irritatio juris, & obligationis naturalis ſit odioſa, non eſt inducenda, ni plene conſtet etiam per jura talem obligationem auferri, ut præſtitit Tridentinum quoad matrimonia clandeſtina. In noſtro autem caſu licet jura removeant a præfatis teſtamentis obligationem civilem, non tamen conſtat removere obligationem naturalem, cum non conſtet a jure pleniſſime annullari quoad obligationem utriuſque fori: & de facto tot Canoniſtæ, & Theologi ſentiunt per præfata jura ſolummodo removeri obligationem civilem, & voluiſſe inductas ſolemnitates ad removendas fraudes, & dolos, ut etiam dicitur *leg. fin. C. fideicomm.*, *Fagn. in c. cum eſſes de teſtam.*, *Mol. d. 81.*, *Leſſ. l. 2. cap. 19. d. 3. Laym. l. 2. tr. 4. c. 17.*

Cum igitur nullatenus removenda ſit obligatio naturalis, ni id manifeſte conſtet leges voluiſſe; cumque in præſenti materia id non plane conſtet, adeſt ſufficiens ratio dicendi remanere obligationem naturalem adimplendi voluntatem Teſtatoris; dictat enim æquitas naturalis ratam habendam eſſe voluntatem Domini, volentis transferre in alium rem ſuam, ut dicitur *§. Per traditionem Inſtit. de rer. diviſ.* Porro debet de tali voluntate conſtare, vel quia hæres per ſeipſum audiverit voluntatem Teſtatoris, vel quia de ea conſtet per duos vel tres teſtes carentes omni ſuſpicione falſitatis; nam in ore duorum, vel trium ſtat verbum.

Quod ſi Teſtamentum factum ſine ſolemnitate quoad hæredis inſtitutionem ſuſtinetur pro foro interno ut dictum eſt, multo magis ſuſtineri debet quoad legata, & fideicommiſſa relicta. Quinimmo, etſi hæres ab inteſtato excipiat contra teſtamentum ob defectum ſolemnitatum; nihilominus ſi ipſe audiverit ab eodem Teſtatore aliqua inſtitui fideicommiſſa, & legata, tenetur ea in utroque foro adimplere textu claro *leg. non dubium 16. C. de teſtamen.* ac ita communiter ſentire DD. teſtatur *Capic. deciſ. 89. qu. 2.* Hinc ſi ea ſolvit, ipſi eadem repetere a jure negatur; *leg. etſi 2. C. de fideicomm.* quod verum non eſſet, ſi pro foro externo indebite ſolviſſet. Idem non tantum pro foro interno, ſed etiam pro eodem foro externo ſuſtinent quamplures DD., ſi hæres ab inteſtato proprio Teſtatoris ore audiverit inſtitui hæredem aliquem extraneum: *Molin. d. 18. numer. 17.*, & cum eo ſentiunt omnes illi, qui dicunt ſolemnitates a jure requiſitas non eſſe de ſubſtantia teſtaoenti etiam quoad forum externum, ſed ſolummodo de forma probatoria.

Q. V. *An poſt ſententiam Judicis declarantis irritum, & nullum teſtamentum factum ſine ſolemnitatibus, adhuc illud ſubſtineri poſſit pro foro conſcientiæ.*

R. Poſt ſententiam Judicis puto etiam in foro interno non poſſe retineri quod habitum eſt ex teſtamento minus ſolemni. Ratio eſt, quia Judex judicans ſecundum leges judicat authoritate ſibi mediate, ſive immediate a Deo tradita, ac proinde ipſi parendum eſſe, ſæpe docet S. Scriptura, ut patet *Deuter. 17.* Quamvis ergo ex teſtamento minus ſolemni oriri poſſit obligatio naturalis adimplendi voluntatem Teſtatoris; nihilominus hæc obligatio eſt inefficax, & elidi poteſt beneficio legis civilis, cum idem jus naturale dictet ceſſare omnem obligationem, ſemper cum Judex attenta legum diſpoſitione, vult non eſſe attendendam: *Sotus de juſt. l. 4. q. 5. art. 3.*, *Menoch. de præſum. lib. 1. præſ. 80. n. 7.*, *Laym. l. 3. tr. 4. c. 17.*

Neque dicas nullatenus obligare ſententiam Judicis fundatam in falſa præſumptione, qualis eſſet in caſu noſtro; nam prænuntiaret non eſſe attendendum teſtamentum minus ſolemne ex præſumptione quod ibi potuerit aliqua fraus, vel dolus intervenire. Contra enim eſt, quia Judex etſi ſciret in aliquo Teſtamento minus ſolemni fraudem non interveniſſe, adhuc illud nullum declarare deberet, leges etenim præſcribentes ſolemnitates non præciſe reſpiciunt, an in hoc, vel illo caſu intervenerit fraus, ſed an periculum ſit quod poſſit intervenire, non ſervatis ſolemnitatibus. Ad illud autem periculum removendum, quidquid ſit de aliquo caſu particulari, volunt leges omnem actum talibus ſolemnitatibus carentem omnino nullum declarari. Hac ratione dicunt DD. attendendam eſſe veritatem habentem Legis adminicula, ubi requiruntur a jure: *leg. ſi veritas 23. Cod. de fideicom.*, *leg. bona fides ff. depoſ.*, & ita contractus matrimonialis, & profeſſio religioſa non habentes adminicula, quæ exigit *Trid ſeſſ. 24. c. 1. de reform.*, *& ſeſſ. 25. de Regul. cap. 15.* nullum habent valorem, quamvis in eis nulla intervenerit fraus, vel dolus. Quod

autem

autem dicitur de iſtis etiam ante ſententiam Judicis, dicendum de aliis contractibus, ſaltem poſtquam Judex irritos, & nullos pronunciaverit.

Putat *Fagnan. in c. cum eſſes 10. de teſtam.* Solemnitates requiſitas a jure civili eſſe contra jus divinum, utpote quia ex præfato capite conſtat vi talis juris attendendam eſſe veritatem, quæ ex duorum conſtet teſtimonio. Infert hinc nullatenus attendendam ſententiam Judicis, quæ declaret aliquid non ſubſiſtere defectu talium ſolemnitatum. Contra tamen eſt quia, jus divinum ſolummodo vult nullum eſſe condemnandum niſi ex teſtimonio duorum, ſeu ex duorum, vel trium teſtimonio probari veritatem. Cæterum non vetat quin ad magis vitandas fraudes in quibuſdam rebus leges non poſſint imponere obligationem pluſquam duos teſtes adhibendi, unde tales Leges non eſſent contra, ſed præter jus Divinum: *Covarr. de teſtam. c. 17. n. 7.* & communiter, *arg. cap. licet 23. de teſtib.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Confeſſarius non facile ſuadeat Pœnitenti Teſtamentum ſcriptum, cum etenim ad illius valorem multæ deſiderentur ſolemnitates, facile erit in eis errare, atque ita Teſtatoris diſpoſitiones facillime a Judice declarabuntur invalidæ.

II. Notet ſecundo Parochus aliquando Domeſticos Moribundi, vel ipſum etiam Moribundum ſine fundamento ſollicitos eſſe, quia non reperitur Tabellio, qui ipſius excipiat Teſtamentum. Advertat igitur ad teſtamentum nuncupativum nullam exigi ſcripturam, & ſatis eſſe ſi Teſtator coram ſufficienti numero teſtium exprimat ſuam voluntatem, præcipue inſtituendo determinatum hæredem, ſine qua inſtitutione, ut dictum eſt, omnino corruit teſtamentum. Ut tutius etiam rem agat, advertat Confeſſarius, vel Parochus, cui Teſtator manifeſtavit ſuam voluntatem, ut ſi timeat tempore quo vult illam conſcribere, vel quo advocandi ſunt teſtes, ægrotum ſemper magis debilitandum, bene faciet ſi advocet ſaltem duos domeſticos teſtes, quibus Teſtator exprimat ſe Confeſſario, Parocho, vel alteri manifeſtaſſe ſuam voluntatem, ipſoſque rogaſſe, ut venientibus teſtibus iiſdem communicarent. Hac adhibita cautela, cum duo teſtes ſufficiant ad legitimam probationem, etiamſi Teſtator interea ita debilis evadat, ut non poſſit niſi capite annuere Parocho dicenti coram ſufficientibus teſtibus talem, ac talem eſſe ipſius voluntatem, Teſtamentum validum erit.

III. Advertat Parochus, & Confeſſarius inique aliquando excipi a Moribundis teſtamenta, vix valentibus ad interrogationem alterius reſpondere *ita eſt*, ſeu capite annuere. Quamvis igitur aliquis Teſtator prius egerit cum aliquo, ipſique ſuam manifeſtaverit voluntatem, ſimulque mandaverit ut teſtibus proponeretur, nihilominus, poſtquam hi advenere; ita debilis factus ſit, ut vix ad interrogata poſſit reſpondere *volo*, vel capite annuere, facillime præſumi poteſt non ſatis habere ſanum intellectum, nec ſerio dicere *volo*, ſeu annuere, & ita etiam teſtamentum facillime nullum erit. Solum ſuſtineretur hoc teſtamentum, ſi prius adhibiti eſſent duo teſtes, ut explicavi in regula ſuperiori. Multo minus validum erit teſtamentum, ſi Teſtator, qui cum nullo antea egerat de eo faciendo, dum poſtea interrogatur a Parocho, vel Notario etiam coram ſufficientibus teſtibus vix valear reſpondere *volo*, *ita eſt*, ſeu capite annuere: nam in hoc caſu nullatenus conſtat de ſeria ipſius voluntate, & præſumi etiam poteſt potius ad removendam moleſtiam eo modo reſpondere, quam animo teſtandi. Et de facto talis Teſtator in jure mortuo æquiparatur: *leg. jubemus 29. C. de teſtam.* Communiter ergo hujuſmodi teſtamentum nullum reputatur quoad hæredis inſtitutionem, & idem dicit major pars DD. etiam quoad legata.

Si vero Teſtator, etſi antea nil egerit de faciendo teſtamento, nihilominus ad alterius cujuſcumque interrogationem non ſolum reſpondeat *volo*, *annuat capite &c.* ſed etiam ad diverſa puncta diverſis verbis reſpondeat, quædam affirmando, & quædam negando, tunc ex dictis certum eſt teſtamentum valere.

IV. Teſtamentum a Parocho, vel ab altero conſcriptum iterum eſt legendum coram Teſtatore, ne opponatur aliquid fuiſſe conſcriptum alienum ab ipſius mente: *leg. fidei comm. §. Quoties de legat.* Nihilominus ſi teſtes ſufficienter audierunt omnem voluntatem Teſtatoris, & teſtatari poſſint in ſcriptura nil eſſe alienum ab ipſius mente, teſtamentum erit validum; neque etenim ad teſtamentum nuncupativum ſcriptura requiritur, adeoque nec ipſius lectio, ſed ſolum quod ex ſufficienti numero teſtium conſtet de Teſtatoris voluntate.

V. Bene advertat Parochus, qui neceſſe habet alicujus condere teſtamentum, quod teſtes ſint idonei, unde admittere non debet mulieres, impuberes, ſervos, furioſos, mutos, ſurdos, alioſque, quos propter ſuam improbitatem Leges repellunt a ferendo teſtimonio. Neque etiam debet admittere cæcos, qui Teſtatorem videre non poſſunt. Religioſi poſſunt eſſe teſtes, etſi Monaſterium inſtitutum eſſet hæres, vel legatarius, quia cauſa Monaſterii non eſt cauſa ſingulorum Religioſorum, ſicut cauſa Eccleſiæ eſt cauſa ſingulorum Clericorum.

VI. Pro praxi advertat Confeſſarius nullatenus obligandum ad reſtitutionem ante Judicis ſententiam illum qui aliquid poſſideret ex teſtamento minus ſolemni, quia eſt probabiliſſimum tale teſtamentum, licet non pariat obligationem civilem, adhuc parere poſſe obligationem naturalem.

E contra in praxi neque obligarem ad reſtitutionem illum, qui tamquam ſuccedens ab inteſtato, non attendens teſtamentum minus ſolemne, ſive totam, ſive partem hæreditatis Defuncti accepiſſet. Ratio mihi eſt, quia etiam valde probabilis eſt ſententia, eamque multi docent Theologi, quæ docet ſolemnitates juris requiri pro forma ſubſtantiali, ſeu validitate teſtamenti, ſicut & cujuſcumque alterius contractus; tum quia volunt leges præſcribentes earum ſolemnitates, non præciſe fundari in præſumptione actualis doli, ſed in periculo ejuſdem, quod ſemper adeſt; tum quia Princeps poteſt pro bono publico, & ad vitandas fraudes velle pro nullo foro ſubſiſtere contractum, ſive teſtamentum carens præſcriptis ſolemnitatibus. Cum igitur probabile valde ſit hæredem ab inteſtato poſſe adire hæreditarem contra teſtamentum minus ſolemne, non eſt expoliandus a Confeſſario ſua poſſeſſione, uſquedum evidenter demonſtretur injuſte poſſidere.

VII. Juxta noſtrum Statutum ad valorem Teſtamenti, de quo appareat publicum Inſtrumentum, ſat eſt ſi adfuerint tres teſtes maſculi, & idonei, quamvis non rogati. Et id etiam ſatis eſt, ſi a Cive Lucenſi, vel diſtrictuali alibi in Italia fiat Teſtamentum, quamvis, ubi conditum eſt, ex Statuto loci major numerus exigeretur. Quod ſi ibi minor exigeretur, valeret teſtamentum factum juxta conſuetudinem loci. Dum vero Teſtamentum per publicum Inſtrumentum extra Italiam factum eſſet, ſufficeret interveniſſe duos teſtes italicos, vel tres alterius nationis, vel minores etiam, ſi ita ferret conſuetudo loci, in quo factum eſſet Teſtamentum. Si vero Teſtamentum fiat ſine publico Inſtrumento, exiguntur quinque teſtes. Si vero Teſtamentum fuerit ſcriptum manu Teſtatoris, ſat eſt ſi ſubſcribatur a tribus teſtibus idoneis, etiam non rogatis, vel etiam ignorantibus quid in Teſtamento contineatur, & deinde ſubſcribatur ab ipſo Teſtatore aſſerente Teſtes de ipſius voluntate ſubſcripſiſſe. Demum non requiritur Teſtatorem ore proprio hæredem nominare; dummodo de ejus voluntate appareat per ſcripturam, *Statutor. l. 2. c. 1.*

CAPUT II.

De Teſtamento, ſeu Legato ad Pias Cauſas; aliiſque Teſtamentis Privilegiatis.

QI. QUid ſit Teſtamentum, vel Legatum ad cauſas pias.

Q. Cum forma eſſentialis, quæ dat eſſe teſtamento, ſit hæredis inſtitutio, tunc teſtamentum diceretur pium, quando in hærede aliquid ſpirituale contemplatur; idem dicas quoad legatarium, unde dicitur ad cauſam piam requiri ut interveniat pietas perſonæ, & ut fiat cauſa pietatis, & ita pium non eſſet legatum factum pauperi, non ratione paupertatis, ſed amicitiæ: *Barboſ. Jur. Eccleſ. l. 3. c. 27.* Advertendum igitur hoc verbum *pium* aliquando improprie ſumi pro quadam pieta-

Digitized by Google

pietate naturali, ſeu legali, quo pacto pium dici poteſt quidquid relictum ſit pro gratitudine, amicitia &c. pro quocumque opere publico faciendo, pro quocumque genere ſtudiorum &c. At in præſenti non loquimur de operibus improprie piis, ſed de opere rigoroſe pio, hoc eſt, ſpirituali, cedente de ſua natura in cultum Dei, vel ſalutem animæ. Ita ſe habent relicta ad pias cauſas, quando Teſtator præſcripſit opus ſpirituales, ut ornatum, vel ædificationem Eccleſiæ, celebrationem Miſſarum, eleemoſynam diſtribuendam, dotem pro pauperibus Virginibus, alimenta pro pauperibus orphanis, ſubſidium pro ſtudio Theologiæ, vel etiam SS. Canonum, dummodo ordinetur in Eccleſiæ utilitatem &c. Idem dicas de omnibus aliis operibus, quæ conſtat eſſe ſpiritualia.

Quod ſi Teſtator hæredem, ſeu legatarium nominavit aliquam perſonam, in qua reperiri poſſit & motivum vere pium, & non pium, tunc conſiderandum eſt quid conſideravit Teſtator. Inſtituit e. gr. hæredem, ſeu legatarium perſonam Religioſam, ſive pauperem; ſimulque conſanguineam. Si Teſtator contemplatus eſt conſanguinitatem, vel etiam amicitiam, tunc certum eſt ipſius diſpoſitionem non eſſe vere piam, quia nil ſpirituale habuit pro motivo ſuæ diſpoſitionis; ſecus ſi conſideraſſet ſtatum religioſum, vel ſublevare paupertatem. Cæterum non nego in dubio præſumendum eſſe motivum vere pium reſpexiſſe, cum ſemper credi poſſit velle Teſtatores conſulere animæ ſuæ quoad fieri poſſit. Videantur *Mant. de conject. ult. vol. l. 2. tit. 3. numer. 22., Card. de Luc. de teſtam. diſc. 16., Sanch. de matr. lib. 1. diſt. 4 numer. 9., Menoch. lib. 4. præſump. 115. art. 2.. Rota in Rom. Hæred. 1. Apr. 1658. & 16. Jun. 1659. cor. Alberg.*

Q. II. An Teſtamentum ad cauſas pias ſit privilegiatum; & quæ requirantur ad ipſius validitatem.

R. I. Modo extra controverſiam eſt apud Canoniſtas, & Theologos pro valore teſtamenti ad cauſas pias non eſſe neceſſarias ſolemnitates inductas a jure civili; & de facto *cap. relatum 11. de teſtam.* quo præſcribitur in hujuſmodi teſtamenti, ſimilibuſque cauſis attendendos eſſe SS. Canones, non leges civiles, nulla recenſetur ex iis ſolemnitatibus, quas leges civiles expoſcunt pro teſtamentis profanis. Non erit ergo neceſſarium pro teſtamentis ad cauſas pias; niſi quod conſtet de voluntate Teſtatoris; unde ſi de ea conſtet, vel quia hæres ab inteſtato, vel duo teſtes audierunt ex ore ipſius Teſtatoris quidquid ad cauſam piam deſtinaverit, iſta eſt in foro conſcientiæ exequendum: *Barboſ. Jur. Eccl. l. 3. cap. 27. n. 68.* Idem dicatur ſi ſolo nutu alio interrogante Teſtator expreſſerit ſuam voluntatem, licet enim tale teſtamentum non valeat de jure civili: *leg. jubemus Cod. de teſtam.* nihilominus valebit ad cauſas pias, quoties ex ſignis ſufficienter conſtet Teſtatorem eſſe compotem ſui; nam id jure gentium ſatis eſt ut teſtari valeat: *Laym. l. 3. t. 5. c. 2. n. 3., Menoch. l. 3. conſ. 124.* Item valebit teſtamentum ad pias cauſas, ſi conſtet de ipſius voluntate, quia e. g. fuerit ipſius manuſcriptum, vel ſubſcriptum etiam ſine teſtibus, vel tabellione, etiam non expreſſo die, menſe, & anno: *Fagnan. in cap. relatum. 11. n. 9. Pirhing. de teſtam. nu. 20.: Covarr. de teſtam. c. 11. nu. 12. Laym. l. 3. tr. 5. cap. 2. n. 3., Tiraquel. in tract. de cauſ. pia 2. privileg.*

Quamvis pariter jure civili invalidum ſit teſtamentum, quo quis hæredem incertum inſtituit, vel committit hæreditatem, ſeu legata diſtribuenda arbitrio alterius; nihilominus in teſtamento ad cauſas pias hæc non attenduntur, & ita validum eſſet non ſolum ſi quis inſtitueret hæredem animam ſuam, ſed etiam ſi quis generaliter diceret inſtituto hæredem Deum, vel cauſas pias; Item ſi dicat inſtituto hæredes illas cauſas, pias, vel pauperes, quos elegerit Titius, ſeu Sempronius: *Mol. d. 134. n. 3., Laym. l. 3. t. 5. c. 2. n. 3.*

Hic etiam notandum reputari validum teſtamentum, ſi Teſtator diceret: *relinquo omnia bona mea diſpoſitioni Titii*. Ratio autem eſt, quia talis diſpoſitio reputatur reſpicere cauſas pias; & cum etenim ultima voluntas, quantum fieri poteſt, ita intelligenda ſit, ut potius valeat: *arg. cap. Abbate 25. de verb. ſign., & leg. quoties 13. ff. de reb. dub.*, præfata diſpoſitio ita interpretanda eſt, ut Teſtatur non voluerit reſpicere cauſam profanam, ſecundum quam non poſſet ſuſtineri, ſed cauſam piam: *Covarr. cap. 18. de teſtam.*

Q. III. An teſtamentum ad cauſas pias validum ſit, ſi nulla fiat hæredis inſtitutio.

R. Teſtamentum ſine ulla hæredis diſpoſitione in vi teſtamenti neque valet quoad cauſas pias. Ratio eſt, quia quamvis ad valorem talis teſtamenti non requiratur quod ſolum eſt de Jure Civili, requiritur nihilominus quod neceſſarium eſt jure gentium, quo etiam jure nemo poteſt ſuccedere in univerſum jus Defuncti, uti ſuccedit qui eſt hæres, ni vel talis ſit ab inteſtato, vel talis inſtituatur in teſtamentu. Et de facto hoc videtur eſſe diſcrimen inter teſtamentum, & cæteras ultimas diſpoſitiones, quod primum expoſcat hæredis inſtitutionem. Sufficit autem ſi cauſa pia implicite hæres inſtituatur, ut ſi quis dicat omnia ſua bona relinquere alicui Eccleſiæ, pauperibus, vel ſi factis aliquibus legatis cætera omnia ſine exceptione cauſæ piæ relinquantur. Hoc, inquam, modo cauſa pia implicite hæres inſtituitur, quamvis non nominetur hæres; ille etenim hæres eſt, qui in univerſum jus Defuncti ſuccedit: *leg. hærede ff. de reg. jur.* Quod ſi cauſa pia neque implicite in univerſum jus Defuncti ſuccedat, tunc quod in ſpecie illi relinquitur, non valebit in vi teſtamenti, ſed codicilli, & ſuccedet hæres ab inteſtato.

Q. IV. Qui poſſint eſſe teſtes in Teſtamento ad pias cauſas.

R. Ex hoc quod teſtamentum ad cauſas pias ſit privilegiatum, adeoque non expoſcat quod de jure tantum civili requiritur, teſtes, qui interſunt non eſt neceſſe eſſe rogatus: *Fagnan. in cap. relatum num. 12.* Item poteſt eſſe teſtis etiam mulier, quæ de jure Canonico non excluditur a ferendo teſtimonio in quaviscauſa civili, qualis etiam eſt teſtamentum: *cap. 2. de judic. in 6., & can. ex eo quod cauſ. 15. q. 3. Fagn. in cap. cum eſſe 10. de teſtam. Pirbing. de teſtam. num. 21.* E contra, quidquid dicant aliqui in contrarium, cum jure Canonico excludantur a ferendo teſtimonio ſervi; *can. teſtes §. Servi, & §. Liberi cauſ. 4. q. 3.*, infames infamia juris: *can. nulli cauſ. 3. q. 4. & cap. præterea 7. de teſt*, excommunicati vitandi: *cap. decernimas 8. de ſent. excomm. in 6.*, criminoſi non emendati, ſi eis crimen objiciatur: *c. teſtimonium 54. de teſt.* & pauperes minus honeſtæ vitæ, puto hos non eſſe teſtes idoneos, dum ex eis conſtare debeat de teſtamento ad pias cauſas: *Covarr. de teſt. cap. 11. n. 11.*

Q. V. Quot teſtes neceſſarii ſint pro teſtamento ad pias cauſas.

R. Jam dictum eſt, teſtamentum ad pias cauſas attendendum eſſe, etſi illi nullus adfuerit teſtis, dummodo conſtet de voluntate Teſtatoris. Solum ergo teſtes habent locum, ut dum aliunde de ea non conſtet, poſſint facere probationem, & ad hoc tantum teſtes *legitimi* requiruntur: *cap. relatum 2. de teſtam.* At quia vigore hujus capitis teſtes debent eſſe *legitimi*, ideo ſupra dixi non eſſe, quoad hoc teſtes idoneos illos, qui jure Canonico repelluntur a ferendo teſtimonio. *Pirbing. de teſtam. n. 20. Laym. l. 3. tr. 5. c. 2 n. 3.*

Sunt qui aſſerunt hos duos teſtes eſſe de ſubſtantia talis teſtamenti, itaut ſine ipſis nullum habeat valorem, ut videre eſt apud *Menoch. l. 3. conſ. 124.* Verum communior eſt contraria ſententia, quia in his teſtamentis non attenduntur ſolemnitates juris civilis; & aliunde nullibi in jure canonico irritatur teſtamentum ad cauſas pias factum ſine teſtibus, ut irritatur contractus matrimonialis a *Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 1.* Præterea valet teſtamentum Patris factum inter liberos, ſi nullus adfuerit teſtis, dummodo ex manu Teſtatoris conſtet de ipſius voluntate: *leg. hac conſultiſſima 21. Cod. de teſtam. & Auth. ſeq.* Saltem autem æque favorabile eſt teſtamentum ad pias cauſas. Demum quod dicitur *cap. relatum* eſt in favorem piæ cauſæ, cum autem favores ſint ampliandi ex *reg. 15. jur. in 6.*, dicendum eſt velle teſtes non eſſe de ſubſtantia, ſed tantum neceſſarios ad probationem, caſu quo de voluntate Teſtatoris non conſtet: *Menoch. loc. cit.*

Q. VI. An teſtamentum ad cauſas pias factum ſine ſolemnitatibus civilibus, validum ſit quoad legata profana; vel an ſi nullum ſit taſtamentum ad cauſas profanas, defectu civilis ſolemnitatis, valeat quoad legata pia.

R. I. Communis ſententia eſt, quod ſi validum eſt teſta-

teſtamentum ad cauſam piam, ſuſtineantur etiam legata profana in eo inſerta, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis: *reg. 42. jur. in 6.* unde ſi teſtamentum validum erit, valida etiam erunt legata profana: *Covarr. de teſtam. cap. 11. n. 2., Laym. l. 3. c. 2. n. 10.*

R. II. Diſcrepant vero Authores in aſſerendo, an corruente teſtamento profano ſuſtineri poſſint legata pia in eo inſerta, ſi adſint quæ requiruntur ad valorem piæ diſpoſitionis: & qui negant eo innituntur fundamento, quod corruente principali deficit acceſſorium. Verum communior ſententia affirmat; etenim ſpecialis ratio reperitur in acceſſorio, quæ non eſt in principali, favor nempe Religionis, & cum agitur de eo, non attenditur jus civile, ſed ſolum jus canonicum: *Covarr. loc. cit. n. 4., Laym. l. 3. tr. 3. cap. 2.*

Q. II An valeat teſtamentum imperfectum, quantum ad cauſas pias.

R. I. Si teſtamentum ſit in perfectum quoad voluntatem, neque attenditur quantum ad pias cauſas: *Barboſ. de Jur. Eccl. l. 3. c. 27. n. 69.* Tunc teſtamentum dicitur imperfectum quoad voluntatem, quando Teſtator nondum intendit facere teſtamentum, ſed tantum agit, & explicat quid velit facere; quam cauſam piam relinquere velit hæredem, ſeu legatariam &c. Intelligit autem ita poſtea diſponere, quando adveniet Tabellio, ſeu teſtes vocati; vel poſt aliquas horas, quando putat ſe melius habiturum. Hoc, inquam, teſtamentum ita imperfectum quoad voluntatem, neque ſuſtinetur quoad cauſas pias; in eo etenim deeſt voluntas Teſtatoris, dum etenim loquebatur de iis, quæ diſponere volebat, non intellexit actu diſponere, ſed ſolum explicare quid deinde eſſet facturus, vel diſpoſiturus. Si ergo vel amiſſo uſu rationis, vel morte adveniente, non potuit Teſtator actu diſponere, cum non intelligatur de facto antea diſpoſuiſſe, ſed ſolum intendiſſe poſtea de rebus ſuis diſponere, ſequitur neque valere intentionem, quam habuit circa cauſas pias: *Molin. diſput. 134. n. 9.*

R. II. Si teſtamentum non fuit imperfectum quoad voluntatem, ſed ſolum quoad ſolemnitatem, quatenus ſcilicet Teſtator de pluribus jam diſpoſuerit, quamvis non potuerit abſolvere teſtamentum, tunc valet quoad cauſam piam. Certum eſt igitur tale teſtamentum quoad profana nullum eſſe: *leg. ſi is qui 25. ff. de teſtam. leg. furioſus 9. Cod. qui teſtam. facere &c.* at ſuſtinetur quoad cauſas pias; nam pro pia diſpoſitione nil aliud requiritur, niſi quod expoſcitur de jure naturæ; de jure autem naturæ nil aliud requiritur niſi quod Teſtator habuerit actualem voluntatem, vel omnia, vel aliqua ſua in cauſam piam transferre: *Covarr. de teſtam. cap. 11. cap. 14., Laym. lib. 3. tr. 5. c. 2. nu. 6., Mol. d. 134. n. 9., Tiraquel. privil. 7.*

Q. III. Quæ alia ſint teſtamenta privilegiata, & in quo conſiſtant ipſorum privilegia.

R. I. Teſtamentum inter liberos eſt privilegiatum, & eſt illud, quo non ſolum Pater & Mater inſtituunt hæredes filios, ſeu Nepotes, ſed etiam quod in favorem ipſorum faciunt Aſcendentes in linea recta, ut Avus, Proavus &c. Avia, Proavia &c. *leg. ultim. Cod. famil. Herciſcund. leg. hac conſultiſſima §. Ex imperfect. Cod. de teſtament. leg. appellatione 51. ff. de verb. ſign.* Pro validitate igitur talis teſtamenti ſat eſt ſi ſerventur quæ ſunt de jure naturali, & gentium; hinc ſatis erunt duo teſtes non rogati, etiamſi ſint fœminæ. Neque etiam iſti erunt neceſſarii, ſi per aliquam ſcripturam, vel ſubſcriptionem conſtet aperte de Patris voluntate; nam ſaltem in teſtamentis privilegiatis teſtes ſolummodo requiruntur ad probationem, non ad validitatem, adeoque non erunt neceſſarii, ſi aliunde conſtet de Patris voluntate.

Quamvis autem liberum ſit Patri inæqualiter inſtituere ſuos filios hæredes, dummodo cuilibet legitima relinquatur: *leg. parentibus Cod. de inoffic. teſtam.*, nihilominus ut validum ſit teſtamentum, quemlibet filium debet inſtituere hæredem in ſua legitima portione, vel ex cauſa exhæredare: *inter cætera ff. de lib. & poſth. leg. filia præterito ff. de injuſt. teſtam.* Et quidem nullum certe omnino teſtamentum eſt, ſi prætereantur filii jam nati; ſi vero prætereantur poſthumi, tunc corruit teſtamentum quando naſcuntur, quamvis valeat ſi non naſcantur, vel mulier abortum fecerit: *§. Sed non ita §. Poſth. Inſtitut. de exhæred. liber.* Hoc totum locum etiam habet in Nepotibus ex filio; & cæteris Deſcendentibus ex ſexu virili.

Quod ſi in teſtamento minus ſolemni Patris inter liberos, ſimul cum filiis inſtituatur hæres alia perſona extranea; *v. g.* uxor, quoad iſtam invalida eſt diſpoſitio ex defectu ſolemnitatum, & totum accreſcit filiis: *leg. hac conſultiſſima §. Ex imperfecto.* Multi volunt ſubſiſtere talem diſpoſitionem, ſi non fiat titulo inſtitutionis, ſed titulo donationis, legati, fideicommiſſi &c. Verum ſententia contraria videtur communior, etenim *diſp. §. Ex imperfecto* indiſtincte dicitur voluntatem Patris in teſtamento minus ſolemni non valere quoad perſonam extraneam liberis permixtam, & iſtis accreſcere quod illi relictum fuerat: *Boſſ. tit. 10. n. 101.*

R. II. Aliud teſtamentum privilegiatum militis, eſt non quidem militis, qui eſt præſidiarius in arcibus non patientibus actualem obſidionem, neque militis deſtinati ad cuſtodiam Principis, aut commorantis in ſuis ædibus, vel oppido ſine occaſione pugnandi: *princ. Inſtit. de teſtam mil.* Sed militis exiſtentis in bellica expeditione, quamvis non eſſet actualiter in conflictu, Teſtamentum hujus militis ſufficit, ſi habeat quæ neceſſaria ſunt de jure naturæ, & gentium: *l. 1. ff. de milit. teſtam. leg. Lucius ff. eod.* Teſtamentum igitur taliter factum a milite valet per integrum annum, poſtquam miles a militia diſceſſit: *princ. Inſtit. de teſtam. mil.*, adeoque ſi intra illum annum moriatur, hæres inſtitutus poteſt adire hæreditatem vi talis teſtamenti facti ſine ſolemnitatibus.

R. III. Alterum teſtamentum privilegiatum eſt teſtamentum factum tempore peſtis; & quamvis varient circa illud opiniones, nihilominus diſtinguendum videtur quoad teſtamentum factum tempore peſtis non adeo graſſantis, & quoad teſtamentum factum peſte valde ſæviente. Dum igitur peſtis non valde graſſetur, adhibendi ſunt teſtes, qui alias de jure requiruntur; at non oportet ſimul congregari, adeoque quod teſtamentum fiat uno contextu, ut alias de jure eſſet neceſſarium: *leg. hæredes 2. §. fin. ff. teſt. facere &c.*, ſed ſatis eſt, ſi ſucceſſive adhibeantur: *leg. caſus majoris 8. Cod. de teſtam.* Tempore vero peſtis valde ſævientis, ita ut teſtes etiam ſucceſſive ægerrime haberi poſſint, puto etiam duos teſtes ſufficere; nam ita ſatis eſt de jure naturæ. Ratio eſt, quia, cauſa validitatis teſtamenti pertinet ad publicam utilitatem: *leg. vel negare 5. ff. quem ad teſtam. aperien.*, unde in caſu quo ſervari haud poſſint leges poſitivæ, non poteſt præſumi voluiſſe Legiſlatores contra publicam utilitatem corruere teſtamenta ex ipſorum inobſervantia, dum alias ſervatum ſit, quod de jure naturæ, & gentium neceſſe eſt: *Molin. d. 127. Laym. lib. 3. tr. 5. c. 2. n. 17.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum in teſtamento ad pias cauſas ſatis ſit certo ſcire voluntatem Teſtatoris, ex hoc poteſt Confeſſarius advertere, quod ſi Teſtator dedit alicui occulte pecuniam; ut in hoc vel illud opus pium eroget, poteſt ipſe tuta conſcientia pecuniam in opus ſibi injunctum ſumere. In hoc tamen neceſſaria eſt prudentia Confeſſarii, dum ipſi tradita fuerit pecunia, ſi etenim id non fuerit adeo occultum, & penitus ſcire non poſſit hæres, Confeſſarius ſe exponet multis detractionibus, quaſi ipſe vel minus juſte egerit, vel ſaltem ea pecunia negotium ſuum facere voluerit. Si ergo hæres aliquid ſcire poſſit de ea pecunia, optimum erit, ſi curet, ut ipſe Teſtator cum hærede de hoc ſermonem habeat.

II. Quia dum non conſtat aliunde de voluntate Teſtatoris, neceſſarii ſunt duo teſtes pro valore teſtamenti ad cauſas pias, hinc eſt Confeſſarium imprudenter agere, ſi aſſumat onus ipſe ſolus referendi hæredibus poſt ejus mortem voluntatem Teſtatoris quoad aliquam cauſam piam, neque etenim ipſi ſoli tenentur credere. Vel ergo curet, ut Teſtator ſubſcribat manu propria quæ ad piam cauſam relinquit; vel quod ſaltem adſint duo teſtes, dum ſuam manifeſtat voluntatem.

III. Advertat tertio Confeſſarius, quod, ſi aliqua probabiliter ſuſtineri poſſint tamquam non pia, vel de eis non diſpoſitum fuiſſe prout de jure neceſſe erat, non debet cogere hæredem, ut veluti pias diſpoſitiones reſpiciat, ac excommunicatione in noſtra Diœceſi lata innodari, ſi illis non ſatisfaciat. Ratio eſt, quia propter jus alterius non certum haud debet ipſe expoliari ſua poſſeſſione. Exemplum ſit in eo, qui aliqua reliquiſſet pauperi conſanguineo, vel alicui conſanguineo re-

religioſo; & non appareret, an Teſtator habuerit motivum pium, vel profanum, quale eſſet conſanguinitas, ſeu affinitas. Exemplum autem legati pii, de quo dubitari poteſt, an validum ſit nec ne, eſt legatum pium relictum in teſtamento alias nullo, quamvis dixerint ſuſtineri poſſe quoad legata pia. Hac de re videndus *Bord. de Legat. cap. 5. num 5. Barboſ. de Jur. Eccl. l. 3. cap. 27. num. 95.*, & alii apud ipſos. Fortaſſe etiam dubitari poſſet, an teſtamentum, ſeu legatum pium validum ſit, quoties duo teſtes pro eodem neceſſarii, jure civili inhabiles ſint ad teſtificandum; Vide Fagnanum *in cap. cum eſſes 10. de teſtam.* quamvis ipſe ſentiat affirmative. An vero ſatis probabile ſit non eſſe attendendum teſtamentum, ſeu Legatum pium, ſi non interfuerint duo teſtes, quamvis alias conſtet de mente Teſtatoris, videndum eſt apud Authores, cum non d ſint qui velint duos teſtes requiri, non ſolum quoad probationem, ſed etiam quoad ſubſtantiam teſtamenti, ſeu legati pii. Ego utique ſemper reputavi ſuſtinenda eſſe talia legata, ut dixi ſupra & affirmat ut videre eſt *part. 8. dec 166.*

IV. Non præceps ſit Confeſſarius in judicando aliquod teſtamentum, ſeu legatum factum fuiſſe ad pias cauſas, etſi in teſtamento legatur Teſtatorem intendiſſe facere opus pium vel adſint alia verba, quæ indicare videantur opus ſpirituale, ſeu motivum. Cum igitur hujuſmodi apponi potuerint ex ſolitis Notariorum formulis, ut Confeſſarius bene judicet, attendere debet, an vere Teſtator reſpexerit opus ſpirituale, ſeu habuerit motivum ſpeciale in hærede inſtituendo, vel in legato faciendo. Hinc certo certius credidi non eſſe reputandum vere pium quoddam legatum relictum pro nubendis quibuſdam determinatis puellis, quod tamen ita diſtribuendum diſpoſuerat Teſtator, ut illud promiſcue conſequi poſsent puellæ pauperes, & divites; quin immo accidere poterat quibuſdam annis ſolummodo illud puellas divites conſequi. Attenta ergo hujuſmodi diſpoſitione, manifeſtum erat Teſtatorem non contemplaſſe pauperes ſublevare, ſed ſolummodo favere puellis illius ſtatus, pro quibus reliquerat legatum. Quod ſi non contemplatus fuerat pauperes puellas ſublevare, ſed talis determinati ſtatus, puta puellas nobiles, vel pauperes eſſent, vel non, remanet ipſius legatum vere non fuiſſe pium, quamvis pium dixerit Notarius, ſimulque etiam titulo eleemuſynæ a Teſtatore fuiſſet relictum.

V. Debet etiam diligenter advertere Confeſſarius, qua ratione fuerit imperfectum teſtamentum, ſeu legatum pium; nam ſi fuit imperfectum propter voluntatem non omnino determinatam Teſtatoris, omnino corruit. Id evenit, ut ſupra innui, quando Teſtator nondum proponit determinate ſuam voluntatem ut adimplendam, ſed tantum loquitur, & proponit quod expediat ipſi facere. Ut ſi diceret, dum faciam teſtamentum opto, cogito hæc, vel illa relinquere, ſeu legare pauperibus, Eccleſiæ &c., ita enim dicendo non explicat determinate ſuam voluntatem modo eſſe, ut ea dentur pauperibus, Eccleſiæ &c. ſed exprimit ſuam intentionem de iis, quæ facere intendit, dum faciet teſtamentum; fortaſse poſtea non ita feciſſet. Dum igitur ita ſe geſſit Teſtatur, etſi adſint duo teſtes, non ſatis probatur de facto pium legatum inſtituiſse; adeoque non debet Confeſſarios hæredis conſcientiam torquere, quaſi ad illius ſatisfactionem teneatur.

CAPUT III.

De iis, qui poſſunt, vel non poſſunt facere Teſtamentum.

Q. I. QUinam poſſint facere Teſtamentum.

R. I. Cum jure naturæ & gentium conſentaneum ſit ut unuſquiſque de rebus, quarum habet dominium, diſponere poſſit, ſequitur eodem jure unicuique competere, mediante teſtamento, de rebus ſuis diſponere, ejuſque voluntatem eſse attendendam. Hinc *leg. ex facto 43. princ. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* dicitur unicuique habenti uſum rationis competere teſtamenti factionem; cui concordat *leg. 1. C. de SS. Eccleſ.*

Q. II. Quinam ab ipſa natura prohibeantur facere teſtamentum

R. I. Omnes illi, qui carent uſu rationis, a natura prohibentur facere teſtamentum; neque etenim valide quis poteſt diſponere de aliqua re, niſi per actum humanum, cujus actus ſunt incapaces carentes uſu rationis. Ita enim ſancitur. *Inſtit. quibus non eſſe permiſſum facer. teſtam. leg. 2. qui teſtam. facere &c. & leg. in a diverſa 17. ibid.* Advertere tamen eſt aliquos ita eſſe ſtultos, ſeu furioſos, ut lucida habeant intervalla, quo tempore ſi diſponant de rebus ſuis, utpote quia id faciunt per actum humanum, teſtamentum erit validum: *Inſt. quibus non eſt permiſſum §. 1., leg. furioſam 9. qui teſtam. facere &c.* Oportet tamen non ſolum incæpiſse facere teſtamentum tempore ſerenæ mentis, ſed etiam non rediiſse ad inſaniam, uſquedum compleverit ipſum teſtamentum, alias tota diſpoſitio corruit ſaltem quoad profana: *arg. leg. 20. §. 4. ff. qui teſtam. facere &c. & leg. furioſum 9. cit.*

Quod ſi dubium inſurgat, an Teſtator fuerit ſanæ mentis, tunc obſervandum eſt, an a longo tempore fuerit amens, ſeu potius a modico tempore & per accidens. Si primo modo, in dubio præſumitur inſanus; nam per accidens eſt hujuſmodi ſtultos ad ſanitatem mentis redire, & accidentia non præſumuntur. ſed debent probari. Si ſecundo modo, in dubio præſumetur ſanæ mentis; nam natura facit homines ſanos: unde qui ad modicum tempus amiſit uſum rationis, non cenſetur in illo perſeverare.

R. II. Muti ſimul & ſurdi a nativitate ſunt incapaces faciendi teſtamentum, neque enim qui tales ſunt, aliquando ſcire aliquid potuerunt de rebus, quæ alias ad ipſos pertinerent; & ulterius cum loquela careant, exprimere haud poſſunt propriam voluntatem. Si vero tales effectus ſint per accidens in decurſu vitæ, tunc ſi ſcribere valeant, & ita manifeſtare ſuam voluntatem, condere poſsunt teſtamentum *§. Item ſurdus 3. Inſtit. quib. non eſt permiſſum facere teſtam. leg. qui in poteſtate 6. §. 1. ff. qui teſtam facere &c. & leg. diſcretis 10. C. eod.* Vi ultimæ hujus legis conceditur facere teſtamentum muto a natura, ſi tamen ſurdus non ſit, & ſcribere valeat; & e contra ſurdo a natura, vel per accidens, ſi mutus non ſit, & loquela exprimere poſſit ſuam voluntatem, quamvis contrarium antea ſancitum fuiſse: *leg. ſi mutus, aut ſurdus 7., leg. filius familias 16. de teſtament. Laym. l 3. tr. 5. c. 3. n. 2.*

Q. III. Quinam a Jure prohibeantur facere teſtamentum.

R. I. Impuberes ſunt incapaces teſtandi, quia in eis judicium ſufficiens non præſumitur: *leg. ſi frater 4. C. qui teſtament. &c. leg. leg. a qua ætate 5. ff. qui teſtam. facere &c.* Neque ad valorem teſtamenti impuberi ſufficit authoritas Tutoris, cum ultima voluntas non debeat ab alieno arbitrio pendere: *argum. leg. illa 32. ff. de hæred. inſtit.* Item teſtamentum factum ab impubere non convaleſcit, etſi pubes moriatur. *leg. ſi filius fam. 19. ff. qui teſtament. facere &c.* attenditur enim tempus, quo fuit factum. *leg. 2. ibid.* & ulterius *quod ab initio non ſubſiſtit tractu temporis non convaleſcit. reg. 18. de reg. jur. in 6.* Verum tamen eſt non oportere tempus pubertatis debere eſſe completum in toto rigore, & de momento in momentum, ut attendi ſolet in odioſis, in materia e. gr. præſcriptionis: *argum. leg. in omnibus 5. ff. de diverſ. temp. præſcript.*, ſed ſufficit ſi dies ultima cœpta ſit: *argum. leg. a qua ætate 5. ff. qui teſtament. facere &c.*; & eo maxime quia factio teſtamenti favorabilis reputatur: *leg. in teſta-*

teſtamentis 12. *ff. de reg. jur.* & in favorabilibus dies cœpta habetur pro completa: *l.* 2. *ff. de manumiſſ.*

R. II. Filiusfamilias adhuc conſtitutus ſub patria poteſtate etiam de conſenſu Patria teſtari haud poteſt de bonis profectitiis, & etiam adventitiis, bene vero de caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus: *princ. Inſt. quibus non eſt permiſſum.* Et hoc verum eſt etiam de bonis adventitiis, quorum uſusfructus non pertinet ad Patrem: *leg. penult. & ult. C. qui teſt. facere &c.*

R. III. Prodigi, quibus interdicta eſt adminiſtratio bonorum, prohibentur facere teſtamentum: *§. Item* 2. *Inſtit. quibus non eſt permiſſum, & leg. is cuj.* 18. *ff. qui teſt. facere.* Ea his tamen juribus deducitur valere teſtamentum Prodigi, non ſolum factum ante prodigalitatem, ſed etiam antequam quis prodigus fuerit declaratus, cum inhabilitas ad teſtandum proveniat ex interdictione judiciali.

R. IV. Jure etiam teſtari prohibentur, qui quædam crimina commiſere. Hujuſmodi ſunt qui damnati fuerunt ob libellum famoſum, vulgo *paſquillum*: *leg. is cui* 18. *§.* 1. *ff. qui teſt. facer.* Damnati ad mortem naturalem, vel etiam civilem, ut ejecti in perpetuum exilium, vel damnati ad perpetuum carcerem: *arg. l. ejus qui* 8. *§.* 1. *ff. qui teſt. facer. leg. ſi* 6. *§.* 1. *ff. de injuſt. rupt. Auth. relegatus ff. de interd. & releg.* Verum tamen eſt modo ſtandum eſſe conſuetudini locorum: *Laym. lib.* 3. *tr.* 5. *cap.* 3. *num.* 2. Item teſtari prohibentur Rei criminis læſæ majeſtatis, qui nempe moliuntur aliquid hoſtile contra Principem Supremum, vel ejus Conſiliarios: *l. quiſquis* 3. *C. ad l. jul. majeſt.* Publici etiam uſurarii Teſtamentum nullum eſt, ni ante mortem faciat reſtitutionem, vel cautionem præſtet de ea facienda: *cap. fin. de Uſur. in* 6. Item teſtari prohibentur Hæretici: *l. Manichæos* 4. *& l. Ariani* 5. *Cod. de hæret.* Sicut & eorum receptores, defenſores, & fautores: *Auth. credentes C. eod. & cap. excommunicamus* 13. *§. Credentes de hæret.* Demum teſtari non poſſunt, qui Cardinalem hoſtiliter inſequuti ſunt, ceperunt, vel percuſſerunt, ſeu ad hoc fuerunt cooperati: *cap. felicis* 5. *de pœn. in* 6.

Q. IV. An qui jure inhabiles ſunt ad teſtandum, teſtari valeant ad cauſam piam.

R. Dummodo a natura ad teſtandum ſint capaces, poſſunt facere teſtamentum ad cauſam piam. *arg. leg.* 1. *C. de de SS. Eccleſ.*, nam ibi per ſpeciale privilegium conceditur unicuique facultas teſtandi ad cauſam piam: non eſſet autem privilegium ſi ſolum talis facultas reſpiceret eos, qui alias jure ſunt habiles; *Riccius in praxi reſol.* 8. Præterea, ut ſæpe dictum eſt, teſtamentum ad cauſas pias non regulatur ſecundum jus civile: *argum. cap. relatum de teſtam.* unde nil obſtat inhabilitas inducta per legem, ut aliquis poſſit ad cauſam piam teſtari. Oportet tamen Teſtatorem habere perfectum dominium bonorum, de quibus teſtatur, alias non poſſet ſine præjudicio tertii teſtari. Ita filiusfamilias neque ad cauſam piam teſtari poterit de bonis profectitiis neque de adventitiis, dum uſusfructus pertinet ad Patrem. Qui pariter a jure probibetur teſtari ob aliquod delictum inducens confiſcationem bonorum, ut eſt delictum hæreſis, non poteſt de iiſdem teſtari etiam ad cauſam piam in præjudicium fiſci; neque enim SS. Canones privilegia concedunt cum præjudicio tertii: *arg. fin. de ſepult. in* 6.

Q. V. An licita, & valida ſint teſtamenta Clericorum.

R. Suppoſito Clericum beneficiarum poſſe licite, & valide teſtari de bonis patrimonialibus, & parſimonialibus, de quibus alibi dictam eſt, tota difficultas reducitur ad hoc, an valide teſtari poſſit de bonis beneficialibus, quæ ſuperſunt ipſius congruæ ſuſtentationi. Cæterum apud me certum eſt illicite hoc facere ad cauſas profanas, unde ita facientes dicuntur committere rapinam in pauperes, & ſacrilegium; *can. quoniam* 17. *q.* 1., & faciunt contra præceptum Tridentini *ſeſſ.* 15. *c.* 1.

Quamvis igitur non pauci aſſerant Clericos beneficiatos poſſe valide teſtari ad cauſas profanas, nihilominus mihi fere evidens eſt opinio contraria, quam tuentur DD. magni nominis: *Pirhing. de teſtament. num.* 42. *Layman. l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. *Engel. in Man. Paroc. p.* 4. *cap* 4. *num.* 29., *& teſtam. num.* 6. Ratio autem eſt, quia de jure Clerici prohibentur teſtari de fructibus beneficiorum etiam ad cauſas pias, cum in talia bona ſuccedere debet Eccleſia: *cap. quia nos, cap. relatum* 2., *cap. cum in officiis de teſtam.* Solum ergo contra jus inhabilitans eos ad teſtandum valide teſtari poſſent, quando contra tale jus prævalere potuiſſet conſuetudo in contrarium. Id autem numquam ſatis percepi quomodo poſſit verificari; nam ea ſola conſuetudo attenditur, quæ eſt rationabilis: *cap. fin. de conſuet.*, & rejicitur omnis conſuetudo præbens occaſionem peccandi: *arg. cit. cap. fin.*, *cap. ex parte de conſuet. cap. extirpandæ de præb. cap. cum in Eccleſ.* 9. *de ſim.*, *& cap. fin. de præſcript.* In caſu autem noſtro, & ipſis adverſarii communiter non contradicentibus, conſuetudo teſtandi ad cauſas profanas, non ſolum præbet occaſionem peccati, ſed & ipſa peccatum eſt; adeoque ea ex Clerici nullam aſſequi poterunt teſtandi facultatem.

Neque dictis obſtat Clericos beneficiatos dominos eſſe fructuum ſuperfluorum beneficialium, adeoque poſſe eos valide teſtari, quamvis illicite, utpote quia ſunt bona Deo conſecrata, & proinde jure divino pauperibus, vel aliis piis operibus debita. Non, inquam, id obſtat, tranſmiſſo etenim Clericos Beneficiatos dominos eſſe prædictorum fructuum, de qua re vide quæ dixi *tract.* 13. *quæſt.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 2., nihilominus a jure inhabiles redduntur teſtandi. Solum ergo talem facultatem obtinere poſſent vi conſuetudinis prævalentis contra jus, quod licet verificari poſſit quoad teſtamenta ad cauſas pias, quia talis conſuetudo non eſt irrationabilis, minime tamen quoad teſtamenta ad cauſas profanas; quia eſt irrationabilis, immo actu peccaminoſa; *Mol. diſp.* 147. *num.* 25. *Laym. loc. cit.*

Ex his conſtat etiam non poſſe habere hic locum illud commune effatum, multa ſcilicet valida eſſe, quamvis illicita; nam id verificatur quando aliquid ex ſe habet quidquid jure naturali, vel humano requiritur ad ſui valorem, quamvis ex aliquo alio capite contineat peccatum: ut evenit quando quis contra fidem priorum ſponſalium, contrahit cum alia matrimonium per verba de præſenti. At quando validitas actus pendet a conſuetudine, nullatenus ſubſiſtit, ni ſimul ſit licita, ut dictum eſt.

Q. VI. An Religioſi poſſint teſtari.

R. Extra controverſiam eſt Religioſos ſolemniter profeſſos, cum nil proprium poſſideant ratione voti paupertatis, non poſſe facere teſtamentum. *can. quia ingredientibus* 7. *cauſ.* 19. *quæſt.* 3. *Auth. ingreſſi Cod. de SS. Eccleſ.* Neque etiam teſtari poſſunt, accedente conſenſu Superioris; cum etenim & ipſe non poſſit teſtari, non poteſt transferre in alterum plus juris, quam ipſe habeat, ut *ex reg.* 79. *de reg. jur. in* 6. Præterea cum pertineat ad Monaſterium quidquid habet Religioſus, & non ad Superiorem, iſte non poteſt dare facultatem de talibus bonis teſtandi.

Novitii autem ante profeſſionem plenam habent poteſtatem teſtandi, utpote qui nondum voto paupertatis ſeſe dominio expoliarunt: *arg. auth. nunc autem C. de Epiſc. & Cler.*, *can. ſi qua mulier* 9. *cauſ.* 12. *quæſt.* 3. Neque quoad hoc neceſſarius eſt conſenſus Epiſcopi, vel Vicarii Generalis; nam quando illum requirit Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 16. loquitur de diſpoſitionibus inter vivos, quibus Novitius ſtatim privatur bonis temporalibus, & ita amittit libertatem ad ſæculum redeundi.

Si autem Novitius fecit teſtamentum, obſervandum eſt, an ingreſſus ſit in Religionem capacem bonorum temporalium, nec ne. Si primum, Monaſterium frui poteſt bonis Teſtatoris uſque ad ipſius mortem, poſt quam hæreditas tranſit ad hæredem inſtitutum. Si ſecundum, ſtatim poſt Profeſſionem tranſit ad eumdem hæredem: *Laym. leg* 3. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 3., *Sanch. l.* 6. *Sum. cap.* 11.

Regulæ in praxi attendendæ.

I. Cum noſtræ Monicipales leges valde coarctaverint mulieribus facultatem teſtandi, placuit hic adnotate quæ circa hoc ſtatuerunt, ut Parocus videat quid tuta conſcientia fieri poſſit.

Si igitur mulier obierit ſine filiis infra annum a die, quo cum viro cœperit habitare, Vir lucratur medietatem dotis, & corredorum; ſi poſt annum, duas ex tribus tam dotis, quam corredorum. Primo tamen tra-

trahendæ ſunt expenſæ funeris ex cumulo dotis, & corredorum. Quarta pars eorum, quæ ſuperſunt iis, quæ lucratur vir, danda eſt hæredibus, qui mulieri ſuccederent ab inteſtato. De reliquo diſponere poteſt ipſa mulier. Exemplo res fiet clarior. Demus mulierem decedentem ſine filiis habuiſſe pro dote ſcuta 410. Si expenſæ funeris aſcenderunt ad decem ſcuta, hæc detrahenda ſunt ex cumulo, atque ita ſuperſunt ſolum ſcuta 400. Horum medietatem lucratur vir, ſi mulier decedat infra annum, ut ſupra dictum eſt, adeoque remanent ſolum ſcuta 200. Horum ſcutorum 200. quarta pars, nempe 50., ſolvenda eſt iis, qui ſuccederent ab inteſtato; unde mulieri remanet facultas teſtandi ſolum 150., ex quibus ſolvenda ſunt quæ relinquit legata, ne forte vir patiatur ex toto cumulo ſolvi, ex quo tamen nullum præjudicium inferri poteſt hæredibus ab inteſtato, ita ut ſemper conſequi debeant quantum dictum eſt. Ubi etiam advertas, quod ſi qui dotavit mulierem, ſtipulatus fuerit poſt ejus mortem ſibi fore reſtituendam, tale pactum habetur pro non adjecto, ſi de jure tenebatur dotare. Si vero non tenebatur dotare, tale pactum validum eſt quoad partem, quam potuiſſet mulier teſtari, at quoad Virum nullius eſt momenti.

Si vero prædicta mulier habeat alia bona extra dotem, poterit de iiſdem teſtari, relicta tamen ſemper quarta parte hæredibus ab inteſtato; *l. 2. Statutor. c. 19.*

II. Si Mulier deceſſerit in matrimonio, & filios ex uno tantum matrimonio reliquerit, tunc ſi reliquit filios tantum ex ſecundo matrimonio, filii ſi adſint, & in ipſorum defectu filiæ, conſequuntur tres ex quatuor partibus dotis, & corredorum, excluſo Viro ab omni lucro, qui tamen habere debet uſumfructum bonorum, quæ conſequuntur filii. Matri vero ſolum relinquitur poteſtas diſponendi de quarta parte. Quod ſi filii, vel filiæ reſpuant hæreditatem Matris, tunc conſiderantur ac ſi non extarent; unde de Matris hæreditate loquendum tunc eſt, ſicuti in regula ſuperiori.

Si vero mulier filios tantum habuerit ex primo matrimonio, Vir ſupervivens lucratur quantum dixi lucrari Virum in ſuperiori regula. Quod ſupereſt, pertinet ad Filios, vel Filias, Neptes, aut Nepotes prioris Matrimonii, ſervato ordine ſucceſſionis ab inteſtato. In hoc igitur caſu nil remanet dotis, aut corredorum, de quo mulier poſſit diſponere. Solum ergo liberum illi eſt teſtari de bonis extradotalibus, ſi quæ habeat, relicta tamen ſemper legitima hæredibus ab inteſtato, ut dicetur in regulis capitis ſequentis: *l. 2. cap. 20.*

III. Cum agatur de muliere, quæ filios habuerit ex diverſis matrimoniis ſciendum eſt, ad filios, ſeu filias ultimi matrimonii pertinere duas ex tribus partibus dotis, aut corredorum, alteram vero partem pertinere ad filios matrimoniorum præcedentium, atque ideo nihil ſupereſt dotis, & corredorum, de quo mulier poſſit diſponere. Ubi obſervandum maſculos in prædicta ſucceſſione excludere fœminas ex eodem Patre, ac Matre prognatas, non vero ex diverſo matrimonio; ac proinde maſculus ſecundi matrimonii non excludit fœminam primi matrimonii.

Præfata igitur mulier poterit ſolum teſtari de bonis extradotalibus, & de augmento dotis ſi quod illi factum fuerit in ſecundo matrimonio. Quis tamen ſemper relinquere debet legitimam filiis, vel filiabus prout capite ſequenti, obſervandum quod ſi maſculi exiſtant ex diverſis matrimoniis, hi tantum numerandi ſunt, tamquam eſſent nati ex eodem conjugio, & juxta ipſorum numerum legitima computanda. Si vero ſolæ exiſtant fœminæ ex diverſis matrimoniis, conſiderandæ ſunt quaſi natæ eſſent ex eodem conjugio, atque legitima computanda prout dicetur in regulis capitis ſequentis. Demum ſi ex uno matrimonio ſint maſculi, & ex altero fœminæ fœminæ veluti maſculi ſunt numerandi, atque juxta talem numerum taxanda legitima. Prædicta verificantur, ſi mulier voluerit teſtari. Dum vero inteſtata decedat, filii, & filiæ plurium matrimoniorum in caput ipſi ſuccedunt, & ſolummodo fratres excludunt Sorores utrinque conjunctas. Dum vero filius, vel filias in defectu fratris germani ſuccedens prædeceſſerit, tunc ſuccedunt in ſtirpem eorum filii Patrem, vel Matrem reſpective repræſentantes; *lib. 2. cap. 21.*

IV. Mulier Vidua, quamvis habeat filios, poterit teſtari de omnibus bonis quocumque modo ad ipſam pertinentibus, ac ſi eſſet Viri, relicta filiis convenienti legitima, prout dicetur capite ſequenti;. Nec refert habuiſſe filios ex diverſis matrimoniis; nam conſiderandi ſunt ac ſi ex eodem eſſent nati; *lib. 2. cap. 22.*

Quod ſi mulieri viduæ nunquam filii fuerunt, vel ſi fuerint, prædeceſſerint abſque deſcendentibus, tunc teſtari poterit de tribus ex quatuor partibus tam dotis, quam aliorum bonorum; quartam vero obtinebunt ſuccedentes ab inteſtato. Prius tamen e cumulo hæreditatis expenſæ funeris ſunt extrahendæ: *cap. 23.*

V. Quoad bona mulieris innuptæ prius ex toto cumulo detrahendæ ſunt expenſæ funeris. Ipſa vero poteſt tantum de tertia parte teſtari, ſi habeat Fratres, vel Sorores, vel Fratrum filios & filias, qui tamen ſuccedere debent in aliis duabus partibus juxta ordinem ſucceſſionis ab inteſtato. Si non extant prænominatæ perſonæ, dicta mulier poterit de medietate teſtari ſuccedentibus in alteram hæredibus ab inteſtato: *l. 2. cap. 23.*

VI. Evenit multoties, maxime apud nos, mulieres ex municipali noſtro ſtatuto, inhabiles ad teſtandum niſi de tertia, vel quarta parte ſuorum bonorum, aliqua prope mortem tradere Confeſſario, vel alteri, ut in ſuffragium animæ impendantur, & id ultra eam partem, de qua teſtata eſt in ejuſdem animæ ſuffragium. Hoc aliquibus injuſte fieri viſum eſt, cum ita diminuatur pars, quæ vi ſtatuti debetur ſuccedentibus ab inteſtato. Ego autem in hoc caſu puto Confeſſarium diſtinguere debere. Si igitur ea pars, de qua diſponere potuit mulier, tanta ſit, ut rationabiliter reputetur, attenta ejuſdem mulieris qualitate, conſuluiſſe animæ ſuæ, tunc puto non poſſe occulte aliquid tradere Confeſſario, vel alteri; & attendenda illa ratio, qua S. Canones non permittunt teſtari etiam ad cauſam piam cum præjudicio tertii. Si vero modica ſit, ut totum pro anima ſua impendat, conveniens eſſet, ut per eam animæ ſuæ conſulat, tunc poteſt occultare quod habet; ſi etenim numquam præſumi poteſt Leges velle mihi adimere quod meæ ſuſtentationi neceſſarium eſt, ita multo minus quod pro animæ ſuffragio conveniens judicatur.

Demus aliquam pauperem fœminam ſua induſtria, & labore triginta e. g. ſcuta ſibi comparaſſe, de quibus, quia innupta, non valeat niſi tertiam partem teſtari, quis non videat numquam potuiſſe intendere legem eam in præjudicium animæ ſuæ mediocri hac pecunia quoad duas integras partes expoliare? Siquidem demptis expenſis funeris, ac medicinalibus, nonniſi mediocris ſupereſt ſumma ſaltem pro majori parte convenientiſſime in animæ ſuffragium impendenda. In ſimilibus igitur caſibus non nimis ſcrupuloſe agat Confeſſarius, ſed per juſtam epikejam interpretetur legem non habere locum, ni prius adimpleatur, quod juxta ſtatus qualitatem judicatur conveniens pro ſuffragio animæ.

VII. Moneat Confeſſarius hæredes Eccleſiaſticorum maxima probabilitate gaudere eam opinionem, quæ aſſerit ipſos non poſſe valide teſtari de ſuperfluis bonorum beneficialium. Dum igitur agatur de hæreditate alicujus Plebani, Rectoris, & cujuſcumque alterius Clerici beneficiati, qui in elargiendis eleemoſynis, & in ornanda ſua Eccleſia, vel Altari valde fuerint avari, cum tunc præſumi ordinarie non poſſit hæreditatem de bonis patrimonialibus, vel parſimonialibus conſtare, monendi ſunt hæredes adeſſe opinionem validis rationibus innixam, nec valide potuiſſe de ſuperfluis beneficialibus teſtari, adeoque ipſos juxta eam teneri ad reſtitutionem. Quod ſi adhuc contrariæ adhærere velint ſententiæ, cui etiam multi ſuffragantur DD., enixe hortandi ſunt ut ſaltem non exiguam hæreditatis partem in pauperes diſtribuant; experientia etenim conſtat ſimiles hæreditates funditus domos evertere. Sed proh dolor! Dum ſimiles Beneficiati &c. igne cruciantur æterno, hæredes ex bonis ſibi relictis lætos dies hic tranſeunt, fortaſſe & ipſi poſtea eodem igne concremandi.

C A-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Hæredibus, eorumque Inſtitutione, & obligationibus; & de Legitima, Falcidia, & Trebellianica.

Q. I. Quomodo inſtituendus ſit hæres.

R. Inſtitutio hæredis fieri poteſt quibuſcumque verbis, dummodo ex eis ſatis conſtet voluntas Teſtatoris: *leg quoniam 45 C. de teſtam.* Ita Cajus ſufficienter intelligeretur inſtitutus hæres, ſi dixiſſet Teſtator omnia bona ſua ipſi relinquere exceptis certis legatis: vel poſt ſuam mortem omnia bona ſua ad ipſum ſpectare. Ad dirimendas nihilominus lites, melius erit ſi Teſtator expreſſo nomine hæredis, deſignet illum, quem vere vult hæredem inſtituere.

Q. II. Quinam inſtitui poſſint hæredes.

R. Ni jure ſpecialiter prohibeantur, omnes homines inſtitui poſſent hæredes, & ipſæ etiam integræ Communitates, ſicut & Cauſæ piæ, & profanæ: *arg. leg. non juris 31. ff. de hæred. inſtit. & princ. Inſtit. ead.* Dixi, ni jure ſpecialiter prohibeantur; nam ut paſſim videre eſt apud DD., ratione quorundam criminum quidam hæredes inſtitui non poſſunt. Hujuſmodi ſunt Communitas Judæorum: Hæretici, eorumque receptores, & defenſores: Apoſtatæ a Fide Chriſtiana: Liberi rebellium, & perduellium: Percuſſores, & perſecutores Cardinalium: Rei criminis læſæ Majeſtatis: Spurii ex damnato coitu, ut infra etiam dicetur: Occiſores Teſtatoris, & quidam alii de quibus paſſim Authores. Verum tamen eſt, quod qui privantur hæreditate, vel legato ratione alicujus delicti, non tenentur hæreditatem, vel legatum dimittere ante Judicis ſententiam: *Leſſ. l. 2. c. 19. d. 5. c. 51. Sanch. in Sum. l. 2. c. 14. num. 31.*

Sunt quædam Communitates, quæ hæredes inſtitui nequeunt, utpote quia neque Communitas aliquid poſſidere poteſt, ut ſunt Religioſi Sancti Franciſci profitentes ſtrictiſſimam paupertatem, Obſervantes nempe, Reformati, & Capuccini: *Clem. exivi de v. ſig. §. Quia igitur.* Poteſt tamen illis Teſtator aliquid relinquere titulo eleemoſynæ, ut deſerviat pro fabrica, ornamento Altaris, vel Eccleſiæ &c. Reliquæ Religioſorum Communitates poſſunt hæredes inſtitui; & ſi hæres inſtituatur Religioſus particularis, ſtatim jus acquiritur Monaſterio, cum Religioſus particularis nullum jus proprium habeat.

Q. III. Qui ſint hæredes neceſſarii.

R. Hæredes neceſſarii dicuntur illi, quos Teſtator debet neceſſario inſtituere ſaltem in legitima, vel eos nominatim exhæredare, expreſſa cauſa exhæredationis: quod ſi non inſtituantur ſaltem in legitima, vel nominatim exhæredentur, irritum eſt Teſtamentum: *Novella 115, cap. 3.* Iſti hæredes neceſſarii ſunt filii legitimi, & in defectu ipſorum Nepotes Pronepotes, cæterique Deſcendentes in linea recta. Si adſint iſti Deſcendentes, Aſcendentes, nempe Pater, Avus, Proavus, non ſunt hæredes neceſſarii: *Novella 418. cap. 1.* bene vero ſi deſint Deſcendentes.

R. II. Fratres, & Sorores non ſunt hæredes neceſſarii, ſed Teſtator poteſt omnino illos omittere, neque enim ullo jure ſancitur hæredes eſſe inſtituendos: *Molin. d. 163. Lugo diſp. 24. n. 174.* Quod ſi turpis perſona inſtituta ſit hæres, poſſunt fratres, & ſorores, dummodo non ſint tantum uterini, ſolummodo teſtamentum impugnare per querelam inofficioſi teſtamenti: *leg. fratres 27. C. de inoff. teſtam., & Inſtit. eod. tit. in princ. v. ſoror autem.* Perſona autem turpis eſt perſona infamis infamia juris: *leg. 1. & ſeq. ff. qui notantur infamia, & l. 2. & tot. tit. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.*, vel infamia facti, quam ſcilicet inquinat turpitudo vitæ, & morum: *leg. ea quæ 13. C. eod., leg. 5. Cod. de Dignit.* Hujuſmodi ſunt Concubinarii, Meretrices, Mimi, Lenones, bonorum dilapidatores, aliique malæ famæ apud probos.

Q. IV. An filii illegitimi ſint, vel poſſint hæredes inſtitui.

R. I. Filii illegitimi alii naturales dicuntur, alii ſpurii. Qui procreati ſunt a Parentibus, inter quos tempore conceptionis non erat impedimentum dirimens matrimonium, licet eſſe poſſet impediens, dicuntur illegitimi naturales; qui vero ſunt procreati a parentibus, inter quos erat impedimentum dirimens, ut ſi Pater erat Sacerdos, ſi erant conſanguinei, vel affines intra quartum gradum, dicuntur ſpurii: *Sanch. l. 9. de matr. d. 38. n. 4. Lugo d. 24. ſect. 6. n. 83.* His poſitis.

Si deficiant filii legitimi, poſſunt naturales inſtitui a Parentibus hæredes univerſales, relicta legitima Aſcendentibus: *leg. licet Cod. de fil. natural., Auth. de hæred. ab inteſt. Novell. 118.* Si deficientibus filiis legitimis, illegitimus a Patre non inſtituatur hæres, ſuccedit in ſexta parte: *Auth. de hæred. ab inteſt., Molin. diſp. 116. Reginal. l. 25. n. 626.* Si adſint filii legitimi, & Pater moriatur inteſtatus, tunc illegitimus non ſuccedit in ſexta parte, quamvis hæres inſtitui potuiſſet in duodecima parte: *Leſſ. l. 2. c. 19. d. 6. n. 74.* De naturalibus legitimatis nil dicam; conſtat etenim ex unanimi DD., eſſe hæredes neceſſarios eodem modo ac legitime natos.

Loquendum autem aliter eſt in ordine ad maternam hæreditatem. Si igitur Mater non habeat prolem legitimam, filius naturalis ab inteſtato ſuccedit in tota hæreditate; ſi vero habeat, æqualiter ſuccedit cum illis: *leg. ſi qua illuſtris C. ad S. C. Offic.* Si Mater conficiat teſtamentum, filius naturalis, utpote hæres neceſſarius ipſius, præteriri non poteſt, vel debet nominatim exhæredari: *Leſſ. modeſtinus 8. ff. unde cognati, leg. 1. §. Sed & vulgo ff. ad Tertyll.*

R. II. Filii ſpurii neque ex teſtamento, neque quocumque alio modo poſſunt aliquid ex bonis paternis obtinere: *leg. licet C. de natural. liber., & Auth. ex complexu C. de inceſt. nupt.* Idem communiter dicitur quoad bona Matris, quamvis non adſit alia proles legitima; leges enim loquuntur de filiis naturalibus, non vero ſpuriis: *Mol. d. 167.* Quamvis autem jure civili ſpurii etiam alimentis priventur, id tamen utpote contra jus naturæ jure canonico correctum eſt: *cap. cum haberet 5. de eo, qui duxit in matr.* Et quia dos ſuccedit loco alimentorum, iſta danda eſt filiæ ſpuriæ etiam a Patre Sacerdote: *Navarr. in cap. non liceat §. 19. n. 11. & 14.*

Alimentis exceptis, ſpurius nil poteſt recipere a Patre, quia leges illum inhabilem reddunt; & peccat graviter ipſe recipiendo, & Pater tradendo, quia faciunt contra juſtiſſimas leges in pœnam tanti delicti id prohibentes. Quod ſi aliquid illi relinquatur, vel donetur a Matre, cum Leges expreſſius id prohibeant Patri, quam Matri, adeſt ſententia probabilis poſſe a ſpurio retineri, donec expolietur a Judice: *Leſſ l. 2. c. 19. d. 6. n. 66., Trull. l. 7. c. 8. d. 7. n. 6. Lugo d. 24. ſect. 6. num. 92.*

Q. V. Qui ſint hæredes ab inteſtato.

R. Ab inteſtato prius ſuccedunt filii, poſtea Nepotes, & deſcendentes in linea recta. Quando ſuccedunt plures perſonæ ejuſdem gradus, ſucceſſio fit *in capita*, ita ut una non plus accipiat de hæreditate, quam altera; ut quando ſuccedunt plures fratres in hæreditatem Patris decedentis ab inteſtato. Quando vero ſuccedunt plures diverſi gradus, ſucceſſio fit *in ſtirpem*; hoc eſt, ii qui ſunt in gradu remotiori, quamvis multi ſint, non habent aliam portionem niſi eam, quam accepiſſet ille, cujus loco ſuccedunt, quamvis ipſi inter ſe eandem portionem dividant *in capita*. Exemplum ſit in Patre moriente ab inteſtato, qui habeat unum filium, & plures nepotes ex altero filio, iſti nepotes ſuccedunt in ſtirpem; quamvis enim multi ſint, non habent niſi medietatem hæreditatis, ſicut obtinuiſſet ipſorum Pater quem repræſentant: ipſorum vero Patruus, quamvis ſolus, recipit aliam medietatem. Si non adſint Deſcendentes in linea recta, ſuccedunt Aſcendentes, ita ut gradus proximior excludat remotiorem; Pater e. g. vel Mater excludunt Avum, & Aviam defuncti: *Novell. 118. cap. 2. Auth de hæred. ab inteſt. Auth. defuncto C. ad S. C. Tertyll., §. Item vetuſtas. Inſtit. de hæred. ab inteſt.* Ubi autem ſint Aſcendentes in gradu æquali, videntur etiam æqualiter admittendi ad hæreditatem, ſive ſint paterni, ſive materni; ita tamen ut non ſuccedant in capita, ſed in ſtirpes: *Novell. 118. c. 3.*

Advertere etiam eſt cum Aſcendentibus æqualiter ſuccedere fratres germanos, ac ſorores germanas Defuncti, hoc eſt, ex eodem Patre, & Matre, & ſucceſſio fit in capita; fiunt nempe tot portiones hæreditatis, quot ſunt perſonæ. Si ergo exiſtant Pater, & Mater Defuncti, vel his deficientibus, ipſius Avus, & Avia, ſimulque tres fratres, hæreditas dividenda eſt in quinque portiones: *Novel. cit., Covar. in Epitom. de ſuc. ab inteſtat.*

Demum deficientibus Deſcendentibus, & Aſcendentibus, ſuccedunt fratres, & ſorores, & his non extantibus, alii propinquiores per capita. Fratri igitur defuncto, primo ſuccedunt fratres ex utroque parente, ſive ipſorum filii repræſentantes proprios Patres, & ab his ex-

cluduntur fratres ex uno tantum parente. Excluduntur etiam cæteri collaterales; nam locum habent in ſucceſſione, ſi nulli exiſtant fratres, & ſorores Defuncti, nec liberi eorum: *Novell. cit.*

Concurrentibus ſimul fratribus conſanguineis, ex eodem nempe tantum Patre, vel uterinis, ex eadem nempe tantum Matre, ad aſſequendam fratris hæreditatem, volunt aliqui primos præferendos in bonis paternis, & ſecundos in maternis: *Molin. diſp.* 164. Verum quampluribus minime arridet hæc opinio, cum Novella citata æqualiter vocentur fratres conſanguinei, & uterini ad ſucceſſionem defuncti fratris. Et ratio etiam ſuffragatur; nam poſtquam bona pervenerunt in poteſtatem Defuncti deſierunt eſſe vel paterna, vel materna: unde non eſt locus quod in ſucceſſione potius præferantur fratres conſanguinei, quam uterini, vel e contra: *Engell. l.* 3. *tit.* 27. *n.* 1.

Si vero agatur de ſucceſſione fratrum ſpuriorum, & naturalium, ſi non ſint uterini, ſibi invicem non ſuccedunt, quamvis ſint ex eodem Patre, ſecus ſi ſint uterini: *leg.* 2. *&* 4. *ff. unde cognati*, *Covarr. in epit. p.* 2. *cap.* 8. *§.* 5.

Q. VI. Quæ ſint hæredis obligationes.

R. Hæres poſtquam ſcit ſe eſſe hæredem, habet tres menſes ad deliberandum, an acceptare velit hæreditatem, quo tempore non poteſt moleſtari a Creditoribus, & Legatariis: *leg. ult. Cod. de jure deliber.* Si hæreditas non ſit ſufficiens pro ſolvendis omnibus debitis, & hæreditas ſit præſens, debet intra 30. dies incipere inventarium, & intra alios 60. terminare; ſi vero ſit abſens intra annum: *leg. cit. §.* 2. *&* 3.

Si conficiat inventarium, ultraquamquod non poteſt moleſtari, ni poſtquam fuerit abſolutum, etſi hæreditas non ſit ſolvendo, poteſt detrahere falcidiam a legatis: *arg. leg. fin. cit. §. fin. autem*. Poteſt ſolvere cuivis Creditori liquido, nec tenetur inquirere quinam ſit præferendus: *leg. fin. §.* 5. *Cod. de jure deliber.* Si deficiat pecunia in hæreditate, poteſt cogere Creditores, ut accipiant res ipſas hæreditatis in ſolutum: *leg. fin. cit.* His omnibus privilegiis caret ſi non conficiat inventarium; & ulterius tenetur ſolvere Creditoribus & Legatariis, etiam ultra vires hæreditatis: *leg. cit.* Id autem ſolum attendendum pro foro externo ſuſtinent graves Theologi; ideo enim lex obligat hæredem non conficientem inventarium ad ſolvendum ultra vires, quia præſumit interceſſiſſe fraudem, & dolum; ſi ergo hæc abſint, in foro conſcientiæ non tenebitur ſolvere ultra vires: *Salmant. tr.* 14. *c.* 5. *n.* 151.

Altera obligatio hæredis eſt ſolvere omnia debita Defuncti, cum ſuccedat in omnia ipſius jura, ipſiuſque perſonam repræſentet: *leg. hæres in omni ff. de acquir. hæred.* Si plures ſint hæredes, unuſquiſque tenetur pro rata, ni alias Teſtator diſpoſuerit: *Salmant. cit. num.* 152.

Q. VII. Quid ſit Legitima, quibus relinquenda, & quo titulo.

R. Legitima eſt ea portio hæreditaria, quæ neceſſario relinquenda eſt hæredibus neceſſariis, de quibus ſupra dictum eſt. Illa autem deducenda eſt ex bonis Teſtatoris, detractis expenſis funeris, & ære alieno; quod enim aliis debetur, computandum non eſt inter bona Teſtatoris: *lib.* 39. *§. ff. de v. ſign.* Si autem filii non plures ſint quam quatuor, illis debetur pro legitima *triens*, hoc eſt, tertia pars hæreditatis; ſi plures ſint, debetur *ſemis*, hoc eſt, media pars hæreditatis: *Novel.* 18. *c.* 1. *Auth noviſſima C. de inoffic. teſt.* Si extent nepotes, legitima computanda eſt juxta numerum parentum ipſorum, ipſi vero ſuccedunt in ſtirpem, & non in capita. Si vero extarent non filii, ſed tantum nepotes ex filio, vel filia præmortua, in ordine ad computandam legitimam, faciunt tantum numerum, quantum ſi eſſent filii Teſtatoris; unde ſi plures ſint quam quatuor debetur *ſemis*, *triens* vero ſi non excedant hunc numerum. Vide etiam quæ dixi *q.* 11. *c.* 4.

Hic etiam advertere eſt quod ſi unus illorum, cui legitima debetur, aliqua habuerit a Teſtatore, quæ illi debita non eſſent, vel dici non poſſint donata juxta ea, quæ dicta ſunt *q.* 13. *c.* 3. *quæſ.* 5. vel condonata ſi abſtulerit, aut quæ pro eo Teſtator ſolverit, ſunt pro legitima computanda.

R. II. Hæc Legitima relinquenda eſt etiam Aſcendentibus, ſi deficiant Deſcendentes, quia tunc ſunt hæredes neceſſarii. Si tamen cum aſcendentibus ſimul inſtituantur hæredes fratres, vel ſorores Defuncti, legitima aſcendentium erit tantum tertia pars illius portionis, quam accepiſſent ab inteſtato. Demus e. g. hæreditatem continere 900. aureos, quia tunc, ſi defunctus habeat duos fratres, portio hæreditaria Patris illius, qui mortuus eſt ab inteſtato fuiſſent 300. aurei, hinc ſequitur legitimam ipſius non eſſe niſi tertiam partem 300. aureorum, ſi defunctus etiam fratres, vel Sorores inſtituit cum eo hæredes: *arg. Novell.* 18. *Tuſchus concl.* 183. *n.* 18.

R. III. Legitima relinquenda eſt titulo inſtitutionis, ſeu hæreditatis; & ſi relinqueretur alio titulo legati e. g., vel fideicommiſſi, poſſet teſtamentum annullari, ut conſtat ex jam dictis, & habetur *Novell.* 115. *cap.* 5. Poteſt aſſignari a Teſtatore in aliqua re certa, dummodo perveniat ad debitam quantitatem, & ſi non perveniat, expoſcere quis poteſt ſupplementum legitimæ: *Novel. cit.* Idem dicendum, ſi Teſtator vellet in legitimam computari quod dedit dum viveret, uti de facto poteſt, computando e. g. dotem pro legitima filiæ, ſicut quod dedit filio, dum viveret. Si igitur hæc non attingant portionem debitam pro legitima, poteſt agi pro illius ſupplemento.

Q. VIII. Quid ſit Falcidia, & Trebellianica.

R. Si Teſtator ſubjiciat omnem ſuam hæreditatem fideicommiſſo univerſali, hæres gravatus poteſt detrahere quartam partem totius hæreditatis, quæ, deducto ære alieno, & expenſis funeris, remanere debet hæredi gravato, & hæc dicitur *Trebellianica* a Trebellio Conſule, a quo prodiit Senatus Conſultum Trebellianicum ita diſponens: Si vero hæreditas nimis gravata ſit legatis, poteſt ſimiliter hæres ſcriptus, deducto ære alieno, & expenſis funeris, quartam partem hæreditatis detrahere proportionabiliter a ſingulis legatis in teſtamento relictis, & hæc dicitur *Falcidia* a C. Falcidio Tribuno Plebis, a quo primum hæc lex prodiit. Videatur *Inſt. de leg. Falcidia §. Quantitas autem* 2., *& §. Cum autem* 3. Ceſſat falcidia in legatis piis, ſi tamen non inſtituta ſit hæres cauſa pia; tunc enim poteſt falcidiam detrahere, neque etenim cauſa pia habet privilegium contra aliam: *Cov. cap. relatum* 1. *de teſtam. num.* 5. & communiter. Item ceſſat, ſi ita res legata ſit, ut in perpetuum non poſſit alienari: *Auth. ſed in ea re Cod. ad leg. falc.*

Lis eſt an detrahi prius poſſit in præfatis caſibus legitima, ac deinde ex hæreditate quæ remanet, Falcidia, & Trebellianica; & multi DD. cum *Gloſſa in cap. Raynutius*, *& cap. Raynaldus* cenſent affirmative, ea ducti ratione quod legitima jure naturæ debetur, Trebellianica vero ſeu Falcidia jure tantum civili.

De cauſis quibus filii poſſunt exhæredari, dictum eſt in quartum Decalogi præceptum.

Regulæ in praxi attendendæ.

I. Pars erit boni Confeſſarii admonere Teſtatorem, quod licet fratres, & ſorores non ſint hæredes neceſſarii, nihilominus rem Deo valde gratam facturum, illius potius opem ferendo, ſi juxta proprium ſtatum pauperes ſint, quam pro piis operibus proprias facultates relinquere. Et quidem cum regulæ charitatis velint etiam attendendum eſſe ad vinculum ſanguinis, quomodo Deo gratus eſſe poterit proprias facultates in alia pia opera diſtrahere, quando piiſſimum eſſet indigentibus fratribus, ſororibus, aliiſque proximis conſanguineis opitulari? Præcipue autem id ſuadere deberet, quando Teſtator præfatas perſonas ex quadam animali alienatione prætermitteret. Cæterum ſciat Confeſſarius Teſtatorem peccare graviter contra charitatem, ſi prætermittat fratres, & ſorores valde graviter indigentes, & ſaltem venialiter, ſi non graviter indigeant: *Lugo d.* 24. *n.* 175.

II. Advertat Confeſſarius Patrem ſpurii graviter peccare, ſi illi præter alimenta aliquid tribuat, vel in vita, vel in morte, ut ſupra dictum eſt. Facile hoc peccatum committere poteſt aliquis Eccleſiaſticus, qui ſui ſtatus oblitus aliquam prolem ſuſceperit. Poſt ſacrilegum incontinentiæ peccatum ſolent hujuſmodi filios, vel filias perdite adamare, iiſque, eorumque Matri elargiri, quæ vel Eccleſiæ, vel pauperibus, vel Parentibus indigentibus forent tribuenda. Ita graviſſime onerant propriam conſcientiam, ipſorumque ſpuriorum, qui a multis Theologis, etiam ante Judicis ſententiam, obligantur omnia, exceptis alimentis legitimis hæredibus reſtituere: *Mol. d.* 156., *Leſſ. l.* 2. *c.* 19. *num.* 58. *Lugo d.* 24. *ſect.* 6. *num* 92.

In

Digitized by Google

In aliud extremum incidunt illi Parentes, qui ſpuriorum obliti, expleta improba libidine, illos ſine alimentis jure naturæ debitis, derelinquunt. Moneant ergo Confeſſarii hujuſmodi Parentes de alimentorum obligatione, & de dote danda filiabus. Quod ſi Pater, vel Mater ſiot morti proximi, ſuadeant ſecrete dare ſpurio, quod pro alimentis neceſſe eſt, vel illum commendent hæredi, exponendo ipſi propriam obligationem. Cæterum poteſt illi Pater etiam aperte ſuffragari, relinquendo hæredem filium ſpurii, nam tunc iſte Patri conferat alimenta; & hoc ſuaderi poſſet, ſi deeſſent legitimi: *Lugo d. 24. num. 117.* Vel etiam juxta probabilem ſententiam poterit illi ſuffragari, pupillariter ſubſtituendo ſpurium filio legitimo: *Andr. a Matr. Dei de Contr. c. 5. n. 65.*

III. Cautus eſſe debet Confeſſarius poſt mortem Patris, qui uni filio reliquit hæreditatem, aliis vero ſolam legitimam; nam hi, qui tunc pro ſua legitima clamitant, multoties Patri multa ſubripuere, & multoties illum plura ſulvere coegerunt ſuis vitiis, ac ludis. Iſtorum autem nullam faciunt mentionem, & volunt ſibi adjudicari integram legitimam ex bonis paternis. Videndum ergo ſerio eſt, an præſumi poſſit Patrem illa condonaſſe, vel potius aliquo modo ſignificaverit velle ſe in filii portionem computare; nam tunc iſta ex ſua legitima detrahere filius deberet. Porro ex amore Patris erga filium, & ex ipſius divitiis, ſi aliud certe non conſtet, deſumi poteſt prudens argumentum voluntatis ipſius.

IV. Animadvertere etiam debet Confeſſarius moribundi non poſſe ipſum relinquere alicui ſua bona, cum onere illa poſtea tradendi ſpurio. Quidquid igitur ſit, an ſpurius teneatur tradere hæredi, vel ſibi poſſit retinere, qua in re variant Theologorum opiniones, certum eſt moribundum peccare ita diſponendo, & promiſſarium ita promittendo, quia gravem fraudem committunt adverſus juſtiſſimas Leges id prohibentes.

V. Juxta noſtrum ſtatutum legitima ita eſt computanda. Si unus tantum Filius ſuperſit, legitima in tertia parte bonorum omnium conſtituitur. Si duo filii in dimidia. Si tres, aut numero plures erunt, in duabus partibus bonorum omnium conſtituitur legitima. Et ſi alter filius vivat, & ex altero præmortuo Filii (qui reſpectu ejus de cujus agitur hæreditate Nepotes erunt) ſuperſint, eodem modo, quo ſupra, legitima debita eſt: hoc addito, quod in dividenda legitima, dicti Filii, ac reſpective Nepotes, uti Patrem repræſentantes, debent partem, quæ Patri obtigiſſet, dum viveret, tantum obtinere, ut ſic eis eadem portio cedat quæ cuique ex Patruis. Notandum, quod ſi Filiis prædecedentibus, Nepotes tantum ſupervivant, eadem regula ſervanda ſit, quæ de Filiis tradita eſt. Hinc ſi ex filio unico præmortuo tres Nepotes adſint, legitima bes erit, ſcilicet duo ex tribus partibus bonorum. At ſi ex duobus illis præcedentibus tres, vel plures ſuperſint Nepotes, puto legitimam fore ſemiſſam, nempe medietatem. Hoc enim inter utrumque caſum diſcrimen intercedit, quod in primo, Nepotes Avo ſuccederent in capita, atque ita uti tres conſiderandi veniunt; in ſecundo vero cum ut proprium Patrem repræſentantes ſuccedant, uti duo conſiderandi videntur. Quod dictum eſt de Nepotibus, intellige de Pronepotibus, ulterioribuſque deſcendentibus maſculis. Hactenus de legitima maſculorum.

Si non adfuerint Maſculi, ſed una tantum Filia, legitima quarta pars bonorum erit: ſi duæ Filiæ tertia pars; ſi tres, vel plures dimidia totius hæreditatis erit. In numero Filiarum computandæ ſunt Nepotes ex filio maſculo prædefuncto; cum enim ſuccedant in capita inſimul cum Filiabus, ac ſi Filiæ eſſent computari debent. Et ſi ex filia præmortua Nepotes ſint, hi matrem repræſentantes in ſtirpem ſuccedent, & portionem legitimæ, Matri debitam, obtinebunt. Si vero ex filia præmortua Neptes ſint, id teneas quod dictum eſt de nepotibus. Si demum ex filia prædefuncta Nepotes, & Neptes ſupervivant, Nepotes tantum, Neptibus excluſis, portionem, quam vivens mater habuiſſet, conſequentur.

Hæc in ſpecie. Modo aliqua generatim animadvertenda. Et primo prædicta locum habere, ſi qui legitimam conſequi debet, ab inteſtato ſuccederet ei, de cujus hæreditate agitur. Re tamen vera, ſucceſſio in legitima ſuper expoſita, reſpondet ſucceſſioni ab inteſtato, propterea dicta limitatio intelligenda eſt, ſi aliud præter ordinem non obſit, puta quod non fuerit legitimus & naturalis: quod realem abdicativam, nemine contemplato, renunciationem fecerit, & ſimilia. Secundo, ſi de hæreditate Matris ſermo ſit, legitima ſupra ſtatuta, non poſſit præjudicare lucro, quod Viro in rebus Dotalibus competit juxta *cap. 19. lib. 2.*, atque ideo prius detrahendum ſit dictum lucrum, & dein ſuper reliquo metienda legitima. Tertio, ſupra diſpoſita non militare in prima dote, & corredis ſecundo Viro collectis, dum filii ex utroque matrimonio ſuſcepti fuerint, & Mater vivo adhuc Viro, deceſſerit, quia cum juxta *cap. 21. lib. 2.* in duabus ex tribus partibus dictæ dotis, & corredorum ſuccedere debeant Filii, ſeu Filiæ ſecundi Matrimonii ſublata Matri diſponendi facultate, abeſt ſermo de legitima. Quarto, pari modo ſupra diſpoſita deficere reſpectu dotis, ſi mulieri, ſecundis nuptiis contractis, Vir ſupervixerit, & Filii primi Matrimonii ſuperfuerint, quia cum in tali caſu de tota dote diſponant ſtatuentes, & mulieri omnis auferatur facultas, ut videre eſt *cap. 20. lib. 2.*, inutilis eſt de legitima quælibet quæſtio. Quinto quod Filia dotem a Patre receptam, & Filii, ſeu Filiæ dotem, quam Mater ab Avo obtinuit, in partem legitimæ computare debeant, ita ut ſi centum pro legitima habituræ forent, & ſexaginta data fuerint in dotem, quadraginta tantum poſtulare valeant. Idem dic de Patrimonio Eccleſiaſtico, quod Pater Filio conſtituerit. Sexto demum, animadvertendum prius de cumulo hæreditatis quam computetur legitima, detrahendum eſſe æs alienum, & funeris expenſas, quæ tamen a Viro prudenti, habita ratione conditionis defuncti, juſtæ, & neceſſariæ reputentur.

CAPUT V.

De Subſtitutionibus.

Q. I. Quid ſit Subſtitutio, & quotuplex.

R. I. Subſtitutio in præſenti nil aliud eſt, quam *vocatio unius, vel plurium ad hæreditatem, caſu quo hæres, vel hæredes inſtituti a Teſtatore nolint, vel non poſſint adire hæreditatem. Covar. de teſtam. cap. Rayn. §. 4.* Locum etiam habet in Legatis, ut conſtat ex *leg. ut hæredib. 50. ff. de Legat.*

R. II. Subſtitutio multiplex eſt, nempe vulgaris, pupillaris, exemplaris, reciproca, fideicommiſſaria, & compendioſa.

Q. II. Quid ſit ſubſtitutio vulgaris.

R. Subſtitutio vulgaris eadem eſt ac directa, & habet locum, dum Teſtator teſtandi capax hæredi inſtituto, nolenti adire hæreditatem, vel impedito a morte, ſeu a lege illam adire, alium hæredem, ſive ſuum nempe, ſive neceſſarium, aut extraneum vocat ad hæreditatem. Quod ſi in hac ſubſtitutione expreſſe non exprimatur impedimentum, quod hæres inſtitutus forte habet a Lege, adhuc tamen, & in hoc caſu habet locum ſubſtitutio vulgaris; ſemper enim præſumitur Teſtatorem velle hæreditatem tranſire ad hæredem ſubſtitutum, quando hæres inſtitutus non valeat eam adire: *Mol. d. 183. n. 2., Covarr. c. 16. de teſt. §. 4. n. 5.* Extinguitur autem hæc vulgaris ſubſtitutio, ſi de facto hæres inſtitutus ſuccedat in hæreditate: *leg. poſt aditum Cod. de impuberib.*, ſeu ſi ſubſtitutus moriatur ante Teſtatorem, vel antequam hæres inſtitutus adeat hæreditatem; hæreditas etenim non adita ad hæredes non tranſmittitur: *Mol. diſp. 183. n. 8.*

Q. III. Quid ſit ſubſtitutio pupillaris.

R. Hæc ſubſtitutio habet locum, quando parentes inſtituunt filios hæredes in ætate pupillari, ſive ante annos pubertatis hac conditione, ut ſi moriantur in tali ætate, in qua non poſſunt facere teſtamentum, alter ſuccedat in hæreditatem, & ita jus tribuit facultatem Patri ut teſtamentum faciat pro filio: *§. Igitur Inſtit. de pupillar. ſubſtit.* Hæres autem ita ſubſtitutus, decedente filio in ætate pupillari, non ſolum debet habere bona, quæ pupillus habuit a Patre, ſed quomodocumque ad eum pertinentia, nempe & quæ habuit a Matre, Sorore, donatione &c. *leg. ſed ſi plures 10. §. 5. ff. de vulgar., Lugo d. 24. ſect. 8. n. 146., Leſſ. l. 2. c. 19. d. 7. n. 79.*

Ut vero valida ſit hæc pupillaris ſubſtitutio, plura ſunt neceſſaria. Primo, ut ille cui fit ſubſtitutio ſit in poteſtate Teſtatoris: *leg. 2. ff. de vulgar.* Secundo, ut ſubſtituens prius faciat pro ſe teſtamentum, & deinde pro filio impubere, quem ſcribere debet hæredem in eodem teſta-

teſtamento; *ibidem*. Tertio, ut ille, pro quo fit ſubſtitutio, mortuo Teſtatore, fiat ſui juris, & non incidat in alterius poteſtatem: *ibidem*. Hinc Avus non poteſt Nepoti impuberi aliquem ſubſtituere, eo enim mortuo, Nepos remanet ſub poteſtate Patris. Eadem ratione Pater non poteſt aliquem ſubſtituere filio, vivente Avo. Cæterum expirat hæc ſubſtitutio pupillaris, ſi pupillus ita accedat ad annos pubertatis, ut poſſit teſtari; ſi vivente Patre filius exeat a patria poteſtate, & ſi ſubſtitutus moriatur ante popillum.

Q. IV. Quid ſit ſubſtitutio exemplaris.

R. Hæc ſubſtitutio adinventa eſt ad exemplum pupillaris, & tunc intervenit quando Parentes filiis furioſis, & mentecaptis alium hæredem ſubſtituunt, caſu quo moriantur in tali ſtatu: *arg. §. 1. Inſtit. de pupill. ſubſt., & leg. humanitatis 9. Cod. de impub. & aliis ſubſt.* Quia tamen hæc ſubſtitutio non fundatur in patria poteſtate, ſed in humanitate, & affectu parentum, *arg. cit. leg. humanitatis*, hinc eam facere non ſolum pertinet ad Patrem, ſed etiam ad Matrem; ſicut etiam vel filius ſit impubes, vel pubes, ut patet etiam *arg. §. 1. Inſtit. de pupill. ſubſt.* Extenditur etiam a DD. ad quemcumque filium ex aliquo corporali defectu teſtari impeditum, ut dixi ſuo loco de ſurdis, & mutis &c. Oportet autem in hac exemplari ſubſtitutione ſervare ordinem in perſonis ſubſtituendis, ita ut primo ſubſtituantur deſcendentes illius, cui fit ſubſtitutio, & in horum defectu ipſius fratres: *leg. humanitatis 9. Cod. de impuber. & aliis ſubſt.* Expirat hæc ſubſtitutio exemplaris, ſi furioſus, mente captus vel alia infirmitate teſtari impeditus convaleſcat: *§. 1. Inſtit. de pupil.* Oportet tamen hoc non eſſe pro brevi tempore, quia tunc ſubſtitutio non totaliter expirat. Si tamen tempore lucidi intervalli mente captus faciat teſtamentum, ſicut alias dictum eſt, validum erit, & tunc certe evaneſcet dicta ſubſtitutio, *Menoch. l. 4. de Præſumpt. 50. num. 1.* Expirat item ſubſtitutio exemplaris, ſi furioſo, vel alteri ut ſupra impedito, naſcantur liberi; potuit enim furioſus, ſeu mente captus ante hanc infirmitatem contrahere matrimonium; *leg. ex facto 43. ff. de vulgar.* Videantur etiam modi ſupra notati, quibus expirat ſubſtitutio pupillaris.

Q. V. Quid ſit ſubſtitutio reciproca, & compendioſa.

R. Subſtitutio reciproca eſt illa, qua Teſtator plures inſtituit hæredes, eoſque ſibi invicem ſubſtituit hæredes, ut ſi inſtituantur hæredes Petrus, & Paulus, & ad invicem ſubſtituantur: *leg. jam hoc jure 4. ff. de vulgar.* Ab hac reciproca ſubſtitutione differt compendioſa, quia in prima plures ad invicem ſubſtituuntur; in compendioſa autem non intervenit reciproca ſubſtitutio, ſed compendio verborum plures continentur ſubſtitutiones, ut ſi Pater inſtituat Titium filium ſuum hæredem, eique decedenti ſubſtituat Cajum. Hæc autem ſubſtitutio induere poteſt naturam cæterarum omnium ſubſtitutionum. Si igitur filius obeat ante Patrem teſtatorem ſubſtitutio erit *vulgaris*; ſi mortuo Patre ipſe in ætate pupillari poſt aditam hæreditatem moriatur, vel hæreditatem repudiet, ſubſtitutio erit *pupillaris*; ſi vero moriatur in amentia, vel alio impedimento naturali impeditus teſtari, erit *exemplaris*.

Q. VI. Quid ſit ſubſtitutio fideicommiſſaria.

R. Subſtitutio fideicommiſſaria dicitur illa, qua quis non accipit hæreditatem immediate ab ipſo Teſtatore, ſed mediante hærede prius inſtituto, quia gravatur a Teſtatore, ut alteri reſtituat ſuam hæreditatem, vel partem ipſius: *arg. §. 1. & 2. Inſtit. de fideicom. hæred. Mol. d. 161. n. 2., Leſſ. l. 2. c. 19. d. 7. num. 85.* Quia ſubſtitutus obtinere debet hæreditatem ab hærede prius inſtituto, hæc ſubſtitutio dici ſolet obliqua, ſeu indirecta, & non ſolum fieri poteſt in teſtamento, ſed etiam in Codicillo; quamvis etenim in iſto fieri haud poſſit directa hæredis inſtitutio, bene tamen poteſt hæres jam inſtitutus gravari. Si hæres directus, & fideicommiſſo gravatus moriatur ante Teſtatorem, evaneſcit ſubſtitutio fideicommiſſaria; nam fideicommiſſarius accipere debet hæreditatem ab hærede ad id gravato. Eadem ratione evaneſcit, ſi dictus hæres non adeat hæreditatem, quamvis a ſubſtituto fideicommiſſario moneri poſſit, & in judicium vocari, ut hæreditatem adeat. Cæterum ſi ſubſtitutio facta ſit favore piæ cauſæ, hæc adit fideicommiſſum, etſi hæres hæreditatem non adeat: *Tiraquell. privil. cauſ. piæ 32. & 66.*

Hic tamen rurſus advertendum poſſe hæredem gravatum Trebellianicam detrahere, de qua in ſuperioribus dictum eſt. Poterit etiam hæres neceſſarius legitimam detrahere, niſi hoc impediatur a Teſtatore, de qua re agunt Legiſtæ.

Plene de his ſubſtitutionibus tractant Legiſtæ, & Canoniſtæ, ſed mihi ſatis fuit prædicta adnotaſſe, ne a Theologo termini ignorentur.

Regulæ in praxi obſervandæ.

Occurrere poteſt caſus, in quo Confeſſarius facile poteſt errare, ſi nempe filius, cui Pater aliquem ſubſtituit, moriatur in ætate pupillari. Facile credet Confeſſarius ſubſtituto nil aliud tradendum eſſe, quam quod filius habuit a Patre, cum tamen demptis expenſis, & convenienti animæ ſubſidio, debeat obtinere quidquid pupillus, ſeu impubes quocumque modo acquiſivit. Hoc idem DD. extendunt ad ſubſtitutionem exemplarem: *arg. §. 1. Inſtit. de pupill. ſubſt., & leg. 9. Cod. de impub. & aliis Covarr. de teſtam. c. 10. n. 10.*

Fortaſſe etiam errabit, vel anceps erit Confeſſarius in judicando quid juris, ſi filius poſt mortem Patris, vel impubes, vel pubes repudiet hæreditatem, quid nempe obtinere debeat ſubſtitutus. Sciat ergo hodie communiorem, & receptam eſſe eam ſententiam, qua dicitur ſubſtitutum ex tacita vulgari ſubſtitutione ſuccedere debere in bona Teſtatoris. Ratio deſumitur ex ipſius præſumpta voluntate; ſi enim volebat quod dum filius hæres inſtitutus impubes deceſſiſſet, & propria, & filii bona ad ſubſtitutum deveniſſent, præſumi certe poteſt, filio repudiante hæreditatem, voluiſſe ſubſtitutum ſaltem ſua bona obtinere ex tacita vulgari ſubſtitutione: *arg. leg. hæredes mei 57. §. 1. ff. ad S. Conſ. Trebell. Cov. cit.*

CAPUT VI.

De Legatis, & Legatariis.

Q. I. Quid ſit Legatum.

R. I. Ut colligitur ex *§. 1. Inſtit. de legat.* Legatum, quod confundi ſolet cum fideicommiſſo particulari: *leg. 1. ff. de legatis 1.* ita eſt definiendum: *Donatio quædam a Defuncto relicta, & ab hærede præſtanda*. Dum dicitur *donatio quædam*, ſignificatur legatum non extendi ad totam hæreditatem, ſed ad aliquam particularem rem ipſius Teſtatoris. Additur *a Defuncto relicta*, tum quia res legata ordinarie non obtinetur niſi poſt mortem Teſtatoris; tum quia tunc legata accipere ſolent ſuam firmitatem, quamvis aliquando ipſe Teſtator ante mortem conſignet rem legatam legatario. Verum in definitionibus inſpiciendum, quod ordinarie ſolet evenire, cum contemnant Legiſlatores quæ ſemel, aut bis accidunt: *leg. jura & ſeqq. de legat.* Dicitur demum *ab hærede præſtanda*; nam, ni aliter præſcripſerit Teſtator, vel conſenſerit hæres, legatum ſumendum eſt de manu ipſius hæredis; imo eo privatur Legatarius, ſi capiat propria authoritate; *leg. non dubium 5. Cod. de legat.*

Q. II. Quid requiratur ad valorem legati.

R. I. Primo, requiritur ut legatum factum ſit ab eo, qui jus habet teſtandi; nam omnes & ſoli illi, qui poſſunt teſtari, poſſunt legare: *leg. 2. ff. de legat. 1.* Præterea requiritur, ut inſtituantur legatarii ii, qui poſſunt hæredes inſtitui: *§. Legare 24. Inſtit. de legat.* Quinam præfati ſint, videndum eſt ex dictis ſupra *cap. 4.*

Excipiendi tamen ſunt Fratres Minores, qui non poſſunt eſſe hæredes, bene tamen quoad aliqua legatarii. Et quidem, ſi legatum ſit pro Eccleſia, & Sacriſtia, ita ut reſpiciat ea, quæ pertinent ad Divinum cultum, etſi ſit annuum, & perpetuum, poteſt ab illis conſequi; in Clementina etenim: *Exivi &c. de verb. ſign.* non prohibentur ni legata quoad eorum victum: *Sanch. in Ecc. tom. 2. l. 7. c. 26. n. 10.* Si vero legatum ſit quoad victum, vel alias Fratrum neceſſitates, ſolum illius capaces ſunt Minores, ſi unica ſolutione adimpleatur, & dum quantitas legati non ſit immoderata, adeoque læſiva voti paupertatis: *Barboſ. jur. Eccleſ. p. 2. lib. 3. c. 27. n. 76.* Hinc annui redditus etiam pro Miſſis celebrandis ſunt interdicti Minoribus; cum enim inter immobilia numerentur *Clem. exivi §. Cumque annui*; lædunt ipſorum ſtrictiſſimam paupertatem; *Sanch. loc. cit.*

Digitized by Google

Q. III. An corruat legatum factum in teſtamento nullo.

R. Quid dicendum ſit de legatis piis dixi ſupra cap. 2. Quid vero corruant legata profana habetur *l. 1. ff. de jur. Codicill.*, *& leg. ex teſtam. 29. de fideicom.* Si nihilominus teſtamentum habeat clauſulam codicillarem, hoc eſt, quod ſaltem valeat in valore codicilli, tunc ſuſtinentur legata, ſi adſint quæ neceſſaria ſunt ad codicillum. Item ſuſtinentur, ſi Teſtamentum dumtaxat nullum ſit ex præteritione hæredis neceſſarii, *Novell. 115. c. 13. ad fin.* Vel ſi ipſemet hæres fateatur voluntatem Defuncti: *leg. non dubium 16. C. de teſtam.*

Q. IV. Quot teſtes neceſſarii ſint ad valorem legati profani.

R. Si legata profana fiant extra teſtamentum, de jure communi requiruntur quinque teſtes, ſive ſint rogati, ſive fortuito venerint. Oportet tamen adeſſe eo tempore, quo fit legatum, & ſi in ſcriptis fiat, debent ſubſcribere; ſi vero fiat oretenus, ut vere fieri poteſt, vel etiam nutibus: *cap. indicante 4. de teſt. Ant. a Spir. S. tr. 10. d. 16. n. 731.* tunc non eſt neceſſe ſe ſubſcribere: *leg. fin. ad fin. C. de Codicill.* Ut dictum autem eſt, non ſunt neceſſarii teſtes, ſi ipſemet hæres audivit voluntatem Teſtatoris. De teſtibus neceſſariis ad valorem legati pii dictum eſt ſupra *cap. 3.*

Q. V. Quotuplex ſit legatum.

R. Alia ſunt legata pura, alia in diem, alia conditionata, alia ſub modo, alia ſub cauſa, alia ſub demonſtratione.

Legatum *purum*, quamvis illud ſit, quod fit nulla adjecta conditione, modo, tempore &c. nihilominus communiter accipi ſolet pro legato facto ſine ulla conditione in futurum: *leg. hæres meus 79. ff. de cond. & demonſt.*

Legatum *in diem* tunc datur, quando Teſtator aliquid legat tradendum tempore determinato poſt ipſius mortem, e. g. poſt menſem, poſt annum &c. *arg. tot. tit. ff. quando dies legat. cedat.* Quod ſi tempus indeterminate apponatur, e. g. quando talis navis adveniet &c. legatum non in diem, ſed potius dicitur conditionatum. Hæc eſt autem natura legati in diem, ut ab hærede poſt aditam hæreditatem ſtatim contrahatur obligatio illud ſolvendi tempore a Teſtatore determinato; quapropter ſi poſt mortem Teſtatoris moriatur Legatarius antequam adveniat dictum tempus, ſolvendum eſt hæredibus legatarii: *leg. ſi poſt diem 5. princ.*, *& leg. ſi dies appoſita 21. ff. quando dies leg. cedat.*

Legatum *ſub conditione*, ſeu *conditionatum* proprie non eſt illud, quod factum eſt ſub conditione de præterito; *ſi merces venditæ ſint*, vel de præſenti, ut *ſi Pater meus vivit*; nam cum iſtæ conditiones jam ſint vel veræ, vel falſæ, faciunt contractum, ſeu legatum ſtatim tranſire in purum & abſolutum, ſi veræ, & evaneſcere, ſi falſæ ſint. Hinc nullatenus actum ſuſpendunt: *leg. cum ad præſens ff. ſi certum petat.*, *& §. Conditiones 6. Inſtit. de verb. obl.* Proprie igitur legatum conditionale illud eſt, quod fit ſub conditione de futuro, v. g. *ſi navis advenerit*, adeoque ſuſpenditur ejus obligatio uſque dum purificetur conditio.

Legatum *ſub modo* valde ſimile legato conditionato, datur quando Teſtator legat aliquid cum aliquo gravamine; ut ſi Titius leget mille aureos Cajo eum onere, ut faciat tot miſſas celebrare, &c. Iſtud legatum exprimi ſolet per dictionem *ut*, & conditio per *ſi*, & ſtatim valet; unde ſi legatarius moriatur, tranſmittitur cum onere ad hæredes, dummodo per eos æque ac per legatarium potuerit adimpleri: *Gloſſ. in cap. verum 4. de cond. appoſ.*, *& arg. l. 1. 2. & 3. C. de donat.*, *quæ ſub modo, Mol. d. 208.*

Legatum *ſub cauſa*, ſeu *ex cauſa* intercedit quando Teſtator exprimit finem, ſeu cauſam præteritam, vel præſentem, ob quam facit legatum; nam ſi exprimat cauſam de futuro eſt potius legatum *ſub modo*. Erit igitur legatum ex cauſa, ſi e. g. Teſtator dicat ſe legare Cajo aureos 100 quia pauper eſt, quia ſibi affinis &c. *arg. leg. demonſtratio falſa 17. & leg. cum tale 72. §. Falſam 6. ff. de cond. & dem. Mol. diſp. 209.*

Legatum demum *ſub demonſtratione* datur, vel quando Teſtator, dum aliquid legat, exprimit aliquam circumſtantiam perſonæ, cui legat; ut ſi leget 100. aureos Cajæ ſibi affini, vel Virgini &c.: vel quando deſignat in particulari rem, quam legat; ut ſi leget 100. aureos extantes in tali ſcrinnio, vel ſibi debitos a Semprunio &c. *arg. leg. falſa demonſtratio princ. 17. ff. de cond. & demonſtr.*

Q. VI. *Quandonam præfata legata corruant.*

R. I. Ceſſant *omnia legata*, ſi legatarius moriatur ante Teſtatorem. *Si vero moriatur* poſt Teſtatorem, etſi hæres non adiverit hæreditatem, legatum debetur hæredibus legatarii; ut enim poſtea dicemus, debetur legatum legatario a die mortis Teſtatoris.

Altera cauſa, ex qua ceſſant legata, eſt notabilis ingratitudo legatarii, & in hoc caſu non deſunt Theologi, qui cenſent revocatum legatum; etiamſi Teſtator, cum potuiſſet, expreſſe non revocaverit: *Ant. a Sp. S. d. 16. n. 760.* aliiqua apud ipſum. Secus dicendum ſi tacite, vel expreſſe in amicitiam redierint.

R. II. Legatum conditionale expirat, ſi non adveniat conditio honeſta, & poſſibilis, ſub qua relictum fuit a Teſtatore; nam non adimpleta conditione ceſſat voluntas Teſtatoris. Dixi, conditio honeſta, & poſſibilis; nam ſi conditio ſit impoſſibilis, hoc eſt, a natura non implebilis, vel a lege reprobata, quo caſu dicitur etiam *turpis*, ſicut habetur pro non adjecta in teſtamento, ita & in legatis: *§. Impoſſibilis Inſtit. de hæred. inſtit. & leg. conditiones 14. ff. de cond. inſtit.* Tunc igitur legatum conſideratur ut abſolutum, & purum, ac debetur ſtatim legatario, tanquam ſi factum fuiſſet ſine ulla conditione.

R. III. Si legatum fuerit *ex certa cauſa*, corruet ſi hæres concludenter probet Teſtatorem alicui legatum non fuiſſe facturum, ſi ſciviſſet falſam eſſe cauſam, quam expreſſit; ſecus ſi non ſufficienter probet: *§. Longe 31. Inſtit. de legat. leg. demonſtratio falſa 17. §. Falſum 6. ff. de cond. & demonſtr. Mol. d. 209. n. 8.* Quod ſi erretur in perſona, puta ſi quis legaverit 100. aureos Titiæ, quia putavit ſuam Neptem, tunc ſtatim corruit legatum, quia præſumitur Teſtatorem non legaturum, ſi errorem ſciviſſet; & idem dicitur dum erratur circa perſonam in inſtituendo hæredem: *leg. quoties 9. ff. de hæred. inſtit. & leg. ſi Pater 4. ibid.*

Limita præfatam doctrinam, quando agitur de legato pio; tunc enim quomodocumque falſa exiſtat cauſa expreſſa a Teſtatore, vel erraverit in perſona, adhuc tamen ſemper adimplendum eſt, & idem dicendum quamvis legatarius ante Teſtatorem moreretur. Ratio eſt, quia in legatis piis Teſtator principaliter contemplatur ſuffragium animæ ſuæ, quod motivum cum ſemper ſubſiſtat, conſequens eſt legatum ſemper eſſe adimplendum. Quod ſi adimpleri non poſſit in opere a Teſtatore deſignato, in aliud eſt commutandum, ut dicam infra &c. *Molin. d. 249. n. 7. Laym. l. 3. tr. 5. cap. 11. num. 12.*

R. IV. Si legatum factum fuerit *cum demonſtratione*, certum eſt ſuſtineri legatum, ſi extet res legata, & conſtet de perſona, cui res fuit legata, quamvis Teſtator erret in alicujus circumſtantiæ demonſtratione. Hinc ſi Titius legaverit decem Cajo ſutori, ſi extent 10. aurei, & conſtet Titium voluiſſe eos Cajo legare, ſuſtinetur legatum, quamvis Cajus non ſit ſutor: *leg. falſa demonſtr. 17. princ.*, *& §. 1. ff. de cond. & demonſtr.* Suffragatur etiam aperte ratio, quia conſtat de voluntate Teſtatoris. Si vero Teſtator erraverit in ſubſtantia perſonæ, corruit legatum ex dictis in ſuperiori reſponſione. Corruit etiam; ſi res, quæ demonſtratur, omnino non exiſtat; ut ſi Teſtator leget 10. aureos ſibi debitos a Cajo, qui re vera nihil debeat: *l. ſi ſic 75. ff. de legat.*, vel ſi leget pecuniam extantem in tali loco, quæ tamen ibi non reperiatur: *leg. 1. §. Sed etſi dotem 7. ff. de dote privileg.* Quod ſi non tota ibi reperiatur, ſed pars ejuſdem, valet legatum quoad hanc partem: *leg. ſi ſervus 18. §. Qui quinque 10. ff. de legat. 1.* Idem dicendum quoad ceſſationem legati, ſi Teſtator ipſe conſumpſerit rem, quam legaverat; ut ſi conſumpſit triticum ſui horrei Sempronio relictum. Quod ſi aliud ſubſtituerit, vel etiam auxerit, totum iſtud debetur Legatario, quia talis præſumitur voluntas Teſtatoris: *Anton. a Spir. S. d. 16. num. 761.*

Q. VII. An ſuſtineatur legatum rei alienæ.

R. De jure civili ſi Teſtator ſcivit rem eſſe alienam, & adhuc eam legavit, ſuſtinetur legatum, & præſumitur voluiſſe hæredem emere a Domino; & ſi iſte vendere recuſet, voluiſſe dandum Legatario quantum res ipſa æſtimatur: *§. Non ſolum 4. Inſtit. de legat.*, ubi tamen innuitur, pertinere ad legatarium probare Teſtatorem ſciviſſe alienam fuiſſe. Si vero Teſtator ignoraverit eſſe alienam, tunc diſtinguendum eſt. Si legatum factum ſit perſonæ non tam proximæ Teſtatori, vel cui non multum teneretur, tunc præſumi poteſt quod ſi ſciviſſet

eſſe alienam, non legaſſet, & ita corruit legatum: *§. Nunſolum eit.* Si vero legatum factum ſit perſonæ ſatis proximæ Teſtatoris, at uxori, vel alteri amicitia ſatis ipſi conjunctæ, ſea a qua malta accepiſſet beneficia, tunc quia ceſſaeet ſupradicta præſumptio, legatum ſubſiſteret: *leg. cum rem alienam 10. ff. de legat.*

Quamvis autem putent aliqui hujuſmodi legatum rei alienæ jure canonico improbari, revera tamen etiam tali jure ex communiori opinione ſabſiſtit, nam validum ſupponitur: *can. ſi Epiſcopus 5. 12. quæſt. 5.* Nec obſtat *cap filius 5. de teſtam.*, nam ibidem ſolum dicendum eſt improbari, qaod voluerit Legatarius rem alienam ſibi legatam retinere, invito Domino.; non vero quod hæres teneatur Legatario pretium illius erogare, nolente domino eam vendere, at ſupra dictum eſt: *Pirbing. de teſtam. num.* 84. *Cavar. in cap. filius de teſtam. num. 6.*

Q. VIII. Quandonam Legatarius acqairat dominium & fructus legati ſibi facti.

R. I. Si legatum ſit purum, & rei certæ, & in individuo determinatæ, Legatarius acquirit dominium legati poſt aditam hæreditatem ab hærede: *leg. ſi tibi homo 86. §. 2. ff. de legat. 1., leg. ſi nemo 181. ff. de reg. jur., lege nemo 1. ff. de teſtam. tutel. Mol. d. 181. & 194. Gomez, var. reſol. cap. 12.* Et ratio eſt, quia ex dictis ſupra legata præſtanda ſunt ab hærede, unde ante acceptationem hereditatis non poteſt haberi ipſorum dominium. Verum tamen eſt, quod poſt aditam hæreditatem fictione juris retrotrahitue dominium ad diem moetis Teſtatoris; ab ea die etenim legatum debetur: *leg. ſi poſt diem 5. §. 1. ff. quando dies leg. dec., l. cedere 213. ff. de v. ſign.* Remanet nihilominus libertas legatario repudiandi legatum, antequam illud acceptet, quamvis acquiſierit ipſius dominium, ſecus poſtquam acceptavit: *Mol. diſp. 181.*

R. II. Fructus, qui ſunt pars rei legatæ, ut ſi legatus fuerit grex, & deinde aliæ oves naſcantur, pertinent ad legatarium: *leg. 20. ff. de leg. 1., §. 10. Inſt. de leg.* Idem dicendum de fructibus pendentibus in prædio legato.

Quoad alios vero fructus quamplures ſuſtinent deberi a die mortis, vel ſaltem aditæ hæreditatis; cum etenim ab eo tempore legatarius acquirat dominium legati, conſequens videtue & fructus ipſius ad illum pertinere: *Mol. d. 194. &c.* Alii e contra non improbabiliter ſuſtinent hanc doctrinam non habere locam, dum jus alitee diſponat, & aliter elare diſpoſitum contendunt: *leg. fin. C. de uſur. & fruct. leg.* Hinc dicunt fructus legati non deberi niſi poſtquam Legatarius petierit legatum, & hæres fuerit in mora ſolvendi.

R. III. Si legatum non ſit de re determinata; ſed in genere, fructus intermedii, antequam ſcilicet legatarius obtineat legatum, pereinent ad hæredem, ſi non fuerit in mora ſolvendi, *Gomez. tom. 1. var. reſ. cap. 12. Mol. diſp. 194. num. 13.*

R. IV. Si legatum ſit *in diem*, vel *ſub conditione*; non debentur Legatatio fructus legati, niſi poſtquam advenerit dies legati, vel adimpleta fuerit conditio; nam ſolum tunc acquirit dominium ipſius legaei: *arg. leg. unica §. Sin autem 7. C. communia de legibus.*

Q. IX. An legata poſſint converti in uſum diverſum ab eo, quem deſignavit Teſtator; & a quo id fieri poſſit.

R. I. Si commode voluntas Teſtatoris poſſit adimpleri, ea omnino attendenda eſt in executione legatorum; nam omnia jura clamant habendam eſſe pro lege: *leg. verbis 120. ff. de v. ſig. Novell. 22. c. 2. cap. nos quidem 3. de teſtam. & can. 4. cauſ. 13. q. 2.* ſemper cum tamen legibus non repagnet: *Novell. 1. in præfat. §. 1. leg. nemo poteſt. 55. ff. de legat. 1.*

R. II. Etiamſi ultima Teſtatoris voluntas commode poſſit adimpleri, nihilominus S. Pontifex etiam relicta ad cauſam piam valide, & licite in alium uſum poteſt convertere: *arg. Clem. Quia contingit de relig. domib., & leg. 1. & 4. ff. de admin. rer. ad Civit. pertin.* Ratio eſt, quia ultraquamquod quæcumque pia depoſitio Teſtatoris videatur tacite ſubordinata diſpoſitioni Capitis Eccleſiæ, conſtat S. Pontificem utpote Præpoſitum toti Chriſtianæ Reipublicæ poſſe, & debere ordinare quæ magis ei videantur utilia, adeoque & convertere in aliam uſam, qaod diſpoſuit Teſtator, etiamſi voluntas ipſius commode poſſet adimpleri.

R. III. Quamvis non pauci Authoees denegent Epiſcopo facultatem commutandi etiam in uſum meliorem voluntatem Teſtatoris ſemper cum commode poteſt adimpleri, eo quod ex dictia, ut lex ſervanda ſit; nihilominus id ei concedendum, etſi voluntas defuncti poſſit adimpleri, ſemper cam locum habet epikeja, nempe rationabilis intetpretatio, non fuiſſe alienum Teſtatorem, ut variatis circumſtantiis in alium poſſet uſum converti. Sicut igitur pee epikejam recedi poteſt ab aliarum legum obſervantia, ita & a voluntate Teſtatorum. Hinc facillime concedendum eſt Epiſcopo poſſe commutare Defunctorum voluntates in melius, & etiam in æquale, maxime ſi adſit juſta cauſa; nam tunc bene interpretari poteſt non fieri contra mentem Teſtatoris. Certum autem omnino eſt poſſe hujuſmodi voluntates commutare, quando vel de jure, vel de facto non poſſint adimpleri, vel ſi quæ reliquit Teſtator, non ſufficiant ad intentam: *Barb. de off. & poteſt. Epiſc. p. 3. alleg 83. num. 5. Laym. tr. 5. c. 11. n. 12.* Requirendus tamen eſt hæredis conſenſus, ſi debet ipſe expendere pecuniam in exequendo opus commutatam, quamvis non ſit attendendus, ſi ierationabiliter contradicat.

Quæ dicta ſunt de authoritate Epiſcopi quoad commutationem legati pii, idem dicendum de authoritate Principis quoad commutationem legatorum profanorum: *Bon. d. 3. de contr. q. ult. p. ult. num. 33.*

Q. X. Quid agendum, ſi hæreditas non ſufficiat pro omnibus legatis.

R. Cum prius ſolvenda ſint debita Teſtatoris, utpote quæ debentur ex contractu oneroſo, quam legata, utpote debita ex contractu gratuito, multoties accidit hæreditatem non eſſe ſufficientem pro omnibus legatis ſolvendis, & tunc maxime quando datur locus hæredi, ut detrahat falcidiam. In tali caſu non deſunt qui vel velint omnia legata tum pia, cum profana ſolvenda eſſe pro rata cum eis videatur eſſe par jus & ratio pro omnibus; & id etſi alicui legata ſit certa res, & in individuo: *Sanch. in ſum. tr. 1. l. 4. cap. 15. num. 40. Ant. a Spir. S. de juſtit. & jur. tract. 10. d. 16. ſect. 14. num. 175. Bonac. d. 3. qu. ult. par. ult. n. 27.* Verum cum totum jus & ratio conſequendi legata derivet a voluntare Teſtatoris, ego crederem plene ante cætera ſolvenda eſſe legata, quæ reſpiciunt ſuffragium animæ Teſtatoris, puta de celebratione Miſſarum, quia talis credenda eſt fuiſſe mens Teſtatoris. Eadem ratione valde probabile eſt legata magis pia præferenda eſſe minus pia, ac demum poſt legata pia ſolvenda eſſe profana. Poteſt etiam dari graduatio intet ipſa legata profana, ſi rationabiliter præſumi poſſit quædam magis fuiſſe volita a Teſtatore: *Lugo d. 20. ſect. 5. a num. 90.* Sed videnda quæ ſtatim dicam.

Q. XI. Qaomodo legata ſint interpretanda.

R. I. Sapponendum eſt quod quamvis interpretatio legalis pertineat ad Legiſlatorem, ejuſdem enim eſt concedere legem, illamque interpretari: *l. 1. C. de leg. cap. inter alias 31. de ſent. excomm.* & interpretatio judicialis ad Judicem in controverſiis intee actorem, & reum, nihilominus interpretatio doctrinalis, & magiſtralis pertinet ad Theologos, & Doctores, de qua *Gloſſ. in cap. ſicut enim 30. 11. qu. 1.* Ea autem adhibenda eſt non in claris, ſed in dubiis, & obſcuris, ut de ſe conſtat, & habetur *l. ſi quis 3. C. de liberis præteritis*, & dixi *tr. 3. q. 4. c. 2. quæſ. 1.*

Regula autem omnino magiſtralis pro interpretanda mente Teſtatoris, dum dubium inſurgit de aliquo legato, eſt attendere id quod judicari poteſt Teſtatorem prædilexiſſe; cum etenim obligatio dandi legatum, vel plus aut minus, oriatur a voluntate Teſtatoris, eaque non melius innoteſcere poſſit ac ex ipſius prædilectione; id enim magis volumus, quod magis diligimus, neſcio videre quæ melior regula ſervari poſſit pro interpretando quid faciendum ſit in legatis diſtribuendis. Hanc regalam ſæpius inculcat *Card. de Luca in diſcurſ. de Teſtamentis, & legatis*, & reputat eſſe Leguleiorum inſipiduram velle aliquam rem ſtare pro legato taxative, ſi teſtator eam expreſſerit eodem contextu verborum, demonſtrative vero, ſi diverſo contextu verborum. Bene proinde vult quod ſi legatum præſumi poſſit prædilectum, debeat omnino integre ſolvi ex aliis rebus Teſtatoris, quamvis res pro eo aſſignata expreſſa ſit eodem verborum contextu.

Ex hac regula primo infertur, hæredem, ſaltem quoad legata profana, minus gravandum, quam ſit poſſibile: quia præſumitur prædilectus, ut ex diverſis juribus habetur, & docet, *Rota p. 3. dec. 87. & p. 4. tom. 2. dec. 89. n. 15. & 16.* E contra erit regula, ſi perſona, cui factum eſt legatum, poſſit præſumi dilecta pluſquam hæres, ut eveni-

Digitized by Google

evenire poteſt reſpectu uxoris, vel alterius legatarii, cui teſtator exhibuerit plura argumenta benevolentiæ, ut innuit *Rota p.7. deciſ.239 a n.7., & p.9. deciſ.131. n.1. & 6.* Id etiam puto attendendum, dum aliqua legata facta ſunt in remunerationem; nam & ex hac optime deducitur mens, & voluntas Teſtatoris: *Mant. de tacit. l.3. tit.23. n.17.*

Ex eadem ratione favendum eſt magis legato pio, quam hæredibus, etſi hæres ſit filius, quia præſumitur Teſtatorem animam prædiligere, cujus favore reſpicit legatum pium: *Bordon. de leg. cap. 4. numer. 33.* Nihilominus neque id puto verum in circumſtantiis, in quibus filii alias dilecti a Teſtatore nimis gravarentur, ſi in dubio de quantitate legati interpretatio rigoroſe fieret contra eos; & id maxime veriſſimum puto, ſi Teſtator non potuit prævidere tale gravamen, quia e.g. putabat locupletiorem ſuam hæreditatem, vel ex alia cauſa.

R. II. Aliæ regulæ ſunt, quod in dubio cenſendum ſit Teſtatorem ſe voluiſſe conformare juris diſpoſitioni, ſeu Statuto ſuæ Civitatis: ipſius verba eſſe interpretanda ſecundum communem modum loquendi, vel juxta conſuetudinem regionis, non recedendum ab ipſius verbis, niſi cum manifeſtum eſt Teſtatorem aliter ſenſiſſe; non attendendum id, quod diſpoſuiſſet, ſi prævidiſſet, quando de facto non diſpoſuerit; immo ſubintrat alia regula quod ſi voluiſſet, expreſſiſſet, ut obſervat Rota *p. 5. deciſ. 249. nu. 14.*: in dubio an legatum ſit pium, vel profanum, habendum eſſe pro pio: *Mant. de conject. ultim. vol l 4. tit. 3. n. 22., Barboſ. l. 3. de jur. Eccleſ. c. 27. n. 9.*: Demum attendendam eſſe conditionem Teſtatoris, & Legatarii.

R. III. Alia regula, qua aliquando limitanda ſunt maxime quæ dixi quoad legata pia, eſt conſiderare, an ipſe Teſtator dotaverit, vel juſſerit dotari illam piam diſpoſitionem, quam præſcripſit. Præſcripſit e. g. Teſtator celebrationem tot miſſ. rum vel in perpetuum, vel ad tempus; atque hoc onus faciendi illas celebrare non impoſuit hæredi, ſed ſolum illi præſcripſit aſſignare dotem alicui Cappellæ erigendæ, impoſita Capellano obligatione illas celebrandi. In hoc caſu etiamſi pereat fundus, vel fructus ſucceſſu temporis non ſit ſufficientes pro celebrandis Miſſis præſcriptis a Teſtatore, hæres non tenetur ſuppleee: Ratio eſt, quia hæres non aliam habet obligationem, niſi quam expreſſit ſuis verbis Teſtator: *l. quid adſtringendæ, l. ſi ita ſtipulatus, l. Chryſagonus de V. Obl.*, dum proinde hæres aſſignaverit dotem injunctam a Teſtatore ad nihil amplius tenetur. Neque refert dicere legatum pium, utpote prædilectum a Teſtatore, ſemper eſſe conſervandum ab hærede eo modo, quo fuit ab eodem ab initio præſcriptum; hoc etenim verum eſt, dum Teſtator non præciſe taxaverit quid faciendum ſit ab hærede, nam tunc clare conſtat nullam aliam voluiſſe ipſi imponere obligationem. Ulterius nil obſtat dicere Teſtatores ita facere aliquando legata pia, ut nolint ſucceſſu temporum ſuos hæredes moleſtari, cum bene dignoſcant intolerabile eſſe gravamen, ſi ſempee timere debeant deturbandos a pacifica poſſeſſione rerum ſuarum ex ſuperveniente obligatione iterum e. g. dotandi Capellam, ſeu ſupplendi fructuum diminutioni &c. Quod ſi Teſtator potuit velle hæredem non amplius moleſtandum, ſicut de facto multoties talis eſt Teſtatorum voluntas, hanc voluntatem non melius dignoſcere poſſumus, quam dum non impoſuit hæredi obligationem ſatisfaciendi piis legatis ab ipſo factis, ſed ſolum voluit ab hærede aſſignandam dotem, ſeu fundum, ex cujus fructibus Eccleſiæ ſatisfaceret.

Hinc aſſignato fundo a quodam Teſtatore Eccleſiæ relicto, liberatus fuit hæres a quacumque obligatione, quamvis fructus facti fuiſſent multo minores iis, quos intellex rat Teſtator. Ita videre eſt *in Roman. Camerin. dot. Eccleſ. part. 11. recent., & in Roman. Suplem. dot. 5. Decemb. 1653. cor. Cerro.* Liberatus pariter fuit hæres a ſupplendo defectui fructuum, qui deſervire debebant pro dotandis pauperibus puellis, eo quia fundum a Teſtatore deſignatum aſſignaverat: *Roman. dot. cor. Merlin. dec. 56.* Idem dicas de Miſſarum legatis, quarum vis fructus ſufficientes non percipiantur, ſi hæres aſſignaverit præſcriptum fundum, ſeu dotem: *Mantic. dec. 242. Beiriaa. in repertario Deciſion. Bargnin. Paſqualig. de legat. pro celebr. Miſ. quæſt. 1016. Amoſtaz. l.a. de Cauſ. piis cap. 8. num. 56.* Ac demum hanc doctrinam indubitatam judicat de Fargu. *de jur. Patron. tom. 2. Theol. Roncaglia Tom. 1.*

p. 2. cap. 27. cauſ. 23. num. 5. En ejus verba: *Eſt concluſio indubitata, quod ubi agitur de dotatione, hæc hanc qualitatem habet, ut legitime ab initio facta in quantitate per Fundatorem expreſſa, hæres ad nihil amplius tentatur, ſi ea tractu temporis minuatur, ſed detrimentum cedit Eccleſiæ.*

Ex his fundamentis putavi aliquibus ab hinc annis omnino liberandam quamdam nobilem fœminam ab obligatione ſupplendi diminutionem fructuum, qua ratione celebrari non poterant omnes Miſſæ præſcriptæ a ſuo Avo. Jam ab initio, dicebam, aſſignatam fuiſſe dotem præſcriptam a Teſtatore, adeoque tutam eſſe in conſcientia, ſi nolebat ſupplere. Non defuerunt Contradictores, an vero jure, alii judicent.

Remanet ergo hæredem ſolum ſupplere debere diminutionem fructuum, quoties illi injunctum ſit a Teſtatore onus faciendi Miſſas celebrare. In tali igitur caſu, etſi aſſignaverit Eccleſiæ fundum, ut ipſa ſibi aſſumeret tale onus, debet ſupplere, ſi fructus minuantur; cum etenim Teſtator tale onus ipſi hæredi impoſueeit, apparet annexum voluiſſe ſuæ hæreditati, quapropter ex ea ſupplendum eſt, ſi fructus fundi aſſignati minuantur.

Regulæ in praxi attendendæ.

I. Accidit aliquando Domeſticos Moribundi, timentes ab ipſo fieri aliqua legata, impedire, ne accedat ad ipſum Notarius, vel ne loquatur Confeſſario coram Teſtibus, ut manifeſtet ipſis ſuam voluntatem. Reclamante poſtea conſcientia, detegunt Confeſſario quam impie ſe geſſerint, & quærunt quid agendum, ut tanto crimini ſatisfaciant. Confeſſarius igitur in praxi primo videat, quod veroſimiliter facturus fuiſſet Defunctus pro anima ſua, quæ ſemper eſt prædilecta, & talem veroſimilitudinem obtinere poteſt ex pietate Defuncti, ex divitiis domus, ex numero filiorum, quos reliquit, aliiſque circumſtantiis, & juxta talem veroſimilitudinem taxet hæredem; eo magis, quia cum agatur de favendo animæ Defuncti, ordinarie loquendo, latior interpretatio eſt attendenda.

Hinc cum mihi relatum fuiſſet quendam ſaltem indirecte impediviſſe Conjugem a faciendo teſtamento, vel ab explicanda coram Teſtibus ſua voluntate quoad legatum pro anima ſua, cenſui debuiſſe impendere in ſuffragium Defunctæ quandam notabilem ſummam, quam teſtatus eſt Confeſſarius ſibi dixiſſe velle pro ſuffragio animæ impendi. Ratio mihi erat, quia, quamvis etiam quoad legata pia nemo cogatur credere Confeſſario Defuncti; nihilominus dum Defunctus impeditur a conficiendo Teſtamento, tunc adimplendum eſt quod credi debet Teſtatorem voluiſſe. In præfato autem caſu aderat omne fundamentum credendi Confeſſario; nam mulier erat piiſſima, & paucos relinquebat filios ingentibus divitiis affluentes. Præterea neque ſuſpectæ fidei poterat eſſe Confeſſarius, cum neque per ſe, neque pro ſuo Monaſterio vel unicam Miſſam celebrandam expoſceret.

Quoad alia legata, quæ forte facta fuiſſet perſona moribunda, de qua in præſenti regula, Confeſſarius taxare debet hæredem, ut ſolvat quantum valet ſpes illorum, qui ſperabant ſibi faciendum aliquod legatum, quales ſunt famuli, & famulæ, vel aliqua alia perſona, quam Defunctus proſequebatur ſpeciali amore.

II. Secundo, advertat Confeſſarius quandoque ab hærede differri aperitionem Teſtamenti, ne ſtatim cogatur ſolvere legata, quæ in eo eſſe dubitat, vel præſenſit. Dum vero, tranſacto aliquo tempoee, aperit teſtamentum, ſufficienter putat ſuæ conſcientiæ ſatisfacere, ſi tunc tradat rem legatam. Advertat igitur Confeſſarius hunc hæredem fuiſſe in mora culpabili ſolvendi, quia malitioſe diſtulit legeee teſtamentum, adeoque non ſatisfacere propriæ conſcientiæ, ſi inſimul non tradat fructus rei legatæ, ſi legatum conſiſtebat in aliquo fundo fructifero: vel lucrum ceſſans, ſeu damnum emergens; ſi legatum conſiſtebat in pecunia, quam Legatarius negociationi expoſuiſſet; vel ſi ex ea aliquem cenſum e. g. redemiſſet.

III. Habent quandoque Eccleſiæ antiqua legata, quæ ex variatione temporum, & morum habent uſum vel prorſus inutilem, vel parum conducentem ad Dei gloriam: ut eſſet legatum, quod habet quædam Eccleſia publice exponendi tot ſarcinas vini in publica platea non pro pauperibus, ſed pro quocumque, qui etiam vellet ſe inebriare. Pro his, & ſimilibus legatis adeundus eſſet Epiſcopus, ut in meliorem uſum commutaret. Ad ſedandum

Digitized by Google

dum autem populum Rector, vel Plebanus debent ipſum commoneſacere, quàm gratum Deo ſit ſimilia legata pauperibus diſtribuere, vel implicare pro dotandis puellis, vel pro aliqua Eccleſiæ neceſſitate.

Pariter, ſi Eccleſiæ habeant aliqua legata pro aliqua re particulari, qua abundat eadem Eccleſia, authoritate Epiſcopi commutanda ſunt in aliquid aliud, cujus ipſamet Eccleſia indigeat.

IV. Dum agitur de ſatisfaciendo piis legatis, & dubitatur de majori, vel minori quantitate non ſtatim reſolvendum eſt majorem dandam eſſe. Sed primo videat Confeſſarius an hæres fuerit valde dilectus a Teſtatore, & nimis gravetur integre legatum ſolvendo; nam tunc bene poteſt præſumere voluiſſe aliquam diminutionem in favorem hæredis. Si vero tota prædilectio appareat pro legato, tunc bene judicari poteſt integre ſolvendum, quamvis res quocunque modo aſſignata a Teſtatore non ſufficiat pro illius ſolutione. Prædilectio autem ut plurimum præſumi debet quoad legata Miſſarum pro anima Defuncti adimplenda ab hærede.

V. Aliam regulam attendere debet Confeſſarius, quid nempe conveniens ſit tribuere legatario. Ex hoc bene dignoſcere poteſt qualis eſſe debeat e.g. calix, & planeta, quæ relinquit Teſtator; ditiorem etenim conveniens erat tradi a Teſtatore divite, & nobili, ſecus a Teſtatore non habente hujuſmodi conditiones. Item majoris valoris præſumendum eſt tradi voluiſſe nobili Eccleſiæ, minoris vero Eccleſiæ rurali. Eodem modo diſcurrendum, ſi Teſtator præſcripſiſſet in genere aliquam eleemoſynam pauperibus diſtribuendam, nam largior tribuenda eſt, ſi Teſtator erat dives.

Hæc regula mihi etiam videtur attendenda in legatis profanis, quamvis etenim dici ſoleat iis ſatisfieri, viliora tradendo, nihilominus puto attendendam conditionem Teſtatoris, & legatarii, & juxta eam in caſu dubio adimplendam legatum, nam bene ex utriuſque conditione dignoſci poteſt voluntas Teſtatoris.

CAPUT VII.

De quibuſdam particularibus Legatis.

Q. I. QUid dicendum de legato alicui facto ſub hac conditione: *ſi non nupſerit*; vel *ſi non nupſerit Caja &c.* vel *ſi nupſerit Petro.*

R. I. Præfata conditio de non nubendo, ſi reſpiciat vel fœminam, vel virum qui non ſint in ſtatu viduitatis, habetur pro non adjecta, utpote contra favorem matrimonii, & bonum proveniens Reipublicæ ex filiorum generatione: *arg. leg. hoc modo 64. ff. de condit. & demonſtr.* atque ita aperte jura decernunt: *leg. ſi hoc 62. & ſeq. ff. eod.* Hinc præfatæ perſonæ, etſi nubant, conſequuntur totum legatum. Si vero præfata conditio de non nubendo reſpiciat perſonas exiſtentes in ſtatu viduitatis, omnino ſubſiſtit, ut conſtat *Auth. cui relictum Cod. de indict. viduit. toll.*, & *Novell. 22. cap. 43.* quibus juribus correcta ſunt antiqua, vi quorum ea conditio etiam pro vidua habebatur pro non adjecta.

R. II. Conditio appoſita legato de non nubendo alicui particulari perſonæ, alias legatum amittatur, omnino valida reputatur, *leg. cum ita 63. ff. de cond. & demonſtr.* quia talis conditio non prohibet abſolute matrimonium, cum alteri commode poſſit nubere ea perſona, cui legatum ſub tali conditione relictum eſt.

R. III. Conditio pariter de obtinendo legato, ſi quia nubat particolari perſonæ, eum honeſta ſit, non eſt cur non debeat attendi. In duobus tamen caſibus corruit; nempe ſi Pater puellæ, cui legatom relictum eſt ſub tali conditione, nolit illam ducere Petrum; nam conſenſus Patris requiritur, ut puella honeſte nubat: eo ergo renuante, talis conditio ut turpia reputatur, adeoque habebitur pro non adjecta; & puella legatum conſequetur: *Ant. a Sp. S. in Direct. p. 1. tr. 10. d. 1. ſeſſ. 12. n. 44. ex Sanch. Palao &c.* Secundo, non impeditur conſequutio legati, ſi Petrus nolit ducere puellam; etenim Teſtator cenſetur Legatum feciſſe ea conditione, ut nubat Petro, ſi Petrus velit; Petro ergo nolente, intelligitur adimpleta mens Teſtatoris, & ita remanet locus conſequutioni legati.

Q. II. An legatum relictum pro nubendis puellis dandum ſit Monaſterium ingredientibus.

R. I. Si legatum relictum ſit alicui determinatæ perſonæ, communis ſententia eſt eamdem conſequi poſſe, etiamſi ingrediatur Monaſterium; ut expreſſe habetur *Auth. de SS. Epiſc. §. Sed hoc præſenti &c.*, *Auth. niſi rogati C. ad Trebell.* Et rationem afferunt Authores, quia ſcilicet præſumi non poteſt Teſtatorem voluiſſe impedire legatariam ab electione ſtatus melioris: *Mol. d. 207.*, *Covarr. 1. Var. c. 9. n. 10.*

R. II. Si conſtet Teſtatorem nolle legatarium conſequi legatum, ſi Religionem ingrediatur, tunc attendenda eſt mens Teſtatoris; nam ceſſat præſumptio, quod noluerit impedire ab ingreſſu in Religionem, quoties exprimit ſuam mentem in contrarium: *Mol. loc. cit. num. 14.* Neque dicendum, eam conditionem: *ſi Religionem non ingrediatur*, non eſſe attendendam, utpote turpem; nam quamvis turpis eſſet, ſi apponeretur ex odio Religionis, talis non eſt judicanda, ſi apponatur ex juſta cauſa, ut ſi fiat ad conſervationem familiæ, ut nempe remanentes in ſæculo, magis indigentes quam Religioſi, poſſint melius ratione legati ſe ſubſtentare &c. Hinc bene poteſt Teſtator excludere a ſua hæreditate, vel fideicommiſſo ingredientes in religionem: *Laym. l. 3. tr. 5. cap. 9. num. 7. Sanch. l. 7. Moral. c. 16.* & communis. Diſponere quoque poteſt, ut ingredientes in Religionem minus conſequantur, quam remanentes in ſæculo; cum, ut dictum eſt, Monialis, vel Religioſus minus indigeant: *Sanch. de matr. lib. 1. d. 34. n. 4. Covarr. l. 1. var. c. 19. n. 10.*

R. III. Si legatom non relictum fuerit determinatæ perſonæ, ſed indefinite pro fœminis nubendis, mihi ea arridet ſententia, qua dicitur nullam eſſe obligationem illud dare Religionem ingredientibus. Ratio mihi eſt, quia ſemper cum mens Teſtatoris obſervari poteſt in ſpecifica forma, omnino ſervanda eſt, ſi aliquod jus non obſtet. In noſtro autem caſu nullum obſtat jus, quin literaliter ſervetur mens Teſtatoris; nam jura citata in prima reſponſione loquuntur, quando legatum factum eſt determinatæ puellæ ut nubat, non vero quando relictum eſt indefinite pro nubendis puellis. *Sanch. de matr. l. 1. d. 33. num 32. Lugo d. 24. num. 293.* aliique multi. Eſt etiam diſpar ratio in utroque caſu; nam ſi legatum relictum particulari puellæ, ut nubat, tradatur ipſi ingredienti in Religionem, nulli damnum infertur, præciſe etenim illi puellæ relictum eſt. Si vero legatum indefinite relictum pro fœminis nubendis tradatur ingredientibus in Religionem, remanent excluſæ tot aliæ, quæ eo legato nuberent, & pro quibus militat litera Teſtamentaria; eo magis quia velle excluſas ingredientes in Religionem eſt conditio, quæ poteſt omnino cohoneſtari ex dictis in ſecunda reſponſione.

Q. III. An legatum relictum pro nubendis fœminis conſequi poſſit a jam nuptis; vel etiam a Viduis iterum volentibus nubere.

R. I. Dum legatum relictum ſit pro determinatis puellis, v.g. talis familiæ; agnationis &c. poteſt conſequi etiam a jam nuptis; nam intelligitur Teſtator motus ex affectu ad illas, qui etiam habet locum vel nuptæ ſint, vel non nuptæ.

R. II. Si legatum relictum ſit pro dotandis Virginibus, ſeu fœminis pauperibus, poteſt pariter conſequi a nuptis ſine dote, vel eum dote incompetenti; nam adhuc perſiſtit motivum quod habuit Teſtator relinquendi tale legatum, nempe ſublevare earum paupertatem: *Sanch. de Matr. l. 7. d. 91. n. 63. Mantic. de conject. ult. vol. l. 12. tit. 1. n. 13.*

R. III. Si legatum relictum ſit pro nubendis fœminis in generali, non poteſt dari jam nuptis; nam præſumitur Teſtatorem illud reliquiſſe, ut removeret a periculo fœminas innuptas, adeoque non habet locum reſpectu earum, quæ jam matrimonium contraxerunt.

R. IV. Legatum pro fœminis nubendis ordinarie non confertur viduis, nam cenſetur voluntatem Teſtatoris fuiſſe de fœminis prima vice nubendis. Aliquæ nihilominus dantur limitationes. Primo, non ſervatur hæc communis doctrina, quoties primum matrimonium non fuerit conſummatum: *Sanch. de matr. l. 7. d. 91. n. 55.* Secundo, ſi nullæ aliæ fœminæ extarent, quæ conſequi poſſent legatum. Tertio, ſi legatum ſit pro nubendis fœminis pauperibus; nam tunc tradi poteſt etiam viduis pauperibus, propter rationem allatam in ſecunda reſponſione: *Joan. Bapt. de Thor. in Summ. priv. piar. cauſ. priv. 84.*

Q. IV. Quid attendendum ſit in executione legati facti pro nubendis Virginibus; vel relicti uxori, aliiſque fœminis ea conditione: *ſi caſte vixerint.*

R. I.

R. I. Legatum pro Virginibus nubendis tribuendum eſt iis, quæ tales communiter reputantur; neque enim rationabiliter præſumi poteſt voluiſſe Teſtatorem, quod ſi aliqua occulte fuerit corrupta, publicet ſuam turpitudinem, at ita a legato arceatur. Bene ergo, & a tali corrupta puella legatum tuta conſcientia poteſt retineri, ſi communiter Virgo reputetur: *Lan. lib. 1. de Cap. cap. 21. numer. 90. Dian. part. 2. tract. 16. reſol. 52.*

Quod ſi alicui data ſit a Teſtatore facultas eligendi Virgines pro legato conſequendo, & certo ſciat aliquam non eſſe Virginem, nec adſit ſcandalum, ſi eam non eligat, puto hanc non poſſe eligere. Ratio eſt, quia ex notiſſimis juris principiis mens Teſtatoris adimplenda eſt in forma ſpecifica, ſemper cum fieri poteſt: conſtat autem putandum eſſe Teſtatorem in legatis pro Virginibus ſaltem primo, & principaliter favere voluiſſe veris Virginibus, iis vero quæ ſunt tantum Virgines putative, ſolummodo quando non poſſint ſine ſcandalo arceri a legato. Suppoſito ergo adeſſe veras Virgines, quibus dari poſſit legatum, puto in præfatis circumſtantiis non poſſe eligi Virgines ſolummodo tales putative.

R. II. Uxor, cui legatum relictum eſt ſub conditione, *ſi caſte vixerit*, non illud deperdit tranſeundo ad ſecundas nuptias; caſte enim vivit ea, quæ contrahit matrimonium. Verum tamen eſt ut plurimum patere ex aliis circumſtantiis per ea verba Teſtatorem exprimere voluiſſe, nolle uxorem ad ſecundas nuptias tranſire, alias amittat legatum.

R. III. Juxta valde probabilem ſententiam, cum denominatio ab uno, aut altero acta non ſumatur, non intelligitur inhoneſte vivere eam, quæ ſemel, aut iterum actu laſcivum paſſa eſt, vel ſemel, aut iterum eſt fornicata; unde hæc conſequi poteſt legatum relictum iis, quæ caſte vivunt: Cæterum ſi relictum fuerit ſub conditione: *ſi non fuerit fornicata*, unica fornicatio excludit a legato, & quia id non eſt pœna, ſed diſpoſitio Teſtatoris, non eſt expectanda Judicis ſententia: *Sanch. lib. 7. d. 91. num. 32. 35. & 40. Mant. de conject. ult. vol. lib. 11. tit. 19. numer. 35. Bonac. num. 22.*

Q. V. Cui debeatur legatum relictum pro orphanis, vel pro puellis orphanis.

R. I. Quamvis Orphani dicantur illi, qui utroque carent parente, nihilominus legatum orphanis relictum credo poſſe etiam conſequi filium, vel filiam habentes parentes inutiles. Ratio eſt, quia mens Teſtatoris fuerit ſpeculari filiis, qui non habent a quo alantur, & tales ſunt habentes parentes inutiles, qui potius alimenta poſcunt a filiis: *Dian. part. 4. tr. 4. reſol. 140.* Hinc *cap. inter cætera translat. Epiſc.* juncta Gloſſa *v. inutilem*, inutilis mortuus reputatur; ac proinde Eccleſia habens Epiſcopum inutilem dicitur Vidua. Ex præfata ratione non ſine fundamento dicitur legatum viduis relictum conſequi etiam poſſe habentes Maritum inutilem: *Diana part. 2. tract. 2. reſol. 52.*

R. II. Conſtat ex prædictis legatum relictum puellis orphanis, conſequi etiam poſſe puellas habentes parentes inutiles. Et quia puellæ expoſitæ, quamvis Parentes habeant, ordinarie taliter ſe habent, ac ſi non haberent; ideo ad effectum legati conſequendi, orphanæ merito poſſunt reputari.

Reperio quandam limitationem hujus doctrinæ, ſcilicet quod ſemper cum ſint filii, & puellæ vere parentibus orbatæ; præferendæ ſunt habentibus parentes, ſed inutiles. At mihi non probatur hæc limitatio, quoties tales parentes vel ſenio, vel infirmitate, vel alia de cauſa ſint prorſus inutiles. Ratio mihi eſt, quia in exequendis ultimis Teſtatorum voluntatibus, non pure cortex literæ eſt attendendus, ſed ratio, ſeu motivum, quare Teſtator ita diſpoſuerit. In legatis autem pro orphanis, Teſtator habuit pro motivo ſublevare ipſorum paupertatem, & removere maxime puellas orphanas a periculo. Utrumque autem motivum magis prævalere conjicio in habentibus parentes prorſus inutiles, quam in iis, qui vere non habent parentes; qui enim tales habet parentes non ſolum debet ſubvenire propriæ, ſed etiam ipſorum indigentiæ, unde magis premitur a paupertate. Dein, ut experientia conſtat, majori paupertate impellente, horum filiæ ſunt in majori periculo ſe proſtituendi, & ad id non raro ab iiſdem inutilibus parentibus alliciuntur. *Bonac. diſp. 3. quæſt. & punct. ult. num. 9.*

Q. VI. Quomodo *diſtribuendum ſit legatum pauperibus relictum.*

R. I. Suppono illum vere & proprie dici pauperem, qui non habet unde decenter vivat juxta ſuum ſtatum; quapropter etiam de perſonis nobilibus verificari poteſt eſſe vera pauperes. Hoc ſuppoſito,

Si Teſtator expreſſe dicat relinquere arbitrio ſui hæredis, vel executoris electionem pauperum, tunc ſi vere eligant pauperes, ſuo muneri ſatisfaciunt; nam Teſtator horum electionem voluit ab ipſorum facultate pendere.

R. II. Si Teſtator reliquerit vel omnia, vel aliqua bona ſua pauperibus diſtribuenda, non tradita Executori præfata facultate, tunc non poteſt eligere pauperes, quos mavult, ſed debet attendere qualis præſumenda ſit mens Teſtatoris; nam hæc eſt regula ſatisfaciendi legatis. Primo igitur, præſumi debet Teſtatorem voluiſſe potius ſubvenire pauperibus ſuæ Civitatis, ſeu Oppidi, quam Exteris, quia hi præſumuntur ab eo minus dilecti: *Gloſſ. in cap. pauperes de teſt. & leg. præſes Cod. de ſervit. & aqua, Menoch. lib. 4. præſ. 125.* Secundo, inter pauperes loci præſumendum eſt voluiſſe ſubvenire magis indigentibus, quia credi debet voluiſſe quod eſt magis meritorium: *D. Thom. 2. 2. quæſt. 32. a. 3. d. 1.* Tertio, credendum voluiſſe, ut dum ſibi conjuncti æqualis premantur paupertate, aliis præferantur; nam talis eſt charitas ordinata, quam judicare oportet reſpexiſſe Teſtatorem, & hæc propinquos aliis præfert: *arg. leg. præſes cit.*, ſicut & magis conjunctos minus conjunctis; *D. Thom. 2. 2. quæſt. 32. art. 9.* Nunc quamvis conjuncti non tanta premerentur paupertate; quam non conjuncti; nihilominus cenſerem poſſe iis præferri ex præfato ordine charitatis, quæ illos magis reſpicit. Quarto, cæteris pauperibus, juxta ordinem charitatis præferri poſſunt pauperes melioris vitæ, utpote magis proficui bono communi: *D. Thom. loc. cit.* Hinc ex legatis relictis pauperibus, dum exemplariter vivant, & vere indigeant, ſubveniri præ aliis poteſt Religioſis, qui ſolummodo vivunt ex Fidelium eleemoſynis: *Laym. lib. 3. tract. 5. cap. 11. num. 8. Menoch. lib. 4. præſ. 125.* omnino videndus. Alii Religioſi, aliæque quæcumque perſonæ habentes annuos redditus, unde vivant, non poſſunt juxta aliquos conſequi diſtribuenda inter pauperes, aliis tamen contradicentibus; quamvis ego primis adhærerem, cum ordinarie in ſimilibus legatis Teſtatores nomine pauperum non intelligant Religioſos habentes unde vivant. Quantum conveniens eſt pauperes bonæ vitæ cæteris anteponi, tantum neceſſe eſt arcere ab his ſubſidiis pauperes iniquos, & ignavos, quibus eleemoſyna potius occaſio eſt, ut otio, & iniqua vita marceſcant: *Da bono*, dicitur Eccleſ. 12. *& non receperis peccatorem: bene fac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dare.* Quinto, præſumi poteſt Teſtatorem voluiſſe ſaltem inæquali paupertate, fœminas, utpote quarum paupertas eſt periculoſior, maſculis præferri. Demum, cum legatum fuerit pluraliter diſtribuendum *inter pauperes*, cenſendum eſt voluntatem Teſtatoris in plurali loquentis, fuiſſe inter plures diſtribui. Ita autem diſtribuatur, ut uni non detur pluſquam habeat neceſſitatis; nam tunc excederet rationem puræ eleemoſynæ: *Menoch. loc. cit.*

Solet hic etiam inquiri, an ſi Executor ſit pauper, poſſit ſibi aliquid applicare ſecundum quod tribueret aliis pauperibus ejuſdem conditionis. Authores communiter reſpondent cum diſtinctione, & dicunt id poſſe præſtare Executorem, ſi Teſtator ignoraverit ejus paupertatem, quia non poteſt præſumi eum facere voluiſſe pejoris conditionis, quam cæteros pauperes. Secus ſi Teſtator ſciverit, quia veroſimile eſt, quod dum ſciebat ejus paupertatem, aliquid illi reliquiſſet ſi voluiſſet ſubvenire. *Sanch. lib. 2. mor. c. 11. n. 54. Laym. lib. 3. tr. 6. cap. 11. num. 7.* Ego nihilominus in praxi puto recedendum ab hac limitatione; nam ordinarie Executores teſtamentarii ſunt perſonæ amicitia, vel ſanguine valde Teſtatori conjunctæ, quomodo ergo cum ſint prædilectæ, judicandum eſt voluiſſe aliis extraneis pauperibus poſtponere? Præſumendum ergo eſt, quod ſi Teſtator ſciens paupertatem Executoris, illi aliquid non reliquerit, id eveniſſe ex oblivione, ut multoties accidit teſtantibus prope mor-

Digitized by Google

dum autem populum Rector, vel Plebanus debent ipſum commonefacere, quàm gratum Deo ſit ſimilia legata pauperibus diſtribuere, vel implicare pro dotandis puellis, vel pro aliqua Eccleſiæ neceſſitate.

Pariter, ſi Eccleſiæ habeant aliqua legata pro aliqua re particulari, qua abundat eadem Eccleſia, authoritate Epiſcopi commutanda ſunt in aliquid aliud, cujus ipſamet Eccleſia indigeat.

IV. Dum agitur de ſatisfaciendo piis legatis, & dubitatur de majori, vel minori quantitate non ſtatim reſolvendum eſt majorem dandum eſſe. Sed primo videat Confeſſarius an hæres fuerit valde dilectus a Teſtatore, & nimis gravetur integre legatum ſolvendo; nam tunc bene poteſt præſumere voluiſſe aliquam diminutionem in favorem hæredis. Si vero tota prædilectio appareat pro legato, tunc bene judicari poteſt integre ſolvendum, quamvis res quocumque modo aſſignata a Teſtatore non ſufficiat pro illius ſolutione. Prædilectio autem ut plurimum præſumi debet quoad legata Miſſarum pro anima Defuncti adimplenda ab hærede.

V. Aliam regulam attendere debet Confeſſarius, quid nempe conveniens ſit tribuere legatario. Ex hoc bene dignoſcere poteſt qualis eſſe debeat e.g. calix, & planeta, quæ relinquit Teſtator; ditiorem etenim conveniens erat tradi a Teſtatore divite, & nobili, ſecus a Teſtatore non habente hujuſmodi conditiones. Item majoris valoris præſumendum eſt tradi voluiſſe nobili Eccleſiæ, minoris vero Eccleſiæ rurali. Eodem modo diſcurrendum, ſi Teſtator præſcripſiſſet in genere aliquam eleemoſynam pauperibus diſtribuendum, num largior tribuenda eſt, ſi Teſtator erat dives.

Hæc regula mihi etiam videtur attendenda in legatis profanis, quamvis etenim dici ſoleat iis ſatisfieri, viliora tradendo, nihilominus puto attendendam conditionem Teſtatoris, & legatarii, & juxta eam in caſu dubio adimplendum legatum, nam bene ex utriuſque conditione dignoſci poteſt voluntas Teſtatoris.

CAPUT VII.

De quibuſdam particularibus Legatis.

Q. I. QUid dicendum de legato alicui facto ſub hac conditione: *ſi non nupſerit*; vel *ſi non nupſerit Caja &c.* vel *ſi nupſerit Petro*.

R. I. Præfata conditio de non nubendo, ſi reſpiciat vel fœminam, vel virum qui non ſint in ſtatu viduitatis, habetur pro non adjecta, utpote contra favorem matrimonii, & bonum proveniens Reipublicæ ex filiorum generatione: *arg. leg. hoc modo 64. ff. de condit. & demonſtr.* atque ita aperte jura decernunt: *leg. ſi hoc 62. & ſeq. ff. eod.* Hinc præfatæ perſonæ, etſi nubant, conſequuntur totum legatum. Si vero præfata conditio de non nubendo reſpiciat perſonas exiſtentes in ſtatu viduitatis, omnino ſubſiſtit, ut conſtat *Auth. cui relictum Cod. de indict. viduit. toll.*, & *Novell. 22. cap. 43.* quibus juribus correcta ſunt antiqua, vi quorum ea conditio etiam pro viduis habebatur pro non adjecta.

R. II. Conditio appoſita legato de non nubendo alicui particulari perſonæ, alias legatum amittatur, omnino valida reputatur, *leg. cum ita 63. ff. de cond. & demonſtr.* quia talis conditio non prohibet abſolute matrimonium, cum alteri commode poſſit nubere ea perſona, cui legatum ſub tali conditione relictum eſt.

R. III. Conditio pariter de obtinendo legato, ſi quis nubat particulari perſonæ, cum honeſta ſit, non eſt cur non debeat attendi. In duobus tamen caſibus corruit; nempe ſi Pater puellæ, cui legatum relictum eſt ſub tali conditione, nolit illam ducere Petrum; nam conſenſus Patris requiritur, ut puella honeſte nubat: eo ergo renuente, talis conditio ut turpis reputatur, adeoque habebitur pro non adjecta; & puella legatum conſequetur: *Ant. a Sp. S. in Direct. p. 1. tr. 10. d. 1. ſeſſ. 12. n. 44. ex Sanch. Palao &c.* Secundo, non impeditur conſequutio legati, ſi Petrus nolit ducere puellam; etenim Teſtator cenſetur Legatum feciſſe ea conditione, ut nubat Petro, ſi Petrus velit; Petro ergo nolente, intelligitur adimpleta mens Teſtatoris, & ita remanet locus conſequutioni legati.

Q. II. An legatum relictum pro nubendis puellis dandum ſit Monaſterium ingredientibus.

R. I. Si legatum relictum ſit alicui determinatæ perſonæ, communis ſententia eſt eamdem conſequi poſſe, etiamſi ingrediatur Monaſterium; ut expreſſe habetur *Auth. de SS. Epiſc. §. Sed hoc præſenti &c.*, *Auth. niſi rogati C. ad Trebell.* Et rationem afferunt Authores, quia ſcilicet præſumi non poteſt Teſtatorem voluiſſe impedire legatariam ab electione ſtatus melioris: *Mol. d. 207.*, *Covarr. 1. Var. c. 9. n. 10.*

R. II. Si conſtet Teſtatorem nolle legatarium conſequi legatum, ſi Religionem ingrediatur, tunc attendenda eſt mens Teſtatoris; nam ceſſat præſumptio, quod noluerit impedire ab ingreſſu in Religionem, quoties exprimit ſuam mentem in contrarium: *Mol. loc. cit. num. 14.* Neque dicendum, eam conditionem: *ſi Religionem non ingrediatur*, non eſſe attendendam, utpote turpem; nam quamvis turpis eſſet, ſi apponeretur ex odio Religionis, talis non eſt judicanda, ſi apponatur ex juſta cauſa, ut ſi fiat ad conſervationem familiæ, ut nempe remanentes in ſæculo, magis indigentes quam Religioſi, poſſint melius ratione legati ſe ſubſtentare &c. Hinc bene poteſt Teſtator excludere a ſua hæreditate, vel fideicommiſſo ingredientes in religionem: *Laym. l. 3. tr. 5. cap. 9. num. 7. Sanch. l. 7. Moral. c. 16.* & communis. Diſponere quoque poteſt, ut ingredientes in Religionem minus conſequantur, quam remanentes in ſæculo; cum, ut dictum eſt, Monialis, vel Religioſus minus indigeant: *Sanch. de matr. lib. 1. d. 34. n. 4. Covarr. l. 1. var. c. 19. n. 10.*

R. III. Si legatum non relictum fuerit determinatæ perſonæ, ſed indefinite pro fœminis nubendis, mihi ea arridet ſententia, qua dicitur nullam eſſe obligationem illud dare Religionem ingredientibus. Ratio mihi eſt, quia ſemper cum mens Teſtatoris obſervari poteſt in ſpecifica forma, omnino ſervanda eſt, ſi aliquod jus non obſtet. In noſtro autem caſu nullum obſtat jus, quin literaliter ſervetur mens Teſtatoris; nam jura citata in prima reſponſione loquuntur, quando legatum factum eſt determinatæ puellæ ut nubat, non vero quando relictum eſt indefinite pro nubendis puellis. *Sanch. de matr. l. 1. d. 33. num. 32. Lugo d. 24. num. 293.* aliique multi. Eſt etiam diſpar ratio in utroque caſu; nam ſi legatum relictum particulari puellæ, ut nubat, tradatur ipſi ingredienti in Religionem, nulli damnum infertur, præciſe etenim illi puellæ relictum eſt. Si vero legatum indefinite relictum pro fœminis nubendis tradatur ingredientibus in Religionem, remanent excluſæ ſue aliæ, quæ eo legato nuberent, & pro quibus militat litera Teſtamentaria; eo magis quia velle excluſas ingredientes in Religionem eſt conditio, quæ poteſt omnino cohoneſtari ex dictis in ſecunda reſponſione.

Q. III. An legatum relictum pro nubendis fœminis conſequi poſſit a jam nuptis; vel etiam a Viduis iterum volentibus nubere.

R. I. Dum legatum relictum ſit pro determinatis puellis, v.g. talis familiæ; agnationis &c. poteſt conſequi etiam a jam nuptis; nam intelligitur Teſtator motus ex affectu ad illas, qui etiam habet locum vel nuptæ ſint, vel non nuptæ.

R. II. Si legatum relictum ſit pro dotandis Virginibus, ſeu fœminis pauperibus, poteſt pariter conſequi a nuptis ſine dote, vel cum dote incompetenti; nam adhuc perſiſtit motivum quod habuit Teſtator relinquendi tale legatum, nempe ſublevare earum paupertatem: *Sanch. de Matr. l. 7. d. 91. n. 63. Mantic. de conject. ult. vol. l. 12. tit. 1. n. 13.*

R. III. Si legatum relictum ſit pro nubendis fœminis in generali, non poteſt dari jam nuptis; nam præſumitur Teſtatorem illud reliquiſſe, ut removeret a periculo fœminas innuptas, adeoque non habet locum reſpectu earum, quæ jam matrimonium contraxerunt.

R. IV. Legatum pro fœminis nubendis ordinaria non confertur viduis, nam cenſetur voluntatem Teſtatoris fuiſſe de fœminis prima vice nubendis. Aliquæ nihilominus dantur limitationes. Primo, non ſervatur hæc communis doctrina, quoties primum matrimonium non fuerit conſummatum: *Sanch. de matr. l. 7. d. 91. n. 55.* Secundo, ſi nullæ aliæ fœminæ extarent, quæ conſequi poſſent legatum. Tertio, ſi legatum ſit pro nubendis fœminis pauperibus; nam tunc tradi poteſt etiam viduis pauperibus, propter rationem allatam in ſecunda reſponſione: *Joan. Bapt. de Thor. in Summ. priv. piar. cauſ. priv. 84.*

Q. IV. Quid attendendum ſit in executione legati facti pro nubendis Virginibus; vel relicti uxori, aliiſque fœminis ea conditione: *ſi caſte vixerint*.

R. I.

Digitized by Google

R. I. Legatum pro Virginibus nubendis tribuendum eſt iis, quæ tales communiter reputantur; neque enim rationabiliter præſumi poteſt voluiſſe Teſtatorem, quod ſi aliqua occulte fuerit corrupta, publicet ſuam turpitudinem, ut ita a legato arceatur. Bene ergo, & a tali corrupta puella legatum tuta conſcientia poteſt retineri, ſi communiter Virgo reputetur: *Lar. lib. 1. de Cap. cap. 21. numer. 90. Dian. part. 2. tract. 16. reſol. 52.*

Quod ſi alicui data ſit a Teſtatore facultas eligendi Virgines pro legato conſequendo, & certo ſciat aliquam non eſſe Virginem, nec adſit ſcandalum, ſi eam non eligat, puto hanc non poſſe eligere. Ratio eſt, quia ex notiſſimis juris principiis mens Teſtatoris adimplenda eſt in forma ſpecifica, ſemper cum fieri poteſt: conſtat autem putandum eſſe Teſtatorem in legatis pro Virginibus ſaltem primo, & principaliter favere voluiſſe veris Virginibus, iis vero quæ ſunt tantum Virgines putative, ſolummodo quando non poſſint ſine ſcandalo arceri a legato. Suppoſito ergo adeſſe veras Virgines, quibus dari poſſit legatum, puto in præfatis circumſtantiis non poſſe eligi Virgines ſolummodo tales putative.

R. II. Uxor, cui legatum relictum eſt ſub conditione, *ſi caſte vixerit*, non illud deperdit tranſeundo ad ſecundas nuptias; caſte enim vivit ea, quæ contrahit matrimonium. Verum tamen eſt ut plurimum pateſcere ex aliis circumſtantiis per ea verba Teſtatorem exprimere voluiſſe, nolle uxorem ad ſecundas nuptias tranſire, alias amittat legatum.

R. III. Juxta valde probabilem ſententiam, cum denominatio ab uno, aut altero actu non ſumatur, non intelligitur inhoneſta vivere eam, quæ ſemel, aut iterum actu laſcivum paſſa eſt, vel ſemel, aut iterum eſt fornicata; unde hæc conſequi poteſt legatum relictum iis, quæ caſte vivunt: Cæterum ſi relictum fuerit ſub conditione: *ſi non fuerit fornicata*, unica fornicatio excludit a legato, & quia id non eſt pœna, ſed diſpoſitio Teſtatoris, non eſt expectanda Judicis ſententia: *Sanch. lib. 7. d. 91. num. 32. 35. & 40. Mant. de conject. ult. vol. lib. 21. tit. 19. numer. 35. Bonac. num. 22.*

Q. V. Cui debeatur legatum relictum pro orphanis, vel pro puellis orphanis.

R. I. Quamvis Orphani dicantur illi, qui utroque carent parente, nihilominus legatum orphanis relictum credo poſſe etiam conſequi filium, vel filiam habentes parentes inutiles. Ratio eſt, quia mens Teſtatoris fuerit opitulari filiis, qui non habent a quo alantur, & tales ſunt habentes parentes inutiles, qui potius alimenta poſcunt a filiis: *Dian. part. 4. tr. 4. reſol. 140.* Hinc *cap. inter cætera translat. Epiſc.* juncta Gloſſa *v. inutilem*, inutilis mortuus reputatur; ac proinde Eccleſia habens Epiſcopum inutilem dicitur Vidua. Ex præfata ratione non ſine fundamento dicitur legatum viduis relictum conſequi etiam poſſe habentes Maritum inutilem: *Diana part. 2. tract. 2. reſol. 52.*

R. II. Conſtat ex prædictis legatum relictum puellis orphanis, conſequi etiam poſſe puellas habentes parentes inutiles. Et quia puellæ expoſitæ, quamvis Parentes habeant, ordinarie taliter ſe habent, ac ſi non haberent; ideo ad effectum legati conſequendi, orphanæ merito poſſunt reputari.

Reperio quandam limitationem hujus doctrinæ, ſcilicet quod ſemper cum ſint filii, & puellæ vere parentibus orbatæ; præferendæ ſunt habentibus parentes, ſed inutiles. At mihi non probatur hæc limitatio, quoties tales parentes vel ſenio, vel infirmitate, vel alia de cauſa ſint prorſus inutiles. Ratio mihi eſt, quia in exequendis ultimis Teſtatorum voluntatibus, non pure cortex literæ eſt attendendus, ſed ratio, ſeu motivum quare Teſtator ita diſpoſuerit. In legatis autem pro orphanis, Teſtator habuit pro motivo ſublevare ipſorum paupertatem, & removere maxime puellas orphanas a periculo. Utrumque autem motivum magis prævalere conjicio in habentibus parentes prorſus inutiles, quam in iis, qui vere non habent parentes; qui enim tales habet parentes non ſolum debet ſubvenire propriæ, ſed etiam ipſorum indigentiæ, unde magis premitur a paupertate. Dein, ut experientia conſtat, majori paupertate impellente, horum filiæ ſunt in majori periculo ſe proſtituendi, & ad id non raro ab iiſdem inutilibus parentibus alliciuntur. *Bonac. diſp. 3. quæſt. & punct. ult. num. 9.*

Q. VI. Quomodo diſtribuendum ſit legatum pauperibus relictum.

R. I. Suppono illum vere & proprie dici pauperem, qui non habet unde decenter vivat juxta ſuum ſtatum; quapropter etiam de perſonis nobilibus verificari poteſt eſſe vere pauperes. Hoc ſuppoſito,

Si Teſtator expreſſe dicat relinquere arbitrio ſui hæredis, vel executoris electionem pauperum, tunc ſi vere eligant pauperes, ſuo muneri ſatisfaciunt; nam Teſtator horum electionem voluit ab ipſorum facultate pendere.

R. II. Si Teſtator reliquerit vel omnia, vel aliqua bona ſua pauperibus diſtribuenda, non tradita Executori præfata facultate, tunc non poteſt eligere pauperes, quos mavult, ſed debet attendere qualis præſumenda ſit mens Teſtatoris; nam hæc eſt regula ſatisfaciendi legatis. Primo igitur, præſumi debet Teſtatorem voluiſſe potius ſubvenire pauperibus ſuæ Civitatis, ſeu Oppidi, quam Exteris, quia hi præſumuntur ab eo minus dilecti: *Gloſſ. in cap. pauperes de teſt. & leg. præſes Cod. de ſervit. & aqua, Menoch. lib. 4. præſ. 125.* Secundo, inter pauperes loci præſumendum eſt voluiſſe ſubvenire magis indigentibus, quia credi debet voluiſſe quod eſt magis meritorium: *D. Thom. 2. 2. quæſt. 32. a. 3. ad 1.* Tertio, credendum voluiſſe, ut dum ſibi conjuncti æqualis premantur paupertate, aliis præferantur; nam talis eſt charitas ordinata, quam judicare oportet reſpexiſſe Teſtatorem, & hæc propinquos aliis præfert: *arg. leg. præſes cit.*, ſicut & magis conjunctos minus conjunctis; *D. Thom. 2. 2. quæſt. 32. art. 9.* Nunc quamvis conjuncti non tanta premerentur paupertate, quam non conjuncti; nihilominus cenſerem poſſe iis præferri ex præfato ordine charitatis, quæ illos magis reſpicit. Quarto, cæteris pauperibus, juxta ordinem charitatis præferri poſſunt pauperes melioris vitæ, utpote magis proficui bono communi: *D. Thom. loc. cit.* Hinc ex legatis relictis pauperibus, dum exemplariter vivant, & vere indigeant, ſubveniri præ aliis poteſt Religioſis, qui ſolummodo vivunt ex Fidelium eleemoſynis: *Laym. lib. 3. tract. 5. cap. 11. num. 8. Menoch. lib. 4. præſ. 125.* omnino videndus. Alii Religioſi, aliæque quæcumque perſonæ habentes annuos redditus, unde vivant, non poſſunt juxta aliquos conſequi diſtribuenda inter pauperes, aliis tamen contradicentibus; quamvis ego primis adhærerem, cum ordinarie in ſimilibus legatis Teſtatores nomine pauperum non intelligant Religioſos habentes unde vivant. Quantum conveniens eſt pauperes bonæ vitæ cæteris anteponi, tantum neceſſe eſt arcere ab his ſubſidiis pauperes iniquos, & ignavos, quibus eleemoſyna potius occaſio eſt, ut otio, & iniqua vita marceſcant: *Da bono*, dicitur Eccleſ. 12. *& non receperis peccatorem: bene fac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dare.* Quinto, præſumi poteſt Teſtatorem voluiſſe ſaltem inæquali paupertate, fœminas, utpote quarum paupertas eſt periculoſior, maſculis præferri. Demum, cum legatum fuerit pluraliter diſtribuendum *inter pauperes*, cenſendum eſt voluntatem Teſtatoris in plurali loquentis, fuiſſe inter plures diſtribui. Ita autem diſtribuatur, ut uni non detur pluſquam habeat neceſſitatis; nam tunc excederet rationem puræ eleemoſynæ: *Menoch. loc. cit.*

Solet hic etiam inquiri, an ſi Executor ſit pauper, poſſit ſibi aliquid applicare ſecundum quod tribueret aliis pauperibus ejuſdem conditionis. Authores communiter reſpondent cum diſtinctione, & dicunt id poſſe præſtare Executorem, ſi Teſtator ignoraverit ejus paupertatem, quia non poteſt præſumi eum facere voluiſſe pejoris conditionis, quam cæteros pauperes. Secus ſi Teſtator ſciverit, quia veroſimile eſt, quod dum ſciebat ejus paupertatem, aliquid illi reliquiſſet ſi voluiſſet ſubvenire. *Sanch lib. 2. mor. c. 11. n. 54. Laym. lib. 3. tr. 6. cap. 11. num. 7.* Ego nihilominus in praxi puto recedendum ab hac limitatione; nam ordinarie Executores teſtamentarii ſunt perſonæ amicitia, vel ſanguine valde Teſtatori conjunctæ, quomodo ergo cum ſint prædilectæ, judicandum eſt voluiſſe aliis extraneis pauperibus poſtponere? Præſumendum ergo eſt, quod ſi Teſtator ſciens paupertatem Executoris, illi aliquid non reliquerit, id eveniſſe ex oblivione, ut multoties accidit teſtantibus prope mor-

mortem, vel quod noluerit illi veluti exprobrare ſuam paupertatem; vel quod crediderit non premi tanta inopia, ut revera premitur &c. Hinc in praxi nunquam excludendum credo a conſequenda ea eleemoſyna, quam ſimiles pauperes conſequuntur.

Q. VII. An legato principali, cenſeatur legatum acceſſorium.

R. Cum principale trahat poſt ſe acceſſorium, eo legato & iſtud legatum cenſetur. Si proinde fiat legatum de lecto, & ipſius ornamenta legata intelliguntur, ſi de domo, & viridiarum illi adhærens; ſi de veſte, & ornamenta ipſius: *Bonac. diſp. 3. quæſt. & part. ultim. num. 15.* Acceſſorio non extante, adhuc debetur principale, quia iſtud ab eo non pendet, ni acceſſorium taxative ponatur, itaut deſignet principale. Hinc ſi quis fecerit legatum de veſte habente tale ornamentum, ſi non extet tale ornamentum, neque exiſtet veſtis, quæ ab eo deſignatur, & ita non debetur.

Q. VIII. Cui dandum ſit legatum, quando ſunt duæ perſonæ, vel duæ Eccleſiæ ejuſdem nominis.

R. Quamvis in foro externo propter incertitudinem perſonarum, vel locorum, legatum videatur vitiari: *leg. cum ex pluribus 32. ff. de manum. teſtam. leg. ſi ita 11. ff. de reb. dub. & leg. ſi duo Titii ff. de teſtam.* nihilominus dicunt Theologi in foro conſcientiæ eſſe perſolvendum, quia hæres eſt certus de debito, & incertitudo perſonarum non eximit a ſolutione. Si igitur non appareat cui potius perſonæ, vel loco Teſtator reliquerit legatum, jam utraque perſona, & locus habent æquale jus; adeoque legatum eſt dividendum; neque eſt in arbitrio hæredis aliter facere; nam tunc præjudicium inferret æquali utriuſque juri: *Molin. diſp. 197. Lugo diſp. 24. a numer. 250.*

In praxi tamen difficile eſt adeſſe præfatam incertitudinem: nam vel ex conſangoinitate, vel ex acceptis beneficiis &c. dignoſcetur quam perſonam Teſtator voluerit deſignare: *de Ricc. part. 2. deciſ. 213.* Pariter ex affectu Teſtatoris ad aliquem pium locum, vel Eccleſiam; ſeu quia una fuerit illi parochialis, aut habeat in ea ſepulchrum, dignoſci poterit cui Eccleſiæ reliquerit legatum. Quod ſi eeſſet omnis alia præſumptio, dandum erit loco pauperiori, quia credendum eſt Teſtatorem voluiſſe opus majoris charitatis: *Barb. ad cap. indicante 4. de teſtam. num. 5.* Si vero nulla inter diverſa loca ejuſdem nominis appareat differentia, nec dignoſci poſſit quo magis penderet affectus Teſtatoris, tunc dicunt Epiſcopum poſſe, cui maluerit, gratificari: *Barb. loc. cit.* Mihi nihilominus videtor quod cum in tali caſu utriuſque loci ſit æquale jus, legatum ſit æqualiter dividendum. Cæterum advertendum, quod quando duo concurrerent monaſteria ejuſdem nominis virorum, & mulierum, perfectior videtur charitas iſtis ſuccorrere, unde has eſſe præferendas docent *Barb. loc. cit., & Mirand. in Man. tom. 1. quæſt 32. art. 8.* Ego tamen puto id intelligendam eſſe cæteris paribus: nam ſi multa eſſet inopia Monaſterii Virorum, major charitas eſſet huic opitulari, quam Monaſterio diviti Mulierum.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Prima regula ſit, quod Confeſſarius, vel Parochus, interrogatus de includenda vel excludenda aliqua puella a conſequatione alicujus legati, non ſit tam celer ad reſpondendum, quia in hac materia non raro haud attenditur cortex literæ teſtamenti. Hinc vidimus legatum relictum pro nubendis aliquando conſequi poſſe etiam jam nuptas, legatum relictum pro orphanis conſequi poſſe habentes; ſicut & legatum pro viduis etiam eas, quæ ſuperſtitem habent Virum &c.

II. Aliud ſummopere a Confeſſario in praxi obſervandum eſt, nempe quomodo Executores teſtamentarii diſtribuant dividenda inter pauperes. Ut plurimum iſti Executores, quanquam non relicta fuerit a Teſtatore ipſorum arbitrio talium bonorum diviſio, quaſi eſſent abſolute domini, volunt illa diſtribuere pro ſua voluntate, nil curantes de attendenda præſumpta voluntate Teſtatoris, vel regulis Charitatis. Si prædilectionem ergs aliquam familiam habeant, ipſi majorem eleemoſynæ partem inter pauperes dividendam tribuunt, non curantes, an dentur alii pauperiores; an irrationabiliter nimis tribuant aliquibus præ aliis; an dentur familiæ, quas pudeat eleemoſynam quærere, cum non ſint ex communi plebe quæ tamen ſumma egeſtate laborant. Fortaſſe etiam aliquando Executores Eccleſiaſtici, ſi ſint Confeſſarii, putant pecunia in pauperes elargienda, poſſe veſtes alicui mulieri ſupra ipſius conditionem emere, victum etiam exquiſitum ſuppeditare &c. Monendi ergo iſti Teſtamentarii Executores in diſtribuendis eleemoſynis non habendam eſſe voluntatem pro ratione, ſed attendendas regulas ſupra explicatas. Non per hoc tamen intelligo debere eſſe ſcrupuloſiores in nimis inquirendo, an unus præ alio ſit pauper, an unus præ alio bonus; ſufficit enim moralem diligentiam adhibere, ut muneri ſuo ſatisfeciſſe intelligantur.

CAPUT VIII.

De Donatione cauſa mortis, de Codicillis, & Revocatione Teſtamenti.

R. I. **Q**Uid ſit donatio cauſa mortis, & quid requiratur ad ejus valorem.

R. Donatio cauſa mortis eſt ea, quæ fit intuitu mortis, & facta mentione ejuſdem: *§. 1. Inſtit. de donat.*; unde etiamſi donator donet in periculo mortis, & non exprimat ſe intuitu ejuſdem donare, donatio cenſetur inter vivos, *arg. leg. Seja 42 § 1. ff de donat. Molin. diſp. 287. Lugo diſput. 24. ſect. 5. n. 322.*

Ad valorem vero, & perfectionem hujus donationis primo requiritur, ut ſit acceptata: *leg. abſenti 10. ff. de donat.*; ſe habet enim ſicut promiſſio, quæ uſquedum non fuerit acceptata, nullam parit obligationem. Hinc ſi aliquis in teſtamento utatur verbo *donare*, ſed donatarius nil poſſit acceptare ob ignorantiam rei, vel pecuniæ ſibi in teſtamento donatæ, præſumitur non donatio, ſed fideicommiſſum, vel legatum: *leg. 75. ff de legat. 2. & leg. 77 §. 26. ff. eod.* Secundo, non perficitur donatio cauſa mortis, niſi ipſa morte ſequuta; nam etiamſi talis donatio ita fieret, ut ſtatim res donata fit accipientis, prout fieri poſſe dicitur *leg. 2. de mort. cauſ. donat.* adhuc tamen ſemper eſſet revocabilis, ut ſtatim dicam.

Q. II. An donatio mortis cauſa ſemper ſit revocabilis; & quando ipſo jure intelligatur expirare.

R. I. Donationem mortis cauſa etiam acceptatam communiter docent DD. eſſe revocabilem, ita ut ſi donator promiſerit non revocare, velint talem donationem non eſſe dicendam cauſa mortis, ſed mortem ſolummodo fuiſſe cauſam impulſivam, non motivam: *argum. leg. ubi ita 27. ff. de mort. cauſ. donat., Menoch. lib. 3. præſ. 35. numer. 21. Maſcard. de prob. concl. 561. num. 6.* Et revera jura volunt naturam hujus donationis eſſe, quod ſi illius pœniteat donantem, donatum revertatur: *§. 1. Inſtit. de donat. & lib. 1. ff. de mor. cauſ. don.* Item dicunt donatum cauſa mortis, velle donantem potius ſuum eſſe, quam donatarii, adeoque ſemper cenſent revocabile; ſicut etiam dicunt hanc donationem non perfici ante mortem: *leg. non videtur 32. ff. de mort. cauſ. donat.* ac proinde ante ipſam ſemper reponant revocabilem.

R. II. Si donatio mortis cauſa facta ſit in infirmitate, ſeu periculo mortis, ceſſante periculo ceſſat donatio: *§. 1. Inſtit. de donationib.* quia donans cenſetur donaſſe hac conditione: *Si in hac infirmitate moriar.* Si vero donatio non facta ſit in infirmitate, quamvis facta fuerit mortis contemplatione, tunc non expirat niſi expreſſe revocetur; eo etenim ipſo quod quis ſanus donationem fecerit, non poteſt præſumi illius valorem pendere voluiſſe ab hoc, vel illo periculo mortis. Secundo, expirat donatio per mortem donatarii ante Donantem: *cit. §. 1. Inſtit. de donat.* Tertio, ſi donans expreſſe, vel tacite declaret pœnituiſſe donationis. Ultimo, ſi donator pœna capitis afficeretur: *leg. ſi aliquis 7. ff. de mor. cauſ. donat.*

Q. III. In quo differat donatio mortis cauſa, a legato, & donatione inter vivos.

R. I. Quamvis in jure donatio mortis cauſa legato aliquo pacto æquiparetur: *l. illud 37. de mort. cauſ. donat.* nihilominus aliquod diſcrimen inter ea eſt reperire,

re. Primo igitur ad donationem requiritur acceptatio, non vero ad legatum. Secundò, ut dictum eſt, donatio mortis cauſa expirat ceſſante periculo mortis, ſecus legatum. Tertio, perficitur legatum adita hæreditate: *arg. leg. poſt legat. 5. ff. de his quæ ut indig.* donatio vero morte donantis.

R. II. Donatio mortis cauſa differt a donatione inter vivos, quia hæc poſtquam fuit acceptata, non eſt revocabilis, ſecus illa. Item donatio inter vivos, moriente donatario ante donantem, tranſmittitur ad hæredes, ſecus donatio cauſa mortis. Denique donatio inter vivos excedens 500. ſolidos debet apud Judicem inſinuari, ut ſuo loco dictum eſt, non item donatio cauſa mortis: *leg. final. Codic. de donat. mort. cauſ.*

Solemnitates requiſitæ ad hanc donationem eædem ſunt, ac quæ requiruntur ad Codicillum, de quo ſtatim: *arg. leg. fin. C. de Codicill.*

Q. IV. Quid ſit Codicillus; quæ ad ejus valorem requirantur, & ad quid deſerviat clauſula codicillaris.

R. I. Codicillus, quem facere poſſunt, qui poſſunt teſtari: *leg. Div. ff. de jur. Codicill.*, eumque vel oretenus, vel in ſcriptis: *leg. fin. Cod. de Codicill.*, eſt ultima voluntas, qua licet directe inſtitui non poſſit hæres, per eum nihilominus fieri poſſunt donationes mortis cauſa, legata, fideicommiſſa, ficut & declarari poteſt teſtamentum, ſi antea fuerit factum &c. Id conſtat *ex tot. tit. inſtit. & Codic.*, ſicut & *ex tit ff. de jur. Cod.* In codicillis ergo directe inſtitui non poteſt hæres, nec hæreditas auferri, in quo maxime differt Codicillus a teſtamento: *§. 1. Inſtit. de codicill.*, *l. 2. & leg. ſi idem C. eod.* Indirecte poteſt inſtitui hæres in codicillo per fideicommiſſum, & tunc contingeret, quando quis ſine teſtamento decedens faceret codicillum, in quo gravaret hæredem ab inteſtato, ut partem, vel totam hæreditatem alteri reſtitueret. In hoc caſu, deducta pro ſe Trebellianica, parere deberet, & ad alium per modum fideicommiſſi hæreditas tranſiret: *§. 2. Inſtit. de codicill.*, *& leg. 2. Cod. eodem.*

R. II. Ad valorem codicilli de jure communi requiruntur quinque teſtes, ſive maſculi, ſive fœminæ, ſive rogati, ſive non, dummodo eodem tempore ſint ſimul præſentes: *Molin. diſp. 131. num. 6.* Hi debent ſe ſubſcribere, ſi Codicillus fiat in ſcriptis, ſecus ſi oretenus quamvis reducatur in ſcripturam, ne excidat memoria, ut dicitur de teſtamento nuncupativo: *leg. fin. Cod. de codicill.* Ad codicillum vero inter liberos, ſive ad pias cauſas ſufficiunt duo teſtes, ut diximus de Teſtamentis.

R. III. Clauſula codicillaris tunc datur, quando in teſtamento dicitur, quod ſi valere non poteſt ut teſtamentum, valeat ut Codicillus, vel eo meliori modo, quo valere poteſt. Si adſit iſta clauſula codicillaris, quamvis aliunde teſtamentum ex aliquo defectu ſit nullum, hæres ab inteſtato vi talis clauſulæ tenetur ſolvere omnia fideicommiſſa particularia contenta in teſtamento, quamvis nullo: *leg. fin. §. 1. Cod. de Codicill. & leg. ex ea Script. 29. ff. qui teſtam. facere &c. Molin. diſp. 132. Luym. tract. 5. cap. 8. num. 4.* Secundo, ſi extet clauſula codicillaris, hæredes extranei debent dare hæreditatem per modum fideicommiſſi hæredi inſtituto in teſtamento nullo, quia ut dixi ſupra, hoc modo per vim codicilli transferri poteſt hæreditas: *leg. 1. frater Cod. de fideic. & lib. 29. ff. qui teſt. facere &c.* Obſervandum tamen eſt, quod ſi hæredes ſuccedentes ab inteſtato ſunt extranei, poſſunt deducere ſolam trebellianicam, ſi vero neceſſarii, quales ſunt filii injuſte præteriti, & indebite exhæredati, poſſunt deducere trebellianicam, & legitimam, juxta dicta etiam agendo de teſtamentis. Ut tamen clauſula codicillaris hos præfatos operetur effectus, oportet ſaltem intervenire illas ſolemnitates, quæ neceſſariæ ſunt ad valorem codicilli.

Q. V. An teſtamentum ſemper poſſit revocari; & quid requiratur ad ejus revocationem, maxime ſi fuerit juramento firmatum.

R. I. Cum voluntas hominis ſit ambulatoria uſque ad mortem, jura volunt neminem aliquo pacto, clauſula, vel conditione obligari poſſe ad non revocandum teſtamentum; *leg. ſi quis 22. digeſtis de legationibus 3.*

R. II. Si Teſtamentum fuerit juramento confirmatum, & non adſit gravis cauſa illud revocandi, illicite revocatur, quamvis valide. Illicite, inquam, revocatur, quia juramentum ſervandum eſt, ſemper cum ſervari poſſit ſine peccato: *cap. ſi vero 8. de jurejur.* In noſtro autem caſu ſuppono nullum intervenire peccatum, ſi non revocetur teſtamentum. Neque dicas juramentum ſequi naturam actus principalis, adeoque in præſenti materia recedi poſſe a juramento adhærente teſtamento ſemper revocabili. Juramentum igitur ſequitur conditiones actus, cui adhæret, quando non fuerint expreſſe excluſæ ab eodem juramento, ſecus ſi fuerint excluſæ. Multo minus dicendum cum pluribus Juriſperitis tale juramentum eſſe contra bonos mores, & proinde non obligatorium. Contra enim eſt, quia ut in foro conſcientiæ ceſſet obligatio juramenti, ita oportet eſſe contra bonos mores, ut ex ejus obſervantia inducatur peccatum: quale autem, quæſo, peccatum eſt, ſi non urgeat juſta cauſa, non revocare teſtamentum? Et quidem peccatum eſſet, quando juſte leges obligarent ad revocandum, quod non faciunt, quamvis illud velint revocabile.

Dixi tamen, *ſi non adſit gravis cauſa*, nam dum quis juramento ſe ad aliquid obligavit, videtur hanc ſemper intendere tacitam conditionem, ſi non ſuperveniat gravis cauſa, quæ aliter ſuadeat: *cap. quemadmodum 25. de jurejur.* Hinc revocari poterit teſtamentum juramento confirmatum; ſi graves oriantur inimicitiæ inter teſtatorem, & hæredem; ſi Teſtatori naſcantur filii, quos antea non ſperabat &c. *Molin. d. 151. Lugo d. 24. n. 25. &c.*

Valide nihilominus, etiam ſine cauſa revocaretur, quia ſuperadditum juramentum non variat naturam teſtamenti, adeoque ſemper revocabile perſeverat, cum talis ſit ejus natura. Hinc etiam Apoſtolus *ad Hæbr. 9.* dixit confirmari *morte Teſtatoris: Lugo diſp. 24. num. 36. Bonac. diſp. 3. q. ult. p. 6. n. 2.*

R. III. Si primum teſtamentum factum ſit cum clauſula derogatoria ſecundi, ut ſi in primo dixerit Teſtator: *ſi aliud teſtamentum fecero, volo non valere*, tunc in ſecundo magis communiter docent DD. neceſſe eſſe facere mentionem talis clauſulæ derogatoriæ, ut primo per ſecundum derogatum intelligatur. Videtur autem hæc opinio expreſſum fundamentum habere *in leg ſi quis 22. ff. de legat. 3.* Quod ſi ſecundum teſtamentum ſit juramento confirmatum, tunc revocat primum, etſi mentio non fiat clauſulæ derogatoriæ in eo contentæ, quia per ipſum juramentum ſufficienter præſumitur derogatio prioris voluntatis: *Covar. de teſtam. p. 2. num. 59. Molin. d. 153.*

E contra ſi in primo teſtamento ultra clauſulam derogatoriam contineatur juramentum de eo non revocando, tunc ſi in ſecundo teſtamento mentio non fiat præfati juramenti, per illud non derogatur teſtamento priori; nam juramentum, cum ſit clauſula ſpecialiſſima, non intelligitur derogari per generalem derogationem. Immo ſi Teſtator non faciat mentionem illius, præſumitur ejuſdem oblitus, & ita ſemper ſuſtinetur primum juramentum: *Lugo d. 24. num. 39. Salmant. de teſtam. c. 5. n. 154.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

Solent aliquando Teſtatores inquirere a Confeſſario, vel Parocho, quomodo ſe gerere poſſint, optantes uni ex liberis aliquid ſpecialiter legare, vel aliquid diſponere pro anima ſua, abſque eo quod conficiant teſtamentum. In tali igitur caſu ſuadeat Confeſſarius, ut mediante codicillo faciant tales diſpoſitiones; & cum ad ipſum etiam fœminæ poſſint, ut teſtes intereſſe; & aliunde pro diſpoſitione, quæ reſpicit filios, vel piam cauſam, duo tantum teſtes ſufficiant, facile erit hoc modo Teſtatori ſuam adimplere voluntatem. Juxta noſtrum Statutum ad codicillum requiruntur duo teſtes, ſi de eo detur publicum inſtrumentum; ſine iſto vero tres, ſed non debent eſſe mulieres.

CAPUT XI.

De Executoribus Teſtamentorum.

Q. I. QUis ſit Executor Teſtamenti, & quotuplex.

R. Ut de ſe patet; Executor teſtamenti aliarumque ultimarum voluntatum ille eſt, cui vel a lege, vel a Teſtatore, vel a Judice demandatur facultas exequendi ultimam Defuncti voluntatem. Si a Lege demandetur tale munus, Executores dicuntur *legitimi*; ſi a teſtamento *teſtamentarii*; ſi a Judice *Dativi*.

Q. II. Quinam de jure ſint Executores.

R. I. Dum Teſtator nullum reliquit executorem, ipſo jure hæres inſtitutus eſt univerſalis executor etiam quoad legata pia: *arg. cap. 3. & leg. null.* 28. *Cod. de Epiſc. & Cler. & Nov.* 130. *cap.* 10. *Molin. diſp.* 247. *num.* 2. *Laym lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 11. *quæſt.* 1. Quamvis autem *cap.* 11. præfatæ Novellæ Epiſcopus conſtituatur executor legati pro redemptione captivorum, & pro alimentis pauperum; nihilominus monent DD. etiam quoad hæc particularia legata attendendam eſſe loci conſuetudinem: *Laym. loc. cit.*

Quod ſi hæres, vel alii Executores negligant exequi voluntatem Defuncti, tunc executio devolvitur ad Epiſcopum: *arg. cap. tua* 17. *de petit. juncta Gloſſa, leg. hæreditas* 50. *ad fin. ff. de teſt. hæred.* Idem dicendum, ſi deſint executores; nam tunc pertinet ad Epiſcopum exequi, maxime quæ reſpiciunt cauſas pias: *arg. cit. Novell.* 130. *cap.* 11. *Molin. diſp.* 247. *Laym. l.* 3. *tract.* 6. *cap.* 11. *&c.*

Q. III. Quinam poſſint eſſe executores.

R. Ab hoc munere fœminæ non excluduntur: *cap. nos quidem* 3. *de teſtam.*: non Clerici; *cap. Joan.* 19. *ibid.*: non Minor, dummodo excedat annos ſeptemdecim; nam in tali ætate poteſt eſſe Procurator ad negocia: *cap. quia generaliter* 5. *§. fin. de procur. in* 6.: non Religioſi, dummodo obtineant licentiam a ſuo locali Superiore *c.* 2. *de teſt. execut. in* 6., *& Clem. un. eod. tit. Sanch. lib.* 6. *Moral. n.* 15. *&* 25.

Porro an Religioſus munus executoris exercens abſque præfacta licentia valide exerceat, diſputant DD. Quamplures adhærent ſententiæ negativæ; nam *cit. cap.* 2. expreſſe dicitur quod Religioſus *non poſſit eſſe executor* abſque licentia ſui Superioris; docet autem Gloſſa *in reg.* 1. *jur: in* 6., quod ubi lex dicit, *non poteſt eſſe*, actus in contrarium factus illicitus, & invalidus eſt. Alii tamen, quibus ſaltem poſt factum adhærerem, dicunt quidem peccare Religioſum, qui abſque Superioris licentia ſuſcipit ultimæ voluntatis executionem; at valide operari. Ratio illorum eſt, quia ad annullandum actum non ſufficit legis prohibitio; ſed ulterius requiritur expreſſa annullatio, quæ non datur in caſu noſtro: *Laym. lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 11. *num.* 5. *Sanch loc. cit. Pirhing. de execut. num.* 109. *&c.* Cæterum ſi Superior dedit licentiam, & executio jam cœpta ſit, non debet eam revocare, alias ab iis, quorum intereſt, cogi poteſt ad non revocandam talem licentiam: *Sanch. num* 15. *&* 16. Advertendum etiam, Religioſum, quamvis exemptum, ſi id expoſcat Epiſcopus, debere ipſi reddere rationem ſuæ executionis *Clem. un. cit.*

Q. IV. An Executor in teſtamento nominatus cogi poſſit ad hoc munus adimplendum.

R. Regulariter loquendo, nemo cogi poteſt ad hoc munus exequendum; quia id nulla lege cavetur; & aliunde unicuique liberum eſt quodcunque onus ſuſcipere. Si vero expreſſe acceptaverit, vel tacite, incipiendo nempe exequi defuncti voluntatem, tunc cogi poteſt; *arg. cap. Joannes* 19. *cit. Molin. diſp.* 244. *num.* 3. *Covar. de teſtam. cap.* 19. *num.* 3. Quod ſi nihilominus Epiſcopus ex cauſa rationabili Clericum compellat ad exequendam Defuncti voluntatem, maxime quoad cauſas pias, iſte tenetur obedire. Epiſcopus enim, dum ad illum devolvitur executio, poteſt munus ſuum alteri delegare, & ſi iſte ſubditus ſit, tenetur obedire: *arg. leg. un. C. qui pro ſua juriſd. Sylv. v. teſtam.* 2. *q.* 3. Idem dicendum, ſi Judex laicus ob juſtam cauſam Laicum compellat ad ſuſcipiendum munus executoris.

Q. V. Quandonam exequenda ſit ultima voluntas defuncti; & an poſſit anticipari illius executio.

R. 1. Si Teſtator certum tempus aſſignaverit, illud attendendum eſt in executione ipſius voluntatis: *arg. Novell.* 22. *cap.* 2. nec tamen obſtat quod tale tempus præveniatur, niſi adſit ſpecialis ratio cur defuncti voluntas exequenda ſit tempore a Teſtatore deſignato: *arg. cap. poſt mortem* 12. *Cod. de fideicom. Molin. diſp.* 251. *num.* 1. & communiter.

Si igitur legatum generaliter ſit diſtribuendum pauperibus, vel ad aliam piam cauſam, poteſt anticipate ſolvi, quia dilatio conceſſa a Teſtatore præſumitur conceſſa in favorem heredis, ne cito gravetur ſolvere legatum, non vero intelligitur voluiſſe expectare tempus a ſe deſignatum: *Covar. in cap. tua de teſtam. num.* 5. *Mantic. de con. ult. vol. lib* 8. *tit.* 5. *num.* 20. Quid autem dicendum ſit quoad legata Miſſarum, explicabitur in Tractatu de Miſſæ Sacrificio. Quod ſi hæres reliquit quoddam fundum, ut illius redditus quotannis pauperibus diſtribuerentur, puto poſſe ab hærede, vel executore anticipate tradi hoſpitali, vel alteri loco pauperi; nam cum Teſtator principaliter reſpexerit ſalutem animæ ſuæ, non ſubſidium pauperum ſuturorum, videtur ſatis adimpleta mens Teſtatoris per quod ſimul & ſemel modo dicto applicetur: *Sanch. tom.* 2. *Conſil. lib.* 4. *d.* 12. *num.* 4. Secus dicendum, ſi præſumi poſſet voluiſſe ſingulis annis aliquos pauperes ſublevare.

R. II. Quamvis in foro externo concedatur annus ad ſolvenda legata profana, & ſex menſes ad legata pia: *Auth. hoc §. amplius Cod. de fideicom.* nihilominus in foro conſcientiæ ſolvenda ſunt ſtatim ac fieri poteſt; unde *leg. nulli Cod. de Epiſc. & Cler.* dicuntur ſine cunctatione implenda, quod idem dicitur *leg. cum res* 47. *ff. de legat.* 1. *cap. ſi hæres* 6. *de teſtam. & can. qui oblationes* 1. *&* 2. 13. *qu.* 2. Et quidem cum Legatarius evadat Dominus legati a die aditæ hæreditatis, videtur ſtatim ipſi ſolvendum. Hinc Theologi communiter damnant peccati mortalis hæredes, vel executores per longum tempus ſolutionem legatorum procraſtinantes. *Lugo diſp.* 24. *numer.* 205. *&* 296. *Laym. lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 12. *Salmant. tr.* 5. *c.* 5. *n.* 55.

Quale autem ſit iſtud longum tempus, quod inducit grave peccatum, diſputant Theologi; & multi dicunt non dari tale grave peccatum, niſi per ſex menſes ab incœpta obligatione differatur executio. Ego nihilominus univerſaliter non auderem approbare hanc doctrinam. Primo, quia ſi appareat Teſtatorem ſollicitum fuiſſe de ſolutione alicujus legati, & enixe eam Executoribus mandaſſe, videtur graviter defraudata ipſius voluntas, ſi abſque ulla cauſa per ſex menſes non adimpleatur. Secundo, quia poteſt dari caſus, ut ſi tandiu differatur ſolutio alicujus debiti, vel legati mandata a Teſtatore, Creditor, ſeu Legatarius grave patiantur damnum, & incommodum. Sicut ergo ſi in hoc caſu debitor per ſex menſes ſine juſta cauſa differret ſolutionem, graviter cenſeretur peccare, idem dicendum eſt de executore, vel hærede, cum, adita per ipſum hæreditate, Legatarius ſtatim, ut dictum eſt ſupra, fiat Dominus legati.

Illud certum eſt, quod dum perſolvendum eſt legatum pro Miſſis unica vice pro anima Teſtatoris celebrandis, dilatio ultra duos menſes ſemper reputatur peccatum mortale: *Salmat. tr.* 5. *cap.* 5. *numer.* 57. Quod ſi Teſtator præſcripſerit ſtatim velle ſibi celebrari, & id hæres, vel executor nullo incommodo facere poſſint, neſcio videre quomodo dilatio etiam multo minor non ſit grave peccatum; nam in re gravi ſine ulla cauſa tranſgrediuntur mentem Teſtatoris, quam omnia Jura clamant pro lege habendam eſſe: *leg. verbis* 120. *ff. de ver. ſig. & Novell,* 22. *cap.* 2. Præterea talis dilatio poteſt eſſe cum gravi damno animæ Teſtatoris, utpote cui differatur Paradiſus ex dilata Miſſarum celebratione.

Q. VI. Cui competat compellere executores negligentes ad exequendas ultimas voluntates.

R. Hæc cauſa eſt mixti fori, unde competit tam Judici Eccleſiaſtico, quam Laico, daturque locus præventioni: *Covar. in cap. ſi hæred. Molin. diſp* 252. Et quidem quod hæc facultas quoad cauſas pias competat Epiſcopo, conſtat *ex cap. tua* 17. *cap. nos quidem* 3. *cap. ſi hæred.* 6. *de teſtam. Molin. diſput.* 206. *numer.* 5. *Co-*

var.

var. in cap. ſi hæredes, ibique Canoniſtæ. Eadem facultas ex communi ipſi tribuitur quoad cauſas profanas: *arg. cit. cap. ſi hæredes*. ubi Epiſcopo ſine diſtinctione tribuitur facultas compellendi Executores ad ſuum munus adimplendum. Suffragatur etiam ratio, quia munus eſt Judicis Eccleſiaſtici ſubvenire perſonis auxilio deſtitutis: *cap. ſuper quibuſdam 26. de v. ſ.* & talis cenſetur Defunctus, qui non poteſt agere, ut ſua voluntas adimpleatur.

Quod vero eadem facultas competat Judici laico quoad diſpoſitiones ad cauſam profanam, dubitari poteſt, utpote quia talis cauſa eſt intra fines ſuæ juriſdictionis. Extenditur ad cauſas pias *ex Auth. hoc amplius de fideicom. & Novell.* 131. *c.* 10.

Hic etiam advertendum, poſſe Executores a Judice vel Eccleſiaſtico, vel Laico compelli ad ſuum munus exequendum, etſi Teſtator id prohibuerit; *cap. tua 17. de teſtam.* Ratio etiam eſt, quia a privata perſona non poteſt immutari conſtitutio juris Eccleſiaſtici, aut civilis: *leg. nemo poteſt 55. ff. de legat.* 1. *& c. requiſiviſti de teſtam. juncta Gloſſa in cit. cap. tua*. Ut vidimus autem jura volunt Executores negligentes eſſe compellendos ad exequutionem ſui muneris.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Si Confeſſarius diligens ſit in perſcrutando ſtatum ſuorum Pœnitentium, aliquando adinveniet Executores teſtamentarios, qui licet tale munus non recuſaverint, nihilominus omnino negligentes ſunt in ſuo munere adimplendo, ac arbitrio hæredis omnia relinquunt. Si non certi ſint hæredem omnia adimpleviſſe, & actu adimplere, quæ ſingulis annis debet præſtare, graviter ipſos moneat reos eſſe peccati mortalis, dum ipſorum negligentia per longum tempus differtur ſolutio legatorum &c. Vel ergo illos dimittat ſine abſolutione, vel compellat in poſterum ad majorem diligentiam.

II. Advertat ſecundo Confeſſarius perniciosam dari ignorantiam in hærede, vel executoribus, eo quod cenſeant propriæ conſcientiæ ſatisfacere, ſi intra annum perſolvant legata pia, quia intra id tempus ſub excommunicatione reſervata præſcribuntur adimplenda in noſtra Diœceſi. Eliminet quantum poteſt hanc praxim, & moneat quod licet intra tale tempus ſolvendo ſe eximant ab excommunicatione, non tamen a peccato; cum teneantur ex dictis ſtatim ac commode poſſunt, non ſolum adimplere legata pia, ſed profana etiam.

III. Bene addiſcat Confeſſarius, quando incurratur dicta excommunicatio propter pia legata non ſoluta. Ea igitur innodantur: *Non ſolventes legata pia intra annum a die ſcientiæ, & a tempore, quod Jus, vel Teſtator præſcripſit*. Quamvis Executores, Tutores, Curatores, Adminiſtratores teneantur quamprimum ut dixi ſolvere legata pia, & non effugiant peccatum mortale, ſi in hoc fuerint graviter negligentes, nihilominus præfata excommunicatio ſolum afficit hæredes, utpote qui proprie ſunt debitores talium legatorum: *Mazzoch. diſp. 3. caſ. 20. a num. 26.* Excommunicatur igitur hæres, ſi a die aditæ hæreditatis (eo enim tempore incipit ipſius obligatio) effluat annus ſine legati ſolutione. Quod ſi poſt aditam hæreditatem ignoravit pium legatum, tunc annus ad incurrendam excommunicationem numerandus eſt a die ſcientiæ. Quia tamen non dicitur ſcire etiam ille, qui culpabiliter ignorat, hinc eſt non innodari excommunicatione hæredem differentem ſolutionem ex ignorantia culpabili. Denique ſi jus, vel Teſtator tempus præſcripſerint ad illius ſolutionem, annus ad incurrendam excommunicationem numerandus eſt a tempore a jure, vel a Teſtatore præſcripto. Hæc omnia conſtant ex litera.

Liberabitur hæres a quacumque pœna, ſi probabile ſit legatum non ſubſiſtere, uti dici ſolet ab aliquibus de legato pio contento in teſtamento irrito ad cauſas profanas. Item certum eſſe debet legatum eſſe pium; nam ſi de hoc rationabiliter dubitetur, cum certum non ſit hæredem non ſolvere legatum pium; neque ſubjacere debet excommunicationi. Idem dicendum ſi habeat aliquam juſtam cauſam, qua vel liberetur a ſolutione, vel poſſit eam rationabiliter differre. Præterea obſervandum eſt excuſari hæredem a ſolvendo legato, ſi illud ſolvere non poſſit ſine valde gravi ſuo incommodo. Semper tamen conſiderare debet Confeſſarius an tale incommodum rationabiliter præferri poſſit ſatisfactioni legati, quo ſuccurrendum eſt animæ Teſtatoris, vel aliorum. Quando vero juſtam habet cauſam non ſolvendi, illud tempus, quo juſte non poteſt ſolvere, non eſt numerandum ad complementum anni, quo elapſo incurrit excommunicationem; nam talis annus debet intelligi de anno, quo tenebatur ſolvere, unde in eo non eſt computandum tempus, quo liber eſt a ſolvendo.

QUÆSTIO XIV.

De Rebus Eccleſiæ non alienandis.

TRactatui de Contractibus neceſſarium duxi addere quæſtionem da rebus Eccleſiæ non alienandis, ut ſciant Præpoſiti Eccleſiarum quando omnino ſit prohibita, & quando licite, & valide fieri poſſit talis alienatio, ac ita bene conſulant propriæ conſcientiæ.

CAPUT I.

Quo Jure prohibeatur alienatio Rerum Eccleſiæ, & quæ alienatio ſit prohibita.

Q. I. QUO jure prohibeatur alienatio rerum Eccleſiæ.

R. Cum utroque jure rerum Eccleſiaſticarum alienatio prohibeatur, ut conſtat: *leg. jubemus 2. Auth. jus porrectum Cod. de SS. Eccleſ. & §. Nos igitur collat. 2. Auth. de non alien. & tot. tit. de reb. Eccleſ. non alien. lib. 3. Decret. & Clem. 2. eod. tit.* modo præcipue attenditur Conſtitutio incipiens *Ambitioſæ cupiditati* &c. quæ eſt Pauli II. adeoque Paulina nuncupatur. Quod decreverit Paulus de rebus Eccleſiæ non alienandis confirmarunt Concilium Tridentinum *Seſſ. 22. cap. 21. de reform. & ſeſſ. 25. cap. 11. de reform.* Julius III. Conſtit. incip. *Cum ſicut accepimus*, Paulus IV. Conſt. incip. *Injunctum nobis &c.* S. Pius V. Conſtit. incip. *Etſi de ſingulis &c.* Clem. VIII. Conſtit. incip. *Ad Romani Pontificis &c.* Item S. Congregatio Concilii Tridentini juſſu Urbani VIII. edidit decretum, quo abrogatis omnibus Regularium privilegiis, & indultis, innovavit prohibitionem infra fines Europæ alienandi res Eccleſiaſticas, de quibus in ſequentibus. Item novo Decreto, approbante eodem Pontifice, ſancivit ne Monaſteria accipere poſſent pecunias ad cambium, vel mutuo cum ſolutione lucri ceſſantis, & damni emergentis: *Hyacinth. Donat. in prax. rer. regular. t. 1. p. 2. tr. 24. q. 2. & q. 68.*

Q. II. Quid ſit alienatio, & quæ alienatio in præſenti prohibeatur.

R. Alienatio ſtricte ſumpta importat actum, quo aliqua res in alterius dominium transfertur: *leg. unic. Cod. de fund. dot. leg. alienat. verba de verb. ſign.* Sufficit autem ad hanc alienationem ſi vel transfertur etiam dominium directum, ut in venditione, vel tantum utile, ut in emphyteuſi. In præſenti autem late ſumitur non ſolum prout importat translationem dominii directi, & utilis, ſed etiam prout importat translationem alicujus juris in alterum, & via aperitur translationi dominii, ut ſtatim videbimus: *Barboſ. in Collect. ad cap. nulli & ſeqq. de rebus Eccleſ. non alien. Molin. diſp. 464. Pal. part. 1. tract. 12. ſecund. part. 15. §. 2.*

Q. II. An & quæ locatio rei Eccleſiaſticæ ſit prohibita.

R. In celebri Extr. *Ambitioſæ, cap. nulli, & Clem. 1. de reb. Eccleſ. non alien.* prohibetur locatio rerum Eccleſiaſticarum ultra triennium, quod tamen intelligi debet de triennio utili, de triennio nempe, quo tribus annis ex prædio Eccleſiæ fructus colligantur: *Covar. 2. var. c. 16. num. 6. Boſſ. p. 3. tit. 6. num. 325. Pignatel. t. 4. conſ. 223.* Hinc poteſt Rector Eccleſiæ ad ſex annos locare Olivetum, quod alternis tantum annis fructificat; ſicut poteſt locari ad quindecim annos ſilva ſolummodo cædua ſingulis quinquenniis. Cavere tamen debet Rector a percipiendis anticipatis ſolutionibus in præjudicium Succeſſoris, ut decernit Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 2. de ref.*

Lis eſt autem inter Authores, an locatio facta ultra

tra trienium ita annulletur in Extr. *Ambitioſæ*, ut nulla reputari debeat etiam po primo triennio. Meo autem videri bene dicunt illi DD., qui diſtinguunt inter contractum locationis individuum, & contractum locationis dividuum. Tunc judicatur individuus, quando penſio locationis eſt conſtituta pro toto tempore locationis, ita ut Conductor non conducere voluiſſet prædium, niſi e. gr. per integrum ſexennium. Dividuus vero reputatur, quando penſio eſt ſeparabilis, & correſpondet ver. gr. ſingulis annis locationis.

Si contractus locationis ſit individuus, & excedat triennium, totus nullus eſt, quia in individuis utile vitiatur per inutile. Præterea cum deſecerit voluntas contrahentium quoad triennalem locationem, quæ ſolum valida eſt, nil validum remanet in tali contractu; ac ita ſæpe fuiſſe decìſum aſſerunt Doctores: *Genuenſ. in prax. c. 75. n. 11. & 12. Riccius p. p. prax. dec. 117.*

Si vero contractus ſit dividuus, validus eſt quoad primum triennium, neque quoad tale tempus credendum eſt invalidatum, ſed ſolum quoad tempus illicitum; nam locatio triennalis permittitur a lege, & aliunde leges generaliter loquentes non cenſentur improbare, quod aliis legibus permittitur. *Boſſ. Var. mor. t. 3. tit. 6. a n. 242.*

Dubitatur etiam an valida ſit locatio ad ſexennium, vel novennium, cum clauſula ut ſingulis trienniis nova locatio cenſeatur. Communior tamen ſententia eſt eam locationem eſſe nullam, utpote ſactam in fraudem legis; parum enim refert ponere illam clauſulam, dum Prælatus habet obligationem relinquendi Conductoris prædium &c. elapſo triennio: de facto proinde eſt locatio ultra triennium: *Covarr. 2. var. cap. 16. numer. 4. Barboſ. de poteſt. Epiſc. alleg. 95. num. 17. Boſſ. citat.* Porro facere contra legem, & in fraudem, ſive contra intentionem legis, idem reputatur: *cap. fin. de reg. jur. in 6.* Idem dicendum contra aliquos, quando locatio fieret ad triennium, ſed cum obligatione illam renovandi, eo elapſo; nam & hic clara apparet fraus in legem.

Propter evitandam eandem fraudem communiter improbatur locatio fructuum ultra triennium; inutilis enim redderetur prohibitio locationis bonorum ultra triennium, ſi ad libitum poſſent fructus locari; eo magis quia talis locatio fructuum vetita videtur *Clem. 1. de reb. Eccl. non alien. Garz. de Beneſ. 2. part. cap. 1. num. 3. Ricc. deciſ. 114. num. 3. Bonac. de reb. Eccleſ. quæſt. unic. part. 2. n. 25.* Quia tamen DD. magni nominis adhærent opinioni affirmativæ, ideo non auderem condemnare tanquam tranſgreſſorem Extravagantis *Ambitioſæ*, illam ſequentem: *Molin. diſp. 368. Covarr. 2. var. c. 16. n. 6.*

Q. IV. An liceat dare in emphyteuſim bona Eccleſiæ.

R. Id pariter in Paulina *Ambitioſæ*, & in Decreto ſupra cit. Urbani VIII. prohibetur, & de facto eſſet vera alienatio: *leg. ult. Cod. de reb. alien. & non alien.* Conceditur autem in dicta Paulina rem ſolitam dari in emphyteuſim, & non incorporatam iterum in emphyteuſim tradi. Dicitur ſolita dari in emphyteuſim, ſi ſemel ita fuerit alienata cum conſenſu Papæ, aliiſque ſolemnitatibus, de quibus infra. Dicitur non incorporata, quoties, etſi redierit ad Eccleſiam, animus tamen eſt iterum illam dare in emphyteuſim cum evidenti Eccleſiæ utilitate: *Covarr. var. c. 17. Molin. diſp. 648.* Non pauci etiam DD. docent res Eccleſiæ incultas, & nullius vel fere nullius utilitatia poſſe ſine ſolemnitatibus concedi in emphyteuſim ad meliorandum: *Boſ. var. mor. tr. 9. t. 6. n. 192.* aliique apud ipſum.

Q. V. An res Eccleſiæ poſſint oppignorari, vel hypothecari.

R. Id etiam prohibetur in Paulina *Ambitioſæ*. Non deſunt qui intelligant etiam de hypotheca generali, ſed vero ſolum prohibita cenſetur hypotheca ſpecialis, quando ſcilicet aliquod particulare prædium, vel mobile pretioſum hypothecatur. Id autem probatur, quia ubi non ſit expreſſa antiquioris juris derogatio, expedit juribus concordare: *cap. 26. de elect. num. 6.* Cum proinde *cap. nulli liceat 5. de reb. Eccleſ. non alien.* ſolum prohibeatur hypotheca ſpecialis, & eadem ſolummodo prohibita cenſenda eſt in Extr. *Ambitioſæ*, & Decretis S. Congregationis in primo quæſito relatis. Patet etiam ex abſurdo; nam Regulares, & Rectores Eccleſiarum nullum contractum a jure permiſſum inire poſſent, cum ſemper in eis apponatur clauſula obligatoria bonorum. Hinc pro hac ſententia ſtetiſſe Sac. Congregationem referunt DD. *Bordon. reſol. 27. numer. 13. & reſol. 126. numer. 47. Fagn. lib. 2. Decr. in capit. nulli liceat de reb. Eccleſ. non alienat.*

Q. V. An res Eccleſiæ poſſint cum aliis permutari.

R. In præſenti nomine alienationis vetitæ venit etiam quæcumque permutatio, ut patet *ex can. ſine exceptione 12. quæſt. 2. & cap. nulli 5. hoc tit.*

Quæſtio autem eſt, an etiam intelligatur vetita permutatio bonorum unius Eccleſiæ cum bonis alterius Eccleſiæ, negantibus in pluribus DD., eo quia *cap. 1. de reb. Eccleſ. non alien.* de conſenſu partium permittitur Epiſcopo permutare terram unius Eccleſiæ cum terra alterius Eccleſiæ; & in Extr. *Ambitioſæ* videtur prohibita ſolum permutatio cum laicis; ea enim redditur ratio hujus prohibitionis, *ne res Deo dicatæ ad profanos uſus applicentur*. Verum cum communiter aſſerant etiam DD. contrariæ ſententiæ eſſe de ſtylo Curiæ ut etiam in his permutationibus ſerventur juris ſolemnitates, de quibus infra, in praxi affirmativam ſententiam, quam multi docent; amplecterer: *Sperell. dec. 154. for. Eccleſ. num. 22. Card. de Luc. de alienat. diſp. 1. num. 114.* Præfata negativa ſententia magis probabilis mihi apparet in permutationibus, quas faceret Monaſterium unius Religionis cum altero Monaſterio ejuſdem Religionis; nam cum eadem Religio faciat unum corpus, non videtur intercedere rigoroſa alienatio, ſi quod eſt unius Monaſterii alteri tradatur, maxime ſi hoc fiat permutatione: *Bordon. tom. 2. var. reſol. 62. quæſt. 9.*

Q. VII. An liceat tranſigere ſine ſolemnitatibus juris circa bona Eccleſiæ.

R. Si res, de qua fit tranſactio, non ſit incorporata Eccleſiæ, vel Monaſterio, utique fieri poteſt tranſactio, quia non intercedit alienatio boni, quod dici poſſit Monaſterii, vel Eccleſiæ: *Paſſer. de homin. ſtatib. & offic. tit. 1. quæſt. 185. art. 7. a num. 249.* Porro res tunc dicitur incorporata, quando acceptata fuit publico inſtrumento, vel decreto Prælati, & Capituli *Bordon. var. reſol. part. 2. reſol. 62. numer. 33.* Ego etiam puto aliquid acceptatum intelligi, quando Monaſterium per ſuum Procuratorem gereret ſe tanquam dominum illorum bonorum. Si vero Eccleſia, vel Monaſterium acceptaverit, & nihilominus res de qua agitur, ſit apud alium, qui ad ipſam habere jus credat, poteſt Eccleſia per tranſactionem accipere pecuniam, illique rem relinquere; nam non alienat bonum, quod actu habeat, ut dicunt multi DD. Dum autem Monaſterium, vel Eccleſia actu poſſiderent rem jure dubio, poſſunt ſine ſolemnitate tranſigere dando pecuniam quaſi emant jus alterius, non vero poſſunt reddere eandem rem, accipiendo ſibi pecuniam: tunc enim alienarent, quod actu poſſiderent.

Huc uſque dicta veniunt intelligenda de bonis, quæ cap. ſequenti dicemus non poſſe ſine juris ſolemnitatibus alienari.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Solent aliquando Rectores Eccleſiarum anticipate accipere pecuniam &c. a Conductoribus, relaxando illis fructus, vel penſiones per plures annos ſolvendas. Advertat Confeſſarius multoties id eſſe tacite locare bona Eccleſiæ ultra triennium, quando nempe fructus triennii non ſufficerent pro reſtituenda illa pecunia; nam tunc cogerentur relinquere Conductoribus res locatas. Id ergo omnino illicitum eſt.

II. Advertat ſecundo Confeſſarius in conceſſione ad emphyteuſim rerum Eccleſiaſticarum, adhibitis etiam debitis ſolemnitatibus, multoties Rectores valde onerare propriam conſcientiam. Vel ex nimio affectu erga aliquem Conſanguineum, ſeu erga aliquem ſibi amicitia conjunctum, faciunt quantum poſſunt, ut bona Eccleſiæ ipſis ad emphyteuſim tradant; at non ſolum, ut neceſſe eſſet, ſine evidenti Eccleſiæ utilitate, ſed potius cum ipſius præjudicio,

quod

Digitized by Google

quod rationibus ſolommodo apparentibus celare procurant. Remanet ergo Confeſſarium hujuſmodi Rectores ſine abſolutione dimittere, ſi prompte Eccleſiæ præjudicium non ſint reparaturi.

III. Audivi aliquando ſcrupulizare circa generalem hypothecam bonorum Eccleſiaſticorum. Verùm doctus Confeſſarius ſuum Pœnitentem, qui ita operatur, tutiſſimum in conſcientia judicabit.

CAPUT II.

Quæ bona prohibita ſint alienari ſine Juris ſolemnitatibus.

Q. I. QUæ bona immobilia corporalia prohibita ſint alienari.

R. I. Cum in Extravagati *Ambitioſæ* prohibitum ſit alienare bona immobilia, primo ſub iſtorum nomine præcipue veniunt ea bona fructifera, quæ loco moveri non poſſunt, ut domus, ager, olivetum, vinea &c. & hæc dicuntur immobilia corporalia.

Si nihilominus ſint immobilia exigui valoris, & Eccleſiæ minus utilia, alienari poſſunt cum ſolo conſenſu Epiſcopi, aut Superioris, juxta can. *Terrulas* 12. *qa.* 2. cui non fuiſſe derogatum per Paulinam *Ambitioſæ* ſæpe reſpondiſſe Sacr. Congregationem referunt DD. *Fagn. in cap. nulli* 25. *hoc tit. Barboſ. de poteſt. Epiſc. alleg.* 95. *num.* 51. Hinc ad hæc non extendi juramentum factum a Prælatis de non alienandis bonis Eccleſiæ, bene probant Theologi; nam tale Juramentum debet intelligi de alienatione a jure non permiſſa: *Molin. diſp.* 468. *Ricc. par. pr. prax. deciſ.* 36. Advertere tamen eſt, quod cum dicitur poſſe alienari bona immobilia exigui valoris, duo verificanda ſunt. Primum quod tale prædium ſit ex ſe ſejunctum, & ſeparatum, non vero pars exigua magni prædii, nam ultra quam quod pars ſapit totius naturam, in ipſius alienatione clare appareret fraus in legem; ita enim paulatim totum magnum prædium ſine ſolemnitate poſſet alienari. Secundum, quod iſtæ terrulæ ſine ſolemnitate alienabiles, ſint minus utiles Eccleſiæ, ut dicitur *cit. can. terrulas &c. Ricc. dec.* 22. *par.* 1. *Genuenſ. in prax. cap.* 60. *num.* 4.

Porro valde diſcrepant Authores in aſſignando quæ bona dicenda ſint exigui valoris; nam aliqui id extendunt ad rem valoris 100. aureorum, alii ad rem valoris aureorum 40., & quamplures docent modicam in caſu præſenti dicendam illam rem, quæ non excedit ſummam aureorum 25. Melius tamen, meo videri, dicunt illi, qui id Judicis arbitrio relinquendum decernunt; nam quod modicum apparebit reſpectu Eccleſiæ prædivitis, modicum non erit reſpectu alterius Eccleſiæ minus divitis; *capit. cæterum* 3. *de donat. Menoch. de arb. Judic. lib.* 2. *c.* 145. *num.* 4. *Card. de Luc. de alien. diſp.* 1. *num.* 117., *Fagn. in cap. nulli nu.* 26. Debet etiam attendi in hac re judicanda loci conſuetudo.

R. II. Nomine bonorum immobilium corporalium, quæ vendi nequeunt ſine juris ſolemnitatibus, veniunt etiam ipſæ Eccleſiæ materiales, & Oratoria authoritate Epiſcopi fundata, & deſtinata ad perpetuum uſum Eccleſiarum; ſi tamen non ſint Oratoria, quæ acceſſoria ſint alicui domui privatæ; nam tunc ſicut alienari poteſt principale, ita & cum eo quod eſt illi acceſſorium: *Ugol. de poteſt Epiſc. c.* 14. *Bonac. de contr. diſp.* 3. *qu* 8. *p.* 4. *num.* 20. Idem dicendum de Capellis, & de ſepulturis, quorum dominium alienari non poteſt, quia & ipſa ſunt loca ſacra. Uſus nihilominus, & conſuetudo invaluit, ut notant DD. quod pro capellis, & ſepulturis ſine juris ſolemnitate aliquid accipiatur, ratione uſus illarum, ſitus Eccleſiæ, vel loci in ea dignioris; nam tunc potius venditur honor humanus, quam Capella, ſeu ſepultura: *Ricc. dec.* 42.

R. III. Arbores non cæduæ veniunt ſub nomine immobilium corporalium, adeoque non poſſunt ſine ſolemnitatibus juris alienari; cum etenim ſolo cedant, pars fundi, quod alias eſt inalienabile, judicantur: *leg. adeo §. Alienam ff. de acquir. rer. domin., §. Si Titius inſtit. de rer. diviſ. Ricc. pr. part. prax dec.* 53. *Boſſ. var. moral. t.* 3. *tit.* 6. *n.* 422. *&* 439. Illæ autem cenſentur arbores non cæduæ, quæ ſunt fructiferæ, ut olivæ, vites, ficus, quercus &c. ſeu illæ, ex quarum inciſione fundus deterior fit; ut ſi populi, ulmi, platani, ſalices, aliæque ſimiles arbores cędantur. Quod ſi iſtę arbores non cæduæ ſint vetuſtæ, & inutiles, ita ut indigeant renovari, vel reddant fundum nimis opacum, unde ipſi noceant, tunc illarum inciſio redditur licita. Item licet cędere ipſarum ramos pro uſu fundi; ſicut etiam illas licet cędere, ſi ipſarum indigeat Rector Eccleſię pro reparatione ſuę domus, Eccleſię, dummodo tamen ex inciſione non ſequatur majus damnum, quam beneficium reparationis.

Quod ſi Prælatus ſine juſta cauſa paucas arbores non cędnas faciat incidere, quamvis peccet, nihilominus non incurrit pœnas: *Extr. Ambitioſæ*, ſi deterioratio fundi non ſit notabilis. Ratio eſt, quia tales pœnę nonniſi notabili detrimento poſſunt correſpondere: *Donat. quæſt.* 69. *num.* 16.

Arbores cęduę, ut ſilva, nemus &c. tempore convenienti cędi poſſunt; ideo enim cęduę dicuntur, ut ſucciſę ex ſtipite, ſeu radice renaſcantur; *l. ſilva* 30. *ff. de v. ſign.* Dixi *tempore convenienti*; nam ſi anticipetur earum inciſio in damnum Succeſſorum, reparandum eſt tale damnum: *Boſſ. n.* 424.

Q. III. Quę ſint immobilia incorporalia, quę non poſſunt alienari ſine juris ſolemnitatibus.

R. I. Quamvis bona, de quibus in hoc quæſito, proprie immobilia dici non poſſint, quia non ſunt bona, quæ loco moveri non poſſint, ut ſe habent prædia, neque mobilia, quia incorporalia ſunt, adeoque non poſſunt ab uno loco in alium moveri, nihilominus in præſenti ſub immobilium nomine comprehenduntur, quamvis in jure tertiam quandam ſpeciem bonorum conſtituant: *l. a Divo Pio §. In venditione ff. de re judic.*

Primo ergo, jura, & actiones ad immobilia veniunt ſub nomine iſtorum bonorum, quæ non poſſunt alienari: *cap.* 2. *de reb. Eccleſ. non alien. in* 6. nam immobilibus æquiparantur, uti eſſet jus, & actio ad aliquid immobile recuperandum; *leg. qui action. ff. de regul. jur.* Si vero actio ſit ad aliquod mobile, ut ad debitum certæ pecuniæ, & ipſa mobilis dicitur, nec venit ſub immobili non alienabili: *Bonac. de alien. q. unic. p.* 2. *n.* 19.

Secundo, immobilia incorporalia prohibita alienari ſunt ſervitutes prædiorum, jura venandi, piſcandi, & ſimilia: *leg. ult. §. fin. Cod. de præſcript. longo temp.* *Clem.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien.* Et quidem cum hæc omnia fixa maneant, afferunt fructum ſuum inſtar immobilium.

Tertio, immobilia eodem modo pariter judicantur cenſus, ſeu annui redditus in perpetuum conſtituti pro ſuſtentatione Rectoris Eccleſiæ, vel Monaſterii: *Clem. exivi §. Cumque annui de verb. ſign.* Hinc pecunia reſtituta Monaſterio ex extinctione alicujus cenſus non poteſt ſine ſolemnitate alienari; nam cum ſit deſtinata ad fructificandum, æquiparatur juri incorporali exigendi quotannis ex ea certa ſummam pecuniæ, adeoque rei immobili comparatur. Debet ergo iterum applicari vel ad cenſum, vel ad emptionem alicujus fundi fructiferi. Volunt etiam aliqui, quod ſi annuus cenſus ſit diminuendus Cenſuario, id non poſſit fieri ſine aſſenſu Apoſtolico, cum talis diminutio ſit quædam ſpecies alienationis: *Ricc. p. p. dec.* 134. *Donat. q.* 58. Dicunt ergo, quod ut licite fiat talis diminutio, vulgo *calare*, ſine aſſenſu Apoſtolico, debet reſcindi prius contractus, & tunc ſi Monaſterium, vel Rector non inveniat meliorem conditionem, poſſunt novo contractu emere minoris novum cenſum. Verum hæc opinio receſſit ab aula; nam reſcindere primum, & dein facere novum contractum non ſolum eſſet quid otioſum, ſed etiam præjudiciale ipſi Eccleſiæ, quæ novis impenſis gravaretur: *Monacell. in Formular. t.* 4. *ſuppl. ad tom.* 2. *n.* 146.

Q. III. An aliqua bona mobilia prohibitum ſit alienare; quæ ſint.

R. In ſæpecit. Extr. *Ambitioſæ* prohibetur alienatio mobilium pretioſorum, ut ſunt vaſa aurea, argentea, veſtes pretioſæ, gemmæ, ornamenta &c. *Barboſ. de off. & poteſt. Epiſc. p.* 3. *alleg.* 95. *n.* 39. Duo tamen requiruntur: primum, quod ſervando ſervari poſſint, & durent ſaltem ultra triennium; hinc abſque ulla ſolemnitate vendi poſſunt vinum, oleum, frumentum &c. in

in maxima etiam quaotitate. Secundam, quod res vere ſit pretioſa; & licet juxta ſuperius dicta id relinquendom ſit arbitrio viri prudentis, nihilominus commune eſt nil reputari pretioſum niſi axcedat valorem 25. aureorum, & id declaraſſa S. Congregationem referunt. *Antonell. l. 1. c. 8 n. 6*, *Dan. p. 4. tr. 4. reſ. 223.*

Et h c tamen noranda eſt doctrina ſupra inſinuata, ne aliquid ſcilicet fiat in fraudem legis; ut ſi quis ex rebus alias ex natura ſua pretioſis, modo aliquam partem, vel rem non cxcedentem valorem 25. aureorum alienaret, modo ruſus aliquid ſimile, & ita paulatim alienaret rem pretioſam, vel norabilam partem illius. Et id maxima valet in præſenti mareria, in qua res prætioſæ, ntpote ordinatæ ad eundem finem, nempe ad cultum Dei, & ornatum Eccleſiæ, conſiderantur ut quid moraliter unum: *Donat. q. 54*, *Boſ. num. 401.* Sicut ergo non licei vendere modo onum agnum, modo alium non ſuperfluos, & ita paulatim alienare notabilem partem gregis, ita diceudum eſt reſpective ad calices, lampades, aliaque pretioſa. Eadem doctrina applicanda venditioni librorum alicujus Bibliothecæ. Cæterum ſi quis ex præſatis rebus pretioſis diſtraherer aliquid non ſtans 20. aureis, & id non ſaceret modu præſato in fraudem legis, certe credo excuſari ex materiæ parvitate. Præterea vi conſuetudinis, quæ optima eſt legum interpres, poſſunt quæcumque res prætioſæ in novas ſaltem æque bonas commutari abſque ulla ſolemnitate; ſicut & poſſuni alienari veſtes pretioſæ, quæ aſu ſunt attritæ, & quæ quotidie magis veteraſcunt, & fiunt minoris valoris.

Lis aotem eſt inter DD. an quod dictum aſt da rebus pretioſis Eccleſiæ, valeat etiam de oblationibus, & votis factis alicui S. Imagini, eaſu tameu quo ſint pretioſa; nam certæ eleemoſynæ aliaque ſimilia non pretioſa certe ſine ſolemnitate poſſunt alienati. Quamvis autem multi ſentiaot affirmative, alii nihilominus non improbabiliter negant, nam jura prohibentia alienationem mobilium pretioſorum, videntur loqui de iis, quæ ſunt deſtinata ad aliquem uſum Eccleſiæ, quo modo non ſe habent iſta donaria quamvis pretioſa, poſtquam enim reddita ſunt a Vovente maaent otioſa in teſtimonium gratiæ acceptæ: *Donat. q. 54. n. 5.*

Secundo, inter mobilia pretioſa inalienabilia nameranrur Reliquiæ, maxime ſi ſint muro clauſæ, vel perpetuæ ſepulturæ traditæ, & pariter ſi ſint inſignes *Ricc. p. p. prax. reſol. 60.*, *Donat. q. 56*, *Pal. t. 2. tr. 11. d. un. p. 15. §. 1. n. 8.* Et quidem pretioſiora utique ſunt quam ſacra vaſa, & magis illuſtrant Eccleſias; unde etiam de ſtylo Curiæ, non ſunt alienabilia ſine conſenſu Apoſtolico. Quia tamen in Extr. *ambitioſæ* ſermo ſolum aſt de alienantibus ſine dicto conſenſu mobilia pretioſa temporalia, ideo, qui alienaret ſine eodem Reliquias non ſubjaceret pœnis talis Conſtitotionis: *Bordon. deciſ. reg. t. 1. reſ. 27. n. 62.*, *Fagn. cap. cum en eo 2. de reliq. num. 35.* Excuſandus etiam eſſet illa Superior, qui perſonæ benemeritæ vel Eccleſiæ, vel Monaſterii alicujus reliquiæ ſruſtulam largiretur; nam ſi remaneat pars major talis reliquiæ, non deficit decor Eccleſiæ, & pietas augetur: *Donat. q. 56. n. 5.*

Tertio, inter mobilia pretioſa numeratur Bibliotheca Monaſterii. Poſſunt antem libri vendi, ur io meliores commutentor: *cap. ſine except 12. q. 2.* Item parva eſſet materia, ſi unus aut alter liber veoderetur, dummodo non fieret in fraudem, ut ita ſcilicet paulatim Bibliotheca in materia gravi diſtraheretur: *Donat. q 50.* Quarto, inter mobilia pretioſa inalienabilia ſine conſenſu computatur grex ovium, caprarum &c. ex earum eteuim fructibus Eccleſiæ, vel Monaſteria percipiunt magnum emolumentum. Poſſant ergo vendi agni, hædi &c. ſuperflui, non ramen diſtrahi grex, vel graviter deteriorari. *Molin. de inſt. d. 465 n. 4.*

Pecunia, utpote de ſe non fructifera, poteſt propria aathoritate diſtrahi a Superiore, eſt eteuim res mobilis, & de ſe non fructifera. Si tamen vel ab aliquo Teſtatore, vel a Superiure, & Vocalibus Monaſterii deſtinata ſit ad emenda immobilia; vel quia de ſua natura ad emenda immobilia debet deſervire, ut eſt pecunia recepta ex venditione alicujus immobilis, vel ex redemptione cenſus, tonc participat natnram immobilium. Idem dicunt de pecunia, quæ conſervatur pro aliqua gravi neceſſitate. Dos pariter Monialium in emptione immobiliom eſt applicanda quamvis multis in locis vigeat conſuetudo eam diſtrahendi pro ſolvendis debitis, & ſuſtentationa Monialium.

Q. IV. An poſſint ſina ſolemnitate alienari bona immobilia, vel mobilia pretioſa, quæ donans, ſeu Teſtator voluit eſſa alienabilia ab libitum Prælati, ſeu Monaſterii.

R. Eam conditionem, qua permittitur Prælato &c. alienare prefata bona, rejiciendam eſſe ut turpem, communius docent DD., utpote quia aſt contra Pontificias Conſtitutiones: *Covarr. in capit. tua q. 6. de teſtam. Bordon. t. 1. reſol. 27. n. 44.* Ultraquamquod poſtquam præfata bona acquiſita ſunt ab Eccleſia, adeoque facta ſunt Eccleſiaſtica, videntur omnino ſubjacere præfatis Conſtitutionibus. Verum ergo etiam in praxi probabilem judico contrariam ſententiam; unicuique enim licet adjicere rei ſuę, quę pacta maluerit etiam tradendo Eccleſię: *cap. verum de condit. appoſ.*, *Mar. Anton. var. t. 1. reſol. fin. caſ. 44. Pyrrh. Corrad. de diſpenſ. l. 9. c. 7. n. 19.* Hinc etiam alienari poteſt ſine ſolemnitate res relicta Monaſterio cum obligatione alteri tradendi, qooties iſte pretium erogaverit, ita etenim velle potuit Teſtaror; ultraquamquod res tranſit cum ſuo onere: *Bordon. reſol. 17. n. 44.*

Q. V. An Prelatus repudiare poſſit ſine ſolemnitate rem immobilem, vel mobilem pretioſam relictam Monaſterio.

R. Quamvis multi ſentiant negative, nihilominus communior, & recepta opinio eſt affirmativa; nam Paulina *Ambitioſæ* intelligenda eſt de bonis jam incorporatis, ſeu quę Eccleſia actu poſſideat, qoalis non eſt hereditas delata, & nondum incorporata: quapropter, ut dici ſolet, Prelatus non poteſt prejudicare Eccleſię in qoeſitis, bene tamen in acquirendis: *Sanch. de matr. l. 6. diſp. 4. n. 15.*, *Rebell. l. 18. q. 14. a. 5.* Si nihilominus Prelatus id faciat ſine cauſa rationabili, peccaret contra juſtitiam, & contra obligationem ſui officii, ac teneretur damnum Eccleſię illatum compenſare; atque iſta ut poſſet beneficio reſtitutionis in integrum: *Bor. de alienat. p. 2. num. 33.*

Sunt etiam qui dicunt Prelatam, & Monaſterium ſine juris ſolemnitate poſſe concedere ei, qui omnia ſua donavit Monaſterio, ut de donatis tot vendat, quot neceſſaria ſunt ad ſui ſuſtentationem, ſi factus fuerit mendicus, & mendicare erubeſcat. *Bordon. var. reſol. p. 2. reſol. 62. n. 5.*

Q. VI. An quę hucuſque dicta ſunt de bonis Eccleſiaſticis aptanda ſint bonis Hoſpitalium, Confraternitatum, aliorumque piorum locorum.

R. I. Conſentiunt omnes DD. Loca Pia authoritate Epiſcopi fundata non poſſe ſua bona ſine ſolemnitate alienare; nam vere ſunt loca pia, quorum bonorum alienatio introducitur in Extr. *Ambitioſa*; *Barboſ. in collect. ad cap. ſi quis presbyterorum num. 5. de reb. Eccleſ. non alien.*

R. II. Si præfata loca non ſint authoritate Epiſcopi fundata, opinio tuta eſt poſſe ſine ſolemnitate bona propria alienare, utpote quia in rigore non poſſant dici pia, quamvis in eis opera pietatis exerceantur: & eo maxime quia talem credo eſſe conſuetudinem: *Ricc. in prax. &c. dec. 48.*, *Bon. p. 2. n. 10. Bordon. reſol p. 2 reſol. 72. q. 19. n. 31.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Peccant quandoque Rectores Eccleſiarum in alienatione terrularum, vel qoia ſcilicet eas vendunt, cum non ſint ſejunctę ab aliis Eccleſię prędiis, vel quia in gratiam alicujus Viri nobilis, quem nimium ſibi benevolom optant conſervare, id pręſtant non ſolum ſine utilitate, ſed potius cum Eccleſię prejudicio, cedendo terrulas e. g. Eccleſię contiguas, adeoque ipſi utiles, & proficuas, & acceptando in compenſationem alias abſentes, quas inviſere non poſſunt, vel colere. Moneat ergo Confeſſarius hos Rectores de culpa, quam committunt, & multo magis ſi permutatio eſſet prędii magni momenti; ſcio enim quandoque id accidiſſe cum juris quidem ſolemnitatibus, at non fideliter omnibus narratis: quapropter permutatio inventa deinde eſt Eccleſię valde oneroſa &c.

II. Pe-

II. Peccant aliquando Rectores indiſcrete cædendo arbores non cæduas, vel anticipando inciſionem cæduarum. Poteſt id accidere reſpectu Rectorum jam ſeneſcentium, qui ut pinguiorem Nepotibus relinquant hæreditatem, ultimis ſenectutis annis retrahont quantum poſſunt ex prædiis Eccleſiaſticis, non obſervando ab ipſis in præjudicium ſucceſſorum cædi arbores nondum cædoas &c. Ita certe non bene ſe diſponunt proximæ, quam timent, morti.

III. Poſſunt etiam graviter peccare Rectores Eccleſiarum, vel nimis de grege Eccleſiæ diſtrahendo &c. vel vendendo modo unum, modo alterom de otenſilibus pretioſis, ita renovando, ot nova ſint viliora &c. Conſuetudo ergo fert hujuſmodi poſſe vendi ad renovandum; at renovanda non ſunt cum præjudicio Eccleſiæ; ita ſequeretur quando in novis valde minus e. g. eſſet argenti, vel eſſent arte valde minori elaborata. Ita etiam eveniret, ſi venderetur antiquum vas, ſeu ornamentom Eccleſiæ antiquitate, & arte pretioſum, & loco ipſius aliud valde commune ſubrogaretur.

IV. Moneat Confeſſarius Rectores Eccleſiarum, ſeu Superiores Monaſteriorum, quod quamvis male ſe gererent recuſando ſine juſta cauſa relicta ſuis Eccleſiis, vel Monaſteriis, laudabiliter tamen id facerent, ſi Conſanguinei Teſtatoris eſſent pauperes; ſi ipſis relicta converti poſſent in ſoſtentationem paoperum, vel in dotem miſerabilium puellarum &c. Ita præſtiterunt Sancti.

V. Pro noſtra Diœceſi Lucana adeſt privilegium Sixti IV., quo conceditur cum licentia Ordinarii permutare, vel dare in emphytheuſim bona Eccleſiaſtica quorum fructus ſingulis annis non excedant valorem qoatur florenorum Cameræ; qoi quatuor floreni computantor correſpondere fundo ſcutorum trecentorum. Poterit ergo cum ſola licentia Ordinarii permutari, vel dari in emphyteuſim fundus talis valoris.

CAPUT III.

De Cauſis, & ſolemnitatibus requiſitis ad licitam, & validam alienationem.

Q. I. QUot ſint cauſæ licitæ, & validæ alienationis bonorum, quæ ſine ſolemnitatibus non poſſunt alienari.

R. Prima cauſa hujuſmodi alienationis eſt neceſſitas Eccleſiæ, vel Monaſterii: *Clem. 1. de reb. Eccleſ. non alien. & cap. 5. de pignor. ibid.* Si igitur Monaſterium, ſeu Eccleſia ære alieno graventur, indigeant reparatione, vel neceſſariis ornamentis, atque iis neceſſitatibus non poſſit annuis fructibus provideri, tunc licet petere alienationem bonorum, quæ alias alienari non poſſunt: *Barboſ. l. 3. jur. Eccleſ. cap. 30. num.* 12. Altera cauſa eſt utilitas Eccleſiæ; *can. ſine exceptione 12. q. 2., cap. ut ſuper 8. §. fin. de alien.* Non ſufficit autem ex alienatione lucrum ſperari, ſed debet eſſe evidens utilitas de tempore alienationis, aſſenſos Apoſtolici, & interpoſitionis Decreti: *Barb. cit. num. 17. Genuenſ. in prax. c. 107. de util. n. 3.* Hæc autem utilitas poteſt ex duplici capite provenire, vel quia ſcilicet de facto Eccleſia ſit locupletior, vel quia minus patitur damn: ut ſi prædium alluvionibus ſubjectum vellet alienare, ut alibi emeret, quamvis non habitura ſit ex locatione majores fructos, & fortaſſe etiam minores, dumtamen non ſubjaceret majoribus incommodis alluvionis &c. Ad hanc reducitur alienatio facta cauſa incommoditatis rei, quam Eccleſia vellet alienare, nam otile eſt carere tali incommoditate. Quod aotem incommoditas ſit juſta cauſa petendi alienationem, patet: *arg. can. terrulas 12. q. 2.* Tertia cauſa eſt pietas, quæ præcipue habet locum in neceſſitate pauperum alendorum, in redimendis captivis, in ædificandis Eccleſiis, vel augendis cœmeteriis pro ſepultura Fidelium: *can. aurum 12. q. 2.*

Q. II. Quæ ſolemnitates requirantor ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum.

R. Primo requiritur, ut Superior volens alienare proponat ſuo Capitulo, Canonicis nempe, ſeu Religioſis, an expediat talis alienatio; *can. ſine except. 12. q. 2., can. tua de his quæ fiunt a Prælato, cap. ut ſuper de reb. Eccleſ. non alien., cap. 1. h. tit. in 6.* Debent ergo omnes, quorum intereſt, juxta conſuetudinem Eccleſiarum, vel Monaſteriorum capitulariter congregari. Requiritur deinde conſenſus expreſſus totius, ſeu ſanioris & majoris partis Capituli ad evitanda plurima damna, quæ ex nimis facili alienatione poſſent oriri: *can. ſine except., can. ut ſuper cit.* Quod ſi alienatio expoſcatur a Rectore Eccleſiæ non habentis Capitulum, tunc intervenire debet conſenſus Epiſcopi: *arg. can. placuit ut Presbyteri 12. qu. 2.* Videretur etiam requiri ſubſcriptio ſingolorum de Capitolo: *can. ſine except. &c.* Verum quoad hoc conſentiunt DD. ſufficere, ſi fiat mano Notarii, vel id teſtificetur Secretarius Capituli exhibendo decretum cum appoſitione ſigilli, ſi talis ſit loci conſuetudo: *Bonac. de alien. quæſt. unic. p. 4. numer. 3.* Demum quidquid fuerit de jure antiquo, modo requiritur conſenſus S. Pontificis: *cap. 2. hoc tit. in 6., & ex Paul. Ambitioſæ.* Intervenientibus igitur ſimul, vel aliqua ex cauſis præfatis, & hucuſque explicatis ſolemnitatibus, alienari poſſunt aa bona Eccleſiaſtica, quæ capitibus præcedentibus diximus eſſe inalienabilia.

Q. III. Quid faciendum, ſi poſt tempus diuturnum examinetur aliqua alienatio, & non appareat conſenſus Apoſtolicus.

R. Si lapſum fuerit longiſſimom tempus, quale reputatur tempus 50. vel 40. annorum; *leg. fin. Cod. de præſcr. long. temp.* præſumitur interfuiſſe beneplacitum Apoſtolicum, quamvis enunciatum non fuerit in Inſtrumento & id verificatur etſi beneplacitum Apoſtolicum reſervatum fuerit in vim conditionis, ut quando dicitur: *Salva beneplacita apoſtolico impetrando.* Ut autem ita præſumatur, oportet poſſeſſorem toto tempore præfato fuiſſe in bona fide; nam nulla quantumcumque diuturna poſſeſſio favet poſſeſſori malæ fidei: *cap. vigilanti de præſcript.*, & ulterius contractum ſemper fuiſſe in obſervantia: ſi etenim nulla fuerit mota lis in contrarium, omnia legitime facta præſumuntur: *cap. cum ſicut 16. de ſent. & re judic. Boſ. par. 3. var. mor. tit. 6. n.* 202.

Q. IV. An poſſit fieri contractus alienationis cum rei traditione, antequam adveniat conſenſus Apoſtolicus, ſi in contractu apponatur clauſula, quod eo non adveniente, nullus & irritus conſeatur.

R. Poteſt utique ante conſenſum Apoſtolicum fieri tractatus de alienatione facienda, ſi Papa conſenſerit, nam id non eſt vere alienare. Non poteſt autem celebrari contractus ante talem aſſenſum, quia; iſte in vi Paolinæ *Ambitioſæ*, & aliorum jurium annullantium tales contractus, reputatur de eſſentia contractus: ac proinde vanum eſſet illum ante talem conſenſum celebrare: *Ricc. p. p. prax. reſol. 24. Boſſ. cit. num.* 205. Quod ſi oltra celebrationem contractus tradatur etiam poſſeſſio ante aſſenſum Apoſtolicum, alienans incidit in cenſoras, & pœnas Extr. *ambitioſæ*, quamvis in contractu apponatur clauſula, de qua in quæſito; cum etenim per traditionem transferatur dominium, ea clauſula contineret proteſtationem contra factum: *Boſſ. n. 206. &c. Bon. de alien. q. unic. p. 4. num.* 5. Quod ſi non tradita fuerit pacifica poſſeſſio, alienans immunis erit a cenſuris; neque enim pee ſolum contractum ſine traditione intelligitur translatum dominium. Sed de his iterum cap. ſequenti.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Poteſt aliquando evenire, ot in praxi adducatur neceſſitas alicujus boni Eccleſiaſtici alienandi, quando re vera non adſit. Tunc autem id eveniret, quando e. g. repræſentaretur annuos fructus non eſſe ſufficientes pro ære alieno ſolvendo, vel pro Eccleſiæ reparatione, quando de facto ſufficerent, ſi Rector, vel Prælatus tot commoditates non exigerent. Debet ergo examinari an annui proventus ſuperſint decenti, non ſoperfluæ, & nimis commodæ ſuſtentationi. Si puræ decenti ſuſtentationi non ſuperſint, jure allegatur neceſſitas; ſecus ſi non ſuperſint ſuſtentationi excedenti ſtatum, & conditionem Rectoris &c.

II. Multoties etiam Rectores, & Prælati Eccleſiarum gravant ſoam conſcientiam in addocenda cauſa utilitatis pro obtinenda alienatione facienda in gratiam alicujus Amici &c. Repræſentant exiguam utilitatem, quam habet Eccleſia ex alicujus prædii poſſeſſione, quod de facto eſſet multo magis utile, ſi illius culturam non negligerent. Hinc fit ut novi poſſeſſores illud incolendo non exiguam percipiant utilitatem, dum ip-

Digitized by Google

interim Eccleſia illud permutando, vel in emphyteuſim tradendo, non recipiat niſi ad menſuram illius exigui fructus quem recipiebat, dum prædium alienavit.

Aliquando in adducenda cauſa utilitatis ſolum mentio fit de majori copia fructuum, quæ ex alienatione promittitur; at tacetur difficultas eos exigendi ab iis, in quos fit alienatio; incommodum, quod ſubibunt ſucceſſores carendo prædiis ſibi proximis, & habendo prædia laica Eccleſiæ, & Canonicæ fere contermina. Hæc, & ſimilia ſilentio occultantur non ſine gravi præjudicio animæ Rectoris alienantis &c.

CAPUT IV.

De Nullitate alienationis factæ ſine ſolemnitatibus, ejuſque revocatione, & pœnis contra ita alienantes.

Q. I. AN alienatio rerum Eccleſiaſticarum, non ſervatis debitis ſolemnitatibus, ſit ipſo jure nulla.

R. I. Præfata alienatio in foro externo eſt ipſo jure nulla, in favorem tamen ſolius Eccleſiæ: *can. ſine except. 12. quæſt. 2., ſi quis presbyterorum 6. de alien. juncta Gloſſa, cap. 2. §. Contractus autem ibid. Clem. 1., & Extr. Ambitioſæ*. His omnibus juribus ſimiles alienationes irritæ, nullæ, viribus carere dicuntur, adeoque communis ſententia eſt ſaltem pro foro externo ut nullas habendas eſſe: *Covarr. l. 2. var. reſol. c. 17. n. 2., Azor. p. 2. l. 9. cap. 1. q. 8., Card. de Luc. de alien. diſc. 1. num. 99.*

Dixi tamen, in favorem Eccleſiæ, nam cum Eccleſia fruatur jure Minoris: *cap. auditis 3. de in integr. reſt.*, ſicut Pupillus, & Minor contrahentes ſine authoritate Tutoris, vel Curatoris contrahunt in ſui favorem, non in ſui præjudicium: *§. 1. Inſtitut. de author. Tutor.*, ita dicendum eſt de Eccleſia. Non tenebitur itaque reſcindere contractum ad inſtantiam emptoris, qui empſit ſine ſolemnitatibus, ſi Eccleſia ſtare velit contractui; at bene poterit cogere ad ipſius reſciſſionem.

R. II. Si adfuit cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ, alienatio facta ab iis, quorum intereſt, ſine dolo, & fraude, quamvis prætermiſſa formula juris, probabiliter ſuſtineri poteſt in foro conſcientiæ. Hujus autem reſponſionis ea adducitur ratio, quod ſolemnitates introductæ ſunt a jure ad evitanda ſcandala, & deceptiones; unde his ceſſantibus, & interveniente aliunde vero conſenſu contrahentium, adeſt quidquid requiritur de jure naturali, ac proinde contractus poteſt in foro conſcientiæ ſuſtineri: *Abbas in cap. quia plerique num. 31. de Immun. Eccleſ., & cap. requiſivit num. 19. de in integr. reſt., Ricc. p. 1. prax. rel. 7. n. 4. Laym. l. 1. tract. de Leg. c. 16. n. 9., Navar. in comm. de alien. rer. Eccl. n. 17., Azor. p. 2. l. 9. c. 1. q. 8. v. ſecundum eſt.*

Q. II. Quid agendum dum Eccleſia graviter læſa fuit per alienationem.

R. I. Quamvis contractus alienationis fuerit validus, factus ſcilicet cum debitis ſolemnitatibus, & ex cauſa, quæ videbatur juſta, nihilominus ſi ex poſt facto Eccleſia appareat graviter læſa, peti debet reſtitutio in integrum; hoc etenim eſt remedium extraordinarium, dum contractus jure ſubſiſtit: *cap. ad noſtram 11. de alien., & cap. 1. & ſeqq. de in integr. reſtit.* Quamvis autem Eccleſia hoc beneficio reſtitutionis in integrum cogere poſſit poſſeſſorem ad reſtitutionem rei alienatæ, ſimulque fructuum ipſius: *cap. ſi quis presbyterorum 6. §. fin. de alien.*, nihilominus emptor bonæ fidei habet adverſus Eccleſiam actionem non ſolum de pretio recuperando, ſed etiam de ſuo intereſſe, ni ſibi ſatisfecerit ex fructibus perceptis: *cap. ad noſtram cit. juncta gloſſa.*

R. II. Si contractus fuit ipſo jure nullus, tunc Eccleſiæ ſubveniendum eſt, curando, ut Judex pronunciet contractum nullum fuiſſe, ut de ſe patet.

Primo autem tenetur providere Eccleſiæ læſæ graviter per alienationem idemmet qui alienavit: *cap. ſi quis presbyterorum 6. cum Gloſſ.* Secundo, Succeſſor alienantis. Tertio, in prædictorum defectu quivis Clericus poteſt agere pro reſtitutione rei Eccleſiaſticæ male alienatæ: *cap. ſi quis presbyt. cit.* Porro Eccleſia læſa agere poteſt primo, contra Prælatum male alienantem, ut damnum ſibi illatum reſarciat: *can. monemus 12. qu. 2.*; eo autem defuncto, agere poteſt contra ipſius hæredem, utpote qui repræſentat perſonam Defuncti: *auth. de jurejur. §. 5. collat. 5.* & in omne ipſius jus ſuccedit: *leg. cum hæres ff de divers. & temporal. præſcip.* Secundo, agere poteſt contra poſſeſſorem rei male alienatæ, ut ſupra dictum eſt.

Q. III. Quæ ſint pœnæ contra male alienantes bona Eccleſiæ.

R. Juribus antiquioribus prætermiſſis, referam pœnas, quæ continentur in Extr. *Ambitioſæ*; nam hæc Conſtitutio pro regula habetur in præſenti materia. Prima igitur pœna eſt nullitas contractus celebrati ſine ſolemnitate, de qua ſupra dictum eſt. Hic ſolum addo; invita etiam Eccleſia, poſſe ab eo, qui cum ea contraxit, opponi defectum ſolemnitatis, quoties actus alienationis nondum fuerit conſummatus.

Secunda pœna eſt excommunicatio latæ ſententiæ: ea autem non ſolum afficit male alienantes, ſed etiam recipientes, ni ſibi perſpexerint celeri reſtitutione, hoc eſt, antequam Eccleſia lædatur; *ſi quis presbyterorum juncta Gloſſ., Barboſ. in extr. Ambitioſæ numer. 24.* Hæc excommunicatio nulli reſervatur, unde ſatisfacta parte poteſt abſolvi a quocumque approbato: *Del Bene de immun. Eccl. p. 2. cap. 17. dub. 22. num. 9. Gavant. in Man. Epiſc. v. alienatio num. 28.* Nec refert dicere cum aliquibus fuiſſe reſervatam a Tridentino *ſeſſ. 22. cap.* 21. dum reſervata excommunicatione innodavit vel uſurpantes, vel in proprios uſus convertentes bona Eccleſiaſtica; nam ſimpliciter alienantes, maxime in materia odioſa, ſub iſtorum nomine non comprehenduntur: *Don. qu. 92. num. 4., Del Bene num. 11. &c.*

Tertia pœna, quæ comprehendit Epiſcopos, vel Abbates, qui immunes ſunt a ſuperiori excommunicatione, eſt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, in quo ſi obdurate per ſex menſes perſeveraverint, ipſo facto ſuſpenduntur ab adminiſtratione ſpirituali, & temporali ſuæ Eccleſiæ: *Mol. diſp. 466. num. 8. Bon. de alien. qu. unic. p. 5. n. 1.*

Quarta pœna latæ ſententiæ contra Prælatos inferiores, & Rectores Eccleſiarum, ultra præfatam excommunicationem, eſt privatio ipſo facto Prælaturarum, & beneficiorum Eccleſiæ, cujus bona alienarunt; unde ab eo, ad quem pertinet, poſſunt libere conferri tanquam vacantia. Pro Regularibus autem, ultra excommunicationem, ex Decreto Urbani VIII. *de rebus Regul. non alien.*, eſt privatio omnium officiorum, vociſque activæ, & paſſivæ. Hic tamen advertendum, pœna, qua in præſenti materia afficiuntur Regulares, ſolum affici Capitula Generalia, vel Provincialia, & Superiores eorundem, non vero Subditos; nam de prædictis loquuntur Pontificiæ Conſtitutiones, & Decreta S. Congregationis, & de iis, qui habent adminiſtrationem. Nec obſtat Subditum in Capitulo conſentire in alienationem; nam in materia odioſa conſentiens in alienationem non dicitur rigoroſe *alienans*, & ſolum hic innodatur excommunicatione, aliiſque pœnis, *FillIuc. tract. 44. cap. 6. quæſt. 4. nu. 4. Bon. p. 5. num. 1.* Ulterius advertendum, quod licet excommunicatio, & quæcumque alia cenſura incurratur ante omnem Judicis ſententiam, nihilominus aliæ pœnæ privationis bonorum, beneficiorum, officiorum non afficiunt Delinquentes, niſi poſt ſententiam declaratoriam criminis; adeoque Rector Eccleſiæ male alienans non teneretur dimittere beneficium niſi poſt talem ſententiam. Conſule Tractatum de Legibus qu. 2. c. 2.

Q. IV. Quid excuſet a præfatis pœnis incurrendis.

R. Cum in Extr. *Ambitioſæ* præfatis pœnis ligentur ii, *qui alienare præſumpſerint*, ab iis incurrendis excuſat omnis ignorantia juris, vel facti, etiam culpabilis. Ratio eſt, quia Eccleſia prohibens aliquid ſub his formulis, intendit punire delictum formaliter, & expreſſe volitum, quod non intervenit, ſi adfuit ignorantia etiam craſſa, & ſupina. Ex dictis autem in Tr. de Legibus *quæſt. 1. cap. 5.* ignorantia etiam affectata excuſat a cenſura lata contra præſumentes. *Suar. de cenſ. d. 4. ſect. 10. n. 2.*

Secundo, excuſatur alienans ex opinione probabili dictante hunc, vel illum caſum non comprehendi a juribus prohibentibus alienationem. Et quidem cum iſte non credat ſe peccare, utique ligari non poteſt cenſuris &c. *Boſſ. tit. 3. n. 161. &c. Regin. l. 32. n. 69.*

Tertio, ut ſupra dictum eſt, excuſantur a dictis pœnis

nis

Digitized by Google

nis ii, qui *celeri reſtitutione ſibi proſpexerint : cap. ſi quis Presbyterorum de reb. Eccleſ. non alien.* hoc eſt, ut ibi dicit Gloſſa, *antequam lædatur Eccleſia*. Si igitur, quamvis celebratum ſit inſtrumentum alienationis, alienantem ejuſdem pœniteat, & non det realem, & pacificam poſſeſſionem, immunis erit a pœnis: *Covar. lib. 2. Var. c. 16. n. 7. Ricc. reſol. 132. n. 3.*

Dantur aliæ pœnæ contra Commiſſarios, aut Judices inique conſentientes in alienationem cum Eccleſiæ detrimento, ut conſtat ex Conſtit. Pauli II. incip. *Cum omnibus judiciis*, & ſequentibus verbis exprimuntur: *Si autem Commiſſarius, vel Delegatus conſcientiæ ſuæ prodigus in gravamen, ſeu detrimentum Eccleſiæ per gratiam, aut timorem, vel ſortes, hoc eſt prævia pecunia, vel promiſſione illius alienationi conſenſerit, aut decretum, vel authoritatem interpoſuerit, inferior quidem Epiſcopo ſententiam excommunicationis incurrat; Epiſcopus vero, aut Superior ab executione officii per annum noverit eſſe ſuſpenſum.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Accidit aliquando poſt aliquod tempus ab alienatione facta rerum Eccleſiaſticarum, dubitari ab Emptoribus, vel eorum Succeſſoribus, an omnia rite fuerint facta, vel potius, an omiſſa fuerit aliqua ſolemnitas &c. Confeſſarius igitur, ut conſulat ipſorum conſcientiæ, advertat primo, quod ſi elapſi fuerint 30. anni a pacifica poſſeſſione, omnia præſumuntur rite facta. Si vero nondum elapſum fuerit tale tempus, & aliunde Eccleſia non appareat graviter læſa, poteſt ſequi eam opinionem, quæ dicitur talem alienationem, etiam ſolemnitatibus omiſſis, in foro conſcientiæ, ſubſiſtere; atque ita in foro conſcientiæ ſuum Pœnitentem tutum eſſe.

II. Noret Confeſſarius, Rectores Eccleſiarum non raro, ne diſpliceant Potentibus, vel ne aliquas faciant expenſas, negligere recuperationem bonorum, quæ non ſine gravi Eccleſiæ detrimento fuerunt alienata. Hi Rectores facillime graviter peccant; ne etenim humanos favores amittant, vel ut propriæ avaritiæ, ſeu ignaviæ morem gerant, negligunt ſibi reſtitui quæ Eccleſiæ ſuæ ſunt. Quis autem, niſi ipſi Rectores, id præſtare tenentur?

III. Non ſtatim ac Confeſſarius novit Rectorem &c. aliquid Eccleſiæ alienaſſe, ipſum cogat, vel ad reſciſſionem alienationis, ſeu pronunciet in excommunicationem incidiſſe. Quamvis ipſe opinetur illicitam fuiſſe talem alienationem, videat, an contra propriam opinionem ſit etiam apud DD. opinio probabilis in contrarium; & ſi eſſe adinveniat, deſinat ſuum Pœnitentem ad aliquid obligare.

A P P E N D I X.

De Succeſſione ab Inteſtato.

QUandoquidem non parum utile eſſe poſſit Parocho, & Confeſſario ſcire quæ juxta noſtrum Lucenſe Statutum *lib. 2. cap. 9.* competant hæredibus ab inteſtato; & cum ſuo loco hanc notitiam dare omiſerim, non judicavi hic eam prætermittere. Eo magis quia non parum deſervire poteſt pro intelligendis iis, quæ dixi in regulis cap. 3. & 4. Cum autem diverſa ratio in aliquibus gradibus habeatur de bonis a Patre provenientibus, ac de iis quæ a Matre procedunt; ut clarior, quam poſſibile ſit ordo tradatur, de ſucceſſione in bonis maternis, in iis gradibus, in quibus diverſa eſt diſpoſitio, per exceptionem in parenteſi incluſam, ſermo inſtituetur.

Si quis ergo inteſtatus decedat, primum gradum ſucceſſionis occupant Filii maſculi legitimi, & naturales (ſorores enim a Fratribus germanis ſemper excluduntur) & ſi filius alter ſupervivat, & ex altero Nepotes ſint, aut pronepotes, hi ſimul cum Patruo ſuccedunt in ſtirpem, ſcilicet habituri ſunt eam portionem quam obtinuiſſet eorum Pater, ſi viveret. Hinc, ſi mortuo Titio ſine Teſtamento, vivat Sempronius filius Titii, & ex Sejo præmortuo, Titii pariter filio, vivant tres, aut quinque filii, Titiique Nepotes; dum hæreditas in mille ſcutis ſiſtat, quingenta habebit Sempronius, & altera quingenta Titii Nepotes, ſeu Seji filii maſculi. Quid ſi etiam Sempronius prædeceſſerit, & ex eo nati filii vivant? Tunc etiam tam filii Sempronii, quam Seji ſuccederent in ſtirpem, & conſequenter quingenta capient Filii Sempronii, etiam ſuerit unus, & quingenta Filii Seji, licet quinque fuerint, & e converſo.

Secundum gradum tenent filiæ, quibuſcum una ſuccedunt in capita Neptes ex Filio præmortuo. Ex quo, ſi Titius Cajam Filiam reliquerit, & ex Sempronio præmortuo, Titii filio, tres Filiæ, ſeu Titii Neptes ſuperſint, hæreditas Titii in quatuor partes dividenda erit: cuique una.

Tertius gradus competit Nepotibus, & Neptibus ex Filiabus præmortuis, quibus ſucceſſio convenit in Stirpem, excluſis tamen, uti dictum eſt, Sororibus a germanis Fratribus. Puta Titium genuiſſe Cajam, & Lucretiam, & Cajam genuiſſe Agrippinam, & Aureliam, Lucretiam vero genuiſſe Antoniam, & Marium. Mortuis, ante Titium Patrem Caja, & Lucretia, eamdem portionem hæreditatis Titii conſequentur Agrippina, & Aurelia, quam conſequetur Marius, Antonia a Mario excluſa. Cum dictis Nepotibus Titii concurrit pro virili Cæſar e. g. Titii Pater, vel ipſo præmortuo avus Titii, aut alter Maſculus aſcendens, atque in hoc caſu quælibet Filia pro uno ſtipite computatur. Ita igitur in prædicto caſu in tres partes dividenda erit hæreditas Titii. Una ad Agrippinam, & Aureliam ſpectabit: altera ad Marium: Tertia ad Cæſarem, vel ipſo præmortuo ad Patrem Cæſaris ſi ſuperſtes fuerit, vel præmortuo etiam Patre Cæſaris ad Avum, & ulteriorem aſcendentem Maſculum, ſalva gradus prærogativa. At ſi neque Cæſar ſuperviveret, neque alter aſcendens maſculus, tunc eam partem, quæ dicto Cæſari, aut ulteriori Maſculo aſcendenti debita erat, obtinebunt Fratres Titii quotcumque fuerint ex utroque Parente, aut ex latere Patris conjuncti, & eorum defectu ipſorum Filii. Tertiam igitur partem hæreditatis Titii, deficientibus aſcendentibus, habebunt Titii Fratres; & ſi unus fuerit, ipſe totam conſequetur; & ſi plures fuerint, inter eos æque dicta tertia pars dividetur; & ſi Frater aliquis præmortuus Filios reliquerit, hi partem, quam Pater habuiſſet ſi viveret, conſequi debent. Verum non extantibus etiam Titii Fratribus Fratrumque Filiis, tunc in tota hæreditate ſuccedent Nepotes, & Neptes Titii, & ſic dimidiam haberent Agrippina, & Aurelia, & dimidium Marius. Nota quod ſi Caja Agrippinam ſolam genuiſſet, & non Aureliam, idem dicendum foret, quia Nepotes, & Neptes ſuccedunt in Stirpem. Conſequutura ergo eſſet Agrippina ſola id, quod dictum eſt Agrippinæ, & Aureliæ debitum fore. Prædicta intellige, ſi pater puta Titius ex uno Matrimonio prolem ſuſceperit; at ſi pluribus Matrimoniis Filios habuerit, tunc quoad bona Titii jam dicta teneas, & quoad bona materna Filii propriæ matris hæreditatem capient, excluſis Fratribus, vel Sororibus ex latere Patris conjunctis. Hinc ſi Titius in primo Matrimonio cum Priſca initio genuit Cajam, & Sejum, & in altero cum Æmilia Sempronium, & Lucretiam, Sejus totam Priſcæ matris hæreditatem, excluſa Caja Sorore nanciſceretur, & Sempronius totam Æmiliæ matris hæreditatem, excluſa Lucretia Sorore. Idem eſſet, ſi in primo Matrimonio ſolum genuiſſet Cajam; hæc enim non excluderetur a Sempronio, quoad bona Priſcæ, ſed ea Caja tantum conſequeretur.)

Quartus gradus pertinet ad Patrem, puta Titii, & non extante Patre, ad Avum, & hoc pariter deficiente ad cæteros Aſcendentes ex ordine. (Hæc quæ dicta ſunt quoad quartum gradum intellige reſpectu cæterorum bonorum, exceptis dote, & bonis, quæ Titius a Matre, vel a conjunctis ex linea materna habuiſſet. Etenim in hiſce bonis, excluſo Patre, aliiſque aſcendentibus, Fratres Titii utrinque conjuncti, & præmortuorum Fratrum Filii Maſculi in ſtirpem ſuccedent: His autem, Fratribus ſcilicet, Fratrumque Filiis non exſtantibus, ſuccedent Sorores utrinque Titio conjunctæ inſimul cum Filiabus Fratrum præmortuorum, qui pariter utrinque Titio conjuncti fuerint: Succeſſio vero Filiarum erit in Stirpem. Proinde ſi Titius habuerit duas Sorores, & ex Mevio Fratre præmortuo tres Neptes, Mevii Filias, dos, & bona Titii ex linea materna provenientia in tres partes dividentur, una ad Filias Mevii attinebit, alteræ duæ ad Sorores Titii. Non exſtantibus autem prænominatis perſonis, tunc nulla habita diſtinctione dotis, & bonorum maternorum, Pater in tota Titii Filii hæreditate ſuccedet, eoque præmortuo Avus, ac ulteriores Aſcendentes Maſculi per lineam paternam, ſervata tamen gradus proximitate.

raretur Reus, ut non compenſaretur damnum illatum, vel non impediretur damnum inferendum. *Qui* plura deſiderat conſulat P. Manſi agentem de hac excommunicatione.

CAPUT II.

De mendaciis.

Q. I. **Q**Uid ſit mendacium.

S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 1. ex S. Auguſtino ita definit mendacium: *Enunciatio falſi cum voluntate ad fallendum prolata*. Eo ipſo quod dicitur *enunciatio*, explicatur, mandacium ad peccata oris pertinere; at quia etiam ſcriptura, nutibus, & ſignis loquimur, his etiam modis poſſumus mentiri. Additur *falſi*, quia eſſentia mendacii conſiſtit in hoc, quod falſitas proferatur. Si tamen ea a loquante non cognoſcatur, & putet dicere verum, mendatium dicitus tantum materiala, Si vero falſitas proferatur cum advertentia, tunc datur mendacium formale, de quo in præſenti; & poteſt etiam optime definiri: *locutio ſtudioſa contra mentem*, nempe contra veritatem, quam quis cognoſcit. Ea verba, quæ adduntur in definitione illata ex D. Auguſt. *cum voluntate ad fallendum* non pertinent, ut bene advertit S. Thomas, ad eſſentiam mendacii; nam ſufficienter datur mendacium formale, cum quis advartenter profert falſitatem, abſque eo quod habeat voluntatem fallendi. Iſta ergo voluntas non pertinet ad eſſentiam, ſed ſolum ad majorem malitiam mendacii.

Mendacium formale ratione finis intenti dividitur communiter in jocoſum, officioſum, & pernicioſum: *D. Th.* 2. 2. *qu.* 110. *art.* 2. Mendacium jocoſum ordinatur ad propriam, vel aliorum delectationem, ut facere ſolent homines garruli, & blaterones. Officioſum ad propriam, vel aliorum utilitatem. Pernicioſum ad alteri damnum inferendum, quod communiter eſt mortale, niſi excuſet parvitas materiæ.

Q. II. An in aliquo caſu licitum ſit mentiri.

R. Nunquam licite profertur mendacium, unde Eccleſ. dicitur: *Nolli velle mentiri omne mendacium*, & Proverb. 3. *Verbum mendax Juſtus deteſtabitur*; & ad Coloſſ. 3. *Nolite mentiri invicem*. Ad hoc probandum plura habet S. Auguſtinus *leg. cont. mend.* & *leg. de mend.* ſicut & communiter SS PP., quos videre ait tota *cauſa* 22. *qu.* 2. Ratione etiam probatur, quia mendacium de ſe eſt ex genere ſuo malum, unde nunquam poteſt eſſe licitum. Quod autem ſit ex genere ſuo malum exinde probatur, quia ordo, & inſtitutio naturalis eſt, ut voces deſerviant ad manifeſtandum conceptum mentis; cum ergo mendacio ſignificetur quod in mente non eſt, ſequitur per ſeipſum deſtrui ordinem, & inſtitutionem natusalem, adeoque ſemper malum eſſe: *D. Th.* 2. 2. *qu.* 110. *art.* 3. Addatur mendacium ſemper opponi Dei veracitati, & per conſequens ſemper malum eſſe, utpote oppoſitum Divino attributo.

Neque poteſt dici videri conſonum rationi fieri poſſe minus malum ad impediendum gravius; ut ſi quis mandatarium mendacio illuderet ad ſalvandam vitam alicujus. Contra etenim eſt, quia malum in ſe nec licet facere, nec conſulere etiam ad vitandum majus malum; ſemper eum etenim quis malum conſulit, vel facit, peccat, ut de ſe patet. Poteſt utique quis determinato inferre grave damnum minus proponere; at tunc non ſe habet conſulendu malum, quia nollet vel minimum malum patrari, ſed homini determinato ad malum proponit hanc veritatem: quod ſi velit malum facere, melius eſt, ut faciat minus, quam majus. In caſu autem quod quis mentiatus ad vitandum ſuum, vel alterius grave damnum, de facto eligit quod malum aſt, & proinde nunquam poteſt excuſari.

Q. III. Quale peccatum ſit mendacium.

R. I. Secluſo ſcandalo, mendacium jocoſum, & officioſum ſunt ſolum peccata venialia; nam iis non læditur ſaltem graviter Charitas; Officioſo etenim mendacio propria, vel alterius intenditur utilitas, & jocoſo propria, vel alterius delectaio: *D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 4. Quod autem in his mendaciis Proximus credat rem aliter ac ſe habet, eſt quid leve; cum de ſe parum interſit, an res ita, aut aliter ſe habeat.

R. II. Mendacium pernicioſum eſt ex genere ſuo mortale. Id autem probatur, quia primo poteſt contrariari dilectioni Dei, ut ſi quis mentiretur in materia Fidei, aut morum; & ita non ſolum graviter peccaretur contra Dei dilectionem, ſed etiam contra Virtutes Fidei, & Religionis. Idem dicendum, ſi proponerentur falſa miracula, falſæ indulgentiæ, & falſæ reliquiæ; qui etenim ita mentitur, exponit Chriſtianam Fidem, & Religionem illuſionibus &c., adeoque ſemper graviter peccat. Secundo, mendacium pernicioſum poteſt contrariari Charitati Proximi; ut ſi quis imponat falſum crimen, vel ſi mentiendo cauſa ſit, ut Proximus graviter damnificetur; & ita ſit hoc mendacium non ſolum eſſe contra charitatem Proximi, ſed etiam contra juſtitiam. Cæterum poteſt eſſe peccatum leve, vel defectu plenæ deliberationis, vel ex materiæ parvitate.

Quia ſolum mendacium pernicioſum eſt ex genere ſuo grave, illud per ſe directe prohibetur in octavo Decalogi præcepto, lave vero ſolum indirecte.

Q. IV. Qui ſint modi liciti ad vitandum mendacium.

R. Hac de re egi *tract.* 8. *quæſt.* 1. *cap.* 4. *quæſit.* 2. & *reg.* 2. unde hic breviter dicendum licite celari veritatem, dum tamen adſit juſta cauſa id faciendi, vel utendo verbis æquivocis, vel reſpondendo ad mentem interrogantis, vel utendo verbis, quæ habeant ſenſum verum, attenta tamen circumſtantia perſonæ, quæ illa profert, ſeu attenta actione aliqua externa, quam exerceret loquens. Aliqui addunt aliqua verba affirmativa, vel negativa in quibuſdam graviſſimis circumſtantiis non eſſe mendacia, quia tunc communiter non accipiuntur, neque pro affirmatione, neque pro negatione, ſed ſolum quod veluti reddant hunc ſenſum: *nolo dicere*. Ita excuſant a mendacio uxorem dicentem non eſſe adulteratam: filium dicentem Patrem non eſſe domi, dum ſcit quæri ad occidendum &c. Et quidem in his graviſſimis circumſtantiis nemo ſenſatus credit verba vel affirmantia, vel negantia conſonare veritati, ſed ſolum eſſe veritatis occultativa. Hæc opinio, quæ a P. Cattaneo in ſuis lectionibus adſtruitur, impugnatus a P. Orſi Ordinis S. Dominici; at contra ipſius librum prodiit nuper Allegatio Anonymi Scriptoris, qui Cattanei opinionem pluribus defeodit, & a Patris Orſi impugnationibus vindicare conatur. Interim creditur ex utraque parte edendos novos libros, ut moris eſt, dum ex novis opinionibus ingenia excitantur.

Regula in praxi attendenda.

I. Cum bene ſa gerat Confeſſarius non removendo a ſuo Pœnitente ignorantiam invicibilem circa aliquod peccatum; quando prævidet admonitionem non profuturam, atque ignorantia ſemota peccaturum non materialiter ut prius, ſed formaliter; hinc caveat ab admonendo rudes mulierculas, & quoſdam alios craſſioris capacitatis, qui putant non eſſe peccatum officioſe mentiri, ne herus, vel hera repleant domum clamoribus, vel aliquem dimittant a famulatu &c. Si admoneantur, nihilominus perſeverabunt in ſuis mendaciis, & ea remotione ignorantiæ, peccabunt.

II. Studere debet quantum poteſt Confeſſarius, ut caveat in hac materia a laxitatibus, quas Summi Pontifices condemnarunt, puta a reſtrictionibus pure mentalibus &c. ab iiſdem damnatis, Atque contra videat, ne in graviſſimas anguſtias redigat conſcientiam ſui Pœnitentis, quoties poſſit eidem conſulere, docendo unum ex modis, quo non ſine fundamento occultare poſſe dicunt veritatem. Et quidem quid reſpondere debent Conſultores Sac. Inquiſitionis, quid Conſiliarii Principum, quid Confeſſarii interrogati de graviſſima veritate, quam omnino debent celare? Quid Famuli interrogati de adulterio Dominæ, quod alias ſciunt? Quid domina de eodem delicto interrogata &c.? Certe ſi abſolute non poſſunt negare; ipſum ſilentium, vel etiam ipſi trepidatio in reſpondendo pro affirmatione reputabitur: & quæ tunc non orientur mala? Debet erga Confeſſarius

rias illos monere, qua ratione poſſint ſine hæſitatione negare.

QUÆSTIO II.

De Judice, Accuſatore, & Denunciatore.

CAPUT I.

De Judice, ipſius Juriſdictione, Veritate, Opinione, quam ſequi debet in judicando; & de Scientia, quam debet habere.

Q. I. Quid ſit Judex, & quotuplex.

R. I. Judex, idem eſt ac quaſi *Jus dicens*, unde proprie dicitur ille, qui habet poteſtatem ad judicandum, ſive hoc ſit in cauſa civili, ut quando ſententiam profert ad vindicationem alicujus rei, vel ad ſatisfactionem damni, ſeu intereſſe; ſive in cauſa criminali, ut quando ſententiam profert quoad pœnam, quam meretur aliquod delictum: *can. ſuper prud. 12. q. 2.*

R. II. Alter eſt Judex Ordinarius, alter eſt Delegatus. Judex Ordinarius primo eſt ille, qui habet dignitatem, vel officiam, cui ex jure, ſive privilegio, præſcriptione, aut conſuetudine annexa eſt juriſdictio: *Covarr. l. 3. var. reſol. cap. 20. num. 6.* Pontifex Judex eſt pro tota Eccleſia, Epiſcopi pro ſuis Diœceſibus, Generales pro ſuis Religionibus, Provinciales pro ſuis Provinciis, & quicumque Superior pro ſuo Monaſterio. Ita pariter Judex Ordinarius eſt Princeps Supremus in ſua ditione. Secundo, Judex Ordinarius eſt, qui creatur a Principe Supremo ſive Eccleſiaſtico, ſive ſæculari; aut quando ab habente poteſtate eligendi Judicem Ordinarium, confertur electo univerſalitas cauſarum. Id tamen non verificaretur, ſi in literis diceretur cauſas ipſi delegari, vel debere procedere authoritate eligentis. Judex Delegatus eſt ille, cui ea mandato Principis, vel alterius Superioris cauſa committitur, *l. 1. §. Qui mandata ff. de offic. ejus cui mandata eſt juriſd.* Hinc non dicitur habere propriam juriſdictionem, ſed uſum juriſdictionis. Si hic uſus ſit ad omnes cauſas, tunc poteſt unam aut alteram cauſam alteri ſubdelegare; ſi vero ſolum ad certam cauſam, & litem dirimendam, non poteſt eam alteri ſubdelegare. Judex item Ordinarius non poteſt exercere juriſdictionem contentioſam extra ſuum territorium, ſecus Delegatus: *capit. grave de Offic. Ord.* Arbitri Compromiſſarii non poſſunt dici rigoroſe Judices; nam hi procedunt publica authoritate: *leg. quippe ff. de Judic.*, illi vero electi ſunt privata authoritate, de conſenſu tempe colligantium: *Barboſ. Tr. v. appel. v. Judex.*

Q. II. Quot modis acquiratur juriſdictio.

R. Juriſdictio pluribus modis acquiri poteſt. Primo, ratione dignitatis, vel officii. Secundo, ratione delegationis, ſeu ſubdelegationis; ut paulo ante dictum eſt. Tertio, ratione delicti in alieno territorio commiſſi, quamvis reus non ſit ſubditus; jura etenim volunt forum ſortiri ratione delicti: *cap. licet, cap. poſtulaſti de for. comp., & ex Gloſſa in leg. ſolcat ff. de cuſtod. rer. & leg. a D. Pio §. Sententiam ff. de re judic.* Item ratione contractus, domicilii, & rei, de qua intentatur cauſa contra poſſeſſorem: *cap. fin. de for. compet. Azor. part. 3. lib. 13. cap. 15. v. 3.* Quarto, acquiritur juriſdictio ob injuriam illatam Subdito alterius Principis; ſi etenim Princeps illius qui irrogavit injuriam, interpellatus nolit eam vindicare, id poteſt Superior ipſius, qui injuriam paſſus eſt: *Leſſ. de juſt. lib. 2. cap. 29. dub. 6. num. 50. Azor. cit.* Quinto, ex conſenſu partium; ut quando voluntarie ſe ſubdunt alicui ut Arbitratori cum obligatione parendi ipſius ſententiæ.

Sexto, error communis, maxime cum titulo putativo ſupplet juriſdictionem, & facit valere geſta illius, qui vere Judex non eſt: *leg. Barbarius Philippus ff. de offic. Prætor. & cap. infamis 3. qu. 7.* Idem autem ſtatutum eſt, quia, ſi detecto errore omnino invalida habenda fuiſſent geſta a Judice, qui communiter verus Judex reputabatur, innumera inconvenientia, & ſcandala ſequerentur, unde per jus canonicum, & civile debuit ſuppleri illius juriſdictio. Porro tunc datur titulus coloratus, quando facta eſt collatio a cujus officii, vel beneficii ab habente poteſtatem ea conferendi, quamvis ex impedimento occulto recipientis non fuerint valide collata; ut ſi conferretur beneficium parochiale occulte excommunicato, vel irregulari. Quod ſi impedimentum eſſet de jure divino, tunc nullatenus Eccleſia poteſt ſupplere ipſius juriſdictionem, ut ſi præfatum beneficium conferretur non Sacerdoti. Error vero communis tunc intervenit, quando in loco, in quo quis exercet juriſdictionem, communiter reputatur verus Judex, ſeu verus Parochus, quamvis unus aut alter e. g. ſciret verum Parochum non eſſe, quia obtinuerit Beneficium, dum erat excommunicatus. *Anton. a Spir. S. in Direct. Conf. p. p. tr. 5. diſp. 11. num. 751.* Sed de hoc iterum in Tr. de Pœnitentia. Cæterum Parochus ita exercens juriſdictionem (idem dicas de Judice, ſi cognoſcat ſuum defectum) graviſſime peccat, uſurpando juriſdictionem, quæ eſt res graviſſima, & quæ debet exerceri licite, & valide per ſe, hoc eſt, quia valide habeatur, vel valide ſit collata.

Q. III. An ſufficiat ſolus error communis ſine titulo colorato ad obtinendam juriſdictionem.

R. Mihi valde probabilis eſt opinio affirmativa: Et ratio eſt, quia jus dat juriſdictionem non præcipue ratione tituli, ſed ob publicam utilitatem; ac proinde Juriſconſultus in citata lege *Barbarius* non conſideravit illum ſervum, de quo ibi ſermo eſt, habuiſſe poteſtatem a Populo Romano, ex quo conſurgebat titulus coloratus, ſed præcipue conſideravit utilitatem eorum, qui apud eum egerunt, adeoque putandum a populo Romano illi collatam fuiſſe poteſtatem Judicis, eo quod ab eo talis fieri poterat. Item *in auth. de Tab. ante §. ult.* reputatur validus contractus factus a Notario, qui carebat titulo. Cum igitur pro publica utilitate, & pro vitandis inconvenientibus non minus expediat non carere juriſdictione Judicem, qui communiter talis reputetur; ſimulque habeat titulum coloratum, quam Judicem, qui talis ſolum ex errore communi credatur, dicendum eſt quod, cum in utroque caſu eadem ſit ratio, eadem pariter eſſe debeat juris diſpoſitio: *Pont. de Matr. lib. 5. c. 20. n. 2. Bordon. tom. 1. reſol. 86. qu. 14. a. 50. Pal. tom. 5. tract. 28. d. 3. tr. 28. d. 2. part. 13. §. 10. n. 9. Paſſer. q. 187. a a. 350.*

Q. IV. Quæ ſint ea, quæ pertinent ad juriſdictionem Eccleſiaſticam privative; & quæ ad poteſtatem ſæcularem.

R. Si agatur de perſonis Eccleſiaſticis, cum gaudeant privilegio fori, de eis cognoſcere pertinet ad Judicem Eccleſiaſticum privative quoad alios. Secundo, pertinent ad judicium Eccleſiaſticum crimina Eccleſiaſtica, vel dum agitur de rebus Eccleſiaſticis. Crimina Eccleſiaſtica e. g. ſunt: hæreſis, ſciſma, abuſus Sacramentorum, & Sacramentalium, profanatio Reliquiarum, & his ſimilia. Res Eccleſiaſticæ ſunt Reliquiæ, Templa, & quæcumque loca ſacra, Beneficia, decimæ, vota &c. Item dantur pœnæ, quæ ſolam pertinent ad juriſdictionem Eccleſiaſticam, ut ſunt cenſuræ, & Irregularitas.

R. II. Ad Juriſdictionem ſæcularem pertinent ea quæ verſantur circa actus humanos, & morales, quatenus neceſſaria ſunt ad bonum regimen Reipublicæ, & ad rectam hominum ſocietatem. Hinc ad eam pertinent cauſæ, quæ tractant de dominio Laicorum, de contractibus, teſtamentis, tutela, de non tranſportando victualia, de ſolvendis vectigalibus, de armis non deferendis &c.

R. III. Sunt quædam crimina, quæ ſi a perſona ſæculari committantur, ſunt mixti fori, ita ut in eis cognoſcendis detur præventio inter juriſdictionem Eccleſiaſticam & laicam. Hujuſmodi ſunt Executio legatorum piorum, ſeu ultimarum voluntatum ad pias cauſas: ſimplex blaſphemia a Chriſtiano prolata; nam ſi eſt hæreticalis, illius cognitio pertinet ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum: Sacrilegium etiam commiſſum in perſona Clerici, Monachi, aut Monialis, quamvis aliqui contradicant: Delictum Laici offendentis Clericum, vel laicum in Eccleſia: ſortilagium quando non ſapit hæreſim, vel non habet admixtum abuſum rerum ſacrarum, Concubinatus quatenus non ſolum jure Canonico, ſed etiam civili eſt prohibitus: Adulterium, inceſtus, ſodomia, perjurium, violatio ſponſalium, uſuræ &c. *Farinac. lib. 1. criminal. tit. 1. qu. 8. nu. 129. Jul. Clar. lib. 5. pract. crim. §. fin. quæſt. 37.*

Digitized by Google

TRACTATUS XV.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO.

HOc octavum negativum præceptum ſequentibus verbis traditum fuit *Exod. 20. 16. & Deuter. 5. 20. Non loqueris contra Proximum tuum falſum teſtimonium*. Poſtquam igitur in ſuperioribus ſecundæ tabulæ præceptis Deus prohibuit ea, quibus injuria noſtris proximis facto irrogatur, in iſto ne verbis offendatur, pariter prohibuit. Duo igitur præcipue hoc vetantur præcepto. Primum, ne in judicio falſum teſtimonium dicatur adverſus Proximum. Secundum, ne extra judicium mendacium proferatur.

Ut autem obſervat Concilii Tridentini Cathechiſmus, ſicut teſtium mendacia, & perjuria hoc præcepto prohibentur, & ita Accuſatorum, Reorum, Tabellionum, Procuratorum, Advocatorum, & Judicum; cum hi omnes intervenire ſoleant in judicio conſtituendo. Hinc multi Theologi do hoc præcepto differentes, differunt pariter de omnibus iis, quæ neceſſaria ſunt, ut præfati munus ſuum rite exerceant. De his ergo & nos agamus.

QUÆSTIO I.

De falſo Teſtimonio, & Mendacio.

CAPUT I.

De falſo Teſtimonio, & falſo Teſte; & quando Teſtis fateri teneatur veritatem.

Q. I. Quid ſit falſum teſtimonium; & quale peccatum.

R. I. Non eſt hic ſermo de teſtimonio falſo materialiter tali; de teſte ſcilicet, qui putat inculpabiliter dicere veritatem, ſed revera falſa profert. Sermo præcipue eſt de teſtimonio falſo formaliter tali, quando ſcilicet teſtis de facto cognoſcit teſtificari falſum, vel ſaltem putat teſtificari.

R. II. Teſtimonium falſum ſemper eſt cum peccato mortali, quia nemo admittitur in judicio ad ferendum teſtimonium, niſi præmiſſo juramento de veritate dicenda; ac proinde cum falſus teſtis ſit ſemper perjurus, ſemper etiam graviter peccat: *D. Thom. 2. 2. quæſt. 70. art. 4.* Cæterum ipſa falſitas, quam profert, poteſt non eſſe peccatum mortale, ut dicemus de mendacio.

Q. II. Ad quid teneatur, qui in judicio falſum teſtatus eſt.

R. I. Si Teſtis ſolum materialiter falſum teſtatus eſt, dum ſcilicet ſaltem ſine gravi culpa putavit dicere verum, tunc cum gravi ſuo incommodo non tenetur retractare, quod teſtatus eſt; quia ipſius actio non fuit formaliter ſaltem graviter injurioſa, adeoque ex ea non tenetur grave incommodum ſubire. Si vero tale incommodum non adſit, & poſſit prodeſſe, retractare debet teſtimonium prolatum; nam licet mutatio teſtimonii non admittatur niſi fiat ſtatim: *Extr. de teſtim. cogend. & cap. præterea de teſt.* nihilominus talis mutatio poteſt debilitare teſtimonium falſum; *Sot. de juſt. & juram. lib. 5. quæſt. 7. art. 4.* Quod ſi incommodum in retractando teſtimonium non deberet eſſe grave, & aliunde ex tali teſtimonio proximus grave pateretur incommodum vel in vita, vel in fama, vel in bonis fortunæ, tunc deberet aliquod incommodum ſubire propter liberandum proximum a tali damno, ita exigente Charitate, ut diximus in ejus Tractatu.

R. II. Si teſtis fuit formaliter falſus, & ſimul cauſa efficax damni, tunc etiam cum ſuo gravi detrimento in fama, & bonis fortunæ, tenetur damnum illatum reparare; gravi etenim injuriæ proximo factæ, optime correſpondet obligatio etiam cum gravi damno illam reparandi. Dixi, ſi fuit cauſa efficax damni, ſi ſcilicet ſuum teſtimonium, cum non præceſſiſſent teſtes ſufficientes, cauſa fuit illum condemnandi. Idem dicitur de eo, qui perſuaſit aliquibus falſum teſtificari; debet enim cum gravi damno detegere ſuam machinationem, ſi ipſi teſtes nolint ſe retractare: *Petr. Navarr. tom. 1. de reſtit. lib. 2. cap. 3. num. 232. Fagund. in Decal. tom. 2. lib. 8. cap. 42. num. 4. Leſſ. lib. 2. de juſtit. cap. 30. dub. 7. num. 54.* Oportet tamen ſemper adeſſe ſpem, quod retractatio ſit profutura, alias enim ſuperflue fieret.

Quæſt. III. Quando teſtis teneatur fateri veritatem.

R. I. Duo prius ſunt ſupponenda. Primo, quod teſtis juridice interrogatus tenetur fateri veritatem; Judex etenim conſtitutus a Republica, vel Principe eſt illi ſuperior, ideoque legitime præcipit manifeſtationem criminis: ſtante autem quod legitimum ſit præceptum, adeſt obligatio obediendi: *D. Thom. 2. 2. quæſt. 70. art. 1. Azor. 3. part. Inſtitut. lib. 13. cap. 27. q. 1.* Præterea ſi non adeſſet obligatio manifeſtandi veritatem Judici legitime interroganti, intercluderetur omnino via ad delicta punienda, quod non poſſet eſſe ſine diſcrimine communis boni. Secundo, ſupponendum eſt duplici via Judices procedere, per accuſationem nempe, & inquiſitionem. Per inquiſitionem autem tripliciter procedere poteſt. Primo, per inquiſitionem generalem, ut quando nil ſciens vel de perſona crimnoſa, vel de aliquo delicto, inquirit generaliter, an in aliquo loco ſint perſonæ criminoſæ, vel an commiſſum fuerit aliquod delictum. Secundo, per inquiſitionem mixtam; ut quando Judex ſcit commiſſum fuiſſe aliquod delictum, at ignoratur Perſona, quæ illud commiſit, unde neſcit de qua particulari perſona debeat inquirere; vel quando ſcit in generali aliquam perſonam eſſe criminoſam, ſed neſcit in particulari quod delictum commiſerit. Tertio, per inquiſitionem ſpecialem; ut quando interrogat in particulari de delicto, & de perſona; ut ſi interroget, an Titius commiſerit homicidium: ſed de his iterum infra. His poſitis,

R. II. Quando præceſſit accuſatio, ſeu denuntiatio, teſtis etſi unus, tenetur fateri veritatem. Ratio eſt, quia lex vult, ut teſtis in judicio vocatus debeat reum manifeſtare; nam ita expoſcit bonum publicum; neque enim multoties accuſarentur Rei, ſi unicus teſtis in judicio vocatus occultare poſſet veritatem: *Bonac. tom. 2. d. 10. quæſt. 3. part. 3. num. 5.* Ul-

CAPUT II.

De Inquiſitione, & de modo quo debet Judex procedere ad inquirenda delicta.

Q. I. Quid ſit Inquiſitio, & quotuplex.

R. I. Cum in præſenti ſermo ſit de inquiſitione criminali, ea bene deſcribitur dicendo quod ſit: *Inveſtigatio criminis, vel criminoſi legitime per Judicem facta. Gonz. in cap. inquiſitionis 21. de inquiſit., Sanch. t. 2. conſ. l. 6. c. 3. d. 16. n. 5.* Hæc definitio quamcumque inquiſitionem, ſive generalem, ſive ſpecialem comprehendit. Dicitur autem inveſtigatio facta per Judicem, ut deſignetur diſtinctio inquiſitionis ab accuſatione, & denunciatione; nam in iis crimen Judici defertur ab Accuſatore, vel Denunciatore, in inquiſitione vero ab eodem Judice inveſtigatur.

R. II. Inquiſitio triplex eſt, generalis, ſpecialis, & mixta. Inquiſitio generalis, dicta etiam generaliſſima, tunc datur, quando Judex non quærit in particulari nec de aliquo crimine, nec de delinquente, ſed generaliter inquirit, an ſint malefactores, ut ita non promoveantur indigni, arceantur peccata, & proſcribantur homines ſceleſti: *leg. congruit de off. Præf., Auth. de SS. Epiſc. collat. 9., & cap. grave de præb.* Inquiſitio ſpecialis inquirit in particulari de delicto, & de delinquente ut plurimum ad punitionem, quamvis & aliquando fieri ſoleat ad evitandum damnum tertii: ut dum inquiritur, an aliquis volens inire matrimonium, laboret aliquo impedimento; ſeu an aliquis volens aliquod officium ſit eo indignus &c. *arg. c. cum delicti 28., c. qualiter 24. de inquiſ. Fagn. ibid. n. 62.* Mixta tunc intervenit, quando inquiritur in particulari de delicto, & in generali de perſona: ut quando inquiritur quiſnam patraverit aliquod homicidium, vel quando inquiritur de perſona determinata, & in generali de delicto; ut ſi inveſtigetur, an aliquis in ſuo officio aliquod crimen commiſerit.

Q. II. An conveniens ſit Inquiſitio Generalis.

R. Hujuſmodi Inquiſitio, etſi nulla præcedat infamia, a jure approbatur: *cap. Romana c. §. Sane de cenſ. in 6., c. 1. de Offic. Ord., juncto, Trid. ſeſſ. 25. de Regul. c. 8., & leg. congruit 13. ff. de Off. Præſ.* Abſque eo quod ergo Judex certo ſciat eſſe aliqua delicta infamia notata, ſat eſt ſi id ſuſpicetur ex communiter contingentibus, & tunc poteſt inquiſitione generali inquirere de delictis, & de criminoſis ad hos puniendos, & ad crimina in futurum impedienda.

Neque dicas quod ſi non præcedat infamia non poſſunt delicta manifeſtari. Contra etenim eſt, primo, quod ad manifeſtanda delicta in inquiſitione generali non opus eſt ipſorum infamiam præceſſiſſe apud Judicem, ſed ſat eſt apud alios eſſe aliqua infamia notata; & tunc ſubditus tenetur ea manifeſtare, niſi prudenter credat vel incuria Judicis, vel ob alios humanos reſpectus manifeſtationem non eſſe profuturam: *Sanch. in Conſ. l. 6. c. 2. d. 8. n. 1.* Secundo, quamvis verum ſit, ordinarie loquendo, delicta occulta non eſſe manifeſtanda in inquiſitione generali, adeoque non deſint qui velint Judicem explicare debere, ſe non inquirere niſi de delictis infamia laborantibus, id tamen verum non eſt, ſi agatur de delicto quod ſit contra bonum commune, contra Religionem, qualia ſunt hæreſis, proditio Civitatis, machinatio in vitam Principis &c. ſicut etiam ſi agatur de delicto committendo in damnum tertii, cui occurri non poſſit niſi illud Judici manifeſtando. Multum ergo ad mores Reipublicæ reformandos prodeſſe poteſt inquiſitio generalis: *Fragoſ. de Regim. Reip. Chriſt. q. 1. l. 5. diſp. 12. n. 165.*

Q. II. Quando Judex poſſit procedere per Inquiſitionem ſpecialem; & quando intelligatur præcedere infamia de aliquo delicto.

R. Et ſi adſint Teſtes, qui probare poſſint delictum, nihilominus Judex non debet procedere ad Inquiſitionem ſpecialem, ni adſit infamia, vel indicia gravia, & manifeſta, quæ æquivaleant infamiæ. Ita habetur *cap. qualiter & quando, c. Inquiſitionis, cap. cum oporteat de Accuſator.* Ratio autem eſt, quia nullus damnandus eſt ſine aliquo Accuſatore; cum etenim Judex medius ſit inter eum qui vim intulit, & eum qui vim paſſus eſt, ut contra primum proferat ſententiam, jam conſtat ultra eum debere eſſe in judicio aliquem, qui adverſus Malefactorem agat, & hic non poteſt eſſe niſi Accuſator formalis, de quo *infra*, vel *virtualis*, nempe infamia, quæ ſola gerere poteſt vicem Accuſatoris in Inquiſitione, in qua non datur formalis accuſator. Neque dicas, teſtes ſufficienter agere contra Reum; nam ii non petunt juſtitiam Judici adverſus ipſum, ſed ſolum inſtante aliquo contra Reum, probant ipſius delictum: *D. Th. 2. 2. qu. 67. ar. 3. Sanch. l. 7. Conſ. cap. 1. d. 20. Fagn. in cap. pernicioſum de offic. Judic. Ordin.* Tunc autem præcedit infamia, quando adeſt opinio manifeſtata non a viris malevolis, ſed honeſtis, & probis, aliquem hoc vel illud crimen commiſiſſe: *cap. qualiter & quando, c. inquiſitionis de accuſat.* Sicut ergo fama non ſumitur ex eo quod ſciunt, & dicunt improbi, ſed ex eo quod ſciunt, & dicunt viri honeſti, ita ex opinione illorum conſurgit infamia. Quot autem Viri probi ex Vicinio, Collegio, aut Communitate requirantur, ut ex eorum dicto & opinione conſurgat infamia, potius arbitrio prudentum eſt relinquendum, dum aliqui majorem partem proborum, alii pauciores requirunt: *Sot. in relect. de tegend. ſecret. mem. 2. quæſt. 6. dub. 2., Suar. de Relig. t. 4. cap. 12. num. 24. Sanch. l. 6. conſ. cap. 3. d. 4. num. 5.* Illud certum eſt quod quo graviora ſunt crimina, & perſonæ ſunt graviores, major requiritur infamia: *Fagn. in cap. qualiter de accuſat.* Cæterum modo conſuetudine receptum eſt, ſatis eſſe ſi Judici conſtet de infamia, abſque eo quod proceſſum incipiat a probatione ipſius. Huic infamiæ æquiparatur clamoroſa inſinuatio, ex qua Judex poteſt ex citatis Canonibus ſpecialiter inquirere de crimine, & de Reo. Ea autem eſt vox fere totius Populi, aut rumor multorum extrajudicialiter ſparſus: *Navar. cap. inter verba coroll. 62. n. 628. Leſſ. l. 2. de juſt. c. 29. dub. 12. n. 104. Sanch. l. 6. conſ. c. 1. d. 20. n. 5.*

Addidi in reſponſione, vel niſi adſint indicia vera, & manifeſta. Certe igitur Judex non poteſt procedere ad inquirendum ſpecialiter ex indicio levi illum movente ad ſuſpicandum; nam cum a talibus indiciis ordinarie abſit veritas, non ſine juſtitia moveretur ex eis ad inquirendum contra aliquem cum periculo ipſum infamandi. Debent ergo indicia eſſe gravia, a quibus ordinarie non abeſt veritas, & ſemiplene probant. Præterea non debent eſſe occulta, ſed manifeſta; nam ſolummodo ex judiciis manifeſtis poteſt oriri infamia, quæ gerat vices virtualis accuſatoris: *Sanch. cit. c. 3. dub. 17. n. 5. Leſſ. de juſt. l. 2. c. 29. dub. 15.*

Q. VI. An aliquando Judex procedere poſſit ad inquiſitionem ſpecialem, etſi non præceſſerit infamia.

R. Primo, poteſt procedere Judex ad inquiſitionem ſpecialem, ſi præcedat denunciatio criminis facta a publico Officiali, ſeu Miniſtro, ita enim expoſcit bonum publicum; cum etenim ordinarie homines abſtineant a denunciando, ne exploratores appellentur, nimis creſcerent delicta, ſi Judex non poſſet procedere ad ſpecialiter inquirendum etiam ſine infamia de criminibus, quoties publicus Officialis ea denunciet: *Fagn. in c. qualiter de accuſ.* Secundo, quamvis multi negent, poteſt procedi ad inquiſitionem ſpecialem, ſi adſit denunciatio *judicialis* alicujus privati, expoſcentis nempe publicam vindictam de aliquo crimine; ſi etenim requiritur infamia, ut gerat vicem Accuſatoris, jam talem vicem præſtat ipſa Denunciatio: *Lezan. t. 1. c. 17. n. 19. Paſſ. r. Trib. Regul. q. 8. art. 4. n. 17., Lugo de juſt. d. 37. n. 64.* Præterea in denunciatione judiciali denunciator ſolet indicare teſtes, & media ad probandum, quæ certe æquivalent indiciis, cum quibus diximus ſupra poſſe procedi ad inquiſitionem ſpecialem. Quod ſi hæc alicui viderentur contraria SS. Canonibus, reſpondendum non fieri contra SS. Canones, quoties adeſt aliquid æquivalens ipſi infamiæ. Ulterius conſuetudo contraria potuit propter bonum publicum, ut paulo ante dixi, ipſis derogare; nam ſolum eſt de jure poſitivo quod non procedatur ad inquiſitionem ſpecialem niſi infamia præcedente: *Leſſ. l. 2. c. 26. n. 172.*, & de jure naturæ ſolum eſt vel quod præcedat infamia, vel aliquid æquivalens. Tertio, non requiritur prævia infamia ad inquirendum de delicto connexo cum eo, de quo Reus eſt confeſſus, aut convictus: *Sanch. l. 6. c. dub. 21.* Quarto, non requiritur infamia, ſi inquiratur de quibuſdam criminibus, quæ graviter officiunt bono publico; ut ſi Judex inquirat de publicis Latronibus, de Falſariis monetæ, de Maleficis, de Strigibus, Faſcinatoribus, Graſſatoribus, Hæreticis, de crimine læſæ majeſtatis &c. nam bonum publicum expoſcit, ut hæc crimina cito removeantur, & puniantur; *Leſſ. l. 2. cap. 29. d. 15. num. 129.* Verum

ta-

tamen eſt non debere Judicem temere de iis contra aliquem inquiſitionem inſtituere: inquiſitus enim ſemper multum famæ deperdit, ſed debet de eo gravem habere ſuſpicionem. Sicuti non prærequiritur infamia, ut Judex inquirere poſſit de his delictis, ita neque requiritur formalis Accuſator: *Satyr. lib. 12. c. 11. n. 9.*

Quinto, non prærequiritur infamia, ſi delictum ſit notorium (quamvis impoſſibile ſit non adeſſe infamiam, ſi ſit tale) commiſſum nempe cum pluribus, vel in loco publico. Sexto, ſi committatur crimen coram Judice ſedente pro Tribunali: *leg. eu quidem Cod. de accuſat.*, *& cap. tua nos de cohabit. Cler. & mulier.* ſi ibi Tabellio falſitatem committat. Septimo, ſi quis publice crimen fateatur: *cap. 1. de accuſat. in 6.* Quod ſi quis coram duobus vel tribus, ſeu etiam coram Prælato lapſu linguæ extrajudicialiter crimen fateatur, vel de eo certiorem Prælatus aliquam literam aperiendo, non poteſt ex hoc inſtitui inquiſitio ſpecialis, quia non daretur Accuſator, nec infamia: *Sanc. l. 6. conſ. c. 3. dub. 19. num. 4., Leſſ. de juſt. c. 19. d. 5. n. 124. Azor. p. 3. l. 13. c. 17. dub. 3.* Solum poſſet fraternaliter corripi. Octavo, quando delictum committitur in Eccleſia contra Eccleſiaſticos: *leg. ſi quis in hoc genus C. de Epiſc. & Cler.*

Nono, non requiritur infamia, ſi inſtituta judiciali inquiſitione generali, aliquis in ſpecie denuncietur pro delinquente: *arg. cap. excommunicamus §. Adjicimus de hæret.* Et de facto ita eſt univerſalis conſuetudo; & aliunde ſi non liceret tunc ſpecialiter inquirere, fruſtranea eſſet inquiſitio generalis. Quod ſi inquiſitio generalis fuit paterna, non licet ex ea deſcendere ad inquiſitionem ſpecialem.

Decimo, cum Canones, dum exigunt infamiam, loquantur de delictis præteritis, poterit Judex inquirere ſine infamia de delictis in fieri; jus etenim naturæ exigit, ut impediatur damnum innocentis quomodocumque cognoſcatur. *Navar. in Sum. cap. 25. num. 26.* Idem dicas, ſi Judex inquirat ad damnum præcavendum, non ad punitionem; ut ſi inquirat de merito alicujus, ne indignus ad aliquod officium, ſeu Beneficium eligatur: *cap. in multis, & cap. cum dilectus de elect.*; vel ſi inquirat, an aliquis laboret impedimento ad contrahendum matrimonium: *Azor. p. 3. l. 13. cap. 17. dub. 3.* Conſtat enim jus naturæ exigere, ut hæc damna omnino removeantur.

Demum non eſt neceſſaria infamia, ſi Judex, vel Prælatus inquirat ad fraternaliter corrigendum; nam Canones ſolummodo eam exigunt ad punitionem judicialem.

Q. IV. An Judex poſſit procedere per inquiſitionem mixtam.

R. Aliqui dicunt quod etiamſi delictum ſit publicum non poſſit Judex inquiſitionem facere de malefactore occulto, quia de ea non præceſſit infamia, ut exigunt jura. Nihilominus ſententia contraria eſt probabilior, & communior; nam ea videtur conſona *cap. Romana de cenſib. in 6.* Præterea ſi Judex procedere poteſt ad inquiſitionem ſpecialem ſtante Accuſatore, poterit etiam procedere ſtante evidentia delicti, quæ gerit vices accuſationis. Demum probatur, quia quod prærequiratur infamia, eſt de jure tantum poſitivo, unde illi poteſt derogari per contrariam conſuetudinem, quæ invaluit in foro Eccleſiaſtico, & ſæculari. *Leſſ. l. 2. de juſt. c. 9. dub. 14. n. 114. Sanch. l. 6. conſ. c. 3. dub. 20. n. 2.*

Verum nihilominus eſt, quod ſi delinquens ſit occultus, nec de eo detur aliqua infamia, teſtes interrogati non tenentur, nec debent illum manifeſtare, quoties non eſſet aliquis valde facinoroſus, unde ejus punitio expediens eſſet pro publico bono: *Filiuc. tr. 40. in 8. præc. c. 6. n. 184. Fragoſ. de reg. Reip. Criſt. part. 1. leg. 1. d. 12. n. 179.* Ratio eſt, quia dum delinquens eſt occultus, jam eſt in poſſeſſione ſuæ famæ, qua expoliandus non eſt, ſi ita non expediat pro publico bono. Neque per hoc dicenda eſt fruſtranea hujuſmodi inquiſitio mixta; nam, ut alias dictum eſt, inquirendo de tempore, & modo delicti, Judex poteſt habere ſpecialem notitiam de Delinquente. Ulterius ſi delinquens ſit occultus Judici, poteſt laborare infamia apud eos, qui interrogantur, a quibus proinde eſſet tunc manifeſtandus. Demum videns populus inquiri de malefactore, non ſcandalizatur, & malefactores abſterrentur a delictis perpetrandis.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Dum fit inquiſitio generalis apud ruſticos, & rudes ſi id non præſtent Judices, deberent Parochi monere Populos, ut non manifeſtent delinquentes occultos, ſi adeo non ſint facinoroſi, ut graviter officiant bono publico; nam dum iſti ſunt in poſſeſſione ſuæ famæ, & non adſit cauſa præfata, non debent ea expoliari. Monendi ergo ſunt in hujuſmodi inquiſitionibus ſolum inquiri de iis, qui aliqua infamia laborant, vel de iis, a quibus vel publicum bonum, vel Privati grave malum timent, & hos ſolum eſſe manifeſtandos.

II. Confeſſarius moneat Judicem, vel Prælatum velle jura, ne tam faciles ſint ad ſuſcipiendam denunciationem contra Eccleſiaſticos ſive Regulares, ſive Sæculares, ni veniat a Viro ſpectatæ virtutis: *can. ſi quid vero d. 86.* neque curandas literas occultas contra eoſdem: *cap. inquiſitionis de accuſ.* quamvis nominarentur teſtes delicti: *Gloſſa in c. 1. de offic. ordin.* nam adhuc non intervenit infamia. Dicat proinde illi, quod in tali caſu, non judicialiter, ſeu ad vindictam criminis, ſed tantum paterne inquirat contra Reum.

III. Advertat Confeſſarius aliquando Judices Criminales aſſuetos agere cum facinoroſis, atque pœnas infligere, nil magis optare quam a Teſtibus, vel Reo notitiam extorquere delicti. Videat igitur, ne id injuſte faciant ut ſi in caſibus non exceptis interrogarent ſpecialiter contra aliquos de delicto, de quo non præceſſit infamia; ſi minitarentur reo, vel Teſti, dum non adeſt ſufficiens fundamentum, torturam, carcerem, ſive aliam gravem pœnam; ſi ſpem immunitatis, dum ſunt Judices ſubalterni, reo promitterent &c. Inſuper moneat omnia ex tali notitia habita, utpote contra jus exorta, annullanda eſſe: *l. non dubium Cod. de leg. & leg. fin. ff. de conſtit. pecun.* nec proinde poſſe reum condemnare: quinimmo cum injuſte egerint, debere compenſare omnia damna, quæ exinde reo cauſaverint: *Sanch. l. 6. Conf. c. 3. d. 19. num. 8. & dub. 39. Leſſ. de juſt. l. 2. c. 29. d. 18. a num. 172.*

CAPUT III.

De Accuſatore.

Q. I. Quid ſit Accuſatio judicialis, & quæ requirantur ad legitimam accuſationem.

R. I. Accuſatio judicialis ita communiter definitur: *Delatio alicujus criminis legitime facta apud Judicem competentem ad publicam vindictam; arg. leg. fin. Cod. de accuſ.*

R. II. Ad legitimam accuſationem plura requiruntur. Primo, quod ſi crimen non ſit de levioribus, fiat in ſcriptis *leg. libellorum 3. ff. de accuſat. can. 1. cauſ. 2. quæſt. 8.* quamvis moderna praxis & conſuetudo ferat, ut oretenus prolata per Notarium in ſcriptis redigatur, ut communiter docent Canoniſtæ, & Legiſtæ. Secundo, requiritur, ut accuſatio fiat apud Judicem competentem, alias proceſſus & ſententia, utpote provenientes a non habente authoritatem, nulla eſſent: *leg. 1. & leg. fin. C. ſi non competens.* Tertio, exprimendum eſt nomen Judicis, ad videndum ſi ſit competens nomen accuſatoris, & accuſati, ad videndum ſi poſſint accuſare & accuſari, ſpecies delicti, locus ipſius, & saltem annus & menſis, in quo perpetratum eſt: ſi etenim hæc non exprimantur, accuſatio eſt incerta, & adimitur reo poteſtas ſe defendendi: *can. fin. §. libell. c. 2. q. 8. & leg. libell. 3. ff. de accuſ.* Exprimendus etiam eſſet dies, & hora delicti, ſi ita expoſceret accuſatus, quia neceſſarium reputaret ad ſui defenſionem: *leg. libellor. cit.* Quarto, vi hujus legis explicanda eſt dies accuſationis; nam ex ea poteſt probari in Judice non amplius authoritatem fuiſſe, vel eo tempore accuſatorem fuiſſe inimicum accuſati: *Azor. p. 3. l. 13. cap. 19. Leſſ. l. 2. de Juſt. c. 30. n. 2. Ant. a Sp. S. in Direct. Regul. tr. 4. d. 3. ſect. 7. n. 166.*

Quinto, debet conſtare de accuſatore. Et quidem jure antiquo id fiebat ipſius ſubſcriptione, qua ſe obligabat ad probandum crimen, vel ad pœnam talionis, hoc eſt, ad pœnam, quam reus pati debuiſſet, ſi defeciſſet in probatione; *cap. ſuper his 16. de accuſ., can. quiſquis 3., & can. qui crimen 4. cauſ. 2. quæſt. 8., leg. ſi cui 7. ff. de accuſat.* Verum ſicut ſubſcriptio non amplius eſt in uſu, ita & pœna talionis commuta-

Digitized by Google

Q. V. Quam veritatem ſequi debeat Judex in judicando.

R. Cum Judex debeat jus ſuum unicuique dicere, & id non poſſit facere, niſi cognoſcat cauſæ veritatem, & cum talis veritas ipſi, utpote perſonæ publicæ, non innoteſcat niſi ex teſtibus in judicio examinatis, ſequitur veritatem, quam ſequi debet judex, eam eſſe, quæ ex examine teſtium ſibi conſtat, eaque ita comperta, debet poſtea ſecundum Leges judicare: *D. Th. 2.2. q. 67. a. 1.* Ex hac doctrina infert S. Thomas *art. 2.* quod cum Judex munus ſuum exerceat non ut perſona privata, ſed publica authoritate, debet reum abſolvere, qui ex allegatis in Judicio apparet innocens; & condemnare innocentem, ſi ex allegatis noxius ſufficienter probetur. Videnda tamen quæ dixi de homic. cap 2.

Q. VI. An ſemper Judex judicare debeat ſecundum leges.

R. I. Cum Judex ſupremus poſſit leges ferre, & vigor legum poſitivarum pendeat ab ipſius voluntate; ſequitur poſſe aliquando in legibus poſitivis diſpenſare, maxime aliqua juxta cauſa interveniente: *D. Th. 2.2. q. 67. a. 4. Lugo de Juſt. d. 37. num. 88. Leſſ. de juſt. l. 2. cap. 29. d. 5. num. 46., Frageſ. de regim. reip. Chriſt. p. 1. l. 4. d. 11.* Id autem non licite facit, ſi crebro in dictis legibus diſpenſet; nam cum eæ ſint ordinatæ ad bonum publicum, non poteſt in iis crebro diſpenſari, quin ipſum bonum publicum graviter lædatur, & quin Malefactores ex nimia Principis indulgentia in diſpenſando rigorem legum, anſam ſumant delinquendi. Hoc autem præcipue, ut notant Theologi, ſequeretur, ſi Princeps parceret homini valde noxio & facinoroſo; non etenim eſſet ſine præjudicio boni publici: *Sot. l. 5. de juſt. q. 4. art. 4., Sanch. t. 2 Conſ. cap. 1. dub. 21.* Advertendum etiam quod ſemper cum aliquis fuit offenſus, vel damnificatus, non poteſt Judex ſupremus reum abſolvere, ni reparetur offenſa, & damnum parti læſæ irrogatum:

R. II. Si Judex ſit inferior & ſubordinatus, debet ſemper judicare ſecundum leges, niſi aliqua juſta cauſa ſuadeat vel addere pœnam, vel diminuere. Ratio eſt, quia talis Judex inferior ſubordinatus eſt ipſis legibus; unde, ordinarie loquendo, non eſt in ipſius arbitrio diſpenſare leges, vel earum vim & pœnas relaxare: *D. Th. 2.2. q. 67. art. 4.* Si vero, ut diximus, interveniat juſta cauſa, poterit id facere, non ſolum quia interpretari poteſt ita velle Superiorem, ſed etiam quia cum ex variatione circumſtantiarum &c. augeatur, vel minuatur delictum, æquum eſt augere pœnam, vel minuere.

Quamvis autem ſemper mitiorem pœnam Judices, & maxime Eccleſiaſtici debeant eligere, ut conſtat ex pluribus Canonibus *cauſ. 23. qu. 6.*, nihilominus cauſa juſta aggravandi pœnam, eſt ſi delictum commiſſum fuerit modo extraordinario. Cauſæ vero minuendi ſunt lapſus temporis a crimine patrato; infirmitas ætatis, ut in pueris, & ſenibus; indeliberatio actus; paupertas Delinquentis, dum agitur de pœna pecuniaria; ſpontanea confeſſio criminis; ſpes correctionis, ſi mitius agatur cum reo, & aliæ multæ videndæ apud Authores in praxi criminali; *Sanch. l. 6. conſ. cap. 1. d. 21. nu. 10., Luga d. 37. n. 91., Farin. in prax. crim. p. 3. tot lib. 3. de pœn. temp.*

Q. VII. Quæ ſervanda ſint a Judice habente facultatem procedendi ſummarie, vel ſola facti veritate inſpecta, ſeu ex informata conſcientia.

R. Judex in juditio ſummario poteſt quidem omittere apices, ſubtilitates, & accidentales ſolemnitates juris, quæ negotii veritatem non tangunt, non vero omittere poteſt, quæ pertinent ad ſubſtantiam judicii, non ſolum juxta jus naturale, divinum, & gentium, ſed etiam juxta jus Canonicum & Civile. Quæ vero ſolum pertineant ad pompam & ornatum judicii, quæ ad ejus ſubſtantiam explicat *Gloſſa in Clem. ſæpe de v. s.* Non poterit proinde Judex in judicio ſummario omittere citationem; & debebit admittere neceſſarias probationes; & defenſiones. Item admittere debet juramentum calumniæ, maxime inſtante parte, quo nempe accuſator jurare debet non animo calumniandi libellum accuſationis porrexiſſe, ita etenim jus exigit: *cap. 1. de jur. calumn. in 6.* Admittere pariter debet juramentum veritatis; vult etenim utrumque Jus teſtes juratos eſſe debere, & nullam eſſe ipſorum depoſitionem non juratam: *Can. inprimis 2. q. 2., can. hortamur. 3. q. 9., can. ſi teſtes 4. q. 3., capit. fraternitatis, cap. tuis, cap. auper de teſt., & l. teſtium C. de teſt., & l. juris jur. C. eod.* Debet ulterius admittere poſitiones tanquam neceſſarias ad probationem, aſſignare tempus & terminum tam ad poſitiones dandas, quam ad exhibendos articulos, & omnia acta. Demum citare debet ad ſententiam definitivam, eamque in ſcriptis ferre. Hæc omnia pertinere ad ſubſtantiam Judicii ſummarii habetur *ex cit. Clem. ſæpe &* obſervat ibi Gloſſa. Si ergo prætermittantur alia, quæ ad judicii ſolemnitatem, & ornatum pertinent, ibique recenſentur, nil deeſt judicio ſummario, ſive judicio commiſſo ſub his formulis: *ſimpliciter, de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii: Lugo d. 37. n. 162. Barboſ. clauſ. 109.*

R. II. Illa clauſula: *ſola facti veritate inſpecta*, ſeu *ex informata conſcientia* reducit judicium ad formam inductam de jure naturali, divino & gentium, & removet quemcumque ordinem judiciarium ſolo jure poſitivo præſcriptum: *Ricc. deciſ. part. 2. collect. 699. eſſ. 1., Barb. clauſ. 173.* ad hoc igitur judicium ſatis erit, ſi per duos teſtes idoneos probetur delictum, & habetur etiam *can. Deus 2. q. 1.* & ſi reus citetur, eique competentes defenſiones aſſignentur, ut ponderat *Farinaccius qu. 39. nu. 14.*: unde danda eſt ei copia indiciorum, quæ ſunt contra illum, copia libelli accuſationis, ſeu inquiſitionis contra ipſum formatæ: copia inſtrumentorum, & ſcripturarum, quæ ſunt in actis; ſicut etiam illi exprimenda ſunt nomina teſtium, hæc etenim omnia neceſſe eſt ipſum ſcire, ut poſſit ſe defendere. Hinc paſſim docent DD. ſolum in cauſa Fidei ſupprimi nomina teſtium *c. fin. de hæret. in 6.*, idque in favorem ipſius Fidei, ne ſcilicet ſubornentur, vel ob timorem alicujus mali a teſtificando retrahantur. Unicum puto dari caſum, in quo reus poſſit abſque defenſione puniri; quando nempe delictum eſt omnino certum notorium, ſimulque notorium, non eſſe nullatenus poſſe defendi, ac pariter notorium, non eſſe mitiori pœna puniendum in hoc caſu non tam facile eventuro inutile omnino eſſet dare reo defenſionem: *Paſſar. in Trib. Regal. q. 26. n. 11.*

Q. VIII. An Princeps Supremus poſſit aliquem, quem ſcit reum eſſe, damnare, non ſervatis ſolemnitatibus Juris.

R. Ordinarie loquendo, non poteſt ex privata ſcientia damnari, qui ſecundum allegata & probata non apparet reus. Ratio eſt, quia damnatio Rei eſt actus publicæ poteſtatis, unde oriri debet a publica ſcientia, juxta quam eadem publica poteſtas regulatur. Præterea nemo eſt damnandus niſi convictus, & pro ſui defenſione auditus, ita enim expoſcit jus naturæ: *can. nullum 30. q. 1., c. qualiter il 2. de probat., & Clem. Paſtoral §. Cæterum de ſent. & re judic.* ubi dicitur nec Imperatorem defenſionem tollere poſſe. Quamtumvis igitur ex privata ſcientia liberari poſſit innocens, qui ſecundum allegata & probata appareat reus, quia ſi etiam privata auctoritate poteſt innocens liberari, multo magis auctoritate Principis; non tamen poteſt ex privata ſcientia reus damnari, quia hæc damnatio eſt actus publicæ poteſtatis, quæ a publica ſcientia ortum habet: *D. Anton. 3. p. tit. 9. c. 15. §. 3., Navar. c. 25. a n. 9. Clav. Reg. l. 12. cap. 8. n. 23.*

Vel ergo delictum, quod ſcientia privata ſcit Princeps, eſt probabile, vel non. Si eſt probabile probandum eſt; & dum Delinquens citatus non compareat, poteſt ut contumax damnari. Si vero non eſt in judicio probabile, vel probari non poſſit ſine periculo gravis damni vel Principis, vel teſtis, &c. tunc ſi delictum eſt omnino præteritum, nec novum immineat delictum contra Rempublicam, vel perſonam innocentem, omnino impunitum relinquendum eſt. Si vero delictum durat cum imminenti periculo gravis damni, vel Reipublicæ, vel alicujus tertii, tunc ſi ita neceſſe ſit, reus poterit etiam occidi non ex poteſtate vindicativa Judicis, ſed ex jure privato defendendi innocentam.

Neque dicas poſſe etiam occidi, ſi delictum ſit omnino præteritum, & novum non immineat in futurum, cum expediat Reipublicæ delinquentes exterminari. Contra etenim eſt, quia potius expedit Reipublicæ ut non puniantur delicta niſi ſaltem ſervato ordine juris naturalis, qui expoſcit ut Reus citetur, & audiatur; alias daretur occaſio multa committenda homicidia, injuſtitias &c., poſſent etenim Principes, vel Judices habentes plenam poteſtatem a Principe, multos ex odio, & privato intereſſe damnare, afferendo ex privata ſcientia illos agnoviſſe reos. Hinc hanc opinionem unice credo veram: *Cajet. v. homicidium,*

mutata eſt io pœnam arbitrariam, ne eum præjudicio boni publiei homines removeaotur ab aeeuſando: *Covar. var. reſol. l.2. cap.9. num.9.* S. Pius V. innovavit pœnam talionis contra eum, qui malitioſe accuſatet ionocentem de criminibus blaſphemiæ, ſodomiæ, & concubinatus; neque deſunt qui extendunt eandem Conſtitutionem ad malitioſam accuſationem de aliis criminibus. *Paſſer. Trib. Regul. q.7. n.44.*

Demum ad accuſationem judicialem, & eriminalem requiritur ut fiat ad publicam vindictam, ut ſcilicet abſterreantur malefactores, videndo Reum expoliari officio, ſeu dignitate, vel pœna corporali, aut pecuniaria mulctari. Quod ſi accuſatio fiat ad utilitatem, & ſatisfactionem accuſatoria, vel alterius, qui damnum paſſus fuit, dicitur aceuſatio civilis: *ſ. In ſumma 10. Inſt. de jurejur.*

Q. II. In quo differat accuſatio a denunciatione.

R. Ex dictis Accuſator tenetur probare delictum, Denunciator vero, etſi denunciet judiciliater, intendendo punitionem delicti, oon tenetur illud probare; multo minus ad id tenebitur, ſi fraterne denunciet, deferendo ſcilicet delictum Judici non ut tali, ſed ut Patri, iotendendo non ipſius puoirionem, ſed emendationem delinquentis, ut videbimus infra.

Q. III. An aliquando ſit obligatio accuſandi delicta.

R. I. Si delicta ſint contra bonum publicom, & in fieri, adeſt obligatio accuſandi, ſi poſſint probari, vel ea denunciandi, ſi probari non poſſint. Ratio eſt, quia unuſquiſque ſaltem ex charitate tenetur proſpicere bono publico; ſi ergo immineat aliquod crimeo contra ipſum, tenebitur ei proſpicere, & quidem per accuſationem, ſi crimen probari poſſit, & ea ſit neceſſaria ad impediendum tale delictum; vel ſaltem per denunciationem, ſi non poſſit probari, vel ea ſufficiens ſit ad delictum removendum: *D.Th.2.2. quæſt.68. art. 1., Luga de juſt. d.38. ſect.1. a num.2., Sanch. in Conſ. lib.6. cap.2. d.26. num. 4.* Cæterum delicta contra bonum pulicum ſunt rebellio, & conjuratio in Principem, proditio Civitatis, expilatio publici ærarii, falſificatio monetæ, publica furta, aſſaſſinia, ſeu latrocinia, hiſque ſimilia.

Dixi, ſi delicta ſint *in fieri*; nam ſi jam facta ſunt, & non adſit periculum quin iterum committantur, nullus tenetur ea accuſare, vel denunciare, quia curare vindictam criminis jam patrati ad aliorum, exemplar, non eſt monus perſonæ privatæ, ſed publicæ authoritatis: *Filiuc. tr.40. cap.7. num.216.* An vero denunciandus ſit Hæreticus, cujua delictum probari non poſſit, dixi *Tr. 6. quæſt.5. cap.6.*

R. II. Si delictum eſt in fieri, & eſt in præjudicium innucentis, ſi alia via non ſuppetat, accuſatione eſt impediendum; Charitas enim expoſcit, ut innocens contra nocentem deſendatur, ſemper cum fieri poteſt ſine gravi præjudicio, juxta ea quæ dicta ſunt in Tr. de Charitate: *Tolet.l.5. Inſtr.Sacerd.cap.57.* Hæc obligatio non adeſt, quoties delictum jam eſt perpetratum, ex dictis paulo ante, & dum nil ſupereſt reparandum; quod ſupereſſet, ſi fur e.g. nollet ablata reſtituere, vel detractor famam.

R. III. Officiales deſtinati a Republica, ut aliorum crimina accuſent, vel denuncient, omittendo accuſationem, vel denunciationem nedum peccant contra Charitatem, ſed etiam contra Juſtitiam. Ratio eſt, quia accipiendo ſalarium, ut hoc officium præſtent, ſeſe contractu ſaltem virtuali obligarunt; obligatio autem, quæ oritur ex contractu, noo eſt præciſe Charitatis, ſed juſtitiæ. Eximuotur autem hi ab accuſando, quoties cognoſcunt aliquem deliquiſſe vel ex inconſideratione, vel ex neceſſitate: *Navarr. in Sum. cap.17. num. 522., Filiuc. tract.40. cap.7. num.218. & 221.*

R. IV. Quando aliquis paſſus eſt aliquam injuriam, licet poſſit accuſare delinquentem, quia dum ſine odio expoſcitur vindicta injuriæ, expoſcitur actus juſtitiæ, nihilominus non tenetur accuſare. Ratio eſt, quia unuſquiſque cedere poteſt juri ſuo; & ulterius in Evangelio commendatur dimittere injurias propter Dei amorem: *D. Thom.2.2. quæſt.68. art.1.* Id tamen non habet locum, dum injuria accepta redundaret etiam in grave damnum tertii; nam nemo poteſt cedere juri ſuo cum gravi damno Proximi, & maxime Domeſticorum. Exemplum ſit in Patre, cui ablata injuſte fuerint plura bona cum gravi damno familiæ; vel cui falſo impoſitum ſit grave aliquod crimen, unde infamia in familiam etiam reſultaret: *Filliuc. tr.40. c.7. num.210. Sanch. in conſ. l.6. cap.3. d.26. n.4. & 7.*

Q. IV. An accuſationi præmittenda ſit correctio fraterna.

R. I. Si delictum, vel notorietate facti, vel ratione infamiæ ſit publicum, non eſt præmittenda accuſationi fraterna correctio. Ratio eſt, quia ex tali delicto non ſolum perſona privata paſſa eſt offenſam, ſed & ipſa Communitas ex eo ſcandalizata, cum publice peccando potuerit delinqueos prâvo exemplo alios incitare ad ſimilia perpetranda. Offenſæ autem factæ Communitati non ſatisfit per ſecretam correctionem, ordinatam ſolum ad emendationem delinquentis, ſed per publicam punitionem: *D. Thom.2.2. q.33. art.7. Sanch. lib.6. c.2. dub.28. n.5.*

R. II. Etiamſi crimen ſit probabile per duos, vel tres teſtes, oihilominus ſi ſperetur fructus, præmittenda eſt fraterna correctio, aotequam Judici deferatur. Suppoſito igitur non eſſe neceſſe reparare alicui ſcandalo, eo quod alias delictum non ſit notorium, neque ex eo aliquod damnum imminere, probatur quod dixi, quia Charitas dictat procurandam emendationem Fratris cum minori damo, quod fieri poſſit. Si ergo ſperetur fructus, non expedit publice accuſare fratrem de delicto: *Salm. tract.29. cap.2. nu.12. Pal. tom.1. tract.6. d.3. part.15. numer.4. leſſ. lib.2. c.36. d.2.*

Cæterum obſervare eſt ipſam perſonam offenſam non teneri præmittere correctionem fraternam; nam poteſt petere ſatisfactionem injuriæ ſibi illatæ per pœnam reo impunendam. Item non eſt præmittenda fraterna correctio, dum agitur de delictis valde Reipublicæ noxiis, ut ſunt hæreſis, proditio Civitatis &c. nam compertum eſt in praxi hujuſmodi Delinquentes ex correctione non emendari. Præterea ſi præmitteretur correctio, in gravi periculo poneretur publicum bonum; nam hujuſmodi delinquentes facillime ſimularent emendationem, & interim occulte exequi poſſent, quod machinati fuiſſent. Videnda quæ dixi *Tract. 6. quæſt.1. quæſit.4. cap.4. & quæſt.3. cap.6. quæſit.2.*

Q. V. Quinam a jure prohibeantur ab accuſando.

R. Ratione ætatis accuſare non poteſt impubes, ſeu pupillus: *can.14. cauſ.2. quæſt.8. ff. de accuſ.* Minores excluduntur a ſola accuſatione adulterii, ni eſſet violatum ipſorum matrimonium. *Ob ſexum* repellitur ab accuſando mulier: *can. probibentur 14. can.2. quæſt.1. & leg.8. citat.* Ratione officii ad accuſandum non admittebantur milites, ſed contraria invaluit conſuetudo. Item Supremi Magiſtratus Superiorem non agnoſcentes, cum enim nequeant accuſari, ſeu in jus vocari, nec æquum eſt ut alios accuſare valeant: *leg.8. cit.* Defectu corporis, vel animi repelluntur ab accuſando ſurdi, & muti a nativitate: *arg. lib.1. ſ.3. ff. de poſtul.* ſicut furioſi, & mente capti: *leg. dummodo 2. ſ.1. ff. de Procur.*

Ratione *delicti* jure civili repelluntur ab accuſando infames infamia juris, hoc eſt, qui per publicum judicium infamiam incurrerunt, vel qui commiſerunt delictum, cui a jure annexa ſit infamia: *leg. iis qui 4. ff. de accuſat.* Jure canonico repelluntur etiam laborantes infamia facti, ut ſunt accuſati, nec criminoſi, quamvis nec condemnati: *can. ſi qui ſunt 17. can. quærendum 18. cap.1. quæſt.1. junct. cap. cum in tua 27. de ſponſal.* Item ratione delicti poſt litem conteſtatam accuſatus non valet accuſare ſuum accuſatorem, niſi illi objiciat majus crimen eo, de quo ipſe fuit accuſatus: *leg.1. C. de his qui accuſare &c.* vel niſi prius ſe purgaverit; *can.1. & 3. c.3. q.11. c. fin. de teſtament.* Demum ratione delicti accuſare non valet excommunicatus: *can.1. & 2. cauſ.4. qu.1. cap. intelleximus 7. de judic. & cap.1. de except.*

Ob ſuſpicionem calumniæ repelluntur ab accuſando graves & capitales inimici: *ca.2. cap.3. qu.5. cap. meminimus 13. cap. cum oporteat. 29.* ſicut etiam cohabitantes & frequenter verſantes cum eodem inimico: *can. accuſatoribus 3. cap.3. quæſt.5.* nam amici accuſatoris cenſentur inimici accuſati: *cauſ.1. diſt.93.* Ob ſuſpicionem pariter calumniæ excluditur accuſatio illius, qui aliquando dixit falſum teſtimonium: *leg. alii 9. ff. de accuſ.* vel qui ſemel calumniatus eſt: *leg. ſi cui §.6. ibid.* vel qui recepit pecuniam ad accuſandum, vel non accuſandum: *leg. is qui 4., & leg.8. ff. eod.* Eadem ſuſpicione laborare ſolent valde pauperes, ni ſint vitæ tam honeſtæ, ut merito

rito

rito Judex credat liberos eſſe a tali ſuſpicione: *can. ſi quis, can. quærendum* 18. *cap.* 3. *qu.* 1. Ob ſuſpicionem randem calumniæ repelluntur Pagani, Hæretici, ſeu Judæi ab accuſandis Chriſtianis: *can. Pagani* 24. *c.* 2. *q.* 7.

Ob conjunctionem ſanguinis, vel reverentiam filii accuſare non poſſunt Parentes: *Novell.* 115.; *cap.* 3. *§.* 3., & e contra *arg. l.* 3. *C. de patr. poteſt.*, nec fratres, aut ſorores ſe invicem: *leg. ſi magn.* 13. *ff. de his qui accuſ. non poſſunt.*

Ratione *ſtatus* repelluntur ab accuſando ſervi, cum neque civiliter agere poſſint in judicio: *leg. ſervus* 6. *C. de judic.* Item ratione ſtatus Clerici, & Religioſi accuſare non poſſunt criminaliter: *can. Sacerdotes* 51. *c.* 2. *q.* 7., *can. ſicut* 6. *ibid.* & præcipue ſi infligenda ſit pœna ſanguinis: *cap. ſententiam* 9. *ne Cler. vel Monachi.* Cæterum Religioſi ab accuſatione ſui Prælati non ſunt repellendi, quia intereſt Monaſteriis non habere malum Prælatum: *cap. ex parte* 11. *de accuſat.* Duo tamen ſunt hic advertenda.

Primo, præfati admittuntur ad accuſandum (excipe ſurdos & mutos a natura, & mentecaptos) dum agitur de criminibus atrociſſimis, & exceptis, qualia ſunt quæ directe contra Deum ſunt, ut apoſtaſia, hæreſis, blaſphemia, ſimonia, magia &c., vel graviter bono publico adverſantur, ut crimen læſæ majeſtatis, rebellionis, latrocinii, annonæ fraudatæ, falſi teſtimonii &c. ita enim expoſcit ratio boni publici: *Gloſſ. fin. in ult. Cod. de accuſ. Farinac. l.* 1. *Crim. qq. q.* 43. *num.* 57. *&c.*, *Paſſer. in Trib. Reg. q.* 12. *art.* 14. *n.* 60. Nihilominus & ab accuſando in his criminibus repelluntur capitales inimici, quanquam enim valde interſit Reipublicæ, ne ea impunita remaneant, multum etiam intereſt, ne quis injuſte damnetur, quod facile evenire poſſet, ſi admitterentur ad accuſandum inimici capitales: *Decian. tract. crimin. lib.* 3. *cap.* 25.

Secundo præfati, omnes excommunicatis exceptis, non excluduntur ab accuſatione, quoties agunt de propria cauſa, vel ſuorum: *leg. ſi tamen* 11. *ff. de accuſ.*; & ita bene admittitur capitalis inimicus ad accuſandum illum, qui ſibi injuriam, vel damnum irrogavit: *Maſcard. de probat. concl.* 899. *a n.* 1.

Dum Clericus accuſat delinquentem pro auferendo propriam injuriam, vel ſuorum, vel ſuæ Eccleſiæ, & agatur de delicto, cui correſpondeat pœna ſanguinis, debet præmittere eam proteſtationem, de qua dixi *tr.* 4. *qu.* 7. *cap. ult. quæſ.* 1. *reſp.* 2. Si delicto non correſpondeat pœna ſanguinis, poſſunt ſine ulla proteſtatione accuſare criminaliter: *cap. cum ſit generale de form. compet.* dummodo ſemper agatur de cauſa, ſeu injuria propria, ſuorum, vel Eccleſiæ, non vero aliorum, ſi alias ita non expoſceret jus naturale: *cap. ſicut ſacerdotes* 2. *qu.* 7. Cum igitur a jure permittatur Clerico poſſe accuſare etiam in cauſa ſuorum, controvertunt DD. qui nomine ſuorum ſint intelligendi. Volunt quidam non poſſe accuſare etiam in cauſa, ſeu injuria illata Parentibus, & Fratribus, niſi ſimul damnum in ipſum Clericum redundet: *Molin. tom.* 4. *de juſt. tr.* 3. *d.* 8. *n.* 8. Verum bene nomine *ſuorum* etiam omnes Domeſtici, Conſanguinei, & cognati uſque ad quartum gradum intelliguntur; hi enim omnes recte *Sui* dici poſſunt: *Pal. d.* 6. *p.* 14. *§.* 2. *num.* 6., *Pelizar. tr.* 2. *cap.* 5. *ſect.* 3. *n.* 181.

Regulæ in praxi attendendæ.

I. Dum agitur de delictis contra bonum publicum, delictum eſt ceſſare obligationem denunciandi, quoties delictum jam patratum eſt, & non adeſt periculum, ut renovetur. Advertat nihilominus in praxi Confeſſarius illos facinoroſos, qui talia crimina committunt, facilius eſſe ſimulare emendationem, quam vere eſſe emendatos; nam e. g. conjurantes in Patriam, falſificantes monetam, publici latrones, Aſſaſſini &c. ſunt homines deperditæ omnino conſcientiæ, adeoque ſine fundamento, ſi non dentur in contrarium valde graves rationes, ſperatur emendatio. Hinc raro ceſſat obligatio eos accuſandi.

II. Obſervet Confeſſarius difficiliter homines induci ad accuſandum, ne in ore aliorum veluti Exploratores traducantur. In caſibus ergo, in quibus de jure naturæ unuſquiſque tenetur accuſare, moneat ſuum Pœnitentem, quod, ſi non vult accuſare per ſeipſum, id faciat per alium e. g. per publicum officialem, vel aliam perſonam, dummodo tamen per hos poſſit ſufficienter media edocere ad advertendum delictum contra publicum bonum.

III. Quandoque adfuit indoctus Eccleſiaſticus, qui ſciens grave crimen eſſe patrandum, nec poſſe impediri niſi illud Judici deferendo, ab hoc abſtinuit, quia putavit SS. Canones violare. Hujuſmodi non parum ignorantes quam maxime redarguat Confeſſarius; nam nec valent dignoſcere Eccleſiam non velle, nec poſſe aliquid contra jus naturæ imponere.

IV. Moneat Confeſſarius Pœnitentes, ut dum non adeſt obligatio accuſandi, fere ſemper ab ea deſiſtant. Ut plurimum interveniunt odia, falſa juramenta, ſubornationes teſtium, aliaque peccata. Hinc ſemper prius proſpiciendum, an per fraternam correctionem poſſit delinquens reduci ad bonam frugem; ſicut etiam an accuſatio ſit profutura, ſuppoſito quod Delinquens fraterne correctus non ſit emendandus.

CAPUT IV.

De Denunciatore.

Q. I. QUid ſit Denunciatio Evangelica, & quotuplex.

R. I. Denunciatio bene in præſenti poteſt ita definiri: *Delatio alicujus criminis facta Superiori, ut remedium, aut correctionem, vel pœnam ex officio adhibeat.* In accuſatione, quæ junctum habet onus probandi delictum, præciſe, & determinate petitur punitio criminis, at in denunciatione vel correctio, vel punitio ad Judicis arbitrium, neque adeſt onus probandi delictum. Ex his patet manifeſtum diſcrimen inter accuſationem, & denunciationem: *Azor. p.* 3. *Inſt. moral. l. c. c.* 21., *Sanch. in conf. l.* 6. *c.* 2. *in proœmio.*

R. II. Omiſſis ſuperfluis diviſionibus denunciatio dividitur in Evangelicam, ſeu Paternam, aut fraternam, & judicialem. Denunciatio Evangelica ea eſt, quæ fit Superiori tanquam Patri ad emendationem, non ad vindictam Delinquentis. Quod ſi fiat inſtando, ut nulli aperiatur delictum, ſed ſecreto delinquens corrigatur, dicitur facta Superiori, tanquam Patri privato; ſi vero denuncians velit delinquentem corrigi etiam coram aliis, ſed tantum charitative, & fraterne, dicitur facta Superiori tanquam Patri communi. Denunciatio judicialis ea eſt, qua crimen defertur Superiori tanquam Judici, ſcilicet vel ad illius publicam vindictam, vel ad recompenſandum damnum illatum; vel ad arcendum indignum a Dignitate, ſeu Officio &c. Quamvis autem denunciator non teneatur ſe ſubſcribere, nec delictum probare, nihilominus, iis exceptis, ad validam denunciationem requiruntur omnia ea, quæ dixi requiri ad accuſationem. Tenetur etiam denunciator nominare teſtes, aliaque requiſita ad probationem: *arg. l. ab accuſatores* 6. *§. de S. C. Turpill.* ſaltem eo tempore, quo eis neceſſe eſt ad probandum.

Q. II. An denunciationi præmittenda ſit fraterna correctio.

R. Generaliter loquendo, ea eſt præmittenda, ut dixi *tr.* 6. *q.* 3. *c.* 4. *quæſt.* 4., ubi adducuntur plures caſus, in quibus hæc regula non eſt attendenda; & plura alia etiam jam dixeram *qu.* 1. *cap.* 6. *qu.* 2.

Q. III. An Judex, ſeu Prælatus, facta denunciatione Evangelica, dum monitio non prodeſt, poſſit tranſire ad ordinem judicialem, mandando e. g. denunciatori, ut faciat denunciationem judicialem.

R. I. Si crimen nequaquam ſit probabile per teſtes, non licet tranſitum facere ad denunciationem, ſeu inquiſitionem judicialem. Ratio eſt, quia Judex judicialiter inquirere poteſt, & punire quæ ſecundum formam juris poſſunt probari. Debebit ergo Superior removere ab hoc ſubdito, ſi certo ſciat ipſum delinquere, occaſiones peccandi, quatenus poſſit hoc facere ſine ipſius infamia. Poterit ipſum monere coram Denunciante, ſive duobus gravibus, & ſecretis viris, & minitari ſe in poſterum diligentius ejus vitam exploraturum. Poterit etiam coram eiſdem, ſi tandem neceſſe ſit, præcipere ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne ad talem domum accedat, ne cum aliqua perſona familiariter agat &c. *Suar. t.* 4. *de relig. l.* 10. *c.* 10. *n.* 13. *Pal. t.* 1. *tr.* 6. *d.* 3. *p.* 2. *n.* 3. Quod ſi hæc non ſufficiant, illum Deo commen-

Digitized by Google

mendet. Si vero agatur de delicto contra bonum publicum, vel in damnum tertii, & non ſit certa ſpes emendationis, tunc cum nihili facienda ſit infamia delinquentis, debet Judex meliori, quo fieri poteſt modo, tale damnum removere, vel monere Tertium, ut ſibi caveat &c.

R. II. Etiamſi crimen ſit probabile per duos teſtes, nihilominus ſi ſit occultum, & infamia non laboret, & inſuper non vergat niſi in damnum Delinquentis, non eſt judicialiter puniendum, ſi tantum fuit delatum per denunciationem Evangelicam: *Sanch. in Conſ. tom. 2. l 6. cap. 2. d. 11. num. 7.* Scio non paucos contrarium ſentire, nihilominus allata reſponſio videtur rationi conformior; publica etenim judicialis vindicta criminis correſpondet crimini judicialiter delato, aut ſi ſit in damnum commune, vel Innocentis, unde non eſt ita puniendum crimen occultum, ſoli delinquenti nocivum, etſi per teſtes probabile: *D. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 1.* Inſuper ſi Denunciator Evangelicus non poteſt publicare delictum ſecretum, vergens tantum in damnum delinquentis, quomodo id facere poteſt Superior, cui delatum eſt, ut ſecreto tantum corrigat? Demum id eſſet contra bonum commune; nam Subditi videntes cogi ad judicialiter denunciandum, quod tantum ſecreto volebant corrigi, abſtinerent ab Evangelica denunciatione, quod non eſſet ſine communi graviſſimo damno; *Suar. tract. 4. de Relig. l 10. c. 12. n. 43. Pal. tr. 6. de Char. t. 1. d. 3. p. 11. n. 2.*

Q. IV. Quæ delicta quis denunciare poſſit, vel debeat.

R. I. Si delictum ſit penitus occultum, vergens in ſolius delinquentis damnum, non eſt obligatio denunciationis Evangelicæ, vel judicialis, ſi probabiliter, vel cum monitione, vel ſine monitione ſperetur emendandum; nam tunc ceſſat finis denunciationis Evangelicæ, qui eſt emendatio delinquentis. Inſuper non adeſt finis denunciationis judicialis, cum delictum ſupponatur occultum, & non probabile per teſtes.

R. II. Si delictum, quamvis occultum, vergat in damnum Communitatis, vel Tertii, eſt obligatio denunciationis etiam judicialis, ſi non ſit certiſſima ſpes illud avertendi per denunciationem evangelicam. Ratio conſtat ex ſæpe dictis, quia ſi adſit tantum ſpes probabilis tale damnum avertendi, damnum quod imminere poſſet Communitati, vel Tertio, prævalet infamiæ particulari delinquentis. Hæc autem denunciatio dicitur minus ſtricte judicialis, cum delictum probari non poſſit, adeoque fiat Judici non ut publice puniat, ſed ut generaliter inquirat, & arceat damnum imminens, vel curet ſatisfactionem damni illati: *Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 30. d. 2. n. 13. & dub. 6 n. 43. Pal. de Char. tract. 6. d. 8. p. 13. n. 10.* Advertendum inſuper quod dum agitur de gravi Communitatis damno, eſt avertendum etiam cum gravi incommodo, ut dictum eſt in Tract. de Charitate. Vide etiam quæ dixi cap. ſuperiori de Accuſatore.

R. III. Delictum, quod ſit in damnum ſolius Delinquentis, etſi per teſtes probabile, non poteſt denunciari, quando ſit occultum, & ſpes ſit emendationis per ſecretam monitionem; nam perſona privata ad nihil aliud tenetur niſi ad lucrandum fratrem ſuum, & id cum minori, quantum fieri poteſt, ipſius præjudicio, ut dixi etiam capite ſuperiori *quæſt. 4.* Poſſet vero vel evangelice, vel judicialiter denunciari, quando id neceſſe eſſet ad ipſius emendationem; & tunc admitto quod docent *Fagn. in cap. qualiter 24. de denunc. n. 72. Paſſer. in Trib. Regular. q. 7. a n. 16. Laym. l. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 13.*

R. IV. Delicta publica, & notoria, quamvis emendata, & quamvis ſoli peccanti videantur nociva, ſunt judicialiter denuncianda Superiori ea ignoranti. Ratio eſt, quia unuſquiſque tenetur, ex ſæpe dictis, grave damnum Communitatis avertere: quis autem non videat, quod ſi ob ignorantiam Superioris publica delicta remaneant impunita, omnes ſcandalizantur, mali audaciores fiunt in delinquendo, & ſuſdeque omnia vertuntur? *Zanch. l. 6. Conſ. cap. 2. d. 5.*

R. V. Non tenetur denunciare, qui denunciando pateretur grave damnum, ſi forte tale damnum non cogeretur ſubire, quia non manifeſtando, immineret grave damnum Reipublicæ, vel Religioni. Item non tenetur manifeſtare delictum, qui illud ſub ſecreti ſigillo accepit, ut conſilium, vel remedium Delinquenti præberet; nam tunc fortiori vinculo impeditur, cum valde expediat pro bono communi, ut ſecretum fideliter ſervetur. Item qui audivit a perſonis fide non dignis, quia talis notitia nullam generat fidem; immo qui credit, ut dicitur *Eccleſ. 19. levis eſt corde.* Idem dicas ſi audivit a perſonis, quæ delictum non viderunt, ſed & ipſæ ab aliis audierunt; nam hæc notitia, experientia teſte, eſt quam plurimum fallibilis: *Sanchez l 6. Conſ. c. 2. d. 16. n. 20. item dub. 20. &c.* Vide quæ dicam *tr. 19. q. 3. reſp. 2.*

Q. V. Qualiter Edicta Superiorum obligent ad denuncianda delicta.

R. In omnibus caſibus, in quibus ſupra dixi adeſſe obligationem denunciandi, adeſt eadem obligatio ex vi monitorii, ſecus in caſibus, in quibus diximus non adeſſe talem obligationem,

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Prima regula notanda a Confeſſario eſt, quod etſi detur Edictum vel præceptum de denunciando delicto, non eſt obligatio denunciandi, quando eſt occultum, etſi per teſtes probabile. Ratio eſt, quia Judex non poteſt, adeoque non intendit, inquirere de talibus delictis, ſemper cum non laborent infamia. Hinc moneat ſuum Pœnitentem poſſe tuta conſcientia reum non manifeſtare, etſi in Edicto adſit pœna excommunicationis contra non revelantes. Id tamen verificatur de occulto delicto ſoli Delinquenti nocivo; vel de delicto jam in damnum tertii perpetrato, cui damno jam ſatisfactum ſit; vel cui Delinquens ſatisfaciet per ſolam ſecretam monitionem. Non tamen verificatur, niſi in caſu rariſſimo, quoad delicta contra bonum publicum, ut ſæpe ſupradictum eſt. Item, ſi certa non ſit ſpes profuturam ſecretam monitionem, denuncianda ſunt delicta *in fieri* contra Tertium, non ut puniantur, ſed ut Judex poſſit ea impedire.

II. Secundo, moneat ſuos Pœnitentes, omnino tacenda delicta illis propalata ad petendum conſilium, vel alia ratione ſub ſecreto illis commiſſa. Taliter ſe habent multoties Theologi, Conſiliarii, Medici, Obſtetrices, & quicumque alii, quibus commiſſum eſt ſecretum; nam illud ſervare eſt de jure naturæ.

III. Tertio, moneat ordinarie loquendo, non teneri ad denuncianda delicta, ſi non poſſint id præſtare ſine ſuo gravi incommodo, quia leges humanæ non obligant cum gravi incommodo. Hinc e. g. non teneretur denunciare rem furatam, quam aliquis apud ſe haberet, ſi per hoc Superior, ſeu Judex veniret in ſuſpicionem & ipſum denunciantem participem fuiſſe furti. Nec ſi aliquis ſolus ſciat furem, tenetur ex vi edicti denunciare, ſi fur ex denunciatione poterit cognoſcere qui fuerit denunciator, & exinde inter eos orituræ ſint graves inimicitiæ &c.

IV. Non adeſt obligatio denunciandi, quoties delictum non fuit formaliter tale: ut ſi inquiratur de homicidio, & qui occidit ex ſola mera inadvertentia occiderit, vel putaverit eſſe feram; vel inquiratur de furto, & qui rem abſtulit in juſtam compenſationem abſtulerit &c.

V. Moneat pariter non eſſe obligationem denunciandi, quando ea foret omnino inutilis, & delinquens non eſt obſtinatus in peccato. Inquiritur e. g. ſub pœna excommunicationis, & præcipitur revelatio illius, qui bona alicujus ſurripuit. Si ergo ſciam aliquem ſurripuiſſe, ſed interim eſſe impotentem ad reſtitutionem, nec eſſe proximam ſpem, ut fiat potens, abſtinebo a denunciatione; cum nemo ad inutile teneatur. Item ſi Superior inquirat de delicto ad procurandam emendationem, non teneor revelare, ſi ſit emendatum, dummodo non habeat effectum pendentem in futurum, ut in ſimplici fornicatione, ludo prohibito &c. Si vero habeat effectum pendentem in futurum, non eſt denunciandum, quoties illi jam ſufficiens remedium appoſitum ſit; ut ſi quis ſatisfecerit damno per furtum illato. Quod ſi fiat inquiſitio de delicto notorio, ſeu publico, & id non tantum ad emendationem, ſed etiam ad punitionem, denunciandum eſt, quamvis fuerit emendatum.

VI. Ultimo bene advertat Confeſſarius, quod ſi in præfatis caſibus non ſatis inſtruat Pœnitentes, vel accuſa-

cuſabunt quem non deberent, & aliquando etiam non poſſent accuſare; vel ex ignorantia pluribus mendaciis, & perjuriis inquinabunt propriam conſcientiam. Edoceant ergo illos, juxta etiam alias dicta, non teneri ad reſpondendum niſi juxta mentem Judicis interrogantis, & Judicem e. g. non intendere, ordinarie loquendo, ut denuncientur delicta, quæ non laborant infamia, vel non ſunt notoria, ſeu quæ non poſſunt ex vinculo fortiori, quale eſt ſecretum commiſſum, revelari, ſeu quæ fuerunt commiſſa ſine peccato &c. Quod ſi Pœnitens ſit tam rudis; ut quandoque mihi accidit, ut hæc percipere non valeat, moneat illum, quod etiam cum juramento dicat ſe neſcire delictum, habendo intentionem ſe conformandi iis, quæ illi dixit Confeſſarius, quamvis percipera non potuerit.

QUÆSTIO III.

De Teſtibus, Reo, Advocato, Tabellione, & Procuratore.

CAPUT I.

De Teſtibus.

Q. I. Quis ſit Teſtis, & quotuplex.

R. Cum leges ſtatuerint teſtes ad judicium adducendos, ut Judex ſaltem morali certitudine dijudicare poſſit, ideo teſtis dicitur: *Probator rei geſtæ, ut tenetur in cap. forum t. de verb. ſignif. v. teſtes.*

R. II. Teſtes primo alii ſunt legitimi, alii illegitimi. Primi ſunt illi, qui habent omnia requiſita a jure ad teſtificandum, & dicuntur etiam teſtes omni exceptione majores. Illegitimi ſunt illi, qui aliquam a jure patiuntur exceptionem. Secundo, alii dicuntur teſtes ſingulares, & hoc nomine appellantur, qui diſcordant ab aliis vel in quantitate rei, vel in deponendo, ſeu teſtificando de loco de tempore &c. ac univerſaliter loquendo, diſcrepant ab aliis teſtibus circa ſubſtantiam facti, de quo interrogantur: *D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2. Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 3. d. 4. n. 33.* Tertio, alii dicuntur teſtes conteſtes, quando ſcilicet concordant circa ſubſtantiam facti, deponendo e. g. de eodem delicto, & de loco & tempore, quo fuit commiſſum.

Q. I. Qui repellantur a jure a teſtificando.

R. Ex variis juribus plures ad teſtificandum non admittuntur. Primo, mulieres in Jure Canonico repelluntur a teſtificando in cauſis criminalibus, quia in illis præſumitur inſtabilitas: *cap. forum* 10. *de v. ſignif. Sanchez tom. 2. Conſ. lib. 6. cap. cap. 5. d. 14. num. 3.* Verum jure civili in omni cauſa poſſunt eſſe teſtes; & ſi ſint vitæ probatæ, potius illis, quam viris malæ opinionis credendendum eſt: *Tiraq. de leg. connub. leg. 9. n. 63.* Ordinarie tamen loquendo, ipſorum dictum non ſufficit ad torturam, ſed ad capiendam informationem. Secundo repelluntur Minores 20. annorum, quamvis ipſorum dictum, etſi non ſufficiat ad torturam, bene tamen ad inquiſitionem: *Leſſ. de juſtit. l. 2. c. 30. d. 5. n. 7. Sanch. t. 2. Conſ. l. 6. c. 5. d. 14. num. 4.* Item id procedit, quando aliunde veritas haberi non poſſit; ſi etenim alii teſtes non adſint, Minores admittuntur ad teſtificandum, præcipue ſi Judex procedat ex officio: *Maſcard. de probat. l. 3. concl. 1246. num. 3.* Cæterum in civilibus admittuntur ad teſtificandum omnes, qui attigerunt annos pubertatis. Tertio, repelluntur a ferendo teſtimonio in Cauſis criminalibus infames infamia juris, vel facti, quia non reputantur teſtes integræ fidei: *Leſſ. cit. n. 38. Sanch. cit. n. 8.* Inter eos accenſeri poſſunt perjuri, qui nempe cum juramento falſum in aliqua cauſa depoſuerint; ac proinde cum fidem non mereantur, ipſorum teſtimonium non admittitur. Infamea neque admittuntur ad teſtificandum in civilibus arduis, cum criminalibus æquiparentur: *cap. licet. de teſtib. cap. 1. de reſt. ſpoliat.* Quarto excluduntur a ferendo teſtimonio inimici, ſi inimicitia ſit gravis: *cap. per tuas 32. de Simon.* etſi fuerint reconciliati, ſi reconciliatio ſit recens, quia præſumuntur teſtificari ex odio, & mala voluntate: *Jul. Clar. in pract. q. 34. n. 19.*

Quinto, repellitur a teſtificando ſocius criminis: *leg. fin. C. de accuſ.* quia rationabiliter præſumitur, quod vel ſpe veniæ, vel ut ſecum ex odio alterum trahat ad ſupplicium, accuſet innocentem. Hinc accuſatus a ſocio, poterit reſpondere illum teſtem commiſiſſe crimen, de quo contra ipſum teſtatus eſt, per conſequens non poſſe eſſe teſtem contra ipſum: *Gloſſ. ord. in cap. t. de teſtib Sanch. t. 2. l. 6. conſ. cap. 6. d. 15. n. t. Leſſ. l. 2. c. 30. d. 5. num. 39.* Sexto, repellitur a teſtificando perſona vilis, & inops, quia facile corrumpitur pecunia: *leg. 3. & 4. ff. de teſtib.* niſi aliter ſuadeat integritas, & honeſtas perſonæ: *leg. ſed & unius ff Interdum ff. de injur. leg. humilem C. de inceſt. nupt. Maſcard. de Probat. concl 1359. num. 14. Farinac. de teſt. q. 55. n. 169.* Hac ratione quia ſervi de omni jure ſunt viles, excludi debent a ferendo teſtimonio. Septimo, repelluntur a teſtificando contra Catholicum omnes, qui non ſunt Catholici, ut ex variis juribus paſſim probant DD. *Sanchez t. 2. Conſ. l. 6. c. 5. dub.* 14. Octavo, Laici repelluntur a teſtificando in criminalibus contra Clericos; *cauſ. 2. quæſt.* 12. *per tot.* quia præſumuntur eis infeſti. Quod ſi Prælati cogantur illis uti ad aliquid probandum, curare debent ut ſint perſonæ valde graves. Clerici, & Religioſi poſſunt eſſe teſtes in judicio, maxime ſi aliunde veritas haberi non poſſit. Neceſſaria tamen eſt licentia Superioris: *can. quanquam Sacerdotum* 14. *q.* 2. Quamvis tamen ſine illa, maxime quando aliunde veritas haberi poterat, velint aliqui ipſorum teſtimonium nullum eſſe, nihilominus pro ejus valore ſtant communiter DD. quia nullibi irritatur: *Sanchez lib. 6. Conſ. c. 5. dub. 17. num. 2. Barboſ. de Jur. univ. Eccleſ. lib. 1. cap. 43. num.* 51. Non excuſatur tamen a peccato Clericus, vel Religioſus, qui teſtis eſt in judicio abſque ſui ſuperioris licentia.

Nono, repelluntur a teſtificando Domeſtici, quia præſumuntur nimis affecti Domino: *leg. t. §. Ad quæſt. ff. de quæſt. leg. idonei, & leg. teſtes ff. de teſtib.* Admittuntur nihilominus ſi a multo tempore non amplius ſint domeſtici; ſi ſint vitæ valde probatæ, ſi intendatur probari conſanguinitas, aut impedimentum matrimonii, vel denique pro defenſione alterius Domeſtici: *Maſcard. de Prob. l. 2. concl. 668. n. 19. lib. 3. concl 1368. nu 7. Farinac. de teſt. q. 54. n. 70.* Decimo, Advocati in cauſis, quas patrocinantur, repelluntur a teſtificando, quia in eis præſumitur nimia affectio ad Clientem; *c. ſi teſtes omnes §. teſtes 4. q. 3. leg. fin. ff. de teſt.*

Ultimo, repelluntur a teſtificando conjuncti partibus uſque ad quartum gradum; ex affectu enim & ſanguinis conjunctione, ipſorum teſtimonium non reputatur conſonum veritati: *leg. teſtis idoneus ff. de teſt. legib. Parentes C. eod.* Admitti nihilominus debent Conſanguinei ad probandam alterius innocentiam, ſicut etiam Parentes ad probandam ætatem Filiorum: *leg. etiam ff. de prob. Leſſ. de juſt. l. 2. c. 30. num. 38.* vel etiam ad probandum ſi intercedat affinitas, ſeu conſanguinitas inter eos, qui contraxerunt matrimonium, cum in favorem matrimonii admittantur teſtes etiam alias inhabiles: *cap. videtur qui matr. accuſ. poſſunt, Sanch. l. 3. de matr. d. 41.*

Hic tamen tria notanda ſunt. Primum, quod quando veritas aliter haberi non poteſt, multoties admittuntur ad teſtificandum etiam inhabiles, ut Minores, Infames, Servi &c. *Maſcard. de Probat. lib. 3. concl. 1246. n. 3. Leſſ. l. 8. c. 3. d. 4. n. 9.* Secundum eſt, quod ſi excipiantur inimici ob inimicitiam gravem, cæteri admittuntur ad teſtificandum in criminibus exceptis, & maxime hæreſis, & læſæ Majeſtatis, nam in iis teſtes etiam inhabiles, & minus idonei admittuntur: *cap. per tuas de ſim., Maſcard., Leſſ. loc. cit.* Tertium, quod ſi teſtis inhabilis ſemel in aliqua cauſa a parte contraria admittatur, tunc ratione puræ inhabilitatis non licet eum repellere: *leg. ſi quis teſtibus C. de teſtam.*

Q. III. Quot teſtes requirantur ad faciendam plenam probationem.

R. I. Unicus teſtis non ſatis eſt ad probandum ſive in cauſa civili, ſive in criminali; neque enim unius affirmatio anteponenda eſt negationi Rei: *cap. cauſam de probat. & cap. cum dilect. de accuſ. Azor. part. 3. l. 13. c. 17. d. 7.* Dantur tamen aliqui caſus, in quibus unus teſtis ſat eſt ad probandum. Primus, ſi unicus teſtis juret ſe certo ſcire adeſſe impedimentum matrimonii: *cap. præterea 2. de ſponſ. cap. ſuper eo de teſt.* Secundo, ſufficit ad probandum an Eccleſia ſit conſecrata; an aliquis fuerit Baptizatus, confeſſus &c. vel

pe-

Digitized by Google

petierit confeſſionem in mortis articulo: *cap. parvuli de conſ. d. 4. cap. teſtament. de teſtib.* Tertio, ſi agatur de læſione Minoris: *cap. in omni negotio de teſtib.* ibique DD.

R. II. Ad plene probandum, ſi aliter in quibuſdam caſibus particularibus non diſponatur a jure, ſufficiunt duo teſtes. Ita habetur *Deuter.* 17. *v.* 6. & ex illo *Jo.* 8. *In duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* Ratio etiam ſuffragatur, quia duo teſtes, qui ſint legitimi, ſeu omni exceptione majores, & habeant conditiones, de quibus ſtatim, ſi confirment quod aſſerit Actor faciunt moralem certitudinem, adeoque ſufficienter probant: *D. Th.* 2. 2. *queſ.* 79. *art.* 2. *Leſſ. de juſt. Lib.* 2. *cap.* 10. *d.* 4.

Prima igitur conditio eſt, quod jurent id, quod teſtificantur: *capit. super de teſtib.* Altera conditio, ut ſint conteſtes, nempe ut conveniant in ſubſtantia actus, & in proximis circumſtantiis actus, quales ſolent eſſe perſona Delinquentis, locus, tempus, qualitas, & modus delicti; *Leſſ. loc. cit. num.* 22. Non infringitur autem ipſorum teſtimonium, ſi diſcrepent in circumſtantiis parum conducentibus ad ſubſtantiam rei, de qua teſtificantur; ut ſi quis diceret crimen fuiſſe commiſſum hora 10., alter hora 11. vel ſi quis affirmaret patratum fuiſſe tempore nubilo, alter tempore ſereno.

Tertia conditio eſt, ut aliquo ſenſu externo rem perceperint, alias non poſſent eſſe certi de facto externo: *leg. ſola* 4. *C. de teſt.*, & *cap. ſi teſtes* 4. *§. Solam. cauſ.* 4. *qu.* 3. Si ergo delicta ſint de genere viſibilium, ut furtum, humicidium &c. ad probandum requiruntur duo teſtes conteſtes, qui viderint: *cap.* 2. *de conſ. junct. Gloſſ.*, *Syr. in Clav. Reg. l.* 12. *cap.* 21. *numer.* 21. Si delicta conſiſtant in voce, ut blaſphemia, contumelia &c. neceſſarii ſunt duo teſtes conteſtes, qui habeant plenam notitiam vocis, & proprio auditu audierint, itemque audierint ſine aliquo medio interpoſito: *Sayr. cit.* Hinc ſi teſtes audierint vocem interpoſita cortina, tabulatu, pariete &c. non faciunt ſaltem in criminalibus plenam probationem, ni poſtea vidiſſent perſonas, quarum vocem agnovere, ex illo loco exire vel antea vidiſſent in illum ingredi &c. *Farina de teſtib. q.* 69. *num.* 88. Cæterum ſi duo non viderint immediate per ſeipſos, vel vocem delinquentis non audierint, & ſi audierint referri delictum a duobus, qui viderint, vel audierint, non poſſant facere in judicio plenam probationem, cum multa falſa referantur.

Advertendum etiam, quod ſi adſint duo teſtes conteſtes contra reum, & alii duo in ipſius favorem, quamvis dignitate minores, reus eſſet abſolvendus: *Gloſſ. in cap. Clerici diſt.* 81., cum etenim reus ſit in poſſeſſione ſuæ famæ, vitæ, bonorum &c. non debet iis expoliari, ni evidenter conſtet de delicto.

Q. IV. Quando Judex juridice interroget, itaut teſtis teneatur reſpondere.

R. I. Dum Judex procedit per viam inquiſitionis, ut juridice interroget, debet præcedere infamia delicti, vel indicia ſufficientia ad faciendam ſemiplenam probationem. Ratio conſtat ex ſupradictis *q.* 2. *cap.* 2., nam Judex, cum ſit publicus Miniſter, dumtaxat ex notitia publica poteſt interrogare, quod non intervenit niſi adſit infamia, vel prædicta indicia.

R. II. Si Judex procedat per viam accuſationis, tunc legitime interrogat, quando accuſator offert ſe rem probaturum per ſufficientes, & idoneos teſtes; vel quando datur ſemiplena probatio delicti, quia ſcilicet adeſt unus teſtis de viſu omni exceptione major, vel de auditu proprio in rebus, quæ auditu percipiuntur, ut ſunt blaſphemiæ &c. In his igitur caſibus, etſi non adſit infamia, ſemper cum datur infamia virtualis, quia ſcilicet accuſator ſe offert ad plene probandum delictum, vel jam de illo depoſuerunt accuſator, & unus teſtis omni exceptione major, Judex juridice interrogat: *Leſſ. l.* 2. *de juſt. cap.* 3. *d.* 5. & 6., *Navar. in Man. c.* 17. *n.* 34. & 35. Eo autem ipſo quod juridice interroget, cum interroget ut Superior, illi eſt obediendum, & teſtis tenetur reſpondere: *D. Th.* 2. 2. *q.* 70. *artic.* 1.

Quod maxime controvertitur in præſenti materia eſt, an teſtis teneatur reſpondere, dum Judex procedit per viam accuſationis, & accuſator unicum affert teſtem, qui ſolus rem ſcit. Multi dicunt, quod iſte interrogatus poteſt & debet reſpondere juxta veritatem quia putant Judicem legitime interrogare *Sot. l.* 5. *de juſt. qu.* 7. *art.* 1., *Sayr. in Clav. Reg. l.* 1. *cap.* 20. *n.* 6. At mihi ſemper valde probabilis apparuit contraria ſententia; cum enim Judex non alia via ſciat delictum, quam ex ſola accuſatoris depoſitione, non videtur delictum ſufficienti virtuali infamia laborare, cum dictum unius, ut dici ſolet, ſit dictum nullius, adeoque non adeſt obligatio illud denunciandi. Præterea cum ex ſolo teſtimonio unius nullus poſſit condemnari, videtur irrationabiliter a teſte infamari ille, cujus delictum certe ſcit non ab alio, niſi a ſe ſciri. Hinc non deſunt qui velint hunc teſtem debere ſub pœna peccati mortalis occultare delictum, ac Judici reſpondere ſe nihil ſcire: *Leſſ. lib.* 2. *cap.* 30. *d.* 6. *nu.* 49., *Paſſer. in Trib. Regul. qu.* 8. *art.* 7. *num.* 31.

Q. V. In quibus caſibus teſtis non teneatur manifeſtare delictum, de quo interrogatur.

R. Quamquam reſponſio pateat ex dictis de denunciatore, nihilominus ſummatim recenſeam hic caſus, in quibus teſtis eximitur a teſtificando. Non tenetur primo reſpondere teſtis de auditu alieno, ſi interrogetur a Judice, an ſciat commiſſum eſſe aliquod delictum; nam ſcire importat aliqaid per ſe vidiſſe, aut audiſſe: *Sanch. lib.* 2. *Sum. cap.* 7. *num.* 5. Si ex teſtificatione timeat grave damnum ſibi, ſuiſque, dummodo non agatur de bono publico, cui teneatur conſulere etiam cum gravi ſuo damno: *Lugo de juſt. d.* 39. *num.* 19. Non tenetur teſtari de delicto quod jure fortiori tenetur celare, ut aſt delictum, quod quis novit ex confeſſione; nam celandum eſt jure naturali, divino, & humano; ſicut etiam dum quis ſcit delictam ex ſecreto explicite, vel implicite commiſſo: *Lugo num.* 12. Id vero non habet locum in ſecreto promiſſo, etiamſi quis promiſerit juramento non revelare dicta, nam talis promiſſio utpote contraria legitimæ poteſtati Superioris interrogantis, non eſt attendenda. Vide quæ dicta ſunt *tr.* 11. *qu.* 4. *cap.* 4., ubi recenſentur caſus, quando etiam liceat non ſervare ſecretum commiſſum. Non tenetur teſtis teſtificari, ſi delinquens non peccaverit in committendo delicto; ut ſi damnum intulit ex inadvertentia, vel ſi non reſtituit ex impotentia. Ratio eſt, quia Judex intelligit interrogare de delicto formaliter tali: *Lugo diſput.* 38. *num.* 32. Non tenetur manifeſtare delictum Complicis, quia propter conjunctionem in crimine videretur teſtificari contra ſeipſum. Item conſanguinei & affines delinquentes intra quartum gradum non tenetur teſtificari contra ipſum; tum quia ex conjunctione ſanguinis viderentur teſtificari etiam contra ſe ipſos; tum quia ex hoc, ordinarie loquendo, graves orirentur rixæ inter familias: præceptum autem Judicis non intelligitur obligare cum tanto incommodo. *Rainaud. de monitor. p.* 1. *cap.* 3. *qu.* 20. *Dian. p.* 8. *tr.* 7. *reſol.* 10. Si nihilominus ageretur de crimine leſæ majeſtatis, ut proditionis, & ipſe filius ratione boni publici tenetur teſtificari contra Parentes; & multo magis in crimine læſæ Majeſtatis Divinæ, quale eſt hæreſis, quia cum ut cancer ſerpat, ponit in magno diſcrimine bonum commune divinum, & humanum: *Maſcard. concluſ.* 857. *a num.* 18. *Bord. in Trib. Fid. cap.* 31. *num.* 13. Quod ſi alios teſtes facile invenire eſſet, ut notant aliqui Theologi, durum eſſet exigere teſtimonium Filii contra Parentes: *Salman. tr.* 29. *in appen. de offic. cap.* 2. *p.* 1. *num.* 24. Bene vero Filii, aliique conjuncti uſque ad quartum gradum excuſari poſſant a denunciando extra caſus hæreſis formalis, vel extra caſus, in quibus agatur de avertendo gravi publico damno propter rationes ſupra allatas: *Bordon. cit. num.* 13. & 14., & *in Man. Conſul. ſect.* 18. *n.* 46. Vide etiam quæ dixi *tr.* 6. *qu.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 1. *reſp.* 3.

Q. VI. An teſtis teneatur ſe offerre ad teſtificandum in favorem Innocentis.

R. Si ipſius teſtimonium ſit neceſſarium pro liberatione innocentis a gravi pœna, idque poſſit præſtare ſine gravi incommodo, tenetur utique ex Charitate id facere; quomodo enim verificaretur proximum diligere, ſi dum poteſt illam liberare a gravi neceſſitate ſine gravi ſuo incommodo, id non præſtet? Verum tamen eſt poſſe excuſari a reſtitutione omnium damnorum, etſi in judicio vocatus occultet veritatem. Ratio eſt, quia, licet poſtquam quis acceptavit officium teſtis teneatur ex juſtitia veritatem fateri, ſecus ſi detrectet

eſſe teſtis, & ita veritatem occultet ; nam quamvis tunc peccet contra obedientiam, officium teſtis non acceptando, utiqua non peccat contra juſtitiam veritatem non manifeſtando. Conſtat id exemplo illius, qui contra mandatum Superiuris falſis prætextibus renunciat officium Tutoris. Hic utique peccat contra obedientiam, at non tenetur ex juſtitia curam habere bonorum pupilli.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Confeſſarii habeant præ manibus omnes caſus, in quibus teſtis licite occultat veritatem Judici interroganti. Accidit ſæpe, ut vocentur in teſtes a Judice Socii criminis, Conſanguinei, & affinea, vel qui ſciunt delictum ea ſecreto commiſſo, & hi omnes quia non habent a quo inſtruantur, vel ex conſcientia erronea fiunt perjuri, vel detegunt delictum, quod vel poſſent, vel etiam deberent occultare. Hinc inimicitiæ inter familias, ac odia inter magis conjunctos; vel præcluditur via aperiendi delictum etiam cauſa petendi conſilii, quia vident in judicio etiam ſecreta manifeſtari. Heu quot mala ex ignorantia!

Jam autem explicavi, dum egi de juramento, qua ratione ſine reſtrictione mentali affirmari poſſit ignorari id, quod ſcitur, quando alias non eſt propalandum.

II. Meminiſſe debet Confeſſarius in noſtra Diœceſi ipſo facto excommunicationem Archiepiſcopo reſervatam incurrere *Ferentes falſum teſtimonium, veritatem negantes aut occultantes, legitime interrogati in judicio, in alterius grave damnum.* Hunc caſum explicavi *q.* 1. *ſe* 1. *reg.* 3.

CAPUT II.

De Reo.

Q. I. AN Reus teneatur detegere ſuum crimen Judici interroganti.

R. I. Si Judex non interroget juridice, Reus non tenetur manifeſtare ſuum crimen, quippe tunc non habet authoritatem interrogandi, & habetur *c. qualiter & quando, cap. cum oporteat: cap. inquiſitionis de accuſat.* Porro ex dictis ſupra de teſtibus, tunc juridice procedit, quando vel præceſſit infamia criminis, vel indicia manifeſta, vel ſemiplena probatio.

R. II. Si Reus dubitet, an Judex ſervato juris ordine procedat, non tenetur manifeſtare delictum. Ratio eſt, quia licet quando conſtat de authoritate Superioris, & ſolum dubitatur, an licite nec ne aliquid imperet, poſſeſſio & præſumptio ſtet pro Superiore, ipſique parendum ſit, nihilominus quando dubitatur de authoritate præcipientis, poſſeſſio ſtat pro propria libertate, & bona fama, cum æquum non ſit, Reum debere ſe privare libertate, bonis, vita &c. quouſque non conſtet de legitima poteſtate præcipientis: *Lugo d.* 40. *num.* 2. *&c.* Hinc ſi reus petat ſibi oſtendi qua ratione Judex juridice procedat, debet illi ſatisfieri, ut ſit in eo obligatio reſpondendi: *Tolet. l.* 5. *Sum. cap.* 18. *Lugo cit.*

R. III. Non eſt obligatio reſpondendi, ſi Judex procedat ex falſa præſumptione, v. g. ſi interroget de homicidio inadvertenter commiſſo; ſi de obligatione ſolvendi, quando aliquid pro juſta compenſatione retinetur. In his caſibus licet negare; nam Judex intelligit interrogare de homicidio cum culpa patrato, & de vera ſolvendi obligatione.

R. IV. Si reus, ſervato juris ordine, interrogetur, debet, ordinarie loquendo, ſub mortali fateri veritatem; nam tunc in Judice eſt legitima authoritas interrogandi, adeoque correſpondet in reo ſtricta obligatio obediendi. Dixi, ordinarie loquendo, nam valde probabile eſt, quod dum ex negatione adeſt ſpes ſalvandi vitam, vel evadendi pœnam triremium, ſeu confiſcationem omnium bonorum, poſſit Reus eludere Judicem, & delictum occultare. Ratio eſt, quia dum agitur de pœna capitali, & adeſt ſpes eam evadendi occultando delictum, nimis durum eſſet velle obligare reum ſub mortali ad obediendum, cum præcepta humana non obligent cum tanto incommodo. In tali ergo caſu non eſt in Judice authoritas obligandi ad culpam, adeoque nec in Reo obligatio obediendi ſub mortali. Solum proinde Judex obligare poſſet Reum ad reſpondendum ſub pœna. *Leſſ. de juſt. cap.* 31. *numer.* 16., *Lugo d.* 40. *numer.* 16. *Reginald. in prax. to.* 2. *l.* 24. *cap.* 3. *ſect.* 1. *n.* 3.

Q. II. An ſi reus negaverit, vel occultaverit veritatem in caſibus, quibus tenebatur eam manifeſtare, debeat ſe retractare, illamque ſincere fateri.

R. Cum obligatio, quam habet Reus detegendi veritatem, oriatur ex juſtitia legali, & obedientia, tenetur fateri veritatem, quouſque urget Judicis præceptum; dum igitur non amplius urget, nec exigit reſponſum, non adeſt obligatio ſe retractandi, & veritatem fatendi: *Sanch. t.* 1. *in Decal. lib.* 3. *cap.* 7. *Lugo de Juſt. diſp.* 45. Quod ſi ſuo mendacio alios damnificaverit, tenetur damnum reſarcire, etiam ſe retractando, ſi opus ſit.

Idem dicas de Reo, qui non obſtante delicti negatione, convictus, per teſtes de ſuo crimine damnatus fuit ad ſupplicium; *Sanch. cit. &c.* Ratio eſt, quia eo ipſo quod jam damnatus ſit, Judex functus eſt officio ſuo, nec amplius inſtat pro detegenda veritate. Ex alia vero parte occultatio delicti non obſit nec Judici, nec teſtibus, quia præſumptio ſtat ſemper pro ſententia prolata juridice, & creditur reus delictum occultaſſe, vel quia putavit non teneri ad illud manifeſtandum, vel quia illud occultando ſperavit pœnam evadere. Aliter dicendum eſſet, ſi reus convictus, & damnatus eſſet de hæreſi quam negavit; nam tunc cum ex una parte culpa publica eſſet, & ex alia, negando delictum, recuſaret reconciliationem, & abſolutionem, hoc non eſſet ſine gravi crimine, quia recuſaret publice ſatisfacere Eccleſiæ: *Suar. d.* 23. *de Fid. ſect.* 2. *n.* 5.

Q. III. Quid dicendum de illo, qui metu tormentorum confeſſus eſt crimen, quod non commiſit, unde eſt pœna capitali puniendus.

R. Conſtat hunc debere ſe retractare, ſi retractatione mortem ſit evaſurus; vel ſi ex omiſſa retractatione notabilis infamia in alios redundaret, & ſe retractando vel tolleretur, vel notabiliter diminueretur. *Sanch. in Dec. l.* 3. *c.* 7. *n.* 20.

Q. IV. An Reus in ſui defenſionem poſſit opponere accuſatori, vel teſtibus falſos, vel occultos eorum defectus.

R. I. Nullatenus reos fas eſt opponere falſa crimina. Et quidem opinio contraria damnata fuit ab Innoc. X. *ſub n.* 44., cum etenim opponere falſum crimen in judicio ſit pernicioſe mentiri in materia gravi, utique nunquam poteſt eſſe licitum: *D. Th.* 2. 2. *qu.* 69. *art.* 2.

R. II. Licite detegitur a reo occultum delictum accuſatoris, aut teſtis, ſi hoc conducat ad ſui defenſionem. Ratio eſt, quia Reus non tenetur grave damnum ſubire, ut vitet alterius damnum, & ulterius cum id conducat ad ſe defendendum, nec aliud medium ſupponatur habere, utitur jure ſuo. Oportet igitur propalationem alterius delicti eſſe neceſſariam ad defenſionem Rei, alias illud opponere non eſſet defenſio, ſed vindicta. Ulterius neceſſe eſt quod propaletur a Reo ad vitandum grave damnum; nam ſi ipſi vel non immineret gravis pœna, vel leviter eſſet minuenda propalatione talis delicti, Charitas non patitur ut pro vitando meo levi incommodo, alterum graviter damnificem, grave ipſius occultum delictum manifeſtando: *Sotus l.* 5. *de juſt. qu.* 7. *art.* 3. *Sanch. l.* 6. *Conſ. cap.* 5. *d.* 20. Aliqui addunt non eſſe objiciendum crimen occultum teſti non voluntario, ſed qui coactus eſt ad teſtificandum.

Q. V. An reus poſſit a ſententia appellare.

R. I. Cum appellatio ſit provocatio cauſæ a minori Judice ad Superiorem: *leg.* 1. *ſ.* 1. *Si quis de appell. ff. de appell.* tunc utique licita erit appellatio, quando quis injuſte fuit damnatus, quia tunc non tenetur obedire; vel quando in nova cognitione cauſæ apud Superiorem, poterunt exhiberi inſtrumenta, vel teſtes apriores ad ſe defendendum. In tali caſu jus naturale ſperatæ defenſionis factæ apud Superiorem, a quo inferior dependet, excuſat a non obediendo iſtius ſententiæ. Si vero ſententia fuit juſta, tunc appellando violatur obedientia Judi-

ci

Digitized by Google

ci debita, & eidem ſit injuria quaſi injuſte judicaverit, ſicuti & parti adverſæ, juſtitiam ejus perturbando, *D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 3. Clav. reg. l. 12. cap. 17. n. 34.* Hinc tales appellationes non ſunt admittendæ, & appellantes puniendi: *cap. quicumque, cap. omnino 2. quæſt. 6.*

R. II. Si prudentum judicio dubitetur, an ſententia fuerit juſta, vel injuſta, tunc in criminalibus ſemper licitum eſt appellare; nam dum non judicantur convincentia motiva reum condemnandi, ipſi favendum erat, *ex reg. jur. in 6. Sot. l. 5. de juſtit. qu. 6. a. 3.* In civilibus vero diſtinguendum eſt. Si Judex inferior judicaverit ſecundum opinionem, quam omnes dicunt probabiliorem, non licet a tali ſententia appellare, cum ita etiam Judex ſuperior teneatur judicare, & contrarium damnavit Innoc. XI. num. 2. Si vero non ita conſtet quæ ſit opinio probabilior, tunc licitum eſt appellare, nam ea opinio, quæ probabilior potuit apparere Judici inferiori, poteſt minus probabilis apparere ſuperiori. Videantur Scribentes in præfatam propoſitionem.

Q. VI. An accuſatus de crimine vero, ſed occulto, & nullo modo probabili, poſſit in judicio opponere accuſatori mentitum fuiſſe.

R. Quamvis Innoc. XI. ſub num. 44. eam damnaverit doctrinam, quæ aſſerebat poſſe opponi accuſatori falſum crimen ad ſe defendendum; nihilominus non deeſt qui aſſerat non comprehendi in ea caſum, de quo in quæſito. Ratio eſt, quia accuſans de crimine vero, ſed ita occulto, ut non ſit probabile, habetur ut calumniator; *Gloſſ. in cap. cum dilectus de cal.* & calumniator habetur in jure veluti mendax: *leg. 48. ff. de abolit. crim.*, unde de hoc juxta ſenſum legum dici poteſt fuiſſe mentitum. Accedit quod reputatur practice mentiri ille, cujus verba diſſonant a voluntate, que dirigatur ſecundum rectam rationem, & in hoc ſenſu dicitur Pſalm. 115. *Omnis homo mendax.* Cum ergo accuſator in caſu præfato proferat verba diſſonantia voluntati ſecundum rectam rationem, in hoc ſenſu poteſt dici fuiſſe mentitum: *Lugo de juſtit. d. 40. num. 21. Leſſ. l. 2. c. 31. dub. 2.* Ad vitandum autem peccatum ſufficit verba in aliquo ſenſu verificari, etſi a Judice non percipiatur. Quod tamen dictum eſt habet locum dum id opponere accuſatori neceſſarium eſſet ad ſe defendendum; nam alias ſine cauſa infamaretur, & ſine cauſa accuſatus verbis æquivocis uteretur.

Q. VII. An reus ad mortem damnatus debeat parere Judici, ejuſque Miniſtris.

R. I. Si reus ſit injuſte damnatus, poteſt licite ſe defendere, & reſiſtere Judici. Ratio eſt, quia Judex injuſte damnans ſe habet ut iniquus Invaſor; ſicut ergo licite reſiſtitur invaſori vitæ, & etiam bonorum, ita & Judici injuſte damnanti, dummodo ex hoc non deberet oriri publicum ſcandalum, & perturbatio: *D. Thom. 2. 2. qu. 69. art. 4.*

Advertere tamen eſt, quod licet poſſit ſe defendere vel fugiendo, vel in loco ſacro ſe occultando, non tamen vulnerando, & occidendo. Ratio eſt, quia cum multoties Rei ſibi poſſent perſuadere injuſte eſſe damnatos, ſi admitteretur licita defenſio occiſiva, ſequerentur contra publicum bonum quamplura homicidia, & cædes: unde ratio dictat neque id poſſe eſſe licitum in aliquo caſu; in quo quis injuſte fuiſſet damnatus. Hac ratione Alex. VII. ſub num. 29. eam damnavit opinionem, qua aſſerebatur licitum eſſe occidere accuſatorem, teſtes, & Judicem, dum certo immineat iniqua ſententia, quæ alia via impediri non poſſet.

R. II. Si reus fuit juſte damnatus, dummodo Judex non proceſſerit ex falſa præſumptione, tenetur Judici obedire. Ratio eſt, quia Judex habet poteſtatem coactivam ad puniendos, & corrigendos reos, unde ei tenetur obedire: *D. Thom. 2. 2. q. 69. a. 4.*

Dixi, dummodo Judex non procedat ex falſa præſumptione, ut ſequeretur, quando damnaret aliquem, qui licet ſecundum allegata & probata appareret reus, vere tamen eſſet innocens. In hoc caſu puto, quidquid plures dicant in contrarium; poſſe præſumptum reum ſe defendere adverſus Judicem, modo tamen, quo dictum eſt in ſuperiori reſponſione, quia præſumptio debet cedere veritati, & propria innocentia jus dat ad ſe defendendum: *Lugo diſput. 40. numer. 29.*

Q. VIII. An reus licite poſſit fugere e carcere; & quibus mediis uti poſſit.

R. I. Si reus ex ſententia Judicis nondum ſit carceri deſtinatus tanquam ad pœnam, poteſt e carcere fugere, cum nemo teneatur pœnam ſubire ante condemnationem, adeoque fugiendo utitur jure ſuo: *Sayr. in Clav. Reg. l. 12. cap. 18.*

R. II. Si juſte fuit damnatus ad carcerem etiam perpetuum, debet in eo permanere. Ratio eſt, quia Judex juſte judicans habet poteſtatem talem pœnam infligendi, ſicut & condemnandi ad exilium, vel intra muros Civitatis; ſi ergo in judice ſit talis juſta poteſtas, correſpondere debet in reo obediendi obligatio: *Sayr. l. 3. c. 9. num. 4. Navar. in Man. c. 17. num. 101. & 102.* Hæc communis doctrina ab aliquibus limitatur, ſi carcer ſit nimis triſtis; nam videtur ſupra vires humanas obligare aliquem ad perſeverandum in pœna, quæ dura valde ſit & moleſta; qua ratione excuſant damnatos ad triremes, ſi curent ex eis fugere: *Pal. t. 1. tr. 3. d. 2. p. 4. num. 5.* Item excuſari poteſt, ſi fugiat damnatus ad carcerem, donec ſolvat, dum fugiendo ſperet ſaltem aliquo modo creditoribus ſatisfacere, & id nequeat in carcere præſtare; nam tunc Judex & Creditores non eſſent rationabiliter inviti: *Navar. cit.*

R. III. Qui eſt jam damnatus ad mortem, ad mutilationem, ad flagella, vel etiam ad triremes, & interim detinetur in carcere per modum cuſtodiæ, licite poteſt ex eo fugere. Id autem probatur, quia tunc peccaret fugiendo, quando faceret contra aliquod juſtum præceptum Judicis. Hoc non intervenit in caſu noſtro; nam Judex pronunciata mortis, mutilationis &c. ſententia, jubet utique miniſtris, ut ſuo tempore exequantur ſententiam, quibus proinde juſte Judici obtemperantibus, non licet reſiſtere; at non ſolet lex humana, nec Judicis præceptum reo imperare, ut maneat in carcere donec ſuſpendatur &c. *D. Th. 2. 2. quæſt. 69. art. 4. ad 2. Lugo de juſtit. d. 40. ſect. 4.* Nullum ergo præceptum reus infringeret, dum ob inclinationem, quam quilibet habet ad ſervandam propriam vitam, e carcere fugeret.

Cum autem jus ſit in reo ad mortem, mutilationem &c. damnato e carcere fugere, ſequitur & jus habere & carcerem, & compedes infrigendi; nam cui licet finis, & media licita ſunt, & ſicut nulla fieret injuria Judici, qui damnaſſet aliquos ad leones, ſi illos occiderent, ita neque ſi frangerentur compedes, & carceres ad mortem evadendam: *Lugo loc. cit.*

R. IV. Puto etiam licere ſubminiſtrare reo inſtrumenta apta ad carcerem infrigendum; exceptis etenim cuſtodibus carceris, aliiſque miniſtris juſtitiæ, quibus id interdicitur ob ſuum ſpeciale munus, aliis non interdicitur; & aliunde ſubminiſtrant inſtrumenta ad exercendum actum licitum ei, qui debet illum exercere, *Leſſ. de juſtit. capit. 31. d. 6., Lugo d. 40. cit.* Non per hoc tamen concedo licitum eſſe immediate opitulari reo in infrigendo compedes, & carcerem; nam tunc fieret injuria publicæ poteſtati, unde reus ſolum jus habet publicum carcerem per ſe infringendi. Hoc non obſtante bene poſſunt illi ſubminiſtrari inſtrumenta ad infrigendum; ſicut non habens jus immediate deſtruendi rem alienam, bene poteſt tradere inſtrumenta ad deſtruendum illi, qui tale jus habet. Hoc tamen verum non eſt, ſi ageretur de fuga Rei, qui eſſet valde Reipublicæ perniciosus, qualis eſſet hæreticus, inſignis latro, graſſator viarum &c. quia ratio boni publici expoſcit, ut neque mediate quis cooperetur illi, qui poteſt graviter tali bono officere.

R. V. Licet etiam reo damnato ad mortem corrumpere pecunia Cuſtodem: *Gloſſ. in cap. inter cætera §. Sed cum his omnibus v. decepti*, nullum etenim adeſt præceptum id ei prohibens; & aliunde nulla fit injuria Cuſtodi, etſi exinde puniendus ſit; nam fuit volens & conſentiens. Immo ſi Cuſtos a reo decipiatur talibus artibus & verbis, ut potuerit fraudem cognoſcere; id non erit illicitum, quia ipſe utitur jure ſuo; & aliunde cuſtos ſibi imputare debet, ſi non cognoverit fraudem Rei, ſecus ſi nullatenus potuerit advertere & multo, magis ſi adhibeantur mendacia; nam tunc nullo pacto dici poteſt ſcientem & lubentem pati damnum, quod illi obvenit ex fuga rei: *Sayr. in Clav. Reg. l. 12. cap. 18. num. 16.*

Q. IX. An damnatus ut fame pereat, poſſit licite reſpuere cibos oblatos,

R. Quod poſſit eos comedere non eſt dubium: quia non prohibetur comedere, ſed tantum jubetur fame mori, dum illi cibus non ſubminiſtretur: *D. Th. 2. 2. q 69. ar. 4. ad* 2. Licite etiam ab omnibus ſubminiſtrari poteſt cibus exceptis miniſtris juſtitiæ, nam iis, & non aliis incumbit ſententiæ executio: *D. Th. 3. 2. q. 31. art. 2. ad* 3. Verum non nego reum poſſe velle ex honeſto motivo non comedere; ſicuti enim poſſum velle non conſervare vitam ex motivo cujuſcumque alterius virtutis, ut dixi agendo de homicidio, e. g. pro Charitate amicorum; ita & zelo juſtitiæ, & ad punitionem juſtam meorum ſcelerum poſſem me velle conformare Judicis ſententiæ. Hac eadem ratione puto damnatum ad mortem, & interim in carcere detentum non teneri e carcere fugere, etſi videret oſtium apertum: neque eſt hoc ſeipſum occidere, ſed velle pati ab alio mortem, ad quam juſte fuit damnatus: *Covar. l. 1. var. reſol. cap. 2. n. 89., Sot. l. 5. de juſt. q. 6. art.* 4.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Solent Confeſſarii illorum, qui ad ultimum ſupplicium ſunt damnati, valde eos urgere, ut fateantur veritatem, ſi illam in judicio negarunt; at de hoc, ex dictis, non deberent eſſe tam ſolliciti niſi in caſu, in quo iterum eſſent interrogandi; tunc etenim utique deberent eſſe prompti ad veritatem fatendam. Extra hunc caſum velle illos adigere ad ſe retractandum eſt ponere ſine neceſſitate offendiculum cæco.

II. Alterum crimen, quod neque rei advertunt, neque Confeſſarii, eſt credere damnatos ad carcerem injuſtam criminis pœnam poſſe fugere, aliiſque poſſe ipſis media ad fugam ſubminiſtrare. Expellant a ſuis Pœnitentibus hanc ignorantiam, ſi non agatur de caſibus exceptis, ac ſuadeant in carcere manere, ut facilius æternum carcerem evadant. Immo Reos moneant, quod ſi poſtquam fugerunt e carcere, ubi manebant per modum pœnæ, ad ipſum Judicis præcepto revocentur, ad illum tenentur redire; ſicut enim juſto præceptu eos damnaverat, ita etiam poteſt eos revocare ad juſtam pœnam ſubeundam.

III. Pauci ſunt Confeſſarii, qui admoneant ſuos Pœnitentes de gravi culpa, quam committunt, quoties cognita tenui probabilitate ſuæ cauſæ, appellatione curant diutius retinere, quod alteri a Judice inferiori fuit judicatum, & obligant partem adverſam, potius ex iracundia, ad novas impenſas. Non ſolum iſti litigantes graviter peccant peccato inobedientiæ, Judici juſte judicanti non obtemperando, ſed etiam contra juſtitiam commutativam, damnificando injuſte collitigantes. Dum ſciunt ergo Confeſſarii ſuos pœnitentes litibus implicatos, moneant ut de juſtitia ſuæ cauſæ inquirant a Viris ſine paſſione judicantibus, & id præcipue poſtquam ſemel fuit adverſus ipſos judicatum; & dum vident non ſufficienti probabilitate tueri, cogant eos recedere a lite.

C A P U T III.

De Advocato, Tabellione, & Procuratore.

Q. I. QUI poſſint eſſe Advocati.

R. Excluduntur ab officio Advocati furioſi, ſurdi, & muti; item nondum nati annis 17. quia non reputantur ſufficientes ad exprimendum conceptum ſuæ mentis. Cæci pariter non ſunt ſatis apti ad exercendum officium Advocati, quia geſtus & aſpectus perſonæ plurimum valent ad movendos auditores. Item infideles, Hæretici, & excommunicati: *cap. excommunicatus* 1. *de hæret., cap. nemo de pœnis d.* 1., *leg. nemo Cod. de poſtul.* Excluduntur fœminæ, ni ſutte mater ſit tutrix in cauſa filii. Excluduntur pariter omnes infames, de quibus *cap. infames 3. qu.* 7., qui tamen pro ſe, & pro conjunctis poterunt advocare: *leg. quos prohibet ff. de poſtul.* Excluduntur a munere Advocati Monachi, & ſubinde omnes Regulares, ne a Divinis, quibus debent eſſe addicti, diſtrahantur: *cap. 2. de poſtul., can. de præſentium, & can. Monachi 16. q.* 1. Bene tamen advocare poſſunt pro utilitate ſui Monaſterii, accedente licentia Superioris. Arcentur etiam Epiſcopi a munere Advocati coram Judice ſæculari; id enim dedecet ipſorum altiſſimam Dignitatem: *cap. Prælatus d.* 88, *can. te quidem* 11. *qu.* 1. Ea autem indecentia non conſideratur, ſi Epiſcopus exerceret munus Advocati coram Judice ſibi ſuperiore, ut e. g. coram Nuntio: *Sanch. l. 6. Conſ. c. 7, d.* 4.

Non poſſunt exercere munus Advocati Sacerdotes, ex textu expreſſo *can. ult. de poſtul.*, niſi pro ſeipſis, vel Eccleſia ſua, vel pro ſibi conjunctis, aut miſerabilibus perſonis, & in cauſis præfatis, ſolum dum ſunt civiles. Porro in præſenti miſerabiles perſonæ illæ intelliguntur, quæ vel ob paupertatem, vel ob aliud impedimentum, aut impotentiam, non poſſunt cauſam ſuam promovere, unde utpote carentes propria defenſione indigent auxilio Eccleſiaſtico: *Fagn. in cap.* 1. *de poſtul. n.* 18. Poterunt etiam advocare, ſi ita neceſſarium ſit ad ſuam ſuorumque ſuſtentationem: *Barb. l. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 40. n.* 90.

Ultimo, arcentur a munere advocandi Clerici in ſacris conſtitutis; ſicuti etiam Clerici in minoribus ſi ſint beneficiati: *cap. 1. de poſtul.* quia nemo militans Deo debet ſe ſæcularibus negociis immiſcere. Poſſunt tamen tale munus exercere coram Judice Eccleſiaſtico; *cap. Clerici de poſtul.* etiam quoad negocia ſæcularia. Coram Judice vero ſæculari poſſunt eſſe Advocati in præfatis cauſis, quibus poſſunt eſſe Sacerdotes, & etiam in omnibus negociis Eccleſiaſticis; & hujuſmodi dicuntur, quæ talia ſunt vel ratione perſonæ; ut dum Perſona Eccleſiaſtica ſequens forum rei litigat coram Judice ſæculari; vel ratione delicti, quod eſt Eccleſiaſticum puta ſacrilegium; vel ratione rei, quæ eſt Eccleſia; vel quid pertinens ad Eccleſiam: *Sanch. l. 6. Conſ. c. 7. d.* 4.

Non deſunt autem Theologi ſentientes peccare mortaliter Sacerdotes, aut Clericos qui non ſemel, aut bis, ſed ſæpe, & ex profeſſo exercent munus Cauſidici extra caſus conceſſos a jure, quia dedecorant munus ſuum, exercentes quod tam expreſſe prohibent SS. Canones: *Sanch. l. 6. Conſ. c. 7. d. 4. concl.* 2. Ceterum advertendum non illis prohiberi in uno tantum negotio ſæculari advocare, eoque expedito aliud aſſumere, ut pluribus citatis advertit Barboſa *de jur. Eccl. univ. l. 1. c. 40. n.* 88. Advertit inſuper *n.* 89. nequaquam illis eſſe probibitum domi ſuæ allegationes juris efformare, ibique conſilium etiam in ſcriptis dare.

Q. II. Qua ſcientia, & probitate pollere debeat Advocatus.

R. Cum Clientes pendeant a conſilii Advocati in litibus ſuſcipiendis, ea debet eſſe ipſius ſcientia, ut valeat cognoſcere merita & juſtitiam cauſæ ſecundum jura; quia magis & minus ſcientiæ requiritur ſecundum qualitatem cauſarum, & negotiorum; & ita etiam in cauſis ſuſcipiendis in eo major & minor ſcientia requiritur. Hinc in ſuſcipiendis litibus Advocati non deberent eſſe præcipites, & ut melius de ipſis judicare poſſent, deberent factum in ſcriptis habere, ſicut & probationes Actoris, ſive defenſiones, & exceptiones, quas reus poteſt adducere: *S. Anton. p. 3. tit. 6. cap. 1. §. 4. & c. 2. §. 2., Navar. in Man. c. 25. numer.* 28.

Una cum ſcientia talem probitatem debet Advocatus habere, ut non adducat falſas leges, aut abrogatas, ſicuti neque reprobatas doctrinas. Item uti non debet falſis cavillationibus, quamvis ſi defendat juſtam cauſam, & Adverſarii adverſus ipſum malitioſis cavillationibus utantur, poterit aliis cavillationibus, non tamen falſitatibus repellere; ſic uti licet inſidias hoſtium aliis inſidiis eludere: *Gloſſa in cap. capientes v. malignantium de elect. in* 6., *Navar. loc. cit., Covar. l. 1. var. reſol. cap. 2. numer.* 8. Caveat etiam omnino a ſuadendo Clienti ut falſas ſcripturas, vel falſos teſtes adducat. Demum probus Advocatus non debet parti contrariæ detegere merita cauſæ, quam defendit; infidelis tunc etenim eſſet erga ſuum Clientem; *D. Th. 2. 2. quæſt. 71. art. 3. ad* 2. Excuſarem tamen illum, ſi cauſa ſui Clientis eſſet aperte injuſta, & monitus nollet a lite recedere; nam tunc debet prævalere Charitas, quæ dictat impediendum damnum Innocentis: *Fagund. in 8. Decal. præc. cap. 47. numer.* 13.

Hic

Hic autem meminiſſe juvabit teneri ad reſtitutionem Advocatum, cauſas amittentem ea defectu ſcientiæ, vel ob non adhibitam ſufficientem diligentiam, & induſtriam pro cauſæ qualitate juxta judicium prudentum, & Juriſperitorum, quia ex gravi culpa in ſuo officio eſt cauſa damni Clientis. Item tenetur ad reſtitutionem parti ſuccumbenti, ſecundum ſpem, quam poterat habere, ſi falſis allegationibus, ſeu falſis ſcripturis, & teſtibus cauſam non aperte juſtam pro ſuo Cliente vicit. Demum tenetur ad reſtitutionem ſuo Clienti, ſi ipſi vel malitioſe, vel ex ignorantia graviter culpabili non manifeſtat injuſtitiam, ſeu debilia fundamenta cauſæ, ſicuti & parti adverſæ reſtituere debet; nam injuſto ſuo patrocinio fuit cauſa damnorum, quæ utraque pars paſſa eſt in lite ſuſtinenda: *D. Th. 2. 2. q. 71. art. 3., Leſſ. de Juſt. l. 2. c. 31. d. 7., Lugo diſp. 41. ſect. 1.*

Q. III. Quas cauſas patrocinari poſſit Advocatus.

R. I. Si Advocatus ea ignorantia invincibili defendat cauſam injuſtam, non peccat, neque tenetur ad reſtitutionem, utpote qui agit ſine peccato, cum talis ignorantia tollat omne voluntarium. Tunc autem operatur ea ignorantia invincibili, quando vel errat in iis, quæ ſcire non tenetur; vel quando adhibita ſecundum prudentum judicium ſufficienti diligentia ob cognoſcenda merita cauſæ, nihilominus, ut aliquando ſolent etiam homines doctiſſimi, erravit. Non diceretur autem invincibiliter ignorare, ſi dum eſſet rudis ingenii præſumeret cauſas difficiliores advocare: *D. Thom. cit. ad 2. Navar. in Man. cap. 25. num. 28.*

Quod ſi in decurſu cauſæ ipſius injuſtitiam agnoſcat, tenetur illam Clienti manifeſtare, atque etiam eo invito deſerere. Neque poteſt inducere litigantes ad tranſactionem, ſeu compoſitionem, nam dum jus partis adverſæ eſt certum, illi integra res, de qua agitur, competit. Quod ſi Cliens nollet a lite ceſſare, poſſet Adverſario compoſitionem conſulere titulo redimendæ injuſtæ vexationis: *Lugo d. 41. n. 6.*

R. II. Dum utriuſque partis cauſa eſt in jure æque probabilis, Advocatus licite defendit, quam mavult. Ratio eſt, quia, licet in dubio, ſeu pari probabilitate facti tam in civilibus, quam in criminalibus, potius favendum ſit reo, quam Actori, hoc tamen non eſt verum in dubio, ſeu pari probabilitate juris. Quamvis igitur Advocatus in primo caſu non poſſit agere contra reum, bene tamen poteſt vel unam, vel alteram partem defendere in dubio juris; cum enim utriuſque jus ſit æquale, & utraque pars æquale jus habet ſua motiva coram Judice exponendi: *Lugo cit.*

R. III. Etiamſi rationes ſui Clientis ab eo judicentur minus probabiles, poteſt illum defendere, dummodo antea illi repræſentet hanc minorem probabilitatem. Quando dixi, etſi judicentur minus probabiles, non intellexi poſſe Advocatum patrocinari cauſas communiter reputatas ſolum ſpeculative probabiles; nam ſi tales ſint ut ſemper, vel fere ſemper Judices habeant contrarios, non gaudent probabilitate digna viro prudenti, adeoque in praxi non ſunt patrocinandæ. Ulterius dixi, debere manifeſtare ſuo Clienti a ſeipſo judicari ſuam cauſam minus probabilem; nam cum talis cauſa ſit expoſita gravi periculo ſuccumbendi, & aliunde Cliens, dum conſulit Advocatum, intelligat velle ab eo ſcire merita ſuæ cauſæ; jam ſi Advocatus non manifeſtet Clienti merita cauſæ qualia vere ſunt, deficit in ſuo munere, & exponit injuſte Clientem multis expenſis, cum magno periculo litem amittendi: *Lugo d. 41. ſect. 1. n. 8., Sanch. t. 1. in Decal. l. 1. c. 9. n. 53.* His poſitis,

Probatur allata reſponſio; quia quamvis inique ageret, quando ſciret etiam Judicem probabiliorem judicare opinionem faventem parti adverſæ, nam tunc certum eſt debere in favorem ipſius judicare, ut conſtat ex propoſitione damnata *ſub num. 2. ab Innoc. XI.*, non tamen inique agit, dum id neſcit. Quot enim ſunt opiniones aliquibus minus probabiles, quæ ab aliis probabiliores omnino reputantur? Poteſt igitur & ipſe ſperare opinionem faventem ſuo Clienti, quæ ipſi minus probabilis apparet, a Judice probabiliorem judicandam. Aliunde nullam facit Clienti injuriam, ſemper cum aperte ipſi merita cauſæ manifeſtarit: *Lugo & Sanch. cit. Sayr. l. 1. c. 12. n. 21.*

Q. IV. An Advocatus teneatur Pauperibus patrocinari.

R. Communis ſententia eſt Advocatum teneri patrocinari pauperibus, dum ſunt in neceſſitate talis patrocinii, nec adeſt alia via illorum neceſſitatibus conſulendi: *D. Th. 2. 2. q. 71. a. 1., Navar. in Man. c. 25. nu. 29., Tolet. l. 5. Inſtruc. Sacerd. c. 6.* Sed ut melius hæc materia elucidetur, ſuppono cum *S. Th. cit.* quod cum patrocinari pauperibus ſit opus miſericordiæ, obligatio impendendi hujus patrocinii regulanda ſit juxta obligationem elargiendæ eleemoſynæ. Sicut igitur aliquid ex ſuperfluis ſtatui tenentur dare divites in communibus pauperum neceſſitatibus; ita Advocatus tenetur aliquando quod ſibi ſupereſt aliis cauſis, inſumere in communibus pauperum litigantium neceſſitatibus. Sicut tamen dives habens ſuperflua ſtatui, non intelligitur graviter peccare, ſi uni, aut alteri pauperi elemoſynam negaret, bene vero ſi omnibus, ita & dicendum de Advocato in caſu noſtro.

Multo autem magis tenebitur Advocatus pauperi patrocinari in neceſſitate gravi; ut ſi deficiente ipſius patrocinio, aliquis timeat ad mortem, vel grave ſupplicium damnari, vel amittere honorem, famam, excidere a proprio ſtatu, vel diu in carcere retineri propter debita, ad quæ ſolvenda damnabitur. Cum igitur unuſquiſque ſub gravi teneatur eleemoſynam elargiri proximo in gravi neceſſitate conſtituto ex ſibi ſuperfluis, etiam cum aliquali ſuo incommodo, alias convinceretur proximum non diligere, ita pariter dicendum de Advocato in præfatis pauperum neceſſitatibus, teneri ſcilicet tempus ſibi ſuperfluum in eis patrocinandis inſumere, etſi aliquod incommodum ſubire debeat. Ubi & advertendum, quod cum Advocatus dives minorem habeat neceſſitatem cauſas ſuſcipiendi pro ſe ſuaque familia ſuſtentanda, ita & plus temporis impertiri debet cauſis egenorum, quam Advocatus pauper.

Demum ſicut in extrema neceſſitate adeſt obligatio dandi eleemoſynam proximo, etiam de neceſſariis ſtatui, ita & Advocatus in extrema pauperis neceſſitate, in qua ſcilicet ſine ipſius patrocinio, ex imputatione e. gr. delicti, certe eſt ad mortem damnandus, vel quia cum non habeat quomodo ſe defendat, eſt certe expoliandus omnibus, vel fere omnibus ſuis bonis: in his, inquam, caſibus Advocatus tenetur etiam cum ſuo gravi incommodo pauperi patrocinari. Videantur quæ dixi in *Tr. de Char.* Quæ dicta ſunt de obligatione Advocati in ordine ad pauperes, applicanda ſunt Medico in ordine ad infirmos.

Q. V. Quale pretium poſſit recipere Advocatus.

R. I. Non quæritur hic de pretio, quando a lege taxatum eſt, nam tunc non licet illud excedere. Item non eſt quæſtio de pretio, dum Advocatus patrocinatur pauperes in gravi, vel extrema neceſſitate, nam tunc debet eos patrocinari gratis; nec poteſt paciſci de pretio, ſi ad pinguiorem fortunam devenerint, ex dictis de obligatione gratis pauperibus dandi eleemoſynam.

Ubi autem non extat lex taxans ſalarium Advocati, in eo taxando aliqua ſunt conſideranda. Primo, qualitas cauſæ, nam aliud dandum eſt pro levi, & facili cauſa, aliud pro gravi & difficili. Secudo, conſiderandus eſt labor Advocati, inæqualis enim debetur merces pro inæquali labore. Tertio, ſcientia & dignitas Advocati, nam parum ſolet tribui Advocato mediocris ſcientiæ: *D. Th. 2. 2. q. 71. ar. 4. Sot. de Juſt. l. 5. q. 8. art. 3., Lugo de juſt. d. 41. n. 2.* Verum tamen eſt, quod dignitas & ſcientia Advocati non ſunt ejuſdem arbitrio penſandæ; nam quo minori pollent doctrina, aliquando ſolent ſe Bartolo comparare. Debet demum conſiderari conſuetudo regionis.

Denique advertendum a jure prohiberi Advocatum paciſci de certa quantitate ſub conditione, ſi litem vicerit: *leg. ſi quis C. de poſtulation., leg. ſumptus ff. de pact.* & id ne per fas, & nefas conetur victoriam reportare. Bene tamen paciſci poteſt abſolute de certa quantitate, ſive ſcilicet vicerit, ſive non, tunc enim ceſſat ratio prohibitionis: *l. 1. §. Si vero ff. de var. & extraord. cog., l. 1. ff. de mand.*

Q. VI. Quæ debeant eſſe qualitates Notariorum, & Procuratorum.

R. I. Notarius primo debet habere peritiam ſufficientem de modo conficiendi inſtrumenta, teſtamenta &c., & de clauſulis in eis apponendis: & ſi ſua inſcitia propter clauſulas v. g. confuſas, & obſcuras, vel omiſſas, eſt cauſa ut aliquis damnum patiatur,

ultra-

ultraquamquod peccat mortaliter, tenetur de damnis, quæ ſua culpa cauſavit: *D. Ant. p. 3. tit. 6. cap. 6. §. fin.* Uno verbo debent ſufficienter ſcire omnia, ea quæ pertinent ad ipſorum munus, quod non eſt exigui momenti, cum non raro ex ipſorum imperitia multæ oriantur lites, & conſcientiæ in magnu diſcrimine conſtituantur, de qua re multi conqueruntur DD.

Ultra ſcientiam ſufficientem, debet Tabellio, ſeu Notarius ſervare veritatem. Hæc autem primo expoſcit, ut conficiat inſtrumenta, fideliter tranſcribendo verba partium, prout cognoſcit ea dixiſſe; nam uno, aut altero modo prolata valde obeſſe, & prodeſſe poſſunt. Secundo, non debet negare vel occultare inſtrumenta iis, qui illa exigunt vel ad litem defendendam, vel ad cognoſcendum, an aliqua legata in ipſorum favorem fuerint facta &c. Immo debet ipſe manifeſtare legatum, maxime ad pias cauſas. Ut ſervetur veritas, debent mulieres, & perſonas rudiores inſtruere, ut poſſint eandem veritatem vel in civilibus vel in criminalibus, ut par eſt, deponere. Tertio debent conficere acta de iis, quæ non ſolum viſu, ſed auditu etiam percipi ſolent; unde non debent in inſtrumento aſſerere pecuniam fuiſſe numeratam, quando revera ita non eſt. Si vero ipſis certo moraliter conſtet pecuniam fuiſſe numeratam, quamvis tota coram ipſis non fuerit numerata, non videntur committere falſitatem. Denique cavere debent Notarii a conficiendis inſtrumentis injuſtis, maxime uſurariis, & libertati Eccleſiaſticæ læſivis. Verum tamen eſt non debere ſibi fidere in judicando aliquem contractum eſſe juſtum, vel injuſtum; nam experientia conſtat facile in his errari.

De officiis Notariorum, & de obligatione quam contrahunt reſtituendi, vel ratione ignorantiæ in ſuo munere, vel ob non ſervatam veritatem, vel ratione alicujus fraudis, aut doli, agunt S. Antoninus *p. 3. tit. 6. cap. 3. Navar. in Man. cap. 25., Tolet. l. 5. Inſtruct. Sacerd. cap. 6.*

R. II. Obligationes Procuratorum correſpondent obligationibus Advocati. Debent ergo ſufficienter ſcire, quæ ad ipſorum munus pertinent, ex quo fiet, ut non ſuſcipiant cauſam injuſtam procurandam, ac de ea monebunt ſuos clientulos: non inducent ad injuſtam concordiam: non ſuadebunt clientulis juridice interrogatis negare veritatem; non inducent falſos teſtes etiam ad probandum quod alias eſſet verum: non repellent teſtes contrarios ipſorum occulta crimina manifeſtando: non petent dilationes ſuperfluas ad litem in longum protrahendam &c. Hæc omnia ſcire debent, & cauti valde ſint in amplectendis cauſis; nam prius, quantum pertinet ad ipſorum munus, debent ipſarum juſtitiam examinare.

Expoſcitur deinde in Procuratore diligentia, ut omnia nempe tempore opportuno peragat, petendo e. g. juſtos terminos ad probandum quæ, & quando debet probare, appellando, quando appellare oportat. Hinc oportet Procuratorem non multis litibus intricari, ut poſſit, qua par eſt diligentia, ſuſceptis litibus aſſiſtere. Quod ſi ex ſua ignorantia, vel negligentia litigantes damnum aliquod patiantur, tunc habet onus reſtituendi, utpote quia eſt cauſa culpabilis damni illati.

Q. VII. Quod pretium pro ſuo labore recipere valeant Notarii, & Procuratores.

R. Ubi datur lex taxans ſalarium Notariis, & Procuratoribus, utique hæc ſervanda eſt. Si vero non detur hujuſmodi lex, tunc debent habere pretium conſuetum, & juxta æquitatem. Poſſent tamen aliqualiter illud augere ratione extraordinarii laboris; ut ſi longe a civitate eundum fuiſſet, vel ducere noctem inſomnem ad conficiendum inſtrumenta, ſcripturas &c.

Solent aliquando Procuratores, quibus ſingulis annis conſtitutum eſt certum ſalarium ad lites e. g. alicujus Monaſterii defendendas, alium Procuratorem ſubſtituere retenta pro ſe parte ſalarii ſibi aſſignati. In hoc autem caſu puto nullam eſſe injuſtitiam, ſi adſit conſenſus partis. Si vero non adſit, & ſubſtitutus ſit æque idoneus, & diligens, pariter cenſeo nullam committere injuſtitiam; nam pars non poteſt eſſe rationabiliter invita. Quod ſi non ſit æque idoneus, & diligens, puto non poſſe totum ſalarium retinere, cum non poſſit credi partem idem ſalarium tali ſolutaram Procuratori. Præterea tunc Procurator principalis obnoxius erit omnibus majoribus expenſis, & damnis, quæ inſcitia, vel negligentia Subſtituti provenirent.

Accidere etiam ſolet aliquando Procuratores efformare conſilia, quæ Clientuli optarent ab Advocato, & tunc non ſolum retinere mercedem, quæ debetur Procuratori, ſed illam etiam quæ Advocato debetur, vel ſolummodo partem illis tribuere, ſi ſe ſubſcribant conſilio a Procuratore efformato. In hoc autem caſu puto ſaltem non poſſe retinere totam mercedem pro conſilio a Clientulo datam. Ratio eſt, quia Clientulus multo majorem mercedem dat quando credit conſilium ab Advocato fuiſſe efformatum, ac proinde totam illam mercedem ex errore tribuit. Item ſi ſciret Advocatum ſolummodo ſubſcripſiſſe approbando conſilium a Procuratore efformatum, ob ſolam ipſius ſubſcriptionem multo minus tribueret. Remanet ergo Procuratorem aliquod de plus poſſe retinere ratione laboris in conſilio efformando, ſed multo minus mercede tribui ſolita Advocato. Accidere etiam poteſt valde decipi in judicando ſe ſufficientem ſcientiam habere in efformandu conſilio; in quo caſu, ultraquamquod non poſſet aliquid retinere de mercede, quam Clientulus ſe putat dare Advocato, tenetur ad omne damnum, quod ex ſuo conſilio poſſit provenire. Videatur Toletus *in Inſtruct. Sacer. l. 5. c. 6. n. 5.*

Illud in univerſum attendant Notarii, & Procuratores non poſſe retinere, quæ plus juſto habent, maxime a pauperibus perſonis, dum pecuniam, aliaque dona tribuunt, quia vident ipſos parvifieri, ipſorum negotia remiſſe expediri &c. nam hæc omnia non dant gratis, ſed coacte. Neque ſatis ſe excuſant dicendo ab illis non exigere, niſi quæ ab aliis exigere ſolent. Ratio eſt, quia a miſerabilibus perſonis æquum eſt ut minus exigant, immo quandoque omnino liberaliter debent operam ſuam pro ipſis præſtare, ut dixi ſupra de Advocatis.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum negari non poſſit dari aliquando Advocatos, Procuratores, & Notarios vere ſui muneris incapaces, & multa ignorantia laborantes, ſi Confeſſarius illos non moneat de obligatione a ſuo exercitio ceſſandi, uterque Inferni reus erit. Nec ſatis ſe excuſare poteſt Confeſſarius dicendo ipſorum inſcitiam ſibi compertam non eſſe; nam aliquando, ut id illi ſatis innoteſcat, ſufficit aures habere, quidam etenim omnium voce inſufficientes judicantur. Sed quid ergo agere ulterius debet Confeſſarius cum illis Advocatis, qui advocandi munus non exercent, ſed quandoque nihilominus eliguntur ad lites dirimendas, puta quia Judicum vota paria fuere pro affirmativa, & negativa? Facilis reſponſio eſt. Vel omnino etiam cum proprio diſpendio in tali caſu renuant judicare; ſemper etenim id illicite præſtant ſine ſcientia ſufficienti: vel renuntient Doctoratus Dignitati, ut ita ſe eximant a judicando. Si vel unum vel aliud non præſtent, & Confeſſarius ad id non obliget, uterque, ut dixi, Reus Inferni eſt. Non auderem tamen condemnare gravis culpæ, ſi dum ipſe non ſit ſatis doctus, ſibimet non fidit, & quia non poteſt ſine ſui diſpendio ſe a judicando eximere, probi, & docti Viri votum, & ſententiam ſequitur. Videat ergo ſaltem, ne nimis præſumat.

Nec deſinat Confeſſarius animadvertere non ſolum ratione ignorantiæ eſſe in continuo ſtatu peccati mortalis Advocatos indoctos, ac Notarios, & Procuratores in ſuo munere non ſatis peritos, ſed teneri ulterius ad reſtitutionem damnorum, quæ ex ipſorum ignorantia, & imperitia derivant.

II. Moneat Confeſſarius Advocatum ſuum Pœnitentem, ne ſtatim Clientulo victoriam litis promittat. Tenetur ex vi ſui officii, antequam litem aggredi poſſe pronunciet, aperire Clientulo momenta rationum, quæ illi aſſiſtunt, & ſi minus ſint probabilia, ingenue fateri ei talia apparere.

III. Poteſt etiam graviter peccare Advocatus dum in cauſæ decurſu ex noviter deductis, quæ in cauſæ initio latebant, cognoſcit cauſam ſui Clientuli non poſſe amplius ſuſtineri, & nihilominus id occultat, ne ignorantiæ arguatur. Vide quæ diximus ſupra *pag. 606. quæſt. 3.*

IV. Dan-